F. LUCII FERRARIS

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA.

Digitized by Google

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

F. LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI, ORD. MIN. REG. OBS. S. FRANCISCI, LECTORIS JUBILATI, EXPROVINCIALIS
EXAMIN. SYNODALIS AC S. O. CONSULTORIS,

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA.

EDITIO NOVISSIMA, MENDIS EXPURGATA,

NOVIS AD SINGULAS FERE VOCES ADDITAMENTIS NOVISQUE ARTICULIS LOCUPLETATA,
TUM PECULIARIBUS SUMMARIIS, TUM GENERALI MATERIARUM INDICE INSTRUCTA,
ADJECTA AD CALCEM CUJUSCUNQUE VOLUMINIS ABSOLUTISSIMA APPENDICE EX OMNIUM SS. CONGREGATIONUM DECRETIS
QUÆ VEL IN ANTEACTIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR, VEL DEINCEPS USQUE AD PRÆSENS LATA SUNT,
JUXTA VOCUM HUJUSCE BIBLIOTHECÆ SERIEM DIGESTIS;

OPERA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATIÆ MONTIS CASINI,

PATRONO ET AUSPICE VIRO EMINENTISSIMO

ALOISIO S. E. R. CARDINALI LAMBRUSCHINI

EPISCOPO SABINORUM,

SANCTISSIMI D. N. GREGORII XVI P. M.

A PUBLICIS NEGOTIIS ET A BREVIBUS, ETC., ETC.

ACCURANTE RURSUM ET INNUMERIS NOTIS LOCUPLETANTE J.-P. MIGNE.

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

TOMUS TERTIUS.

VENEUNT 8 VOL. 60 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

CHICN
Digitized by Google
105. J1
1852

Rec. July 25, 1901.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS.

D

DAMNIFICATIO, DAMNUM.

SUMMARIUM.

1. Damnificatio est duplex, lucrosa, et non lucrosa. Quæ sit damnificatio lucrosa. — 2. Quæ sit damnificatio non lucrosa. — 3. Damnificatio non lucrosa dividitur in inculpatam, et Culpatam, culpa vel Theologica, vel Civili tantum. Quæ sit damnificatio culpata Theologica. — 4. Ex hac damnificatione culpata culpa Theologica oritur obligatio restituendi, seu damna resarciendi. — 5. Et talis obligatio, etiam ante litis contestationem, damnificante defuncto, transmittitur ad ejus hæredes. — 6. Quid sit damnificatio culpata culpa Civili, vel politica tantum. — 7. Ex hac damnificatione culpata culpa Civili, seu juridica tantum, oritur pro foro externo obligatio resarciendi damnum, etiamsi culpa esset levissima *ad. n.* 8. — 9. Damnificatio inculpata, quæ sit, et quando dicatur. — 10. In foro conscientiæ tenetur quis ad reparandum damnum alteri illatum, nedum per damnificationem culpa Theologica, sed etiam per damnificationem culpatam culpa Civili, seu juridica lata. — 11. Nemo (præscindendo a contractu) tenetur in conscientia ante sententiam Judicis ad resarciendum damnum alteri illatum per damnificationem realem, seu juridicam solum levem, vel levissimam. — 12. Affertur instantia, et solvitur. — 13. Incapaces doli, seu culpæ Theologicæ in nullo foro tenentur ad resarciendum damnum. — 14. Sic nec tenentur ad resarciendum damnum, qui adhibuerunt debitam diligentiam pro illo avertendo. — 15. Sic nec tenentur ad damnum resarciendum, qui illud causarunt utendo jure suo. — 16. Sic in nullo foro tenetur aliquis resarcire damnum, quod casu omnino fortuito, qui prævideri, et evitari non potuit, contingit. — 17. Recensentur causæ, pro quibus licitum est quandoque Damnum rebus inferri.

(1. Damnificatio est duplex, lucrosa, et non lucrosa. Damnificatio lucrosa est damnum datum in rebus externis cum iniqua earum usurpatione, ut sit in furto, rapina, aliisque iniquis usurpationibus, in quibus fur, vel iniquus invasor rem alienam invadit, et lucrum capturus in suum usum convertit. (2. Damnificatio non lucrosa est damnum in bonis externis proximi absque eo*rum* usurpatione, id est absque eo quod aliquod commodi, seu lucri exinde perveniat *ad* damnificantem, ut sit cum quis ædes, vel segetes proximi incendit, ejus animalia interficit, etc.

(3. Damnificatio non lucrosa dividitur in inculpatam, et culpatam; culpa vel Theologica, vel Civili tantum. Damnificatio culpata culpa Theologica, et proprie dicto peccato dicitur, qua damnum quis infert proximo, vel ex directo proposito ei nocendi, vel nolendo, cum possit, ac debeat, abstinere ab *actione* includente perfectum ei inferendi damni periculum; vel non impediendo ei damnum inferri, cum possit, et ex justitia *teneatur* impedire; *c. Si culpa* 9, *de injuriis, et damno dato*. (4. Et ex hac damnificatione culpa*ta* culpa Theologica oritur obligatio restituendi, seu damni resarciendi, ut expresse loquitur textus in dict., cap. *Si culpa*, ibi: « Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc, imperitia tua sive negligentia, evenerunt, jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam. » (5. Et talis obligatio etiam ante litis contestationem, damnificante defuncto, transmittitur ad ejus hæredes; c. Paroch. 14, *de Sepulturis*, etc. In littera 5, *de Raptore*.

(6. Damnificatio culpata culpa civili, vel politica tantum dicitur, qua seclusa omni voluntate nocendi proximo, omnique actione, vel omissione culpabili coram Deo, ac in conscientia, nihilominus damnum proximo infertur ex actione, vel omissione culpabili, vel defectuosa contra exactum modum agendi humanum. (7. Et ex hac damnificatione culpata culpa civili, seu juridica tantum, oritur pro foro externo obligatio resarciendi damnum, etiamsi culpa esset levissima, textu expresso leg. *In fine*, ff. ad legem Aquiliam, ibi: « in Lege Aquilia etiam levissima culpa venit; » quia potior debet esse causa ejus, qui damnum absque omni culpa patitur, quam alterius, qui sua

Digitized by Google

culpa damnum intulit, etsi forsan levissima; cum in l. *Factum*, ff. *de Regul. juris* expresse habeatur, quod *factum cuique suum, non alteri nocere debet.* §8. Unde si animal tuum absque alia culpa tua damnum alicui intulit, v. g. percutiendo, vel occidendo animal proximi, aut segetes depascendo, teneris pro noxa damnum illatum resarcire, vel dare damnificato illud animal, quod damnum intulit, l. 1, ff. *Si quadrupes pauperiem.* Si mancipium tuum ex sua, sed absque culpa tua, intulerit damnum, teneris pro noxa tradere mancipium, vel totum damnum reparare, 2. Instit. ff. et Cod. de noxalibus actionibus. Si per incuriam non extinxisti ignem, ex quo fuit domus combusta, teneris ad reparandum damnum; arg. leg. *Si servus*, § *Si fornicarius*, ff. ad l.

Aquiliam. Si inconsiderate nullo dato prius signo aliquid dejecisti ex alto, vel de domo, aut navi projecisti, unde alicui transeunti, aut adstanti damnum est illatum, teneris ad resarciendum; l. 5, *Statuitur* 4. Instit. l. *Stipulator*, ff. ad Leg. Aquiliam, in qua expresse dicitur : *Culpam esse, quod cum a diligente provideri poterit, non esset provisum.* Sic Caupo, Nauta, Stabularius, etc. in cujus domo, navi, stabulo, etc. furtum est factum, tenentur ad reparandum damnum causatum ab iis, quorum opera usi sunt; l. *Item exterior* 3. Instit. *de Obligat. ex quasi delicto*, leg. ultim. ff. *Nautæ, Caupones, Stabularii*, etc. Et sic de aliis hujusmodi (1).

(9. Damnificatio inculpata dicitur, quando nulla omnino culpa interveniente damnum infertur; vel quia damnificans non est capax

(1) In libris Pandectarum lib. 9, tit. 1, titulus prostat, *Si Quadrupes pauperiem fecerit. Tit.* 3. *De his qui dejecerint, vel effuderint.* Ac de Noxalibus actionibus, tit. IV, laud. lib. IX, ubi variis legibus cavetur; quod si quadrupes pauperiem (h. e. damnum sine injuria facientis datum, uti exponit Ulpianus leg. 1, tit. laud.), « fecisse dicatur, jubet legum auctoritas, aut dari id, quod nocuit, id est animal quod noxiam (h. e. delictum) commisit; aut æstimationem noxiæ offerre. » Et tit. 3 : « *De his qui dejecerint*, » etc. decernitur : « unde in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo consistetur, dejectum, vel effusum quid erit, quantum ex ea re damnum datum, factumque fuerit, in eum, qui ibi habitaverit in duplum judicium dandum. » Et tit. 4. *de Noxal. Action.* Noxales porro Actiones appellantur, quæ non ex contractu, sed ex noxa ac maleficio servorum adversus nos instituuntur; quarum actionum vis et potestas hæc est, ut si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, litis æstimationem evitare (*leg.* 1, *tit. laud.*). In hisce ergo illud nobis accurate inspiciendum erit, quando ex hujusmodi damnis domini, aut habitatores ad illorum reparationem astringantur in foro præsertim conscientiæ. Quæ quidem, quia paulo obscurius ab Auctore nostro indicantur, idcirco enucleatius erunt nobis tradenda. Itaque,

Dico I. Spectato jure naturali, paterfamilias, aut dominus ad illud tantummodo reparandum damnum erit astringendus, cujus ipse voluntaria causa extitit per injuriam. Quando enim animal, aut mancipium nocuit, quod ut a nocendi periculo possit avertere, nihil debitæ intermiserat paterfamilias diligentiæ, quidquid damni secutum inde fuerit, ipsi voluntarium censeri non potest; ac proinde jure naturæ ab omni culpa, et poena reparationis immune. Hinc si animal ferum, quod custodia inclusum, et catenis illigatum detinebatur, disruptis vinculis, e custodia emerserit, damnumque aliis attulerit, istud a domino reparandum non erit; siquidem, « licet ille, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse; secus tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, nihil omisit de contingentibus. » *Cap.* Si culpa *ult. de Injuriis*, et vide Pontas in suo *Dictionar. Casuum Conscient. V. Restitutio Cas.* 173. Gabrielem Antoine, aliosque.

Dico II. Spectato jure positivo, si nulla intercesserit domini, aut patrisfamilias culpa, causam aut occasionem præstans damno alieno; hac in hypothesi ad illud præstandum non tenetur, nisi post Judicis sententiam.

Dixi *post judicis sententiam.* Etenim hujusmodi leges non videntur receptæ cum tanto rigore, ut quisque teneatur ante judicis sententiam ad subeundam pœnam in reparationem damni, aut illam in semetipso exequendam, propter actionem, quæ cul-

pæ adscribi non potest. Rem enim, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; uti legum præscripto edocemur. Ita gravissimi Theologi, atque Canonici juris interpretes. Lege Pontas verbo *Restitutio, Casu* 170 et 171. Cum vero Judex suæ sententiæ auctoritate dominum, aut patremfamilias ad reparationem damni adstringat; etiamsi nulla ipsorum culpa, aut incuria intercesserit, unde consecutum damnum dici possit; nihilominus ipsi in foro conscientiæ obtemperare tenentur justæ judicis sententiæ, damnum irrogatum reparando, aut ipsum animal exhibendo. Hujusce autem rei ea est ratio, quia Judicis isthæc sententia non innititur, aut fundatur in præsumptione culpæ, aut negligentiæ; sed in legibus, quæ ita sanxerunt, ut communi bono, et publicæ civium tranquillitati prospiceretur, ac domini ipsi inde diligentius caverent, ne per suos damnum aliis inferretur. Vide Pontas *loc. cit.* Antoine Tractat. de Justitia, et Jur. cap. 3. qu. 14.

Dico III. Si reapse neque per tuum animal, aut mancipium alteri damnum fuerit importatum; sed omnino aliunde, tunc sane neque in conscientiæ foro adstringi poteris aut ad resarciendum damnum, aut ad ipsum animal vel mancipium exhibendum : neque etiam Judicis accedente sententia. Judex siquidem hac in hypothesi falso præsumit detrimentum, aut damnum fuisse irrogatum a tuo animali, vel mancipio; quapropter peccati reus non reputaberis, si remoto scandalo, hujusmodi pœnæ non commeritæ te subduxeris. Præsumptio enim, cedit veritati in foro conscientiæ, uti unanimi consensu docent Theologi.

Demum animadvertendum discrimen inter animalia, quæ naturali feritate commota noxiam, sive damnum inferunt, et illa quæ præter consuetudinem cæterorum ejusdem speciei animalium, sed tamen sua sponte nocent. Etenim in istis tantummodo, uti docet Ulpianus, hujusmodi, de qua diximus, actio locum habebit. In bestiis vero, quæ propter naturalem feritatem damnum afferunt, hæc actio cessabit; leg. *Si Quadrupes* 1. ff. *Si quadrupes pauperiem* etc. § 10. Quare si ursus aufugerit, ac proinde nocuisse noscatur, non poterit quondam ejus dominus conveniri, quia desinit dominus esse, ubi fera evasit. Leg. *Quod enim* 3. § 2. ff. *de Adquirend. rer. Domin.* Ubi tamen id accidisset propter incuriam ipsius domini, tenebitur iste irrogatum quodcumque damnum reparare; neque sufficit animal ipsum, si adhuc forte retinetur, exhibere ad sui liberationem. Hinc perquam recte Gregorius IX. laud. capit. ultim. Si culpa *de Injuriis* etc. « Quod tamen, inquit, ad liberationem non proficit » (h. e. non sufficit exhibere ipsum animal quod nocuit) « si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent, et quam debuerās, non curasti, adhibere diligentiam. » Vide Pontas Cas. 173. (Edit. Neap.)

Digitized by Google

culpæ, ut si infans vel furiosus domum incendat; cap. *Illud relatum* 2. caus. 15. quæst. 1. et leg. *Sed etsi*, ff. ad Legem Aquiliam; vel quia damnificans in præcavendo damno alterius prius omnem diligentiam adhibuit; cap. *Si culpa* 9. *de Injuriis et damno dato*, ibi : « Sane licet qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse, secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omisit, » et § 4 et 5. Institut. de Lege Aquilia; vel quia justa causa est damni inferendi, ut cum domus incensa, in parte nondum ardente destruitur, aut ædes contiguæ, ne ignis latius diffusus majus damnum inferat; aut cum in bello justo hostibus damna inferuntur, quia omni jure vim vi repellere licet; l. *Scientiam*, ff. ad Legem Aquiliam, aut cum quis in suo fundo fodiens vicini fontem avertit, si non animo nocendi vicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id facit, textu expresso in l. 1. § *Denique Marcello*, ff. *de aqua pluviali arcend.* quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur; l. *Nullus*, de regul. juris : *et nemo damnum facit, nisi qui id facit quod facere jus non habet.*

(10. Ex dictis colliges primo, illum teneri in foro conscientiæ ad reparandum damnum alteri illatum, qui illud causavit, nedum per damnificationem culpata culpa Theologica, et proprie dicto peccato, ut expresse statuitur cap. *Si quis* 6. cap. *Olim* 7. c. *Si culpa tua* 9. *de Injuriis et damno dato*, sed etiam per damnificationem culpata culpa civili, seu juridica lata. Et ratio est, quia culpa civili, seu juridica lata supponit gravem culpam Theologicam, cum late culpabilis juridice omittat illam diligentiam, et cautelam communiter ab hominibus suæ conditionis adhiberi solitam pro avertendo gravi damno proximi, ad quod grave damnum proximi avertendum quilibet jure naturæ tenetur, adeoque si illam omittat, censetur causa moralis illius damni, et hoc ipso Theologice fit culpabilis. Ita Innocentius cum aliis interpretibus in cap. *Sicut* 6. *de Homicid.* Silvester verb. *Culpa*, n. 5. et 6. Molina disp. 353. num. 7. Palao tract. 23. disp. 3. p. 1. n. 7. et communis aliorum.

(11. Colliges secundo, neminem (præscindendo a contractu) teneri in conscientia ante sententiam Judicis ad resarciendum damnum alteri illatum per damnificationem civilem, seu juridicam solum levem, et levissimam. Et ratio est, quia si leges, et maxime citatæ *supra num.* 7 et 8, aliæque consimiles imponerent obligationem in conscientia solvendi ante sententiam Judicis, essent nimis rigidæ, attenta hominum fragilitate; et cum nemo reperiatur, qui propter culpam juridicam solum levem, et levissimam sponte sua restituat, innumeros laqueos injiceret conscientiis absque necessitate boni communis, cui sufficienter, et abunde satis fit obligando ad damna resarcienda post sententiam. Sic Lugo tom. 1, disp. 8, sect. 3, num. 47. Lessius

lib. 2, cap. 7, n. 44. Molina tom. 3, disp. 712, num. 6. Haunold tom. 2, n. 172 et 176. Esparsa quæst. 26. La Croix lib. 3, p. 2, n. 163, et alii passim. (12. Nec valet dicere, quod si tales damnificantes non tenerentur in conscientia ante sententiam Judicis, ergo neque post ipsam tenebuntur, cum potius, ipsa sententia censenda esset injusta. Non valet, inquam, quia negatur absolute consequentia; sæpe enim Judices auctoritate Legis decernunt per sententiam aliquam restitutionem, quæ ante sententiam non erat debita. Cum enim Leges statuentes debere resarciri damna illata etiam ex culpa juridica levi, et levissima, justissimis de causis sint positæ; partim ut quilibet magis invigilet, ne sua, vel suorum culpa damnum aliquod proximis inferatur, sicque pax communis, et publica civium quies, atque indemnitas bonorum suorum conservetur, partim ut præcaveatur innumeris fraudibus, et malitiis hominum, quæ in foro externo sunt difficilioris probationis; sententia Judicis conformiter dictis Legibus lata, merito etiam in foro conscientiæ obligat, non obstante quod ante eam necdum adfuerit talis obligatio resarciendi damnum ex culpa mere civili, vel levissima, et sine omni culpa Theologica illatum.

(13. Colliges tertio, doli, seu culpæ Theologicæ incapaces in nullo foro teneri ad resarciendum aliquod damnum; cap. *Illud relatum* 2, caus. 15, qu. 1, et l. *Sed etsi*, ff. ad Legem Aquiliam. (14. Sic nec tenentur ad resarciendum damnum, qui adhibuerunt debitam diligentiam pro illo avertendo, cap. *Si culpa* 9. *de Injuriis et damno dato*, juncto § 4 et 5. Institut. de Lege Aquilia, cum concordantibus. (15. Sic non tenentur ad damnum resarciendum, qui illud causarunt utendo jure suo; l. 1. § *Denique Marcello*. ff. *de aqua pluviali arcend.* l. *Nullus*, de Regul. juris. Vide supra num. 9. (16. Sic in nullo foro tenetur aliquis resarcire damnum, quod casu omnino fortuito, qui prævideri, et evitari non potuit, contigit; c. *Cum gratia unic. de commodato*, et l. 1. § 4 *de obligat. et action.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(17. De damno, an rebus licite inferri quandoque possit, utilis est investigatio. Optime vero illustravit hoc argumentum Strykius Juridic. dissert. tom. 5, disput. 5, per tot. Octo autem sunt hujus disputationis capita totam materiam exhaurientia. Primum ita conceptum est : *Generalia Damni liciti exhibens.* Secundum : *De Damno rebus alienis licite illato in extruendo.* Tertium : *De Damno rebus alienis licite illato in destruendo.* Quartum : *De Damno rebus alienis licite illato in auferendo.* Quintum : *De Damno rebus alienis illato, intercipiendo, et avertendo.* Sextum : *De Damno rebus alienis licite illato, contrahendo.* Septimum : *De Damno rebus alienis licite illato, immittendo.* Octavum : *De Damno rebus alienis licite illato, omittendo.*

Digitized by Google

DEBITOR, DEBITUM.

Vide verb. RESTITUTIO, SOLUTIO.

DEBITUM CONJUGALE.

Vide verb. MATRIMONIUM *quoad debitum conjugale.*

DECANATUS SACRI COLLEGII.

Vide verb. CARDINALES, *art.* 2, *a num.* 19. *ad* 20.

DECANUS.

ARTICULUS UNICUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. ad 18. Decani nomine quid veniat apud Justinianum. — 19. ad 21. Decani in Christianis Ecclesiis. — 22. ad 24. Apud Monachos. — 25. In Cathedralibus Ecclesiis. — 26. ad 31. Eorum officia. — 32. ad 34. Et jura. — 35. ad 38. Decanorum electio. — 39. ad 57. Decani rurales. — 58. 59. Sacræ Rotæ Decanus. — 60. De aliis Decanis.

(1. Inter Ministerianos Romani quoque antiquitus suos cognoverunt Decanos. Hinc tum in Theodosiano tum in Justinianeo Codice de Decanis titulus inscribitur. Quodnam tamen exercerent munus, non satis liquet, omnesque inter se super hoc dissentiunt juris Interpretes, et Historici. (2. Cujacius eos humandis corporibus addictos putat ex Novell. 59. quem sequitur Burg. in lib. elector. cap. 14. Si tamen quod sentio licet candide proponere, aliud ex dicta Novella colligendum opinor. (3. Omisso enim examine super illis verbis relatis in d. Novella cap. 5. *Qui lecto ministrant Decani,* quæ aliud Decanorum officium videntur indicare: omisso pariter quod nomen Decani numquam humantes mortuorum corpora apud latinos scriptores significet, (4. cum proprio appellarentur nomine aut *Copiatæ* ut in Cod. Theod. leg. 1. *de lustral. collat.* et leg. 15. *de Episcop.* aut *Vespilliones,* ut apud Martial. ep. 87. Sveton. *in Domit.* cap. 17. (5. omisso quod *Libitinarii* appellabantur, qui funerum gerebant curam. *Duaren. de instit. action.* cap. 2, tom. 3, pag. 449. coll. 2, in princ. his, inquam, omissis, non satis compertum est cur ultimum humandorum corporum Decanis tribuatur ex dicta Novell. officium, dum in eadem ante etiam Clericos, et Canonicos nominantur: (6. « Distributio fiat et Decanis, et Asceteriis, et Canonicis, et Acolytis; » iisdemque majus quam reliquis decernitur stipendium: (7. « Decanis quidem per singulos menses centum octoginta duos solidos, Asceteriis autem nonaginta duos solidos, et Acolytis nonaginta unum solidos, et Canonicis triginta et quinque solidos, » cap. 2. in fin.

(8. Asceteriæ porro vocabantur Moniales illæ quæ in funeribus psallebant. Vicat. Vocabul. jur. verb. *Asceterium.* Idemque munus exercebant Acolyti, et Canonici. Dum itaque Justinianus in istorum numero primos recenset Decanos, verosimilius videtur, eos non humandis corporibus, sed parandis peragendisque defunctorum exequiis fuisse destinatos. Hinc in relata Novell. legitur cap. 2. (9. « Quod hactenus datum est laborantibus circa funerum exequias deinceps detur etc. Decanis Acolytis, » etc. (10. Eoque rectius quia hoc Collegium a Justiniano institutum non fuit, sed longe antea in usu erat, ut ex Cod. Theod. *de Decanis.* (11. Super his alii alia docent. Pancirol. in not. Imper. cap. 90. hos putat fuisse Cubicularios, qui Principis personam curabant. Apud Marcellinum lib. 14. (12. Ministri vocantur Tori, nec ideo inverosimile est ipsos eosdem fuisse, quos Cubiculariorum Decuriones appellat Sveton. *in Domit.* c. 17. (13. De quibusdam Decanis ex Palatio missis meminit etiam D. Ambrosius lib. 5. p. 33.

(14. Decanus autem nuncupabatur ille qui decem præerat viris. Veget. l. 2. cap. 7. ideoque arbitror, nomen Decani, et Decurioris idem fuisse, ex eoque originem duxisse, quod decem præessent viris, quemadmodum Centuriones a centum viris, quibus praeerant, nomen habuerunt. (15. Varr. de ling. lat. lib. 4. (16. Cum vero Decani numero plures essent hinc Decanorum corpus conficiebant, de quo lib. unic. Cod. Theod. *de Decan.* (17. Ex eorum Collegio quatuor creabantur Primicerio biennales, quo tempore elapso ad illud non revertebantur officium, sed sequentibus in ordine Secundoceriis, Tertioceriis, Quartoceriis locum relinquebant leg. 1. Cod. *de Decan.* ibique Brunem. (18. Ipsi a decem viris eorum auctoritati commissis exposcebant obsequium, in Decanos vero Officiorum Comites, vel Magistri jurisdictionem exercebant.

(19. Horum exemplo, ni fallor, in Christianis Ecclesiis Decani constituti sunt, quod etiam de aliis Ethnicorum consuetudinibus ad Christianorum mores accommodatis factum apparet. (20. Isti dum Populus publicam in die Cinerum susceperat pœnitentiam Clericos præcedebant, eumdemque populum in Ecclesiam introducebant In die vero Paschatis eosdem similiter Ecclesiæ liminibus repræsentabant. Cap. in capite distinct. 50. et cap. 7. *de Offic. Archidiac.*

Digitized by Google

§ 6. (21. Eodem pariter retento nomine, introductus fuit Primicerius, qui caput erat Acolytorum, Lectorum, et Psalmistarum Cap. *Perlectis* § *Ad Primicerium* 13. distinct. 25.

(22. Monachi adhibuerunt primi Decanos, quorum plerumque numerus pro Monachorum numero insignis erat, cum ad veterum Decanorum similitudinem decem tantum Monachis præessent, ut ita exactior esset in eosdem cura. (23. Post Abbatem, et Præpositum primum obtinebant locum Van. Espen. Jur. Eccles. part. 1. tit. 11. cap. 2. § 1. Thomassin. de veter. et nov. Eccles. Discipl. lib. 3. c. 66. § 8. (24. Dum ob Monachorum numerum in eodem Monasterio plures erant Decani, eorum senior, absente Abbate et Præposito, primum dignitatis gradum consequebatur, ipsorumque universam gerebat curam.

(25. Non multo post in Ecclesiis etiam Cathedralibus Decanorum dignitas inter Monachos Monastico adhuc more viventes introducta fuit, qui primo Præpositis inferiores erant, sed tractu temporis in plerisque Capitulis cum Præpositi, omissa quasi omnino rerum spiritualium cura, rebus tantum temporalibus incumberent, hinc Decani Sacrorum, et disciplinæ Ecclesiasticæ in choro præsertim curam soli exercere cœperunt. Schmidt Thesaur. jur. Eccles. dissert. 4. § 19. eorumque vigilantia in accurata a Canonicis exigenda Ecclesiasticæ disciplinæ observantia adeo processit (si fides habenda est Anton. Matthæi de nobil. lib. 2. cap. 40.) ut interdum delinquentes fustibus quoque cædi mandarent.

(26. Quidquid tamen sit, in dubium verti nequit, quin animarum cura de jure communi illis fuerit commissa cap. 7. § 2 *de Election. et Elect. potest.* De jure vero speciali, et consuetudinario tantam in nonnullis regionibus consecuti sunt auctoritatem, ut in multis actibus Episcopalem quasi adæquent jurisdictionem. (27. In Ecclesiis quippe Gallicanis, Decanum ex consuetudine habere jurisdictionem in Capitulum, et in magnam partem Cleri, testatur Van Espen. Jur. Eccles. l. 1. tit. 11. cap. 2. num. 6. (28. Idem refert de plerisque Hispaniæ Capitulis Fagnan. in cap. *Irrefragabili* 13. § *Excessus de offic. Judic. ordin.* num. 21. (29. Ita et causa in prima instantia cognoscunt, licet hac de jure communi sint jurisdictioni destituti Van-Espen. jur. Eccles. part. 1. tit. 4. cap. 5. (30. Quas tamen hoc non obstante privilegio definire nequeant controversias statuit Concil. Trident. sess. 24. cap. 20. *de reform.* (31. Cæterum particularia proprii Capituli negotia gerunt, uti speciale Canonicorum caput illos convocant, directorium habent, eorum vota exquirunt cum iisdem deliberant, et inde decretum signant, quin hodie in plerisque saltem Capitulis, Præpositus nisi vocatus intervenial Schmidt. d. Thesaur. Jur. Eccles. dissert. 8. § 11. in not. Thomassin. loc. cit.

(32. In Ecclesiis Trevirensibus Parochi infra annum a die electionis juramentum Decanis præstare debent, ipsis obedientiam polliceri, et alia quamplurima tum a Parochis tum a Clericis, sive Beneficiatis sive non, sive Regularibus, sive Sæcularibus solent præstari. (33. Parochiales Ecclesias Decani quotannis visitant, quod privilegium, ubi consuetudo legitime introducta vigebat, confirmavit Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. *de reform.* Quæ in universa pene Germania observatur consuetudo, et alia plura videnda apud Schmidt. d. Thesaur. jur. Eccles. dissert. 8. a § 7. ad fin. (34. His autem seclusis peculiaribus cujuscumque Capituli statutis, licet primum obtineant gradum in Capitulo, non tamen in suffragiis ferendis, uti et in reliquis jura habent majora, quam cæteri Canonici, ut de Capituli Osmaburgensis Decano definivit Sacra Rota coram Crispo dec. 301. n. 21.

(35. Decanorum electio de jure communi ad Episcopum, et Archidiaconum pertinet cap. 7. *de offic. Archidiac.* (36. De jure vero particulari, et consuetudinario ad Capitulares Pastores, præsente, et confirmante Archidiacono, vel ad Canonicos simul congregatos, confirmante Episcopo spectat. Thomassin. de vet. et nov. Eccl. discipl. lib. 3. c. 66. §. 15. (37. Promoveri autem ad hanc dignitatem non potest nisi qui ejusdem Ecclesiæ Canonicus sit, et in Presbyterum ordinatus cap. 1. distinct. 60. « Nullus Episcopus in Ecclesia sua nec Archipresbyterum, aut Decanum, nisi Presbyteri sint, ordinare præsumat, » et cap. 2. distinct. eadem.

(38. Sed cum non in omnibus Capitulis, et Collegiatis idem eligendi modus, eædemque in Decanis confirmandis adhibeantur solemnitates, de quibus Schmidt. loc. cit. in not. ad § 23. et Vicat. Vocabular. jur. in verb. *Decanus*, non eadem exerceant jurisdictionem, non denique idem dignitatis gradus reputetur, ideo inspiciendæ in primis sunt peculiares cujuscumque Capituli constitutiones, et consuetudines legitime introductæ, deinde consulendi erudite non minus, quam accurate de Decanis agentes Van-Espen. Thomassin. Pancirol. Schmidt. loc. super citat. Willemberg. dissert. de Decan. Barbos. jur. Eccl. lib. 1. cap. 21. et cap. 26.

(39. Hactenus dicta tum urbanos, tum rurales respiciunt Decanos de quibus omittendum non est, quoddam ruralium adhuc Decanorum in Italia superesse vestigium. Adeo in dies Fidelium numerus augebatur, ut propter locorum distantiam cum non ita facile Parochiales Ecclesias adire possent et Ecclesiasticis interesse officiis, (40. hinc Alexander III. alias erigi mandavit Ecclesias, et dotari ex redditibus Ecclesiarum actu existentium, a quibus ideo recentiores Ecclesiæ (41. tum quoad electionem Parochi, quæ ad Matricis Ecclesiæ Rectorem pertinebat, tum quo ad alia nonnulla obsequia dependebat c. 3. *de Eccles. ædific.* (42. tunc, ut opinor, veterum Ecclesiarum Rectores a recentioribus cœperunt distingui, illis dato nomine Plebanorum, vel Archipresbyterorum, prout hodie vocantur, his vero simpliciter Parochorum. Quamquam

Digitized by Google

hæc antiquior denominatio videtur. Legitur enim c. 64. distinct. 50. « Ibi adesse debent Decani, id est Presbyteri Parochiarum, » ex quibus verbis colligi potest usque tunc hanc in Ecclesia dignitatem locum habuisse. (43. Lapsu temporis auctoritatem, qua Matricis Ecclesiæ Rectores in simplices Parochos pollebant, paulatim amiserunt, nec aliud nunc retinent, quam jus quoddam præeminentiæ, et jus baptizandi inferioribus Parochis ut plurimum non concessum.

(44. Non ita tamen Murator. *sopra l'antichità Italiane* tom. 1. diss. 10. Hic vir cæteroquin doctissimus antiquiori ævo, eos fuisse arbitratur Decanos, quibus Ecclesiarum baptizandi jure destitutarum regimen erat commissum, subditosque fuisse Centenariis, seu Centurionibus. (45. Cum enim anno 595. a Clotario II. Francorum Rege, ut ipse refert, cujuscumque Civitatis Agrum in Centenas, seu Centurias, et Decurias, seu Decanias fuerit divisum, inde colligit laudatus Auctor, Decuriones, seu Decanos decem familiis, Centenarios vero seu Centuriones centum familiis præfuisse, ideoque illos inferiores, hos vero digniores Ecclesias obtinuisse. (46. Sed tanti Auctoris pace dicam, in toto Canonici juris corpore hujus divisionis vestigium non reperio, ideoque non satis probata ejus mihi videtur opinio. Primo constat, ab anno usque 438. quo evulgatus fuit Codex. Theod. Jac. Goth. Proleg. Cod. Theod. cap. 1. 2. 3. Sruv. Histor. jur. Roman. cap. 2. § 12. (47. hos Centenarios, qui Plebis sibi usurpabant distributionem, fuisse Imperatorum auctoritate sublatos leg. *Sacerdotales* 20. Cod. Theodos. de Pagan. in fin. « Chiliarcas insuper, et Centenarios vel qui sibi plebis distributionem usurpare dicuntur, censuimus removendos, ita ut capitalem sententiam non evadat qui, » etc. Ex his sequitur ante Clotarium Centenarios quidem fuisse, sed a Theodosio sublatos, quin appareant deinde in primævam dignitatem saltem in Ecclesia restituti.

(48. Profecto in citato cap. 64. distinct. 50. recensentur variæ Ecclesiasticæ dignitates, quæ animarum Curam habentibus conferebantur, nec centenariorum fit mentio, sed expresse traditur Decanos fuisse Archipresbyteros Parochiarum : « Decani, id est Archipresbyteri Parochiarum; » et tamen hæc constitutio paulo anterior est Clotarii temporibus, cum desumpta fuerit ex concilio Agathensi habito anno 506. sub Pontificatu S. Symmachi. (49. Anno 904. Joannes Papa IX. in Synodo Ravennate mandavit, ut « sicut Episcopus Matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsint Plebibus, cap. 4. *de Offic. Archipresbyt.* » (50. Nullum pariter centenariorum verbum legitur apud Alexandrum III. qui anno 1170. novam Ecclesiarum erectionem demandavit, in quarum caput constituebantur Rectores veterum Ecclesiarum : « Providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiæ servetur. » cap. 3. *de Eccles. edific. et reparand.* Sed si a Clotarii usque temporibus honores, et obsequia ab inferioribus Parochis Ecclesiæ matrici debebantur, quomodo poterant deinde iterum concedi? Anno tandem 1198. (51. Innocentius III. nonnullis Ecclesiasticis dignitabus jurisdictionem præfiniens expresse docet Archipresbyteris a pluribus fuisse Decani nomen tributum « Archipresbyteri autem, qui a pluribus *Decani* nuncupantur, » cap. 3. *de Offic. Archidiac.* sive igitur anteriora, sive posteriora Clotario inspiciamus tempora, manifestum est Archipresbyteros, et Plebanos recentes veterum Decanorum loco habendos esse. Altaserra Ecclesiast. Jurisdict. lib. 8. cap. 18. per tot.

(52. Rectius fortasse cum Duareno de Sacros. Eccles. Minist. et Benefic. lib. 1, cap. 9, in fin. tom. 4, dixisset Archipresbyteros, et Plebanos Chorepiscopis fuisse subrogatos, quorum propterea munere tunc fungebantur. (53. Chorepiscopi enim ita dicti a græco vocabulo *choros*, quod vicum vel pagum latine significat, ab Episcopis urbanis certis vicis, et pagis præficiebantur, et Episcopalis jurisdictionis in nonnullis actibus participes erant. Duaren. loc. cit. (54. De his meminit Leo Papa I, ab anno usque 440, in cap. 4, distinct. 68, ubi recensentur ea quæ ad eorum jurisdictionem non pertinebant. (55. Sed cum paulatim omnia Episcopalia jura sibimetipsis arrogare contenderent, hinc anno 794. (56. Leone III, Pontifice, et Carolo Magno Imperatore ejecti a Gallia fuerunt. Fleury, part. 1, instit. c. 18, n. 5. (57. Sæculo vero XI. Damaso Papa II, cum Chorepiscoporum arrogantia ferri amplius non posset, eorum munus fuit undique sublatum et antiquatum. Cap. 4 et 5, distinct. 68, Gagliard. Instit. Canonic. lib. 1, tit. 24, § 24.

(58. Sacræ Rotæ Tribunal suum quoque habet Decanum, qui Collegii caput est, et jurisdictionalibus nonnullis actibus distinguitur. (59. Is in locum deficientis Auditoris alium Auditorem subrogare potest. Rot. cor. Cels. decis. 221, n. 1, et in æquali suffragiorum numero ea pars prævalet, pro qua ipse suum tulit suffragium. Rot. in recent. part. 18, dec. 81, n. 20. (60. Longum esset si de omnibus Prælatorum Collegiis quibus præficiuntur Decani, sermo habendus esset, sed cum hujusmodi Decani honoris potius, quam jurisdictionis primatu perfruantur, ideo non est cur diutius super illis disserendo immoremur.

DECIMÆ.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quoad ea quæ concernunt Decimarum esse, divisionem et obligationem.*

1. Decimæ quid sint. — 2. Decimæ ortum habent ex veteri Testamento. — 3. Adducuntur congruentiæ decimarum, *usque ad num.* 5. — 6. Quare decima pars potius, quam vigesima, vel alia quota electa fuerit a Domino. — 7. Decimæ dividuntur in Prædiales, seu Reales, et in Personales, et quæ sint utræque? *ad n.* 8. — 9. Omittitur hic tertium genus decimarum, quas varii admittunt, et vocant *decimas*

Digitized by Google

mixtas. — 10. Decimæ aliæ sunt profanæ, et aliæ Ecclesiasticæ, et quæ sint utræque? *ad n.* 12. — 13. Decimæ duplici modo considerari possunt. Primo modo materialiter, et secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; Secundo modo formaliter, et secundum certam, ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, non octavam vel duodecimam. — 14. Decimæ primo modo consideratæ sunt debitæ Ministris Ecclesiæ jure naturali divino, et humano, *ad n.* 17. — 18. Decimæ primo modo consideratæ prout præcise continent necessariam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, sunt eis solvendæ, etiamsi aliunde habeant, unde vivant. — 19. Secus autem est dicendum, si Ministri Ecclesiæ sustentationem necessariam habeant ex aliis redditibus Ecclesiasticis. — 20. Decimæ secundo modo consideratæ, id est formaliter, et secundum certam, ac determinatam partem, seu quotam fructuum, scilicet decimam, non octavam, vel duodecimam, licet in veteri Testamento fuerint debitæ ex jure divino positivo, tamen tempore novi Testamenti debentur Ministris Ecclesiæ solum ex jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico, *ad n.* 25. — 26. Adducuntur pro instantia novi Canones, et solvuntur, *ad n.* 28. — 29. Decimas defraudans, vel non solvens peccat dupliciter, scilicet, et contra virtutem Religionis, et contra virtutem Justitiæ, *ad n.* 30. — 31. Immo ex Tridentino defraudantes, et non solventes, aut impedientes solvere, possunt et debent excommunicari, *ad n.* 32. — 33. 35. Decimarum origo. — 36. 37. Decimæ primum non ut præceptum impositæ — 38. 41. Quo tempore lata lex sit de solvendis decimis — 42. 46. Decimæ debitæ sunt de jure divino. ad 51.

ARTICULUS II. — *Decimæ quibus, et a quibus sint solvendæ?*

1. Decimæ antiquitus solvebantur loci Episcopo ad hoc ut ille easdem Clericis Ecclesiæ Ministris, juxta cujusvis meritum, et exigentiam in sua Diœcesi fideliter distribueret. — 2. Postquam autem facta est Parochiarum, et bonorum Ecclesiasticorum divisio, Decimæ de Jure communi solvendæ sunt Parochis. — 3. Decimæ prædiales de Jure communi solvendæ sunt Parocho loci non solum a Parochianis propriis, sed etiam ab alienis de agris, et prædiis, quæ intra limites talis Parochiæ existunt; nisi contraria sit legitima consuetudo, *ad n.* 4. — 5. Decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ dimidia parte anni morantur, et pascuntur intra limites Ecclesiæ prædialis, et altera dimidia parte anni intra limites Ecclesiæ Parochialis, debent solvi pro medietate utrique Parocho. — 6. Sic etiam sunt dividendæ pro medietate inter duas Parochias Decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ in una jacent, et dormiant, et in alia pascuntur. — 7. Quando oves, et alia animalia, nec morantur, nec pascuntur per ullam anni partem in Parochia Domini sui, sed in aliis, nulla pars Decimarum debetur Ecclesiæ Parochiali Domini, sed *illi*, ubi morantur, et pascuntur. — 8. Decimæ ex ovibus, aliisque animalibus non sunt solvendæ Parochis illarum Regionum, per quas pascendo transitum faciunt, et redeunt in domicilium. — 9. Decimæ personales de Jure communi solvendæ sunt Parocho illius Ecclesiæ, ubi percipit Sacramenta, et audit Divina, etiamsi alibi lucrum v. gr. in negotiatione reportet. — 10. Tali proprio Parocho debentur decimæ personales, etiamsi Parochianus causa comitandi Regem, vel recreandi animum, vel agendi aliqua negotia, vel fugiendi pestem, vel causa belli, et hujusmodi extra illam Parochiam resideat, absque tamen animo transferendi domicilium in perpetuum. — 11. Decimæ personales non debentur primæ Parochiali, si quis mutaverit domicilium, sed secundæ, in qua recipit Sacramenta, et audit Divina. — 12. Decimæ personales sunt dividendæ inter plures Ecclesias pro rata temporis, quo Parochiani in eis audiunt Divina, et recipiunt Sacramenta. — 13. Si quis artifex habeat domicilium in confinio duarum Parochiarum, tenetur decimas persolvere illi Parochiæ, ubi est pars domicilii, in qua semper laborat; Et si dubitetur de qua Parochia domicilium sit, tunc inspicienda est janua, seu porta illius principalis. — 14. Si quis perceperit Sacramentum Baptismi in Ecclesia Matrice, et reliqua Sacramenta in Parochiali, decimæ personales partim debentur Ecclesiæ Baptismali ratione Baptismi, partim Parochiali propter reliqua Sacramenta. — 15. Alii autem Auctores volunt, et satis probabiliter, decimas personales deberi solum Parochiali in qua audiuntur Divina, et percipiuntur reliqua Sacramenta, non autem Baptismali, si ibi Divina non audiuntur. — 16. Unde circa hoc attendenda est consuetudo. — 17. Quando Parochia aliqua dismembratur, et erigitur nova Parochia, decimæ prædiales ad Parochiam Matricem pertinentes non transeunt ipso jure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanent apud Parochiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Tridentini assignaverit *ad n.* 22. — 23. Decimæ vero personales transeunt ipso jure in Parochiam noviter erectam etiam ante ullam Episcopi assignationem, *ad. n.* 24. — 25. Decimæ variis in casibus debentur integræ soli Episcopo. Primo quando prædia quædam intra Diœcesim suam sita, nulli certæ Parochiæ sunt assignata, tunc decimæ ex iis debentur Episcopo. — 26. Secundo quando adhuc reperiatur aliqua Diœcesi, in qua nondum sit facta divisio, vel distinctio Parochiarum, tunc decimæ soli Episcopo debentur, non quidem ut sibi soli eas reservet; sed ut eas fideliter, et juste distribuat aliis Ecclesiasticis Ministris in curam animarum cooperantibus. — 27. Tertio quando Episcopus est etiam immediatus Parochus in aliqua certa Parochia, quam per Vicarium administrat, sive illa sit Ecclesia Cathedralis, sive alia. — 28. Quarto quando, et ubi non obstat legitima consuetudo in contrarium; debetur Episcopo *Quarta* de singulis decimis. — 29. Decimæ etiam Canonicis Cathedralium, vel Collegiatarum ac aliis Clericis simplicia Beneficia habentibus sunt de Jure communi solvendæ secundum eam portionem, quæ eorum Mensis, Dignitatibus, aut Beneficiis legitima auctoritate Ecclesiastica est assignata. Sicuti, et quando eorum Beneficia ex decimis legitime sunt fundata. — 30. Decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, qui ex officio in spiritualibus populo ministrant, etiamsi ipsi sint divites. — 31. Sic etiam decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, licet sint malæ vitæ. — 32. Omnes fideles Parochiani, nisi aliquo speciali titulo, seu jure sint exempti, tenentur solvere decimas, tum prædiales, tum personales. — 33. Etiam Hæretici tenentur solvere decimas, tum prædiales, tum personales. — 34. Etiam Judæi, et infideles tenentur solvere decimas prædiales ex fundis, et prædiis, quæ decimis erant obnoxia, antequam ad eorum manus pervenirent. — 35. Non tenentur tamen Judæi, et infideles solvere decimas personales. — 36. Clerici simplices, et non Curati tenentur solvere decimas, cum prædiales, tum personales de lucris, bonis et fructibus sæculari jure acquisitis. — 37. Non tenentur tamen isti Clerici simplices, seu non Curati solvere decimas de bonis Ecclesiasticis titulo Beneficii, aut alio titulo Clericali acquisitis, exceptis prædiis, agris et aliis fundis, ex quibus antequam in dotem Beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant, *ad n.* 38. — 39. Clericis Curatis quacumque dignitate præditi, ut Episcopi, Abbates, Archiprosbyteri, ac omnes alii Parochi quocumque nomine nuncupati, tenentur solvere decimas prædiales de fructibus bonorum titulo temporali, seu sæculari acquisitorum. — 40. Tales Clerici Curati tenentur solvere decimas prædiales ex prædiis, fundis, et agris etiam Ecclesiasticis, seu Ecclesiæ dotalibus in alte-

Digitized by Google

rius Parochia positis, si de illis antequam in dotem Parochiæ pervenirent, decimæ alteri Parocho solvi solebant. — 41. Non tenentur tamen tales Parochi solvere decimas prædiales de bonis mere Ecclesiasticis in propria Parochia acquisitis. — 42. Neque tenentur tales Parochi solvere decimas personales, *ad n.* 43. — 44. Regulares de Jure communi tenentur solvere decimas prædiales, nisi speciali privilegio, aut legitima consuetudine sint exempti. — 45. Insuper spectato Jure communi antiquo, præscindendo a privilegiis, tenentur Regulares solvere etiam decimas personales. — 46. Hodie tamen Regulares omnes aliquo saltem modo a solvendis decimis sunt exempti per privilegia partim Juri communi inserta, partim specialiter concessa. Primo per privilegia juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solvendis decimis personalibus. — 47. Secundo per talia privilegia Juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solvendis decimis de Novalibus, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus colunt. — 48. Novalia quæ sint. — 49. Tertio per talia privilegia Juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solutione decimarum de nutrimentis seu pascuis animalium, et de hortis suis. — 50. Quarto per talia privilegia Juri communi inserta Cistercienses aliique Regulares similibus privilegiis gaudentes, exempti sunt a solutione decimarum etiam de prædiis, qui terris non novalibus, illis scilicet, de quibus antequam ad eos pervenirent, decimæ non solvebantur. — 51. Immo de Jure communi tales Regulares de illis decimas solvere non tenentur, etiamsi, antequam ad eos pervenirent, decimæ fuerint solutæ, remanente in robore, quoad possessiones acquisitas ante generale Concilium de anno 1251. antiquo privilegio *cap. Ex parte* 10 *et cap. Ad Audientiam* 10, *de decimis*. — 52. Per privilegia specialiter concessa omnes fere Regulares hodie sunt exempti a solvendis decimis, nedum personalibus, sed etiam prædialibus de prædiis, et fundis cunctis, sive ante, sive post dictum Concilium generale de anno 1215. acquisitis, quæ propriis manibus, vel saltem propriis sumptibus excolunt. — 53. Talia tamen specialia Regularium privilegia non valent, nisi habeant Clausulam dicti Concilii generalis *in capit. Nuper* 34 *de decimis*, derogatoriam. — 54. Sufficit autem, si in privilegio exemptionis a decimis prædialibus fiat derogatio alicujus alterius Concilii generalis cum addito et *aliorum Conciliorum* vel si dicatur, *Non obstante aliqua Constitutione etiam in generali Concilio edita*. — 55. In generali communicatione privilegiorum, quamvis ampla, non communicatur privilegium exemptionis a solvendis decimis. — 56. Bona, et prædia, quæ solutioni decimarum sunt obnoxia, manent eidem oneri subjecta, etiamsi ad Regulares exemptos transeant, adeo ut Regulares teneantur illas solvere, quemadmodum solvebant Laici prius quam ad ipsos transirent, nisi a Sede Apostolica speciale privilegium eos specifice, quoad tales decimas, eximens obtineant. — 57. Referuntur aliæ novissimæ resolutiones in causis variorum Regularium ad hoc emanatæ; *ad n.* 59. — 60. Ad decimas solvendas non tenentur Regulares non possidentes stabilia, et qui de eleemosynis vivunt, *ad n.* 62. — 63. 65. Quibus competat juris assistentia pro Decimis.

Articulus III. — *Decimæ ex quibus rebus, ac quo modo, tempore, et loco, sint solvendæ.*

1. De Jure communi solvendæ sunt Decimæ prædiales de omnibus fructibus, seu proventibus bonorum omnium tam mobilium, quam immobilium licite acquisitorum. — 2. Assignantur in specie ea, de quibus Decimæ solvendæ sunt. — 3. Decimæ prædiales solvendæ sunt, nedum de omnibus licite acquisitis, sed etiam de illicite acquisitis. — 4. Decimæ personales, ubi illæ adhuc sunt in usu, nec dari debent, nec accipi possunt de illicite acquisitis, et illicite retentis, *ad n.* 5. — 6. De illicite tamen acquisitis, et licite retentis, Decimæ dari debent, et accipi possunt. — 7. Quamvis vero de sic illicite acquisitis possint Ministri Ecclesiæ Decimas repetere, non expedit tamen ut illas repetant, donec sic turpiter viventes non se emendaverint. — 8. Decimæ non sunt solvendæ ex bonis acquisitis titulo hæreditatis, Legati, vel donationis. — 9. Si tamen bona acquisita titulo hæreditatis, Legati, vel donationis sint fructifera, et ex illorum fructibus nondum sint pro illo anno solutæ Decimæ, debent solvi, ab eo, qui earum dominium, et possessionem acquisivit; sicuti tenebitur ex post quotannis illas solvere. — 10. Decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione seminis, vel expensarum, quæ in colendis prædiis, et colligendis fructibus, pro custodia animalium, et hujusmodi fiunt. — 11. Insuper Decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione tributorum, et censuum prædialium, vel aliarum exactionum, ita ut ante præstationem ipsarum integre solvi debeant; vel si prius tributa non decimata solvantur, et ipsa decimari debeant, sive Decimas inde solvere cogatur is, qui tributa accipit. — 12. Decimæ prædiales solvendæ sunt non nisi deductis prius expensis. — 13. Decimæ prædiales solvendæ sunt statim ac fructus sunt a solo separati, et collecti. — 14. Et obligati ad Decimas tenentur illas solvere, etiamsi a Parocho, vel ab alio jus decimandi habente, prius non moneantur, nec ab eis petantur. — 15. Alioquin peccant, si sine justa causa solutionem notabiliter differant. — 16. Immo obligati ad Decimas tenentur ad resarciendum damnum, si quod ex sua culpabili mora solvendi in Decimis sequatur. — 17. Decimæ prædiales solvendæ sunt pluries in anno, si prædia pluries in anno seminentur, et pluries in anno fructus proferant. — 18. Decimæ personales, ubi illæ adhuc sunt in usu, solvuntur omnes in fine cujusque anni, sicuti alii census, et tributa tunc solvi solent. — 19. Si tamen alicubi esset diversa consuetudo, esset observanda. — 20. Circa locum, in quo solvendæ sunt Decimæ, si attendatur jus commune, videtur quod parochiani propriis sumptibus teneantur illas deferre in Domum, vel Horreum Parochi. — 21. Si vero attendatur consuetudo jam fere ubique introducta, Parochi ipsi, aliique Decimatores tenentur Decimas colligere, et suis expensis in domum deferre. — 22. Consuetudine esse posse fructus, ex quibus decima non solvatur. — 23. 28. An Decima debeatur, si in Prædiis, quæ fructus ferebant Decimæ obnoxios substituuntur fructus, qui consuetudine minime erant Decimæ subjecti. — 29. Decima solvenda in ipsis fructibus, non item in pecunia. — 30. Quænam consuetudine solvi possit in pecunia.

Articulus IV. — *Jus decimandi a quibus, et quibus acquiri, et concedi possit.*

1. Clerici acquirere possunt jus decimandi variis modis. Primo Papæ concessione, seu privilegio. — 2. Secundo per consuetudinem legitime præscriptam. — 3. Ad sic autem præscribendum contra Laicum, vel contra Clericum privatum, vel contra aliam causam non privilegiatam, sufficit decennium inter præsentes, et vicennium inter absentes. — 4. Ad sic præscribendum contra aliquam causam piam requiruntur, et sufficiunt quadraginta anni cum bona fide. — 5. Ad sic præscribendum contra Ecclesiam Parochialem requiruntur quadraginta anni una cum titulo, vel tempus immemorabile. — 6. Tertio Clerici acquirere possunt jus decimandi per transactionem. — 7. Et talis transactio si sit facta cum legitima auctoritate, et consensu Superiorum, obligat etiam successores. — 8. Si vero transactio facta fuerit sine legitima auctoritate Superioris, valet solum inter ipsas personas transigentes, et nullimode obligat successores. — 9. Quarto Clerici

Digitized by Google

acquirere possunt jus decimandi donatione, dummodo adsint solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ. — 10. Si tamen decimarum donatio sit facta a Laico Ecclesiæ, vel loco Religioso, tunc non requiruntur tales solemnitates, sed sufficit solus Episcopi consensus. — 11. Quinto Clerici acquirere possunt jus decimandi, permutatione. — 12. Requiruntur autem etiam solemnitates ad alienationem necessariæ. — 13. Sexto Clerici acquirere possunt jus decimandi per compromissionem in arbitros. — 14. Requiruntur tamen pro tali compromisso solemnitates ad alienationem necessariæ. — 15. Laici nullo modo possunt acquirere jus decimandi, quatenus spirituales, sive fundatum in titulo spiritualis officii, seu obligatione ministrandi spiritualia. — 16. Possunt tamen Laici licite, et valide per specialem concessionem, seu privilegium Summi Pontificis acquirere jus decimarum, quatenus hoc consideratur ut abstractum a titulo, ac jure spirituali, et solummodo est quid temporale, scilicet jus præcise percipiendi decimam partem fructuum. — 17. Immo olim etiam Episcopi, ac alii Ecclesiarum Prælati jus percipiendi tales decimas in Feudum, vel Emphyteusim perpetuo concedere poterant. — 18. Hodie tamen a tempore Concilii Turonensis celebrati sub Urbano II. anno 1096. vel saltem a tempore Concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III. 1179, id sine consensu, et facultate Summi Pontificis facere amplius non possunt. — 19. Valent tamen etiam nostris temporibus illorum concessiones eisdem factæ ante dictum Decretum Urbani II. et ante dictum Concil. Lateranen. possuntque Laici etiam hodie licite retinere jus talium decimarum antecessoribus suis concessum ante dictum Decretum. — 20. Laici nulla præscriptione, et consuetudine etiam immemorabili acquirere possunt jus decimandi. — 21. Hinc Laici ut retinere valeant decimas, præter tempus immemorabile, requiritur insuper fama privilegii, debentque Laici probare communem famam, quod decimæ fuerint suis antecessoribus ex privilegio concessæ, vel ante Concilium Lateranense in feudum datæ sunt. — 22. Contraria tamen sententia est etiam probabilis. — 23. Laici jus decimandi, quod ex legitimo titulo possident, nequeunt per venditionem, donationem, mutuationem, vel per alium contractum in alios transferre Laicos sine auctoritate Papæ. — 24. Etsi tamen sit vere probabilis etiam contraria sententia. — 25. Ad validitatem concessionis decimarum favore Laicorum requiritur specialis derogatio. — 26. 27. Quid si concessio cadit super jure spirituali decimandi vel commoditate decimarum.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt decimarum esse, divisionem et obligationem.

(1. Decimæ sunt « decima pars omnium fructuum, et proventuum juste acquisitorum, Deo in recognitionem universalis supremique dominii debita, atque Ecclesiæ Ministris solvenda. » Est in re communis; et deducitur ex cap. *Non est* 22, cap. *Transmissa* 23 et cap. *Tua nobis* 26 *de decimis*, cum concordantiis; et Concil. Trid. sess. 25, de reform. cap. 12. (2. Decimæ ortum habent ex veteri Testamento, Genesis 14 et 28. Exodi 22. Levit. 27, Num. 28. (3. Decimarum congruentia est. Primo, quia sic recognoscitur Deus tamquam Donator, et supremus Dominus omnium bonorum, juxta cap. *Tua nobis* 26, *de decimis*, ibi. « Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse decimas, et primitias asseverans, » et cap. *Cum non* 33, eod. tit. ibi : « Cum autem in signum universalis dominii quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit. » (4. Secundo, quia Ministris Dei debetur sustentatio juxta illud Matthæi 10, ibi : *Dignus est enim operarius cibo suo*, et Lucæ 10, ibi : *Dignus est enim operarius mercede sua*, et I ad Corinth. 9, ibi : *Quis militat suis stipendiis unquam? Si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Et c *Cum secundum* 16, *de præbendis* ibi. « Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari; et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur. »

ARTICULUS V. — *Decimæ, quoad modos, quibus potest quis eximi ab ipsis solvendis, et quoad Judicem competentem in earum Causis.*

1. Primus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi decimas, est privilegium concessum a Summo Pontifice. — 2. Papa valide concedit exemptionem decimarum. — 3. Privilegium eximens a decimis cessat, quando incipit esse enormiter præjudiciosum Ecclesiis Parochialibus. — 4. Cum dubitatur an privilegium sit enormiter læsivum, recurrendum est pro declaratione ad Papam. — 5. Insuper privilegium non solvendi decimas cessat, et amittitur per non usum, seu potius per usum contrarium, quo privilegiati decimas per 40 annos solvunt. — 6. Nec sufficit ad amittendum tale privilegium, si per 30. annos privilegiati solvant Decimas. — 7. Ulterius privilegium non solvendi Decimas potest amitti transactione, et conventione facta inter partes. — 8. Secundus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi decimas, est consuetudo, vel præscriptio. — 9. Hinc infertur posse ex consuetudine induci, ut ex certis fructibus v. g. vino, oleo, fœno etc. vel ex fructibus minutis, et fœtibus animalium nullæ omnino Decimæ solvantur, aut aliqua solum portio solvatur. — 10. Et sic potest induci consuetudo, quod decimæ de bonis locatis, aut arrendatis non solvantur, quæ consuetudo servanda est. — 11. Sic etiam consuetudine possunt Decimæ alterari respectu quotæ, qualitatis, et modi. — 12. Talis consuetudo debet esse uniformis, universalis, et legitime præscripta. — 13. Ad hoc ut talis consuetudo sit legitime præscripta requiritur lapsus saltem quadraginta annorum. — 14. Adducitur instantia, et solvitur, *ad n.* 15. — 16. Ad solum Judicem Ecclesiasticum privative quoad Laicum pertinet causa decimarum, si agatur de proprietate, et jure percipiendi Decimas, ad quem pertineat, vel de privilegio, aut præscriptione earum, aut de exemptione a solutione earumdem. — 17. Hinc fit, ut etiam causa decimarum, quæ datæ sunt in Feudum sæcularibus, discutienda sit coram Judice Ecclesiastico. — 18. Unde si quis in similibus causis Decimarum erga Judicem Ecclesiasticum contumacem se exhiberet, posset per censuras compelli. — 19. Quomodo acquiri possit exemptio a solutione decimarum. — 20. 31. De Apostolico Privilegio quo exemptio acquiritur. — 32. 42. De præscriptione qua eadem exemptio acquiritur.

Digitized by Google

(5. Tertio, quia de decimis, post sufficientem Ministrorum Dei sustentationem, debent pauperes sustentari, juxta illud cap. *Tua nobis* 26 *de Decimis*, ibi : « Nec Decimas, quæ tributa sunt egentium animarum, præsumerent detinere, » et cap. *Decimæ* 66, caus. 16, q. 1, ibi. « Decimæ tributa sunt egentium animarum, » ubi etiam in casu, quo Ecclesiæ Ministris suam necessariam sustentationem jam habentibus, de Decimas non solvente sic ait S. Augustinus ibi relatus : « Quanti pauperes in locis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Judicis apparebit, quia rem a Deo pauperibus delegatam suis usibus reservavit. » (6. Decima autem pars potius quam vigesima, vel alia quota electa fuit a Domino, quia decenarius numerus erat primus terminus numerorum, cum ultra eum non procedatur, nisi iteretur, et sic aliquid perfectionis habet.

(7. Decimæ dividuntur in Prædiales, seu Reales, et in Personales, ut colligitur ex cap. *ad Apostolicæ* 29, *de decimis*, et Gl. ib. verb. *Personales*. Decimæ Prædiales, seu Reales sunt illæ, quæ solvuntur prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, arborum, domus elocatæ, sylvarum, et omnibus fructibus, nec non et de animalibus, ut colligitur ex cit. cap. *Ad Apostolicæ* 20, *de decimis*, et Gloss. ibid. et cap. *Cum in suo* 30, eod. tit. et cap. *Significavit*. 5, *de Parochis*. (8. Decimæ Personales sunt illæ quæ solvuntur ex acquisitis proprio cujusque labore, solertia, et industria, v. g. negotiatione, scientia, artificio, militia, mercatura, officio, et hujusmodi; ut colligitur ex cit. cap. *Ad Apostolicæ* 20, cap. *Non est* 22, et cap. *Pastoralis* 28, *de decimis*, et ex cap. *Decimæ* 66, caus. 16, q. 1, ibi : « De militia, de negotio, de artificio redde decimas. » (9. Omittitur hic tertium genus Decimarum, quas varii admittunt, et vocant decimas mixtas, voluntque esse illas, quæ partim reales, et partim personales sunt, quatenus nempe partim ex natura prædiorum, et animalium, et partim ex industria, et artificio hominum proveniunt, uti sunt illæ, quæ ex lana, lacte, caseo, melle, et hujusmodi proveniunt. Istæ enim decimæ mixtæ, ultraquam quod nullibi memorantur in jure, nec de illis sit aliqua mentio in cit. c. *Ad Apostolicæ* 20, cap. *Non est* 22, cap. *Pastoralis* 28, cap. *Cum in tua* 30, *de decimis*, et cit. cap. *Decimæ* 66, caus. 16, q. 1, ex quibus colliguntur solummodo decimæ Prædiales, seu Reales, et decimæ Personales, manifesto reducuntur ad genus decimarum prædialium, alias etiam omnes prædiales deberent dici decimæ mixtæ, cum etiam illæ partim a natura, partim ab industria hominum proveniant, ut clare patet in frumento, vino, et cujusmodi, ad quæ producenda non tantum natura, sed et industria hominum in excolendis v. g. agris, vineis, et hujusmodi multum conferunt. Unde merito Glossa in cit. cap. *Ad Apostolicæ* 20, verb. *Personales*, duas tantum species decimarum distinguit, personales, scilicet, et prædiales, inter quas prædiales enumerat decimas, quæ ex animalibus penduntur, quæ cum pro certo non sint Personales, neque rigorose loquendo possunt dici *Mixtæ*, adeoque attento jure in cit. cap. *Apostolicæ*, et aliis mox citatis, et in l. *Pecudum*, ff. *de usuris*, et Glossa ib. Decimæ ad duas tantum species reducuntur, *Prædialium*, scilicet, et *Personalium;* Barbosa de offic. et potest. Parochi c. 28, num. 9 et 10. Engel. lib. 3, decretal. tit. 30, num. 1. Reiffenstuel ib. num. 4, et alii. (10. Præterea Decimæ aliæ sunt profanæ, aliæ Ecclesiasticæ, ut tradit Gregor. Tholos. lib. 2. *Syntagm.* cap. 20. Profanæ sunt quoddam genus tributi, quod olim sæculares Domini prædiis subditorum imponere solebant. (11. Ecclesiasticæ autem sunt duplicis generis, aliæ scilicet sunt pure spirituales, et stricte Ecclesiasticæ, et aliæ Laicales, et minus Ecclesiasticæ. Priores sunt, quæ juxta primævam suam institutionem, et originem in signum universalis dominii Dei super nos, solvuntur ipsius Dei, et Ecclesiæ Ministris pro honesto eorum sustentatione, intuitu spiritualium ministeriorum eisdem debita. (12. Posteriores sunt, quæ à titulo spiritualis officii separatæ, ex concessione Ecclesiæ ob justam causam, solvuntur Laicis; Layman lib. 4, tract. 6, c. 1, num 1. Gregor. Tholos. lib. 2, Syntag. c. 20. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 30, n. 5. Reiffenstuel ib. n. 6, et alii passim.

(13. Decimæ duplici modo considerari possunt, Primo modo materialiter, et secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ ; Secundo modo formaliter, et secundum certam ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, vel octavam, vel duodecimam. (14. Decimæ primo modo consideratæ sunt debitæ Ministris Ecclesiæ jure naturali, divino, et humano ; S. Thomas 2. 2. quæst. 87, art. 1, in corp. Pirhing. lib. 3, decret. tit. 30, n. 6. Reiffenstuel. ibid. num. 6. Engel ibid. num. 2, et communissima aliorum. (15. Prima pars de jure naturali est clara, quia jus naturæ, et Lex justitiæ naturalis dictat, quod sicut Ecclesiæ Ministri plebi spiritualia præbent, sic plebs eis pro sustentatione corporalia tribuat ; est enim naturæ dictamen, ut qui alicui servitium præstat, ab eodem stipendium justum recipiat. (16. Secunda pars de jure divino habetur expresse ex variis Sacræ Scripturæ textibus, ut Matthæi 10, ubi Christus de Ecclesiæ Ministris loquens ait : *Dignus est enim operarius cibo suo.* Lucæ, 10, ibi : *Dignus est enim operarius mercede sua*, et I ad Corinth. 9, num, 7, ibi : *Quis militat suis stipendiis unquam?* et ibid. num 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* et ibid. num. 17. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* (17. Tertia pars de jure humano clare patet ex repetitis

Digitized by Google

textibus juris Canonici, signanter in cap. *Commissum est* 4, cap. *Pervenit*. 5, cap. *Nuncios* 6, cap. *Cum homines* 7. *Dilecti filii* 8, et toto titulo de decimis. Sic etiam in Sexto Clement. et extravagant. ubi solutio decimarum passim præcipitur. Item in cap. *Admonemus* 2, cap. *Præcipimus*, 3, caus. 16, 9, 2, cap. *Decimas* 1, cap. *Pervenit* 3, cap. *Quicumque* 4, cap. *Omnes* 5, cap. *Decimas* 6, cap. *Majores* 8, caus. 17, qu. 7. Item in Concil. Trident. sess. 25, *de reformat.* cap. 12. (18. Hinc infertur, quod decimæ primo modo consideratæ, prout præcise continent necessariam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, sunt eis solvendæ etiamsi, aliunde habeant unde vivant, v. g. ex Patrimonio, ex artificio, et hujusmodi, quia non dantur illis ex mera misericordia, vel caritate tamquam eleemosyna, ut fit pauperibus, sed ex justitia, tamquam stipendium debitum laborantibus; Sic Suarez tom 1, de Relig. tract 2, lib. 1, cap. 11, n. 9, Layman., lib. 4, tr. 6, cap. 2, num. 1 Pirhing. loc. cit. n. 6. (19. Secus autem est dicendum, si Ministri Ecclesiæ sustentationem necessariam habeant ex aliis redditibus Ecclesiasticis; in tali enim casu decimæ non deberentur eis jure naturali ac Divino, quia non haberent tunc rationem necessariæ sustentationis, ideoque cessaret ratio, cur decimæ dicantur esse debitæ jure naturali ac Divino, sicut de facto plurimis in locis Ministris Ecclesiæ aliunde providetur de necessaria sustentatione, ut experientia constat, et ex Layman observat Pirhing l. c. n. 6.

(20. Decimæ secundo modo consideratæ, id est formaliter, et secundum certam, ac determinatam partem, seu quotam fructuum, scilicet decimam, octavam, vel duodecimam, licet in veteri Testamento fuerint debitæ ex jure Divino positivo; tamen tempore novi Testamenti debentur Ministris Ecclesiæ solum ex Jure positivo Canonico seu Ecclesiastico; Rota recent. part. 5, tom. 1, dec. 62, num. 20, et par. 8, dec. 31, num. 5. S. Thomas 2. 2, quæst. 87, art. 1, in corpore, S. Antoninus p. 2, tit. 4, cap. 3, § *Henricus*, quodlib. 4, qu. 28, aliique Theologi communiter, et plurimi Canonistæ cum Barbosa de offic. et potest Parochi cap. 28, num. 7, ubi eos una cum Theologis citat Fagn. in cap. *In aliquibus* 32, *de Decimis* n. 9. ubi dicit, quod hoc communiter tenetur; Pirhing loc. cit., num. 7, contra Glossam in cap. 1, *de Decimis* in 6, verb. *Decimarum*, Innoc. in cap. ult. *de Parochis*, et plurimos alios Canonistas antiquos citatos, et secutos a Reiffenstuel loc. cit. num. 13. (21. Prima pars, nempe, quod decimæ etiam formaliter, et secundum determinatam quotam in veteri Testamento fuerint debitæ de Jure divino positivo, patet clare ex cap. 22. Exodi, ibi: *Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere*, et ex cap. 27. Levitici, ibi: *Omnes decimæ terræ, sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt, et illi sanctificantur*, et paulo post: *Omnium decimarum bovis, et ovis et capræ, quæ sub Pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* (22. Secunda pars nempe quod Decimæ formaliter, et secundum determinatam quotam captæ tempore novi Testamenti non debeantur de Jure naturali, nec Divino positivo, sed solum Jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico, probatur. In primis enim manifestum est, quod Lex, et ratio naturalis plus non exigit, quam ut congrua sustentatio præbeatur Ecclesiæ Ministris nobis spiritualia ministrantibus; neque, ut evidens est, ex vi Legis naturæ magis iis debetur pars decima, quam v. g. pars septima, octava, nona, vigesima, vel trigesima. Quare in Lege naturæ ante Legem Mosaicam nulla extabat Lex decimarum, et probabile est, quod Abraham Genes. 14, et Jacob. ibid. 28, non ex obligatione, sed sua libera voluntate Decimas obtulerint; Azorius tom. 1, lib. 7, cap. 23, qu. 2. Suarez loc. cit. cap. 10, num. 4, Layman lib. 4, tract. 6, c. 2, assertion. 2, § *Altera vero pars*, Pirhing loc. cit. n. 7, colligitur ex ipsomet textu; Abraham enim cit. cap. 14, libera et voluntaria gratitudine obtulit Decimas Sacerdoti Melchisedech, ex quo ipse Sacrificium Deo obtulisset, et contra hostes præliaturus suam ei benedictionem dedisset; cui suam victoriam attribuens, dedit decimas de omnibus ex hostibus reportatis, ibi: *Et dedit ei Decimas ex omnibus.* Et Jacob. cit. c. 28, libera voluntate Deo Decimas vovit, ibi: *Cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

(23. Quod neque ex vi juris Divini positivi, sive Legis Mosaicæ possint Christiani obligari ad solvendas Decimas formaliter captas, est de se clarum; quia Lex Mosaica, seu Lex vetus quoad præcepta judicialia, et cæremonialia in Lege nova est omnino abolita, ut constat ex Apostolo ad Galatas cap. 3, num. 25, et c. 4, num. 5, ad Hebræos cap. 7, num. 12, 18 et 19, et cap. 8, num. 6 et 7. Immo etiam quoad præcepta moralia, quæ non amplius obligant vi Legis veteris, sed solum quatenus a Lege nova, sive ratione naturali dictantur eique Juri innituntur; Suarez loc. cit. c. 12, n. 5. Pirhing loc. cit. num. 7. (24 Quod tempore novi Testamenti non de Jure Divino, sed solum de Jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico sit obligatio solvendi Decimas formaliter captas, est etiam de se manifestum, quia in toto novo Testamento non est reperibile aliquod divinum præceptum, quod obliget ad solvendas tales Decimas, adeoque ex solo jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico habetur hæc obligatio per multiplices textus in toto titulo de Decimis, et alios alibi, ut patet supra sub n. 17. (25. Tum quia Decimæ formaliter captæ in variis locis per consuetudinem fuerunt diminutæ, et alteratæ, imo quoad quosdam Regulares per Pontificia privilegia omnino sublatæ, ut patet ex cap. *Ex parte* 10, cap. *Licet* 11, et cap. *In Aliquibus* 32, *de Decimis*, et ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus in Bullario contentis; sed hoc nec valide, nec licite fieri potuisset, si Decimæ etiam formaliter captæ essent adhuc tempore novi

Digitized by Google

Testamenti jure divino, cum contra jus divinum non valeat consuetudo; cap. *Cum tanto* 11, *de Consuetudine;* et DD. communiter; nec in illo dispensare possit Pontifex, hoc ipso quod Lex Superioris per inferiorem tolli novi possit; cap. *Cum Inferior* 16, *de majoritat. et obedient.* et Clement. *Ne Romani, de election.*

(26. Adversarii volentes etiam nunc tempore non Testamenti extare obligationem de Jure Divino solvendi Decimas; adducunt varios Canones, quibus dicunt expresse id declarari; Pascalis II, in c. *Decimas* 47, caus. 16, qu. 1, sic expresse dicit « Decimas a populo Sacerdotibus et Levitis esse reddendas, Divinæ Legis sanxit auctoritas; » Urbanus II, in c. *Admonemus* 2, caus. 16, q. 2, sic expresse pronunciat: « Decimas.... quas ipse Deus dare constituit; » Gregorius VII, in cap. *Decimas* 1, caus. 16, q. 7, sic expresse ait: « Decimas.... quas fideles præcipiente Domino offerunt. » Alexander III, in cap. *Parochianos* 14 *de Decimis*, dicit expresse; quod « Decimæ non ab homine sed ab ipso Domino sint institutæ. » Innoc. III, in cap. *Tua* 25, *de Decimis*, asserit expresse quod Decimæ « Divina constitutione debentur. » Idem Innocent. in cap. *Tua nobis* 26, eod. tit. sic expresse habet: « Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit. » S. Gregorius Papa in cap. *Quadragesima* 16, dist. 5, *de consecrat.*, sic expresse dicit: « Jubemur etiam ab Omnipotente Deo, omnium bonorum nostrorum Decimas dare. » (27. Sed ad istos et alios quoscumque consimiles Canones statim respondetur, non esse intelligendos de Decimis formaliter captis, sed solum de Decimis materialiter sumptis, id est secundum substantiam, quatenus nempe sunt stipendium necessarium ad honestam et congruam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, sub qua acceptione etiam nos dicimus esse debitas ipsis Ministris de Jure Divino, ut patet supra num. 14 et 16. (28. Et dato, et non concesso, quod tales Canones ut prætendunt adversarii, sint intelligendi etiam de Decimis formaliter captis, adeoque etiam ut tales esse Juris Divini; Respondetur debere intelligi, quod sint juris Divini non proprie, sed remote, et occasionaliter, quia nimirum Decimæ ad imitationem, seu exemplum veteris Legis, ab Ecclesia sunt receptæ, et constitutæ, seu per propriam Legem decretæ; qua ratione etiam jejunium Quadragesimale dicitur nobis esse præceptum ex Lege, et ex Prophetis, et ex ipso Evangelio apud S. August. Psal. 100, et alios SS. PP. quia ad exemplum Prophetarum, et præcipue Christi Domini ab Apostolis fuit institutum; Sic Suarez tom. 1, de Relig. tract. 2, lib. 1, cap. 10. Lessius lib. 2, c. 39, n. 7. Pirhing. l. c. n. 8.

(29. Decimas defraudans, vel non solvens, peccat dupliciter, scilicet et contra virtutem Religionis, et contra virtutem Justitiæ; Ita Azorius p. 1, lib. 7, c. 23, q. 8. Lessius l. 2, cap. 39, n. 8. Pirhing. l. c. num. 9. Reiffenstuel l. c. num. 20, et alii passim. Prima pars patet, quia Decimæ etiam nunc debentur in contestationem, et signum supremi et universalis dominii Dei super nos; c. *Tua nobis* 26, *de Decimis*, ibi: « Decimæ quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcipit, » et c. *Cum non* 33. eod. tit. ibi: « *Cum autem in signum universalis Domini quasi quodam titulo spiritualt sibi Dominus Decimas reservavit*, » adeoque qui eas defraudat contra cultum Deo debitum, consequenter contra Religionem agit, sicque sacrilegium committit, uti expresse de defraudantibus Decimas dicit Gregorius VII. in cap. *Decimas* 1. caus. 16. q. 7. ibi: « Sciant se Sagrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere. » (30. Secunda pars etiam patet, quia Decimæ nedum debent solvi in signum universalis dominii Dei super nos, et consequenter in suum cultum, sed etiam in debitam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ suo cultui addictorum, quibus eas ipse concessit; cap. *Cum tua nobis* 26. *de Decimis*, ibi: « Cum Deo debita sit solutio Decimarum in tantum ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, Laici si moniti reddere noluerint, Ecclesiastica sunt districtione cogendi, » et sic cum ipsi Ecclesiæ Ministri spiritualia, et Divina Laicis ministrent, debentur ipsi a Laicis Decimæ tanquam justum stipendium ex justitia, vi cujus virtutis dicitur Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, et Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*, I. ad Corinth. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam?* et cap. *Cum secundum* 16. *de Præbendis:* « Qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede. » Vide supra numer. 4. Et manifeste innuitur in Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 12. ubi expresse præcipitur, quod defraudantes Decimas non absolvantur nisi restitutione secuta, ibi: « Nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absolvantur, » quod non præciperetur, nisi ad eas solvendas Laici ex justitia tenerentur. (31. Quinimmo ex ipso Tridentino ibidem, defraudantes, non solventes, aut impedientes solvere, possunt et debent excommunicari, ibi: « Qui vero eas (Decimas) subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur. » Et sic jam fuerat prius statutum in Concilio Rothomagensi relat. in cap. *Omnes Decimæ* 1. caus. 16, q. 7 ibi: « Sed quia modo multi inveniuntur Decimas dare nolentes, et statuimus ut secundum Domini præceptum admoneantur semel, et secundo, et tertio, qui si se non emendaverint, anathematis vinculo feriantur usque ad satisfactionem, et emendationem congruam. » Sic etiam ab Alexandro III. relat. in cap. *Pervenit* 5. *de Decimis;* sic etiam a Clemen. III. relat. in cap. *Ex parte* 21. eod. titul. et sic etiam ab Innocentio III. relat. in cap. *Tua nobis* 26. eod. titul. (32. Unde merito fuit damnatus a Martino V. in Concilio Constantiensi anno 1418. Constitut. incipien. *Inter cunctas*, sequens articulus 18. inter alios Joannis Wicleffi de Anglia: « Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre. »

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. De origine Decimarum in Ecclesia non conveniunt inter se Scriptores. Illud certum est, initio nascentis Ecclesiæ Christianos omnia bona sua in medium contulisse; Actor. cap. 1. vers. 34 et 35. adeoque Decimis opus tunc temporis haud fuisse. (34. Licetque hæc communio bonorum postmodum cessaverit; tamen frequentes adeo et magnæ erant oblationes Christianorum, ut satis consultum esset necessitatibus Ecclesiæ, nec propterea opus fuerit decimis. (35. Idque sæculo etiam tertio obtinebat, ut liquet ex S. Cypriano epist. lib. 1. epist. 9, ad Cler. et Pleb. Furnitan.

(36. Ut primum autem ipsæ oblationes raræ, et tenues esse cœperunt, Patres Ecclesiæ hortati fuere Christianos ad Decimas, iisque proposuerunt legem Moysis, at non uti præceptum, sed uti exemplum: (37. Pauci vero fuerunt qui hoc exemplum sequebantur. Confer. D. Augustin. Epist. 95. ad Casulan. Præsbyter. tum lib. De decem. Chord. c. 12.

(38. Non sum nescius, eumdem Div. Augustin. in can. 66. caus. 16. qu. 1. de Decimis tamquam debitis loqui. (39. At Sermonem 219. Divi Augustini unde desumptus dicitur mox dictus can. 66. adulterinum esse vel inde satis patet, quod esset primus Dominicæ XII. post Trinitatem, et tunc haud erat inventa ea temporis differentia, quinimmo nunquam habuit locum in Ecclesiis Africæ. (40. Reque ipsa docti Benedictini, qui id sibi negotii dederunt, ut reviderent opera D. Augustini, sermonem hunc 219. minime tribuerunt ipsi D. Augustino. « Lovanienses (inquiunt) dubium reliquerunt. Rejecit post Verlinum Vindingus, ob id maxime quod decimas, de quibus reddendis hic agitur, intelligere liceat ex sermone 2. in Psalm. 103, n. 9 et ex narratione Psalmi 146, n. 16 et 17. nondum fuisse Augustini ætate Clericis, et Sacerdotibus datas aut adsignatas. Cæsarium potius refert quam Augustinum. »

(41. Nec turbare debet Canon 67, pariter caus. 16. q. 1. in quo itidem de Decimis uti debitis disseritur. Desumptus enim hic Canon 68. dicitur ex Epistola quadam S. Hieronymi ad Damasum Papam. (42. At Epistolam hanc dubiæ fidei esse admiserunt ipsi correctores Romani.

(43. Quo tempore autem lex de solvendis Decimis lata in Ecclesia fuerit, haud facile est statuere. Loquor de Ecclesia Latina, nam in Ecclesia Græca Decimæ numquam ex necessitate solutæ fuerunt. (44. In Ecclesia autem Latina antiquius Concilium, quod injunxit solutionem Decimarum, videtur Concilium Turonense II. an. 567. (45. At Concilium Matisconense II. an. 585. videtur innuere Decimarum solutionem jam ante mox dictum annum 567. demandatam fuisse. (46. Pœnam vero excommunicationis in non solventes Decimas primum inflixit Concilium hoc Masticonense II. observante Fleury, His. Eccles. lib. 34, n. 50.

(47. Ex his, quæ dicta sunt de origine Decimarum dijudicare quisque facili negotio potest, an Decimæ debitæ sint de jure divino, uti probe monuit *Auctor* n. 13. et plur. seq. Si nomine Decimarum intelligamus stipendium Ecclesiæ Ministris propter ministerium, et labores debitum, fatendum est non lege solum Divina præceptas Decimas, Levit. cap. ult. vers. 30 num. 18. 21. sed etiam naturali, Matth. XI. I Cor. 9. (48. Natura enim docet iis alimenta deberi, qui pro Populo laborant. (49. Quare et Abramus in statu ante legem Decimas obtulit Sacerdoti Melchisedech; Genes. 14. (50. Si autem nomine Decimarum determinatam quantitatem scilicet decimam bonorum partem accipiamus, dicendum est, lege quidem Divina demandatas fuisse Decimas in veteri Testamento, non item in novo: quippe quod tale præceptum minime continet. (51. Idque inde confirmatur quod, ut visum est, in Ecclesia præceptum de solvendis Decimis sero factum fuit. « *Negamus* » (recte inquit Ziegler de Episc. part. 2, cap. 27, n. 7.) « morale unquam fuisse, ut Decimæ solverentur ratione specificationis, etsi libenter concedamus, generale fundamentum esse morale, et perpetuum, quemadmodum perpetuum est, ut merces solvatur operario. »

ARTICULUS II.

Decimæ quibus, et a quibus sint solvendæ?

(1. Decimæ antiquitus, antequam fieret Parochiarum, ac bonorum Ecclesiasticorum divisio, solvebantur loci Episcopo, ad hoc ut ille easdem Clericis Ecclesiæ Ministris, juxta cujusvis meritum, et exigentiam in sua Diœcesi fideliter distribueret; cap. *Decimas* 1. caus. 16. qu. 7. ibi: « Decimas sub manu Episcopi fore censemus, ut ille, quia cæteris præest, omnibus juste distribuat... quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, et alii detrimentum patiantur; » cap. *Pervenit* 3. ead. caus. et quæst. ibi: « Pervenit ad nos fama sinistra, quod quidam Episcoporum non Sacerdotibus propriæ Diœcesis decimas, atque Christianorum oblationes conferunt, sed potius Laicalibus personis, militum scilicet, sive Servitorum, vel (quod gravius est) etiam consanguineis. Unde si quis amodo Episcopus inventus fuerit hujus præcepti divini transgressor, inter maximos Hæreticos, et Antichristos non minimus habeatur. » (2. Postquam autem est facta Parochiarum, et bonorum Ecclesiasticorum divisio, decimæ de jure communi solvendæ sunt Parochis, textus expresso in cap. *Cum contingat* 29. de decimis, ibi: « Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, » et cap. *Cum in tua* 30. eod. tit. ibi: « Parochialibus Ecclesiis exsolvantur, ad quas de Jure communi spectat perceptio decimarum. » Et sic Rota recent. part. 1. dec. 371. num. 4. part. 5, tom. 1. dec. 64, num. 3, part. 7. dec. 61, num. 10, part. 7. dec. 133. num. 12, p. 8. dec. 83, num. 1, et p. 13. dec. 520, num. 2. Fagnan. in cap. *Cum contingat* 29. *de decimis*, Pirhing eod. tit. n. 6. Reiffenstuel ibid. n. 93. Barbosa, de offic. et potest. Parochi, p. 3. c. 23, § 2, n. 7, et seq. et communis aliorum.

Digitized by Google

(3. Decimæ prædiales de jure communi solvendæ sunt Parocho loci non solum a Parochianis propriis, sed etiam ab alienis de agris, et prædiis, quæ intra limites talis Parochiæ existunt, nisi contraria sit legitima loci consuetudo. Prima pars est certa, et clara ex cit. c. *Cum contingat* 29. et cap. *Cum in tua* 30. *de decimis*. Secunda pars colligitur ex cap. *Significavit* 5. *de Parochiis*, et c. *Quoniam* 13. *de decimis;* ubi universaliter, ac indistincte statuitur, ut si terræ intra certam alicujus Ecclesiæ Parochiam fuerint, decimæ earum eidem Ecclesiæ debeant assignari. Et sic tenet Glossa in d. c. *Significavit* 5. *de Parochiis*, verb. *Prædiorum*, in c. *Cum sint* 18. verb. *Diversæ*, et in c. *Ad Apostolicæ* 20. verb. *Consuetudo*, *de decimis*, Fagn. in c. *Cum contingat* 29. *de decimis* num. 21. Engel. lib. 3. Decretal. tit. 30. n. 6. Pirhing. eod. tit. numer. 85. Reiffenstuel ibid. n. 94. Rota recent part. 17. decis. 208. n. 1. et est communis. Et ratio est quia decimæ prædiales sunt onus reale inhærens ipsis rebus; in oneribus autem realibus non inspicitur colonus, sed locus, ubi res sita est; arg. leg. forma 4. ff. *de cens. et cap. de terris* 16. *de decimis*. (4. Dicitur autem notanter, « Nisi contraria sit legitima loci consuetudo, » quia si alicubi sit consuetudo, quod Parochiani solvant proprio Parocho, et non alieno decimas, etiam de agris, et prædiis suis in aliena Parochia, est adhuc observanda textu expresso in cap. *Cum sint* 18. *de decimis*, ubi statuitur, quod in hujusmodi casu ad consuetudinem sit recurrendum, et c. *Ad Apostolicæ* 20. eod. tit. ubi sic præcise habetur: « Super decimis vero Messium vel fructuum arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant (quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur) tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum. » Et sic Rota recent. part. 5. tom. 1. dec. 124, n. 15, par. 11. dec. 344. sub. n. 11. et part. 14. dec. 27. n. 1.

(5. Decimæ ovium aliorumque animalium, quæ dimidia parte anni morantur, et pascuntur intra limites Ecclesiæ prædialis, et altera dimidia parte anni morantur et pascuntur intra limites Ecclesiæ Parochialis, debent solvi pro medietate utrique Parocho; Glossa in dict. c. *Ad Apostolicæ* 20. *de decimis*, verb. *Personales;* Sanct. Thomas 2. 2. quæst. 87. art. 3, ad 2. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 1. cap. 5, n. 8. cum sequent. et plurimi alii cum Barbosa de offic. et potest. Parochi part. 3, cap. 28, § 2, n. 38. (6. Sic etiam sunt dividendæ pro medietate inter duas Parochias decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ in una jacent, et dormiunt, et in alia pascuntur; Fagundez, de Ecclesiæ præceptis, præcept. 5. lib. 1, p. 5, n. 10. Basil. Pont. de Sacrament. Matrim., lib. 5, c. 13, § 3, n. 23 et 25. Barb. loc. cit. n. 39. et alii. (7. Quando oves, et alia animalia nec morantur, nec pascuntur per ullam anni partem in Parochia Domini sui, sed in aliis, nulla pars decimarum debetur Ecclesiæ Parochiali Domini, sed illi ubi morantur, et pascuntur; Basil. Pontius loc. cit. n. 25. Barb. loc. cit. n. 40. et alii. (8. Decimæ ex ovibus, aliisque animalibus non sunt solvendæ Parochis illarum Regionum, per quas pascendo transitum faciunt, et redeunt in Domicilium. Et ratio est quia licet eundo et redeundo pascuntur in pascuis prædictarum Parochiarum, hoc tamen nutrimentum minimum est, et parvæ considerationis; unde cum de minimis decimæ, non sint solvendæ; arg. leg. *Socio*, ff. *de in integr. restit.* leg. 4. in fin. ff. *de ædilit. edicto*, dicendum est prædictis Parochiis nihil deberi loco decimarum. Tum quia ut recte advertit Navar. cons. 2. *de decimis* n. 3. moraliter loquendo videtur impossibile recte judicare, quænam quantitas prædictis Parochiis solvi debeat, et quisnam sit valor illius decimæ, que possit illis respective contingere, unde necessario dicendum est non esse faciendam majorem impensam nec majorem laborem assumendum, quam sit res ipsa propter quam assumitur; Barbosa, loc. cit. n. 42. et alii.

(9. Decimæ personales de jure communi solvendæ sunt Parocho illius Ecclesiæ ubi percipit Sacramenta, et audit divina, etiamsi alibi lucrum v. g. ex negotiatione reportet, c. Quæsti sunt 46. caus. 16. q. 1. ibi: « Familiæ vero eorum ibi dent decimas suas, ubi eorum infantes baptizantur, et ubi per totum anni circulum Missas audiunt; » c. *Ad Apostolicæ* 20. *de decimis*, ibi: « Noveris itaque, quod æquum est, ut illi Ecclesiæ Decimæ personales reddantur ab eis, in qua Ecclesiastica percipiunt Sacramenta, » concordat c. significavit 5. de Parochiis. Est communis. Et ratio est quia sicut proprius Parochus sua persona, et illius ministerio Sacramenta, et spiritualia administrat, ita quoque oportet ut ille in cujus favorem fit prædicta Sacramentorum, et spiritualium administratio, eidem Parocho solvat decimas de illis, quæ ex propria persona, et illius ministerio acquisivit. (10. Et tali proprio Parocho debentur decimæ personales, etiamsi Parochianus causa comitandi Regem, vel recreandi animum, vel agendi aliqua negotia, vel fugiendi pestem, vel causa belli, et hujusmodi extra illam Parochiam resideat, absque tamen animo transferendi domicilium in perpetuum; arg. cap. *Is, qui habet domicilium* 3. *de Sepulturis* in 6. et advertit in specie Navarr. consil. 2. n. 5. *de decimis*, quamvis per accidens in tali Parochia per totum tempus absentiæ non recipiat Sacramenta, nec audiat Divina; Barbosa loc. cit. n. 26. Basil. Pontius de Sacram. Matrim. lib. 5. cap. 13. § 3. n. 19. Fagundez de Eccl. præcept. 5. lib. 1. cap. 3 n. 2. (11. Decimæ personales non debentur primæ Parochiali, si quis mutaverit domicilium, sed secundæ, in qua recipit Sacramenta, et audit Divina; cit. c. *Ad Apostolicæ* 20. *de decimis*; Rota pag. 5. rec. dec. 12. n. 4. Fagnan. in cit. c. *Cum contigat* n. 53. *de decimis*, Butrius, et alii passim. (12. Decimæ personales sunt dividendæ inter plures Ecclesias pro rata temporis, quo Parochiani in eis audiunt Divina, et recipiunt Sacramenta, Rebuff. *de decimis* q. 6. n. 5 Suar. l. c. cap.

Digitized by Google

21. n. 1. Fagundez loc. n. 5. Fagn. loc. cit. n. 56. Barb. loc. cit. n. 29.

(13. Si quis artifex habeat domicilium in confinio quarum Parochialium, tenetur decimas personales solvere illi Parochiæ ubi est pars domicilii, in qua semper laborat; et si dubitetur de qua Parochia domicilium sit, tunc inspicienda est janua, porta illius principalis; Fagundez loc. cit. n. 6. et 7. Barb. loc. cit. n. 30. et alii. (14. Si quis percipit Sacramentum Baptismi in Ecclesia Matrice, et reliqua Sacramenta in Ecclesia Parochiali, decimæ personales partim debentur Ecclesiæ Parochiali ratione Baptismi, qui est janua omnium Sacramentorum, c. fin *de Presbyt. non baptizato*, et partim Parochiali propter reliqua Sacramenta, ut colligitur ex c. *Quæsti sunt* 46. caus. 16. p. 1. ibi: « Dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, et ubi per totum anni circulum Missas audiunt, » quæ verba, ut dicit Fagn. loc. cit. n. 56. satis clare innuunt decimas personales utrobique solvendas, id est tam in Ecclesia, ubi quis baptizatur, quam in illa, ubi per anni circulum audit Divina, et percipit reliqua Sacramenta; Goffredus in summa de decimis § 2 Butrius in cit. c. *Cum contingat.* n. 8. vers. *Quantum autem ad Decimas*, Cardin. n. 8. verb. *Personales autem*, Abbas numer. 6. vers. *Remanet tamen unum dubium;* (15. Et alii contra varios alios volentes decimas personales deberi solum Parochiali, in qua audiuntur Divina, et percipiuntur reliqua Sacramenta, non autem Baptismali, si ibi Divina audiuntur, et sic tenet Glossa in cap. *Statuimus*, in verb. *Baptismalem*, caus. 16. q. 1. Glossa ultim. in c. *Significavit* 5. *de Parochis* Jo. Andr. et Ancheran. in d. c. *Ad Apostolicæ* 20. *de Decimis* Rebuff. *de decimis* quæst. 6. num 21. Quæ opinio est vere probabilis, et satis placet, ex quo per textum in cap. *Ad Apostolicæ* 20. *de Decimis* et cap. *Significavit* 5. *de Parochiis*. Decimæ personales debentur illi Ecclesiæ, in qua quis audit Divina officia, et percipit Ecclesiastica Sacramenta, ut jam dictum est num. 9. et textus in cap. *Quæsti sunt* 46. caus. 16. q. 1. cum citetur etiam pro se ab auctoribus hujus opinionis, cum de facili possit intelligi in sensu copulativo, id est de Ecclesia in qua et baptizantur, et etiam Missas audiunt, aliaque Sacramenta percipiunt; (16. Unde circa hoc est attendenda consuetudo, cui standum esse fatentur etiam Auctores primæ opinionis; ex cap. *Cum sint* 18. et c. *Ad Apostolicæ* 20. *de Decimis*, Vid. supra n. 4.

(17. Quando Parochia aliqua dismembratur, et erigitur nova Parochia, decimæ prædiales ad Parochiam Matricem pertinentes non transeunt ipso jure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanent apud Parochiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Concilii Tridentini assignaverit; sic expresse Sac. Congr. Conc. 11. Martii 1617. Fagn. lib. 3. decretal. in c. *Cum contingat* 29. *de Decimis* a n. 42. Barb. de offic. et potest Parochi c. 29. § 2. num. 19. vers. *Ad vertendum quoque;* Reiffenstuel lib. 3 Decretal. tit. 39. n. 104. et alii contra plurimos alios: et probatur ex verbis Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. *de reform.* ubi sic expresse habet: « In iis vero (scilicet Ecclesiis Parochialibus) in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et Divina Officia audienda accedere non possunt, novas Parochias etiam invitis Rectoribus juxta formam Constitutionis Alexandri III, quæ incipit: » *Ad audientiam* « constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus. » Ubi ut vides ultima illa Concilii verba, *competens assignetur*, etc., clare probant nostram conclusionem. (18. Verbum enim illud *Assignetur*, quod est verbum facti, et requirit hominis ministerium; arg. l. *Si quid* § fin. ff. *de legat.* 3. et l. 10. § fin. ff. *Nautæ, Caupones, Stabularii*, et cap. *Extirpandæ*, § *Qui vero* 30. *de Præbend.* et cap. *Exposuisti* 33. *eod. titul.* demonstrat aperte, quod tales Decimæ non transeunt ipso jure, cum non possit ipso jure transire, quod per ministerium hominis est assignandum. (19. Idem demonstrant verba illa, *Competens portio*, nam Trid. noluit ut nova Parochia statim jus diceret super omnibus decimis prædiorum intra suos limites existentium, juxta text. in c. *Pastoralis* 9. *de his quæ fiunt a Prælatis;* sed ut illi competens tantum portio assignaretur ab Episcopo, quippe ante ejus declarationem ignoratur, quæ portio sit competens, et consequenter non potest ipso jure in novam Parochiam transire, cum præsertim *portionis* appellatione veniat pars, et non totum, l. *Nomen filiorum*, § *Portionis*, ff. *de verb. significat.* (20. Idem indicant verba illa *Arbitrio Episcopi*, quia ex quo relinquatur arbitrio Episcopi assignanda competens portio, stat clarum quod omnes decimæ non transeunt ipso jure in novam Parochiam, cum in his, quæ sunt determinata a jure, arbitrium non intret; l. 1. § *Ait Prætor*, ff. *de jure delib.* l. *Mora*, ff. *de prob.* et c. *de causis* 4. *de offic. et potest Jud. Delegat.* ibi: « Si tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna Canonibus exprimatur, eamdem infliges, alioquin ipsos pro delicti qualitate, et causa secundum tuum arbitrium punire procures. » Ex quo textu clare patet arbitrium solum intrare in his, quæ non sunt determinata a jure.

(21. Idem clare innuunt verba illa: « Ex fructibus ad Eccl. Matricem quomodocumque pertinentibus; » quia cum relinquatur arbitrio Episcopi assignare portionem novo Parocho, sive ex decimis, sive ex aliis fructibus ad Matricem pertinentibus, quamdiu hoc arbitratus non fuerit, decimæ non debentur, quia potest contingere, ut non assignet Decimas, sed alios redditus, et ratione incertitudinis, et ambiguitatis nihil debetur, ut l. *Duo sunt Titii*, ff. *de Testament.* et l. *Si ita fuerit*, ff. *de reb. dub.* Nihil enim est quod possit executioni demandari, antequam appareat ex declaratione Episcopi

Digitized by Google

quanta, et qualis sit hujusmodi portio, nam quod pendet, non est pro eo, quasi sit, ut dicit text. in l. *Is damnum*, § *Quod pendet*, ff. *de Regul. jur.* (22. Unde Rota in Mediolanensi Decimarum de Carlatio 10. Martii 1616. cor. bon. mem. Martino Andrea, propter supra allegata verba Conc. Trident. fortiter de sua conclusione hæsitavit, et ideo causam remisit ad Sacram Congregationem Cardinalium ejusdem Concilii interpretum, quæ sub die 15. Martii 1617. partibus auditis, et articulo mature discusso censuit : decimas ad Ecclesiam Matricem pertinentes non transire ipso jure Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanere apud Ecclesiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Concilii assignaverit. Sic referunt Fagnan. Barb. et Reiffenstuel l. c. Notanter autem fuit dictum in conclusione. (23. *Decimæ prædiales*, quia Decimæ personales transeunt ipso jure in Parochialem noviter erectam, etiam ante ullam Episcopi assignationem, ut tenet communis Doctorum cum Glossa in cap. *Ad Audientiam* 2. *de Eccles. ædific.* verb. *Obventiones*. et bene notat Fagnan. loc. cit. n. 53. Et ratio est, quia Decimæ personales de jure debentur illi Parochiæ, ubi persona audit Divina, et percipit Ecclesiastica Sacramenta, ut teste Abbate in cap. *Cum contingat* 29. *de Decimis* n. 16. et Fagnan. ibid n. 20. et 52. concludunt omnes juxta expressum textum in cap. *Ad Apostolicæ* 20. *de Decimis*, ibi : « Æquum est ut decimæ personales illi reddantur Ecclesiæ, in qua Ecclesiastica percipiuntur Sacramenta. » Vid. supra n. 9. adeoque cum populus post erectionem novæ Parochialis ad eam confluat pro Divinis audiendis, et Sacramentis recipiendis, non autem ad Parochialem Matricem, consequens est ut Decimæ personales, non eidem Parochiali Matrici, sed novæ Parochiali sint ipso jure persolvendæ. (24. Nec obstat supradicta declaratio Sac. Cong. Conc. quia sicut ipsa de solis Decimis prædialibus fuit interrogata, ita de iisdem solis dedit responsum, et non de Decimis personalibus, ut de auditu testatur Fagnan. l. c. n. 52. qui tunc temporis erat ejusdem Sac. Congreg. Secretarius. (25. Decimæ variis in casibus debentur integræ soli Episcopo. Primo, quando prædia quædam intra Diœcesim suam sita, nulli certæ Parochiæ in particulari sunt assignata, tunc Decimæ ex iis debentur Episcopo; c. *Quoniam* 13. *de Decimis* in fine. Et ratio est, quia quando prædia nulli certæ Parochiæ sunt assignata, censentur esse sub potestate Episcopi, juxta antiquam juris dispositionem dividendæ, uti recte advertit Glossa in cap. *Cum contingat* 29. *de Decimis* verb. *Jure communi* argum. cap. *Decimas* 1. caus. 16. quæst. 7. Est communis. (26. Secundo, quando adhuc reperiatur aliqua Diœcesis, in qua nondum sit facta divisio vel distinctio Parochiarum, tunc Decimæ soli Episcopo debentur (quemadmodum easdem olim percipiebat) non quidem ut sibi soli eas reservet, sed ut eas fideliter, et juste distribuat aliis Ecclesiasticis Ministris in curam animarum cooperantibus; cap. *Decimas* 1. caus. 16. quæst. 7. et est communis. (27. Tertio, quando Episcopus est etiam immediatus Parochus in aliqua certa Parochia, quam per Vicarium administrat, sive illa sit Ecclesia Cathedralis, sive alia, tunc enim ad illum etiam pertinent Decimæ, quæ Parochis debentur; cap. *Dudum* 31. *de Decimis*, Fagnan. loc. cit. num. 27. Pirhing l. c. num. 79. Reiffenstuel l. c. num. 3. et alii passim. (28. Quarto, quando, et ubi non obstat legitima consuetudo in contrarium, debetur Episcopo *Quarta* de singulis Decimis, textu expresso in cap, *Conquerente* 16. *de offic. Judic. Ordinar.* ubi inter Jura Episcopis competentia numeratur *Quarta decimationum*. Concordat cap. *Quoniam* 13. *de Decimis*, ibi : « Decimas earum sua parte retenta, et cap. De quarta 4. de præscriptionibus, » ubi statuitur quod Clericus, id est Parochus, a quo Episcopus *Quartam* de Decimis jam collectis accipit, prout post Abbatem recte observat Barbosa l. c. num. 11. potest quadragenaria præscriptione immunem se reddere a solvenda Episcopo quarta Decimarum, ibi : « De quarta Decimæ et oblationis Defunctorum Clericus ab impeditione Episcopi quadragenaria præscriptione temporis se posse tueri videtur. » Fagn. l. c. num. 23. ubi affert Rotæ Decisiones, et ait esse communem.

(29. Decimæ etiam Canonicis Cathedralium, vel Collegiatarum, ac aliis Clericis simplicia Beneficia habentibus sunt de jure communi solvendæ secundum eam portionem, quæ eorum Mensis, Dignitatibus, aut Beneficiis legitima auctoritate Ecclesiastica est assignata; sicuti et quando eorum Beneficia ex decimis legitime sunt fundata; arg. cap. *Exp.* 21. *de Decimis*, ubi Papa Clemens III. mandat ut Canonicis, qui apud istum conquesti erant, de omnibus prædiorum fructibus, decimæ sine diminutione solvantur; Suar. lib. 1. de Decimis. cap. 29. num. 3. Pirhing lib. 3. decretal. tit. 30. num. 81. Reiffenstuel ibid. num. 112. et alii. Et ratio est, quia postquam auctoritate Ecclesiæ redditus uniuscujusque Parochiæ in plura Beneficia sunt divisi, unicuique Beneficiato per se, ac directe competit jus ad portionem Decimarum suo Beneficio correspondentem, et assignatam in prima Beneficii fundatione pro sustentatione ipsorum; sicuti antequam fieret Parochiarum, et bonorum Ecclesiasticorum divisio, jus competebat omnibus Clericis Ecclesiæ ministrantibus, ut sibi ab Episcopo loci Decimæ pro cujusque merito fideliter, et juste distribuerentur; cap. *Decimas* 1. caus. 16. qu. 7. ibi : « Decimas sub manu Episcopi fore censemus, ut ille qui cæteris præest, omnibus juste distribuat. . . quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, et alii detrimentum patiantur. » Unde et Deus præcipit, ut sui loco Decimæ solvantur non solum Curatis, sed etiam Clericis Ecclesiæ Ministris in genere, cap. *Tua nobis* 26. *de Decimis*, ibi : « Cum Deo debita sit solutio decimarum in tantum ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, Laici si moniti

Digitized by Google

reddere noluerint, Ecclesiastica sunt districtione cogendi. » (30. Decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, qui ex officio ministrant in spiritualibus populo, etiamsi ipsi sint divites. Est communis, teste Covaruvia lib. 1. variar. resol. c. 17. num. 4. Et ratio est, quia decimæ non dantur Clericis, ex eo quod pauperes sint, sed quia Deus præcipit, ut in signum supremi Dominii loco sui dentur Clericis juxta Ecclesiæ dispositionem; arg. cap. *Tua nobis* 26. *de Decimis*, et quia ex officio in spiritualibus ministrant; nemo autem, licet dives sit, militat unquam suis stipendiis, juxta illud Apostoli prim. ad Corinth. 9. ibi: *Quis militat suis stipendiis umquam?* Vide supra art. 1. sub num. 4. (31. Sic etiam Decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, licet sint malæ vitæ, quia Decimæ non dantur eis propter bonitatem vitæ, sed propter servitium spirituale, unde non excusantur ab earum solutione qui ad eas tenentur, quamvis dicant se easdem pauperibus, et in his Christo dare, et consequenter melius agere quam si Clerico malæ vitæ solverent, textu expresso in cit. cap. *Tua nobis* 26. *de Decimis*, ibi: « Prætextu vero nequitiæ Clericorum nequeunt eas (nisi quibus ex mandato Divino debentur) pro suo arbitrio pauperibus v. g. erogare, cum nulli sit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem. »

(32. Omnes fideles Parochiani, nisi aliquo speciali titulo, seu jure sint exempti, tenentur solvere decimas tum prædiales, tum personales; cap. *Ex transmissa* 23. *de Decimis*, ubi expresse dicitur quod: « Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, Decimas erogare tenetur; » cap. *A nobis* 24. eodem titul. ubi præcise dicitur, quod « Quilibet decimas solvere teneatur, nisi a præstatione ipsarum sit specialiter exemptus; » et paulo infra: « Nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes. » Et sic communis Doctorum, qui cum Barbosa de offic. et potest. Parochi cap. 28. § 3. num. 1. Moneta de decimis cap. 5. num. 26. et Glossa in cap. *Omnes Principes* 4. *de majoritat. et obedient.* dicunt teneri ad decimas etiam Imperatorem, Reges, Principes, et quosvis alios in quacumque dignitate constitutos, eo quod jus de omnibus indistincte loquatur, et ratio juris omnes tangat. (33. Etiam Hæretici tenentur solvere decimas tum prædiales, tum personales; Abbas in cap. *De terris* 16. *de Decimis* num. 6. Suarez. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 16. num. 3. Pirhing lib. 3. Decretal. tit. 3. num. 36. Reiffenstuel ibid. num. 41. et alii communiter. Et ratio est, quia Hæretici ipsi juri Divino, et Ecclesiastico, quo utroque ipsæ Decimæ obligant, sunt subjecti, maxime quia per fidem in Baptismo receptam et professam facti sunt subditi Legibus Ecclesiæ Catholicæ, a cujus jurisdictione per suam contumaciam non eximuntur, ne alias ex iniquitate sua commodum consequantur, contra l. *Itaque* 12. ff. *de furtis*. Et licet de facto Hæretici non reciant ab Ecclesiæ Ministris Sacramenta, et spiritualia, non per hoc eximuntur ab obligatione solvendi Decimas, quia si non recipiunt, hoc provenit ex propria ipsorum culpa, et non ex defectu Ministrorum Ecclesiæ, qui ex parte sua sunt prompti ad ea ministranda, uti ex officio tenentur, et ipsi Hæretici ad eadem suscipienda, et suam erroneam sectam derelinquendam sunt obligati. (34. Etiam Judæi, et Infideles tenentur solvere decimas prædiales ex fundis, et prædiis, quæ Decimis erant obnoxia, antequam ad eorum manus pervenirent; cap. *Quanto* 18. *de usuris*, ibi: « Hac eadem pœna Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesiis pro Decimis, et oblationibus debitis, quas a Christianis de Domibus, et possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Judæos quocumque titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes; » cap. *De terris* 26. *de Decimis* 16. ibi: « De terris, quas Judæi colunt, tuæ prudentiæ respondimus, ut eos ad Decimas persolvendas, vel possessiones, penitus renunciandas cum omni districtione compellas, ne forte occasione illa Ecclesiæ valeant suo jure fraudari. »

(35. Non tenentur tamen Judæi et Infideles solvere Decimas personales; arg. cit. cap. *Quanto* 18. *de usuris*, cap. *De terris* 16. *de Decimis* et cap. *Apostol.* 20. eod. tit. et cap. *Ex transmissa* 23. eod. tit. et tenent expresse Glossa in cit. cap. *De terris* 26. *de Decimis* verb. *Persolvendas*, ibi: « Unde personales Decimas non persolvunt; » [illegible] pag. 1. lib. 7. cap. 24. q. 3. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 16. num. 3. et Barbosa de offic. et potest. Parochi pag. 3. cap. 28. § 3. n. 3. cum pluribus ibi citatis, et Pirhing l. c. num. 37. dicit, quod sic tenent alii DD. communiter.

(36. Clerici simplices, et non Curati tenentur solvere decimas tum prædiales, tum personales de lucris, bonis, et fructibus sæculari jure acquisitis; cap. *Novum* 2. *de decimis*, ibi: « Illi profecto Clerici, quia a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent, » et Glossa ibid. verb. *A Clericis*, S. Th. 2. 2. q. 87. art. 4. cum communi aliorum; arg. cap. *Si quis Laicus*, vel *Clericus* 42. cap. *Quicumque* 44. cap. *de Decimis* 45. caus. 16. q. 1. (37. Non tenentur tamen isti Clerici simplices, seu non Curati solvere decimas de bonis Ecclesiasticis titulo Beneficii, aut alio titulo Clericali acquisitis; exceptis prædiis, agris, et aliis fundis ex quibus, antequam in dotem Beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant. Prima pars est communis; arg. cap. *Novum genus* 2. *de decimis*, ibi: « Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant, cum nusquam in Lege Domini hoc legamus, non enim Levitæ a Levitis decimas accepisse leguntur, » et Glossa ibid. verb. *A Clericis*, ubi interpretando hunc textum dicit, quod Clerici Clericis decimas dare non debent de bonis Ecclesiasticis, bene tamen de patrimonialibus, vel quasi talibus, ibi: « A Clericis,

Digitized by Google

hoc intellige de dote Ecclesiæ, de qua Clerici non debent dare decimas, sed de prædiis propriis, sive patrimonialibus Clerici debent solvere decimas. » (38. Secunda pars, scilicet, quod a Clericis sint solvendæ decimæ ex prædiis, agris, et aliis fundis, ex quibus, antequam in dotem Beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant, colligitur clare ex cap. *Eccl.* 43, caus. 16. q. 1. ubi indistincte præcipitur, « ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec ulla possessione priventur : ita ut novis Oratoriis tribuantur, » etc. *Quicumque* 44. ead. caus. et q. ibi : « Omnino providendum est Episcopo, ut Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam, aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur : » et cap. *Nuper* 34. *de decimis*, ubi etiam Religiosi jubentur dare decimas de prædiis et fundis noviter acquisitis, si de iisdem prius decimæ solvi solebant. Et sic tenent Fagn. in d. c. *Nuper* num. 10. Abbas ibid. num. 1. Card. de Luca *de decimis* disc. 2. num. 5 et 6. meus Reiffenstuel l. c. num. 50. et alii cum Barb. in d. c. *Ecclesiæ* 43. caus. 16. q. 1.

(39. Clerici Curati quacumque dignitate prædiți, ut Episcopi, Abbates, Archipresbyteri, ac omnes alii Parochi quocumque nomine nuncupati, tenentur solvere decimas prædiales de fructibus bonorum titulo temporali, seu sæculari acquisitorum; S. Th. 2. 2. q. 87. Barb. *de offic. et potest. Parochi* cap. 28. § 3. num. 10. Pirhing l. c. num. 40. Reiffenstuel l. c. n. 46. et communis aliorum. Et ratio est, quia res transit cum suo onere ad quemvis possessorem; cap. *Cum non* 33. *de decimis*, ibi : « Quoniam res cum onere suo transit, » et cap. *Ex litteris* 5. *de pignoribus*, ibi : « Cum etiam bona... cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem; » et consequenter si Clerici, etiam Curati, sive Episcopi, sive Parochi, quocumque nomine nuncupati, jure temporali acquirunt prædia, aliaque bona oneri Decimarum prius subjecta, onus hoc cum prædiis ad ipsos quoque transit; can. *Si quis Laicus, vel Clericus* 42. cap. *Ecclesiæ* 43. c. *Quicumque* 44. caus. 16. qu. 1. (40. Tales Clerici Curati tenentur solvere Decimas prædiales ex prædiis, fundis, et agris etiam Ecclesiasticis, seu Ecclesiæ dotalibus in alterius Parochia sitis, si de illis, antequam in dotem Parochiæ pervenirent, decimæ alteri Parocho solvi solebant, ut colligitur ex cit. c. *Ecclesiæ* 43. et cap. *Quicumque* 44. caus. 16. qu. 1. et cit. cap. *Nuper* 34. *de decimis*. Vid. sup. num. 37. et est communis cum Glossa in c. 1. *de censib.* Abbat. in c. 2. *de decimis* num. 6. Pirhing. loc. cit. num. 43. (41. Reiffenstuel l. c. n. 52. Non tenentur tamen tales Parochi solvere Decimas prædiales de bonis mere Ecclesiasticis in propria Parochia acquisitis. Est communissima inter DD. arg. cit. cap. *Novum genus* 2. *de decimis*, et cap. *Sancitum est* 2. *de censibus*. (42. Neque tenentur tales Parochi solvere Decimas personales; Sic Pirhing. l. c. num. 40. Layman l. 5. tract. 6. cap. 3. num. 1. et alii. Et ratio est, quia neque ex jure Canonico, neque ex consuetudine talis obligatio ostendi potest; Decimæ enim personales non debentur nisi proprio Parocho, a quo quis recipit Sacramenta, et alia spiritualia; cap. *Quæsti sunt* 46. caus. 16. qu. 1. cap. *Ad Apostolicæ* 20. de decimis, sed tales Parochi nullum agnoscunt proprium Parochum, cum Episcopus in sua Diœcesi sit Ordinarius Parochus Parochorum, et quilibet Parochus sit Ordinarius Pastor in sua Parochia, et præter se nullus alius detur in ipsa Ordinarius Parochus; ergo, etc. (43. Licet autem ex parte Episcopi videatur adesse sufficiens fundamentum, ut Parochi ipsi persolvant Decimas, ex quo ipse sit Ordinarius Pastor, et Parochus omnium Parochorum suæ Diœcesis, Jus tamen non imposuit eis talem obligationem solvendi Decimas personales Episcopo; adeoque Episcopus non potest ipsas ab eis exigere, cum nequeat neque ab ipsis, neque ab aliis Sacerdotibus, et Clericis aliquid exigere præter id quod jure communi concessum est, ut constat ex cap. *Constitutum est* 60. c. *Nulli* 62. cap. *Prædicator* 64. caus. 16. quæst. 1.

(44. Regulares de jure communi tenentur solvere Decimas prædiales, nisi speciali privilegio, aut legitima consuetudine sint exempti. Est communis cum Suarez t. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 17. n. 25. Layman loc. cit. n. 4. Pirhing. loc. cit. n. 44. Reiffenstuel loc. cit. n. 53. et habetur clare in c. *Ex multiplici* 3. cap. *Commissum* 4, cap. *Dilecti* 8. cap. *Ex part.* 10. *de decimis*, et expressius in cap. *Statuto* 2. § *Cæterum* eod. tit. in 6. ubi sic statuitur : « Cæterum Religiosi tam exempti, quam non exempti de terris, et possessionibus acquisitis hactenus, et amodo acquirendis decimas integre solvant illis Ecclesiis, quibus eadem possessiones, et terræ prius fuerunt decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio sint moniti. » (45. Insuper spectato jure communi antiquo, et præscindendo a privilegiis, tenentur Regulares solvere etiam Decimas personales; Suarez l. c. num. 25. Laym. l. cit. n. 4. Pirhing. l. cit. n. 44. Reiffenstuel l. c. num. 53. et alii communiter. Et ratio est, quia Regulares, spectato jure communi antiquo, et abstrahendo a privilegiis, sunt etiam ipsi, sicuti cæteri alii, subjecti Pastori, seu Parocho loci, ab eoque Sacramenta, ac alia spiritualia, percipere debent et de facto olim percipiebant, uti patet ex c. alia 6. Eccl. 7, c. *Interdicimus* 10. c. *Quæsti sunt* 46, c. 16, q. 1, adeoque præscindendo a privilegiis tenentur de jure communi ipsi persolvere Decimas personales, cum tales Decimæ de jure debeantur Parocho, a quo accipiuntur Sacramenta, et alia spiritualia cit. cap. *Questi sunt.* 40. caus. 16, qu. cit. cap. *Ad Apostol.* 20, *de decim.* et c. *Significavit* 5, *de Parochiis.*

(46. Hodie tamen Regulares omnes, aliquo saltem modo, a solvendis Decimis sunt exempti per privilegia partim Juri communi inserta, partim specialiter concessa. Primo, per privilegia Juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solis Decimis

Digitized by Google

personalibus ; cap. *Ex part.* 10, cap. *Licet.* 11. et cap. *Ad Audientiam* 12. *De decimis.* (47. Secundo, per talia privilegia juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solvendis Decimis de Novalibus, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus colunt, textu expresso in cit. cap. *Ex. par.* 10, *decimis*, ibi : « De Novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt; » et in cap. *Consultationi* 33. *de privil.* ibi : « Terra, de qua non exstat memoria quod aliquando culta fuisset, redacta per Religiosos viros ad culturam perpetuo debet, quoad immunitatem de non solvendis decimis, Novalium jure censeri. » (48. Per Novale autem, ut vides, intelligitur ager de novo ad culturam redactus, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuisset, ut definitur in c. *Quid per Novale* 21. *de verb. significat.* ibi : « Ut Novale intellexerint agrum de novo ad cultum redactum, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuisset. » (49. Tertio, per talia privilegia juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solutione Decimarum de nutrimentis, seu pascuis animalium, et de hortis suis ; textu expresso in cit. cap. *Ex parte* 10 *decimis*, ibi : « Et de nutrimentis animalium suorum, et de hortis suis. » (50. Quarto, per talia privilegia juri communi inserta, Cistercienses, aliique Regulares similibus privilegiis gaudentes, exempti sunt a solutione Decimarum etiam de prædiis, et terris non novalibus, illis scilicet, de quibus, antequam ad eos pervenirent, Decimæ non solvebantur ; cap. *Ex. par.* 10, et *Ad Audientiam* 12. cap. *Nuper* 30 *de decimis.* (51. Immo cum hoc caput *Nuper* nihil novi juris induxerit quoad possessiones ante generale Conc. de anno 1215. acquisitas, stat etiam quod de jure communi tales Regulares de illis decimas solvere non teneantur, etiamsi antequam ad eos pervenirent, decimæ fuerint solutæ, remanente in suo robore, quoad possessiones acquisitas ante dictum Conc. antiquo privilegio in cit. cap. *Ex parte* 10, et cap. *Ad audientiam* 12. *de decimis*, ibi : « Decernimus, ut de alienis terris, et amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolant, decimas persolvant, » ubi illa dictio *Amodo* idem importat, quod ab hac die in antea, ut inquit Hostiens. n. 1, in verb. *Et Amodo ;* et Joann. Andreas n. 2, eod. verb.

(52. Per privilegia specialiter concessa omnes fere Regulares hodie sunt exempti a solvendis decimis nedum personalibus, sed etiam prædialibus de prædiis, et fundis cunctis sive ante sive post dictum Concilium generale de anno 1215 acquisitis, quæ propriis manibus, vel saltem propriis sumptibus excolunt. Ita testatur Barbosa de offic. et potest. Parochi par. 3, c. 20. § 8, num. 20 et in lib. 3. decretal. tit. 30, cap. 10, num. 5, et alii passim in compendiis, et compilationibus privilegiorum Regularium, ubi in specie videnda relinquimus, cum nimis onerosum esset hic omnia talia privilegia speciatim adducere. (53. Observandum tamen hic primo venit circa talia privilegia specialia Regularium, quod ipsa non valent, nisi habeant Clausulam dicti Concilii Generalis in c. *Nuper* 34 *de decimis* derogatoriam. Sic pluries censuit Rota, et signanter in Oriolen. Decimar. 21 Martii 1586, et 9 Junii ejusdem anni coram Orano, et coram Cavalier. inter ejus impressas dec. 229, num. 3, in qua fuit dictum, exemptionem a decimis non suffragari, nisi in specie derogetur dict. cap. *Nuper*, et in Viterbien. Decimarum 25 Junii 1618. coram Cardinali Pamphilio postea Papa Innocent X, et par. 1, recent. dec. 431, num. 2, par. 7 dec. 42, n. 9, et par. 19 dec. 201. n. 3. Et sic tenent Barbosa loc. cit. num. 37. Fagnan. loc. cit. num. 28 et 29. Pirhing. loc. cit. num. 59. Reiffenstuel l. c. n. 64. Petra tom. 4. comment. ad Const. 8 Martini V. n. 14. et alii. Et ratio desumitur ex defectu intentionis in Pontifice concedente, quia Pontifex Constitutioni Concilii generalis numquam censetur derogare, nisi clausulam Concilii expresse derogatoriam adjiciat, ut sæpe decidit Rota apud Barbos. et Fagn. l. c. et tenet communis Doctorum arg. c. *Ex parte.* 3, *de Capellis Monachor.* (54. Sufficit autem, si in privilegio exemptionis a decimis prædialibus fiat derogatio alicujus alterius Concilii Generalis, cum addito, et *aliorum Conciliorum*, vel si dicatur : *non obstante aliqua Constitutione etiam in generali Concilio edita ;* tunc enim censebitur derogatum etiam dicto decreto Concilii Lateranensis, ut in terminis resolvit Rota in causa Conchen. Exemptionis decimarum 17 Martii 1589, coram Orano; et aliis sæpissime, ut dicitur in dec. 316. num. 11. par. 5. recent. et tenet Fagnan. l. c. num. 31. Pirhing l. c. num. 59. Reiffenstuel l. c. n. 67. Decius cons. 341. n. 10. Garcias de Benef. p. 4. cap. 5. num. 40. et alii passim. (55. Observandum est secundo, quod in generali communicatione privilegiorum quamvis ampla, non communicatur privilegium, exemptionis e solvendis decimis, quia communicationes, seu adæquationes privilegiorum quamvis amplæ, et prægnantes non extenduntur ad ea quæ non solent concedi, vel saltem magna cum difficultate conceduntur, et in quibus agitur de præjudicio tertii, ut est exemptio decimarum, sicuti notant Doctores in l. 1. ff. *de legat.* 1. ubi Jason num. 21. Alciat. num. 4. Socin. Jun. cons. 43. Anton. de Butr. cons. 19. quod teste Fagn. loc. cit. num. 33. sæpius secuta est Sacra Congr. et Rota, et signanter in Valentina Decimarum 28. Novemb. 1604. coram Lancelloto, in qua articulus fuit late discussus; in Tolentina Decimarum 6. Novembris 1605, coram Justo; in Mediolanensi Decimarum 10. Aprilis 1606. coram Coccino; et in Derton. Decimar. 8. Martii 1608. coram Lugdunen. ut habetur part. 2. rec. dec. 214. n. 5.

(56. Observandum est tertio, quod bona, et prædia, quæ solutioni Decimarum sunt obnoxia, remanent eidem oneri subjecta, etiamsi ad Regulares exemptos transeant,

Digitized by Google

adec ut Regulares teneantur illas solvere, quemadmodum solvebant Laici priusquam ad ipsos transiissent, nisi a Sede Apost. speciale privilegium eos specifice quoad tales Decimas eximens obtineant, prout firmavit Rota in Caral. Decimæ fœne. 14. Junii 1659. coram Taya, et par. 12. redent. dec. 223. num. 7. ad 21. et pag. 17. dec. 232. num. 4. et pluries respondit Sacr. Congre. Concil. apud Pignatell. tom. 1. cons. 355. et tom. 8. consul. 8. num. 9. et seq. et Barbosa de offic. et potest. Parochi part. 3. cap. 28. § 3. num. 44. et in Firmana Decimarum die 14. Novembris 1630. ibi : « Fratres Ordinis S. Augustini teneri ad solutionem Decimarum pro prædiis acquisitis, quæ dum a Laicis possidebantur, solutioni erant obnoxia; » et in una Polonien. seu Cracovien. Decimarum 17. Junii 1645. ibi : « Sacra Congregatio Concil. iterum, atque iterum auditis Regularibus, et præcipue Patribus Soc. Jesu, eorumque Juribus, ac privilegiis mature discussis, censuit ab iisdem Patribus et aliis Regularibus, solvendas esse Parochis, et aliis Beneficiatis, Decimas, quæ solvebantur a Laicis priusquam bona in ipsorum Patrum Soc. Jesu, et aliorum Regularium proprietatem fuerint translata, firmis tamen remanentibus transactionibus desuper factis. » Quod etiam renovavit in una Ripana die 16. Maji 1647. additque etiam non obstante Constit. Gregorii XIII. quæ fuit redacta ad vim juris, et in una Camerinen. 15. Novembr. 1659. ibi : Sac. Congr. Conc. censuit bona, et prædia, quæ dum a Laicis possidebantur, Decimarum solutioni erant obnoxia, ad Regularium Monasteria cum suo onere transire, ac propterea Regulares teneri illas solvere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus; quemadmodum tenebantur Laici, priusquam bona ipsa « in Monasterii proprietatem transtulissent; dictisque Regularibus non suffragari allegata privilegia, sed requiri speciale privilegium posterius Sac. Concil. Trid. cum individua derogatione » cap. *Nuper*, et in Nucerina Paganorum Decimarum die 24 Junii 1677, ubi ad dubium : « An Ecclesiæ sæculares, Monasteria Monialium S. Claræ, et S. Dominici, et Conventus, seu Monasteria Regularium nempe Carmelitarum, Minimorum, Scholarum piarum, Montis Virginis, Minorum Conventualium, S. Basilii, S. Benedicti, et Augustini teneantur solvere Decimas prædiales ex bonis, ex quibus Decimæ solvebantur a Laicis, antequam in prædictos transirent ? » responsum fuit : *Affirm. quoad omnes, et si habent privilegium, deducant in Sac. Congr.*

(57. Et quidem quoad Patres Conventuales in Ferentina Decimarum die 16, Januarii 1694, ead. Sac. Congr. Concil. censuit eos, non obstante exceptionis privilegio, teneri Parochis solvere Decimas ex bonis titulo sive oneroso, sive lucrativo quæsitis. Et quoad Patres Prædicatores Rota Carpentoracten. Decimarum, consideratis omnibus eorum privilegiis censuit eos non exemptos a Decimis, nisi pro bonis quæsitis ante Concilium Generale, nec suffragari privilegia postea obtenta;

utpote quæ non comprehendunt Decimas spirituales, vel non continent necessariam derogationem dict. cap. *Nuper de Decimis*, ut late firmatur in decis. 271, par. 18, recent. et dec. 201, par 19, tom. 1. et consonat resolutio ejusdem Sacræ Congr. in Ferentina Decimarum die 15, Januarii 1695, ubi resolutum fuit Parocho Oppidi Petræ Acutæ deberi Decimas prædiales bonorum, quæ possidet Conventus Patrum Prædicatorum intra Parochiæ limites. (58. Immo etiamsi bona essent data pro erectione Monasterii, Collegii, seu pro dote Beneficii, quæ sunt immunia a quibuscumque collectis, et oneribus quamvis Cameralibus, adhuc non eximuntur a solutione Decimarum, ut plena Camera declaravit in Maceraten, 1. Julii 1697, et Congregatio Boni Regiminis in Veliterna, 27 Junii 1699. (59. Quinimmo Regulares, et etiam Collegia Societatis Jesu tenentur solvere Decimas prædiales juxta loci consuetudinem, etiamsi in præteritum non solverint, ut respondit Sac. Congr. Conc. in Firmana Decimarum 13. Jun 1697, et in Senogal. 30. Aug. 1704.

(60. Ad Decimas solvendas non tenentur Regulares non possidentes stabilia, et qui de eleemosynis vivunt, ut item Sacra Congregatio sub die 17. Octobris 1625, in specie pro Observantibus disposuit. Unde non comprehenduntur prædicti Fratres Minores de Observantia in Bulla indictionis sex Decimarum super fructibus omnium Ecclesiasticorum Beneficiorum, et pensionum in universa Italia et Insulis adjacentibus ejusdem Alexandri Papæ septimi, prout declaratur in sequenti Epistola Subcollectoribus missa.

« *Molto Rever. Signori.*

(61. « Li Padri Minori Osservanti di S. Francesco, i quali sono Mendicanti, e non possono possedere, per disposizione del proprio Instituto, rendita alcuna d' elemosine, che loro vengono fatte, non sono tenuti al pagamento delle Decime. Per tanto le Signorie vostre dovranno per tal conto non molestarli; ed il Signor le feliciti.

« *Di Roma li* 20. *Maggio* 1662.

« Delle Signorie VV. Affezionatiss.

« N. *Arcivescovo di Damiata Tes. Gener.* »

Loco ✠ sigilli.

« *Francesco Miloni Secret. Succollettori delle Decime.* »

(62. Sic etiam Theatini sunt exempti a solutione Decimarum Apostolicarum; Sac. Congreg. Immunitatis 11 Jan. 1695, lib. 1, decret. Valleman. pag. 168.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. In locis, in quibus Parochiæ sunt divisæ, juris assistentiam pro Decimis habet utique Parochus, non item Episcopus, ut monet Auctor. (64. Sed notandum est quod, si Episcopus pro Decimis agat adversus Possessores bonorum, datum non est iis declinare solutionem Decimarum hoc sub obtentu, quod juris assistentiam pro Decimis non

Digitized by Google

Episcopus sed Parochus habeat; (65. maxime si Parochus Episcopo adhæreat; Rota in S. Severinæ Decimarum 12 Jan. 1748, § 4, et in Confirmatoria 14, Jun. ejusd. anni 1748, § 6, cor. *R. P. D.* Bussio Decan.

ARTICULUS III.

Decimæ ex quibus rebus, quo modo, tempore, et loco, sint solvendæ.

(1. De jure communi solvendæ sunt Decimæ prædiales de omnibus fructibus, seu proventibus bonorum omnium tam mobilium, quam immobilium, licite acquisitorum. Et decimæ personales solvendæ sunt de omnibus lucris, et proventibus per actionem, et industriam hominum licite acquisitis. Est communis; et de Decimis prædialibus habetur clare ex cap. *Nuncios* 6, *de Decimis*, ibi: « Et de omni fructu Decimas persolvere; » c. *Ex parte* 21, eod. tit. ibi: « Et de omnibus bonis Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ, c. *Ex transmissa* 23, eod. t. ibi: « Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, Decimas erogare tenetur; » c. omnino *Tua nobis* 26, eod. tit. ibi: « Cum de cunctis proventibus Decimæ sint reddendæ. » Et de Decimis personalibus habetur ex cap. *Ad Apostolicæ* 20, *de Decimis*, ibi: « Æquum est, ut illi Eccl. Decimæ personales reddantur, » etc. c. *Non est* 22, eod. tit. ibi: « De negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione.. Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ; » et cap. Decimæ 66, caus. 16, quæst. 1, ibi: « De militia, de negotio, de artificio redde decimas. » (2. Unde in specie Decimas solvunt 1 Frumentum, et triticum, 2 Palea, 3 Fœnum, 4 Pascua, 5 Vinum, 6 Fabæ et alia legumina, et Nuces, 7 Amigdalæ, et Castaneæ, 8 Olivæ, 9 Folia mororum, 10 Saccharum, 11 Pisces, 12 Apes, seu fructus earum, 13 Lac, Lana, et fœtus animalium cum nutriti sunt, 14 Venatio, et Aucupium, 15 Ligna, 16 Linum, et Canapæ, et his similia, 17 Negotium, et artificium 18 Stipendia militum, 19 Advocatio, procuratio, merces, et salarium, 20 Furna, 21 Lapidicinæ, 22 Fodinæ, 23 Molendinæ, et his similia, ut colligitur ex citatis juribus, cum concordantiis, et enumerantur communiter a Doctoribus, et signanter a Barb. de offic. et potest, Episc. p. 3, c. 28, § 1, n. 2, cum sequentibus, et Rota rec. par. 5, t. 2, dec. 591. n. 12, p. 7, dec. 180, num. 12, p. 9, t. 1, decis. 64, num, 9, et 10, part. 15, dec. 43, n. 8, et 9, dec. 99, num. 10, et sæpe alibi.

(3. Decimæ prædiales solvendæ sunt nedum de omnibus licite acquisitis, sed etiam de illicite acquisitis; D. Thomas 2, 2, q. 87, art. 2, ad 2, Glossa in cit. cap. *Ex transmissa* 23, *de Decimis*, verb. *Licite*, ad finem, Abbas, et Innocent. ibid. Pirhing lib. 3, decret. tit. 30, n. 18. Reiffenstuel ibid. num. 26, et alii communiter; arg. cap. de terris 16. *de Decimis*. Et ratio est, quia Decimæ prædiales sunt onus reale ipsi terræ, ac cæteris rebus inhærens, transiensque ad quemvis possessorem, sive bonæ, sive malæ fidei, alioquin prædo vel injustus invasor esset melioris conditionis, quam bonæ fidei possessor, quod nullimode est dicendum, cum et ipse Dominus, si prædium possideret, Decimas solvere teneretur; ex quo Decimæ prædiales non debeantur ex actione, sive justa, sive injusta possessoris, sed ex prædiorum, aliarumque rerum possessarum fructibus, qui ex dono Dei proveniunt; cap. *Tua nobis* 26, *de Decimis*. (4. Loquendo autem de Decimis personalibus, ubi illæ adhuc sunt in usu, cum distinctione est procedendum; aut enim est sermo de Decimis ex lucris non solum illicite acquisitis, sed et illicite retentis, ita ut restitutioni adhuc obnoxia sint, qualia sunt quæ acquiruntur ex furto, rapina, usura, simonia, injusto bello, fraude, injusto contractu, etc.; an vero de Decimis ex lucris solummodo illicite acquisitis, et licite retentis, qualia sunt acquisita ex meretricio, ex adulterio, ex convento homicidio, et hujusmodi, de quibus cum possessor verb. gr. Meretrix, Mulier adultera, conductus pecunia ad hominem occidendum, acquirat dominium, non tenetur ad restitutionem. (5. Si de primis, scilicet illicite acquisitis, et illicite retentis sit sermo, Decimæ nec dari debent, nec accipi possunt S. Thomas l. c. Glossa in cit. cap. *Ex transmissa* verb. *Licite*, *de Decimis*, Abbas ibid. n. 3. Azorius part 1, lib. 7, cap. 24, q. 13. Suarez lib. 1, c. 32, n. 6, et 7. Pirhing lib. 3, decret. n. 9. Reiffenstuel ib. n. 27, et Innocent. loc. cit. arg. cap. *Non est putanda* 27, caus. 1, qu. 1. Et ratio est, quia cum possessor non acquirat dominium talium rerum, sed eas restituere teneatur, res sic acquisitæ non computantur in bonis ejusdem, sed censentur bona aliena; l. *Non potuit* 11, ff. *de Jure Fisci*. Nulli autem licitum est aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem, textu expresso in cap. *Tua nobis* 26, *de Decimis*, ibi: « Cum nulli sit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem. » (6. Si de secundis, scilicet illicite acquisitis, licite retentis sit sermo, Decimæ dari debent, et accipi possunt. Ita Glossa, et Doctores omnes locis supracitatis. Et ratio est, quia licet tales acquirentes, verb. gr. meretrix accipiendo pecuniam pro meretricio, adultera pro adulterio, conductus ad occidendum hominem, pro homicidio, turpiter faciant in acquirendo, non tamen turpiter retinere dicuntur; l. 4, § *Sed quod meretrici*, ff. *de condict. ob turpem causam*. Unde si taliter acquisita licite retinere possunt, licite etiam possunt eadem erogare, et consequenter Decimas de iis solvere tenentur, cum delictum non præstet immunitatem; l. *Relegatorum*, § final. *ff. de interdict. et relegat.* (7. Quamvis autem de sic illicite acquisitis possint ministri Ecclesiæ Decimas repetere, non expedit tamen ut illas repetant, donec sic turpiter acquirentes non se emandaverint, ne videantur talia turpia facta approbare, et eorum sceleribus communicare, ut ait S. Thomas l. c. art. 2. Glossa cum aliis Doctoribus locis citatis. Unde ab Ecclesia oblationes aliquorum respuunt ratione criminis; Deuteronomii c. 23, ibi: *Non offeres mercedem prostibuli*; cap. *Oblationes* 2, dist. 90. c. *Non est*

Digitized by Google

putanda 27, caus. 1, quæst. 1. c. *Miror*. 8, caus. 17, quæst. 4.

(8. Decimæ non sunt solvendæ ex bonis acquisitis titulo hæreditatis, legati, vel donationis; Innoc. in d. c. *Non est* 22, *de Decimis* n. 2. Moneta de decimis cap. 5, n. 37. Rebuffus de decimis q. 8, n. 21. Suarez loc. cit. lib. 1, c. 31, n. 6. Layman lib. 4, tract. 6, cap. 1, n, 2, in fine, Pirhing loc. cit. n. 24. Barbosa l. c. n. 28, et alii. Et ratio est, quia Decimæ solummodo solvuntur ex fructibus, et emolumentis prædiorum, et rerum immobilium, aut animalium uti sunt Decimæ prædiales, aut ex acquisitis labore, et industria hominum : sed bona illa, quæ alicui obveniunt ex hæreditate, legato, vel donatione, nec sunt fructus prædiorum, rerumque immobilium, aut animalium, nec fructus personarum, quia non ex labore, seu industria, et actione propria, sed ex alterius actione ei obveniunt, ergo, etc. Tum quia in Lege veteri Dominus dedit ipsas terras, et possessiones, et tamen constat non ex ipsis, sed ex ipsorum fructibus sibi dari Decimas jussisse, juxta illud N. c. 18, ac proinde cum Pontifices circa decimas constituendas imitati sint Legem veterem, dicendum est eos voluisse, ut non de terris, et possessionibus ipsis, sed de earum fructibus decimæ solverentur. Tum etiam quia, si ex bonis ipsis immobilibus titulo hæreditatis, legati, vel donationis acquisitis deberent solvi decimæ, omnia fere bona immobilia quam cito ad Ecclesiam pervenirent. (9. Hic tamen est advertendum, quod si bona acquisita titulo hæreditatis, legati, vel donationis, sint fructifera, et ex illorum fructibus nondum sint pro illo anno solutæ decimæ, debent solvi ab eo, qui eorum dominium et possessionem acquisivit, sicuti [illegible]ur ex post quotannis illas solvere, [illegible]res transeant cum suo onere ad quemlibet possessorem; c. *Cum non* 33, *de Decimis*, ibi : « Quoniam res cum onere suo transit. » Et cap. *Ex literis* 5, *de Pignoribus*, ibi : « Cum etiam bona... cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem; » Ita Suarez loc. cit. c. 31, n. 10. Pirhing l. c. n. 22, et alii communiter.

(10. Decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione seminis, vel expensarum, quæ in colendis prædiis, et colligendis fructibus, pro custodia animalium, et hujusmodi fiunt; cap. *Cum homines* 7, *de decimis*, ibi : « Decimam Eccl. cujus Parochiani sunt, sine diminutione solvere tenentur, » cap. *Ex part.* 21, eodem tit. ibi : « De omnibus prædiorum fructibus decimas absque diminutione persolvant; » cap. *Non est* 22, eodem titul. ibi : « Præcipimus, quatenus antequam ullas deducatis de bonis prædictis expensas, decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, cum integritate debita persolvatis; » cap. *Tua nobis* 26, eod. tit. ibi : « Mandamus quatenus omnes, qui ratione.. prædiorum decimas Ecclesiis, et Clericis tuæ Diœcesis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas appellatione remota compellas, » cap. *Pastoralis* 28, eod. tit. ibi : « Expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis ex illis, de quibus fructus proveniunt, non credimus deducendas, » etc. et sic communiter Doctores. (11. Insuper decimæ prædiales solvendæ sunt integre absque ulla deductione tributorum, et censuum prædialium, vel aliarum exactionum, ita ut ante præstationem illarum integre solvi debeant, vel si prius tributa non decimata solvantur, et ipsa decimari debeant, sive decimas inde solvere cogatur is, qui tributa accepit, textu expresso in cap. *Cum sit* 33, *de decimis*. « Cum non sit in homine quid semen serenti respondeat, quoniam juxta verbum Apostoli, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; qui de mortificato semine plurimum fructum affert, nimis avare quidem in decimis defraudare nituntur census, et tributa, quæ interdum indecimata prætereunt, de frugibus primitus deducentes. Cum autem in signum universalis Dominii quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit, nos et Ecclesiarum dispendiis, et Ecclesiarum periculis obviare volentes, statuimus, ut in prærogativam Dominii generalis exactionem tributorum, et censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum suo onere transit, ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur. » Sic etiam Doctores communiter.

(12. Decimæ personales solvendæ sunt non nisi deductis prius expensis; cap. *Pastoralis* 28, *de decimis*, ibi : « Explicari postulasti, utrum quis possit de molendinis, et piscariis necessarias expensas deducere, priusquam solvat decimas ex eisdem, sicut est in negotiatione concessum? Ad quod respondemus, quod licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cum ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas, » etc. et Glossa ibid. verb. *Expensas*, ibi : « Expensas factas in eundo et redeundo, et negotiando faciendo meliorem; et est communis. » Ratio autem, cur Decimæ personales solvendæ sint deductis expensis, et prædiales expensis non deductis, varia assignatur a Doctor. ut videri potest apud Barb. loc. cit. n. 35, sed hic adducitur solum illa, quam præ cæteris dant D. Thomas 2, 2, qu. 87, art. 2. Gonz. in cap. *Cum homines* 7, *de decimis* n. 8, idem Barbosa loc. cit. n. 26. Pirhing. loc. cit. n. 30, et alii plures, scilicet, quod Decimæ personales solvantur ex fructibus civiliter consideratis, quorum nomine illi soli veniunt qui deductis expensis supersunt; l. *fructus* 7, in princ. ff. *solut. Matrim.* ibi : « Fructus eos esse constat qui, deductis expensis, superunt; » et l. 1, C. *de fruct. lit.* ibi : « Hoc fructuum nomine continetur, quod justis fructibus deductis superest, » uti est v. gr. si quis expendat centum aureos in emendis mercibus, quas postea vendat 150 aureis, ex hac summa deducendi sunt prius aurei

Digitized by Google

quibus merces emptæ sunt, deinde expensæ factæ in vectigalibus, et itineribus, quibus deductis, si remanserint ex lucro triginta aurei, tenebitur pro decimis solvere tres aureos ; ut recte advertit Canisius tractatu de decimis cap. 2, n. 2. Decimæ vero prædiales solvantur ex fructibus naturaliter consideratis secundum se, et quatenus ex terra, et re ipsa proveniunt dono, et Beneficio Dei, sine quo potuisset etiam post factas expensas nihil crescere, juxta illud 1, ad Corinth. 3, ibi : *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Unde cum ab ipso Deo, tamquam Auctore cuncti ipsi fructus proveniant, decimæ de illis sine ulla expensarum deductione solvuntur. Sicut enim si locetur vinea, vel ager pro certis mensuris, vel certa parte v. g. quarta fructuum, solvendi sunt fructus locatori non deductis expensis, juxta cap. *Tua nobis* 26, *de decimis.* Ita etiam ex fructibus prædialibus decimæ integre solvi debent non deductis expensis, quia prædia sunt a Deo veluti locata hominibus pro decima parte fructuum sibi tamquam supremo Domino, ac vice sui Ecclesiæ Ministris quotannis solvenda ; argum cit. cap. *Tua nobis* 26, et cap. *Cum non sit* 33, *de decimis.*

(13. Decimæ prædiales solvendæ sunt, statim ac fructus sunt a solo separati, et collecti textu expresso in cit. c. *Cum homines* 7, *de decimis :* ibi : « Mandamus quatenus eos cogatis, ut decimam statim fructibus collectis persolvant. » Idque desumitur ex c. 22. Exodi, ubi dicitur : *Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere.* (14. Et obligati ad decimas tenentur illas sic solvere, etiamsi a Parocho, vel ab alio jus decimandi habente prius non moneantur nec ab eis petantur, nam ipse dies, sive tempus solutionis pro creditore interpellat ; arg. cap. *Potuit* 4, *de locato et conducto*, ibi : « Non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet ; » (15. alioquin peccant, si sine justa causa solutionem notabiliter differant, uti pro certo supponitur, et traditur cap. *Decimæ* 66, caus. 16, q. 1, ibi : *Sed si tardius dare decimas peccatum est, quantò pejus est non dedisse,* et tenent Glossa in cit cap. *Cum homines* 7, *de decimis*, verb. *Fructibus collectis ;* Abbas ibid. num. 3. Layman lib. 4, tract. 6, cap. 5, num. 1. Rebuffus loc. cit. qu. 11, num. 3. Pirhing loc. cit. num. 93. Reiffenstuel l. c. n. 32, et alii passim. (16. Immo obligati ad decimas tenentur ad resarciendum damnum, si quod ex sua culpabili mora solvendi in decimis sequatur ; arg. l. *Cum res* 47, § fin. ff. *de Legat.* 1, c. *Cum gratia sui* unic. *de commodato*, ibi : « seu in mora fuisset, » et cit. c. *Cum homines* 7, *de decimis*, ibi ; « Atque de subtractis, et retentis dignam satisfactionem exhibere procurent ; » et sic tenent cum Glossa omnes Doctores mox citati. (17. Decimæ prædiales solvendæ sunt pluries in anno, si Prædia pluries in anno seminentur, et pluries in anno fructus proferant, textu expresso in c. *Exp.* 21, *de decimis*, et Glossa ib. verb. *Unius*, et alia Glossa in c. *Revertimini* 65, caus. 16, qu. 1, verb. *Annus*, et est communis. (18. Decimæ personales, ubi illæ adhuc sunt in usu, solvuntur omnes in fine cujusque anni, sicut alii census, et tributa tunc solvi solent ; Glossa in cit. cap. *Revertimini* 65, caus. 16, qu. 1. Abbas in cap. *pervenit* 5, *de decimis* num. 3. Layman loc. cit. Pirhing loc. cit. num. 93. Reiffenstuel loc. cit. num. 35, et alii passim. Et ratio est, quia si de cujusvis operis, negotii, vel industriæ fructu, seu lucro statim solvi deberent decimæ, id in nimium incommodum esset tum ipsi datori, tum ipsi acceptatori decimarum, cum particularis solutio multa incommoda afferre soleat ; l. *Plane* 3, *Famil. herciscund.* (19. Si tamen alicubi esset diversa consuetudo, esset observanda, cum de tempore solutionis decimarum personalium nihil reperiatur cautum in jure, et sic attendenda erit cujusque loci consuetudo, nam de quibus causis scriptis legibus nihil utimur, id custodiri oportet, quod moribus, et consuetudine introductum est, dicit Ulpianus l. *de quibus* 32, ff. *de Legibus.*

(20. Circa locum, in quo solvendæ sint decimæ, si attendatur jus commune, videtur, quod Parochiani teneantur propriis sumptibus illas deferre in domum, vel horreum Parochi ; arg. cap. *Revertimini* 65, caus. 19. qu. 1, ibi : « Hortor vos, atque commoneo, ut inferatis decimas in horrea mea, » et cap. *Decimas* 1, caus. 16, qu. 7, ibi : « Inferte omnem decimationem in horreum meum, » quod est desumptum ex Malachiæ 3, et tenent Glossa in cit. cap. *Revertimini* verb. *In horrea*, Abbas in cap. *Pervenit* 5, *de decimis* num. 3. Covarruvias lib. 1, variar. resolut. cap. 17, num. 8. Gonzalez in cap. *Cum homines* 7, *de decimis* num. 6. Guttierez lib. 2, Canon. qq. cap. 12, num. 23. Reiffenstuel loc. cit. n. 36, cum communi aliorum contra Barbosam loc. cit. § 2, num. 24. Layman loc. cit. cap. 5, num. 2. Pirhing loc. cit. num 94. Et ratio est, quia, ut recte dicit meus Reiffenstuel loc. cit. quia Christiani non minus tenentur præstare decimas in signum universalis dominii Dei, quam quivis subditus tenetur tributa sua, et census solvere terreno Domino in signum dominii ejusdem ; arg. cap. *Tua nobis* 26, *de decimis ;* sed terreni subditi tenentur census, et tributa in signum Dominii debita, deferre propriis sumptibus ad domum Domini ; arg. l. *Pro locis* 6, ff. *de ann. et tribut.* ergo, etc. (21. Si vero attendatur consuetudo jam fere ubique introducta, teste Guttierez loc. cit. num. 45. Barbosa loc. citat. num. 24. Canisio de decimis c. 7. Parochi ipsi, aliique decimatores tenentur decimas colligere, et suis expensis in Domum deferre. Et ubi talis adest consuetudo legitime præscripta, est ibi observanda, ut fatentur omnes Doctores ; arg. cap. *Cum tanto* 11, *de consuetudine*, ibi : « Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare,

Digitized by Google

nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. Consuetudine esse posse fructus, ex quibus Decima non solvatur, communis est Canonistarum sententia. (23. Quæstio vero non inutilis hic discutienda est, an decima debeatur, si in Prædiis, quæ fructus ferebant decimæ obnoxios, substituuntur fructus, qui consuetudine, ut dictum est, decimæ minime erant subjecti? (24. Affirmant Mornac. in lib. 13. fer. per tot. ff. *de servit. rustic.* Dupineau in suis quæst. et consult. c. 10. pariter fere per tot. (25. Negant vero Grimaudet de decimis lib. 1. num. 3. per tot. Papon. Corpor. Jur. Francic. lib. 1, tit. 12, num. 5. Rot. in Cæsaraugustana Decimarum 15. Maji 1752. et in Confirmatoria 2. Aprilis 1753. coram R. P. D. Canilliac, idque non male, nam decimam debent non ipsa prædia, sed fructus; locus propterea esse nequit decimæ, si consuetudo a decima exemit novos fructus.

(26. Negativam vero hanc opinionem duobus in casibus limitat Rousseaud de la Combe in sua Jurisprud. Canon verb. *Decimæ* sect. 10. qu. 6, et 7. (27. Prior est, si consuetudo vigeat, ut ex novis fructibus non obnoxiis decimæ solvatur decima. (28. Alter est, si hæc substitutio fructuum non obnoxiorum decimæ, adeo universalis sit, ut Parocho congrua desit.

(29. Decima regulariter solvenda est in ipsis fructibus, non item in pecunia. Consuetudine vero fieri potest, ut solvatur in pecunia. At quænam consuetudo hujus sit efficaciæ, expendit Rot. in Cracovien. Decimarum super bono jure 26. Junii 1748. coram Illustriss. Clement. impress. Romæ per Barbiellini 1781. et in alia Cracovien. Decimarum super bono jure 27. Aprilis 1750. coram Illustriss. Cortiada.

ARTICULUS IV.

Jus decimandi a quibus, et quibus modis acquiri, et concedi possit.

(1. Clerici acquirere possunt jus decimandi variis modis. Primo, *papæ concessione, seu privilegio*, ratione cujus privilegii, seu concessionis fit, quod decimæ alias de jure ad Parochum spectantes, debeant solvi Ecclesiæ non Parochiali, v. g. Regulari, aut Beneficiato simplici. (2. Ita Doctores communiter arg. cap. *Statuto* 2. *de Decimis* in 6. Secundo, *per consuetudinem legitime præscriptam.* Est communis; arg. cap. *Cum sint* 18. cap. *Ad Apostolicæ* 20. c. *Cum contingat* 29. *de Decimis.* Et ratio est, quia consuetudo legitime præscripta derogare potest juri communi positivo, cap. *Cum tanto* 2. *de consuetud.* et per consequens jus uni Ecclesiæ competens in aliam transferre. cap. *Cum Dilectus* 8. de *consuetud.* (3. Ad sic autem præscribendum contra Laicum, vel contra Clericum privatum, vel contra aliam causam non privilegiatam sufficit decennium inter præsentes, et vicennium inter absentes, arg. leg. unic. Cod. *de usu cap. transformand. et* § 1. Instit. *de usu*

cap. ibi: « Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero longi temporis possessionem (id est inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis) usu capiantur. » (4. Ad sic præscribendum contra aliquam causam piam, v. g. Hospitale, Monasterium, Capitulum, vel aliquam Ecclesiam non Parochialem, requiruntur, et sufficiunt quadraginta anni cum bona fide. Authen. *quas actiones*, Cod. de Sacrosantæ. Eccl. cap. *Aures* 6. cap. *Illud autem* 8. et cap. *Quia judicante* 9. *de præscript.* (5. Ad sic vero præscribendum contra Ecclesiam Parochialem requiruntur quadraginta anni una cum titulo, vel tempus immemorabile; est communis. Et ratio est quia ad præscriptionem contra Ecclesiam requiritur dictum tempus una cum titulo, quoties jus cummune resistit, vel præsumptio est contra præscribentem, textu expresso in cap. 1. *de præscriptionib.* in 6. ibi: « Nam licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habetur, sufficit bona fides; Ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi; Nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. » Atqui jus commune resistit præscribenti Decimas contra Ecclesiam Parochialem, et habetur præsumptio contra ipsum præscribentem, cum sit expresse statutum Decimas de jure pertinere ad Parochos; cap. *Quoniam* 13. cap. *Cum sint* 18. cap. *Ad Apostolicæ* 20. cap. *Tua nobis* 26. cap. *Cum contingat* 29. et cap. *Cum in tua* 30. *de decimis*, adeoque etc.

(6. Tertio Clerici acquirere possunt jus decimandi *per transactionem*, ita ut jus decimandi per talem transactionem, seu amicabilem compositionem, uni, vel alteri, vel utrique parti acquiratur, ut constat ex c. *Multiplici* 3. et cap. *Suggestum* 9. *de Decimis*, ut si v. g. lis oriatur ad quem ex Parochis, vel aliis Clericis, vel etiam Religiosis pertineant Decimæ, possunt partes litigantes transigere, et componere, ut Decimæ æqualiter inter ipsos dividantur, vel uni parti major portio, vel alteri minor tribuatur: dummodo in tali transactione nullum pactum Simoniacum interveniat, ita ut pro spirituali jure decimarum detur pecunia, vel alia res pretio æstimabilis; Glossa in cit. cap. *Ex multiplici*, verb. *Conventionem*, Rebuffus de Decimis quæst. 13. num. 26. Pirhing loc. cit. n. 120. Reiffenstuel. loc. cit. num. 117. et alii communiter. (7. Talis autem transactio si sit facta cum legitima auctoritate, et consensu superiorum, obligat etiam successores. Glossa in cit. cap. *Ex multiplici*, verb. *Eamdem conventionem*, Abbas ibidem num. 2. Layman lib. 4. tract. 6. num. 1. Reiffenstuel. loc. cit. num. 118. et communis aliorum, arg. cap. *Statuimus* 2. *de transactionibus*, ibi: « Statuimus, ut si super Decimis inter vos, et aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata, et inconcussa persistat. »

Digitized by Google

et cap. *Veniens* 8. *de transactionib.* ubi expresse declaratur successores non teneri stare Transactioni super decimis factæ absque auctoritate legitima Superioris. (8. Si vero transactio facta fuerit sine legitima auctoritate Superioris, valet solum inter personas ipsas transigentes, et nullimode obligat successores; cit. cap. *Veniens* 8. *de transactionibus* ubi assignatur hæc ratio : « Cum inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur, nec pacta inter alios facta aliis obesse patiamur. » Quod idem colligitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. de *reform.*, ibi : « Concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores; et tenent Glossa citata, Fagnan. in d. c. *Veniens, num.* 2. Reiffenstuel. loc. cit. n. 118. et alii communiter.

(9. Quarto Clerici acquirere possunt jus decimandi, *Donatione*, dummodo adsint solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitæ; cum Donatio expresse numeretur inter species alienationis; cap. *Nulli liceat* 5. *de rebus Ecclesiæ alienand. vel non*, ibi : « Alienationis autem verbum continet.. donationem. » (10. Si tamen Decimarum donatio sit facta a Laico Ecclesiæ, vel loco Religioso, tunc non requiruntur tales solemnitates, sed sufficit solus Episcopi consensus; cap. *Cum Apostolica Sedes* 7. *de his, quæ fiunt a Prælato sine consensu* cap. ibi : « Nam in Lateranensi Concilio est inhibitum, ne quælibet Religiosa persona Ecclesias, et decimas de manibus Laicorum sine consensu Episcoporum recipiat, per quod indirecte datur intelligi, quod sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus recipere Laicorum. Hoc autem de illis Decimis intelligimus, quæ Laicis in Feudum perpetuo sunt concessæ. » (11. Quinto Clerici acquirere possunt jus decimandi, *Permutatione*, qua una Ecclesia cum altera decimas pro decimis, vel alio jure spirituali permutat; argum. cap. *Ad q.* 6. et cap. *Exhibita* 9. *de rerum permutat.* et Glossa ibidem verb. *Temporalia* cum communi Doctorum. (12. Requiruntur autem solemnitates ad alienationem necessariæ, quia *Permutatio* expresse numeratur inter species alienationis; cap. *Nulli liceat* 5. *de rebus Eccl. alienand. vel non*, ibi : « Alienationis autem verbum continet permutationem. » (13. Sexto Clerici acquirere possunt jus decimandi per *Compromissum* in Arbitros; arg. cap. *Cum Apostolica* 7. *de his quæ fiunt a Prælato sine consens. Capitul.* et cap. *Sane* 1. *de Arbitris*; Per arbitrium enim, seu sententiam Arbitrorum (cui partes stare debent) possunt decimæ unæ litigantium adjudicari, et alteri auferri, sive totæ, sive pro parte.

(14. Requiruntur tamen pro tali compromisso solemnitates ad alienationem necessariæ : Abbas in cap. *Dilecti Filii* 4. *de Arbitris* num. 8. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 6. num. 1. Pirhing loc. cit. n. 123. Reiffenstuel loc. cit, num. 120. et alii passim. Et ratio est quia per compromissum indirecte pervenire potest ad alienationem decimarum, quæ est directe prohibita, ut patet ex toto titulo *de rebus Eccles. alienand. vel non*, et ex Constitution. Pauli II. incip. *Ambitiosæ;* prohibita autem alienatione, censetur etiam prohibitus omnis actus, per quem deveniri potest ad alienationem. c. *Cum quid* 39. *de Reg. juris in* 6. ibi : « Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ex illo sequuntur. »

(15. Laici nullo modo possunt acquirere jus decimandi, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spiritualis Officii, seu obligationis ministrandi spiritualia : textu expresso in cap. *Decimas* 1. caus. 16. q. 7. ibi : « Decimas, quas in usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, a Laicis possideri auctoritate Apostolica prohibemus, sive enim ab Episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, (nisi Ecclesiæ reddiderint) sciant se sacrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere; » cap. *Ad hæc* 15. *de decimis*, ubi Alexander III. irritat donationem Decimarum factam a quodam Abbate cuidam Laico, et ejus hæredibus, ibi : « Quoniam sanctuarium Dei, (*scilicet Decima, quatenus est jus mere spirituale*) jure hæreditario possideri non debet, viribus carere decernas; Et Laicum (nisi Decimam ipsam ipsi Ecclesiæ libere resignaverit) vinculo excommunicationis adstringas; » cap. *Quamvis* 17. *de decim.* ibi : « Quamvis sit grave nimis, et Divini dignum animadversione judicii habeatur, quod Laici quidam, quod Sacerdotum est in Ecclesiasticis rebus (*de Decimis est sermo*) usurpant, majorem tamen, » etc. et consimiliter habetur in cap. *Prohibemus* 19. eod. tit. et cap. *Causam* 7. *de præscriptionib.* et est communis et certa cum Glossa in dict. cap. *Quamvis* verb. *concesserit*, et Rota part. 1 recent. dec. 48. num. 9. part. 8. dec. 47. num. 25. part. 9. tom. 1. dec. 234. num. 1, et 2. part. 10. dec. 97. num. 1. dec. 253. num. 6. dec. 291. n. 31. part. 14. dec. 234. num. 1. part. 15. dec. 67. n. 1. part. 17. dec. 46. num. 5. et sæpe alibi. Et ratio est, quia cum Laici Officia spiritualia ministrare non possint, c. *Bene quidem* 1. dist. 96. cap. *Decernimus* 2. *de judiciis;* cap. *Tua* 25. *de Decimis*, sequitur evidenter, quod nullo modo possint acquirere jus decimandi, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spiritualis Officii, seu obligationis ministrandi spiritualia.

(16. Possunt tamen Laici licite, et valide per specialem concessionem, seu privilegium Summi Pontificis acquirere jus decimarum, quatenus hoc consideratur ut abstractum a titulo, ac jure spirituali, et solummodo est quid temporale, scilicet jus præcise percipiendi decimam partem fructuum. Est communis cum Pirhing l. c. n. 138. Reiffenstuel loc. cit. n. 131. Rota part. 6, dec. 19, n. 17, par. 7, dec. 180, n. 20. et 21, part. 10, decis. 175, n. 9, decis. 291, n. 9, part. 14, decis. 424, n. 9, et sæpe alibi. Et constat multiplici experientia plurium Romanorum Pontificum, qui jus percipiendi perpetuo similes Decimas cum facultate transferendi illud successoribus suis concesserunt variis Regibus, Ducibus, aliisque Principibus ob eorum am-

Digitized by Google

plissima merita, et maxima beneficia in urgentissimis casibus Ecclesiæ Catholicæ præstita. (17. Immo olim etiam Episcopi, ac alii Ecclesiarum Prælati jus percipiendi similes Decimas in Feudum, vel Emphyteusim perpetuo Laicis concedere poterant, ut traditur in cap. *Cum Apostolica* 7, *de his quæ fiunt a Prælatis*, et desumitur ex cap. *Tua* 25, *de Decimis*, ubi supponitur, quod ab antiquo decimæ in Feudum Laicis dari potuerint, et constat ex Decreto Urbani II, revocantis dictam potestatem, ut patet in lib. 1. *Feudor.* tit. 6, et tradit communis Doctorum cum Rota part. 7, recent. dec. 103, num. 8, dec. 193, n. 23, part. 8, dec. 47, num. 23. et 31, p. 9, tom. 1, dec. 234, num. 3. (18. Hodie tamen a tempore Concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III, 1179, teste Covarruvia lib. 1. variar. Resolut. cap. 7, num. 4. Barbosa in cap. 1. de his quæ fiunt a Prælatis n. 2. Rebuff. in tract. de Decimis qu. 10, num. 23, et Rota part. 8, recent. dec. 76, num. 6, par. 15, dec. 375, num. 3, id sine consensu et facultate Summi Pontificis facere amplius non possunt; Rota part. 2, recent. dec. 262, num. 3, part. 8, dec. 47, num. 31, cum seq. et dec. 76, num. 6. et patet ex cit. Decreto Urbani II, relato in lib. 1. Feud. tit. 6, et ex cap. *Ad hæc* 15, cap. *Quamvis* 17, cap. *Prohibemus* 19, *de Decimis*, et c. *Statuto* 2. § *Sane*, in fine *de Decimis* in 6. (19. Quamvis autem Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati hodierno jure jus percipiendi similes Decimas Laicis in Feudum, vel Emphyteusim perpetuo concedere non possint ex mox citatis verbis, valent tamen etiam nostris hisce temporibus illorum concessiones eisdem factæ ante dictum Decretum Urbani II, et ante dictum Concilium Lateranense, possuntque Laici etiam hodie licite retinere jus talium Decimarum antecessoribus suis concessum ante dictum Decretum; ita habetur expresse in cap. *Episcopum vel Abbatem* lib. 1. Feudor. tit. 6, ubi dicitur: « De Feudis ante illud Decretum factis, seu concessis, quod firmiter permanere debeant; non autem de datis post decretum illud; » et colligitur clare ex cap. *Cum Apostolica* 7, in fine *de his, quæ fiunt a Prælatis*, et ex c. *Statuto* 2, § *Sane*, in fine *de Decimis* in 6. Et sic communis Doctorum cum Rota. part. 7, dec. 103, num. 7, part. 8, dec. 47, n. 34, part. 9, tom. 1, dec. 234, num. 2. et 5, part. 15, decis. 67, num. 2. et 11, part. 16, dec. 109, n. 3.

(20. Laici nulla præscriptione, et consuetudine etiam immemorabili acquirere possunt jus decimandi, textu expresso in cap. *Causam* 7, *de præscriptionibus*, ibi: « Quia cum Laici decimas retinere non possint, eas nulla valent præscibere ratione, » ubi vides rationem datam a textu, nempe: *quia decimas detinere seu possidere non possunt*; quod autem quis possidere non potest, etiam præscribere nequit, cum sine possessione præscriptio non procedat, textu clarissimo in Regul. 3, de Regul. Jur. in 6, ibi: « Sine possessione præscriptio non procedit; » et sic tenent Engel l. 3. decr. tit. 30, num. 23. Reiffenstuel ibidem num. 138. Pirhing de præscript. num. 41. Covarruvias variar. Resol. l. 1, cap. 17, num. 5. Layman. lib. 4, tract. 6, cap. 6, n. 8. Rebuff. de Decimis q. 10, n. 24, et communis aliorum cum Rota part. 7, recent. dec. 137, n. 7, part. 16, dec. 109, num. 2, et sæpe alibi. (21. Hinc Laici, ut retinere valeant decimas præter tempus immemorabile, requiritur insuper fama privilegii, debentque Laici probare communem famam, quod decimæ fuerint suis Successoribus ex privilegio concessæ, vel ante Concilium Lateranense in Feudum datæ sint. Sic Abbas in cap. *Cum Apostolica* 7, *de his quæ sunt a prælat.* num. 12, et ibi Imola num. 21. Joann. Andreas num. 9. Felinus in cap. *Cum contingat, de Foro competent.* num. 4. Moneta *de Decimis* cap. 5, quæst. 3, n. 59. Card. de Luca de Decimis discurs. 6, num. 24. et 25, et alii cum Rota part. 2, recent. decis. 193, n. 6, part. 4, dec. 345, num. 1, part. 8, dec. 137, num. 7, ubi dicit, quod hæc opinio semper fuit in hoc sacro Tribunali recepta, ut in Tolentina Decimarum de Capill. 4. Decembris 1615, coram bon. mem. Andrea, ubi latissime fuit firmata, et in Hispalen. Decimarum de Almonte 5. Maii 1635, coram Pirovano, et in Corduben. Decimarum de Lucena 15. Jun. ejusdem anni 1635, et par. 16, rec. dec. 109, n. 2, in Taurinen. Decimarum 31. Maji 1669, ubi citatur alia in Mediolanen. Rescissionis permutationis 21. Maji 1597, coram Cardinali Hieronymo Pamphilio. (22. Contrarium tamen tenent Covarruvias lib. 1, variar. Resolut. cap. 17, num. 5, § *Sed si*, Pirhing de Præscript. num. 44. Reiffenstuel loc. cit. n. 144, et alii. Quæ revera sententia non caret sua probabilitate

(23. Laici jus decimandi, quod ex legitimo titulo possident, nequeunt per venditionem, donationem, mutationem, vel per alium contractum in alios transferre Laicos sine auctoritate Summi Pontificis; cap. *Prohibemus* 19, *de Decimis*, ibi: « Prohibemus, ne Laici Decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios Laicos possint aliquo modo transferre; » et in ejus summario sic præcise dicitur: « Non potest Laicus transferre Decimam in alium Laicum, etiamsi cum titulo illam possideat. » Et sic Glossa in cap. *Cum Apostolica* 7, *de his quæ fiunt a Prælat.* verb. *in Lateranensi Concilio*, ibi: « Nec Laici in alios Laicos Decimas possunt transferre; » cap. *Prohibemus*, *de Decimis*, Rota part. 2, recent. dec. 193, n. 10, ubi sic expresse habet: « Postremo nullo modo poterat Episcopus Taurinensis de anno 1544, præstare suam autoritatem ad effectum ut Decimæ de Laico in Laicum transferrentur, » cap. *Prohibemus*, *de Decimis*, ibique Doct. Covarruvias d. c. 17, n. 5, Rebuff. d. qu. 13, n. 79, et sic tenet Abbas in d. cap. *Prohibemus* num. 4, et plures alii. Et ratio est, quia si jus illud decimandi remansisset apud primum Laicum, spes esset quod posset citius redire ad Ecclesiam, ad quam spectat, si videlicet decederet sine hærede, et sic translatio videtur esse quæ-

Digitized by Google

dam alienatio, arg. cap. *Apostolicas* 13, cap. *Sine exceptione* 52, caus. 22, quæst. 2, cum concordantiis. (24. Est tamen vere probabilis contraria sententia, quam tenent Glossa in d. cap. *Prohibemus*, verb. *Laicos;* Barbosa ibidem n. 7. Pirhing lib. 3, decretal. tit. 30, n. 144. Reiffenstuel ibidem n. 145, et alii. Et ratio ipsorum est, quia quivis potest jus legitime competens in alium transferre; nisi jure prohibeatur; argum. leg. *in re mandata*, Cod. *Mandati;* nullum autem assignari potest jus, quod hoc prohibeat, adeoque etc Citatum enim cap. *Prohibemus*, non loquitur, dicunt ipsi, de Decimis, quas justo, et legitimo titulo possident, sed solum de illis, quas injuste detinent, ut patet ex illis verbis, « Laici decimas cum animarum periculo detinentes, » quæ verba non verificantur de Decimis legitimo titulo possessis, cum illas tuta conscientia, et sine animarum periculo retineant.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. Ad validitatem concessionis Decimarum favore Laicorum requiritur specialis derogatio Concilii Lateranensis sub Alexandro III, relat. in cap. 19, *de decimis*, ut respondit Rota in recent. dec. 614, n. 4, et seq. p. 4, tom. 3, coram Coccino decis. 643, num. 6, coram Penia decis. 997, num. 4, ubi quod Clausulæ : *Non obstantibus*, etc, *Quorum tenores*, etc. non inducunt talem derogationem, inter impressas post Tamb. de Jur. Abbat. decis, 92, num. 1. et seq. in Constantien. Decimarum 17. Januarii 1744, § 7, coram Illustriss. de Thunn, et in Sabinen. Decimarum 6 Martii 1747, § 13, coram el. memor. Millin.

(26. Declarat tamen procedere, si concessio cadat super jure spirituali decimandi, non item super commoditate Decimarum, quæ est quid temporale; Rota coram Bichio dec. 347, n. 8. et seq. et inter impressas post Salgad. de Labirint. Credit. dec. 95, n. 6. et seq.

(27. Utilis propterea est inspectio, quando concessio cecidisse dicenda sit super spirituali jure Decimarum, et quando super Decimarum commoditate. Vide si lubet de ea Pacion, de Locat. et Cond. cap. 10, num. 88, et Rota inter impressas Salgad. de Labirint. Creditor. d. dec. 95, n. 9. et plur. seq.

ARTICULUS V.

Decimæ quo ad modos, quibus potest quis eximi ab ipsis solvendis, et quoad judicem competentem in earum causis.

(1. Primus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi Decimas, est privilegium concessum a Summo Pontifice; argum. cap. *Ex multiplici* 3, cap. *Dilecti Filii* 8, cap. *Ex parte* 10, cap. *Licet* 11, cap. *Ad audientiam* 12, et cap. *A nobis* 24, *de decimis*, ubi expresse dicitur quod « quilibet Decimas solvere teneatur, nisi a præstatione ipsarum specialiter sit exemptus; » et paulo infra : « Nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes. » (2. Papa enim valide

concedit exemptionem Decimarum, cum de ejus potestate non sit dubitandum; Rota par. 12, recent. dec. 299, num. 3. (3. Et sic communis, et certa omnium Doctorum. Tale autem privilegium eximens a Decimis cessat, quando incipit esse enormiter perniciosum Ecclesiis Parochialibus, ut si v. g. alicui Monasterio modicos fundos habenti concessum sit tale privilegium, cessat si postea ejus possessiones, et fundi sive per donationes, sive per emptiones, aut alio modo tanto augeantur, ut major pars agrorum loci jam ab ipso possideatur, et sic Decimæ successive nimium subtrahantur, indeque Parochi enormiter lædantur; argum. cap. *Suggestum* 9. *de Decimis;* cap. *Quid per Novale* 21, de verbor. signif. et cap. *Cum ad hoc* 16. *de Clericis non residentib.* et tenent Abbas in dict. cap. *Suggestum* n. 3. et 4. Barbos. ibidem n. 2, et communis aliorum. (4. Cum vero dubitatur, an privilegium sit enormiter læsivum, recurrendum est pro declaratione ad Summum Pontificem; arg. cap. *Cum venisset* 12. *de judiciis*, ibi : « Cum super privilegiis Sedis Apostolicæ vertatur quæstio, nolumus de his per alios judicari; quia illius est interpretari, cujus est concedere; » arg. c. *Inter alia* 31. *de sentent. Excom.* ibi : « Unde jus procedit, interpretatio quoque procedit, » et leg. fin. Cod. de leg. (5. Insuper privilegium non solvendi Decimas cessat, et amittitur per non usum, seu potius per usum contrarium, quo privilegiati Decimas per 40, annos solvunt; cap. *Accedentibus* 15, *de privilegiis*, ibi : « Cum enim tanto tempore (scilicet per 40 annos) contra indulta privilegia Decimas solverint, eis renunciasse tacite præsumuntur. » (6. Nec sufficit ad amittendum tale privilegium, si per 30 annos privilegiati solvant Decimas, ut dicitur in cap. *Si de terra* 6, *de privilegiis*, quia hoc caput tanquam jus antiquum continens fuit correctum a dict. cap. *Accedentibus*, utpote ejus recentius continente, ut notatur in ejusdem capitis summario, et communiter a Doctoribus. Eo vel maxime, quod jure novo universaliter contra Ecclesias quascumque, ac privilegia earumdem, non nisi quadraginta annorum admittatur præscriptio, textu expresso in cap. *Illud autem* 8, *de præscriptionib.* ibi : « Illud autem te scire volumus, et tenere quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam quadraginta annorum, Romana Ecclesia non admittit, licet quidam Canones comprobent tricennalem. » (7. Ulterius privilegium non solvendi Decimas potest amitti transactione, et conventione facta inter partes, Parochum v. gr. et privilegiatos, si hi privilegium, vel ex toto, vel ex parte remittant, textu aperto in cap. *Dilecti* 8, *de decimis*, ibi : « Vel cum ipsis amicabiliter componatis; » cap. *Suggestum* 9, eodem tit. ibi : « Mandamus quatenus cum prædicto Abbate et Fratribus super ipsis Decimis componatis, » et cap. *Nuper* 34, eod. tit. ibi : « Decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. » Et ratio petitur ex cujus-

Digitized by Google

que libero usu sui juris : « Cum, » ut expresse dicitur in c. *Si de terra* 6, *de privileg.*, « cum liberum sit unicuique suo juri renunciare. »

(8. Secundus modus, quo potest quis eximi ab obligatione solvendi Decimas, est consuetudo, vel præscriptio ; dummodo tamen Ecclesiæ Ministri aliunde quam ex Decimis congruam sustentationem habeant, v. gr. amplis redditibus fundationis Ecclesiæ, oblationibus, aut Legatis piis, obligatio solvendi Decimas potest tolli, et abrogari per contrariam legitimam consuetudinem, sive a Clericis, sive a Laicis. Ita defenditur contra plures veteres Canonistas, et contra Reiffenstuel a fere omnibus recentioribus tum Canonistis, tum Theologis, et in specie a Covarruvia l. 1, variar. Resol. cap. 17, n. 8. Silvester verb. *Decima* qu. 4. Navar. lib. 3, cons. 2, de Decimis ; Rebuff. de Decimis q. 13, n. 46. Monæa eodem tract. cap. 5, q. 1, n 89. Azor. part. 1, lib. 7, cap. 26, q. 4. Suarez lib. 1, cap. 12, n. 8. Less. lib. 2, cap. 39, n. 25. Canis. tract. de Decimis cap. 17, n. 8. Laiman lib. 4, tract. 6, c. 6, n. 10. Pirhing loco cit. n. 126. Barbosa de offic. Parochi cap. 28, § 3, n. 64, cum aliis fere communiter ; et Rota part. 6, recent. dec. 23, n. 3, part. 8, dec. 146, n. 7, et sæpe alibi. Et ratio est quia, supposita congrua sustentatione Ministrorum Ecclesiæ aliunde quam ex Decimis, Decimæ non debentur ipsis jure naturali, vel divino, sed solum jure humano Ecclesiastico, ut jam probatum est supra in art. 1, n. 90. Jus autem humanum Ecclesiasticum potest omnino tolli, et abrogari per contrariam consuetudinem legitime introductam, et præscriptam ; cap. *Cum tanto* 11, *de consuetud. et leg.* de quibus 32, ff. *de Legibus*, adeoque etc. (9. Hinc infertur posse ex consuetudine induci, ut, ex certis fructibus, v. gr. vino, oleo, fœno, etc., vel ex fructibus minutis, et fœtibus animalium nullæ omnino Decimæ solvantur, aut aliqua solum portio solvatur ; Rota part. 1, recent. dec. 469, num 2, dec. 474, n. 5, part. 9, tom. 1, dec. 123, numer. 1. (10. Et sic potest induci consuetudo, quod Decimæ de bonis locatis, aut arrendatis non solvantur, quæ consuetudo servanda est ; Rota part. 13, rec. decis. 344. n. 6. (11. Sic etiam consuetudine possunt Decimæ alterari respectu quotæ qualitatis, et modi ; Rota part. 6, recent. dec. 311, n. 5, part. 19, tom. 1, dec. 12, n. 6. (12. Talis autem consuetudo debet esse uniformis, universalis, et legitime præscripta ; Rota part. 1, recent. dec. 469, n. 2, dec. 474, n. 1, part. 5, tom. 1, dec. 124, n. 12, part. 13, dec. 344, n. 6. (13. Et ad hoc ut talis consuetudo sit legitime præscripta, requiritur lapsus saltem 40, annorum ; c. *Illud autem* 8, *de præscription.* cap. *Accedentibus* 15, *de privileg.* Rota p. 15, rec. dec. 322, num. 8.

(14. Objicies. Laici non possunt præscribere jus percipiendi Decimas, ut istæ ipsis solvantur ab aliis, textu expresso in cap. *Causam* 7, *de præscription.* ibi : « Quia cum Laici Decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione, » ergo nec possunt præscribere jus retinendi Decimas, quas ipsis solvere deberent Ecclesiæ Ministris, nam retinendo Decimas, quasi a se ipsis illas accipiunt. (15. Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam, et paritetem. Et disparitas est, quia jus percipiendi Decimas est spirituale ; Jus autem exemptionis a solvendis Decimis non est spirituale ; ideoque Laici non sunt incapaces possidendi hoc jus ; nempe percipiendi ex propriis possessionibus fructus integros sine detractione, sive onere Decimarum ; quod onus solvendi Decimas inhærens ipsis possessionibus, seu feudis est quid temporale, ideoque etiam immunitas ab hoc onere est tantum quædam libertas, et commoditas temporalis, et consequenter a Laico præscribi potest, ut recte notat Covarruvias loc. citat. cap. 17, num. 10. Suarez. loc. cit. cap. 12, num. 17. Pirhing l. c. n. 130.

(16. Ad solum Judicem Ecclesiasticum privative quo ad Laicum pertinet causa Decimarum, si agatur de proprietate, et jure percipiendi Decimas, ad quem pertineat, vel de privilegio, aut præscriptione earum, aut de exemptione a solutione earumdem. Est communis et certa cum Rota part. 10, recent. dec. 284, n. 10, part. 14, dec. 297, arg. cap. *Exhibita* 9, *de rerum permut.* et cap. *Tua* 25, *de decimis.* Et ratio est, quia talis causa Decimarum censetur causa spiritualis, arg. cit. c. *Exhibita* 9, *de rerum perm.* et c. *Parochianos* 14, *de Decim.* De causis autem, et juribus spiritualibus Judex Laicus cognoscere, ac disponere nequit ; c. *Bene quidem* 1, dist. 96. c. *Decernimus* 2, *de judiciis*, c. *Tua* 25, *de Decimis ;* Rota part. 2, recent. dec. 673, n. 2. p. 14, dec. 297, n. 9, adeoque etc. (17. Hinc fit, ut etiam causa Decimarum, quæ datæ sunt in Feudum sæcularibus, discutienda sit coram Judice Ecclesiastico, licet enim dominium hujusmodi Decimarum, scilicet fructuum illarum omnino spectet ad Laicos, et Feudum censeatur sæculare ; tamen quia oritur, et dependet a jure spirituali, et Ecclesiastico, non potest Judex Laicus de illis cognoscere ; Feder. de Senis cons. 245, n. 1. Pirhing. loco citato n. 163. Rota part. 6, recent. dec. 42, n. 15. (18. Unde si quis in similibus causis Decimarum erga Judicem Ecclesiasticum contumacem se exhiberet, posset per censuras compelli ; cap. *Ex p.* 21. c. *Non est* 22. *Tua nobis* 26, et c. *In aliquibus* 32, *de Decimis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(19. Modi, quibus acquiri potest exemptio a solutione Decimarum, duo sunt, ut monet Auctor, Apostolicum privilegium, et præscriptio. At de utroque hoc modo latius disserendum.

(20. Quod attinet ad Apostolicum privilegium, tria potissimum discutienda de eo sunt. I. Quid requiratur, ut Apostolicum privilegium de non solvendis Decimis efficax sit. II. Ad quas Decimas vires suas porrigat

Digitized by Google

privilegium hoc Apostolicum. III. Quando dictum Apostolicum privilegium vim suam amittat.

(21. Ut Apostolicum privilegium de non debet solvendis Decimis efficax sit, continere expressam derogationem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. relati in cap. *Num., de Decim.* (22. Derogatio vero generalis quantumvis ampla haud sufficit. (23. Idque procedit, etiamsi agatur de Apostolico privilegio concesso intuitu defensionis Catholicæ fidei. (24. Nota vero, quod necessaria est hæc specialis derogatio, si bona acquisita sint post dictum Concilium Lateranense, vel jam ante ipsum obnoxia erant solutioni Decimarum. (25. At onus probandi, non ad illum, qui agit, sed ad eum, qui convenitur pro Decimis, pertinet; vide de his omnibus Rotam in Corduben. Decimarum, 6 Junii 1760, et potissimum confirmatoriam 26 Jun. 1750, cor. bo. me. Vicecom.

(26. Ad Decimas, quæ a Laicis, maxime Principibus, percipiuntur, vires suas haud porrigit privilegium Apostolicum, quo generaliter est concessa exemptio a Decimis. (27. Quæstionis vero est, an id obtinere debeat etiam in casu, in quo denuo Decimæ a Laicis ad Ecclesias pervenerint? Variavit in hac quæstione Rota; pro negativa opinione fui *coram Seraphin.* dec. 1293. Pro affirmativa vero in recent. dec. 48, p. 1. At denuo ad affirmativam sententiam rediit in Tirasonen. Decimarum 9 Maji 1755, et in confirmatoria 9 Febr. 1756, coram R. P. D. Stadion.

(28. Nec privilegium Apostolicum de non solvendis Decimis alicujus efficaciæ est quoad Decimas debitas ipsis Ecclesiis, si earum favore accesserit munimen alicujus concordiæ, ut ex text. in cap. *Ex multiplici* firmavit Rota in dict. Tirasonen. Decimarum 9 Maji 1755, § 15, et in confirmatoria 9 Febr. 1656, § 15 coram R. P. D. Stadion.

(29. Privilegium de non solvendis Decimis vim suam amittit illis omnibus modis quibus suam amittit vim quodcumque aliud Privilegium. De hisce modis agemus in addit. ad verb. Privil. (30. Peculiare vero est, quod hoc de non solvendis Decimis Privilegium amittat vim suam, si vergere incipiat in grave damnum habentis jus ad Decimas, ita ut is se congrue sustentare nequeat, ut est perspicuus textus in cap. *Suggestum de Decimis.* (31. At prætereundum non est, quod sicuti dictus textus de Parochis unice loquitur, ita ad ipsos Parochos communiter restringitur. (32. Quinimmo adeundus est Summus Pontifex, qui suum Privilegium explicet, et moderetur; Nicol. ad Monet. de Decim. adnot. 5, n. 171.

(33. Quod vero concernit præscriptionem, videndum an decimæ percipiantur ab eo, qui habet assistentiam juris pro ipsis, an ab alia Ecclesia, an a Laicis. (34. Ad acquirendam exemptionem ab eorum solutione primo casu requiri vel immemorabilem, vel centenariam, vel quadragenariam, cum titulo colorato, sufficere secundo casu simplicem quadragenariam, (35. et tertio demum casu decennalem communiter tradunt Bohemer. in decret. lib. 3, tit. 30, § 42. Engel in Collect. Jur. Canon. lib. 3, tit. 30, § 3, n. 49. Schmalzgrueb. Jur. Eccles. univ. lib. 3. part. 3, tit. 30, § 3. n. 63. Zipæus respons. de Jur. comm. lib. 3, tit. 30, respons. fer. per tot. Antonell. de Tempor. Legal. lib. 2, cap. 37, n. 18. Rot. in recent. dec. 151, n. 5, part. 19, tom. 1 et coram Molin dec. 142, n. 5.

(36. Sed novissime Rota in ea videtur fuisse sententia, ut etiam ad acquirendam exemptionem a solutione, etiam Decimarum, quæ percipiuntur a Laicis, requiratur, vel immemorabilis, vel centenaria, vel quadragenaria cum titulo colorato. Salamantina enim Universitas egit pro Decimis adversus PP. S. Hieronymi ejusdem Civitatis Salamantinæ. (37. Opposita ab iis fuit præscriptio; licetque admissum fuerit, Universitatem Salamantinam corpus esse non Ecclesiasticum, sed Laicale, ut probant Alphons. de Escobar. de Pontific. et Reg. Jurisd. in stud. general. capit. 21, per tot, ubi num. 273 et seq. quod Decimæ, quæ percipiuntur ab Universitate Salamantina, evaserint Laicales, Andreæ Mend. de Jur. Academ. lib. 1, quæstion. 8, pariter per tot. firmatum tamen fuit, non aliter mox dictos Patres S. Hieronymi acquirere potuisse exemptionem a solutione Decimarum, quam vel immemorabili, vel centenaria, vel quadragenaria cum titulo colorato, ut patefaciunt decisiones in Salamantina Decimarum 24 Februar. 1757, et in confirmatoria 8 Maji ejusdem anni 1757, cor. R. P. D. Francipane.

(38. De quadragenaria in subjecta materia Decimarum invaluit in foro opinio, quod munita ea præterea esse debeat requisitis contradictionis, et acquiescentiæ; idque quia nulla præscripto locum habere potest sine possessione; in juribus vero negativa possessio non incipit nisi a die interpellationis, denegationis, et acquiescentiæ. (39. At res expers haud est difficultatis; aliud enim est, si is, qui præscribere intendit jus aliquod negativum, ante interpellationem nulla obligatione tenebatur; aliud vero si is qui intendit præscribere negativum aliquod jus, obligatione jam ante ipsam interpellationem tenebatur. (40. In prioris ane casu non incipit præscriptio, nisi a die interpellationis, denegationis, et acquiescentiæ, propterea quod non nisi ab illa die incipit possessio; (41. at in posteriori, in quo sumus, casu, a tempore, quo is qui debet non solvit, initium ducit præscriptio, quum ab illo ipso tempore initium ducat possessio; Ros. consult. 9, a num. 14, ad plur. seq, Trobat de effect. Immemorab. q. 11, num. 79.

(42. Addit et quidem rectius Bohemer in decretal. lib. 3, tit. 30, num. 53, quod ad præscriptionem acquisitivam non item, ut in casu, extinctivam requiratur possessio; adeoque opus haud sit contradictione, denegatione, et acquiescentia. Confer etiam Rocc. disp. jur. select. cap. 84, n. 14, et seq.

Digitized by Google

DECLARATIONES ET DECRETA SACRARUM CONGREGATIONUM.

SUMMARIUM.

1. Decreta et Declarationes Sacrarum Congregationum fidem non faciunt, nisi afferantur in forma authentica, *ad n.* 2. — 3. Per hoc tamen non sequitur, quod possint, et debeant, contemni, et pro nihilo haberi Sacrarum Congregationum decreta non authentica, quæ apud probatos, et fide dignos Auctores, et Collectores ad publicam utilitatem impressa reperiuntur. — 4. Immo recte facit Judex, qui declarationes Sac. Congreg. quas invenerit apud aliquem probatum Auctorem, ut veras habueris, et sequatur, etiamsi nec a parte allegentur, nec producantur; et secundum aliquos unusquisque tenetur in foro conscientiæ eas sequi, si de illis sufficientem notitiam habuerit. — 5. Hinc decreta Sacrarum Congregationum sunt ab omnibus semper reverenter amplectenda. — 6. Et dato, quod aliqua subsit probabilis ratio dubitandi de veritate alicujus Decreti, recurrendum est ad Sacrarum Congr. Regesta. — 7. Et dato insuper quod in Regesto Secretariæ aliquod allegatum Decretum non reperiatur, sufficiet, quod de eo appareat per relationem, vel Epistolam, vel notationem proprio charactere factam Cardinalis causæ ponentis. — 8. Decreta seu Declarationes Sacrar. Congregationum consulto Sanctissimo factæ habent vim Legis secundum multos Auctores. — 9. Ita ut habeant vim obligandi in utroque foro, non solum pro illis personis, ad quarum instantiam fiunt, seu in illis casibus, quibus Sac. Cong. respondet, sed ut Leges Generales in similibus omnibus. — 10. Quam sententiam amplectimur, si tales Sacrarum Congregat. Declarationes habeant tres sequentes conditiones, scilicet, quod sint approbatæ a Summo Pontifice, quod sint signatæ manu, aut sigillo Cardinalis Præfecti, et Secretarii; et quod sint sufficienter promulgatæ. — 11. Si vero tales declarationes sacrarum Congregat. factæ sint a solis Cardinalibus, summo Pontifice non consulto, nec mandante, licet quam maximæ sint auctoritatis, tamen probabilius est non habere vim legis, et multo minus obligant, si non sint authentice subsignatæ sigillo, et subscriptione Eminentiss. Card. Præfecti, et Secretarii, vel non sint rite communicatæ. — 12. Quoad declarationes autem Sacr. Congregat. Concilii consulto Sanctissimo factæ, et in authentica forma exhibitæ, dicendum est, quod habeant vim legis, ac proinde obligent in utroque foro, licet publice non sint promulgatæ. — 13. Affertur instantia, et solvitur, *ad n.* 15. — 16. Alia. *Remissive.*

(1. Declarationes et Decreta Sacrarum Congregationum fidem non faciunt, nisi afferantur in forma authentica, ut in specie de declarationibus et decretis Sacræ Congregationis Concilii Tridentini de mandato Urbani VIII, declaravit eadem Sacra Congregatio his verbis: « Sacra Congregatio Concilii Tridentini die 2. Aug. 1631, de speciali S. D. Urbani VIII, jussu mandat, et præcipit hujusmodi declarationibus, tam impressis, et imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in Judicio, vel extra a quoquam adhibendam, sed tantum illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, et subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium, munitæ fuerint. » (2. Et etiam in specie de declarationibus et Decretis Sacræ Congregationis Rit. de expresso mandato ejusdem Urbani VIII, declaravit eadem Sacra Rit. Congregatio fere eisdem verbis ut supra: « Congregatio pro Sacris Ritibus sub die 11 Aug. 1632, ex speciali Sanctissimi D. Urbani VIII, jussu mandat et præcipit ejusdem Sacræ Congregationis declarationibus tam impressis, quam imprimendis nullam fidem in Judicio, vel extra esse adhibendam, sed tantum illis, quæ in authentica forma, sigillo, et subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint.» Sic referunt Barbosa Apostolicar. Decis. collectan. 211. Sellius in selectis Canonicis cap. 1, n. 78. Lezana verb. *Congregatio;* Diana moral. resol. part. 5, tract. 2, resolut. 96. Lantusca verb. *Congregatio Concil. Trident., et Congreg. Sacr. Rit.* et alii plures.

(3. Per hoc tamen non sequitur, quod possint, et debeant contemni, et pro nihilo haberi Sacrarum Congregationum decreta non authentica, quæ apud probatos, et fide dignos Auctores, et Collectores ad publicam utilitatem impressa reperiuntur. Hoc enim vergeret in maximum Christianæ Religionis, et Ecclesiæ detrimentum, si quæ per ipsa decreta a probatis Auctoribus fideliter relata circa indulgentias, Cultum Sanctorum, Sacros Ritus, morum reformationem, et disciplinam, et moderationem, et alia hujusmodi, sunt disposita, et sancita, ea tandiu deberent, et possent quoad observantiam, et executionem suspendi, donec per recursum ad Sac. ipsas Congregationes posset semper in authentica forma obtineri: (4. Unde recte notat Fagnanus in cap. *Quoniam* 13, *de Constitutionibus* num. 59, quod Sacrarum Congregationum decreta a fide dignis Auctoribus relata, et de quorum veritate nulla subest probabilis ratio dubitandi, ex eo duntaxat rejicere, quod non afferantur in forma authentica, atque idcirco contrariam sententiam tueri, certe vix abest ab irreverentia, et temeritate; quinimo subdit ibidem ex Sala de leg. tr. 14. disput. 21. quæst. 97. sec. 12. in fin. quod recte facit Judex, qui declarationes Sacr. Congregat. quas invenerit apud aliquem probatum Auctorem, ut veras habuerit et sequatur, etiamsi nec a parte allegentur, nec producantur, adjiciens in foro conscientiæ teneri unumquemque eas sequi, si de illis sufficientem notitiam habuerit, juxta ea quæ tradit Navar. Consil. 1. num. 12. et per totum de Constit. Eo vel maxime quod Urbanus VIII. censetur voluisse solum percutere decreta illa, de quorum veritate subesset probabilis ratio dubitandi, vel ex quo afferrentur solummodo manuscripta, vel apud non probatos Auctores impressa. (5. Hinc decreta Sacrarum Congregationum sunt ab omnibus semper reverenter amplectenda in venerationem tot undequaque Eminentissimorum Patrum, ut censuit Rota in Leodien. Parochialis 1692 et ipsamet Rota semper consuevit amplecti, et signanter part. 11. recentior dec. 108. n. 22. part. 13. dec. 2. n. 36. part. 14. decis. 71. num. 15, part. 17, decis. 297, num. 3, part. 18, tom. 1 dec. 279, num. 2. (6. Et dato,

Digitized by Google

quod aliqua subsit probabilis ratio dubitandi de veritate alicujus decreti, recurrendum est ad Sac. Congregationum Regesta, prout ipsæmet Sacræ Congregationes demandare solent, quando occasione disputationis particularium casuum circumferuntur decreta quæ diversa, vel adversa videntur, aut aliquam probabilem dubitandi de veritate rationem continent; Cardinalis de Luca, Annotat. ad Sacrum Concilium Tridentinum disc. 1, num. 17. (7. Et dato insuper, quod in Regesto, vulgo *Vachettà*, Secretariæ aliquod allegatum decretum non reperiatur, sufficit, quod de eo appareat per relationem, vel epistolam vel notationem proprio charactere factam Cardinalis causæ Ponentis, prout declaravit, et decretum anni 1673, in sola relatione Cardinalis Cybo Ponentis repertum, extrahi mandavit Sac. Congr. Episcopor. in Mantuana Nullitatis Professionis 3 April 1693, ad relationem Eminentissimi Cardin. de Carpineo. Et pro indubitato supposuit Sac. Congregat. Concil. in Milevitana 8 August. 1705, in cujus Positione charactere Eminentiss. et R. D. Card. Panciatichi, meritissimi Præfecti, reperiebatur adnotatus consensus Partium circa expeditionem cujusdam concessionis restitutionis in integrum, idque impugnante Defensore unius ex Collitigantibus, coactus fuit palinodiam cantare, et mediante speciali Memoriali, in plena Congregatione distributo, se declarare sequentibus verbis : « Supplicantur EE. PP. habere pro non dictis, neque scriptis ea, quæ dicta, scriptaque sunt in Italico Memoriali, § *Quindi molto meno.* et seq. quo ad ibi consensum controversum commissionis datæ Em. D. Magno Mag. quoniam dum talis consensus adnotatus reperitur in Positione, sine dubio, quamvis ego non recorder, a me datus erit. » Et generaliter Rota decis. 46, n. 22, part. 18, recent. Ursaya Institut. crim. lib. 1, tit. 10, § 4, n. 147, et seq.

(8. Decreta seu Declarationes Sacrarum Congregationum consulto Sanctissimo factas habere vim Legis tenent Salas de leg. tract. 14, disp. 21, sect. 12. Barbosa lib. 1. Juris Eccles. univers. cap. 4, n. 81, et alii undecim apud Dianam p. 1, tract. 10, resolut. 29, et Pignat, tom. 9, consult. 174, per tot. Passerin. de stat. homin. tom. 2, quæst. 187, art. 1, n. 447, et sequent. Monacell. part. 1, tit. 9, formul. 3, num. 3, et alii. Et ratio est, quia ipsæ sacræ Congregationes decernunt tamquam potestatem habentes a Papa, adeoque, dicunt ipsi, earum declarationes sunt auctoritativæ, tamquam si ab ipso Papa editæ fuissent; (9. Ita ut vim habeant, ut docent Garcias, Lambertin. Farinac, Piasec. Barbosa. l. c. Fagnanus l. cit. n. 66, teste Gobat tract. 3, n. 604, obligandi in utroque foro, non solum pro illis personis, ad quarum instantiam fiunt, seu in illis casibus singularibus quibus Sacræ Congregationes responderint sed ut Leges generales in similibus omnibus, quia similium est similis ratio, et causa, foretque infinitum pro singulis casibus singulas velle declarationes. (10. Quam sententiam et nos libenter amplectimur, si tales Sacrarum Congregationum declarationes habeant tres sequentes conditiones, videlicet, quod sint approbatæ a summo Pontifice; quod sint signatæ manu aut sigillo Cardinalis Præfecti, et Secretarii, et quod sint sufficienter promulgatæ: quia cum adsunt hæ tres conditiones, habent vim Legis, et iis est necessario standum, cum sic sint munitæ auctoritate Pontificis, et re ipsa censendæ sint immediate exire ab ipso Pontifice, ut colligitur ex Carden. in 2. Crisi dist. 1, num. 98, et seq. et tenent Anton. Cotonius celebr. Controvers. lib. 3, controv. 8, cap. 3. Diana part. 11, tract. 2, resolut. 42, aliique communius, teste Gobat tom. 1, tract. 3, n. 604. (11. Si vero tales declarationes Sacrarum Congregationum factæ sint a solis Cardinalibus, Summo Pontifice specialiter non consulto, nec mandante, licet quam maximæ sint auctoritatis, tamen probabilius est non habere vim Legis, et multo minus obligant, si non sint authentice subsignatæ sigillo, et subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, et Secretarii, ut ex decretis allatis supra n. 1, et 2, vel non sint rite communicatæ, cum ad hoc, ut lex obliget, debeat esse sufficienter promulgata; Authen. *Ut factæ novæ Constitutiones*, § *Sancimus*, collat. 5, ibi : « Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint Constitutiones? » cap. *In istis* 3, dist. 4, ibi : « Leges instituuntur, cum promulgantur. »

(12. Quoad declarationes autem Sacræ Congregationis Concilii consulto Sanctissimo factas, et in authentica forma exhibitas dicendum est, quod habeant vim Legis, ac proinde obligent in utroque foro, licet publice non sint promulgatæ; Ita Eman. Rodericus Qu. Regul. tom. 1, qu. 11, art. 1 et 2. Miranda tom. 2. Manual. Prælatorum qu. 26, art. 11. Lezana tom 3. Summ. verb. Sacra Congregat. num. 8. Garcias de Benefic. in præfat. tom. 1, hanc sententiam certam appellans, Pignatell. tom. 6, consult. 99, num. 16. Reiffenstuel lib. 2 decretal. in proœm. num. 130. Barbosa loc. cit. num. 81 et 83. cum aliis pluribus, et hanc sententiam ex professo, et fusissime propugnat Fagnan. l. c. n. 6 et seqq. Et ratio est, quia declarationes Sacræ Cong. Concil. fiunt auctoritate Papæ, et illo consulto, id est auctoritate a Summo Pontif. ipsis Cardinal. tradita interpretandi decreta Concil. ipso consulto, ut patet ex Constit. Pii IV, incip. *Benedict. Deus*, et Sixti V. incip. *Immensa æterni Dei*, § *Deo autem Patri*. Declaratio autem Legis facta ab eo, qui a principe, seu legis conditore habet jus interpretandi, nec differt a lege declarata, l. *Hominis, et rei*, § *Verbum*, ex legib. ff. *de verbor. significat.* l. *Qui testamento*, § *Mulier*, verb. arg. ff. *de testamento*, et sic talis Cardinalium declaratio non mere censetur esse ipsorum, sed esse potius aliqua Apost. Declaratio, prout in simili habetur cap. *Cum aliquibus* 4, *de rescript. in* 6, et cap. *Si Apostolicæ* 22, *de præbend. in* 6, et concordat vulgare illud dictum Imperatoris l. 1, § *Sed neque*, c. *de Veteri jure enucleand.* ibi : « Omnia merito nostra facimus,

Digitized by Google

quia ex nobis omnibus eis impertitur auctoritas; » adeoque ipsæ Declarationes Sacræ Congregationis Concilii habent eamdem vim obligandi, ac ipsa decreta ejusdem Concilii : nam qualitates omnes legis declaratæ censentur inesse illius declarationi, ut est textus in l. *Nihil*, et ibi Bartol. « in princip. de conjungend. cum emancip. liber. et in Authen. de filiis ante dotalia instrumenta natis, ad fin. »

(13. Nec valet objicere, quod dictæ declarationes Sac. Congreg. Concilii non promulgentur, adeoque non posse obligare, cum ad hoc, ut lex obliget, requiritur promulgatio ex cit. Auten. *Ut factæ novæ Constitutiones*, § *Sancimus*, collat. 5 et cit. *In istis* 3, dist. 4. (14. Non valet, inquam, quia hæc promulgatio requiritur solum in legibus quæ novum jus condunt, non autem in declarationibus Legum quæ cum legibus ipsis intrinsece insint, non constituunt jus novum sed solummodo jus quod prius erat manifestant, atque declarant; adeoque, cum declarationes S. Cong. Conc. non constituant jus novum, sed contineant meram legis præexistentis explicationem, stat certum, quod nulla indigeant speciali publicatione; quia ex quo Lex declarata jam ab initio promulgata fuit, solemnitas publicationis semel adhibita in principali dispositione, non est ulterius repetenda in illius declaratione, ac proinde ab ipsamet primæva Concilii publicatione, vim obligandi obtinent ipsius Congregationis declarationes cum retrotrahantur ad tempus conditi Conc. atque huic a principio jam inesse, et infuisse censeantur, et juxta ipsas lex Conciliariis semper fuerint intelligenda, juxta Gloss. cap. *Sicut nobis*, verb. *Respondemus*, *de verb. significat.* et clare desumitur ex Authen. *de raptis Mulieribus*, § fin. collat. 9, ubi Imperator de tali Legum suarum declaratione loquens, sic expresse dicit : « Quam interpretationem non futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tamquam si nostra Lex ab initio, cum interpretatione tali promulgata fuisset a nobis; » Et sic tenent omnes supracitati Doctores, et Fagnan. loc. cit. n. 43, ubi ulterius citat Bartolum, Imolam, Baldum, Rebuffum, Romanum, et alios. Et ita colligitur etiam ex modo procedendi ipsius S. Congr. a qua si edantur declarationes, quæ jus novum non faciunt, (15. sed solum præexistens declarant, ejusque mentem, ac genuinum sensum explicant, tales declarationes non solent publicari, nec affigi Romæ in publicis, et consuetis locis, sed simpliciter eduntur et communicantur partibus, quarum interest, in forma authentica, sigillo, et subscriptione munitæ. Si vero ab ipsa edantur decreta per modum novæ Legis, tunc ad instar aliarum Constitutionum Apostolicarum de novo conditarum, etiam talium decretorum fit solemnis Romæ promulgatio, et affixio in locis consuetis, prout notatur ad finem eorumdem Decretorum, ut patet in Decreto de Regularibus Apostatis, et ejectis, incip. *S. Cong.* edito ab ipsa Sac. Cong. die 21 Septembris. 1624, et in Dec. de celebratione Missarum incip. *Cum sæpe contingat*, edito ab eadem Sac. Cong. die 21 Jun. 1625, et in variis aliis. Et sic advertit Fagn. l. c. n. 42 et 43.

(16. Alia. Vide verb. Resolutiones sac. Congreg.

DECOCTIO, DECOCTOR.

Vide verb. Restitutio, *art.* 5, *a num.* 49 *ad* 59, *et verb.* Solutio *a num.* 3 *ad* 16.

DEDICATIONIS FESTUM

Vide *Decreta sac. Rituum Congregationis.*

DEFENSOR

SUMMARIUM.

1. 6. Defensor Matrimonii in variis casibus a quonam eligendus. — 7. 8. De mercede Defensoris Matrimonii. — 9. Defensor debet juramentum præstare. — 10. In omnibus actibus debet citari. — 11. Semper appellare debet a prima sententia. — 12. Defensor Professionis Regularis ab Ordinario loci deputandus. — 13. 16. De ejus mercede.

(1. Defensor Matrimonii ex Ecclesiastico cœtu (si fieri potest) constitui debet ab Ordinariis in singulis Diœcesibus, ut adsit judiciis omnium causarum Matrimonalium, Benict. XIV, tom. 1. Constitut. 33, incip. *Dei miseratione* § 5 et 6. (2. Defensor Matrimonii in Romana Curia deputandus est a Cardinali Præfecto Congregationis Concilii, si causa super Matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione. (3. Si vero in Palatii Apostolici Auditorio, ab Auditore Decano præfati Tribunalis. (4. Si autem in Congregatione particulari, a persona ejusdem Congregationis Digniore; Idem ib. § 13. (5. In judiciis secundæ instantiæ, si Judex fuerit Metropolitanus, aut nuncius Apostolicus, aut Episcopus vicinior, Defensor Matrimonii debet esse, qui ab ipsis respective fuerit deputatus, prout ab ipsis est deputandus. (6. Si autem sit specialis Commissarius a Sede Apostolica deputatus, qui Tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, Defensor debet esse, qui fuerit constitutus ab Ordinario, in cujus Diœcesi causam cognoscet; etiamsi idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit; Idem ib § 10.

(7. Defensor Matrimonii, quamvis ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, ac Ecclesiæ reverentia, ipsum Pontifex in Domino exhortetur, tamen si aliqua ex causa id sine mercede, aut salario exsequi recusaverit, ab ipsius Causæ Ju-

Digitized by Google

dice debet ei constitui, et a Parte pro validitate Matrimonii agente persolvi, si ipsi facultas sit, sin minus a Judice primæ, vel secundæ instantiæ respective subministrari ex mulctis suorum Tribunalium in opera pia erogandis. (8. Et si Judex fuerit specialis deputatus Commissarius pecuniam ex mulctis non habens, debet Defensori Matrimonii satisfieri ex mulctis illius Episcopi, in cujus Diœcesi Commissarius Apostolicus judicium exercebit; Idem ib. § 12.

(9. Defensor Matrimonii juramentum fideliter officium suum obeundi præstare debet in limine judicii, et in suscipiendo officio : Idem ib. § 7. (10. In omnibus actibus citari, et intimari debet sub pœna nullitatis; Idem ib. § 7 et 10. (11. Semper appellare debet a prima sententia pro nullitate Matrimonii lata : Idem ib. § 8.

(12. Defensor Professionis Regularis in singulis Diœcesibus ab Ordinariis juxta disposita pro defensore Matrimonii est deputandus aliquis probitate, et doctrina commendatus, sive Regularis, sive Ecclesiasticus

Sæcularis; Benedict. XIV, tom. 2. Constitut. 47, incip. *Si datam*. (13. Pro ejus mercede, seu salario est ei præstandum, quod Judex prudenter arbitratus fuerit exsolvendum ex bonis a Professo renuntiatis in Religionis ingressu, si quæ habuerit, aut in defectu, ex bonis Religionis, si sit ex bona possidentibus. Si autem nec adsint bona renunciata, nec ejus Religio bona possideat, tunc defensori Professionis satisfiet ex pecuniis mulctarum illius Tribunalis, in quo causa agitata fuerit, Idem ib.

(14. Defensor Professionis in constructione processus, interrogatoria dare debet, et in omnibus judicii actibus citandus est; Idem ib. (15. Defensor Professionis, si sententia lata fuerit pro nullitate Professionis, ex officio appellare debet; Idem ib. (16. Defensor Professionis, deputari, et assistere debet propositioni causæ apud Sanctam Sedem super concessione restitutionis in integrum.; idemque assistere debet confectioni processus remissorialis; idem ib.

DEFINITIVA SENTENTIA

Vide verb. Sententia *a num* 4 *et fere per totum.*

DEFLORATIO, DEFLORARE

Vide verb. Stuprum, Stuprator.

DEFUNCTORUM OFFICIUM

Vide verb. Officium defunctorum

DEGRADATIO.

SUMMARIUM.

1. Degradatio est duplex, scilicet, Verbalis, et Realis, sive actualis. Verbalis, quæ sit. — 2. Per hanc degradationem verbalem Clericus non amittit privilegium fori, et Canonis. — 3. Nec sic degradatus amittit Characterem impressum. — 4. Clericus sic degradatus, si sit Sacerdos, adhuc conficit Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi sit Hæreticus, sicuti etiam valide absolvit pro mortis articulo moribundum. — 5. Clericus sic degradatus, si ex aliqua justa causa restituatur ad ordines Clericales, non debet de novo Sacris insigniri. — 6. Degradatio Realis, seu actualis quæ sit. — 7. Per hanc degradationem Realem, seu actualem Clericus amittit privilegium Fori, et Canonis. — 8. Non privatur tamen sic degradatus Charactere Ordinis, neque potestate valide consecrandi, neque facultate valide absolvendi pro mortis articulo moribundum. — 9. Nec sic degradatus liberatur ab onere recitandi horas Canonicas, aut servandi perpetuam castitatem. Sacra tamen Congr. Concilii, et Clemens XI. cui ipsa Cong. dubium resolvendum reservaverat, noluit hoc decidere quoad obligationem recitandi officium in damnato ad Triremes. — 10. Quæ sint Crimina, ob quæ de jure deveniri potest ad degradationem, seu depositionem verbalem. — 11. Quæ sint Crimina, ob quæ de jure potest deveniri ad degradationem Realem, seu actualem. — 12. Quæ sit forma solemnitatis, quæ in degradatione Reali, seu actuali servanda est. — 13. Degradatio Realis, seu actualis, et solemnis non potest fieri nisi ab Episcopo. — 14. Immo Episcopus debet esse consecratus, et non sufficit Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus. — 15. Quinimmo degradatio Realis est taliter Ordinis Episcopalis, ut nequeat ab Episcopo demandari neque Abbatibus Presbyteris, et solemniter benedictis, aliisque quibuscumque Clericis inferioribus. — 16. Degradatio vero verbalis potest fieri ab Episcopo electo, et confirmato, licet nondum consecrato. — 17. Et sic talis verbalis Degradatio potest fieri etiam per Vicarium Generalem Episcopi. — 18. Et sic etiam talis verbalis degradatio fieri potest Sede vacante a capitulo, vel Vicario Capitulari. — 19. Ad degradationem, seu depositionem faciendam requirebatur olim certus numerus Episcoporum. — 20. Pro deponendo Episcopo requirebantur duodecim Episcopi. — 21. Pro deponendo Presbytero requirebantur Episcopi sex. — 22. Pro deponendo Diacono tres. — 23. Pro deponendo Subdiacono etiam Episcopi tres. — 24. Pro deponendo Clerico in Minoribus sufficiebat unus solus Episcopus. — 25. Hodie tamen est a Tridentino statutum, ut adversus Clericos etiam in Sacris constitutos ad condemnationem, necnon verbalem depositionem procedere possit Episcopus tam per seipsum, quam per illius Vicarium in spiritualibus Generalem; ad actualem vero atque solemnem degradationem per se ipsum, etiam non adhibito numero Episcoporum a Sacris Canonibus præfinito; Adhibitis tamen et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, vel ipsis deficientibus, aliis Personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, *od n.* 26. — 27. Appellatione personarum in Ecclesiastica dignitate constitutarum, de quibus loquitur Concilium, non comprehenduntur Prælati Regularium Mendicantium. — 28. Abbates non debent interesse examinationi, vel processui, sed tantum solemni et actuali degradationi assistere, ut Assessores. — 29. Ordinarius potest adhibere alias personas in dignitate Ecclesiastica constitutas etiam non Diœcesanas. — 30. Prælati Regulares de jure communi non habent potestatem degradandi degradatione Reali, seu actuali, suos subditos. — 31. Unde Prælati Regulares ne-

Digitized by Google

queunt suos subditos degradare, degradatione Reali, seu actuali, et solemni, nisi illis concessum sit per privilegium, vel per consuetudinem a Romano Pontifice toleratam. — 32. Degradatio autem, seu depositio solum verbalis potest fieri ab ipsis Prælatis Regularibus.

(1. Degradatio est duplex, scilicet Verbalis, et Realis, seu actualis. Degradatio verbalis (quæ et depositio solet appellari; arg. cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. ibi: « Verbalis degradatio, seu depositio ab ordinibus, » et nota Fagn. in Cap. *Qualiter* 24. de Accusationibus, num. 76. Barbosa de Offic. et potest. Episcopi part. 3. alleg. 110. num. 1. Reiffenstuel lib. 5. Decretal. tit. 37, n. 22. et alii) est illa, quæ fit per solam, et simplicem sententiam, qua Clericus criminosus ab Ordinibus Clericalibus, seu ab eorum executione depositus perpetuo declaratur; ita ut censeatur privatus omni Ordine, et munere Clericali, v. g. Sacerdotali, Episcopali, et hoc ipso etiam officio, et Beneficio, ut tenet communis Doctor. arg. cap. *At si Clerici* 4. de Judiciis; c. *Ut Clericorum* 13. de Vit. et honestat. Cleric. cap. *Insinuatum* 3. de Simonia, cap. *Latores* 4. de Clerico excommunicat. ministrant. et c. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. Per hanc tamen degradationem verbalem Clericus non amittit privilegium Fori, et Canonis; (2. Barbosa l. c. n. 3. cum Menoch. Sigismund. Scaccia, Navar. Galet. Sayr. Bonacina, Carol. de Grassis, Valentia; et aliis ibi ab ipso citatis, Reiffenstuel loc. cit. num. 34. et alii. (3. Nec sic degradatus amittit characterem impressus, cum sit indelebilis; cap. *Ostenditur* 30. dist. 4. *de Consacrat.* (4. Clericus enim sic degradatus (si sit Sacerdos) adhuc conficit Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi sit Hæreticus, si utatur debita materia, forma, et intentione, sicuti etiam valide absolvit pro mortis articulo moribundum; Barbosa loc. cit. num. 5. cum communi aliorum (5. Et Clericus sic degradatus, si ex aliqua justa causa restituatur ad Ordines Clericales, non debet de novo Sacris insigniri, quia Clericus sic degradatus, adhuc dicitur Clericus, licet vere non sit in eadem dignitate constitutus, in qua erat ante degradationem; Glossa in cap. *Accedens* dist. 50. et in cap. *Ad abolendam*, verb. *Prærogativam*, de Hæreticis et in d. cap. *Degradatio*, verb. *Privilegia*, de pœnis in 6. Decian. cons. 19. num. 115. l. 3. Carol. de Grassis de effectib. Clericor. effect. 1, num. 834. in fine; Martha de jurisdict. part. 4, cap. 131. a n. 3. Barbosa l. c. n. 6 et 7. cum aliis.

(6. Degradatio realis, seu actualis est, quando ultra depositionis sententiam ob incorrigibilitatem Clericus actualiter privatur, exauctoratur, exuitur, et spoliatur omni Ordine, munere, et privilegio Clericali, et omni Beneficio, et officio per detractionem insignium Clericalium cum solemnitate a jure præscripta, et traditur Curiæ sæculari ab eadem juxta leges puniendus; Barbosa loc. cit. n. 4. cum communi, et certa aliorum; arg. cap. *Felix* 2, caus. 15, quæst. 7, cap. *Cum non ab homine* 10. de Judiciis; cap. *Novimus* 27. de verb. significat. cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. Conc. Trid. sess. 13, cap. 4, de Reformat. (7. Per hanc Degradationem Realem, seu actualem Clericus amittit privilegium Fori et Canonis; Privilegium quidem Fori, in quantum ejicitur a Foro Ecclesiastico, et traditur Foro, seu Curiæ sæculari puniendus, ac si esset Laicus juxta leges civiles de commissis delictis, quamvis dum Clericus degradatus traditur Curiæ Sæculari, debeat Ecclesia efficaciter pro eo intercedere, ut citra mortis periculum quoad eum sententia moderetur, textu expresso in cap. *Novimus* 27. de verbor. significat. ibi: « Pro quo debet tamen Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur; » Amittit etiam sic degradatus privilegium Canonis, ita ut ejus invasor, aut percussor quamvis injustus, non incurrat excommunicationem latam in percussores Clericorum: arg. cit. cap. *Novimus* 27. de verborum significat. ibi: « Degradatus tamquam exutus privilegio Clericali, Sæculari Foro per consequentiam applicetur, » et cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. ibi: « Degradamus, et exuimus te omni Ordine, Beneficio, et officio Clericali. » (8. Non privatur tamen sic Degradatus charactere Ordinis, quia est indelebilis; cap. *Ostenditur* 30. dist. 4. *de consecrat.* Neque potestate valide consecrandi (si fuerit Sacerdos) quia et hæc potestas est simpliciter inimpedibilis; Neque facultate valide absolvendi pro mortis periculo moribundum, quia pro tunc nulla est reservatio casuum. (9. Nec sic degradatus liberatur ab onere recitandi Horas canonicas, aut servandi perpetuam castitatem, ne alioquin ex suis delictis commodum reportet. Sic communis Doctorum. Sacra tamen Congr. Conc. 13 Aug. 1707. et 18 Aug. 1708. et 15 Decemb. 1719. noluit decidere, quod damnatus ad Triremes teneatur recitare Officium Divinum. Immo neque Clem. XI. cui ipsa Congregat. Concil. dubium resolvendum reservaverat. Vide Ursayam verb. *Officium* num. 42. littera *O* in Miscellaneo Sacro, et profano parte prima.

(10. Crimina, ob quæ de jure deveniri potest ad degradationem, seu depositionem verbalem, sunt Adulterium, Concubinatus, Simonia notoria, Stuprum, Incestus, Furtum, Perjurium, Homicidium, aliaque delicta istis graviora, uti in titulis respectivis de his criminibus habetur; et colligitur ex cap. *At si Clerici* 4. de Judiciis § *de Adulteriis*; cap. *Si autem* 6, de cohabitat. Clericorum et Mulier. et ex Concil. Trident. § 32. in Decret. de observandis in celebratione Missæ, ubi expresse mandatur Episcopis, « Ut neminem, qui publice et notorie criminosus sit Sancto Altari ministrare permittant; » et tenet communis Doctorum cum Barbosa loc. cit. num. 10. (11. Crimina

Digitized by Google

vero, ob quæ de jure potest deveniri ad degradationem realem, seu actualem sunt 1. *Hæresis*, c. *Ad abolendam* 9. cap. *Excommunicatus* 13. § *Damnati*, de Hæreticis; cap. *Quoniam* 1. et cap. *Super eo* 4. eod. tit. in 6. — 2. *Crimen falsificationis* literarum apostolicarum, cap. *Ad falsariorum* 7. de crimine falsi. — 3. *Crimen insidiarum* et conspirationis in proprium Episcopum; cap. *Si quis Sacerdotum* 18. et cap. *Statuimus* 41. caus. 1. q. 1. — 4. *Crimen assassinatus* in Clerico; arg. cap. *Pro humani* 1. de homicid. in 6. — 5. *Incorrigibilitas Clerici* post servatos aliarum pœnarum gradus; arg. cap. *Cum non ab homine* 10. de judiciis. — 6. *Crimen nefandum* contra naturam ex Constitutione S. Pii V. incipiente: *Horrendum illud scelus.* — 7. *Crimen non Sacerdotum*, qui audent Missas celebrare, ex Constitut. Clementis VIII. incipiente: *Et si alias.* — 8. *Crimen eorumdem non Sacerdotum*, qui audent Confessiones Sacramentales excipere ex eadem Const. Clementis VIII. incip. *Et si alias.* — 9. *Falsificatio et Adulteratio Monetarum* intra Italiam, ex Constitut. Urbani VIII. incip. *In suprema* (1).

Notandum cum sæpe laud. Episc. Maraviglia, quod extra casus statutos a Jure Canonico, et a Summis Pontificibus, nullam habent Episcopi jurisdictionem degradandi; nec devenire possunt ad degradationem, et traditionem Curiæ sæculari, nisi auctoritate a Jure Canonico expresse concessa, quæ in certis casibus numquam intelligitur concessa. Vide in citato Auctore Leges 285. et 286. *Prudentiæ Episcopalis.*

(12. Forma autem solemnitatis, quæ in degradatione reali, seu actuali servanda est; habetur expressa a Bonifacio VIII. in cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. his verbis; « Clericus igitur vestibus Sacris indutus in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum, seu ornamentum, ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi præsentiam adducatur, cui Episcopus publice singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quævis alia, quæ illi juxta morem ordinandorum Clericorum in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita, seu collata, singulariter auferat, ab illo vestimento, seu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimo, inchoando, et descedendo gradatim, degradationem continuet, usque ad primam vestem, quæ datur in collatione primæ Tonsuræ: tuncque radatur caput illius, seu tondeatur, ne Tonsuræ, seu Clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem illius appositis, quæ in collatione Ordinum sunt prolata dicendo Presbytero hæc vel similia verba in remotione Planetæ: Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, et te honore Sacerdotali privamus: sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis utens. In ablatione ultimi, quod in collatione Ordinum fuit primum, infrascripto, vel alio simili modo pronunciet, seu dicat: Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, et deponimus, degradamus, et exuimus te omni Ordine, Beneficio, et Privilegio Clericali. »

(13. Ex quibus colligitur degradationem realem, seu actualem, et solemnem non posse fieri nisi ab Episcopo, ut clare innuunt verba illa: « Ad Episcopi præsentiam adducatur, cui Episcopus, » etc..... « Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis, » etc..... et sic tenet communis Doctorum; arg. Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. *de reform.* ibi: *Per se ipsum.* (14. Immo Episcopus debet esse consecratus, et non sufficit Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus ut tenet Barbosa l. c. num. 24. Glossa communiter recepta in cap. 4. *Transmissam* 15. de election. verb. *de talibus;* et ratio est, quia, ut ibidem recte notat Glossa, degradatio realis, seu actualis videtur, actus Ordinis Episcopalis, et consequenter non nisi ab Episcopo consecrato fieri potest. (15. Quinimo degradatio realis est taliter Ordinis Episcopalis, ut nequeat ab Episcopo demandari, neque Abbatibus Presbyteris, et solemniter benedictis, aliisque quibuscumque Clericis se inferioribus; arg. cap. *Aqua* 9. de consecrat. Eccles. vel Altaris, ibi: « Quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare; » cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. per verba citata, et notata sub num. 14. et Conc. Trid. cit. sess. 13. cap. 4. *de reformat.* ibi: « Per se ipsum actualem, atque solemnem degradationem; » et sic cum communi tenet Fagnan. in cit. cap. *Aqua*, de consecrat. Eccles. num. 21 et seq. (16. Degradatio vero verbalis potest fieri ab Episcopo electo, et confirmato, licet nondum consecrato; quia degradatio verbalis non est actus ordinis, sed jurisdictionis, qua jurisdictione gaudet Episcopus electus, et confirmatus, quamvis nondum consecratus. (17. Et sic per eamdem rationem talis verbalis degradatio potest fieri etiam per Vicarium Generalem Episcopi, textu expresso in Conc. Trid. cit. sess. 13. cap. 4. *de reform.* ibi: « Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem, contra Clericum in sacris, etiam Presbyteratus, Ordinibus constitutum etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem..... procedere liceat. » (18. Et sic etiam per eamdem rationem talis verbalis degradatio fieri potest. Sede vacante, a Capitulo, vel Vicario Capitulari de speciali Capituli mandato, cum, Sede vacante, Capitulum succedat in jurisdictione Episcopi, cap. *His quæ II.* et cap. *Cum olim* 14. de majorit. et obedient.

(19. Ad degradationem, seu depositionem faciendam requirebatur olim certus numerus Episcoporum. (20. Pro deponendo Episcopo requirebantur duodecim Episcopi; c. *Si quis tumidus* 3. et c. *Felix Episc.* 4. c. 15. q. 7.

(1) Immo vide Bened. XIV, de Synod. Diœces. l. 9, c. 6, § 9, ad fin. qui mirifice quæstionem expendit. (Edit. Barbell.)

Digitized by Google

(21. Pro deponendo Presbytero requirebantur Episcopi sex; c. *Si quis tumidus* 3. et c. *Felix*. 4. c. 15. q. 7. (22. Pro deponendo Diacono Episcopi tres; c. cit. *Si quis tumidus*, et c. *Felix*. (23. Pro deponendo Subdiacono, licet per Canones antiquos numerus explicite declaratus non fuisset, ex quo tunc temporis nondum fuerat declaratum, Subdiaconatum esse de Majoribus Ordinibus; tamen quia ex post fuit declaratum Subdiaconatum gaudere privilegio Ordinis Sacri, sicut Diaconatus, cap. *Miramur* 7. de servis non ordinandis, ibi : « De subdiaconali Ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis, expresse videtur nobis, quod et is cum Diaconali gradu privilegio gaudet eodem; Nam licet sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen a Constitutione Gregorii, atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur; » Ideo Glossa in cap. *Quoniam* 1. de Hæreticis, verb. *Canonibus* in 6. et in cap. *Degradatio* 2. de pœnis, verb. *Canonibus* eod. in 6. expresse dicit, tres etiam Episcopos ad deponendum Subdiaconum fuisse requisitos. (24. Pro deponendo vero Clerico in Minoribus, unus solus Episcopus sufficiebat; cap. *Si autem* 5. causa 15. quæst. 7. et cap. *Degradatio* 2. de pœnis, ibi : « Quamquam proprii Episcopi Sententia sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in Degradatione eorum, qui minores dumtaxat Ordines receperunt. » (25. Hodie tamen standum est dispositioni Concil. Trident. quod sess. 13. cap. 4. *de reformat.* statuit, ut adversus Clericos etiam in Sacris Ordinibus constitutos ad condemnationem, nec non verbalem depositionem procedere possit Episcopus tam per se ipsum, quam per illius Vicarium in spiritualibus Generalem; Ad actualem vero, atque solemnem degradationem, per se ipsum non adhibito numero Episcoporum a Sacris Canonibus præfinito; adhibitis tamen, et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum Mitræ, et Baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate, aut in Diœcesi reperiri, et commode interesse possint; alioquin aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac Juris scientia commendabiles existant.

(26. Sic ibi fere iisdem verbis loquitur Concilium, quod cap. 8. ejusdem sessionis 13. de caus. Episcoporum, sic præcise statuit, ibi : « Causæ Episcoporum, cum pro Criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur. »

(27. Ex declaratione autem Sacræ Congregationis teste Fagnano lib. 3. Decretal. in cap. *Aqua* 9. de consecrat. Eccles. num. 31. et seq.; appellatione Personarum in Ecclesiastica Dignitate constitutarum, de quibus loquitur Concilium, non comprehenduntur Prælati Regularium Mendicantium; cum non habeant nomen dignitatis. (28. Et Abbates non debent interesse examinationi, vel processui, sed tantum possunt solemni, et actuali degradationi assistere ut Assessores. (29. Et Ordinarius potest adhibere alias personas in Dignitate Ecclesiastica constitutas etiam non Diœcesanas. Sic apud Fagn. loc. cit

(30. Quantum autem ad Regulares spectat, dicendum est, quod de jure communi eorum Prælati non habent potestatem degradandi Degradatione reali, seu actuali suos subditos, quia Jus commune designat solum ad hoc munus Episcopum, c. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. ibi : « Ad Episcopi præsentiam adducatur... Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi, » et concordat Concil. Trident cit. sess. 13. cap. 4. *de reform.* ibi : « Episcopo..... per se ipsum etiam actualem, atque solemnem degradationem, » etc. Et ratio est, quia sicuti admittere ad Ordines seu ordinare solum spectat ad Episcopum, sic et dejicere ab illis, eo modo, quo fieri potest talis dejectio, solum spectabit ad illum, cum Degradatio realis, seu actualis, et solemnis videatur actus Ordinis Episcopalis, ut notat Glossa communiter recepta in c. *Transmissa* 15. de election. verb. *de talibus*, arg. cit. Concil. sess. 13. c. 4. *de reformat.* ibi : *Per se ipsum.* (31. Unde Prælati Regulares nequeunt suos subditos Degradare Degradatione reali, seu actuali, et solemni, nisi illis concessum sit per privilegium, vel per consuetudinem a Romano Pontifice toleratam. Barb. de offic. et potest. Episc. pag. 3. allegat. 110. n. 25. cum Sayro, Silvestro, Avila, Bonacina ibi citat. Lezana in Summa verb. *Degradatio* num. 2. qui ex aliis subjungit, nullum tale privilegium extare, quod viderit; nec ullam talem extare consuetudinem, quam audiverit. (32. Degradatio autem, seu depositio solum verbalis potest fieri ab ipsis Prælatis Regularibus, ut admittit Aldrete sub leg. 1. c. 3. n. 24. et 25. citat. ab ipso Lezana loc. cit. n. 3. in fine. Talis enim simplex, seu verbalis depositio; vel Degradatio non est actus Ordinis, seu jurisdictionis; cum posset fieri etiam a Vicario Generali Episcopi ex Conc. Trid. citat. sess. 13. cap. 4. *de reform.* ibi : « Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem contra Clericum in sacris, etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem... procedere liceat. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. De veteri et nova Ecclesiæ Disciplina circa Degradationem, legendus est, licet caute, Bohemer. in Decretal. lib. 5. tit. 37. a § 8. ad plur. seq.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(34. Antiquissimam in Ecclesia fuisse degradandi consuetudinem adeo certum est, ut nulla indigeat probatione : sed non ita ex nostro Auctore constat, qua deinde pœna Clerici Degradati post Degradationem plecterentur. Antiquiori ævo usque ad Constantinum Magnum Imperatorem cum Christiani Sæculares Magistratus non haberent, quibus Clerici Degradati ab Episcopis traderentur,

Digitized by Google

canones vulgo Apostolorum, et Patres coævi, ubi ob crimina multa deponendos Clericos mandarunt, nullum de Clericorum traditione Laicis Judicibus verbum faciunt S. Cyprianus Episc. Carthag. et Martyr. epist. 3, ad Rogatium. « Si ultra te contumeliis suis exacerbaverit, et provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, et eum vel deponas vel abstineas. » Petrus Alexandrin. epist. canon. cap. 10. apud Bevereg. tom. 2. « Non est æquum, ut vel Clerici, qui sua sponte aufugerunt, lapsi autem et reluctati sunt, amplius in sacro ministerio maneant. » (35. Sed delinquentes prius ab ordinibus, et dignitatibus deponebant, quibus peractis, si adhuc in criminibus persistebant, ab omni fidelium consortio excommunicatione majori segregabant, ut ipsos ita ad pœnitentiam reducerent, ut liquet ex can. 27. *vulgo Apost. text.* in cap. *Si quis* 2. de Cler. exc. vel depos. minist. S. Gregor. M. in can. *Accedens.* 10. dist. 50.

(36. Restituta vero Ecclesiæ tranquillitate, eique a Constantino Magno concessa temporali etiam in causis profanis jurisdictione, et Clericorum exemptione a laico Christianorum Magistratuum foro, mos inde paulatim invaluit, ut ipsi Episcopi post adhibita inutiliter omnia Ecclesiastica remedia, Clericos contumaces tandem ritu publico degradarent, mox in manus laicæ potestatis legitimis pœnis citra sanguinem comprimendos traderent. Concil. Carthagin. III. in can. *Si quis cum Clericos* 45. caus. 11. quæst. 1. S. Augustin. in can. *Forte in populo* 11. caus. 23. quæst. 4. (37. Sed non semper Clerici exauctorati Sæculari Curiæ tradebantur, ut vel morte, vel alia capitali plecterentur pœna, ut hodie contingit, (38. sed ab Ecclesiastici gradus honore dejecti, et clericalibus exuti prærogativis, Curiæ Regiæ addicebantur, ut ad instar aliorum civium publicis laicorum muneribus fungerentur, sicque spem omnem amitterent regressus ad pristinum statum clericalem, ut ex lege Honorii Imperatoris 39. tit. 2. lib. 16. Cod. Theodos. deducit Gothofred. Justinianus vero Imperator solemnem Degradationis formam probasse, dum *Novell.* 83. § 2. jussit, ut antequam pœnis legitimis contumaces Clericos afficeret Laica Potestas, eos prius Ecclesiastica dignitate spoliaret Episcopus. Bened. XIV. de Synodo Diœces. lib. 9. cap. 6. § 6.

(39. Sed cum Ecclesia a sanguinis effusione semper abhorruerit et indecorum reputaverit, ut in manus laicas Persona Ecclesiastica incideret, (40. hinc antiqui Patres etiam atque etiam studuerunt, ut traditionem eorum, quos a sacris ordinibus deponerent, ad laicalem Curiam declinarent, ipsosque potius in Monasterio detrudebant, ut ibidem commissorum criminum pœnitentiam agerent. Can. *Si Episcopus* 7. distinct. 50. can. *Si quis Clericus* 10. distinct. 81. multisque adductis testimoniis Conciliorum [illegible] Bened. XIV. loc. cit. § 2. et nos Tamburinus Gagliard. Instit. Canonic. lib. 4. tit. 15. de pœnis et censur. Eccles. § 11. de depositione, et Degradatione num. 115. et plur. seq.

(41. Dubitari posset an hujusmodi solemniter Degradati ipso jure in manus laicas incidant, adeo ut Sæculares judices propria auctoritate eosdem valeant in carcerem conjicere, et condemnare non expectata Episcopi traditione, an potius eosdem recipere debeant e manibus Episcopi. Consultus de hoc Innoc. III. a Parisiensi Episcopo in cap. *Novimus* 27. de verbor. signif. respondit. « Degradatio celebranda est præsente sæculari potestate, ac pronunciandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum recipiat Degradatum, et sic intelligitur Curiæ tradi sæculari, pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum, circa eum sententiam moderetur. »

(42. Post hæc nihilominus quidam adhuc tenent, superius relatam constitutionem locum habere in omnibus casibus, excepto delicto assassinii, et læsæ majestatis, ut ex Concilio Lugdunensi I. sub Innocent. IV. celebrato colligi posse videtur c. *Pro humani* 1. § 2. de homic. in 6. « Quicumque prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica sæcularisve persona quempiam Christianorum per assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, (quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur), aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis et depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, et beneficio incurrit sententias ipso facto. . . et postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem tantum scelus commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversus eum sententia requiritur. » (43. Contraria nihilominus invaluit opinio, ut semper requiratur actualis traditio Judicis Ecclesiastici, licet ex juris dispositione post patrata hujusmodi scelera illico delinquentes ab Ecclesiastico cœtu sejuncti reputentur. Benedict. XIV. loc. cit. § 3. Gagliard. l. c. num. 118. et seq.

(44. Quæritur postremo, an aliqua depositis vel Degradatis supersit spes ad amissos ordinum gradus redeundi? Patres communiter tenent, restituendos esse ubi liquido de manifesta, et sincera pœnitentia, atque de evidenti constet emendatione. Ita S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, aliique relati a Gagliard. l. c. num. 127. (45. Contrariam nihilominus sententiam tenet S. Gregorius M. qui Mediolanensi Episcopo rescribens statuit. in can. *Si lapsis* 1. dist. 50. « Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor Canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare suadeat, ne hujusmodi non statuta sed temporaliter dilata credatur eis esse vindicta. » (46. Verum hæc quæstio non ita frequens poterit his temporibus excitari, cum ut plurimum non degradentur, et laicali foro tradantur nisi qui ob maxima delicta ultimum merentur supplicium. Benedict. XIV, l. c. § 7.

Digitized by Google

DELECTATIO MOROSA.

SUMMARIUM.

1. Delectatio morosa generatim sumpta quid sit. — 2. Quomodo differat a desiderio illicito. — 3. Unde dicatur delectatio morosa. — 4. Ad hoc ut delectatio morosa sit peccatum mortale, tria requiruntur; et quæ sint. — 5. Delectatio morosa est triplex, scilicet de re cogitata, de cogitatione, et de modo. — 6. Delectatio morosa voluntaria, et deliberata de re cogitata formaliter mala est peccatum mortale, vel veniale prout objectum est graviter, vel leviter malum. — 7. Delectatio morosa de cogitatione, cognitione, vel speculatione rei illicitæ non est peccaminosa. — 8. Delectatio morosa de modo artificioso, seu curioso rei illicitæ non est peccaminosa. — 9. Delectatio morosa speciem peccati non accipit a circumstantia personæ circa *quam*. — 10. Secus autem est dicendum de desiderio illicito, quo quis desiderat, vel proponit fornicari, aut peccare carnaliter cum fœmina, quam scit esse consanguineam, conjugatam, vel sacram. — 11. Ligatus voto castitatis, si morose delectetur, debet in confessione circumstantiam suæ personæ explicare. — 12. Morosam Delectationem, seu desiderium capere de re aliqua prohibita, sub conditione, *si talis res prohibita non esset*, non est peccatum mortale, quoties talis conditio vero aufert malitiam. — 13. Delectatio autem morosa, seu desiderium de objecto jure naturæ prohibito, et semper intrinsece malo sub conditione, *si liceret, si non esset peccatum*, est semper illicita, quoties objectum in nullo statu, et casu potest esse licitum. — 14. Hinc a fortiore erit peccaminosa delectatio, seu desiderium de rebus quibusvis malis sub aliqua conditione, quæ quamvis a parte rei purificaretur, et poneretur, nullo modo auferret malitiam actus. — 15. Delectatio morosa de re materialiter tantum mala v. g. de pollutione, homicidio, et hujusmodi factis sine culpa in somno, ebrietate, amentia, ex ignorantia, vel errore invincibili, est peccaminosa, sicuti sunt tales res in se. — 16. Licita tamen est talis delectatio, si fiat de ipsis rebus, seu actionibus sub aliqua ratione boni. — 17. Sic etiam licita est delectatio de ejusmodi re materialiter mala, quatenus causa fuit alicujus boni effectus. — 18. Si tamen delectatio, gaudium, vel affectus animi tenderet in ipsam rem, non liceret. — 19. Desiderare rem materialiter tantum malam, ut fornicationem, homicidium fiendum in somno ebrietate, ignorantia invincibili etc. est peccatum mortale ejusdem speciei cum actu desiderato. — 20. Licitum tamen est desiderio, vel affectu simplici, et inefficaci optare ut pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria in somno eveniat ob aliquem bonum finem. — 21. Adducitur instantia, et solvitur, *ad n.* 22. — 23. Dummodo tamen caveatur, ne illud desiderium sit ita intensum, ut moraliter evadat efficax, et probabilius credatur fore causa ipsius pollutionis. — 24. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. — 25. Immo conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjuge absente, cogitans, in re cogitata morose delectetur. — 26. Peccat autem semper mortaliter conjux, dum in actu conjugali cum propria conjuge morose delectatur in imaginatione alterius personæ sibi mentaliter confictæ quasi præsentis, loco conjugis. — 27. Delectatio morosa venerea, et directe voluntaria, tam ex copula futura cogitata, quam ex cogitationibus, tactibus, osculis, amplexibus libidinosis est sponsis prohibita sub mortali. — 28. Oscula autem, tactus, et amplexus non impudici licite fiunt inter sponsos, quando fiunt secundum consuetudinem patriæ in signum benevolentiæ, ad conciliandum, et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium, quamvis præter intentionem, et secluso periculo consensus, sequeretur commotio nonnulla sensibilis. — 29. Cavendum tamen est, ne in istis osculis, tactibus, et amplexibus habeatur illa delectatio carnalis, et sensibilis damnata ab Alexandro VII. — 30. Viduæ mortaliter peccant, si voluntarie consentiant in motum delectationis sensitivæ, qui ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur. — 31. Adducitur instantia, et solvitur. — 32. Licita tamen est eis delectatio rationalis; Possunt enim Viduæ habere gaudium, ac delectationem rationalem tantum voluntatis de copula præterita, et delectatione annexa.

(1. Delectatio morosa, generatim sumpta, est *simplex complacentia voluntaria de re illicita sine intentione opere implendi*. (2. Differt a desiderio illicito per hoc, quod ipsa Delectatio morosa sistat in mera complacentia interna operis illiciti sine intentione progrediendi ad ipsam operis executionem; desiderium vero sit actus voluntatis efficax, quo voluntas appetit, et vult actum peccaminosum etiam ipso opere externo perpetrare, si adesset facultas. (3. Talis Delectatio dicitur *morosa* non a mora temporis, quia cum consistat in actu interno, potest consummari etiam in instanti; sed a mora, ac immoratione rationis, seu consensus, et advertentiæ sufficientis, ut sit peccatum, id est a mora ipsius voluntatis, quæ advertens malitiam suæ cogitationis, nihilominus perseverat morose in ipsa, ac sibi in ea complacet, cum ipsam expellere deberet: Unde si quis per longum tempus detineatur in Delectatione morosa actus pravi v. g. fornicationis, quam cogitat, sed non plene advertat ad malitiam gravem ipsius Delectationis, nec plene consentiat in ea detineri, licet in hoc casu intercedat mora temporis, non erit Delectatio morosa, nec peccatum mortale, ex quo non adsit mora rationis, seu consensus, ac advertentiæ sufficientis ut sit peccatum mortale. (4. Hinc ad hoc ut Delectatio morosa sit peccatum mortale, tria requiruntur; 1. quod objectum, circa quod versatur, sit mortaliter peccaminosum, 2. quod homo advertat se habere talem Delectationem, 3. quod post plenam advertentiam non expellat, vel saltem expellere non conetur, sed præbeat assensum. Sic communis Doctorum (1).

(1) De solo assensu, sive consensu *expresso* loqui videtur Auctor; de *implicito*, seu interpretativo, et *dubio* tacet, quamvis sit eorum necessaria cognitio. Quoad *implicitum* hæc habet ex D. Thoma quæst. 15. de Veritate art. 4. antequam ratio Delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratio Delectatione insurgente, et de nocumento consequente, utpote cum percipit homo se totaliter per hujusmodi Delectationem in peccatum inclinari, et in præceps ruere, nisi expresse resistat, videtur consentire. Et tunc peccatum ad rationem transfertur per actum ejus. Quoad *dubium* hæc scribit S. Bonaventura in 2. Sent. dist. 24. part. dub. 1. et art. 2. qu. 2. Multa frequenter creduntur esse venialia, quæ mortalia sunt, et difficilli-

Digitized by Google

(5. Delectatio morosa est triplex, scilicet de re cogitata, de cogitatione, et de modo. (6. Delectatio morosa voluntaria, et deliberata de re cogitata formaliter mala, est peccatum mortale, vel veniale, prout objectum est graviter, vel leviter malum. Est communis cum S. Thoma, 1, 2, qu. 74, art. 8. Navarr. cap. 11, n. 13. Sanchez, lib. 1. Moral. cap. 2, num. 9. Layman. lib. 1, tract. 3, cap. 6, num. 4. Sporer, tom. 1, tract. 1, cap. 6, num. 23. Azorius, lib. 4, cap. 6, qu. 1. Silvester, verb. *Delectatio*, q. 1, Less., lib. 4, de just. cap. 4, dub. 15, et alii passim. Et colligitur ex Osca, 10, ibi : *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt;* et ex Matthæi, 5, num. 28, ibi : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, et ex Apostolo *ad Galatas*, 5, n. 19, ibi : *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, etc. Certum est autem Delectationem morosam veneream esse impudicitiam, vel immunditiam cordis, adeoque est inter illa peccata, de quibus, ibid., num. 21, dicitur : *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Unde S. Augustinus, lib. 12, de Trinit. c. 12, expresse dicit : « Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ, sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, peccata, per Mediatoris gratiam remittantur. » Et ratio est, quia, qui Delectatur de re cogitata formaliter mala, approbat illam uniendo, et conformando suum affectum illi; nemo enim Delectatur nisi in hoc, quod ei placet, et quod re ipsa amat : ergo sicuti objectum cogitatum est malum, ita etiam Delectatio, cum formalis malitia actus desumatur per ordinem ad objectivam; et ejusdem malitiæ, et bonitatis sint operatio, et ejus Delectatio, ut inquit Philosophus, 10, Ethicorum, cap. 3, ad finem. Tum quia voluntarie, et deliberate Delectari de peccato carnali cognito, est peccatum mortale, Ex communi Doctorum; Sed eadem omnino est ratio de quacumque re illicita mortaliter, ut perjurio, blasphemia, homicidio, furto, etc. Delectatio morosa peccaminosa locum habet etiam in aliis materiis, et qua ratione ipsa peccata externa erunt mortalia, vel venialia in quacumque materia fuerit. v. g. homicidii, perjurii, et hujusmodi, etiam Delectatio morosa de iisdem erit mortalis, vel venialis.

(7. Delectatio morosa de cogitatione, cognitione, vel speculatione rei illicitæ non est peccaminosa; non enim peccat, qui legendo, confessiones excipiendo, cum aliis discurrendo, percipit varias peccatorum

species, modos miros, et artificiosos, et oblectatur, seu Delectatur, et gaudet, non de ipsis peccatis, sed de peccatorum cogitatione ac cognitione acquisita. Et ratio est, quia objectum hujus Delectationis, scilicet ipsa cogitatio, vel cognitio rei peccaminosæ, per se non est peccaminosa, adeoque neque erit peccaminosa talis Delectatio, cum talis sit Delectatio, quale est objectum : antecedens patet; quia intellectus naturaliter fertur in objectum suum, ut verum, quod æque reperitur in rebus bonis, ac malis, nec minus intellectui bonum est verum, seu veritas de rebus illicitis, et malis, ac de rebus licitis, et bonis, adeoque, etc. Est communis (1).

(8. Delectatio morosa de modo artificioso, seu curioso rei illicitæ non est peccaminosa. Non enim peccat, qui intelligendo, et percipiendo aliquos miros, et artificiosos modos, ac inventiones furandi, sponsam rapiendi, hominem occidendi, hostem in bello decipiendi, et hujusmodi, oblectatur, et ridet, non de ipsis malis factis, sed solum de modo curioso, subtili, et artificioso; Et ratio est quia tunc voluntas non Delectatur de malo, ut malum est, sed de aliqua ratione boni in malo, seu peccato inventa, et considerata, v. g. aliqua curiosa, subtili, et artificiosa inventione, dexteritate, fortitudine, et hujusmodi; Stare enim potest quod modus artificiosus, quo sit malum, Delectet, et ipsum malum factum valde displiceat, uti accedit de facto in pluribus casibus, verb. gr. cum audimus narrari fraudes, insidias, latrocinia, homicidia, clandestina matrimonia, et hujusmodi, novo quodam artificioso modo, mira, et subtili inventione patrata, ridere solemus, et Delectatione allici, non quod de talibus malis gaudeamus, cum ipsa maxime detestemur, sed quod curiosa naturaliter Delectent : Sic cum videndo aliquem ridicule cadentem ex equo, seu naso prono cadentem in lutum, et hujusmodi, ridemus, non lapsum, de quo dolemus, sed solum lepidum, vel ridiculum cadendi modum, et sic de similibus morosis Delectationibus, quæ per se loquendo non sunt peccata, ut cum communi docent Cajetanus, verb. *Delectatio morosa;* Azorius, lib. 4, cap. 6, qu. 1. Suarez de peccatis disput. 5, sect. 5, num. 7. Sanchez in Decalog., lib. 5, cap. 2, num. 4. Leyman, lib. 1, tract. 3, cap. 1, num. 3.

(9. Delectatio morosa speciem peccati non accipit a circumstantia personæ *circa quam*; Unde si quis simpliciter, ac præcise se oblectet cogitatione morosa peccati carnalis

mum est in talibus discernere... Si cui hoc contingat, sanum est consilium, quod de ipso ut de mortali pœniteat : in dubiis enim securior via eligenda est. (Not. Romani Theol.)

(1) Quamquam simplex alicujus rei illicitæ cognitio per se peccaminosa, vel mala esse non possit, si [illegible] consideretur, tamen cum facillimum sit [illegible] in ista contemplatione sistentem ad aliquam Delectationem pertrahi de illa re, de cujus cognitione actu Delectatur, non videtur in praxi, saltem ob periculum, cui nos subjicimus excitandi in nobis ex illa prævia cognitione pravas Delectationes, omni prorsus culpa carere prædicta cognitio, ac de eadem sumpta Delectatio. Præsertim si tales cognitiones nobis comparare studeamus; ac de illis cogitemus non ob finem honestum, sed solius curiositatis causa, nam si accedat honestus finis (accedit in Medicis, Anatomicis, Theologis ac Confessariis) prædictæ cognitiones, modo in simplici rei speculatione sistant, omni culpa vacant. (Not. Romani Theol.)

Digitized by Google

cum muliere, quatenus verb. gr. est pulchra, et venereæ oblectationis objectum, non vero quatenus est consanguinea, Deo sacrata, aut conjugata, is committit unum simplex peccatum mortale internæ Delectationis morosæ contra virtutem temperantiæ, et castitatis; nec tenetur explicare in confessione circumstantiam personæ, sed sufficit si dicat: Delectatus sum toties de copula illicita, illam cogitando, non desiderando; Sanchez, lib. 1, mor. cap. 2, num. 11. Vasquez, disp. 112, cap. 2. Azorius, cit. cap. 6, quæst. 3. Castropal., trac. 2, distinct. 2, punct. 10, § 4. Diana, par. 1, tract. 7, resolut. 48. Layman, loc. cit. num. 15. Reiffenstuel, Theolog. moral. tract. 9, distinct. 7, quæst. 2, n. 15. Felix Potestas, tom. 1, part. 2, num. 2272. Lessius, leg. 4, de just. et jur. num. 123. Verricelli, quæst. 5. Sporer, tom. 2, tract. 1, procem. cap. 6, sub. num. 24, et alii plures apud ipsos contra varios alios (1). Et ratio est, quia talis Delectatio morosa

solum tendit in actum venereum mente conceptum, non autem in circumstantiam personæ conjugatæ, consanguineæ, aut sacræ, adeoque per ipsam violatur sola castitas, non autem jus personæ conjugatæ, consanguineæ, aut sacræ, et consequenter non includit ea Delectatio malitiam adulterii, aut incestus, aut Sacrilegii in confessione explicandam, cum talis Delectatio non sit de copula cum fœmina ut conjugata, consanguinea, aut sacra, sed solum de copula cum fœmina præcise ut pulchra (2).

(10. Secus autem est dicendum de desiderio illicito, quo quis desiderat, vel proponit fornicari, aut peccare carnaliter cum fœmina, quam scit esse consanguineam, conjugatam, vel sacram, nam tunc talis circumstantia pravo desiderio, seu proposito addit specialem peccati malitiam in confessione aperiendam. Et ratio diversitatis inter morosam Delectationem, et desiderium illicitum est, quia desiderium aut propositum

(1) Ut Auctoris nostri in hanc rem, de qua disputat, opinio magis patescat, ac simul opportune refellatur, præstat hic in medium proferre doctrinam Sanchez, unde opinio isthæc, quam hic tuetur Auctor noster, aliique, profluxit. Hic itaque Sanchez scilicet in *Oper. Moral. in Præcept. Decalog. lib. 1. cap. 2. n. 11.* docet in delectatione morosa circumstantias operis externi, de quo est delectatio, manifestandas esse in Confessione; cum ab illo speciem desumat delectatio, et ejusdem sit malitiæ delectatio, atque operatio, teste Aristotile. Verumtamen adjungit hoc esse intelligendum, cum delectatio feratur in objectum secundum totam suam malitiam; tunc enim integram operis externi malitiam, ac speciem sortitur; ac proinde sicut in actu externo circumstantiæ manifestandæ sunt in Confessione, ita et in delectatione; uti si quis E. G. delectetur de concubitu cogitato cum conjugata; secus vero esse rem habere, cum delectatio non feratur in objectum secundum totam suam malitiam apprehensum, sed secundum partem, ut in feminam apprehensam, uti non suam, non tamen, ut est alteri nupta, tunc delectatio non habebit integram operis externi malitiam, sed solum apprehensam, et ea sola manifestanda erit in Confessione, et reducetur ad simplicis fornicationis speciem.

Verum hoc posterius, quod adjungit Sanchez, quodque assectatur Auctor noster, et valde probabile censet Ligorius, nobis plane non probatur. Si enim, uti docet Aristotiles, Delectatio sit ejusdem malitiæ, ac bonitatis, ac ipsa operatio, vel, ut aliis verbis docet Angelicus, nempe quod Delectatio consequatur operationem 1. 2. *q.* 74. *art.* 8, rectissime inde consequitur, quod sicut circumstantia conjugii in concubitu habito cum muliere, novam illi speciem tribuit, ac peccatum simplicis fornicationis transfert in malitiam adulterii; ita et in ipsa delectatione de concubitu cogitato cum muliere, quæ simul est et conjugata. Insuper cum Delectatio sit de aliquo objecto determinato; h. e. de copula cogitata cum muliere determinata, animus, qui per Delectationem fertur in illud objectum, fertur in omne illud, quod est eidem conjunctum, et facit unum cum ipso; ac proinde in illud ipsum fertur *implicite* secundum totam suam malitiam. Ergo quælibet circumstantia, quæ facit, ut augeatur, vel multiplicetur malitia actionis, facit etiam, ut augeatur, vel multiplicetur malitia delectationis. Quapropter qui delectatur de concubitu cogitato cum muliere aliqua determinata, quæ simul erit et conjugata, non simplicis fornicationis, sed adulterii etiam malitiam contrahet, in Confessione manifestandam; licet videatur sibi delectari de copula cogitata cum illa, quatenus mulier est, et pulchra, non quatenus conjugata. Quod enim aliquis, dum pascitur animus hujusmodi delectatione, minus perpendat, atque advertat ad circumstantiam conjugii, hoc non facit, ut ipse eximendus sit a peccato ratione illius circumstantiæ; cum culpabilis defectus advertentiæ ad malitiam actionis, aut ad illius pravam circumstantiam, neminem eximet a reatu peccati ratione illorum, quemadmodum unanimi consensu docuere sanioris Ethices assertores adversus Probabilistarum commenta; quod et in ipsa delectatione contingere nullus dubito.

Propositæ porro rationes simul cum illis, quas profert Romanus Theologus in Notula subjecta, evincere videntur, hæc quæ diximus locum habere non solum in delectatione quæsita, aut aliqua ratione procurata; sed etiam in illa, quæ in mente exoritur ex occursu alicujus objecti delectabilis, neque ullo pacto a nobis quæsita sit; modo sit de objecto determinato, licet, Romanus Theologus in sola delectatione quæsita, ac procurata id locum habere fuerit arbitratus. (*Edit. Neap.*)

(2) Si morosa Delectatio repente in nobis exorta ex occursu alicujus objecti delectabilis sit, neque ullo pacto a nobis quæsita, certe videtur non sumere peccati speciem a circumstantia personæ, *circa quam;* Secus vero existimandum est, si Delectatio fuerit aliqua via, aut ratione procurata eo præcise animo ac fine, ut Delectatio de re illa capiatur. Nam si Delectatio quæsita est, profecto respicit particularem aliquam personam, adeoque objectum cum suis circumstantiis; et licet Delectatio sit pure interna complacentia, id tamen satis non est, ut circumstantia personæ non multiplicet peccatum; nam desideria quoque interna sunt, et tamen peccata multiplicant ratione circumstantiarum. Præterea Delectatio quælibet mentem subiens, tametsi quandoque respicere videatur rem per se delectabilem a circumstantiis præcisam, tamen si attento animo res expendatur, evidens est, cadere Delectationem supra hanc determinate, et non supra aliam personam; non enim est Delectatio de re indeterminata, sed de hoc vel illo objecto: unde sit ut objectum delectabile præsens sit menti cum suis circumstantiis. Denique talis Delectatio nonne tendit in actum venereum cum ea persona exercendum, de qua habetur Delectatio? Ita plane; atqui persona determinata non potest nisi per mentem suis circumstantiis spoliari. (Not. Rom. Theol.)

Digitized by Google

fertur in objectum cum omnibus circumstantiis consideratum, et tendit in ipsam actionem externam, eamdem desiderando perficere, si posset, adeoque eamdem cum ipsa actione externa induit malitiam in confessione explicandam; Delectatio vero morosa, seu simplex complacentia, cum sequatur simplicem, et præcisivam intellectus operationem potest ferri in unum, ita ut non simul feratur in alterum ei adjunctum; adeoque cum ipsa Delectatio morosa sistat præcise in interna complacentia carnali sine ordine ad actionem externam sequestrans reliquam malitiam, quæ in ipsa actione reperitur ratione circumstantiæ consanguinitatis, conjugii, vel voti annexæ, non induit aliam militiam in confessione aperiendam; Layman, loc. cit. num. 15. Reiffenstuel, loc. cit. num. 17, et alii supracitati. (11. Ligatus autem voto castitatis, si morose Delectatur, debet in confessione circumstantiam suæ personæ explicare, quia peccat contra votum; castitas enim est virtus prohibens omnem Delectationem veneream tam internam quam externam. Est communis.

(12. Morosam delectationem, seu desiderium capere de re aliqua prohibita, sub conditione *si talis res prohibita non esset*, non est peccatum mortale, quoties talis conditio vere aufert malitiam operis; uti accidere solet in iis, quæ solo jure positivo prohibita sunt, ut *vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies Veneris, nisi esset prohibitum;* et uti interdum accidere potest etiam in aliquibus, quæ sunt prohibita jure naturæ, et sunt intrinsece mala; si Delectatio morosa, vel desiderium de iis capiatur sub conditione alicujus status, vel casus in quo possunt esse ut *vellem uxorem hanc ducere, si non uxoratus, si non essem Sacerdos, si non essem voto adstrictus; vellem prædari, si Deus permitteret*, communiter tenent Cajet. verb. *Cogitationum peccata*, Adrian. quodlib. 10. art. 2. conclus. 1. Sanchez lib. 1. moral. cap. 2. num. 24. Vasquez disp. 110. c. 1. Azor. l. 4. cap. 6. q. 10. Layman lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 10. Busembaum l. 5. cap. 1. dub. 2. art. 1. Lugo de Sacrament. Pœnit. disp. 16. sect. 6. num. 388. Sporer tom. 1. tract. 1. proœm. cap. 6. num. 19. et 34. et alii. Et ratio est, quia tales actus inefficaces tendunt in actum externum, non ut finem, vel terminum fiendum a parte rei, sed præcise ut in objectum propositum per intellectum, ideoque ab eo non plus malitiæ suscipit, quam proponatur per intellectum: atqui intellectus proponens objectum sub tali conditione auferente omnem malitiam actus, nullam in actu malitiam proponit; ergo nullam inde sumit malitiam ejus desiderium, seu volitio, vel Delectatio conditionata, et inefficax. Hinc quamvis desiderium, et Delectatio de esu carnium in die Veneris sit quid illicitum, stante prohibitione, apposita tamen illa conditio, *Nisi esset dies Veneris, nisi esset prohibitum*, aufert omnem malitiam ejus, dempta prohibitione, comedere carnes (sic de cæteris solo jure positivo prohibitis) sit intrinsece, et secundum substantiam bonum, ac licitum. Sic etiam quamvis prædatio, et Delectatio de ea, sit jure naturæ prohibita, in speciali tamen casu, quo Deus illam permitteret, esset licita, adeoque talis conditio, *Si Deus permitteret*, aufert omnem malitiam; sicuti quamvis uxorato, et Sacerdoti, seu alteri voto castitatis adstricto sit jure naturæ prohibitum ducere uxorem, et de ea oblectari, quia tamen tale desiderium, seu delectatio esset solum sub conditione illa, *Si non essem uxoratus, Sacerdos, seu voto castitatis adstrictus*, talis conditio aufert omnem malitiam a tali conditionato desiderio, seu conditionata Delectatione, quia pro eo statu, quo quis non est uxoratus, nec voto castitatis adstrictus, non est sibi interdictum uxorem ducere, et de ea delectari, ut patet de licito usu conjugii.

(13. Delectatio autem morosa, seu desiderium de objecto jure naturæ prohibito, et semper intrinsece malo, sub conditione *si liceret, si non esset peccatum*, est semper illicita, quoties objectum in nullo statu, et casu potest esse licitum; uti est delectari in his objectis, *Odissem Deum, si non esset peccatum; blasphemarem, si liceret*, et hujusmodi. Est communior cum Adrian. Sanchez, Azor. Layman, Busembaum, Sporer locis citatis; Suarez de peccatis d. 5. sect. 5. n. 10. Rhod. d. 1. q. 3. sect. 3. § 3. Loth. tr. 12 q. 2. art. 5. La Croix lib. 5. num. 82. aliisque multis contra Cajetan. Salas, Castropal. Oviend. Carden. Herincx, et alios. Et ratio est, quia cum talis conditio sit pro omni statu, et casu impossibilis, numquam potest auferre malitiam objecti jure naturæ prohibiti, et semper intrinsece, et substantialiter mali; in nullo enim statu hominis, et casu potest verificari quod liceat odio habere Deum, blasphemare, et hujusmodi, ergo etc. antecedens est clarum, quia ratio v. g. blasphemiæ est semper intrinsece mala in quocumque statu, et casu, uti supponitur; sed ratio blasphemiæ non separatur nequidem intentionaliter, ergo nec ratio malitiæ. Minor est evidens, nam dicit ille, *blasphemarem si liceret*, et in hoc objecto delectatur, ergo Delectatio tendit in rationem blasphemiæ ut substantem illi pro omni statu, et casu impossibili conditioni *Si liceret;* et consequenter ratio blasphemiæ non separatur nequidem intentionaliter; adeoque voluntas adhuc actuali suo affectu, et Delectatione fertur in rem mortaliter malam, et sic adhuc peccabit mortaliter, ac si conditio nulla apposita fuisset. (14. Hinc a fortiori erit peccaminosa Delectatio, vel desiderium de rebus quibusvis malis sub aliqua conditione, quæ quamvis a parte rei purificaretur, et poneretur, nullo modo auferret malitiam actus, ut fit in his; *Si non esset infernus, occiderem talem hominem; Si non essem Religiosus, fornicarer; Si avolare possem, raperem gemmam*, et hujusmodi. Est communissima. Et ratio est, quia tales conditiones relinquunt adhuc totam malitiam in similibus Delectationibus vel desideriis; quamvis enim non esset infernus, adhuc mihi esset illicitum homicidium: quamvis non essem Religiosus, esset adhuc mihi il-

Digitized by Google

licita fornicatio; quamvis avolare possem, esset adhuc mihi illicitum furtum, et rapina; adeoque Delectatio, vel desiderium de talibus actibus sic conditionatis retinent, et habent adhuc eamdem malitiam, ac si talis conditio non fuisset apposita.

(15. Delectatio morosa de re materialiter tantum mala verb. gr. de pollutione, fornicatione, adulterio, homicidio, et hujusmodi factis sine culpa in somno, ebrietate, amentia, ex ignorantia, vel errore invincibili, est peccaminosa, sicuti sunt tales res in se. Est communis et certa. Et ratio est, quia tales res, seu actiones sunt in se peccaminosæ; quod autem non fuerint peccaminosæ formaliter, ideo est, quia non fuerunt voluntariæ; ergo si nunc accedat voluntas tales actiones approbans, vel de illis gaudens et delectans, talis Dalectatio voluntaria erit peccaminosa, sicuti tales res, et actiones sunt peccaminosæ in se. (16. Licita tamen est talis Delectatio, si fiat de ipsis rebus, seu actionibus sub aliqua ratione boni; ut si quis evigilans, comperta pollutione, exultet quod in somno facta sit sine culpa, et non in vigilia, quia vigilans naturæ motæ forte cessisset, et peccasset; hoc enim sanctissimum est, quia sic idem est, ac delectari, et gaudere, quod ea pollutione non peccaverit. (17. Sic etiam licita est Delectatio de ejusmodi re materialiter mala, quatenus *causa fuit* alicujus boni effectus secuti, ut quod ex pollutione involuntaria in somno secuta, cessarit tentatio, vel infirmitas; quod ex homicidio inculpabiliter facto, obvenerit hæreditas, et hujusmodi. Et ratio est, quia talis Delectatio, vel gaudium nullo modo tendit in objectum, ut malum est, sed potius in ipsum effectum bonum secutum, scilicet in cessationem tentationis, vel infirmitatis, et respective in secutionem hæreditatis, ut ex communi docent Sanchez lib. 1. Moral. cap. 2. n. 18. Vasquez 1. 2. disput. 115 cap. 3. Lessius lib. 4. cap. 3. num. 240. Lugo de pœnit. disput. 16. num. 389. Bonacina de Matrim. disput. 3. quæst. 8. num. 8. Sporer tom. 1. tract. 1. proœm. cap. 6. num. 32. et alii passim. (18. Si tamen Delectatio, gaudium, vel affectus animi tenderet in ipsam rem, utique non liceret, ut constat ex propositione 15. in ordine merito damnata ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. ibi: « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

(19. Desiderare rem materialiter tantum malam, ut fornicationem, homicidium fiendum in somno, ebrietate, ignorantia invincibili etc. est peccatum mortale ejusdem speciei cum actu desiderato. Est communis. Et ratio est, quia tale desiderium deliberate, ac voluntarie tendit in objectum ex natura sua simpliciter malum, ac peccatum mortale; et quod formaliter non sit tale, est solum quia non est voluntarium, ac deliberatum, sed hæc causa excusans peccatum in ipso opere, nempe involuntarietas, et indeliberatio, minime reperitur in ipso desiderio, quod ut supponitur, est absolute voluntarium, et

deliberatum, ergo tale desiderium est peccatum mortale ejusdem speciei cum actu, seu opere desiderato, adeoque cum hujusmodi desiderium vere, formaliter, et intrinsece sit malum, nullo etiam fine bono cohonestari poterit. Non enim quis audebit dicere, quod ad aliquem bonum finem liceat desiderare, et velle homicidium, fornicationem, vel adulterium committere in ebrietate, et hujusmodi; Unde merito ab Innoc. XI. die 2. Mart. 1679. damnata fuit sequens propositio 14. in ordine, ibi: « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. » (20. Licitum tamen est desiderio, vel affectu simplici, et inefficaci optare, ut pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria in somno eveniat ob aliquem bonum finem, verb. gr. tentationis sedandæ, vel sanitatis recuperandæ; Ita Navarr. cap. 16. num. 7. 8. 9. cum plurimis ibi citatis. Lessius lib. 4. cap. 3. num. 140. Sanchez in Decalog. lib. 1. cap. 2. a num. 18. Vasquez 1. 2. disp. 115. c. 3. Tanner. de peccat. d. 4. quæst. 8. n. 145. Platel. de pecc. n. 244. Sporer t. 1. tract. 1. c. 6. n. 34. La Croix lib. 3. p. 1. n. 932. et alii magis communiter. Et ratio est, quia pollutio mere naturaliter eveniens est mera naturalis evacuatio corporis, sicut est emissio sudoris, vel aliorum superfluorum excrementorum, adeoque licitum est affectu simplici et inefficaci optare, ut talis pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria in somno eveniat ob aliquem bonum finem.

(21. Nec valet dicere, quod sicuti non licet affectu inefficaci desiderare mortem alterius ex propositione 13. in ordine damnata ab Innoc. XI, die 2 Martii 1679, ibi: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alterius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum, » ita neque licet affectu inefficaci desiderare talem mere naturalem pollutionem. (22. Non valet, inquam, quia ideo non licet neque affectu inefficaci desiderare mortem alterius, quia est gravissimum malum physicum subjecti, quod desiderare alteri non permittit Charitas, nisi propter causam proportionatam, qualis esset spiritualis utilitas subjecti (si pater desideret mortem filii nunc in gratia Dei existentis, qui aliter certo prævidetur futurus improbus) vel temporalis utilitas Communitatis quæ aliter haberi non possit (ut si Christianus optet mortem Turcæ potius quam ut Ecclesiam vel imperium Romanum vincat) non autem privata hæreditas obventura, quæ non est causa proportionata, et sufficiens, ut possit quis optare, vel gaudere de morte patris, aut alterius, juxta propositiones 13, 14, 15, damnatas ab Innocentio XI, et supra sub n. 19 et 21, relatas. (23. E contra vero talis pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria secundum Sanchez de Matrimon. lib 9, d. 45, n. 14, et alios passim, non est

Digitized by Google

malum ne physicum quidem subjecti, vel prolis, vel communitatis, cum tale semen sit superfluum, quo se exonerat natura; adeoque licitum est desiderio, vel affectu simplici, et inefficaci optare, ut pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria eveniat in somnis ob aliquem bonum finem; dummodo tamen caveatur, ne illud desiderium sit ita intensum, ut moraliter evadat efficax, et probabiliter credatur fore causa ipsius pollutionis, quia tunc tale desiderium esset illicitum, ex quo talis pollutio non esset evacuatio mere naturalis, et involuntaria, sed moralis, volita, seu procurata (1).

(24. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale; Lessius lib. 4, cap. 3, d. 1. Sanchez lib. 1, moral. c. 2, a num. 18. Diana par. 2, tract. 3, miscell. resolut. 86. Sporer tom. 1, cap. 6, n. 43. Filliuc. Bonac. Busembaum, et alii passim. Et ratio est, quia status Matrimonii hanc delectationem excusat, ut etiam aspectus, colloquia, oscula, amplexus, et tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos, hæc enim tendunt per se ad opus conjugale, licet per accidens opus non exerceatur, et quibus licitus est finis, etiam media ad illum finem naturaliter dispositiva licita esse debent; Unde si prædicta fiant ad honestum finem. v. g. præparandi se ad copulam, aut etiam amorem conjugalem contestandi, omni prorsus culpa vacabunt. Si vero fiant absque animo copulandi, solius morosæ Delectationis gratia, culpam venialem continent, tamquam excessus in re alias licita (2). (25. Immo conjux neque mortaliter peccat, si de maritali co-

(1) Ut adnitatur Auctor noster suam hac de re sententiam nobis probare, quam non inficiamur plures magnosque Theologos olim propugnasse, ac ipse Antoine repudiare minime sit ausus; sanior tamen ac probabilior doctrina hæc est; nimirum : ut si agatur de aliquo bono effectu, qui forte consecutus fuerit ex ipsa pollutione in somnis contingente, licebit gaudere ac sibi placere de ipso bono effectu orto ex pollutione ; uti de exoneratione naturæ, cessatione tentationis, aliisque hujusmodi. Atque ita intelligendum esse illud D. Thomæ in VI. sentent. distinct. 9, quæst. 1, art. 4, cum ait : « Si autem placeat, ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur, » docet ac probat Natal. Alexander in sua Theolog. Dogmat. et Moral. cap. 8. art. 2. Regul. 49. licet prima fronte adversariis favere videatur, indeque in suas partes trahatur Angelicus Doctor a Salmanticensibus, aliisque. At vero si agatur de pollutione quamvis naturali, quæ in somnis provenerit ab ipsa natura, non vero ex causis ullo modo pertinentibus ad luxuriam, ne ob honestum quidem finem de istiusmodi pollutione gaudere, ac sibi placere licebit. Tum quia pollutio, quacumque tandem ratione, licet naturali, evenerit, est quid inordinatum, ac violationem continet Ordinis Naturalis, uti patet; tum etiam quia illa pertinet ad species luxuriæ, et gravior sit fornicatione, adulterio, incestu, ipsaque sacrilegii corruptela. Quemadmodum ergo de his omnibus licet in somnis inculpabiliter perpetratis gaudere non licet ob quemcumque honestum finem, ita potiori jure nec de ipsa pollutione.

Idem quoque omnino asserendum de desiderio hujusmodi naturalis pollutionis, uti vocant, nempe quod non liceat illam optare ob quemcumque honestum finem; imo non vacare mortali crimine illum, quicumque hujusmodi deliberata desideria in se admiserit, ipsique assensum præbuerit. Et sane, si licebit illam optare, uti adversæ partis Patroni contendunt, licebit quoque a Deo precibus hujusmodi pollutionem exorare; etenim juxta axioma a D. Augustino positum Epistola ad Probam : « Hoc licet orare, quod licet desiderare. » At nemo omnium sanæ mentis, ut arbitror, id audebit asserere, cum Ecclesia suis precibus nos edoceat illud potius a Deo petere, ne aliquid hujusmodi nobis etiam invitis contingat illis verbis : « Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora. » Ita Natal. Alexander l. c. Regul. 49. post Sotum, Medinam, Sylvium. Hæc doctrina [illegible] prorsus secunda non solum quia probabi[illegible] jam edita, verum etiam quia opposita [illegible], uti satis indicat Auctor [illegible] l. c. et ob[illegible] laud. Natal. Alexander post [illegible] laud; [illegible] 49. (Edit. Neap.)

(2) Opinio isthæc, quam hic nobis propinat Auctor noster, aut recte explicanda, aut omnino rejicienda, quidquid in contrariam afferat Sanchez cum suo Vasquesio. Etenim si hujusmodi Delectatio habita inter conjuges absentes de copula cogitata non sit conjuncta cum proximo pollutionis periculo, sustineri poterit nostri Auctoris opinio, atque in hac hypothesi recte ad eam confutandam adhibentur rationes ab ipso productæ cum Sanchez. At vero si Delectatio hujusmodi proximum secum gerat pollutionis periculum, tunc mortali culpa non vacabit, si quis conjugum hujusmodi Delectationem in se deliberate admiserit, in eaque cum voluptatis sensu fuerit immoratus. Etenim cum pollutio sit suapte natura, et intrinsecus mala non solum contra naturam hominis, quæ ratio est; verum etiam *contra naturam omnis animalis*, uti scite docet et probat D. Thomas Quæst. 15, de Malo Art. 1, ad 7, hinc est, quod non solum ipsa sit gravissimum peccatum; verum etiam eidem causam, et occasionem præbere per actum ad illam ordinatum inter gravissima quoque peccata erit computandum; cum id participet malitiam ejusdem vitii contra naturam. Hæc profecto certa sunt atque explorata atque unanimi firmantur Theologorum assensu, quare longiori sermone protrahenda non sunt.

Hinc rectissime Salmaticenses in de Matrimon. cap. 15, punct. 6, n. 90, docent hujusmodi delectationes inter conjuges absentes de concubitu cogitato si, uti frequenter accidit, secum ferant commotionem spirituum, et titillationem partium inservientium generationi inter peccata lethalia esse connumerandas; vel quia proximum præ se ferunt pollutionis periculum; vel quia matrimonio cohonestari non possunt. Matrimonium enim non præbet jus nisi ad usum corporum in ordine ad generationem, vel ad id quod ad eam inservit, quod utrumque in hujusmodi Delectationibus, de quibus disputamus, locum non habet.

At vero Illustrissimus Ligorius ad constituendum lethale peccatum in hujusmodi Delectationibus inter conjuges præter commotionem spirituum, ac partium generationi inservientium, exquirit præterea veneream voluptatem, quæ comitetur hasce commotiones; atque inde occasionem desumpsit excusandi doctrinam Sanchez, qui hujusmodi Delectationes cum commotione spirituum, et partium etc. venialis peccati malitiam inter conjuges non excedere opinatus est, secluso tamen pollutionis periculo; h. e. quando venerea voluptas illas commotiones non comitaretur. At si liceat verbis depromere, quæ animis hac in re occurrunt, dicam quod sentio. Quando in hujusmodi delectationibus habitis inter conjuges absentes venerea voluptas accesserit, quæ sentiatur, ac lubenti animo aliquantisper prægustetur, tunc non solum morale pollutionis periculum secum affert; verum potius exhibet inchoatam pollutionem; et licet

Digitized by Google

pula altero conjuge absente cogitans in re cogitata morose delectetur; S. Anton. par. 2, tit. 5, cap. 1, § 6. Cajetan. verb. *Delectatio morosa, § Tertium est;* Paludan. in 3, d. 9, quæst. 3, art. 1. Vasquez disp. 113, cap. 2. Medina q. 74, art. 3. Sanchez lib. 9, de Matrim. disp. 44, num. 4. Sporer loc. cit. n. 43. Layman lib. 1, tract. 3, cap. 6, num. 12 et 14, et alii plures. Et ratio est, quia mortalis malitia Delectationis morosæ sumenda est ex malitia objecti, sive rei cogitatæ; copula autem maritalis malitiam non habet cum sit ab instrinseco licita conjugibus, et per accidens solum ab extrinseco nempe ob absentiam, vel simile impedimentum, pro tunc nequeat exerceri, adeoque de eo morose Delectari in absentia alterius conjugis, non est peccatum mortale. (26. Est tamen peccatum veniale, ut inquit Cajetanus, cum nec necessitas, nec pietas talem Delectationem suadeat. Peccat autem semper mortaliter conjux, dum in actu conjugali cum propria conjuge morose Delectatur in imaginatione alterius personæ sibi mentaliter conflictæ quasi præsentis loco conjugis; est enim objectum hic et nunc tali conjugi mortaliter illicitum; sic Doctores communiter.

(27. Delectatio morosa venerea, et directe voluntaria, tam ex copula futura cogitata, quam ex cogitationibus, aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus libidinosis est sponsis prohibita sub mortali; Navarrus c. 16, num. 9. Layman loc. cit. num. 13. Sporer l. c. n. 41. Sanchez l. 9, de Matrimon. disp. 47, conclus. 1, cum pluribus aliis. Et ratio est, quia Delectatio venerea tendit in copulam, ut præsentem, et pollutionem reipsa inchoat, sed copula est sponsis pro eo statu adhuc mortaliter illicita, ergo et Delectatio venerea sensibilis. (28. Oscula autem, tactus, et amplexus non impudici licite fiunt inter sponsos, quando fiunt secundum consuetudinem patriæ, in signum benevolentiæ, ad conciliandum, et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium, quamvis præter intentionem, et secluso periculo consensus, sequeretur commotio nonnulla sensibilis; Navarrus cap. 16, num. 12. Galet. tom. 1, tract. 10, num. 671. Perez, disp. 8, sect. 9, num. 4. Sporer loc. cit. num. 41. Sanchez lib. 9, de Matrimonio disp. 46, num. 47, cum multis aliis (1). (29. Cavendum tamen est, in istis osculis, tactibus, et amplexibus habeatur illa Delectatio carnalis, et sensibilis, quæ merito fuit damnata ab Alexandro VII, 18 Martii 1666, in propositione 40, in ordine ibi: « Est probabilis opinio, quæ dicit tantum esse veniale osculum habitum ad delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis. » (30. Viduæ mortaliter peccant si voluntarie consentiant in motum Delectationis sensitivæ, qui ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur. Est communis cum Sanchez cit. disp. 47, concl. ult. Sa verb. *Luxuria* n. 12. Navarr. cap. 16, n. 9 et 10. Silvester verb. *Delectatio* q. 3. Sporer loc cit. num. 42. Layman loc. cit. num. 13. Et ratio est, quia viduis non est amplius licita, immo nec possibilis illa copula Delectabilis, adeoque nec licita erit actualis Delectatio venerea, et sensibilis de ipsa.

(31. Nec valet dicere, quod sicut licet conjugibus Delectari sensibiliter de copula præterita, et futura, ita debet licere Viduis de præterita et sponsis de futura; Non valet, inquam, quia non currit paritas; conjugibus enim semper licita est copula, et ideo etiam Delectatio ejus; at sponsis pro eo statu nondum licet copula, quamvis post contractum Matrimonium sit eis licitura. Et sic Viduis non amplius licet copula, quamvis pro tempore sui Matrimonii eis licuerit; adeoque cum non eis sit licita copula, nec eis erit licita venerea et sensibilis Delectatio de ipsa. (32. Licita tamen est eis Delectatio rationalis. Possunt enim Viduæ habere gaudium, approbationem, ac Delectationem rationalem tantum voluntatis de copula præterita, et Delectatione annexa; cum enim licita eis fuerit illa copula et Delectatio, non tenentur illam modo reprobare, vel detestari, ut omnes concedunt. Sic sponsi possunt habere desiderium gaudium, et Delectationem rationalem de copula futura, ejusque Delectatione capienda; cum enim ex ipsis sponsalibus contractis talis copula et Delectatio aliquando futura sit eis licita, non tenentur eam aversari, vel de ea tristari, sed licite possunt de ea delectari Delectatione rationali, dummodo caveant ne capiant De-

eo gravius peccabitur, quo actio erit proximior pollutionis periculo, aut ipsi pollutioni; excusandi tamen a mortali non videntur conjuges, illi, qui invicem absentes hujusmodi Delectationes exceperint, libenter, ac non sine mora prægustent, sentientes in se non levem commotionem spirituum, ac partium generationi inservientium; siquidem hæc secum ferre videntur proximum pollutionis periculum, aut potius non longe abesse ab ipsa pollutione; quod ad constituendum mortalis peccati reatum abunde sufficere, nemo vel leviter dubitare poterit. Præterea in hisce rebus, in quibus vel cum maxime humanæ conditionis imbecillitas sentitur, ab uno ad alterum quam citissime gradus fiet; ac proinde nisi carnales ac sensibiles commotiones in hujusmodi delectationibus reprimantur, statim erumpent in venereas voluptates, indeque in detestabiles pollutiones; ac proinde ipsas hujusmodi commotiones carnales, ac sensibiles non sine mora, ac gustu exceptas secum ferre proximum pollutionis periculum, atque inde mortali crimini adscribi perquam rectissime, nemo est, quin perspiciat. (Edit. Neap.)

(1) Tuta esse non videtur opinio asserens licita oscula licitosque tactus, et amplexus inter sponsos ad sibi mutuum conciliandum amorem, atque in benevolentiæ signum, præsertim si timeatur aliqua sensibilis commotio, ac Delectatio. Arduum sane esset in talibus circumstantiis declinare periculum consensus, et Delectationis, unde tutissimum est monere sponsos, ut a similibus abstineant actionibus. Sane sensibilis in membris commotio cogitationem secum ferre solet mentis, et cogitatio Delectationem; et quamquam non repugnet dari motionem sine Delectatione, tamen ob maximam connexionem, quæ inter utramque intercedit, illicitum est sese exponere periculo excitandæ motionem ipsam sensibilem per tactus, amplexus, etc. (Not. Rom. Theol.)

Digitized by Google

lectationem venereamq sensibilem, et se exponant periculo consensus turpis, aut pollutionis; Sanchez cit. disp. 47. Sporer l. c. n. 41. Diana par. 3, tract. resol. 2, et alii passim (1).

DELEGARE, DELEGATUS.

SUMMARIUM.

1. Delegare idem est ac mandare, et committere. — 2. Vel delegare est alium in locum suum sufficere. — 3. Judex Delegatus quis sit. — 4. Judex Delegatus quomodo differat a Judice Ordinario. — 5. Judicum Delegatorum variæ sunt species. Alii enim sunt Delegati a jure, alii ab homine. Delegati a Jure qui sint. — 6. Per hoc, quod dicantur Delegati a Jure, eorum Jurisdictio non est ordinaria, sed remanet Delegata, *ad n.* 7. — 8. Delegati ab homine qui sint. — 9. Alii sunt Delegati ad universitatem causarum, et alii ad causam solum particularem. Delegati ad universitatem causarum qui sint. — 10. Delegati ad causam solam particularem qui sint. — 11. Alii sunt Delegati ratione Dignitatis; et qui sint. — 12. Et alii ratione personæ; et qui sint. — 13. Alii sunt Delegati, et alii Subdelegati. — 14. Delegare possunt non solum Principes supremi, sed omnes Judices Ordinarii. — 15. Judex tamen Ordinarius non potest totam suam Jurisdictionem delegare, inconsulto Principe. — 16. Delegatus ab alio quam a Principe non potest causam alteri subdelegare. — 17. Potest tamen talis Delegatus alterum subdelegare, si sit Delegatus ad universitatem causarum. — 18. Delegatus a Principe supremo potest alteri causam subdelegare. — 19. Non potest tamen subdelegare causas graviores. — 20. Nec potest Delegatus subdelegare, quando jussus fuit, ut causam expediat per se ipsum. — 21. Nec quando in Delegatione apposita est clausula: Confidentes de industria, seu circumspectione tua et hujusmodi. — 22. Partibus tamen consentientibus, potest fieri subdelegatio, licet sit electa industria, et fideles personæ Delegatæ. — 23. Delegatus a Principe non potest alterum subdelegare, si nudum ministerium, seu mera executio sit ei commissa. — 24. Hinc Regulares Confessarii nequeunt subdelegare aliis facultatem, quam ex privilegio Apostolico habent absolvendi fideles omnes a certis peccatis, et censuris, et dispensandi in certis irregularitatibus, et votis. — 25. Judices Delegati qui esse possint, vel non. — 26. Delegari potest etiam non subditus. — 27. Si Delegatus sit subditus, potest compelli etiam invitus ad acceptandam delegationem. — 28. Si vero non sit subditus, non potest invitus compelli. — 29. Delegatus Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus debet esse constitutus in aliqua dignitate Ecclesiastica, aut personatu, aut esse Canonicus Cathedralis. — 30. Aut esse Officialis, vel Vicarius Generalis Episcopi, seu Prior Conventualis. — 31. Nomine Prioris Conventualis veniunt hic etiam Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani etc. — 32. Delegatus Episcopi, vel alterius inferioris Ordinis potest esse simplex Clericus non constitutus in dignitate, nec Canonicus Cathedralis. — 33. Immo etiam simplex Religiosus cum licentia sui Prælati potest esse Delegatus Episcopi. — 34. Episcopi, aliique Papæ inferiores non possunt Laico Delegare causam spiritualem. — 35. Immo neque possunt Episcopi causam spiritualem Delegare Laico judicandam una simul cum Clerico. — 36. Neque Delegare possunt Laico causam criminalem Clericorum. — 37. Immo neque possunt Episcopi delegare causas criminales Clerico conjugato. — 38. Possunt tamen Episcopi probabiliter Delegare Laicis causas Clericorum mere civiles. — 39. At secundum multos probabilius, nec etiam delegare possunt Laicis causas Clericorum mere civiles. — 40. Papa potest nedum causas civiles, et criminales Clericorum, sed etiam quasdam alias Ecclesiasticas delegare alicui Laico v. g. Regi. — 41. Non tamen tollere Clericorum exemptionem in totum. — 42. Delegati Jurisdictio, et officium expirat morte Delegati, si Delegatio fuit personalis. — 43. Secus si Delegatio fuit realis, seu facta contemplatione Dignitatis, et non personæ. — 44. Delegati Jurisdictio, et officium expirat morte Delegantis re adhuc integra; Secus autem si res non sit amplius integra. — 45. Ut non sit amplius integra, sufficit citatio partis facta per Delegatum ante mortem Delegantis. — 46. Immo sufficit, quod ante mortem Delegantis præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit. — 47. Adducitur instantia ex cap. Relatum 19, de Offic. Judic. delegat. — 48. Solvitur talis instantia. — 49. Adducitur alia instantia. — 50. Solvitur hæc secunda instantia. — 51. Adducitur adhuc alia instantia. — 52. Solvitur etiam hæc tertia instantia. — 53. Delegati Jurisdictio cessat per cessationem Delegantis ab officio, re adhuc integra. — 54. Si Delegatus a Principe supremo intuitu Dignitatis suæ ab ea sit depositus, vel ei renuntiaverit, vel ad aliam Dignitatem sit translatus, tunc si res adhuc sit integra, expirat jurisdictio subdelegati ab ipso. — 55. Si vero Delegatio a Principe supremo sit facta ipsi Delegato intuitu personæ, tunc re adhuc integra expirat Jurisdictio subdelegati solum per depositionem Delegati a dignitate, non autem per renunciationem, vel translationem delegati a dignitate, ad aliam dignitatem. — 56. Delegati Jurisdictio, et officium expirat per renunciationem Delegationis suæ a delegante vel ejus Superiore factam. — 57. Princeps, seu Judex Ordinarius delegans potest delegationem libere revocare, etiam re non amplius integra. — 58. Delegatus a Principe supremo potest revocare delegationem in totum a se alteri factam solum quando res adhuc est integra. — 59. Si vero talis Delegatus non totam causam subdelegavit, sed solum aliquam ejus partem, tunc poterit re etiam non amplius integra talem subdelegationem revocare. — 60. Delegati Jurisdictio, et officium cessat lapsu præfixi sibi temporis. — 61. Cessat etiam ejus Jurisdictio finito negotio, ad quod fuit delegatus. — 62. Cessat insuper ejus Jurisdictio, et officium, si ipse Delegatus tamquam suspectus legitime recusetur. — 63. Episcopus vel uti Delegatus S. Sedis, vel uti Ordinarius. — 64. Priori casu appellat ad Pontificem, secundo ad Metropolitanum. — 65. Priori casu, defuncto Episcopo, Capitulum non succedit, succedit in posteriori. — 66. 77. Quando Episcopus procedat tamquam Delegatus Sedis Apost. et quando tamquam Ordinarius. — 78. An Delegatus ab aliqua S. Congr. Urbis possit subdelegare. — 79. An successor Vicarii General. Delegati dici possit Delegatus. — 80. An prorogari queat jurisdictio delegata.

(1) Cæterum, omnem vel rationalem Delectationem tum sponsis de copula futura, tum Viduis de præterita, illicitam esse. Vix enim fieri posse intelligimus, ut rationalis ista excitetur in mente Delectatio, quin statim ipsa in aliquo consensum labatur, ac Delectatio reipsa sensibilem. Mente facta singulos istiusmodi distinguimus, ac secernimus; at dum unam ex istis actu experimur, vix possumus mentem continere, quin in aliam quoque excurrat. Quamobrem delectatio illa, quæ rationalis appellatur, nimium periculosa est, et Confessarii munus esse putarem, ut sponsos, viduasque moneret, ne talibus, licet rationalibus Delectationibus, se ullo umquam tempore capi permittant. (Not. Rom. Theol.)

Digitized by Google

(1. Delegare est mandare et committere; l. 32. § *Quæsitum*, de arbitr. l. 3. § *Quamvis de admin. tut. leg.* 1. *de damn. inferen.* Et prout habetur in leg. *Delegare*, ff. *de Novat.* et in *leg. Nesennius* 2. ff. *de re judic.* (2. Delegare est alium in locum suum sufficere, verb. gr. si Titius, qui meus debitor est, debitorem suum Cajum substituat, ut pro ipso mihi solvat, dicitur is debitor Delegatus a Titio delegante; leg. *Si Titius* 33. *de novationibus.* (3. Inde veniunt Judices Delegati, idest suppositi, et suffecti a Principe, vel Judice, ordinario, ut loco Principis audiant causas. Unde Judex Delegatus (qui extraordinarius appellatur, cap. *de cætero, de transact.*) est cui causa judicialis concessa est alterius vice, et auctoritate cognoscenda, ita ut jurisdictionem habeat derivatam a committentis jurisdictione, ut desumitur ex l. 1. § *Qui mandatum*, ff. *de offic. ejus cui mandata est jurisdictio.* (4. Judex Delegatus in eo differt a Judice ordinario, quod is propriam jurisdictionem habere censeatur, ideoque suo jure causas cognoscere, ac definire possit, leg. *More* 5. junct. Gloss. verb. *Sub jure*, ff. *de Jurisdict.* Judex autem Delegatus non suo jure, sed alieno utitur; cit. leg. 1. § *Qui mandatum*, ff. *de officio ejus cui mandata est jurisdictio.*

(5. Delegatorum variæ sunt species, seu divisiones. Primo, alii sunt delegati a jure, et alii ab homine, delegati a jure sunt, qui delegatam jurisdictionem habent ex commissione juris communis, ut patet in cap. *Ad abolendum* 9. § fin. *de Hæretic.*, ubi facultas procedendi contra exemptos in causa hæresis datur Episcopis tamquam a Sede Apostolica delegatis, ibi: « In his, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium, et eis in hac parte tamquam a Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur. » Sic etiam patet in c. *Irrefragabili* 13. § *Cæterum, de offic. ordinar.* ibi : « Tamquam super hoc delegatus a nobis, » et in Clement. 1. *de supplend. negligent. Prælator.*, ibi « In exemptis vero Apostolica auctoritate, et in Conc. Trident. c. 1. sess. 5. *de reformat.* ibi : Officium sit Episcoporum tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum ; » et alibi sæpius (6. Nec potest dici, quod si talis jurisdictio procedit a jure, ipsa sit ordinaria, et non delegata : Non valet, inquam, quia non obstante quod talis jurisdictio procedat a jure communi, adhuc remanet jurisdictio Delegata, cum committatur ipsis Episcopis; non sub ratione officii, sed per modum specialis commissionis seu delegationis, ut ipsummet nomen, tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, importat, et ut amplius a sensu contrario desumitur ex cap. *Licet in corrigendis* 12. de Officio Ordin. ibi : « Ab Episcopo, non tamquam delegato, sed tamquam Ordinario faciendis. » Et sic tenent in specie post Gloss. ult. in d. c. *Ad abolendam* 9. de Hæreticis, Glossa 2, in c. *Per hoc*, eodem tit. in 6. Glossa in cap. 1. *de Clerico ægrotant.* verb. *Auctoritate*, et utrobique Doctores, Abbas n. 15. et ibidem Marian. num. 14. et num. 37. in dict. cap. *Ad abolendam*, Pavin. de potest. Capit. par. 1 quæst. 10. num. 3. Reiffenstuel lib. 1. decis, tit. 29. num. 35. Barbosa de offic. et potest. Episcopor. part. 3. allegat. 92. n. 3. cum pluribus aliis ibi citatis. (7. Qui insuper addunt Clausulæ hujus « Tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus » istum esse effectum, nempe quod in eo casu non fiat appellatio ab Episcopo ad Archiepiscopum, prout alias fieri posset, sed solummodo ad Summum Pontificem tamquam a Delegato ad Delegantem, prout etiam tradit Glossa in dict. cap. *Licet in corrigendis* 12. de offic. Ord. verb. *tamquam Delegatus.* (8. Delegati autem ab homine illi sunt, et ideo sic dicuntur, quia delegationem suam immediate habent ab homine, seu a Judice, vel Magistratu ordinario, ut sunt delegati specialiter a Papa, ab Imperatore, a Regibus, aut aliis supremis Principibus, vel Magistratibus.

(9. Secundo, alii sunt delegati ad universitatem causarum, et alii ad causam solummodo particularem. Delegati ad universitatem causarum sunt illi, quibus omnibus universim causæ, vel saltem certum genus causarum v. g. Matrimonalium, Mutui, Decimarum, et hujusmodi, sunt commissæ, quamvis cum restrictione ad certum tempus, vel locum, vel quantitatem, ut si v. g. alicui committantur omnes causæ Decimales cognoscendæ ad triennium, vel in tali Territorio tantum vel quæ non excedunt valorem viginti aureorum; Bartolus in leg. *Legatus* 11, in 4, ff. *de offic. Proconsul.* Pirhing lib. 1, Decret. tit. 20, num. 2. Reiffenstuel ibidem num. 31, et alii passim. (10. Delegati ad causam solummodo particularem sunt illi, quibus una tantum causa particularis hic et nunc emergens dijudicanda, et terminanda committitur; Reiffenstuel. loc. cit., et alii. (11. Tertio, alii sunt Delegati ratione dignitatis, quam obtinent, ut si fiat delegatio Episcopo v. g. Alexandrino, Abbati cujusdam certi, et determinati Monasterii, non expresso nomine personæ delegatæ; cap. *Quoniam* 14, de offic. et potest. Jud. Deleg. (12. Et alii sunt Delegati ratione personæ suæ, et non dignitatis, ut si expresso nomine proprio fiat Delegatio Francisco Ferrerio, vel Antonio Molinario; Reiffenstuel loc. cit., et alii. (13. Quarto, alii sunt Delegati, quibus primo loco delegata, seu demandata fuit jurisdictio : Alii vero subdelegati, qui ab ipsis primo loco delegatis iterum delegantur; Thol. part. Jur. Canon. lib. 5, cap. 2. Pirhing loc. cit. num. 2, in fin. Reiffenstuel loc. cit. n. 39, et alii passim.

(14. Delegare possunt, seu potestatem delegandi habent non solum Principes Supremi, ut Papa, Imperator, Rex, Respublica libera, aliique suprema jurisdictione, et dominio gaudentes, sed etiam omnes Judices, seu Magistratus Ordinarii; Colligitur ex c. *Cum Episcopus* 7, de offic. Judic. Ordinar. in 6, ibi : *Per se, vel per alium*; leg. *More Majorum* 5. leg. *Solet* 16, de jurisd. Omnium Judicum. Et ratio est, quia omnis Judex Ordinarius habet propriam jurisdictionem,

Digitized by Google

et non tantum fungitur judicandi munere vice alterius, adeoque jurisdictione sine competente jure proprio, vel per se, vel per alium uti potest, quod enim potest facere per se ipsum, potest etiam per alium; Reg. 72. Juris in 6, ibi. « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum. » (15. Judex tamen Ordinarius non potest totam suam Jurisdictionem alteri delegare, sive totum officium suum alteri committere sine sui Supremi Principis consensu; Felinus in cap. *Super Quæstionum* 27, § *Si vero* num. 17, de offic. et potest. Judic. delegat. Sanchez lib. 3, de Matrim. disput. 31, num. 11. Maranta part. 4, speculi dist. 5, num. 55. Pirhing. loc. cit. num 3. Reiffenstuel l. c. num. 56, et alii. Et ratio est, quia delegando alteri totam suam jurisdictionem, seu totum suum officium ipsi committendo, non tamen censeretur delegare, quam omnino abdicare se jurisdictione, seu officio suo ordinario, quod nequit fieri sine consensu Principis; *leg. penult.* cum Gloss., ibi : verb. *Abdicando*, ff. *de offic. Præsid.* Tum quia Judex inferior Principe nequit propria auctoritate loco sui alium Judicem ordinarium constituere, hoc enim est singulare privilegium competens solummodo Principi suprema potestate et jurisdictione gaudenti; l. 2. *Fend.* tit. 56. *Quæ sint Regaliæ*, cap. unic. et colligitur ex c. *A Jud.* 33, caus. 2, q. 6, sed hoc faceret delegando alteri totam suam jurisdictionem, seu ei totum suum officium committendo, ergo, etc. Sic Pirhing et Reiffenstuel l. c. et alii.

(16. Delegatus ab alio quam a Principe non potest in causam alteri subdelegare; Ita Glossa in c. *Causam* 62, verb. *Delegatus*, de Appell. et ibi Abbas, num. 3. Fagnan num. 2. Reiffenstuel loc. cit. n. 57 et 58, et communis aliorum. Habetur clare in cap. *Cum causam* 62, de appellat. ibi : « Cum non nisi Delegatus a Principe causam valeat alii delegare; » ex quibus verbis aperte dignoscitur, quod Delegatus ab aliquo, qui non sit Supremus Princeps, est penitus exclusus, cum nonnisi Delegato Principis hæc potestas competere dignoscatur. Et ratio est, quia si quilibet Delegatus causam alteri subdelegare posset, hic etiam posset iterum delegare tertio, et iste quarto, et sic daretur processus in infinitum, quæ infinitas a jure expressa reprobatur; cap. *Cum in multis* 2, de rescript. in 6, ibi : « Cum in multis juris articulis infinitas reprobetur, » et sæpe alibi, ut exemplificat Glossa ibid. verb. *Multis*. (17. Potest autem talis Delegatus alterum subdelegare, si sit Delegatus ad universitatem causarum. Est comm., ut testatur Bartolus in leg. *more Majorum* 5, n. 11, ff. *de jurisdict. omn. Jud.* et tenent expresse Hostiensis cit. cap. *Cum causam* 62, de appellat. num. 3, et ibi Joan. Andr. num. 6, et Barbosa num. 5. Fagnan. num. 2. Butrius num. 11, et alii passim; et desumitur ex l. *Cum Prætor* § 1, ff. *de judiciis*, ibi : « Is quoque, cui mandata est jurisdictio, Judicem dare potest, » ut sunt Legati Proconsulum; ubi ly *mandata est jurisdictio*, debet accipi proprie, seu pro ea, quæ datur ad universitatem causarum, ex Glossa in leg. 1, ff. *de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, verb. *Qui mandatam*, ubi expresse dicit, « Jurisdictionem mandari, quando universitas, sed delegari, quando species una committitur. » Et ratio est, quia Delegatus ad universitatem causarum quasi *Ordinarius* videtur, ut notat Glossa in dict. cap *Cum causam* 62, verb. *Delegatus*, de appell., et ibi Fagnanus n. 4, cum variis aliis, atque æquiparatur Ordinario; arg. l. ult. § *Sin.* c. *Ubi, et apud quem*, et tenet Glossa in leg. ult. vers. *Cum specialis*, c. *de Judiciis;* immo Gloss. in cap. *Statutum*, § *Insuper* in verb. *Moderatas*, de rescriptis in 6, appellat eum Ordinarium, sicut etiam sic eum appellat Speculator in titul. *de Officio Ordin.* num. 2. Petr. de Ancharan. in cap. *Licet undique* col. 2, ad finem, vers. *Nec mirum* de offic. Delegat. et alii cum Fagnan. loc. cit. n. 4, 5 et 6, adeoque ad instar Judicis Ordinarii poterit subdelegare unam, vel alteram causam, quia Delegatus ad universitatem causarum, cum remaneat in essentia jurisdictionis universalis, idem potest quod Ordinarius, ut dicit Baldus in leg. *Si ut proponit*, in prima n. 10. Cod. *quomodo, et quando Jud.* et Fagnan. l. c. n. 5.

(18. Delegatus a Principe sua suprema potestate et dominio gaudente, potest alteri causam subdelegare; c. *Si pro debilitate* 3, et c. *Pastoralis* 28, de offic. et potest. Jud. Delegat. cap. *Cum causam* 62, de appellat. ubi expresse dicitur : « Cum nonnisi Delegatus a Principe causam alii valeat Delegare, » et l. *A Judice*, Cod. *de judiciis*. (19. Dummodo tamen causæ non sint adeo graves, ut sine ipsius Delegati præsentia nequeant commode terminari; cap. *Si pro Debilitate* 3, de offic. et potest. Jud. Deleg. pro causis enim tam gravibus præsumitur electa a Principe industria personalis, et specialis fides ipsius personæ Delegatæ; textu expresso in cap. *Quoniam*, de offic. Jud. Deleg. § *Is autem*, ibi : « Cum in his omnibus casibus industriam, et fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur. » (20. Sic etiam dicendum venit, quando Delegatus per se, vel suis manibus, causam expedire jussus fuit, quia tunc censetur electa præcise industria, et fides solius talis personæ delegatæ; l. unic. § *Ne autem*, vers. *Sin. vero talis*, C. *de caduc. tollend.* (21. Quæ specialis industria, et fides personæ Delegatæ censetur etiam electa, cum in Delegatione ponitur clausula : « Confidentes de industria, seu circumspectione tua » et hujusmodi. Sic Abbas in cap. *Quoniam* 14, num. 8, de offic. et potest. Jud. Deleg. Mascard. de probat. conclus. 595, n. 4. Menoch. de præsumptionibus, lib. 2, præsumpt. 42, num 7. Sperell. dec. 106. Fori Ecclesiastic. num. 56. (22. Partibus tamen consentientibus potest fieri subdelegatio, licet fuerit electa industria, et fides personæ Delegatæ, expresso in cap. *Quoniam* 4, de Offic. et potest. Jud. Deleg. § *Is autem*, ibi : « Is au-

Digitized by Google

tem, cui injungitur, ut personaliter negotium exequatur, potest (dummodo partes consentiant) hoc aliis delegare. » (23. Delegatus Principis non potest alterum subdelegare, si ipsi non jurisdictio, sed nudum ministerium, seu mera executio a Principe sit commissa, adeoque merus executor sit constitutus; textu expresso in cit. cap. *Quoniam* 43, de offic. deleg. § *Cæterum*, ibi : « Cæterum (salva Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli, cui commissum fuerit prædicare Crucem (*pro recuperatione Terræ Sanctæ*) excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare, quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte. »

(24. Hinc habes, cur Confessarii Regulares, quibus ex privilegio Summi Pontificis concessa et demandata est facultas fideles omnes absolvendi a peccatis et censuris, et cum iis dispensandi in votis, vel ea commutandi, talem facultatem nequeant alteri subdelegare. Quia nimirum ipsis Regularibus Confessariis simplex et nuda jurisdictio ad certum exercitium absolvendi a peccatis et censuris, et dispensandi in certis votis, et irregularitatibus, et non integrum officium jurisdictionis committitur. Is enim, cui non officium, sed nudum ministerium, seu simplex jurisdictio in ordine ad certos actus committitur, alteri subdelegare non potest sine speciali licentia committentis; ex citat. cap. *Quoniam* 43, de offic. Deleg. § *Cæterum;* et Glossa ibidem ut recte notavit Layman l. 5, tract. 6, cap. 10, n. 41. Coninch. disp. 8, dub. 4, n. 25. Pirhing l. 2. Decret. tit. 29, n. 25. Gobat tom. 1, tr. 7, n. 100.

(25. Delegari, seu esse Judices Delegati possunt generaliter loquendo omnes illi, qui nec natura, nec lege, nec moribus prohibentur; leg. *Cum prætor*, ff. *de judiciis*, et cap. *Infamis* 1, caus. 3, quæst. 7, ubi statuitur expresse, quod Judices dari nequeant omnes illi, qui ne Judices sint, impediuntur 1. *Natura*, ut surdi, muti, perpetuo amentes, et impuberes, quia tales carent judicio; 2. *Lege*, ut infames, et a Senatu amoti; 3. *Moribus*, ut servi, et fœminæ, nam moribus, seu longæva consuetudine receptum est, ut civilibus non fungantur officiis, ibi : « Tria sunt, quibus aliqui impediuntur, ut judices non fiant : Natura, ut surdus, et mutus, et qui perpetuus furiosus est, et impubes, quia judicio caret; Lege, qui a Senatu amotus est; Moribus, fœminæ, et servi, non quia non habeant judicium, sed quia præceptum est, ut civilibus non fungantur officiis. » Unde ad hoc faciunt sequentes versiculi ab Hostiensi relati in Summa de offic. et potest. Jud. Deleg. n. 3, ibi :

Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama.
Ætas, qui subsit, committitur huic bene causa.

(26. Ex quibus clare patent conditiones in Judice Delegato requisitæ. Et solum notandum venit, quod licet per ly *qui subsit*, detur intelligi, quod non possit delegari invitus, nisi qui de jurisdictione Delegantis est; cap. *Pastoralis* 11, de offic. Ordin. tamen per hoc non negatur, quin Judex Ordinarius possit causas suas Delegare etiam non subdito, qui non est subjectus jurisdictioni Delegantis; sufficit enim, quod causa pertineat jurisdictionem Delegantis, licet is, cui talis causa Delegatur, non sit de jurisdictione ipsius; arg. l. unic. Cod. *qui pro sua jurisdictione jud. dare :* juncta Glossa ibid. verb. *Resedissent*, cit. cap. *Pastoralis* 11, de offic. Ordinarii, et Glossa ibid. verb. *Nullum*, et tenent Doctores communiter. (27. Hoc autem discrimen est, quod Judex Ordinarius Delegans suum subditum potest ipsum etiam invitum compellere ad acceptandam Delegationem, ne alioquin inutilis videatur jurisdictio, ac potestas delegandi competens Judici Ordinario sive Delegato Principis supremi; quamvis adhuc ipse Delegans in tali coactione deferre debeat personæ, ac dignitati deleganti, ut cavetur in citat. cap. *Pastoralis* 28, § 1, de offic. et potest. Judic. Delegat. ibi : « Potest compellere renitentem, eo quod jurisdictio illa nullius videretur momenti, si coactionem aliquam non haberet; Delegatus tamen (*scilicet Supremi Principis*) debet sollicite providere, ut si personis Superioribus (exigente necessitate) negotium duxerit delegandum, in coactionibus inferendis dignitati deferat et personæ. » (28. Quod si autem Judex Ordinarius deleget non subditum non potest ipsum invitum compellere, quia præcipienti extra territorium impune non paretur; leg. *Eum. qui* 13, juxta Glossam, verb. *Magistratum*, et l. ultim. ff. *de jurisd.* et cap. *Ut animarum* 2, de Constitutionibus in 6, ubi sic expresse habetur; « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » Delegatus vero Papæ, aut alterius Supremi Principis potest quemcumque sine justa causa recusantem compellere, ut suscipiat onus Delegati, cum gerat vices Papæ, cui omnes Christiani subsunt; cit. cap. *Pastoralis* 28, § 1, *de offic. et potest. Judic. Delegat.* Abbas ibidem num. 7, et alii communiter.

(29. Delegatus Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus debet esse constitutus in aliqua dignitate Ecclesiastica, vel personatu, aut esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; cap. *Statutum* 2. de Rescript. in 6. (30. Aut esse Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi, vel Prior Conventualis; Clement. *Et si principalis* 2. de rescript. ibi : « Et si principalis Officialis Episcopi, aut Religiosus conventualem obtinens Prioratum, quamvis ad Prioratum eumdem Prior non consueverit per electionem assumi a Sede Apostolica, vel Legato ejusdem dari valeat Delegatus : In Officiali tamen Foraneo, aut Religioso Monasterii sui Priore claustrali, neque hoc volumus observari. »

(31. Sub nomine Prioris conventualis hic veniunt etiam Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, aliique omnes quocumque nomine nuncupati Superiores Conventuales Regularium, nam etiam isti censentur esse

Digitized by Google

in dignitate Ecclesiastica ad hoc ut esse possint Delegati Apostolici ; Glossa in cap. *Nullus*, verb. *Prælaturam*, de elect. in 6. Felin. in cap. *Cum olim* n. 1. de Majoritate, et obed. Jason. in rubr. ff. *de offic. ejus, cui mandata est jurisdictio* n. 9. Azor. Instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 20. prope finem, Massobr. de Synod. Diœces. cap. 4. dub. 13. n. 4. Sperell. decis. 167. n. 14. Barbosa part. 3. de offic. et potest. Episcop. alleg. 106 n. 15. Reiffenstuel loco citato n. 70. Pignatell. Francus, Germinianus, et alii.

(32. Delegatus autem Episcopi, vel alterius inferioris Ordinarii potest esse simplex Clericus, quamvis in dignitate non sit constitutus , nec sit Canonicus Cathedralis ; Glossa in cap. *Statutum* 2. de Rescript. in 6. verb. *Sedis Apostolicæ* ; Pirhing lib. 1. Decretal. tit. 29. num. 33. Reiffenstuel ibid. n. 72. arg. cap. *Cum Episcop.* 7. de offic. Ordinar. in 6. (33. Sic etiam simplex Religiosus cum licentia sui Prælati potest esse Delegatus Episcopi, quia in cit. cap. *Statutum*, sermo est de solis Delegatis Papæ, vel Legatorum ejus ; Sanch. lib. 1. Moral. cap. 3. n. 77. Pirhing loco cita num. 33. Ratio autem diversitatis quoad hoc inter Delegatum Papæ, et Episcopi est illa, quam recte cum aliis assignat Reiffenstuel loc. cit. num. 73. quia, inquit, Episcopus melius potest cognoscere suorum Clericorum peritiam, et idoneitatem ; quam si majorem agnoscat in simplici Clerico, nihil prohibet quin ipsum præ aliis in Dignitate constitutis, vel Canonicis Cathedralis, deleget; secus autem in Papa, vel ejus Legatis, qui utpote longe distantes nequeunt sic de facili simplicium Clericorum omnium idoneitatem cognoscere, unde expedit ut illos solos delegent, quos dignitas, vel personatus facit præ cæteris supponere idoneos. Hinc Concil. Trident. pro majori cautela statuit in sess. 25. cap. 10. *de reform.* quod quædam tales idoneæ Personæ in Synodo Provinciali designentur, ibi : « Statuit Sancta Synodus in singulis Conciliis Provincialibus , aut Diœcesanis aliquot Personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incip. Statutum , et alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam post hac causæ Ecclesiasticæ, ac Spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. »

(34. Episcopi, aliique Papa inferiores non possunt Laico delegare causam spiritualem; *sic communis DD.* Laici enim Ecclesiastica tractare negotia non possunt, cum hæc Episcoporum, aliorumque Prælatorum judicio sint discutienda , textu expresso in cap. *Decernimus* 2. de judiciis, ibi : « Decernimus ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant; sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, et alii Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis (maxime de illis , quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum judicio non disponant : » concordat cap. *Cum laicis* 12. de rebus Ecclesiastic. non alienand. aliique consimiles Canones. (35. Immo neque possunt Episcopi causam spiritualem,

seu Ecclesiasticam delegare Laico judicandam una simul cum Clerico ; Glossa in cap. *Contingit* 8. de arbitr. verb. spiritualibus, Pirhing loc. cit. num. 34. ubi ex Abbate, et Julio Claro dicit esse communem. (36. Neque delegare possunt Laico causam criminalem Clericorum. Est etiam communis, testibus Julio Claro in Pratica Crimin. lib. 5. § fin. quæst. 41. num. 5. Card. Tuschо lit. *D.* concius. 146. n. 13. arg. cap. *Si diligenti* 12. de foro competent. et cap. *Unico*, de Cleric. conjungat. in 6. cum citatis juribus num. præced. et aliis concordantiis. (37. Immo neque possunt Episcopi delegare causas criminales Clerico Conjugato , quia is regulariter tamquam merus laicus reputatur ; Jul. Clarus l. c. num. 7. Card. Tusch. loc. cit. et arg. cap. *Unic.* de Cleric. conjugat. in 6. (38. Possunt tamen Episcopi probabiliter delegare Laicis causas Clericorum mere civiles, ut pecuniarias, et similes; Sic Glossa in cap. *Decernimus* 2. de judiciis, verb. *Non præsumant*, ibi : « Clericum cujuslibet Ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem Judicem attrahere, » ubi ut vides, prohibetur attrahi Clericum ad judicem sæcularem solummodo absque Pontificis sui permissu, adeoque argumento a sensu contrario desumpto, proprii Episcopi accedente consensu id videtur permissum ; colligitur etiam ex cit. cap. *Decernimus*, ubi statuitur solummodo, « ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant, » adeoque negotia non Ecclesiastica tractare possunt, præsertim ex delegatione Episcopi, cum sic istud neutiquam præsumant; immo prohibitio facta ibi Episcopis , ne laicorum judicio disponant de negotiis Ecclesiasticis, videtur potissimum restringi ad illa, quæ spiritualia sunt, ibi : « Maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur ; laicorum judicio non disponant ; » adeoque non videtur eis interdicta facultas delegandi Laicis causas Clericorum mere civiles, ut pecuniarias, et similes. Vide verb. *Tutor* num. (39. Fateor tamen contrariam opinionem non carere sua probabilitate ; quinimmo Reiffenstuel, lib. 1 decret. tit. 29. num. 89. ex Baldo, et aliis defendit eam ut probabiliorem , et n. 90. et 91. occurrit juribus, et objectionibus, quæ in contrarium solent adduci ; Et Pignatell. tom. 2. cit. consult. 45. num. 3. pluribus adductis defendit ut veriorem, et dicit hanc haberi expresse in cap. *Significasti* 18. de foro competent. ubi in simili causa civili, nempe de pecunia mutuata dicitur Clericum non posse consentire in Judicem non suum, etiam accedente Episcopi sui voluntate, nisi sit persona Ecclesiastica , ibi : « Clerici tamen in Judicem non suum (nisi forte sit persona Ecclesiastica, et Episcopi Diœcesani voluntas accedat,) consentire non possunt ; » et sic expresse propter tale jus etiam sustinet Glossa ibidem verb. *Clerici* ; quod jus quia posterius est aliis pro alia sententia adductis, ideo dicit ipse, est attendendum Eo vel maxime, quod, cum privilegium Fori sit commune toti ordini Clericali, sicuti

Digitized by Google

non est in potestate Clerici ei renunciare, ita non debet esse in potestate singulorum Episcoporum eidem præjudicare per delegationem, vel consensum in Judicem Laicum; immo cum non possint Episcopi neque in causis suis etiam civilibus consentire in Judicem Laicum, ex textu expresso in cap. *Si diligenti* 12. de foro competent. ita nec etiam possunt consentire in causis civilibus suorum Clericorum; quod enim juris quis pro se non habet, neque pro aliis congruit habere, eademque de causa non possunt facere Episcopi consentiendo in personalem læsionem Clerici, quin sit locus privilegio Canonis, et excommunicationis; arg. cap. *Universitatis* 24. et cap. *Contingit* 36. de sentent. excommun.

(40. Summus Pontifex ex certa scientia potest non solum causas Civiles, et Criminales Clericorum, sed etiam quasdam alias Ecclesiasticas, seu spirituales Delegare alicui Laico v. gr. Imperatori, Regi etc. Sic Glossa in cap. *Decernimus* 2. de judiciis, verb. *Non præsumant*, ubi id probat ex pluribus Sacris Canonibus, et signanter ex c. *Adrianus* 23. et cap. *in Synodo* 24. dist. 63. et cap. *Illud* 10. caus. 10. quæst. 3. ex aliis, et sic alia Glossa in cap. *Bene quidem* 1. dist. 96. communiter ab omnibus recepta teste Julio Claro in Practica Crimin. lib. 5. § fin. quæst. 41. n. 8. et cum plurimis a se citatis. Pignatell. tom. 2. dict. consult. 45. num. 7. Pirhing loco citato num. 34. Reiffenstuel loc. cit. n. 92. et communis aliorum. Idque specialiter concedendum est Summo Pontifici propter plenitudinem suæ potestatis; quam habet non solum in ordine ad causas Clericorum, aliasque Ecclesiasticas, sed etiam in ordine ad dispensandum de jure supra jus ipsum; textu expresso in cap. *Proposuit*. 4. de concession. Præbend. ibi: « Secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare; » et hoc ipsum olim jam factum fuisse legitur in citatis cap. *Adrianus*, cap. *In Synodo*, et cap. *Illud*, quia non is, qui Jurisdictionem exercet, sed qui præcipit exercendam jus dicere videtur, c. *Ut fama* 35. de sentent. excomm. ibi: « Cum hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur. » (41. Notanter autem fuit dictum posse Summum Pontificem, « etiam quasdam alias causas Ecclesiasticas, seu spirituales Delegare alicui Laico, » quia non potest Papa tollere Clericorum exemptionem in totum, seu quoad omnes Clericos, omnesque causas ipsorum; Farinaccius lib. 1. Crimin. quæst. 8. n. 4. Julius Clarus in Practica Crimin. lib. 5. § fin. quæst. 41. num. 8. ubi testatur esse hanc communem Doctorum sententiam; et ratio est, quia ex tali derogatione, seu immutatione decoloraretur universalis status Ecclesiæ, contra quem nequit Papa dispensare; arg. cap. *Et illa* 23. caus. 1. quæst. 7. cap. *Memor sum* 6. caus 24. q. 1. et tenet expresse Glossa adductis multis juribus in cap. *Proposuit* 4. de concession. præbend. vers. *supra jus dispensare*, Abbas ibidem n. 14. Reiffenstuel l. c. n. 92. et alii passim.

(42. Delegati Judicis officium expirat, et cessat pluribus modis. Primo, morte Delegati, si delegatio fuit personalis, seu expresso proprio nomine Delegati facta; l. *si quis alicui*, § *Morte*, ff. *Mandati*. Non enim tunc Delegati officium, et jurisdictio transit ad hæredes; l. *Mandatum* 58. ff. *Mandati*; neque ad successorem, quia tunc sequitur personam, et veluti accessorium extinguitur cum persona cap. *Privilegium personale* 7. de Regul. Juris in 6. ibi: « Privilegium personale personam sequitur; » cap. *Accessorium* 42. de Regularium Juris eodem ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis. » (43. Secus est dicendum, si delegatio fuit realis id est facta contemplatione dignitatis, et non personæ, v. g. Episcopo, vel Officiali Alexandrino, nam talis delegatio non expirat morte Episcopi, vel Officialis tunc existentis, sed transit ad successorem in eadem dignitate, vel officio, etiam si res sit adhuc integra; cap. *quoniam* 14, de offic. et potest. Judic. Delegat. ubi Pontifex confirmat ut justam sententiam latam a quodam Abbate successore alterius Abbatis delegati, et præmortui, reddita ratione ibi: « quia sub expressis nominibus locorum et non personarum commissio emanavit »; et in ejus summario expresse dicitur: « Delegatio facta Dignitati non expresso nomine proprio, transit ad successorem. » Et sic Glossa ibid. verb. *Substitutum*; Abbas num. 2. Barb. n. 1 et 3, cum communi aliorum. Et ratio est, quia dignitas non moritur neque variatur per mortem, et variationem personæ; cap. *Si gratiose* 5. de rescriptis in 6, adeoque successor in tali dignitate causam debet reassumere in terminis, in quibus antea fuerat, eamque, prout justitia exigit, terminare, leg. *Mortuo*, ff. *de judiciis*. (44. Secundo cessat officium, et jurisdictio Delegati per mortem Delegantis, quando res est adhuc integra, et nondum Judex uti cœpit Jurisdictione, secus quando res non est amplius integra, sed causa commissa jam incœpta est; c. *Licet undique* 30, de offic. deleg. ubi clare deciditur quoad utramque partem, ibi: « Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si jurisdictione a suo sibi collega delegata, eo vivente uti non cœperit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit, non habet solus officium judicandi. Si vero ante mortem illius, jurisdictione uti cœperit demandata, vices suas, et illius poterit adimplere; » concordat cap. *Relatum* 19, et cap. *Gratum* 20, de offic. delegat. et cap. *Quamvis* 6, eod. in 6, et l. *Et quia*, ff. *jurisdict. omn. Jud.* Et ratio utriusque partis est, quia per actum Delegationis non transit efficaciter jurisdictio in delegatum, donec is ea uti cœperit; et e contra per exercitium jurisdictionis ante mortem Delegantis, jurisdictio efficaciter transit in Delegatum, ut clare habetur ex d. c. *Quamvis* 6, de offic. delegat. in 6, ibi: « Cum jurisdictio (ex quo ipsa usus non extitit) non censeatur in eum efficaciter transire. »

(45. Ut res non sit amplius integra, et sic

Digitized by Google

perpetuetur jurisdictio delegata, sufficit citatio partis facta per Delegatum ante mortem Delegantis; c. *Gratum* 20, de offic. et potest. Jud Delegati; ubi Urbanus III, super hoc consultus respondit quod « Cum... citatione facta, negotium sit quasi cœptum... potest, et debet in causa procedi; » concordat cap. *Nemini*, de offic. Legati, ubi dicitur, quod jurisdictio Delegatorum per Legatum Sedis Apostolicæ expiret, si ante hujus discessum a Provincia sibi commissa, citatio per ipsos facta non præcessit, ibi : « Cum jurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum, horum citatio non præcessit. » Hinc Glossa ibid. verb. *Citatio*, sic infert ; *Ergo si citatio præcessit, valebit commissio post discessum; sic per citationem perpetuatur jurisdictio;* sic cap. *Gratum* 20, et cap. *Licet* 30, de offic. Delegat. cap. *Proposuisti* 19, de foro competent. cap. *Ut debitus* 59, de appellat. cap. *Capitulum Sanctæ Crucis* 30, de rescript. in quibus dicitur, quod sola citatione, sive conventione prævenitur jurisdictio aliorum ; hucusque citata Glossa. Et ratio est, quia ut perpetuetur, et duret jurisdictio Delegati respectu partium, sufficit, quod res fuerit incœpta, et intervenerit aliquis actus erga partes; arg. cit. cap. *Gratum*, cap. *Licet*, cap. *Nemini*, cap. *Proposuisti*, mox cit. sed per solam citationem incipitur causa, et judicium, cum ipsa citatio sit primus actus respectu partium, ac jurisdictionis contentiosæ erga eas exercendæ; cap. *Quoniam* contra 11, § *Statuimus*, de probationibus, et § fin. Institut. *de pœna temere litigantium*, ubi pro primo actu judicii ponitur citatio, adeoque etc. (46. Immo ad perpetuandam jurisdictionem Delegati, sufficit quod ante mortem Delegantis præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit. Ita Glossa margin. communiter recepta in Clementin. 2. *Ut lite pendente*, Abbas in d. cap. *Gratum* num. 3, et ibi Layman num. 2. Barb. num. 5. Sanchex lib. 8, de Matrim. disput. 28, n. 13. Pirhing lib. 1, decret. tit. 29, n. 179. Reiffenstuel ibid. n. 41, et alii, et colligitur ex dict. cap. *Gratum*, in quo habentur hæc præcisa verba : « Ante obitum Delegantis proposito citationis edicto... et quod cum citatione facta, negotium sit quasi cœptum... potest, et debet in causa procedi; » ubi, ut vides, non distinguit an citatio jam pervenerit ad notitiam, necne; et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et ratio est, quia, ut res, seu causa censeatur jam incœpta, et non amplius integra, sufficit solus Judicis actus respectu partium, ex cit. cap. *Gratum* 20, et cap. *Licet* 30, de Jud. Delegat. et cit. cap. *Quamvis* eod. in 6, sed talis actus judicii jam intervenerit per solam citationem a Judice Delegato factam ex dict. cap. *Quoniam contra* 11, § *Statuimus*, de probationibus, et § fin. *de pœna temere litigantium*, adeoque etc.

(47. Contra id tamen solet adduci textus in cap. *Relatum* 19, de offic. Delegat. ubi Lucius III, expresse declarat, quod tunc solum res, seu causa primum desinat esse integra,

et perpetuetur jurisdictio Delegati, quando incipitur fieri litis contestatio; ibi : « Si vero ante litis contestationem (*Delegans*) decessit, non est a Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum, » adeoque ad id non sufficit sola citatio partium a Delegato facta. (48. Ad hanc autem objectionem, relictis variis aliis solitis dari responsionibus, respondetur, quod Decretalis Lucii Tertii in dict. cap. *Relatum* 19, de offic. Delegati fuit quantum ad hoc correcta per Decretalem Urbani III, in d. cap. *Gratum* 20, eod. tit. Sic Glossa in cit. cap. *Relatum*, verb. *Contestata*, Tancredus et Goffredus pro hac sententia citati ab Abbate in dict. cap. *Gratum*, Decius in dict. cap. *Gratum*, num. 1. Layman ibid. 1, decret. tit. 3, num. 248, et alii : Ex quo enim (dicit Layman loc. cit.) Legibus Civilibus non sit satis expressum, an jurisdictio Delegati incœpta primum censeatur per litis contestationem, vel potius per ipsam citationem, quia pro utraque parte stant graves Auctores : hinc etiam orta est diversitas Decretalium. Nam Lucius III, in dict. cap. *Relatum*, priorem sententiam tamquam tutiorem secutus, respondit ad continuandam seu perpetuandam Delegati jurisdictionem requiri, quod ante mortem Delegantis fuerit incœpta litis contestatio. Urbanus autem III, immediatus ejus successor posteriorem sententiam tamquam benigniorem secutus, respondit ad id sufficere, quod ante mortem Delegantis sit facta a Delegato partium citatio, cum, ut loquitur textus, « citatione facta, negotium sit quasi cœptum. »

(49. Nec valet dicere, quod data hac responsione, admitteretur in dictis duabus Decretalibus immediate in corpore juris se subsequentibus manifesta contrarietas, qualis tamen in volumine ejusdem compilationis (nisi id exprimatur) non est admittenda, cum oporteat, quantum fieri potest, jura juribus concordare ; cap. *Cum expediat* 39. de election. in 6. ibi : « Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari. » (50. Non valet, inquam, quia non subsistit objectio allata, quando posterior Canon expresse corrigit priorem in eodem compilationis volumine positum. ut cap. *Exigit* 2. et cap. *Feliois* 3. de censibus in 6. quod simile contingit etiam in nostro præsenti casu, si non verbis omnino expressis, saltem ipso facto, cum facto ipso Canon posterior deroget priori, etiam nulla ejus facta mentione, textu expresso in cap. *Licet Romanus* 1. de Constitutionibus in 6. ibi : « Romanus Pontifex, quia jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, Constitutionem condendo posteriorem, priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscitur. » (51. Nec valet instare, quod si Decretalis in dict. cap. *Relatum* 19. de offic. Deleg. ex toto fuisset correcta per subsequentem Decretalem in dict. cap. *Gratum* 20. eod. tit. ipsa non fuisset posita in hac compilatione, utpote per S. Raymundum de Pennafort facta, *resecatis superfluis*, prout testatur

Digitized by Google

Gregor. IX. in Prœmio decretalium. Non valet, inquam, quia Decretalis in dict. cap. *Relatum* non revocatur ex toto, sed solum ex parte per Decretalem in dict. cap. *Gratum*, quia etiam prior de facto juvat ad probandum, quod re integra expiret jurisdictio delegata per mortem Delegantis. Nec est superfluum, decisionem quæstionis adeo controversæ, ac inter summos quoque Pontifices agitatæ, propositis diversis sententiis, corporis Juris communis inserere; immo videtur valde utile, maxime ut posteri noverint facta priora; cap. *Fuerunt autem* 2. dist. 7.

(52. Tertio, cessat jurisdictio et officium Delegati per cessationem Delegantis ab officio, ut si ab eo sit depositus re adhuc integra, seu jurisdictione nondum incœpta; Glossa in cap. *Licet* 30, de offic. Jub. Delegat. verb. *Re integra*, circa finem, Abbas ibid. num. 7; Imola num. 25; Sanchez lib. 8, de Matrim. disput. 28. num. 32; Pirhing lib. 1, decret. tit. 29, num. 181; Reiffenstuel ibid. num. 129, et alii; mors enim naturalis et civilis æquiparantur, quando eadem subest ratio ut in casu proposito.

(53. Quarto, si Judex Delegatus, cui Delegatio facta est a Principe supremo, intuitu dignitatis suæ, ab ea sit depositus, vel ei renunciaverit, vel ad aliam dignitatem sit translatus, tunc si res adhuc integra sit, expirat jurisdictio subdelegati ab ipso; Glossa in dict. cap. *Licet*, verb. *Re integra*; Layman ibid. num. 2; Imola ib. num. 25; Pirhing l. c. num. 187. Et ratio est, quia non minus per depositionem a dignitate, vel renunciationem ipsius, vel translationem ad aliam, amittit Delegatus jurisdictionem, quæ ipsi intuitu ipsius dimissæ, seu amissæ dignitatis delegata est, quam per mortem naturalem: ergo sicuti per mortem naturalem Delegati, re adhuc integra, expirat jurisdictio subdelegati, ita et per mortem civilem, videlicet depositionem vel renunciationem, vel translationem Delegati, quæ æquiparatur morti naturali, cum tali dignitati dimissæ, seu amissæ, in qua fundabatur ejus jurisdictio, censeatur jam mortuus. (54. Si vero Delegatio a Principe supremo sit facta ipsi Delegato intuitu personæ, tunc re adhuc integra, expirat jurisdictio subdelegati, solum per depositionem Delegati a dignitate, non autem per renunciationem, vel translationem Delegati ad aliam dignitatem. Et ratio prioris partis est, quia jurisdictio Delegata, vel subdelegata, dum res adhuc integra est, censetur potius pertinere ad Delegantem, vel subdelegantem, ab eoque pendere, quam ad delegatum, vel subdelegatum: adeoque si Delegans, vel subdelegans deponatur a dignitate, vel alias statum incompossibilem assumendo jurisdictionem amittat, de consequenti venit, ut etiam in Delegato, vel subdelegato jurisdictio expiret, cum non amplius possit talis jurisdictio fundari in persona ipsius Delegati, vel subdelegati. Ratio vero posterioris partis est, quia si Delegatus renunciet dignitatem, vel ad aliam transferatur, nihilominus jurisdictionem retinet in ordine ad causam sibi intuitu personæ commissam, et consequenter etiam in ejus subdelegato jurisdictio permanere potest; Layman loc. cit. n. 3; Pirhing l. c. n. 185, et alii.

(55. Quinto, jurisdictio, et officium Delegati expirat per revocationem Delegationis suæ a Delegante, vel ejus Superiore factam, textu expresso in l. *Judicium* 18, ff. de Judiciis, ibi: « Judicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat; vel eo etiam, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet; » et sic tenet communis Doctorum. (56. Princeps enim, seu quilibet Judex Ordinarius Delegans potest Delegationem suam libere revocare, non solum quando res adhuc est integra et judicium necdum cœptum est a Delegato, sed etiam re non amplius integra, et judicio a delegato jam cœpto, ut recte probat Glossa in cit. l. *Judicium*, ff. *de Judiciis*, dicens proxime allegatum textum loqui in casu, ubi lis contestata erat, alioquin enim non esset judicium; Laym. in c. *Venerabili* 37. de Offic. et potest. Jud. deleg. num. 4, et 5. Sanchez l. 8. de matrimon. disp. 33. num. 6. Pirhing. loc. cit. num. 195. Reiffenstuel loc. cit. num. 136. et alii passim; (57. Delegans enim utitur jure suo, et quasi re propria, et in concessione jurisdictionis semper intelligitur excepta suprema potestas Principis, vel Superioris auctoritas; arg. c. *Venientes* 19. de Jurejurando. Delegatus autem a Papa, seu ab alio Principe supremo potest revocare Delegationem in totum a se alteri factam, solummodo quando res adhuc integra est, et judicium necdum cœptum est a subdelegato. Est communis quoad utramque partem. Ratio primæ partis est, quia jurisdictio non censetur efficaciter transiisse in subdelegatum, nisi postquam eam exercere cœpit, ut habetur expresse in c. *Quamvis* 6. de Offic. deleg. in 6. ibi: «Cum jurisdictio, ex quo ipsa usus non extitit, non censeatur in eum efficaciter transivisse.» Ratio secundæ partis est, quia Delegatus a Papa, seu ab alio Principe supremo subdelegando alteri in totum causam sibi commissam, nihil sibi de jurisdictione reservando, tunc re non amplius integra, et judicio jam cœpto ab ipso subdelegato, jam suo functus est officio, adeoque nequit amplius revocare talem subdelegationem, et commissam alteri totalem causam, seu in totum jurisdictionem, ut habetur expresse in c. *Venerabili* 37. de Offic. deleg. ubi Honorius III. declarat Archiepiscopum Cusentinum, cui delegaverat causam Episcopi Cephaludensis, non potuisse revocare subdelegationem talis causæ in totum factam Abbati Panormitano, et eam iterum subdelegare Thesaurario Cusentino, ibi: « Archiepiscopus ipse (cum jam suo functus esset officio dicto Abbati committendo in integrum vices suas) hujusmodi negotium dicto Thesaurario non potuit demandare. » (58. Si vero Delegatus a Papa, vel ab alio Principe supremo non totam causam subdelegavit, sed solum aliquam partem ejus, aliquid de jurisdictione sibi reservando, tunc poterit re etiam non amplius integra talem subdelegationem revocare; Glossa in c. *Super*

Digitized by Google

quæstionum artic. 27. de Offic. deleg. § *Si vero*, verb. *Si non possunt*, Barb. in cit. cap. *Quamvis* num. 6. Pirhing. loc. cit. num. 199. Reiffenstuel l. c. n. 140. Molina tract. 5. de just. dis. 21. num. 4. et alii. Ratio est quia Delegatus Papæ, seu alterius Principis Supremi subdelegans solum partem causæ, seu aliquid sibi de jurisdictione reservans, manet adhuc Superior respectu talis causæ cum respectu ipsius adhuc retineat jurisdictionem; unde si a subdelegato appellari contingat, ad eum, et non ad Papam, seu Principem supremum appellari debet, textu expresso in cit. c. *Super quæstionum* artic. 27. de Offic. deleg. § *Porro*, ibi: « Cum autem sibi aliquid de jurisdictione reservat, si causa sit ei appellatione remota commissa, non ad nos, sed ad eum poterit de jure appellari; » et in c. *Si Delegatus* 7. eod. in 6. ibi: « Ad eum quoque, qui vices suas committit donec revocet, vel qui executionem sententiæ tantum, aut quidquid aliud de jurisdictione sibi reservat, non ad delegantem primum appellari debebit, etiamsi post sententiam fuerit appellandum. »

(59. Sexto, jurisdictio, et officium Judicis delegati cessat lapsu præfixi sibi temporis; c. *de causis* 4. et c. *Consuluit* 24. de Offic. et potest. Jud. deleg. Tunc enim jurisdictio non nisi limitata, seu ad tale tempus delegata censetur, adeoque tali tempore elapso expirat etiam jurisdictio, et officium Delegati solummodo ad tale tempus. Est communis. (60. Septimo, jurisdictio, et officium Delegati cessat finito negotio, ad quod Judex datus fuit; c. *In literis* 9. de Offic. et potest. deleg. Semel ac enim sive bene, sive male functus est officio, deficit esse Judex; l. *Judex*, ff. *de re judic.* adeo ut nequeat amplius sese interponere tali causæ, seu negotio; « quin (ut dicit textus in cit. c. *Literis*) ex quo Judex delegatus per se, vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari præcepit, ejus auctoritas, et jurisdictio cessat, quia semel est officio suo functus. Est communis (1). » (61. Octavo, Jurisdictio, et officium

(1) Post eruditos Commentarios in Verb. memorata tum ab Auctore nostro, tum etiam ab auctore Additionum exarates, non abs re putavimus aliam hic non levem adtexere quæstiunculam, quam breviter extricare conabimur, ut eruditi lectoris votis cumulatissime satisfaciamus. Quæstio porro hunc in modum sese habet: num scilicet iis in casibus, in quibus Episcopis juxta novissimam Tridentini Concilii dispositionem tributa sit facultas agendi, sive procedendi, velut Sedis Apostolicæ delegatis, possint in iisdem casibus agere, sive procedere Vicarii Generales ipsorum Episcoporum absque speciali, ac novo mandato; cum Vicarii Generales Episcoporum in omnibus, quæ jurisdictionem spectant, vices gerant Episcoporum, atque una eademque persona cum illis censeantur.

Propositæ huic quæstioni ut satisfieri possit, pro eo, ac debet, expendendæ sunt diversæ formulæ, quibus utitur Tridentina Synodus in tribuenda Episcopis hujusmodi facultate agendi ut Sedis Apostolicæ Delegati. Quandoque enim in illis casibus, in quibus etiam ante Concilium ordinario jure potestatem habet, Episcopus constituitur etiam ut Sedis Apostolicæ Delegatus, et tunc apponitur particula *Etiam* hunc in modum: *Etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati*. Quandoque vero constituitur Sedis Apostolicæ Delegatus in illis casibus, in quibus ante Concilium jure ordinario potestatem non habebat Episcopus; et in his, cum nova conferatur jurisdictio sive potestas non apponitur particula *Etiam*. Quandoque demum delegatur Episcopo hæc facultas agendi tamquam Sedis Apostolicæ Delegato cum adjectione dictionis *Solus, tantum, per seipsum*.

Itaque cum Episcopus constituitur etiam velut Sedis Apostolicæ Delegatus iis in casibus, in quibus ante Concilium Episcopus jure ordinario potestatem habebat, tunc poterit in iisdem casibus agere Vicarius Generalis Episcopi sine novo, et speciali mandato: quandoquidem in hisce casibus videtur potius excitari jurisdictio, quæ prius competebat, quam nova deferri potestas: uti loquuntur Juris Canonici Periti. Quare Vicarius Generalis Episcopi poterit eosdem actus, eademque munia, ac ipsi Episcopi, ea in re exercere.

Cum vero constituitur Episcopus uti Sedis Apostolicæ Delegatus iis in casibus, in quibus jure ordinario ante Concilium facultatem non habebat; et in his quidem subdelegare Vicarium suum potest, uti colligitur ex cap. *Quoniam Apostolica Sedes* 43. De Officio Delegat. At per generalem institutionem Vicarii, non censetur translata in ipsum facultas, quæ speciali tantum jure competit Episcopo, veluti Sedis Apostolicæ Delegato, juxta cap. *Cum in generali* 3. De Officio Vicarii in 6.

Demum cum delegatur Episcopo hujusmodi munus agendi velut Sedis Apostolicæ Delegato cum adjectione dictionis exclusivæ *Solus*, *Tantum* etc. in his casibus Vicarius Episcopi, et alii quicumque excluduntur, cum industria personæ censeatur electa. Quare Episcopus alteri negotium demandare non poterit juxta laud. Cap. Quoniam Apostolica, etc.

Ut vero exemplis ex ipsa Tridentina Synodo deductis eximium hoc doctrinæ caput majori in lumine constituatur, pauca quædam oppido, imo et maxime opportuna adjiciemus

Cum Parochi a Sede Apostolica dispensationem de residentia ad tempus impetraverint, quæ ex veris tantum, et legitimis causis coram Ordinario probandis suffragabitur, officium erit Episcoporum, *tamquam hac parte Sedis Apostolicæ Delegatorum*, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, et congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur, *nemini quoad hoc privilegio, vel exemptione quacumque suffragante*. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 2, *de Reformat.* Hæc autem facultas in Vicarium Generalem Episcopi transfertur, et transit, si Ecclesiæ Parochiales non sint exemptæ. Quia hæc Vicariorum deputatio jure ordinario spectabat ad Episcopum ante Concilium. Cap. *Cum ex eo* 33. § Porro *de Elect. in* 6. Si vero Ecclesiæ sint exemptæ, facultas illa non transit in Vicarium Generalem sine speciali Delegatione, quia eo casu Sacra Synodus Episcopum agere jubet « tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatum. »

Episcopus in sua residens Ecclesia de subreptione, et obreptione gratiæ, quæ super absolutione publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ ad quam reus nuper damnatus fuerat, falsis precibus impetratur, cognoscere potest tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ex eodem Tridentin. Sess. 13. cap. 5. *de Reformat.* Hujus tamen causæ cognitionem suscipere non potest Vicarius Generalis Episcopi. Hanc enim facultas prius Episcopo non competens illi tribuitur, « ut per se ipsum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, etiam summarie, cognoscat, ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem, obtentam esse legitime constiterit, non admittat. » Quamobrem hæc potestas, sive pars jurisdictionis non transit in Vicarium Generalem.

Digitized by Google

Delegat. cessat recusatione legitime proposita, et pronunciata super eam sententia, quod Judex Delegatus sit suspectus; c. *Judex* 5. de Offic. deleg. in 6. et concordant c. *Causam* 17. c. *Insinuante* 25, et c. *Suspicionis* 39. de Offic. et potest. Jud. Deleg. c. *Licet* 10. de foro compet. c. *Ut debitus* 59. de Appellat. c. *Quod suspecti* 15. caus. 3. quæst. 5.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(62. Multa sunt, quæ a jure Pontificio generaliter Delegata sunt Episcopis. Interest autem nosse et quidem ad plures effectus, quando Episcopus in his vere procedat uti Delegatus S. Sedis, et quando procedat uti Ordinarius. (63. Ut enim aliquos afferamus effectus, priori casu, non ad Metropolitanum, sed ad Summum Pontificem appellandum est, at posteriori casu interponenda est appellatio ad Metropolitanum; Fagnan. in c. *Ad audientiam* n. 47. de Ædific. Eccl. (64. Præterea priori casu defuncto Episcopo, in ea Capitulum regulariter non succedit, succedit vero posteriori casu; Leuren. de Vicar. Episcop. tract. 3. cap. 1. quæst. 461. per tot. Vide et alium effectum in Add. ad Ver. Conventus art. 2. n. 42, et duob. sequent.

(65. Ad dijudicandum autem, quando in mox dictis Episcopus procedat tamquam Delegatus Sedis Apostolicæ, et quando tamquam Ordinarius, hæc attendenda sunt.

(66. I. Si agatur de actu, qui minime cadebat sub jurisdictione ordinaria Episcopi, non continuo pronunciandum est, procedere Episcopum ex delegatione Sedis Apostolicæ, sed videndum utrum verba *Auctoritate Apostolica* conjuncta sint cum verbo *Concedimus*, vel simili, an cum verbo *Facias*, vel simili. (67. Si conjuncta sint cum verbo *Concedimus*, extensa potius dici debet jurisdictio Episcopi ad actum illum, sin autem conjuncta sint cum verbo *Facias*, delegata censeri debet a Sancta Sede particularis illa jurisdictio; Garz. de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 40. Leuren. de Vicar. Episcop. tract. 3. c. 1. q. 461. n. 3.

(68. II. Si res sit de actu, quem ordinaria Episcopi jurisdictio complectebatur, non obstantibus quibuscumque verbis importantibus delegationem, dicitur Episcopus procedere qua Ordinarius, quum facta ea dicatur ad firmiorem reddendam jurisdictionem ipsius Episcopi. (69. Hæc vero delegatio fieri a Summis Pontificibus solet cum verbis hisce: *Auctoritate etiam Apostolica*: nam particula illa, *etiam*, est implicativa jurisdictionis ordinariæ; Fagnan. in cap. *His quæ*, numer. 67. de Major. et obed.

(70. III. Si tractatur de actu, qui comprehendebatur utique olim sub jurisdictione ordinaria Episcopi, sed postea privilegio fuit exemptus, regulariter procedere dicitur Episcopus, uti Delegatus Apostolicæ Sedis; Fagn. in c. Ad audientiam num. 46. de Eccles. ædific. Dico regulariter; nam nonnumquam Summi Pontifices submoto obstaculo exemptionis, restituunt ordinariam jurisdictionem, ut quum nullis utuntur verbis continentibus delegationem. (71. Exemplum habes in decretis de celebratione missarum editis a Sacr. Congregatione Concilii interprete, et approbatis a san. mem. Urbano VIII. (72. In iis, enim, ut dictum est in addit. ad verb. Conventus art. 2. num. 41. conventus postea fundandi, qui careant duodecim Religiosis, submoto privilegio exemptionis, restituti dici debent pristinæ ordinariæ jurisdictioni Episcopi; propterea quod nullum occurrit verbum continens delegationem. Hactenus de delegatione a jure.

(73. Quod attinet ad delegationem ab homine, ad illustrationem regulæ firmatæ ab Auctore num. 18. quod delegatus a Principe regulariter potest subdelegare, non importune quæritur, an delegatus ab aliqua Sacra Congregatione Urbis dici queat delegatus a Principe, ita ut possit subdelegare? Affirmare videtur Rota in Cesenaten. Prælationis 4. Maii 1753. § Cætera, coram Illustris. Caprar. Alm. Urb. Gubernat. et in acerrimo partium contradictorio admissum fuit a Sacra Congregatione Concilii interprete in Larinen. Decimarum 10. Maii 1755. et in confirmatoria Decembris ejusdem anni 1755.

(74. Nec incongrua est quæstio illa, an delegato Vicario Generali, delegatus etiam dici debeat successor in eo officio. Negant nonnulli ea de ratione, quod Vicarius Generalis utpote dependens ab arbitrio Episcopi proprie non dicitur habere successorem. At prævaluit affirmativa sententia, propterea quod hodie Vicarius Generalis dicitur habere successorem, attenta ea, quæ ubique gentium invaluit, consuetudine regendi Diœceses per Vicarios Generales: Zypæus Jur. Pontific. nov. lib. 1. de offic. Delegat. numer. 3. Genuens in Prax. Curiæ Archiepiscop. Neapol. c. 85. n. 1.

(75. De Jurisdictione delegata, an ea partium consensu tum expresso, tum tacito prorogari queat de loco ad locum, necnon de tempore ad tempus confer Carleval. de Judic. lib. 1. disp. 1. q. 8. sect. 1. et 2. Bocer. de Jurisd. c. 6. n. 6.

Episcopi; sed nec eidem speciali mandato committi ab ipso potest. Illa enim verba, *per seipsum*, electam demonstrant personæ industriam, et causam Delegari non posse.

Episcopi *etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati*, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismatibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, etc., cogere possunt Rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, vel cultum Divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et divina Officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Constitut. Alexandri III. quæ incipit, *Ad Audientiam*, 3. de Eccles. ædificand. constituere possunt. Ita Concil. Trid. Sess. 21. cap. 4. *de Reform.* Hæc facultas cum Vicario Generali Episcopi communicatur, quia e jure ordinario competit Episcopo. Quare Sacrum Concilium voce, *etiam*, utitur, quæ jurisdictionem ordinariam supponit. « Episcopi etiam tamquam Sedis, » etc.

Digitized by Google

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(76. Sed alia verior hujus rei ratio apparebit ex verbis ipsius Conc. Trid. quæ allegata ab Auctore subsequuntur. « Etsi aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat ordinarius loci cum Consilio Capituli, alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum, ita ut habeat quæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut supra, qualificatas, quibus hujusmodi causæ a quolibet Legato, vel Nuntio, aut etiam a sede Apostolica committantur, alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum judicum, aliis, quam his factæ subreptitiæ censeantur. » (77. Usus delegandi personas in dignitate constitutas non a concilio Tridentino traxit originem, sed a constitutione Bonifacii VIII. in cap. *Statutum* de rescriptis in 6. « Sancimus igitur, ut nullis nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causæ auctoritate Literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, de cætero committantur, nec audiantur alibi quam in Civitatibus, aut loci insignibus, ubi possit commode copia Peritorum haberi. »

(78. Vidit hanc Constitutionem Concil. Trident. et merito confirmavit, sed non satis litigantium indemnitati ita consultum noscens, cum plerique in dignitate constituti non ea sint doctrina præditi, quæ ipsorum dignitati convenit, ideoque nimis fallacem esse deductionem a dignitate ad doctrinam, hinc statuit ut in Provinciali, vel Diœcesana Synodo non modo aliquot eligerentur personæ, quæ essent Ecclesiasticis, et Spiritualibus cognoscendis causis idoneæ, verum insuper mandavit, ut eædem personæ statim ac essent nominatæ ab Episcopis Summo Pontifici denunciarentur, ut ipsis imposterum causas committere tuto valeret. (79. Hujus decreti executio quantum litigantium securitati prospiceret, et ad rectam justitiæ administrationem conferret nemo non videt, nihilominus ab Episcopis neglecta fuit, qui numquam Judicum Synodalium nomina ad Apostolicam Sedem transmiserunt, si causam excipias a Cardinali Bellarmino comment. in Concil. Trident. ad cap. 10. sess. 25. adnotatum, ut observat. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 4. cap. 5. § 6. (80. Hinc factum est ut Tridentina Sanctio in desuetudinem quasi prorsus abierit, et Sedes Apostolica ad normam cap. *Statutum* personis in dignitate constitutis nulla habita Synodalium judicum ratione, quorum nomina ignorat, causas committit,

(81. Ita ad rem notat Barbos. comment. in Concil. Trid. dict. cap. 10. sess. 25. num. 25. « Decretum hoc de committendis causis solis Judicibus Synodalibus respectu Papæ in usu non est cum adhuc frequenter ipse committere soleat causas aliis personis, tam in dignitate Ecclesiastica constitutis, quam deputatis in Synodo; sed id verosimiliter ex eo proceait, sive quia sit supra Concilium, sive quod Diœcesani Episcopi ex sua parte etiam non curent, ad Summum Pontificem transmitti nominationes, et designationes Judicum a Synodo factas, quod tamen juxta hoc Decretum facere tenentur, et sic Papa ex quadam quasi necessitate justitiæ administrandæ decretum non observat. » (82. Hac inobservantia nonnulli interdum apud Sac. Congregat. Concil. conquesti sunt Episcopi, eo quia minus idoneis delegarentur causæ, quæ Sacra Congregatio dissimulans, hujusmodi abusus a sola Episcoporum oscitantia, et culpa procedere, decrevit ut Tridentinum Decretum executioni demandaretur, prout rescripsit ad Turritanum Antistitem die 3. Febr. 1635. lib. 5. decret. pag. 162. a terg. « Significatum est Ministris hujus Sanctæ Sedis pro commissione causarum in partibus, ut eas nonnisi ab Archiepiscopo in Synodo ad præscriptum cap. 10. sess. 25. de reformat. designatis, et notificandis committant, » (83. et ita dum Sac. Congregationis Secretarii fungebatur munere observari curavit, ut ipse testatur, Benedict. XIV. loc. cit. in fin. ubi § 7. et 8. diligenter exquirit, et rejecit causas, ob quas, Episcopi negligunt ad Apostolicam Sedem transmittere nomina Judicum Synodalium. Vide ulterius litteram encyclicam ejusdem Benedict. XIV. inter suas Constit. *Quamvis paternæ* 28. tom. 1. Bullarii, et Gagliard. instit. jur. Canonic. lib. 1. tit. 25. § 4.

(84. Solet interdum Romana Curia causas ut plurimum contentiosas non uni tantum, sed duobus, vel tribus, aut etiam pluribus delegare ad exemplum juris civilis in l. 76. ff. de judiciis, iisque in solidum cum clausula, quod si omnes interesse nequiverint, vel noluerint, unus vel duo procedere valeat, cap. Prudentiam 21 cap. *super* 3. et cap. *licet* 30. de offic delegat. Hoc casu Apostolicas delegationis litteras uni ex pluribus delegatis, quem maluerit, pars solet exhibere, quod si ille recuse commissum officium acceptare, aut ex adversa parte suspectus allegetur, tunc litteræ aliis quoque singillatim exhibentur. Gagliard instit. jur. Canonic. lib. 1. tit. 25. § 5. præsertim in notis lit. A. et electi Judicis sententia, etiam insciis aliis, et non convocatis, valet. Hoc idem dicendum si causa pluribus in solidum delegata sit, dummodo tamen clausula delegationis his non sit concepta verbis, « si non omnes interesse, vel cognocero poteritis, tum duo vel reliqui procedant, et causam exequantur. » Hoc quippe casu constare debet de impedimento illius, qui non interfuit, secus aliorum sententia nullius remanet roboris, ut casum a casu distinguendo docet Pirhing in Decretal. lib. 1. titul. 29. sect. 2. § 2. num. 42. et 43. Quod si his, vel similibus omissis clausulis, causa pluribus sit simpliciter delegata, tunc unus sine alio nequit procedere, et unius sententia absque aliorum approbatione irrita remanet; Pirhing loc. citat. numer. 39. Intelige tamen quando partes a duobus, vel uno tantum ex Judicibus delegatis citatæ omnibus delegatis præsentibus compareant, licet

Digitized by Google

non tenerentur c. Cum causa in princ. de offic. et potest. Judic. deleg. Pirhing loc. cit, num. 40. Cæterum si duo tantum ex tribus delegatis procedant, sententia nullius roboris est, licet tertius ex post eam ratam habeat; Pirhing. loc. cit. num 41. nisi unus ex delegatis vices suas alteri condelegato commiserit. Cap. *Quamvis* 6. de offic. judic. delegat. Delegatus enim, licet a Pontifice, nequit aliis suam subdelegare jurisdictionem præter condelegatis, quibus, uno deficiente, munus delegationis superest obeundum, præterquam in casu mortis; cap. *Uno* 42 de offic. judic. deleg. Gagliard. Instit. jur. Canonic. lib. 1. tit. 25. § 5. in fin.

(85. Delegati vero officium in hoc versatur, uti ipse ad formam a literis delegationis præscriptam, juris ordine servato, suum diligenter exequatur munus, nec ullo modo jurisdictionis sibi mandatæ fines excedat, adeo ut irritum nullumque prorsus habeatur quidquid vel præter, vel contra tenorem accepti mandati, et juris ordinem, agere tentarit, nisi agatur de rationalibus exceptionibus commissæ causæ connexis, quæ licet in delegationis literis expressæ non sint, possunt tamen a delegato cognosci, dummodo id expresse prohibitum non sit; cap. *Ex parte tua* 13. cap. *prudentiam* 21. de offic. judic. delegat. cap. *Cum dilecta* 22. de rescriptis. Quod adeo verum est, ut neque ex partium consensu ad alias quam a Delegante designatas causas possit mandata jurisdictio prorogari, aut ad alias personas extendi; c. *P. G. per literas* 40. de offic. judic. deleg.

(86. Quod supra diximus delegatum de accessoriis causæ posse judicium ferre, id limitari solet in iis rebus « quæ specialem requirunt commissionem : secundo si quod expediri debet proprie, ac directe, non ad causam delegatam, sed ad alterius jurisdictionem, ac potestatem pertineat : tunc enim is prius monendus est, ut præstet quod ex officio debet, si vero malitiose id detrectet, tum demum expedire id poterit delegatus. » Pirhing. in decret. lib. 1. tit. 29. sect. 4. § 82. 83. Layman in cap. *Prudentiam* § sexta not. 2. de offic. jud. delegat. Cæterum ubi causa aliqua delegatur, ea insuper omnia, sine quibus eadem nequit ad exitum perduci censentur commissa, usque ad sententiæ definitivæ prolationem, vel executionem; c. *Suspicionis* 39. de offic. jud. deleg.

(87. His ita præmissis, Delegatus partes coram se in jus vocaturus, non modo de acceptæ delegationis tenore certiores reddere tenetur, sed ipsis quoque suæ delegationis litteras ostendere debet, et in actis publicis exhibere. Ex plene cumulatie per Rotam cor. Molines decis. 27. num. 9. coram Falconer. de benefic. dec. 11. num. 6. cor. Crispo decis. 390. num. 4. et decis. 406. n. 4. cum nemo, « nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiterit, exequi non cogatur, quod mandatur » cap. *Cum in jure peritus* 31. de offic. delegat. (88. Deinde locum audientiæ suæ præfinire debet infra spatium viginti miliarum designandum, quod unius legitimi diei est iter, cum longius distantes ad delegati nequeant judicium trahi, ut in cap. *Statutum* de rescriptis in 6. definit Bonifac. VIII. licet Innocent. III. (89. antea statuisset longius duorum dierum spatium. Demum jurisdictionem sibi mandatam, partibus rite auditis exercebit, omnia quæ ad causam spectant, accurate cognoscens; cap. *Præterea* 5. de offic. delegat. contumaces æque ac judicato non parentes puniet, et pœna vel a legibus indicta, vel arbitraria eosdem coercere poterit, nullo facto personarum discrimine, licet de Prælato, et Ordinario loci agatur, etiamsi in delegationis litteris hoc expressum non legatur. Pirhing. loc. supr. citat. § 72. et plur. seq. Gagliard. loco citato § 6.

(90. Hic quæri potest an Delegatus possit a Litigantibus aliquid accipere intuitu susceptæ muneris. Absolute negat Pirhing in Decretal. lib. 3. tit. 1. § 7. 8. et 9. sive delegatus sit a Papa, sive a Principe, sive ab alio inferiore Judice Ordinario veluti Episcopo, excepto tamen casu, quo propriam domicilium egrediatur. Molin. de just. et jur. tract. 2, disp. 84. n. 7. et 12. et disp. 85. n. 2. Vide tamen declarationes allatas a Pirhing. loc. cit.

DENUNCIATIO

QUOAD DELICTA SPECTANTIA AD S. OFFICIUM.

SUMMARIUM.

1. Affertur in primis Edictum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ. — 2. Ex tali Edicto denunciandi sunt Hæretici, et suspecti de Hæresi, Schismatici, eorumque fautores. — 3. Hæretici evidenter cogniti tales denunciandi sunt, quamvis probari non possint. — 4. Item denunciandi sunt superstitiosi, si sua superstitio sit cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione, et sit mortaliter peccaminosa. — 5. Item denunciandi sunt docentes, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, et proferentes aliquam ex pravis propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint tales propositiones? *remissive*. — 6. Item denunciandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia in Confessione etc. frangentes sigillum Confessionis. — 7. Item denunciandi sunt Sacra Scriptura abutentes in sortilegiis, incantationibus, divinationibus, et hujusmodi. — 8. Denunciandi sunt tandem omnes, et singuli, quos denunciandos esse præcipiunt Edicta Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ, et Edicta particularium Inquisitorum, seu Ordinariorum cujusque respective Diœcesis. — 9. Ad denunciandum ex vi Edictorum tenentur omnes, et singulæ personæ sive mares, sive mulieres plenum, et perfectum rationis usum habentes, sive sæculares, sive Moniales, et regulares cujuscumque gradus, ordinis, etc. — 10. Affertur ad id Edictum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ. — 11. Hinc sub talibus Edictis tam quoad denunciationem activam, quam passivam, comprehenduntur Regulares omnes, etiam Generales. — 12. Item etiam Cardinales, Duces, Reges, et Imperatores, licet contra ipsos non soleat procedi, nisi consulto summo Pontifice. — 13. Filius tenetur denunciare Patrem hæreticum; et pater hæreticum filium, etiamsi non dogmatizet. Et a fortiori ad id tenetur uxor, maritus, frater, soror,

Digitized by Google

et alii conjuncti. — 14. An quæ dicta sunt de ipsis formaliter hæreticis, dici debeant etiam de ipsis solum de Hæresi suspectis, *ad n.* 15.— 16. Hæreticus, aut suspectus de Hæresi non tenetur denunciare se ipsum, nisi quando interrogatur ut reus a Judice. — 17. Item Hæreticus socius criminis non tenetur denunciare complicem, nisi quando juridice interrogatur. — 18. Catholici non tenentur denunciare Hæreticos in locis illis, in quibus sunt permixti, id scientibus Episcopis, et inquisitoribus. — 19. Obligatio denunciandi formaliter Hæreticum perseverat adhuc post mortem ipsius Hæretici. — 20. Immo obligatio denunciandi formaliter Hæreticum jam mortuum, perpetuo durat. — 21. Obligatio autem denunciandi alios reos quantumvis vehementer de hæresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium. — 22. Viget obligatio denunciandi Hæreticum, quamvis credatur jam emendatus.—23. Viget obligatio denunciandi delinquentem, etiamsi statim post commissum delictum pœniteat, si in ipso cognoscatur fuisse plenam advertentiam, et deliberationem ad sic delinquendum. — 24. Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, et honore non liberat ab obligatione denunciandi formaliter Hæreticum, etiamsi non dogmatizet. — 25. Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denunciandi solum suspectum de Hæresi. — 26. Licet quis, aut quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denunciari. — 27. Accedens ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed inducendi Confessarium ad Hæresim, est a Confessario denunciandus.—28. Non tenetur tamen, nec potest Confessarius denunciare Hæreticum, quem talem scit ex vera ipsius Sacramentali Confessione. — 29. Immo nedum Confessarius, sed nec qui casu aliquo talem pœnitentem suam Hæresim Confessario Sacramentaliter confitentem audivit, debet ac potest denunciare, ac revelare. — 30. Non excusatur tamen a denunciando Hæreticum formalem Confessarius sciens delictum ratione consilii a se petiti, nisi consilium a se petatur, et detur in Sacramentali Confessione. — 31. Ab obligatione denunciandi Hæreticum, aut suspectum de Hæresi non excusat secretum naturale, sub juramento de non revelando. — 32. Nec etiam excusat ab obligatione denunciandi, si delictum sit occultum, et probari non possit. — 33. Item non excusatur ab obligatione denunciandi, qui commissum delictum audivit a persona fide digna. — 34. An autem denunciare teneatur, qui audivit a persona levi, et non fide digna. *Remissive.* — 35. Quando plures sciunt commissum delictum, etiamsi unus denunciaverit, non excusantur alii ab onere denunciandi. — 36. Denunciatio Hæretici ex malitia, aut suspecti de Hæresi, est facienda nulla præmissa correctione fraterna, etiamsi firmiter emandatio speretur. — 37. Denunciatio est facienda intra terminum in Edictis præfixum. — 38. Qui sine justa causa, et legitimo impedimento non denunciat intra præfixum terminum, peccat mortaliter, et incurrit ipso facto excommunicationem reservatam Summo Pontifici, et Inquisitoribus, seu Ordinariis. — 39. Qui intra præfixum terminum non denunciavit, tenetur, adhuc post elapsum dictum terminum denunciare. — 40. Denunciatio in Regnis Hispaniarum fieri debet solis Inquisitoribus; in aliis vero Regnis, et Provinciis potest fieri etiam Episcopis. — 41. Pœnitens, qui ob non factam denunciationem intra præfixum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim denunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit privilegiatus. — 42. Pœnitens, qui ob omissam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi a privilegiato, non autem a simplici Confessario. — 43. Sic pœnitens qui intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea ex aliqua causa extinguatur onus denunciantis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato. — 44. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere pœnitentes obligatos ad denunciandum, antequam actu denuncient. — 45. In aliquibus tamen casibus expedit, quod confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. — 46. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi. — 47. In casu, quo reperiatur vera obligatio denunciandi, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum quid agendum. — 48. Quamvis Confessarius non moneat pœnitentem de obligatione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. — 49. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non monent pœnitentes de obligatione denunciandi, seu docent ad id non teneri, sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus. — 50. Denunciationes debent fieri in scriptis cum expressione nominis, et cognominis denunciantis, et subscriptionis illius, si sciat scribere, et non denuncians hoc modo non potest absolvi. — 51. Omittentes denunciare Hæreticum, cum possunt, et ad id tenentur ex Officio, et testes legitime interrogati veritatem celantes, aut minuentes sunt suspecti de Hæresi, et fautores Hæreticorum; adeoque ultra Excommunicationem Edicti incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, et sunt denunciandi. — 52. Non sic autem si omittant denunciare ob causam in se honestam. — 53. Sic etiam omittentes denunciare suspectum de Hæresi, non sunt ita suspecti de Hæresi ut denunciandi, quamvis possint puniri omnibus aliis pœnis statutis in Edictis Inquisitorum.—54. Legitime impeditus, durante impedimento, non tenetur denunciare per alium. — 55. Alia ad rem, *remissive.*

(1. Affertur in primis edictum Universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, ut sequitur.

« Noi, etc. Per la misericordia di Dio, della S. Chiesa Romana Cardinali in tutta la Republica Cristiana contra l' eretica pravità Generali Inquisitori della S. Sede Apostolica specialmente deputati.

« Essendo a noi per la continua experienza manifesto, che molti per malizia, altri per inobedienza, ed altri per ignoranza non soddisfanno all' obbligo, che hanno di denunciare al Sant' Offizio li delitti spettanti ad esso, e che per ciò succedono grandissimi inconvenienti, ed errori, non solamente contro i buoni, e Cristiani costumi, ma ancora contro la Fede Cattolica; Noi per tanto, ai quali specialmente dev' essere a cuore la gloria di Dio, la conservazione, ed augumento della Fede Cattolica, e la salute dell' anime, volendo provvedere a tanto disordine, con autorità Apostolica a Noi commessa, comandiamo in virtù di Santa Ubbidienza, e sotto pena di scommunica di lata sentenza, oltre l'altre pene prescritte da' Sacri Canoni, Decreti, Constituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del presente Editto a tutte, e ciascuna persona di qualunque stato, grado, condizione, o Dignità, cosi Ecclesiastica, come Secolare, che fra il termine di un mese, dieci de' quli per il primo, dieci per il secondo, e dieci il terzo termine perentorio, si debbano rilevare, e giuridicamente notificare al S. Officio, ovvero agli Ordinari, tutti e ciascuno di quelli, de' quali sappiano, o abbiano avuto, o averanno notizia :

« Che siano Eretici, o sospetti, o diffamati di eresia, o credenti, fautori, o ricettatori.

Digitized by Google

o difensori loro, o abbiano aderito, o aderiscano a' Riti de' Giudei, o Maomettani, o de'Gentili, o abbiano apostatato dalla Santa Fede Cristiana :

« Che abbiano fatti, o facciano atti, da'quali si possa argomentare patto expresso, o tacito col Demonio, esercitando incanti, magie, sortilegi, pergendoli suffumigi, incensi per trovar tesori, ed altri intenti, chiedendo da lui risposte, e invocandolo, ed a questo effetto promettergli obbedienza, e consecrargli pentacoli, libri, spade, specchi, o altre cose, nelle quali intervenga il nome, ed opera sua :

« Che si siano ingeriti, o ingeriscano in far esperimenti di Negromanzia, e di qualsisia altra sorte di Magia con entrare ne' circoli, far l' esperimento della Caraffa, del Crivello, per trovar i medesimi tesori, e cose nascote rubate, o perdute, e fare altre simili, e superstiziose azioni ad altri fini, massime con abuso de' Sacramenti, o di cose sagre, o benedette

« Che senza licenza dovuta ritengano scritti, che contengano Eresie, o Libri Eretici, che trattino *ex professo* di Religione, e che gli abbiano letti, o tenuti, o stampati, o fatti stampare, o li leggano, tengano, stampino, facciano stampare, introducano, difendano sotto qualsivoglia pretesto, o colore

« Che abbiano Libri di Negromanzia, Magia, o continenti incantesimi, sortilegi, o simili superstizioni, massime con abuso di cose sagre.

« Che contro il voto solenne fatto nella Professione in qualsivoglia Religione approvata, o dopo avere preso l' Ordine sagro, abbia contratto, o contragga Matrimonio.

« Chi, vivendo la prima Moglie, pigli la seconda, o vivendo il primo Marito, pigli il secondo.

« Che contro i Decreti, e Costituzioni Apostoliche abbiano abusato; o abusino il Sacramento della Penitenza, servendosi della Confessione, e Confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i Penitenti *ad turpia*, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, per il quale è stato istituito.

« Che abbiano proferito, o proferiscano bestemmie ereticali contro Dio, la Beatissima Vergine, e i Sancti, o procedano a qualche atto di offesa, e disprezzo contro l' Immagini, o figure rappresentanti il medesimo.

« Che abbiano tenute, o tengano occulte conventicole, o radunanze in pregiudizio, disprezzo, o contro la Religione.

« Che abbiano indotto qualche Cristiano ad abbracciare il Giudaismo, o altra Setta contraria alla Fede Cattolica, o impedito i Giudei, o Turchi a battezarsi.

« Che non essendo ordinati Sacerdoti, s'abbiano con sacrilego ardire usurpato, o si usurpino di celebrare Messa, ancorchè non abbiano proferito le parole della consacrazione, o abbiano presunto di ministrare il Sacramento della Penitenza a' Fedeli di Cristo, ancorchè non si sia venuto all' atto dell' assoluzione.

« In oltre si dichiara, che quelli, i quali non dinuncieranno, come si ordina col presente Editto, non posano essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato li delinquenti, al che non possano soddisfare con bollettini, o lettere senza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, dei quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

« Si dichiara anche, che con la sudetta espressione de' casi di sopra da Noi specificati da rivelarsi, non si escludono gli altri casi spettanti al S. Officio, che per altro sono compresi ne i Sacri Canoni, Costituzioni, e Bolle de Sommi Pontefici : nè meno col presente Editto s' intende derogato all' altre provisioni Canoniche Apostoliche, ed agli altri Editti degli Ordinari, ed Inquisitori.

« Ed a fine che del presente Editto non si possa pretendere ignoranza, comandiamo, che sia affisso per i luoghi soliti di Roma, e si notifichi alli Vescovi delle Città vicine a Roma, nelle quali non son Inquisitori, acciochè lo publichino, ed ordinino, che li Parochi delle loro Diocesi lo leggano ogni anno la prima Domenica dell' Avvento, e la prima di Quaresima; il che parimente vogliamo, che si faccia dalli Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chiese in tempo, che si troverà in esse congregato il popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chiese, e Sagrestie di esse un esemplare del medesimo per osservare quanto in esso si ordina.

« Dal Palazzo del Sant' Offizio questo di 10 Marzo 1677.

« Loco ✠ Sigilli.

« Franciscus Riccardus S. Romanæ, et Universalis Inquisitionis Not. »

(2. Ex tali Edicto manifeste patet, quinam sint denunciandi; nempe Hæretici, et suspecti de Hæresi, Schismatici, eorumque fautores, et receptatores. Vide etiam verb. Hæreticus n. 32 et 33. (3. Ubi additur quod Hæretici evidenter cogniti tales sunt denunciandi, quamvis probari non possint.

(4. Item denunciandi sunt vere superstitiosi, si sua superstitio sit cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione, et sit mortaliter peccaminosa. Vide verb. Superstitio per tot, et signanter n. 77.

(5. Item denunciandi sunt docentes, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, et proferentes aliquam ex pravis propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint propositiones damnatæ; Vide verb. Propositiones damnatæ a n. 1, ad 20. Et quæ sint pravæ propositiones spectantes ad S. Officium? Vide ibid. a n. 22, ad 45.

(6. Item denunciandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia in Confessione, vel occasione, seu prætextu Confessionis, tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. Vide verb. Confessarius *quoad sollicitationem ad*

Digitized by Google

turpia, et signanter a n. 34, sic etiam denunciandi sunt Confessarii frangentes sigillum Confessionis. Vide verb. SIGILLUM CONFESSIONIS a n. 25, usque ad finem.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Generaliter loquendo nulla extare videtur obligatio denunciandi Sigilli Sacramentalis fractorem, contra ac sentit Auctor : res etenim hujusmodi cum ad hæresim minime pertineat, neque ad Sacræ Inquisitionis Tribunal pertinere dignoscitur. Dari tamen potest casus, in quo prædicti sigilli fractor denunciandus sit, videlicet si Pœnitentiæ Sacramento, atque exceptis Confessionibus ad contemptum abutatur; si neget quæ Catholica docet Ecclesia tum circa custodiam, religionemque Sacramentalis sigilli, tum circa reliqua, quæ hoc Sacramentum componunt, vel ob similes alias causas sigilli fractor sit graviter de hæresi suspectus. Hisce profecto in casibus talem fractorem denunciandi urget obligatio.

RESPONSIO AUCTORIS AD THEOLOGUM.

Asserit hic R. Theologus, quod generaliter loquendo, nulla extare videtur obligatio denunciandi sigilli Sacramentalis fractorem, contra ac sentit Auctor. Fateor quidem, non extare formale, et explicitum præceptum de hac denunciandi obligatione, sed non deesse Formale et implicitum, deducitur ex cap. *Sacerdos* 2, dict. 6, de Pœnitent. et cap. *Omnis utriusque* 12, de Pœnitent. et remiss. ubi decernitur tam grave delictum gravissimis pœnis esse plectendum, quod sine accusatione, seu denunciatione evaderet impunitum; unde necesse est ut tales fractores denuncientur, ut sic possint puniri juxta citatos Canones, ne tam enormia scelera communi bono ita perniciosa, per impunitatem invalescant, quia impunitas esset maximo periculo retrahendi pœnitentes ab ipso. Hinc Alphonsus de Leone de Officio Confessarii tom. 1, resolut. 29, num. 12, casu 2, expresse dicit, hos Confessarios fractores sigilli denunciandos esse S. Officio, et ita etiam communis vulgi opinio arbitratur, ut refert Carena de Officio S. Inquisitionis tit. 17, § 23, num. 90, qui tamen num. 91, testatur se nunquam vidisse similes processus agitari in S. Officio, prout vidit quandoque eosdem agitari in foro Episcopali; in quo foro Episcopali egomet scio, pluries fuisse cum debita cautela receptas similes denunciationes de simplici violatione Sigilli Sacramentalis sine ulla suspicione hæresis, aut pravi dogmatis, et statim ab Ordinario fuisse Confessarios violatores suspensos a facultate audiendi Sacramentales Confessiones, et denunciationes missas fuisse Romam, unde fuisse rescriptum, observanda esse eorum vestigia, attenta relatione de eorum bona fama, et quod non fuerint recidivi. Et revera ad forum Episcopale pertinet cognitio hujus delicti, ubi mera sit Confessionis revelatio sine ulla mixtura hæresis, aut pravi dogmatis. Si vero Confessionis revelatio sit ita qualificata, ut inde oriatur suscipio hæresis, aut pravi dogmatis, spectat ad S. Officium, ut jam traditi sub verb. SIGILLUM n. 36, et cum pluribus aliis tenent Pignatell. t. 1, consult. 54. Molfes. p. 1, sum. tract. 7, 6. 23, n. 68 et seqq. Felix Potestas tom. 2, par. 2, cap. 7, n. 233. Gobat tom. 2, tract. 5, cap. 42, sect. 7, per tot. Bonac. disp. 5, de Pœnit qu. 7, sect. 5, num. 6. Diana, et alii apud Pignatell. loc. cit. Videantur ad rem, et exacte perpendantur tres Constitutiones Benedicti XIV, prima incip. *Suprema* sub dat. 7 Septemb. 1745. secunda incip. *Ubi primum*, sub dat. 2 Julii 1746. et tertia incip. *Ad eradicandum* sub dat. 28 Septembris 1746, et public. die 5 Octobr. ejusdem An. 1746, et quæ ego tradidi in verb. SIGILLUM, et in Supplementis ad verb. CONFESSARIUS. Videantur etiam quæ sub verb. SIGILLUM CONFESSIONIS, in novis Additionibus ex aliena manu traduntur, ex diversis decretis Sac. Congreg. S. Officii; et ex doctrina Albicii de Inconstantia in Fide cap. 35, et omnia quæ ibi concluduntur.

(7. Item denunciandi sunt Sacra Scriptura abutentes in sortilegiis, incantationibus, divinationibus, et hujusmodi. Vide verb. SCRIPTURA SACRA num. 41 et 43.

(8. Denunciandi sunt tandem omnes, et singuli, quos denunciandos esse præcipiunt Edicta Universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, et Edicta particularium Inquisitorum, seu Ordinarior. cujusque respectivæ Diœcesis. Unde sunt ipsa diligenter attendenda, et omnimode observanda sub comminatis Censuris. Vide interna supra n. 1.

(9. Ad denunciandum ex vi Edictorum tenentur omnes, et singulæ personæ sive mares, sive mulieres plenum, et perfectum rationis usum habentes, sive sæculares, sive Moniales, et Regulares cujuscumque gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ existant, et quacumque dignitate, et auctoritate etiam maxima fulgeant, ut patet ex verbis Edicti allati supra num. 1, et alterius ejusdem Universalis, ac supremæ Romanæ inquisitionis, quod est, ut sequitur

(10. « Universis, et singulis Christifidelibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus utriusque sexus, cujusvis gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ existentibus, et quacumque dignitate, et auctoritate etiam maxima fulgentibus, harum serie, et tenore, auctoritate nostra, et hujusmodi nostri Officii, qua fungimur in hac parte, præcipimus, et mandamus, quatenus infra duodecim dies proxime computandos quorum primos quatuor pro primo, et reliquos quatuor immediatos pro secundo, et ultimos quatuor pro tertio termino, et peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, et singulos Hæreticos, seu de Hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reverendo Commissario nostro quo ad habitantes in Urbe, quo vero ad alios extra Urbem, et ubivis locorum degentes Inquisitoribus, vel Locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus sub Excommunicationis majoris latæ

Digitized by Google

sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, judicialiter propalare, cujus excommunicationis majoris absolutionem S. D. N. Papæ, et Nobis reservamus, certificantes hujusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quod contra ipsos tamquam contra Hæreticorum fautores, alias prout melius visum, et judicatum fuerit, procedetur, ideo, etc. Datum in nostra et Officii S. Rom. Univ. Inquisit. Congregatione die 3 Januarii 1623. »

(11. Hic sub talibus Edictis tam quoad denunciationem activam, quam quoad passivam comprehenduntur quicumque Regularium Superiores, etiam Generales, quidquid dixerint aliqui, ut habetur expresse ex Decreto Alexandri VII. incip. *Licet alias*, in quo confirmat et ampliat Constitutionem Pauli V. incip. *Romanus Pontifex*, etc., præcipitque legendum quotannis Kalendas Martii in publica refectione, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato sub pœnis privationis Officii, vocis activæ, et passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipso facto incurrendis, etc. Unde a nemine ignorari potest dicta eorum obligatio ipsis etiam supremis Superioribus, ac omnibus subditis Regularibus imposita sub gravissimis pœnis, et Censuris, etiam Excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto absque alia declaratione incurrendis, ac Papæ reservatis.

(12. Item sub talibus Edictis tam quoad denunciationem activam, quam passivam comprehenduntur e iam Cardinales, Duces, et Reges, ac Imperatores, licet contra istos postea non soleat procedi, nisi consulto Summo Pontifice; Carena de Officio Sanctissimæ Inquisitionis par. 2, tit. 9, n. 26 et 28, Bordon. in Manual consult. sect. 26, a num. 16, ad 21. Suarez de Fide disp. 20, sect. 4, num. 24, Pegna part. 3, Comment. 80, Felix Potestas tom. 2, par. 2, cap. 4, num. 252. Paramus de Origine Sanctissimæ Inquisitionis lib. 3, qu. 5, n. 23, et pluribus sequentibus, ac num. 40, ubi refert exemplum Caroli V. Imperatoris, qui jussit Joannæ ejus filiæ ab Inquisitoribus vocatæ, ut coram ipsis de nonnullis Fidem tangentibus contra quemdam interrogaretur, et quid ad rem sciret, statim deponeret, tam contra alios, quam contra se, si culpabilem, ne Excommunicationem incurreret; et ipsa illico, totum quod scivit, deposuit coram D. Ferdinando Valdes, tunc Generali Inquisitori, et hoc vigore particulæ in Edicto Inquisitionis Universalis, ac supremæ Romanæ positæ, nempe *quacumque dignitate, auctoritate, etiam maxima fulgentibus*, ut patet in Edicto allato supra n. 10.

(13. Filius tenetur denunciare patrem Hæreticum, et pater Hæreticum filium, etiamsi non dogmatizet. Et a fortiori ad id tenentur uxor, maritus, frater, soror, et alii conjuncti. Sic Ludovicus a Paramo de origine Sancti Officii lib. 3, qu. 8, num. 83, Suarez de Fide disp. 20, sect. 4, num. 21, Farinac. de Hæresi qu. 167, num, 40, Diana par. 17 tract. 4, resol. 4, Bordon in Tribunal. Fidei cap. 31, num. 13, Sanctarellus de hæresi c. 9. n. 4, Felix Potestas tom. 2, par. 2, cap. 5, n. 269. Carena l. c. § 3, num. 10, testans de communissima Doctorum contra Abulensem, et paucos alios. Et hæc conclusio colligitur ex Deuteronomii 13, ubi expresse habetur : Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, et serviamus Diis alienis, etc. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis, et occultes eum. Et ratio est, quia bonum commune Religionis prævalere debet bono privato patris, filii etc. cap. *Scias frater* 25, caus. 7, quæst. 1, cap. *Bonæ memoriæ* 3, de postulat. prælat. et ibi Gloss. verb. *Commune*, l. *Actione* 65. § 5, ff. *Pro socio*, novella 30, cap. 1, vers. *Ea enim*. cum similibus. Nec valet dicere, quod filius excusandus est ab hac denunciatione, cum ex ipsa oriantur ei gravissima damna, ut pœna infamiæ, confiscatio bonorum, et hujusmodi. Non valet, inquam, quia filius denuncians patrem Hæreticum evitat omnes pœnas filiis Hæreticorum inflictas, ut docent Pegna ad director. sub litt. *B*. Comment. 15, pract. 2, Sanctarellus loc. cit. n. 15, Suarez l. c. n. 22, Carena l. c. n. 11, Felix Potestas l. c. n. 269, Alberghinus in Manual. qualif. cap. 35. n. 5, et alii passim.

(14. An autem quæ dicta sunt de patre, filio, fratre, sorore, marito, uxore, et aliis conjunctis formaliter Hæreticis dici debeant de ipsis etiam solum de Hæresi suspectis? variant Doctores. Affirmant Alberghinus in manual. qualif. cap. 35. n. 7. Diana p. 8. tract. 7. resol. 10. in fine; Felix Potestas l. c. n. 272, Carena l. c. n. 13, et alii apud ipsos. Et ratio est, quia eadem militat ratio in Hæreticis, ac in suspectis de Hæresi. Ubi autem eadem est ratio ibi eadem est Legis dispositio; l. *Ideo* 27. ff. *de Legibus*; l. *Illud* 32, ff, Ad Leg. Aquiliam cum ratio Legis sit anima Legis; l. *Cum ratio* 7, *de bonis damnator*. Tum quia Edicta Inquisitorum loquuntur generaliter, adeoque de omnibus sunt generaliter intelligenda, cum verba generalia generaliter sint intelligenda; cap. *Quia* 22, de privileg. et qui dicit omnia, nihil excipiat; c. *Solitæ* 6, § Nobis, de Majorit. et obed. cum similibus.

(15. Alii autem probabiliter defendunt contrarium. Sic Bordon. in Tribunal. Fidei cap. 31, num. 13 et 14, et in manual. consult. sect. 18, num. 46, Sanctarellus de Hæresi cap. 33, n. 6, Homobon. et Lazarius apud Dianam part 1, tract. 4, resol. 6, cum aliis apud Carenam loc. cit. num. 12, ubi num. 13, ipsemet subjungit, quod hæc opinio sit satis probabilis, et summa æquitate nitatur. Et ratio istorum est, quia, ut notat Abbas in cap. *Inter sollicitudines* de purgat. Canon. n. 6. traditio est, quod statutum et dispositio loquens de Hæreticis non habet locum in suspectis de Hæresi, et Doctores loquentes de conjunctis obligatis ad denunciandum suos conjunctos, loquuntur de suis conjunctis Hæreticis, adeoque illorum traditio non

Digitized by Google

debet extendi ad eosdem tantum de Hæresi suspectos, cum de ipsis sit minor ratio, et minus periculum. Eo vel maxime quod pœnalia potius restringi convenit, quam laxari, textu expresso in cap. *Statutum* 22. de Elect. in 6, et concordat cap. *In pœnis* 49, de Reg. juris in 6, l. *Factum* 155, § 2, de reg. jur. l. Cum quidam 19. ff. *de Liberis et posthumis*.

(16. Hæreticus, aut suspectus de Hæresi non tenetur denunciare seipsum, nisi quando interrogatur ut reus a Judice; Sanctarellus de Hæresi cap. 9, n. 18, Diana p. 1, tract. 4. Resol. 8, Felix Potestas l. c. n. 273, Carena l. c. n. 30, et alii communiter. Et ratio est, quia nemo tenetur prodere seipsum; cap. *Quis aliquando*, de Pœnit. dist. 1, et nullus tenetur suam turpitudinem detegere; l. Alias 18, ff. *de jurejurando*. Immo suam turpitudinem vel dolum allegans non auditur, leg. *Mercedem*, 5, Cod. *de condict. ob turpem causam;* leg. *Si Creditoribus* 5, Cod. *de servo pignori dato manumisso* leg. *Cum profitearis* 4, Cod. *de revocandis donat.* cap. *Inter dilectos* 8, de donat.

(17. Item Hæreticus socius criminis, ut si particeps vel causa fuit, alter fieret Hæreticus, non tenetur denunciare complicem; nisi juridice interrogetur. Sic expresse Bonac. tom. 1, disp. 6, punct. 2, de Den nciat. num. 8, cum aliis a se citatis. Et quod complex non teneatur denunciare complicem in quacumque materia fuerit complex, tenent Portell. in addit. ad dubia Regular. verb. Denunciatio num. 10; Suarez, et Megala, apud Dianam loc. cit. resolut. 9; Bordon loco cit. n. 15. Hurtad. et alii apud Leandrum de Pœnit. tract. 5. disp. 13. quæst. 43. Et ratio est quia, ut dictum est numero antecedenti, nemo tenetur seipsum prodere, nisi juridice interrogetur, nec suam turpitudinem detegere per jura allegata. Complex autem in tali casu saltem indirecte proderet se ipsum, et detegeret turpitudinem suam, cum non possit quis manifestare complicem delicti, quin manifestet seipsum. Tum quia complex denunciatus interrogatus manifestaret denunciatorem socium criminis. Fateor tamen vere probabilem esse etiam contrariam sententiam, quæ dicit, quod in casu Hæresis formalis tenetur quis denunciare complicem, licet ad id non teneatur in casu suspicionis Hæresis, uti tenent Bordon. loc. cit. n. 19. et alii apud ipsum, et Felix Potestas loc. cit. n. 275.

(18. Catholici non tenentur denunciare Hæreticos in locis illis, in quibus Hæretici sunt permixti cum Catholicis, id scientibus Inquisitoribus, et Episcopis, cum nemo obligetur ad opus inutile; Navarrus consil. 3. *de Hæreticis*, Bonacina l. c. n. 9. et alii passim

(19. Obligatio denunciandi formaliter Hæreticum non extinguitur morte ipsius hæretici, sed perseverat adhuc post ejus mortem. Communis. Et ratio est, quia crimen Hæresis semper serpit, ut cancer cum sit naturæ pestiferæ; cap. *Inquisitionis* 18. de Hæreticis in 6. Unde Hæretici etiam post mortem sunt excommunicandi, seu declarandi excommunicati, privandi Ecclesiastica sepultura, et exhumandi, ac eorum ossa comburenda, si possint ab ossibus Catholicorum perfecte discerni, alias sunt eorum statuæ comburendæ; c. *Sane* 6. caus. 24. q. 2.

(20. Immo obligatio denunciandi formaliter Hæreticum jam mortuum perpetuo durat. Sic Communis Doctorum. Et ratio est, quia Hæresis semper serpit, et perpetuo propagatur contra fidem, adeoque perpetuo durat obligatio denunciandi formaliter Hæreticum, etiamsi mortuum, ut sic per combustionem ejus statuæ in perpetuum damnetur ejus memoria, et in perpetuum ad aliorum terrorem extinguatur ejus Hæresis.

(21. Obligatio autem denunciandi alios reos, quamtumvis vehementer de Hæresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium; Alberghinus in Manual. qualif. cap. 36, n. 4. et apud ipsum Pegna, Castrop. Diana, part. 4, tract. 7, resol. 28. Felix Potestas, loc. cit. n. 244. et alii. Et ratio est, quia contra suspectos de Hæresi, etiamsi fuerint fautores, defensores, et Receptatores Hæreticorum, cum non sint formaliter Hæretici, post mortem procedi non potest; *c. Accusatus*, 8, § *Si vero, vers. Porro, de Hæreticis, in* 6.

(22. Viget obligatio denunciandi Hæreticum, quamvis credatur jam emendatus, Diana, part. 2, tract. 4, resolut. 3. Carena, loc. cit. num. 24. Suarez, de Fide disput. 20, sect. 4, n. 13. Farinac. de Hæresi quæst. 197, num. 52. Bonacina, loco citat. num. 5. Felix Potestas loco cit. num. 278. et alii plures contra alios. Et ratio est, quia talis Hæreticus posset fingere se emendatum ad effugiendam denunciationem : Tum quia posset esse, quod alios infecerit sua Hæretica pestilentia, seu quod ab aliis fuerit infectus. Unde necesse est, ut hoc Judicibus Fidei plene innotescat ; Tum etiam quia finis Edictorum præcipientium denunciationem non est sola emendatio delinquentis, sed punitio ad publicum exemplum, et aliorum terrorem. Vide verb. Confessarius *quoad sollicitationem ad turpia*, num. 47.

(23. Viget obligatio denunciandi delinquentem, quem post commissum delictum superstitionis, aut blasphemiæ statim pœniteat, si in ipso cognoscatur fuisse plenam advertentiam, et deliberationem ad sic delinquendum; Bordon., in Tribun. Fidei, cap. 31, num. 9. Felix Potestas, loco cit. n. 279. et alii. Et ratio est, quia in delictis solum consideratur voluntas deliberata in factum transiens, et non voluntatis perseverantia, aut subita retractatio : Si autem in aliquo casu tales interveniant externæ circumstantiæ, ut ex ipsis possit prudenter colligi ipsum in blasphemiam v. g. prorupisse sine plena advertentia ad malitiam, aut sine pleno consensu voluntatis, et mente non integra, sed turbata ex vehementi passione, tunc sicut excusaretur a culpa, ita esset excusandus a pœnis, cum ubi non est culpa, non debeat esse pœna; cap. *Cognoscentes*, 2. de Constitutionibus; cap. *Quæsivit*, 2. De his quæ

Digitized by Google

fiunt a majori parte Capituli. leg. *Sancimus* 22, Cod. *de pœnis.*

(24. Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, et honore non liberat ab obligatione denunciandi Hæreticum formalem, etiamsi non dogmatizet; Bordon., in Tribunal. Fidei, cap. 31, num. 11. et in Manual. consult. sect. 25, num. 176. et sect. 17, num. 47. Diana, part. 1 tract. 4. resolut. 7. Bonacina loco cit. num. 6. Felix Potestas loco cit. num. 167. Carena loco cit. num. 34. cum pluribus aliis ab ipso citatis. Et ratio est, quia Hæresis formalis etiam non dogmatizantis est contra Religionem, et bonum commune totius Reipublicæ Catholicæ: bonum enim publicum, et commune prævalet bono privato, et proprio; c. *Scias frater* 35. caus. 7. quæst. 1, cap. *Bonæ memoriæ* 3, de Postulat. Prælator. et ibi Glossa verb. *Commune* leg. *Actione* 65. § 1, ff. *Pro socio*, novella 39, cap. 1. vers. *Ea enim.*

(25. Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denunciandi suspectum de Hæresi v. g. blasphemum, sortilegum. abutentem Sacramentis, et hujusmodi. Sic citati Doctores numero antecedenti. Et ratio est, quia suspicio Hæresis non ita serpit contra Religionem Catholicam, ut Hæresis: Tum quia pœnæ latæ contra Hæreticos nullam faciunt mentionem de suspectis, adeoque sicut rigor pœnarum contra Hæreticos non extenditur contra suspectos; arg. cap. *In pœnis* 49. de Regulis juris in 6. cap. Statutum 22. de Election. in 6. leg. *Factum* 155. § 2. ff. de Regulis juris, leg. *Cum quidam* 19. ff. *de Liberis et posthumis* cum similibus; ita nec rigor denunciandi Hæreticum cum probabili periculo gravis damni in vita, bonis, et honore extendi debet contra suspectos

(26. Licet quis, aut quæ semel tantum maleficium sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denunciari; quia Edicta Inquisitoris non præcipiunt denunciari exercentes talia delicta sed committentes... Qui autem, vel quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecit vere delictum in Edictis comprehensum commisit adeoque debet denunciari, sicuti denunciandus est Confessarius qui semel tantum sollicitavit; Felix Potestas l. c. n. 282. et alii.

(27. Accedens ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed inducendi Confessarium ad Hæresim, est a Confessario denunciandus; Genuens. in prax. cap. 18. num. 16. alios allegans; Carena loc. cit. n. 21; Felix Potestas loc. cit. n. 280. cum aliis ibi allegatis. (28. Et ratio est, quia talis non est Sacramentalis Confessio, sed modus perversus occultandi Hæresim et secreto alios pervertendi. Non tenetur tamen, nec potest Confessarius denunciare Hæreticum, quem talem scit ex vera ipsius Sacramentali Confessione. Sic Scotus in 4. dist. 21. quæst. 2. in responsione ad secundum argumentum, ubi dicit falsum esse sequens Juristarum argumentum: « Est hæresis crimen, quod nec Confessio celat. » Et sic tenet communis Theologorum. Et ratio clara est, quia Confessarius nullo pacto potest frangere sigillum Sacramentale, cum ad illud teneatur triplici jure, scilicet Naturali, Divino, et Humano, seu Ecclesiastico. Vid. verb. SIGILLUM sacramentalis confessionis a n. 2.

(29. Immo nedum Confessarius, sed nec qui casu aliquo talem pœnitentem suam Hæresim Confessario vere sacramentaliter confitentem audivit, debet, ac potest denunciare, et revelare, quia nedum Confessarius, sed etiam alii casu audientes tenentur ad sigillum Sacramentale; Scotus in 3. distinct. 31. quæst. 2. §. *De quarta* conclus. litt. *H.* Bordon. in manual. consult. sect. 18. n. 26. Felix Potestas loc. cit. num. 281. Vid. d. Verb. SIGILLUM a num. 7.

(30. Non excusatur tamen a denunciando Hæreticum formalem Confessarius sciens delictum ratione consilii a se petiti, nisi consilium a se petatur et detur in Sacramentali Confessione; quia in casu Hæresis formalis solum a denunciando excusat secretum ex sigillo Sacramentalis confessionis; Scotus in 4. dist. 21. quæst. 2. §. Ad argumentum. litt. *M.* Felix Potestas loc. cit. num. 262. et alii passim.

(31. Ab obligatione denunciandi Hæreticum, aut suspectum de Hæresi, non excusat secretum naturale, et sub juramento de non revelando; Diana Resol. moral. par. 1. tr. 4. resol. 24. alios allegans; Suarez de Fide disp. 20. sect. 4, n. 17. Sancterellus l. c. c. 9. n. 10. Pegna par. 2. comment. 18. Farinac. l. c. q. 197. num. 50. Felix Potestas loc. cit. n. 261. Carena loc. cit. n. 22. cum aliis apud ipsos. Et ratio est, quia servare secretum naturale est bonum privatum, illud vero manifestare est bonum publicum, cum illud tacere præjudicet bono publico; Bonum autem commune prævalere debet bono particulari per jura adducta supra numer. 24. Nec obstat juramentum de non revelando, quia juramentum non est institutum, ut est vinculum iniquitatis; c. Quarto 18. de jurejurando, c. *Inter cætera* 22. caus. 22. quæstion. 4.

(32. Nec etiam excusat ab obligatione denunciandi, si delictum sit occultum, et probari non possit, ex Decreto Alexandri VII. 24. Sept. 1661. proposit. 4. et sic communis Doctorum.

(33. Item non excusatur ab obligatione denunciandi, qui commissum ab aliquo delictum ad Sanctum Officium spectans audivit a persona fide digna; Bordon. in Tribunal. Fidei cap. 31. num. 21. Bonacina loco cit. num. 7 Leander de Sacrement. Pœnit. tr. 5. disp. 13. qu. 37. Felix Potestas loco cit. n. 264. et alii passim. (34. An autem denunciare teneatur, qui audivit a persona levi, et non fide digna? Vid. verb. CONFESSARIUS quoad *sollicitationem*, num. 36.

(35. Quando plures sciunt ab aliquo commissum fuisse delictum ad Sanctum Officium spectans, etiamsi unus denunciaverit, non excusantur alii ab obligatione denunciandi, quia obligatio denunciandi omnes stringit, nec sunt superfluæ aliorum denunciationes,

Digitized by Google

quia semper addunt nova testimonia; ita ut sint plures testes ejusdem singularis delicti sicque facilius convincatur delinquens; Bordon. in manual. consult. sect. 18. n. 30. Felix Potestas l. c. n. 251. et 594.

(36. Denunciatio Hæretici ex malitia, aut suspecti de Hæresi est facienda nulla præmissa correctione fraterna, etiamsi firmiter emendatio speretur. Habetur expresse ex Decreto Sanctissimæ Inquisitionis de mandato Alexandri VII. edito die 8. Junii 1660. incip. *Licet alias*. ibi: « Etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri etc. ad denunciandum. » Et Doctores communiter, qui tamen volunt esse præmittendam correctionem fraternam, quoad eos, qui non ex malitia, sed ignorantia, vel simplicitate aliquem habent errorem, aut aliquam proferunt falsam, ac inconsideratam propositionem, maxime si nulla de ipsis habeatur fundata suspicio, quod sint Hæretici.

(37. Denunciatio delictorum ad Sanctum Officium spectantium facienda est intra præfixum terminum in Edictis Inquisitorum, seu Ordinariorum, qui in Edictis Supremæ, et universalis Inquisitionis Romanæ solet esse, vel triginta dierum, ut in Edicto de anno 1677, adducto supra n. 1. vel 12. dierum, ut in Edicto de anno 1623. relato supra n. 10. In Edictis autem Inquisitionis Hispaniæ solet esse sex dierum. Et in Edictis Inquisitorum, et Episcoporum Italiæ solet esse duodecim dierum, ut patet in Edicto Generali Sancti Officii Cremonæ edito 26. Octob. 1639. una simul ab Eminentissimo Cardinali Petro Camporio ejusdem Urbis Episcopo, et a Reverendissimo Patre Magistro Petro dictæ Civitatis, et Dioecesis Inquisitore, relato a Carena loc. cit. sub. 24. ubi in fine § septimi testatur se præmittere Edicti totius formam eo modo, quo ex Sacr. Congregationis Sancti Officii præscripto solet in Italia publicari. Unde pro cognoscendo termino ad faciendam denunciationem præfixo sunt inspicienda, et attendenda Edicta cujusque respective Dioecesis, et Provinciæ.

(38. Qui sine justa causa, et legitimo impedimento non denunciat talia delicta intra præfixum terminum in Edicto suæ Provinciæ, seu Diœcesis, peccat mortaliter, et incurrit ipso facto excommunicationem reservatam Summo Pontifici, et Inquisitoribus, seu Ordinariis. Habetur expresse ex Constit. Greg. IX. incip. *Excommunicamus*, Innoc. IV. incip. *Noverit universitas*, Nicolai IV. incip. pariter *Noverit universitas*, Greg. XV. incip. *Universi Dominici Gregis*, Pauli V. incip. *Romanus Pontifex*. Ex Decr. Alexandri VII. incip. *Licet alias*. Ex Edictis supremæ, et Universalis Inquisitionis Romanæ, relat. supra num. 1. et 12. Et ex Edictis particularium respective Inquisitorum seu Ordinariorum.

(39. Qui intra dictum præfixum terminum talia delicta non denunciavit, tenetur adhuc post elapsum dictum terminum denunciare. Nam prædictus terminus non apponitur in Edictis ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem denunciandi. Communis.

(40. Denunciatio in Regnis Hispaniarum fieri debet solis Inquisitoribus: In aliis vero Regnis, et Provinciis potest fieri etiam Episcopis; Diana part. 1. tr. 4. resolut. 28. Fagundez in secund. præcep. Ecclesiast. lib. 4. cap. 3. num. 31. Felix Potestas loc. cit. n. 39. Carena loc. cit. n. 36. et seq. et alii passim. Colligitur aperte ex citat. Constit. Gregorii in materia sollicitationis mandante fieri denunciationem *Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis*. Nec per alias Constitutiones delegantes ad id specialiter Inquisitores intelligitur ablata jurisdictio quæ alias competebat Ordinariis: Tum quia in hac nostra Provincia Mediolanensi Edicta quæ publicantur, emanant sub nomine Episcoporum, et Inquisitorum, teste Carena loc. cit. sub n. 37. Qui tamen ibidem num. 38. merito consulit Episcopis ut hujusmodi denunciantes mittant ad Inquisitores, quia in Sancto officio melius formantur processus ratione secreti, quam in Curiis Episcopalibus, et multa evitantur dispendia.

(41. Pœnitens, qui ob non factam denunciationem intra præfixum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim denunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit Privilegiatus. Vide verb. CONFESSARIUS *quoad sollicitationem*, n. 51

(42. Pœnitens qui ob omissam denunciationem incidit in excommunicationem, facta postea denunciatione potest quidem absolvi a Privilegiato, non autem a simplici Confessario. Vide ibid. n. 52.

(43. Sic pœnitens, quia intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea ex aliqua causa extinguatur onus denunciationis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato, Vide ibid. n. 53.

(44. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere pœnitentes obligatos ad denunciandum, antequam actu denuncient. Vide ib. n. 55.

(45. In aliquibus tamen casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. Vide ib. n. 56.

(46. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi ib. n. 57.

(47. In casu, quo reperiatur vera obligatio denunciandi, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, et Monialibus, servanda est Praxis juxta Decretum supremæ Universalis Inquisitionis Romæ jussu Urbani VIII. 27. Septembris 1624. editum. Quod si neque ad id possit talis verecunda pœnitens flecti, recurrendum est ad S. Sedem, et interim tamquam indisposita nequit absolvi. Vide ib. n. 58.

(48. Quamvis Confessarius non moneat pœnitentem de obligatione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. Vid. ib. n. 60.

(49. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non monent pœnitentes de obligatione denunciandi, seu docent ad id non

Digitized by Google

teneri, sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ. Vid. ib. n. 61.

(50. Denunciationes debent fieri in scriptis cum expressione nominis, et cognominis denunciantis, et subscriptione illius, si scit scribere, et non denuncians hoc modo non potest absolvi. Unde non sufficit denunciare schedulis, aut Epistolis sine nomine, aut cognomine Auctoris, aut aliis modis incertis, de quibus nullatenus curatur in Tribunali S. Officii, ut patet ex verbis Edicti relati supra sub n. 1. Sic Genuens. In praxi cap. 18. n. 2. Lazar. de Blasphem. q. 12. n. 47. Carena l. c. n. 27. cum aliis ibi allegatis.

(51. Omittendes denunciare Hæreticum, cum possunt, et ad id tenentur ex officio, ut sunt Notarii, socii, satellites, et similes ex officio servientes Sancto Tribunali, et testes legitime interrogati veritatem celantes, aut minuentes, sunt suspecti de Hæresi, et fautores Hæreticorum, adeoque ultra Excommunicationem Edicti, incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, et sunt denunciandi; Farinac. de Hæresi quæst. 197. n. 38. et 48. Lazar. de Blasphem. quæst. 12. n. 11. Sanctarel. de Hæresi cap. 9. n. 19. Leonard. Duard. ad bullam *Cœnæ Domini* lib. 2. Canon. 1. qu. 32, n. 12; Pegna ad Director. part. 2. comment. 78. vers. Postremo; Felix Potestas loc. citat. n. 286. Repertor. Inquisitor. in verb. *Fautores*, vers. *Item indicatione*; Decian. in tract. criminal. lib. 5. cap. 51. n. 25; Carena *loc. cit. n.* 41. *et* 42. et alii plures apud ipsos (52. Si autem supradicti omittant denunciare Hæreticum, non in defensionem, et favorem Hæresis, sed ob aliam causam in se honestam, v. gr. ob metum cadentem in constantem virum, ob consanguinitatem, amicitiam et hujusmodi, nec sunt suspecti de Hæresi, nec ullam incurrunt Censuram: quia sicuti Censura fertur in Hæreticum propter Hæresim, ita ferri debet in fautores Hæreticorum ut talium, cum accessorium sequi debeat suum principale; cap. *Accessorium* 52. de regul. juris in 6. l. *Nihil dolo* §. *Cum principales* 129., et l. *Cum principalis* 578. ff. *de Regulis juris*. Sic Doctores citati, et alii passim.

(53. Sic etiam omittentes denunciare suspectum de Hæresi, non sunt ita suspecti in Hæresi, ut sint denunciandi, quamvis possint puniri omnibus pœnis statutis in Edictis Inquisitorum; Carena l. c. n. 46. Lupus apud Bordon. in Manual. consult. sect. 18. n. 72. qui licet dicat ibi sub dicto num. 72. tales omittentes dictam denunciationem esse suspectos de levi, tamen sub n. 73. subjungit, quod non sint denunciandi. Et ratio conclusionis est, quia, ut recte dicit Carena l. c. alias contra omnes regulas juris præsumptio oriretur ex præsumptione, et suspicio ex suspicione.

(54. Legitime impeditus, durante impedimento, non tenetur denunciare per alium, quia obligatio denunciandi est personalis. Immo si cum primus habet notitiam delicti denunciandi, adest legitimum impedimentum ad denunciandum per semetipsum, tunc durante tali legitimo impedimento, potest a quolibet simplici Confessario absolvi cum firma promissione denunciandi, impedimento cessante. Tunc enim non habetur reservatio, nec delictum non denunciando, cum ad impossibilia nemo obligetur; cap. *Nemo potest* 6. de Regulis juris in 6. leg. *Impossibilium* 185. ff. *de Regulis juris*.

(55. Alia ad rem. Vide verb. Hæreticus, verb. Libri prohibiti, verb. Sigillum *sacramentalis confessionis*, verb. Confessarius *quoad sollicitationem*, verb. Superstitio.

DENUNCIATIONES MATRIMONII.

Vide verb. Matrimonium, *quoad denunciationes.*

DEPOSITIO.

Vide verb. Degradatio, *per totum.*

DEPOSITUM, DEPOSITARIUS.

SUMMARIUM.

1. Depositum potest accipi, et pro re deposita, et pro contractu; et quid sit utrumque.—2. Depositum ut sic dividitur in Judiciale, et Privatum; et quid sit Depositum Judiciale. — 3. Depositum Judiciale alio nomine dicitur *Sequestrum*, seu *Sequestratio*. Et hæc Sequestratio potest esse voluntaria, vel necessaria. — 4. Quæ sit utraque hæc sequestratio, ad n. 5. — 6. Assignatur aliud genus Depositi Judicialis. — 7. Depositum Privatum quid sit, et quale sit. — 8. Depositarius non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito deponentis, aliter furtum committere censetur. — 9. Si tamen Depositarius bona fide existimet id Domino non displicere, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur. — 10. Depositarius debet Depositum custodire, et servare ea fide ac diligentia, qua custodit, et servat res proprias. — 11. Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, non comminutam, etc. — 12. Depositarius tenetur de dolo, et culpa lata. — 13. Et adeo tenetur de dolo, ut neque valeat pactum de dolo non præstando. — 14. Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri, non vero de remissione doli præteriti.—15. Depositarius non tenetur de culpa levi, et levissima. — 16. Excipiuntur tamen plures casus, in quibus Depositarius tenetur etiam de culpa levi. Primo scilicet, quando expresse convenit, ut etiam culpa levis præstentur. — 17. Secundo, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum Depositum obtulit. 18. Tertio, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recepit. — 19. Quarto, Depositarius tenetur etiam de culpa levi quando requisitus ut Depositum redderet, est in mora reddendi. — 20. Depositarius non obligatur ad præstandum casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum culpa, et mora culpabilis præcessit casum fortuitum. — 21. Depositor potest statim quandocunque voluerit Depositum revocare, et Deposita-

Digitized by Google

rius tenetur statim rem depositam restituere. — 22. Immo depositor potest restitutionem Depositi sui reposcere etiam antequam sit elapsum tempus, pro quo res deposita fuit. — 23. Dantur tamen plures casus, in quibus Depositarius rem Depositam restituere statim non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Primo scilicet, res deposita non est statim restituenda Depositori illam repetenti, quando aliquid de novo emergit restitutionem impediens. — 24. Secundo, si ex restitutione certe, vel probabiliter timetur secuturum damnum spirituale, vel temporale ipsi Depositori, vel alicui alteri. — 25. Tertio, quando bona Depositoris ob aliquod crimen sunt confiscata. — 26. Quarto, quando Dominus, et fur, qui rem furto ablatam apud aliquem deposuit, concurrunt in illa repetenda. — 27. Si tamen, domino non comparente, solus fur rem furtivam depositam repetat, tunc est ei restituenda. — 28. Quinto, quando fur rem furatam deposuit apud Dominum ejus ignorantem pro tunc rem esse suam, non tenetur Dominus eam furi repetenti restituere. — 29. Depositarius non potest retinere rem depositam pro compensatione alicujus crediti erga Depositorem. — 30. Ex deposito facto penes Clericum v. g. Canonicum, aut Religiosum, seu Rectorem Ecclesiæ, vel Monasterii non potest obligari Ecclesia, vel Monasterium. — 31. Teneretur tamen, si res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ, vel Monasterii. — 32. Sic etiam Ecclesia, vel Monasterium obligaretur adinstar aliorum Depositariorum, quando Prælatus una cum Capitulo, seu Conventu depositum in suam fidem, vel custodiam recepisset. — 33. Depositarius, si in periculo naufragii, hostilis incursus, vel incendii nequit res suas, et alienas servare, potest res suas pretiosiores salvare præ alienis minus pretiosis — 34. In tali casu Depositarius salvando res proprias pretiosiores, et deferendo alienas penes se depositas, nihil tenetur restituere. — 35. Si res depositæ sint pretiosiores rebus propriis Depositarii, et utrasque salvare non possit, tenetur Depositarius eas præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare, postpositis propriis minoris pretii. — 36. Depositarius, qui aliena pretiosiora propriis minus pretiosis præferendo passus est jacturam, potest compensationem damni exigere. — 37. Immo si Depositarius non sit moraliter certus se posse recuperare a Domino rei alterius pretium, seu compensationem damni passi in præferendo rem alteram pretiosiorem suæ viliori, ad id non teneretur. — 38. Si res propriæ, et alienæ sint æqualis valoris, et nequeat Depositarius utrasque salvare, tunc potest Depositarius salvare proprias, dimissis alienis. — 39. 45. De Deposito *Miserabili*. — 46. 51. De Deposito *Irregulari*. — 52. 57. De Deposito *Regulari*.

(1. Depositum potest accipi et pro re deposita, et pro contractu. Depositum sumptum pro re deposita definitur sic: *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est*; leg. 1, ff. *Depositi*. Depositum sumptum pro contractu, sic definitur: *Est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restituatur*; colligitur ex cit. l. 1. juncta Glossa verb. *Datum*, et est in re communis. (2. Depositum ut sic dividitur in judiciale et privatum. Depositum Judiciale est, quando res in judicio controversa apud aliquem tertium deponitur, seu ipsi committitur custodienda, ut lite finita victori restituatur; (3. Depositum Judiciale alio nomine dicitur *sequestrum* seu *sequestratio*; quæ sequestratio potest esse vel voluntaria, vel necessaria. (4. Sequestratio voluntaria est illa, quæ fit mutuo partium consensu; ut cum partes de aliqua re litigantes, ratione scandali vitandi, vel alia de causa, voluntario, et mutuo consensu rem illam deponunt apud tertium, ut eam interim custodiat, et postmodum tradat vincenti. (5. Sequestratio necessaria e contra est illa, quæ fit auctoritate, et mandato Judicis, et dicitur necessaria, quia fit sine communi partium consensu, ac plerumque altera parte invita, simulque quia necesse habent partes litigantes tali sequestro stare, eidemque obtemperare. (6. Aliud genus depositi Judicialis assignatur, et contingit tunc, quando debitor offert creditori debitam pecuniam, et creditor eam recusat accipere; tunc enim debitor ad usuras, vel alias molestias evitandas, potest eam consignare, seu deponere apud Judicem, textu expresso in l. *Acceptam*, C. *de Usuris*, ubi subjungitur, quod hoc modo debitor, et a solutione legitimarum usurarum (seu *interesse*,) et a periculo casus fortuiti liberetur, et jus pignorum tollatur, (7. Depositum privatum est, quod fit privata partium auctoritate, ut quando apud privatum aliquem, de cujus fide, et diligenti cura deponens confidit, res aliqua deponitur, ut eam rite custodiat.

(8. Depositarius non potest uti re deposita absque consensu expresso, vel tacito ejus, qui deposuit, alioquin furtum committere censetur, textu expresso in l. *Si sæculum*, ff. *Depositi*, ibi: « Si sacculum, vel argentum signatum deposuero, et is penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit, et depositi, et furti actio mihi in eum competet. » Sic etiam statuitur, § *Furtum autem*, Institut. *de obligat. quæ ex delicto nasc.* ibi: « Sive creditor pignore, sive is, apud quem res deposita est, ea re utatur, furtum committit. » (9. Notanter autem dicitur, *sine consensu expresso, vel tacito ejus, qui rem deposuit*, ut intelligatur, quod si depositarius bona fide existimet Domino id non displicere, si utatur re deposita, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur; et hoc multo magis, si Dominus expressam licentiam utendi concesserit; cit. l. *Si sæculum*, § *si permisso meo*, ff. *Depositi*.

(10. Depositarius debet depositum custodire, atque servare ea fide, cura, et diligentia, qua solet custodire, et servare res proprias: textu expresso in leg. *Quod Nerva*, ff. *Depositi*, ibi: « Nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstet, fraude non caret; Nec enim salva fide minorem iis (*depositis*) quam suis rebus diligentiam præstabit. » (11. Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, id est non fractam, non comminutam, nec aliquo modo sua imputabili culpa deterioratam, alioquin non videtur res reddita, et potest contra eum agi actione depositi; textu expresso in l. 1, § *An in pupillum*, ff. *Depositi*, ibi: « Si res deposita deterior reddatur, quasi non reddatur, agi Depositi potest; cum enim deterior redditur,

Digitized by Google

potest dici dolo malo redditam non esse. »

(12. Hinc depositarius tenetur de dolo, et culpa lata; l. 1. junct. Glossa, vers. *Culpam*, C. *depositi*, ubi dicitur : « Qui depositum accepit, dolum suum, et latam culpam præstare debuit, » concordat textus in l. 1, § *In conducto*, et § ultim. ff. *Depositi*, et cap. *Bona fides* 2. de deposito, ubi expresse dicitur, « bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus depositas amisisti, » ubi autem bona fides abesse præsumitur, ibi præsumitur dolus adesse, nam contraria sunt, ut expresse dicit Glossa ibidem verb. *Rebus tuis*. Et est commun. (13. Depositarius adeo tenetur de dolo, ut non valeat pactum de dolo non præstando, talis enim conventio est contra bonam fidem bonosque mores; tribuens peccandi licentiam, l. 1, § *Illud non est*, ff. *Depositi*, et consimilis pactio de dolo non præstando improbatur generaliter in omnibus contractibus; leg. *Contractus*, ff. *de Reg. Jur.* et l. *Si unus*, § *Illud*, ff. *de Pactis*, ibi : « Illud nulla pactione effici potest, ne dolus malus præstetur. » (14. Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri; non vero de remissione doli præteriti, ut observat Glossa communiter recepta in cit. § *Illud;* Et ratio disparitatis est, quia per remissionem doli futuri animaretur quis ad male agendum, seu dolum committendum; secus vero per remissionem doli præteriti, ut de se patet; unde solæ pactiones de non præstando dolo futuro, utpote in animæ detrimentum vergentes, improbantur, et non sustinentur; arg. cap. *Pactiones factæ* 8 de Pactis, ibi : « Quod etiam de aliis (*pactionibus*) est dicendum, quæ observatæ vergent in animæ detrimentum. Nam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. »

(15. Depositarius non tenetur de culpa levi, et levissima. Est communis; arg. cit. l. 1. C. *Depositi;* ubi expresse dicitur Depositarium teneri solum de culpa lata, et dolo, ibi : « Qui depositum accepit, dolum solum, et culpam latam præstare debuit. » Et ratio est, quia in contractibus, qui celebrantur gratia, dantis tantum, præstatur solum dolus, et culpa lata, non vero culpa levis, et levissima; depositum autem regulariter fit tantum gratia deponentis, l. *Si ut certo*, § *Nunc videndum*, ff. *Commodati*, adeoque, etc. (16. Excipiuntur tamen plures casus, in quibus tenetur Depositarius etiam de culpa levi. Sic Glossa communiter recepta in cap. *Bona fides*, de deposito, verb. *de Culpa*, ubi plures tales casus enumerat. Primo, igitur tenetur Depositarius etiam de culpa levi, quando expresse convenit, ut in deposito etiam culpa levis præstetur, textu expresso in l. *Depositum* 1, § 6. ff. *Depositi*, vel *contra*, ibi : « Si convenit, ut in deposito, et culpa præstetur, rata est contractus conventio, contractus enim legem ex conventione recipiunt, » et iterum ibidem in § 35. ibi : « *Sæpe evenit* ut res deposita, vel nummi periculo sint ejus, apud quem deponuntur, ut puta si hoc nominatim convenit, » et consimiliter habetur in leg. *Juris gentium* 7, § 15. ff. *de Pactis*, lib. 2. tit. 14. ibi : « Si quis pactus sit, ut causa depositi omne periculum præstet, Pomponius ait pactionem valere, nec quasi contra juris formam non esse servandam, » et ibidem habetur in Regul. 85. Juris in 6. ibi : « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » (17. Secundo, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum depositum obtulit, et postmodum res deposita culpa sua licet levi periit; citat. l. *Depositum* 1, § 35. ff. *Depositi;* et cap. *Bona fides* 2. de Deposito, ubi sic expresse statuitur : « De culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti. » Et ratio est, quia depositarius se ipsum offerens ad recipiendum depositum, hoc ipso ad diligentiorem custodiam sese obligare censetur. (18. Tertio depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recipit : cit. l. *Depositum* 1. § *Si vestimenta*, et § *Si quis servum*, ff. *Depositi*, et cit. cap. *Bona fides* 2. de Deposito, ubi expresse dicitur, « De culpa quoque teneris . . . si aliquid pro custodia recepisses. » Et ratio est, quia tunc datur actio ex conducto adversus Depositarium, ex quo custodiam rei in se recipit interveniente mercede pro tali custodia, et sic cum talis contractus sit factus gratia utriusque, scilicet Depositoris, et Depositarii, debet præstari nedum culpa lata, sed etiam levis; non vero culpa levissima, argument. citat. lib. *Sit certo*, § *Interdum*, ff. *Commodati*. Et est communis. (19. Quarto tenetur Depositarius etiam de culpa levi, quando requisitus, ut depositum redderet, est in mora reddendi; l. *Si in Asia* 12, § 3. ff. *Depositi, vel contra*, ibi : « Depositum quoque eo die, quo depositi actum sit, periculo ejus, apud quem Depositum fuerit, est si judicii accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit; » l. *Quod te* 5. ff. *De rebus creditis*, lib. 12, tit. 1. ibi : « Quod te mihi dare oportuerat, si id postea perierit, quum per te factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum constat. » Immo ratione moræ in reddendo imputatur etiam casus fortuitus, textu expresso in cit. cap. *Bona fides* 2. de Deposito (1).

(20. Depositarius non obligatur ad præ-

(1) Quinto tenetur Depositarius de culpa levi, et levissima quando Depositum respicit solius depositarii utilitatem, eique concessus est rei depositæ usus, ut novissime definivit Rot. in Romana concursus de Hameranis super emendatione, et refectione damnorum, 2 Decembris 1782, § 4, cor. de Bayane et in ejusdem confirmatoria, 6 Junii 1783, § fin. in fin. cor. eod. Ut itaque recte dijudicari possit, ad quid teneatur Depositarius, expendenda est natura depositi. Si depositum factum comperitur in gratiam Deponentis, tunc Depositarius tenetur de dolo tantum, et lata culpa. Si Depositum Depositarii utilitatem respicit, tunc de dolo, lata, levi, et levissima culpa tenetur. Quod si in utriusque commodum constitutum sit depositum tunc dolus, lata et levis tantum culpa venit non levissima. Bald. in l. si *ut certo* ff. *Commodat.* « In contractibus qui celebrantur gratia dantis venit dolus, et lata culpa; in contractibus vero, qui celebrantur gratia recipientis tantum, venit do-

Digitized by Google

standum casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum culpa (crassa) vel mora culpabilis præcessit casum fortuitum textu expresso in cit. c. *Bona fides* 2. de Deposito, ibi : « Pacto vero, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur. » Quod casus fortuiti non imputentur, habetur expresse in l. *Contractus* 23. ff. *De diversis Regul. Juris antiq.* lib. 50. tit. 17. ibi : « Casus . . . quæque sine culpa accidunt . . . a nullo præstantur, » et etiam in cap. *Cum gratia sui* 1. *de Commodato*. Quod autem ad casus etiam fortuitos obligetur Depositarius ratione pacti habetur etiam in l. *Depositum* 1, § 6. ff. *Depositi*, et in l. *Juris gentium* 7, § 15. ff. *de Pactis* lib. 2, tit. 14. et in Reg. 85. Juris in 6. Quod teneatur ratione culpæ præcedentis ad casum fortuitum, habetur etiam in cit. l. 1, § *Si rem*, ff. eodem, qui enim dat causam damni, damnum dedisse videtur. Quod teneatur ratione moræ culpabilis habetur, etiam in l. *Si Asia* 12, § 3. ff. *Depositi*, et in l. *Quod te* 5. ff. *de Rebus creditis*, lib. 2, tit. 1. saltem si res alioquin non fuisset peritura apud dominum, si suo tempore restituta fuisset; Glossa ibid. verb. *Periculum* juxta Gloss. marg. litt. *B*. nam mora cuilibet est nociva Regula 25. Juris in 6. et expresse habetur in l. *Item* 11, § fin. ff. *de Re vindic.* lib. 6, tit. 1. ibi : « Sed est verius, si forte distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari, nam si ei restituisset, distraxisset, et pretium esset lucratus. »

(21. Depositor potest statim quandocumque voluerit depositum revocare, et Depositarius debet statim rem depositam restituere, alioquin Depositor potest depositi actione agere, textu expresso in leg. *Depositum* 1, § 22. ff. *Depositi, vel contra*, ibi : « Est autem apud Julianum lib. 13. Digestorum scriptum, eum, qui rem deposuit, statim posse depositi actione agere. Hoc enim ipso dolo facere, cum qui suscepit, quod reposcenti rem non reddat ; » et in l. *Si quis* 11. C. *Depositi, vel contra*, ibi : « Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionis acceperit titulum, eas volenti qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur ; » et in cap. *Bona fides* 2. *de Deposito*, ibi : « Sane depositori licuit pro voluntate sua depositum revocare. » (22. Immo Depositor potest restitutionem depositi sui reposcere, etiam antequam sit elapsum tempus, pro quo res deposita fuit; eum enim Depositoris gratia contrahatur, non prohibendus est pro arbitrio revocare contractum, et mutare voluntatem ; cit leg. 1, § *Si hic*, et § *Proinde*, ff. *Depositi;* et Glossa ibid. verb. *Mutare* ad § pen. ibi : « Deponens pecuniam reddendam post tempus, non est obligatus Depositario non repetere ante tempus; et ideo potest mutare voluntatem, et ante tempus repetere. »

(23. Dantur autem plures casus, in quibus Depositarius rem depositam Depositori repetenti statim reddere non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Et primo quidem, res deposita non est statim restituenda Depositori illam repetenti, quando aliquid de novo emergit restitutionem impediens; cit. l. *Depositum* 1, § *Est autem*, ff. *Depositi*, ibi : « Marcellus autem ait non semper videri posse dolo facere eum qui reposcenti non reddat. Quid enim, si in Provincia res sit, vel in horreis, quorum aperiendorum condemnationis tempore non sit facultas, vel conditio depositionis non extitit. » (24. Secundo si ex restitutione certe, vel probabiliter timetur secuturum damnum spirituale, vel temporale ipsi Depositori, vel alicui alteri, ut si furiosus repetat gladium a Depositario, nam manifestum est, tunc non esse reddendum ; cap. *Ne quis arbitretur* 14. caus. 22. quæst. 2. (25. Tertio quando bona Depositoris ob aliquod crimen sunt confiscata, tunc enim non ipsi Depositori, sed Fisco tradenda sunt; l. *Bona fides* 31. in princip. *Depositi*. Depositor enim in tali casu amisit jus repetendi suum Depositum. (26. Quarto, quando dominus, et fur, qui rem furto ablatam apud aliquem deposuit, concurrunt in illa repetenda, tunc enim res illa non furi, qui eam deposuit, sed vero domino est restituenda ; cit. l. *Bona fides* 31, § *Incurrit hic*. (27. Si tamen domino non comparente solus fur rem furtivam depositam repetat, tunc est ipsi reddenda ; l. 1. ff. *Si prædo*, ff. *Depositi*, et cit. l. *Bona fides* 31, § *Incurrit*, vers. *Quod si ergo*. Pirhing lib. 3, decr. tit. 15, n. 7. Reiffenstuel ibid. n. 23. (28. Quinto, quando fur rem furatam deposuit apud Dominum ejus ignorantem pro tunc rem esse suam quam postea suam esse cognoscens non tenetur eam furi repetenti restituere, sed retinere potest : Immo, et si a Domino ignorante tradita sit furi, quasi ex causa depositi, potest ab illo per conditionem indebiti repeti; cit. l. *Bona fides*, § *Si tamen*, et seq. ff. *Depositi* Pirhing. loc. cit. n. 7. Reiffenstuel. l. c. n. 24. Silvester verb. *Depositum* qu. 10. et alii.

(29. Depositarius non potest retinere rem depositam pro compensatione alicujus sui crediti erga Depositorem; textu expresso in l. Si quis 11. C. *Depositi, vel contra* lib. IV, tit. 34. ibi : « Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionis acceperit titulum, eas volenti, reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quasi et

lus lata culpa, levis et levissima : in contractibus vero qui celebrantur gratia utriusque, venit dolus, lata culpa, et levis. » Quam distinctionem communiter sequuntur, Sabell. in Sum. lit. D. § 17, n. 17. Costantin. vot. Dec. 102, n. 7. Voet. in Pandect. lib. 16, tit. 3, num. 7. Bruneman. in Cod. l. 4, tit. 54, leg. 1, num. 1, et seq. Duaren. in tit. *Deposit.* vel *contr.*, cap. 3, § *Possum enim* in fin. tom. 3, p. 506, *coll.* 2.

Quando vero depositum fit in gratiam deponentis tunc regulare dicitur depositum ; quando e contra fit in gratiam depositarii tantum, irregulare appellatur, et hoc casu depositarius tenetur de quacumque culpa et de casu demum fortuito, eo quia res deposita in depositarii transeat Dominium, ut post longam Allegationum seriem tenet, et exornat Rot. cor. Falconer. tit. *de solut. et liberat. decis.* 9. a num. 6 ad num. 9. « Efficitur depositarius irregularis, et omne periculum in se assumit, atque tenetur de quocumque casu fortuito, in inopinato propter dominium in ipsum translatum. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ipse quasdam contra eum qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens, cum non sub hoc modo depositum acceperit, ut non concessa ei retentio generetur, et contractus, qui a bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur, » et cap. *Bona fides* 2. de Deposito, ibi : « Sane Depositori licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod compensationi vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minime referatur, licet compensatio admittatur in aliis, si causa, ex qua postulatur, sit liquida, ita quod facilem exitum credatur habere, » et concordat lib. 14. C. *de compensatione*, lib. 4. tit. 31. ubi Justinianus Imperator probatis justis compensationibus eam expresse excipit, quæ fieri posset occasione depositi, ibi : « Excepta actione depositi secundum nostram sanctionem, in qua nec compensationi locum esse disposuimus. » Et ratio patet ex ipsis textibus, quia Depositor rem suam committit fidei Depositorii, ut illam sibi fideliter, et diligenter custodiat, donec revocetur, et Depositarius se obligat ad talem rei custodiam, adeoque, contra datam fidem agi si talem rem penes se depositam non restituat (1).

(30. Ex deposito facto penes Clericum, v. g. Canonicum, aut Religiosum, seu Rectorem Ecclesiæ, vel Monasterii, et dolo seu culpa lata ipsius Depositarii perdito, non potest obligari Ecclesia, vel Monasterium ad resarciendum damnum, nisi res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ vel Monasterii; textu expresso in cap. *Gravis* 1. de Deposito, ibi : « Gravis illa querimonia usque ad nos super deposito tuo tibi hactenus denegato pervenit; *et infra :* Dum enim non constet pecuniam tuam, quam ille vir Belial furatus est, in Ecclesiæ utilitatem conversam, non debemus de jure contra Canonicos ejusdem Ecclesiæ præcise intentare jussionis instantiam, ut tibi eamdem reddant pecuniam, personæ, non Ecclesiæ commendatam. » Et est communis Doctorum sententia hac ratione ex Regul. 76. Juris in 6. desumpta, quod « delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. » (31. Notanter autem additum fuit : « Nisi res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ, vel Monasterii, » quia in tali casu Ecclesia, vel Monasterium teneretur reddere id, quod dolo, vel culpa Depositarii ad ipsam pervenit ex deposito, quia nemo debet locupletari cum alterius jactura; l. *Nam hoc* 14 ff. *de cond. et indeb.* ibi : « Hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem. » Et Reg. 48. juris in 6. ibi : « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » (32. Sic etiam Ecclesia, vel Monasterium obligaretur adinstar aliorum Depositariorium, quando Prælatus una cum Capitulo, seu Conventu, depositum in suam fidem, et custodiam recepisset; Colligitur ex cit. cap. *Gravis* 1. *de Deposito*, et docet Glossa communiter recepta ibid. verb. *Personæ* in fine. Prælatus enim, et Capitulum repræsentant Ecclesiam; arg. cap. *Scire* 7. quæst 1. et cap. *Requisivisti* 15. de Testament.

(33. Depositarius si in periculo naufragii, hostilis incursus, vel incendii, nequit res suas, et alienas salvare, potest res suas pretiosiores salvare, præ alienis minus pretiosis. Est comm. cum Gloss. in l. *Si ut certo*, v. *Salvas facere*, ff. *Commodati;* Pirhing. lib. 3. Decr. tit. 16. n. 16. Reiff. ib. n. 40. Abbas ib. cap. 2. n. 2. Engel ibid. n. 9. Laiman lib. 3. Theol. moral. tract. 4. cap. 7. num. 7. Azor. part. 3. lib. 7 de Commodato c. 7. quæst 6. Less. lib. 2. de Just. et jur. cap. 27. n. 23. et 27. Et ratio est, quia nemo tenetur pati majus damnum proprium ad evitandum minus alterius, tenetur enim quisque prius sibi prospicere, deinde proximo; (34. Et in tali casu Depositarius salvando res proprias pretiosiores, et deferendo alienas penes se depositas, nihil tenetur restituere, quia censentur absque sua culpa, et casu fortuito interiisse; l. Si ut certo, § Quod vero, ff. Commodati, ubi Glossa citat. verb. *Salvas facere*, et l. *In rebus*, § 1. ff. *Commodati;* Engel. loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. n. 41. Laym. loc. cit. num. 7. Azor. loc. citat. cap. 7 quæst. 6. cum aliis passim. (35. Si res depositæ sint prætiosiores rebus propriis Depositarii, et utrasque salvare non possit, tenetur Depositarius eas præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare postpositis propriis minoris pretii. Sic Abbas, Pirhing, Reiffenstuel, Less. Laym. loc. cit. arg. l. *Quoad Nerva*, ff. *de Deposito*, l. Si ut certo, § *Quod vero senectute*, ff. *de Commodato*, cap. *Bona fides* 2. de Deposito. Et ratio est, quia Depositarius ex prudentia, et æquitate naturali tenetur adhibere circa res penes se depositas saltem eam diligentiam, quam quisque prudens circa res proprias adhibere solet; certum est autem, quod quisque res suas pretiosiores præ vilioribus suis periculo eriperet, adeoque etiam debet res alienas pretiosiores præferre suis minus pretiosis. (36. Depositarius, qui aliena pretiosiora propriis minus pretiosis præferendo passus est jacturam, potest compensationem damni exigere, quia nemo tenetur cum suo damno conservare rem alterius, licet pretiosiorem, quando contractus non est initus in gratiam recipientis, sed potius in gratiam dantis tantum, ut fit in deposito; Quamvis enim Depositarius ex dictis teneatur res alienas pretiosiores præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare, postpositis propriis minoris pretii, potest tamen id facere animo exigendi compensationem jacturæ,

(1) Hanc sequitur opinionem post textus allegatos Voet in Pandect. lib. 16. tit. 3. n. 9. At quamvis jure compensationis ob impensas in rem depositam factas nequeat depositarius rem depositam penes se retinere, ei tamen contraria depositi actio concedi-

tur, ut easdem expensas consequi valeat. Voet. loc. c. n. 10. Duaren. in tit. *Depositi vel contra* cap. 5. et 6. tom. 3. pag. 511. collect. 2. de his vide infra in fin. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

quam ideo passus est in propriis ; l. *Actione Depositi*, ff. hoc tit. Lessius lib. 2. de Just. et jur. cap. 27. num. 28. Molina tract. 2. disp. 296. num. 4. Pirhing. loc. cit. num. 18. Reiffenstuel loc. cit. num. 44. Engel. loc. cit. num. 9. et alii. (37. Immo si Depositarius non sit moraliter certus se posse recuperare a Domino rei alterius pretium, seu compensationem damni seu jacturæ passæ in præferendo rem alienam pretiosiorem suæ viliori, ad id non teneretur, quia nemo in his contractibus intendit se obligare ad expensas faciendas pro re aliena cum notabili, et gravi suo detrimento, vel probabili periculo ejus, ut recte docent. Pirhing. l. cit. n. 16. et Tambur. in Decal. part. 2. lib. 8. tract. 3. cap. 5. § 7. n. 4. (38. Si res propriæ, et alienæ, sint æqualis valoris, et nequeat Depositarius utrasque salvare, tunc potest Depositarius salvare proprias, dimissis alienis. Sic communis cum Glossa in l. *Si ut certo*; verb. *Salvas facere*, ff. *Commodati*; Less. loc. cit. n. 29. Molina loc. cit. num. 7. Pirhing. loc. cit. n. 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 42. Et ratio est, quia quisque magis seipsum diligere debet quam proximum, adeoque Depositarius potest potius res suas, quam alienas salvare, cum utræque sint æqualis valoris, eo vel maxime, quod depositum sit in gratiam solius Deponentis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Nec de Deposito *miserabili*, nec de Deposito *irregulari* agit hic Auctor. De utroque tamen breviter est disserendum.

(40. Depositum *miserabile* in jure dicitur quando aliquid naufragii, tumultus, vel incendii occasione depositum est, ita ut unica deponendi causa fuerit imminens periculum l. 1. § 3. ff. *Deposit.* (41. Sed depositum hoc miserabile, ut recte monet Strykius in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3. § 1. non tantum in mox dictis casibus a jure expressis locum habet, sed et ad similes extendendum, puta si fiat Depositum ob incursum hostium, ob aquarum inundationes, vel si peregrinans in gravi morbo constitutus teneatur eligere fidem Hospitis. (42. Confer etiam Cels. Bargal. de Dol. lib. 5. cap. 14. num. 38. Zuhn. de Mendac. lib. 2. cap. n. 2.

(43. Illud vero singulare in hoc Deposito occurrit, quod ex eo aliquando ob dolum agi possint in duplum, quum Depositarius dolose Depositum negat, in hæredem tamen tantum in simplum ex dolo defuncti, nisi dolus proprius concurrat, ubi itidem tenetur in duplum l. 1. § 1. et leg. 18. ff. *Deposit.*

(44. Moribus vero hanc dupli pœnam exolevisse tenet cum aliis Gronovvegg. de leg. Abrogat. ad leg. 1. § 1. ff. hoc tit. Sed ei locum etiamnum esse debere sentit Strykius in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3.

§ 1. (45. et ignorantiæ, imprudentiæque Judicum adscribendum esse, quod hæc pœna communiter dictari non soleat.

(46. Depositum irregulare est, quando rei fungibilis Depositæ usus Depositario concessus est, hac lege, ut sufficiat tantumdem restituere; leg. 1. § 34. leg. 24. leg. 26. ff. *Deposit.* Concedi autem potest usus rei Depositæ, vel tacite, vel expresse. (47. Tacite si pecunia deposita non fuerit obsignata, sed potius Depositario adnumerata, leg. 26. § 2. leg. 29. in princip. ff. *Depos.* (48. nisi tamen tales nummi traditi sint in quos propter eorum antiquitatem similemve causam cadere queat affectio; Bruneman. ad leg. 24. n. 3. ff. *Deposit.* (49. Expresse, si ab initio, vel ex post facto usus pecuniæ, si Depositario placuerit, conceditur, ubi antequam utatur, manet Depositum; leg. § 24. ff. *Deposit.* leg. 10. ff. *de Reb. Credit.* (50. Sed si Depositarius hoc urget, statim fit mutuum. leg. 9. ff. *de Reb. Credit.* (51. In effectu interest, quod Depositum sit in concursu privilegiatum, compensabile, periculum non connexum habeat secus ac in mutuo; Confer, si plura cupias de hoc Deposito irregulari Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3. § 1. et præsertim Mascovium de Deposito irregulari.

(52. Nunc veniamus ad depositum regulare. Verum est, quod ait Auctor num. 12. quod pactum, ut ne de dolo agatur, haud valet in Deposito. At valet pactum, ut ne Depositi unquam agatur leg. 27. § 3. ff. *de Pact.*; (53. quum tamen vi ipsa id pactum sit, ne de dolo agatur : existimat Jacobus Gothofredus in leg. 195. ff. *de Regulis juris*, id inde promanare, quod expressa nocent, non expressa non nocent. Sed an recte aliorum judicium esto.

(54. Leges Romanæ infamia notant eum, qui Depositum dolose restituere recusavit, et ob dolum condemnatus est. An autem moribus ob dolum condemnatus adhuc infamis sit, quæstio est inter Doctores. (55. Negat Schilter. exerc. 28, § 50. Affirmat vero Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 17, tit. 3, § 7.

(56. Gravior quæstio est, an exceptio retentionis ob impensas opponi queat Deposito. Negativam sententiam tenet Hann. ad Wesembec tit. *Deposit.* num. 5, motus lege 11, *C. Depositi.* (57. At communior est opinio affirmativa, modo impensæ fuerint necessariæ; quum repetens merito in dolo sit, quod expensas hasce in ipsam rem depositam factas refundere nolit, quo ipso tamen beneficium huic tributum est, quod rem meliorem recipiat; Bruneman. ad dict. leg. 11, num. 6. Mantic. de Ambig. Convent. lib. 10, tit. 10, n. 5, et cum aliis Strykius in usu modern. Pandect. lib. 18, tit. 3, § 9 (1).

(1) Moderato antiquarum legum rigore, non modo pro impensis in rem depositam factis, sed insuper pro omnibus debitis cum eadem re connexis jus hodiernum depositario retentionem rei concedit, ut præter allegatos tenet Berger. Œconom. jur. lib. 3. tit. 2. Struv. Syntag. jur. civil. exercit. 21. qui insuper addit, depositarium expensarum refectionem amplius consequi non posse, si non opposita retentione, rec expensis deductis, rem integram restituat. (EXT. BARBIELL.)

Digitized by Google

DESERVITORES.

ARTICULUS NOVUS ALIENÆ MANUS.

SUMMARIUM.

1. Quid nomine Deservitorum veniat. — 2. Deservitores ab Episcopo deputandi. — 3. Non solum quoad Ecclesias suæ collationis. — 4. Etiam quaod Ecclesias non subjectas concursui. — 5. Vacante Dignitate in Cathedrali, cui annexa est Parochialis Episcopus nominat Deservitorem. — 6. Ecclesiæ Patronatus Laici et Regii accipiunt Deservitorem ab Episcopo, sine Patroni vel Regis nominatione. — 7. Episcopus determinat congruam sustentationem Deservitoribus. — 8. In eorum deputatione non debent audire Examinatores. — 9. 10. Deservitor debet subire onera Pastoralia. — 11. Deservitor potest dare Sacerdoti licentiam assistendi Matrimonio.

(1. Cum sæpe contingat, non posse statim Ecclesiæ Parochiali vacanti de idoneo Rectore provideri, præsertim si per formam concursus providendum sit; ne per eam moram populus Sacramentorum, ac Divini Verbi necessario pabulo careat, atque ita salus animarum in discrimen veniat, Concilium Tridentinum præscribens formam concursus in Ecclesiarum Parochialium provisione servandam, statuit quod « debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur. » Sess. c. *de Reformatione.*

(2. Hinc deputationem et electionem Deservitoris sive Vicarii ad vacantem Ecclesiam competere soli Episcopo, etiam Sacram Congregationem declarasse, testatur Garcias, de Benef. p. 9, c. 2, n. 13.

(3. Et id non tantum quoad Ecclesias suæ collationis, sed etiam ad aliorum collationem, electionem vel provisionem, etiam Sedis Apostolicæ vigore reservationis, spectantes.

(4. Immo, licet Ecclesiæ vacantes non subjaceant concursui, nihilominus Episcopo, earum vacatione occurrente, constituendi Vicarium sive Deservitorem auctoritas competit.

(5. Quare vacante Dignitate in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, cui annexa est Parochialis, Episcopus nominat ac deputat Vicarium, seu deservitorem; quamvis ipsa Parochialis sic unita concursui non exponatur: uti notat Massobrius in Praxi habendi concursum *Requis.* 1, *dub.* 16, qui et ibidem resolvit etiam in Ecclesiis unitis Capitulis deputandum esse per Episcopum idoneum Deservitorem; tametsi etiam Ecclesiis illis deserviretur per vicarios dumtaxat amovibiles.

(6. Similiter Ecclesiæ Patronatus laici, quin et Regii, quamvis a forma concursus exemptæ, ab Episcopis sine præcisa Patroni aut Regis nominatione vel præsentatione hujusmodi Deservitorem accipiunt, qui curam Ecclesiæ vacantis habeat, donec de Rectore ei provideatur.

(7. Electo Deservitore, sive Vicario, Concilium Trident. permittit Episcopi arbitrio determinare portionem congruam ejus sustentationi necessariam; utique ex fructibus ipsius Ecclesiæ Parochialis vacantis.

(8. In deputatione et electione Deservitoris Episcopus audire non debet Examinatores Synodales; neque ab his Deservitor sive Vicarius examinari aut probari debet; sed illum Episcopus deputare potest, quem ipse idoneum judicaverit.

(9. Vicarius hujusmodi constitutus, ex Concilio Tridentino, debet subire onera Pastoralia, ipsique Ecclesiæ et Populo in Pastoralibus deservire.

(10. Unde Vicarius *Deservitor*, et Vicaria dici solet *Deservitura*, tamquam qui omnia præstet, quæ ipse Parochus præstare deberet. Et ideo in literis deputationis Vicarii sive Deservitoris, quarum forma extat apud Barbosam in Appendice ad Tractatum de Officio Episc. formula 56, hæc ita exprimuntur: « Te Vicarium. ipsius Ecclesiæ S. N. constituimus et deputamus, cum auctoritate Missas, et alia divina Officia celebrandi, Sacramenta administrandi, et alias functiones Ecclesiasticas obeundi, ad quæ tenetur, et quæ animarum quilibet Rector aut Administrator præstare et obire solet. »

(11. Quemadmodum administratio Sacramentorum, uti et assistentia matrimonio, non est proprie actus jurisdictionis, sed simpliciter actus Pastoralis; ita Deservitor aut Vicarius hujusmodi licentiam assistenti matrimonio alteri Sacerdoti dare potest ex Canonistarum fere omnium sententia; quia, ut ipsi inquiunt, delegatus est ad universitatem causarum, cui subdelegandi auctoritas competit; atque ita in praxi servatur.

Et hujusmodi jus assistendi matrimonio ita competere eidem manifestum est, ut licet Episcopus specialiter inhibuisset, ne ipse matrimonio individuo assisteret, nec ulli alteri Sacerdoti licentiam assistendi daret; nihilominus ejus assistentiam validum reddere matrimonium apud omnes in confesso est; quemadmodum declarasse Sacram Congregationem refert Sanchez de Matrimonio lib. 3, disput. 32, idque quia non obstante hac simplici prohibitione manet delegatus ad curam animarum, et loco Parochi.

DESPERATIO

Vide verb. VIRTUS *num.* 32.

DETRACTIO

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Detractio quoad ejus esse, et modos quibus fieri potest.*

1. Detractio quid sit. — 2. Quid sit fama. — 3. Quid sit honor. — 4. Honor in uno sensu est majus bonum, quam fama, et in alio sensu est majus bonum fama, quam honor. — 5. Detractio dividitur primo in formalem et materialem, et quæ utraque sit. — 6. Detractio dividitur secundo in directam, et indirectam, et quæ utraque sit. — 7. Detractio dividitur

Digitized by Google

tertio in contumeliam, diffamationem, et susurrationem. — 8. Contumelia quid sit. — 9. Diffamatio quid sit. — 10. Susurratio quid sit. — 11. Detractio calumnians, nisi excuset materia levis, est semper peccatum mortale. — 12. Detractio non calumnians, sed tantum revelans, est peccatum mortale, quatuor concurrentibus conditionibus; his, vel una earum deficiente, evadit peccatum veniale, aut excusatur omnino a peccato. — 13. Defectu voluntarii perfecti, detractio, quæ de sui natura est peccatum mortale, redditur tantum veniale, vel nullum omnino peccatum. — 14. Qui detrahit ex naturali impetu pravæ consuetudinis, et loquacitatis absque omni advertentia ad damnum proximi, non peccat mortaliter in ipso actu, licet peccet in sua causa. — 15. Defectu materiæ gravis detractio evadit solum peccatum veniale. — 16. Levitas, et gravitas materiæ detractionis attendi debet potissimum ex conditione personæ, quæ infamatur. — 17. Regulariter non est mortale revelare defectus naturales animi, corporis, vel naturarum. — 18. Similiter non est mortale narrare defectus morales de aliquo in generali. — 19. Mortaliter tamen peccat, et detrahit, si quis de determinata persona generali dicat. V. G. *se scire quid de illo, quod si dicat sit eum magno robore affecturus.* — 20. Non est mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato male loqui. — 21. Si tamen non sit tale crimen, quod in aliorum damnum redundet. Hinc qui dicit Religiosum talis Monasterii, vel Ordinis, hominem talis familiæ, tale, vel tale crimen commisisse, peccat. — 22. Gravius tamen, et gravissime peccat, qui Ordini, seu Congregationi alicui Religiosorum in communi, vel Monasterio detrahit dicendo V. G. quod in eo male et inobservanter vivatur nisi tamen sit plene notorium. — 23. Diffamatum in uno crimine, de altero valde affini diffamare V. G. dicere de adultero, quod misit literas amatorias, est tantum peccatum veniale. — 24. Affertur regula generalis ad dignoscendum, quando peccatur graviter, vel leviter in hujusmodi materia. — 25. Defectu rei occultæ detractio evadit solum peccatum veniale. — 26. Duplex est notorium, scilicet notorium notorietate juris, et notorium notorietate facti, et quid sit utrumque. — 27. Ad constituendum aliquid notorium notorietate facti, quot homines illud scire debeant. — 28. Crimen notorium notorietate juris, postquam per sententiam condemnatoriam publicatum est, potest evulgari sine injuria in omnibus aliis locis. — 29. Crimen notorium notorietate facti alicubi aliis ejusdem loci, seu Viciniæ id nondum scientibus manifestare non est peccatum saltem mortale. — 30. Si autem id fiat ex aliquo malo affectu, et effectu, scilicet ex gravi odio, vindicta, vel novo damno illius proximi, est peccatum mortale; si fiat ex mera loquacitate, est veniale; si fiat ex zelo animi, vel ad alium bonum finem, nullum est peccatum. — 31. Crimen notorium non absolute, sed respective, et limitate ad aliquem solum particularem locum, referre in alio loco, ad quem non erat alias de facili notitia perventura, est peccatum mortale contra justitiam. — 32. Secus probabiliter est quando crimen est notorium in aliquo loco seu Civitate simpliciter, et absolute; Attamen contraria opinio est communior, et probabilior. — 33. Qui occultum alicujus crimen ab aliis auditum narrat, non peccat saltem mortaliter, si absque propria confirmatione, et proposito nocendi narret, vel tales circumstantiæ concurrant, ut credibile sit audientes non esse creditures. — 34. Si vero cum propria asseveratione, et confirmatione, iisque circumstantiis tale auditum occultum crimen narretur, ut narratio suo pondere fidem apud audientes mereatur vel sinistram suspicionem generet, peccatur contra justitiam cum onere restitutionis. — 35. Si tamen in talis occulti criminis narratione tales circumstantiæ concurrant, ut narratio per se quidem fidem non mereatur, is vero qui narrat, animadvertat, audientes, non ex vi suæ narrationis, propria tamen levitate esse credituros, vel malam suspicionem concepturos, non peccat quidem contra justitiam, sed tamen peccat contra Charitatem gravius, vel levius juxta qualitatem materiæ. — 36. Peccat mortaliter cum obligatione restitutionis, qui infamatum jam emendatum de præterito, et jam oblito crimine, denuo sine justa causa infamat. — 37. Probabilius mortaliter peccat, qui occultum alterius crimen sine justa causa manifestat uni vel alteri viro prudenti non ulterius divulgaturo. — 38. Si quis autem salutis, vel consilii tantum causa, et non intentione detrahendi, et lædendi, alicui amico, seu consiliario taciturno narrat injuriam sibi factam, seu grave crimen contra se commissum, non peccat mortaliter, licet inde proveniat aliqua infamia auctori. — 39. Defunctis detrahere, seu eorum gravia crimina propalare, est peccatum mortale ad restitutionem obligans. — 40. Hinc etiam Historiographi contra justitiam peccant, si occulta mortuorum crimina pandant. — 41. Quo tamen ad mortuorum crimina publica jam oblivione sepulta vel sepelienda, seu uno, vel altero tantum loco cognita, plus Historicis, quam aliis hominibus est concessum. — 42. Peccant autem Historici describendo crimina mortuorum publica, et non referendo pœnitentiam, vel emendationem, si resipuerint. — 43. Defectu injustitiæ revelandi crimen occultum, revelare non est peccatum. — 44. Causæ justæ revelandi aliquod crimen verum occultum alterius sunt præsertim quatuor, quæ enumerantur. — 45. Propter primam causam, scilicet propter bonum ipsius revelantis, potest quis licite occultum crimen proximi, vel injuriam sibi factam revelare viro gravi et prudenti, ut consilium, vel in sua afflictione solamen capiat. — 46. Dummodo tamen pro quanto est sibi possibile cum minimo alterius damno fiat. — 47. Ad evadendam mortem, vel gravia tormenta ob crimen occultum alterius sibi falso impositum potest quis licite manifestare crimen occultum alterius verum. — 48. Nullimode autem licet crimen falsum imponere innocenti. — 49. Ut quis Officium, vel Beneficium sibi, vel suis dignis assequatur, non est illicitum saltem sub gravi competitoris non dignioris vitium occultum Collatori aperire. — 50. Propter secundam causam, scilicet propter bonum audientium, potest quis licite proximi occulta crimina, et incognitos defectus revelare ad audientium instructionem, informationem, et cautelam, ut sic a multis malis, et damnis liberentur. — 51. Propter tertiam causam, scilicet propter bonum ipsius delinquentis, potest quis manifestare Superiori defectus occultos subditi, ut sic corrigatur, et emendetur. — 52. Propter quartam causam, scilicet propter bonum commune Reipublicæ, vel Communitatis potest quis licite revelare occultum crimen vel incognitum defectum alterius, quoties ita necesse est ad impediendum majus damnum Reipublicæ, vel Communitatis. — 53. Detrahentes voluntarie, et sine causa audire, et cum facile potest, non impedire, est peccatum mortale. — 54. Audiens detrahentem cum aliis, inducendo, provocando, adjuvando peccat mortaliter contra justitiam, et ad restitutionem obligatur respectu infamati. — 55. Audiens detrahentem non inducendo sed solum consentiendo, et complacendo in detractionem, peccat mortaliter tantum contra Charitatem. — 56. Si quis delectaretur præcise de lepiditate, gratia, dexteritate, aut exaggeratione detractoris, esset inde culpandus peccati gravis. — 57. Audiens detrahentem non ipsum inducendo, nec ei consentiendo, sed tamen illum non impediendo, quando facile et commode potest, peccat mortaliter contra charitatem ex duplici respectu. — 58. Seipsum infamare sine rationabili causa est peccatum, veniale tamen ubi nullum aliud intervenit detrimentum. — 59. Quando quis tamen se infamat in iis circumstantiis, in quibus graviter nocet Communitati, familiæ, proximo, etiam vitæ suæ, peccat mortaliter,

Digitized by Google

ARTICULUS II. — *Quoad obligationem restitutionis famæ, et quoad causas excusantes a tali restitutione.*

1. Qui crimen falsum alicui scienter imposuit, tenetur dictum suum retractare, etiam sub juramento, et adhibendo testes, si ita res exigat. — 2. Si auditores nullam habentes probabiliorem rationem renuant credere detractori se retractanti cum juramento, et testibus, tunc detractor ad nihil amplius obligatur. — 3. Qui crimen alicujus verum, sed occultum injuste prodidit, licet non teneatur retractare suum dictum, ne mentiatur, tenetur tamen alio modo facere compensationem, quatenus potest sine mendacio, *ad num. 4.* — 5. Si detractor revelavit alterius crimen aliquibus sub secreto; vel probabiliter credens ipsos rem aliis non esse divulgaturos, sufficit quod restituat famam apud suos immediatos auditores tantum; Secus vero si non revelavit sub secreto, et sub tali probabilitate. — 6. Si ex infamia, quam alteri causavit detractor, sive falsum crimen narrando sive occultum prodendo, ortum sit ipsi etiam damnum fortunarum, debet integram satisfactionem facere prudentis viri arbitrio. — 7. Si ipse detractor non satisfecerit vivens læso in bonis fortunæ, tenetur satisfacere ipsius hæredes, sive ipsi læso, si adhuc vivat, sive ejus hæredibus, si fuerit mortuus. — 8. Non tenentur tamen hæredes infamatoris ad restitutionem famæ, si eam ipse non restituit. — 9. Tenetur autem ipse detractor, si supervixerit ei cui detraxit, famam ipsi restituere quamvis defuncto. — 10. Qui aliquem infamavit plane inadvertenter, et sine culpa, putans rem v. g. a se narratam esse publicam, cum esset occulta, vel esse veram, cum esset falsa, talis id postea cognoscens tenetur ex justitia restituere famam, si possit absque suo gravi incommodo. — 11. Non obligatur talis materialis detractor ad reparanda damna secuta ante cognitum suum errorem, adhuc ipso in bona fide persistente. — 12. Sunt tamen reparanda damna illa, quæ sequuntur ex dilata culpabiliter restitutione famæ. — 13. Sic etiam, qui de Caio revelans grave crimen, advertit audientes per errorem intelligere de Titio, tenetur ex justitia restituere Titio. — 14. Prima causa excusans a restitutione famæ est spontanea condonatio facta ab eo, cujus infamia non redundat in alios. — 15. Secunda est, si ex cujuspiam detractione, proximo nullum secutum est damnum famæ, vel honoris. — 16. Tertia est justa compensatio. — 17. Quarta est, si id quod contra bonam famam alterius qui locutus est, jam in oblivione abiisse prudenter existimatur. — 18. Quinta est, si fama ablata jam fuit recuperata per aliam viam. — 19. Sexta est, si crimen occultum, quod quis aliquibus revelavit, alia ratione fiat publicum. — 20. Septima est, si bona fide quis persuasus esse verum, et publicum, narravit aliquid, et proximum diffamavit, non possit sine propria infamia, et magno incommodo restituere. — 21. Octava est, si restitutio famæ non possit fieri sine periculo vitæ. — 22. Nona est, si non possit fieri restitutio famæ alienæ, nisi cum jactura propriæ famæ, quæ sit longe majoris momenti. — 23. Decima est, si famæ restitutio sit impossibilis.

ARTICULUS I.

Detractio quoad ejus esse, et modos, quibus fieri potest

(1. Detractio est alienæ famæ occulta et injusta læsio seu denigratio. Est in re communis. Hinc ad uberiorem detractionis notitiam advertendum venit, quod quamvis Honor, et fama quandoque sumantur pro eodem, revera tamen differunt. (2. Nam fama est existimatio bona de aliquo, quoad aliquod ejus bonum, v. g. quoad ejus virtutem, scientiam, pulchritudinem, nobilitatem, favorem Principum, divitias, et alia hujusmodi, quæ hominem commendant, et bonam de ipso existimationem causant. (3. Honor autem est testificatio quædam excellentiæ alterius; id est exibitio alicujus rei, velut in testimonium, et recognitionem quamdam excellentiæ, quam habet ille, qui honoratur; ex quibus habes, quod fama consistit in interna bona existimatione; honor vero in externa significatione nostræ existimationis de excellentia alterius. (4. Hinc si honor sumatur prout includit famam, eique superaddit testificationem, recte dicit Lessius lib. 2. cap. 11. n. 5. quod honor sit majus bonum quam fama; Et e contra si fama sumatur prout contradistincta ab honore; Cardin. de Lugo de Justitia disp. 14. n. 9. merito dicit famam prævalere honori, quia melius est interne haberi pro bono, quam externe tantum dici bonum, et interne haberi pro malo; Si enim daretur optio, quilibet sanæ mentis mallet, quod alii bene, et honorifice de se in corde sentirent absque ullo signo, aut testificatione talis bonæ opinionis: seu existimationis quam quod bonam de se opinionem, seu existimationem significarent, in corde tamen male de ipso sentirent, juxta illud Matth. 15. et Marc. 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me;* nunc autem, quia non cernuntur corda hominum, magis gaudet quis de honore, quam de fama sola; quia ex honore arguit se habere etiam bonam famam apud eos, qui ipsum exterius honorant. At absolute loquendo majus bonum esse famam, quam honorem secundum se, tenent Sotus 5. de Justitia q. 10. art. 2. Molina tom. 5. disp. 26. n. 1. Lugo l. c. n. 9. et alii.

(5. Detractio varie dividitur. Primo dividitur ex parte voluntarii in detractionem formalem, et materialem. Detractio formalis est, quæ fit cum directa intentione alteri nocendi, seu alienam famam denigrandi. Detractio materialis est, quæ sit quidem absque directa intentione, et voluntate alteri nocendi, vel ejus famam denigrandi, sed tamen cum præviso, vel prævideri debito periculo nocumenti, seu infamiæ alterius, adeoque non sine indirecto voluntario, et intentione nocendi. Secundo dividitur ex parte modi detrahendi in detractionem directam, et indirectam. (6. Directa est illa, qua directe, et positive læditur fama proximi, et fit quatuor modis contentis in hoc versu:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;

primo scilicet imponendo alicui crimen falsum, secundo amplificando, seu exaggerando crimen verum; tertio manifestando crimen occultum; quarto opus recte factum sinistre interpretando, seu temere exterius judicando, ut de illo Lucæ 11. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Detractio indirecta est illa, qua solum indirecte, et quasi negative læditur fama proximi, et fit etiam

Digitized by Google

quatuor modis contentis in hoc alio versu :

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisse ;

primo scilicet negando alterius bonum, seu recte factum, vel ejus dotes ; secundo bonum, vel dotes alterius extenuando ; tertio tacendo malitiose bonum, vel dotes alterius eo loco, et tempore, quo tale silentium interpretatur ab aliis pro tacita vituperatione ; quarto ita frigide, et simulate loquendo, ut talis laus potius cedat in diminutionem famæ alterius, seu ejus vituperium juxta illud Gelli l. 19. « Turpius est exigue, atque frigide laudari, quam insectanter, et graviter vituperari. » (7. Tertio dividitur detractio ex parte circumstantiarum in contumeliam, diffamationem, et susurrationem. (8. Contumelia est injuria, qua alteri crimen falsum, vel verum occultum palam in ejus præsentia qua si in faciem objicitur, et est gravior detractione, quia detractio lædit proximum in absentia, contumelia in præsentia, atque adeo illa lædit solum famam, ista vero famam, et honorem ; Cum contumelia conveniunt *Convicium, et Improperium* ; Similiter *Derisio, et subsannatio*, quæ motibus injuriosis corporis fieri solet, juxta illud Proverb. 6. *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum.* (9. Diffamatio est detractio famæ alterius publica, seu coram multis facta, et cum directa, vel indirecta intentione alterius infamiam in publicum propalandi. (10. Susurratio est prava oblocutio de proximo ad injuste tollendam amicitiam ipsius cum aliis, discordiamque seminandam, juxta illud Ecclesiastici 28. *Susurro et bilinguis maledictus.*

(11. Detractio calumnians, qua crimen falsum alteri imponitur, nisi excuset materia levis, est semper peccatum mortale, quia falsitatem proponere in nullo casu licitum existit, cum mendacium sit intrinsece malum, et si sit in materia gravi, peccatum mortale ; Unde merito Innocent. XI. die 2. Martii 1679. tres sequentes condemnavit propositiones, quarum prior in ordine 30. sic habet : « Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. » Altera ordine 43. sic sonat : « Quidni nonnisi veniale sit Detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere? » Et alia ordine 44. sic dicit : « Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat ; et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia (1). »

(12. Detractio non calumnians, sed revelans tantum, qua alterius verum, sed occultum crimen proditur, est peccatum mortale, quatuor concurrentibus videlicet ; primo, si adsit voluntarium perfectum ; secundo, materia gravis ; tertio, res occulta ; quarto, injustitia revelandi. His conditionibus, vel una carum deficiente, evadit peccatum veniale, aut excusatur omnino a peccato. Est communis. (13. [Hinc] resolves primo, quod defectu voluntarii perfecti, detractio, quæ de sui natura esset peccatum mortale, redditur tantum veniale ; aut excusatur omnino a peccato, sicuti patet in cæteris aliis peccatis. Divus enim Augustinus lib. de vera Religione cap. 4, sic expresse ait : « Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. » Etenim nisi dicamus ob imperfectionem actus, v. gr. ob ignorantiam, aut inadvertentiam ad nocumentum proximi, vel ob vehementem passionem, aut præcipitantiam mentis, et linguæ, detractionem sæpissime excusari a mortali, ab eo familiare est hoc vitium, quod totum pene genus humanum periclitabitur, siquidem, ut dicit Divus Jacobus in sua Epistola Catholica cap. 3 : *Lingua modicum quidem membrum est, sed inquietum malum, quod nullus hominum domare potest.* (14. Unde qui detrahunt ex naturali impetu pravæ consuetudinis, et loquacitatis absque omni advertentia ad damnum proximi, non peccant mortaliter in ipso actu, licet peccent in sua causa, scilicet ipsa mala consuetudine voluntarie contracta, et retenta, juxta generalem regulam communiter traditam a Doctoribus in materia de peccatis ex consuetudine (2).

(15. Resolves secundo, quod defectu materiæ gravis detractio evadit solum peccatum veniale. Si enim levis sit materia, sive in se absolute, sive habita ratione circumstantiæ personæ, utique excusabitur a mortali, et evadet veniale ex pravitate materiæ, sicuti in cæteris peccatis versantibus circa

(1) Ad coercendam detrahendi licentiam, respuendasque quorumdam casuistarum sententias, pio affectu legat Christianus caput 3, et 4 Epist. Cath. B. Jacobi apostoli teneatque hanc D. Thomæ doctrinam : *Si verba*, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale : nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat, et præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis Summ. 2. 2, quæst. 73, a. 2. Nec ignorantia te excusat (ab obligatione restituendi) si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam (Edit. Rom. 1766).

(2) Quomodo hæc regula intelligenda sit, exposuimus verb. Blasphemia art. 1, in addit. ad n. 17. Quod autem attinet ad eos, qui ex loquacitate proximi detrahunt, hæc habet S. Thomas 2, 2, quæst. 73, art. 2, in corp. « Siquidem verba per quæ fama alterius diminuitur, proferet aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum quod dicitur, sit adeo grave quod notabiliter famam alicujus lædat, et præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipse genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cujuslibet rei subtractæ eo modo quo supra dictum est, cum de restitutione ageretur. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

materiam divisibilem in levem, et gravem, juxta communem Doctorum sententiam in materia de peccatis. (16. Levitas autem, et gravitas materiæ detractionis attendi debent potissimum ex conditione personæ, quæ infamatur, quia fieri potest, ut narrando defectus alicujus solum veniales, vel etiam naturales, spectata conditione, et statu illius grave damnum quis inferat, et sic graviter peccat, ut si qualificatum, et optimi nominis Religiosum mendaciis assuetum esse dicat, virum gravem ac consularem dicat illegitime natum, ortum esse de genere hebræo, et hujusmodi. Et e contra fieri potest, ut non sit peccatum mortale referre peccata mortalia, quæ ob conditionem personæ non notabiliter famam lædant, v. gr. si quis dicat militem habere concubinam, fuisse ebrium, pugnasse in duello, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus, etc. Sic communiter Doctores cum Layman leg. 3, tract. 3, part. 2, cap. 3, n. 3. Cajet. 2, 2, quæst. 73, art. 2, § *Ad hoc dicitur*, Sotus leg. 4, quæst. 6, art. 3, circa 4, arg.

(17. Ad uberiorem hujus materiæ notitiam libet hic afferre varios casus particulares in praxi frequentissimos. Regulariter igitur non est mortale revelare defectus naturales animi, corporis, vel naturarum, v. g. quod quis fit ignarus, illegitimus, luscus, etc., nisi inde aliquod grave damnum ei sequatur, quia tales non sunt defectus mortales culpabiles. Ita communis. (18. Similiter non est mortale narrare defectus morales de aliquo in generali dicendo v. gr. esse superbum, iracundum, avarum, etc., quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, et defectu involuntario; nec oritur grave damnum famæ; S. Anton. part. 1, tom. 8, c. 4. Layman l. c. cum communi. (19. Mortaliter tamen peccat, et detrahit, si quis de determinata persona in generali dicat, v. gr. *se scire quid de illo, quod si dicat, sit eum magno rubore affecturus;* quia audientes ex his, et similibus verbis arguunt de eo aliquod grave delictum afferens ei gravem infamiam. Omnes. (20. Non est mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato male loqui, v. gr. in tali loco esse multos improbos, in tali Collegio unum Canonicum commisisse grave crimen, verb. gr. Simoniam; Si tamen non sit tale crimen, quod in aliorum damnum redundet, quia tunc ratione talis gravis damni in alios redundantis erit mortale; Trul. d. 14, cum Azor. Bonac. Busembau et alii passim. (21. Hinc qui dicit Religiosum talis Monasterii, vel Ordinis, hominem talis familiæ, tale, vel tale crimen commisisse, v. gr. Adulterium, fornicationem, et hujusmodi, peccat mortaliter, quia licet congregatio v. gr. Regularium re ipsa non maculetur ex unius Religiosi malitia aut perfidia, sicut nec Collegium Apostolorum ex proditione Judæ, maculatur tamen apud homines simplices, et imperfectos, quibus id sæpe multiplici scandalo esse solet; S. Augustin. Ep. 137, ad Clerum Hipponensem, Layman loc. cit. n. 12. Sporer tom. 2, tract. 5, cap. 4, num. 61. Molina, Navarr. et alii. (22. Gravius autem, et gravissime peccat, qui Ordini seu Congregationi alicui Religiosorum in communi, vel Monasterio detrahit dicendo v. gr. quod in ea male vivatur, non servetur Observantia Regularis, et hujusmodi (nisi tamen sit plane notorium) quia talis gravissimum damnum affert toti Religioni, seu Congregationi, aut Communitati Religiosæ; Layman l. c. n. 12. Trul. d. 12. Busemb. l. c. n. 15. Sotus Navarr. et alii passim. (23. Diffamatum in uno crimine de altero valde affini infamare, ut v. gr. dicere de adultero, quod miserit literas amatorias, est tantum peccatum veniale, quia tunc non notabiliter augetur infamia; de disparato tamen, et non connexo, seu affini delicto infamare, est mortale, quia infamis in uno genere vitii, non amisit jus famæ in aliis virtutibus; Tanner. d. 4, de just. qu. 8, d. 7, num. 141. Less. dub. 14. Busemb. loc. c. n. 11. Navarr. et alii plures. (24. Ne nimis in longum adducantur consimiles casus, ad dignoscendum, an graviter, vel leviter peccetur in hujusmodi materia, affertur sequens regula generalis adducta a meo Sporer loc. cit. n. 59. « Quoties notabiliter fama alterius læditur, sive defectus narratus sit mortalis, sive venialis, sive naturalis tantum, toties peccatur mortaliter. Quoties vero leviter solum læditur fama, peccatur venialiter: quando nihil læditur, quidquid dicatur, nihil peccatur ex hoc capite. »

(25. Resolves tertio, quod defectu rei occultæ detractio evadit solum peccatum veniale; nam crimen jam notorium referre apud alios jam scientes, vel sine dubio alias brevi scituros secluso alio maligno affectu, vel effectu malo, est ad summum peccatum veniale et sæpe etiam nullum peccatum; Quoad alios vero nondum scientes crimen alias notorium, diligenter est attendendum, qua notorietate sit notorium. (26. Duplex enim est notorium, scilicet, notorium notorietate juris, et notorium notorietate facti: Notorium notorietate juris dicitur id, quod scitur per confessionem rei in publico judicio, vel per sententiam Judicis jam publicatam; Notorium notorietate facti dicitur id, quod per ipsam facti evidentiam apud tot est ita notum, ut nulla tergiversatione celari possit; Glossa; in cap, *Vestra*, de Cohabitat. Cleric. et mulier. (27. Utautem aliquid dicatur notorium notorietate facti, aliqui dicunt sufficere, quod sciant decem, quia hic numerus sufficit ad constituendum populum, seu turbam, et Parochiam; lege 4, ff. *de vi honor raptor.* Alii dicunt sufficere, quod sciant sex, quia hic numerus est plus, quam media pars numeri requisiti ad constituendum populum, seu turbam, et Parochiam. Alii vero, quos sequimur cum Abbate in Cap. *Vestra*, de cohabitat. Clericor. et mulier. num. 16. Molina disput. 31. Layman l. c. num. 8. Lugo disp. 14, num. 70. Sporer loc. cit. n. 68, dicunt, quod, quando factum limites secreti, et occulti ita egreditur, ut attenta quantitate commu-

Digitized by Google

nitatis qualitate hominum, et humana imbecillitate, prudentis arbitrio censeatur impossibile cohibere, quo minus in aliorum cohabitantium, vel Viciniæ cognitionem deveniat, tunc respectu illius communitatis, vel Viciniæ censebitur notorium, et publicum. Quare si Collegium constet octo incolis, sufficit plerumque quatuor, vel quinque crimen cognovisse, ut Collegio notorium censeatur; Sin autem Collegium, vel Monasterium constet viginti incolis, sufficiet octo cognovisse; Si centum ibi inhabitent, sufficiet quindecim, vel viginti scire; In oppido quadraginta domos continente, sufficiet octo, vel decem diversarum domorum incolas tale crimen cognovisse; Si civitas quinquies mille habitatores contineat, sufficiet triginta, vel quadraginta per Civitatem dispersos de tali crimine loqui, ut notorium, seu publicum censeatur, ac de eo ulterius apud nondum illud scientes loqui liceat. His adnotatis,

(28. Assero primo, Crimen notorium notorietate juris, postquam per condemnatoriam sententiam Judicis publicatum est, omnibus aliis locis sine injuria licite evulgari potest. Est communis cum Layman loc. cit. n. 10. Molina disput. 33, conclus. 9. Navarr. in Manual. cap. 18, n. 26. Valent t. 3, d. 5, q. 17, part. 2, cum aliis ab ipsis citatis. Et ratio est, quia sicut Magistratus in criminis vindictam jus habet privandi reum bonis fortunæ, et vitæ ipsius, ita etiam jus habet eum privandi bonis famæ, idque re ipsa facere decernit, quando reum publica sententia coram populo condemnat, ita ut reus amittat tunc apud omnes omnino jus ad famam respectu illius criminis, de quo publice condemnatus est, ergo tale crimen evulgans non facit illi injuriam, et consequenter non peccat contra justitiam. Immo per se loquendo, et secluso alio malo effectu, neque peccat contra Charitatem, ut contra Sotum, Pier. Navarr. et alios probabilius tenent Molina, et Layman locis citatis, Sporer loco. cit. n. 69. Lessius, Tamburin. Dicastill. et alii plures, quia utitur jure suo, et licentia sibi a Magistratu juste concessa ad evulgandum alterius crimen, saltem in locis eidem Reipublicæ subjectis, vel aliis vicinis, seu commercio conjunctis; Ideo enim publice damnantur rei, ut alii eorum exemplari condemnatione deterreantur; Quæ finalis ratio publicæ condemnationis currit, nedum pro locis eidem Reipublicæ subjectis, seu commercio conjunctis, sed etiam pro locis remotissimis, uti cum Lessio, Dicastil. advertit Tamburin. l. 9. Dec. cap. 3, § 2, num. 11, Sporer loc. c. n. 69 (1).

(29. Assero secundo, Crimen notorium notorietate facti alicubi, aliis ejusdem loci, seu Viciniæ id nondum scientibus manifestare, non est peccatum saltem mortale. Sic communiter Doctores cum Scoto, in 4, d. 15, qu. 4, art. 1. Lugo, disp. 14, sect. 5. Navarr., cap. 28, num. 10. Cajetan., opuscul. 15. Responsionum, resp. 9. Layman, l. c., n. 8. Sporer, l. c., n. 70. Molin., tract. 4, disp. 31 et 32, et aliis. Et ratio est, quia criminosus censetur tunc spoliatus et jure, et possessione famæ suæ, quando crimen adeo manifestum est, ut moraliter impossibile videatur, quin in aliorum cohabitantium notitiam deveniat; expedit enim ad bonum publicum, ut unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis publice est, ne alii in ejus convictu, commercio, vel aliis actionibus humanis decipiantur; Unde recte observat Lessius, lib. 2, c. 11, n. 75, ex consuetudine totius orbis numquam homines putare se injuriam facere, si publica crimina aliis referant, per quod satis innuitur crimen ita notorium aliis referre, non solum non esse peccatum contra justitiam, sed neque contra Charitatem, saltem mortale, per se loquendo, et præscindendo ab alio malo effectu, ut cum alii notant Tamburin., lib. 9, Decalog., cap. 3, § 2, num. 12. Sporer, l. c., n. 70. Felix Potestas, tom. 1, par. 2, num. 2759 et alii. (30. Si enim id faciat ex aliquo malo effectu, et affectu, scilicet ex gravi odio, vindicta vel novo damno illius proximi, est peccatum mortale; si fiat ex mera loquacitate, est veniale; et si fiat ex zelo bono, vel ad alium bonum finem, nullum est peccatum, ut ex communi testatur Sporer, l. c., n. 70.

(31. Assero tertio, Crimen notorium non absolute sed respective, et limitate, ad aliquem solum locum verb. grat. privatam Communitatem, Collegium, Monasterium, familiam, et hujusmodi referre in alio loco, ad quem non erat de facili notitia perventura, est peccatum mortale contra justitiam. Est fere communis cum Molina, disp. 31 et 32. Soto, lib. 5, qu. 10, de Justit., art. 2. Layman, loco cit., num. 8. Tanner., tom. 3, disp. 4, de just., q. 8. Dub. 7, num. 142. Et ratio est, quia licet criminosus sit Diffamatus in loco commissi criminis, in alio tamen loco, ad quem non de facili est alias perventura talis notitia, retinet juste adhuc jus ad suam famam, adeoque tale crimen sic referens infert ei injuriam contra justitiam. (32. Secus probabiliter est, quando crimen est notorium in aliquo loco, seu Civitate simpliciter, et absolute, quia tunc potest sine ullo peccato, saltem gravi, referri in aliis locis remotis, vel literis eo scribi; Si enim, ut observat Card. de Lugo, disp. 14, sect. 6, num. 81, aliquis ex loco remoto huc veniret, posset illi tale crimen narrari, sicut

(1) « Est *tamen* mortale contra charitatem, inquit *Antonius de Justitia et Jure*, c. 4, quæst. 7, rest. 2, crimen alterius alicubi publicum etiam per sententiam publicam judicis, detegere sine justa causa in eo loco quo fama non erat illud perlatura, si auctor criminis erat ibi bonæ famæ. » Ita Lessius asserens hanc esse fere communem sententiam... « Si tamen fama communis crimen sic publicum brevi erat perlatura in locum, ubi revelasti; non peccas mortaliter contra charitatem illud antea aperiendi : quia fama brevi juste destruenda non magni æstimatur, nec proinde illius damnum censetur magnum. Dico *juste*, nam qui crimen, quod injuste divulgandum erat, prior divulgat, peccat mortaliter, et tenetur compensare damna. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

aliis, qui in hac Urbe commorantur, quamvis hic rediens ad suam patriam notitiam illam secus delaturus esset; Cur ergo eidem in patria commoranti non poterit id ipsum per literas scribi, vel ibidem eidem narrari, si quis ad ipsum illuc pervenerit? Certe non magis fama læditur in uno casu, quam altero; sola enim varietas loci non variat famæ læsionem, nec videtur diversam obligationem inducere. Nec id displicet Patritio Sporer, tom. 2, tract. 5, cap. 4, num. 71. Attamen contraria opinio est communior et probabilior, ut patet ex ipso Sporer, l. cit., ubi dicit juxta communem DD. sic tenere Sotum, Molinam, Petr., Navarr., Tannerum, et Layman.

(33. Assero quarto. Qui occultum alicujus crimen se ab aliis audisse narrat, non peccat saltem mortaliter, si absque propria confirmatione, et proposito nocendi referat, vel tales circumstantiæ concurrant, ut credibile sit audientes non esse credituros, quia in tali casu abest periculum notabilis damni inferendi. Est communis cum Scoto, in 4, dist. 15, q. 4, art. 1. Navarr., cap. 18, num. 36 et 50. Layman, loc. cit., n. 7. Reiffenstuel, tract. 9, dist. 6, num. 14, vide Nov. Addit., post n. 28. Sporer, l. c., num. 92. (34. Si vero cum propria asseveratione, et confirmatione, iisque circumstantiis tale auditum crimen occultum narretur, ut narratio suo pondere fidem apud audientes mereatur vel sinistram suspicionem generet, peccatur contra justitiam cum onere restitutionis, quia in tali casu infertur notabile damnum proximo. Sic mox citati Doctores, Molina, disp. 30. Lessius, cit., cap. 11, dub. 5, et alii communiter. (35. Si autem in talis occulti criminis narratione tales circumstantiæ concurrant, ut narratio per se quidem fidem non mereatur, is vero, qui narrat animadvertat audientes, si non ex vi suæ narrationis, propria tamen levitate esse credituros, vel malam suspicionem concepturos, non peccat quidem contra justitiam, ut defendunt S. Antonin., p. 2, tit. 2, cap. 2, § 3. Cajetan., loco cit., art. 2. Lessius, loco cit., cap. 11, dub. 6. Layman, loco cit., n. 6. Tamburin., l. 9. Decalog., cap. 3, § 2, num. 5, quia sic causa alterius malæ fidei non potest adscribi tali narranti, cum audientes non ex pondere talis narrationis nihil moventis, sed ex proprii animi levitate fidem adhibeant; qui enim *cito credit*, juxta illud Ecclesiastici, cap. 10, *levis est corde;* peccat tamen contra charitatem gravius vel levius juxta qualitatem materiæ; quia publici mali occasionem præbet sive respectu audientium, qui temere credendo scandalum patiuntur, sive respectu infamati, qui famæ suæ jacturam apud eosdem incurrit.

(36. Assero quinto. Peccat mortaliter cum obligatione restitutionis, qui infamatum jam emendatum de præterito, et jam oblito crimine, denuo sine justa causa infamat. Est fere communis cum Sanchez, in Decalog., lib. 6, cap. 18, num. 40 et 60. Molina, disp. 33, num. 2. Lugo, loco cit., n. 85, et in Respons. moral., lib. 4, dub. 46. Mendo, d. 1, a n. 200. Laym., loco cit., n. 8. Ovied., de Claritat. contract. 11, pag. 10, § 12. Telet., lib. 5, c. 65, contra Lessius, dub. 13, in fin. Et ratio est, quia sicuti malis moribus infamia facti contrahitur, et bona fama amittitur, ita contrariis bonis moribus infamia facti aboletur, et fama bona recuperatur; adeoque ea semel per emendationem recuperata apud homines prioris sceleris oblitos, injuriose spoliatur recensendo prius ejus crimen. Tum quia res illa, ut optime dicit Lugo, c., num. 84, per oblivionem reducta omnino est ad eum statum, quem habebat antequam esset publica; et fama iterum juste possidetur; ergo sicuti tunc publicari non poterat, sic nec postea poterit; Nam rem antea notoriam fuisse, facit quidem, quod tunc fuerit publica, sed non facit, quod nunc etiam publica sit; adeoque nunc vere est actu occulta, nec potest publicari sine gravi injuria et obligatione restitutionis.

(37. Assero sexto. Probabilius mortaliter peccat, qui occultum alterius crimen sine justa causa manifestat uni vel alteri viro prudenti, non ulterius divulgaturo. Sic Sotus, lib. 5, q. 6, art. 3, et lib. 5, quæst. 10, art. 2, conclus. 4. Molina, disput. 20, n. 7. Less., loco cit., dub. 11. Layman, loco cit., num. 6. Lugo, disput. 14, num. 51. La Croix, lib. 3, par. 2, num. 1197. Sporer, loco cit., num. 63. Illsung., t. 4, d. 3, num. 105, et alii apud ipsos. Ratio est, quia revera, et rationabiliter plerique hanc famæ suæ jacturam magni æstimant, et graviter sentiunt, si de gravi scelere infamantur, etiamsi apud unum solum virum prudentem, et gravem non ulterius divulgaturum. Immo non pauci inveniuntur Religiosi, Clerici, subditi, aliique, qui mallent crimen suum occultum sciri a centum aliis, quam a Prælato, Domino, vel Benefactore, a quo multum dependent. (38. Si quis autem solatii, vel consilii tantum causa, et non intentione detrahendi, seu lædendi, alicui amico, vel consiliario taciturno narret injuriam ab alio sibi factam, seu grave crimen contra se commissum, non peccat mortaliter, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori, ea enim est ipsi imputanda; Et ratio est, quia humana conditio non patitur, ut quis gravem offensam recipiat et non se doleat, vel quærat solamen, seu consilium; et sic a mortali excusantur famuli, qui injurias sibi ab heris suis; uxores, quæ a Maritis; filii, qui a Patre; Religiosi, qui a Prælatis; milites, qui ab Officialibus illatas, doloris tantum mitigandi causa referunt; Trull., d. 11. Less., d. 12. Molin., num. 5. Diana, p. 2, t. 5, resol. 32. Petr. Navarr., l. 2, cap. 4, n. 346. Laym., l. c., num. 6. Tanner Busemb., et alii passim (1).

(39. Assero septimo. Defunctis detrahere,

(1) « Licet, ait Antonius dé Justitia et Jure cap. 4, quæst. 9, resp. 2, injuriam sibi ab alio factam referre ad petendum consilium necessarium, non nominata persona, nisi ad consilium opus sit, modo non pluribus referatur, quam necesse sit..... Non tamen licet ad solatium præcise seu ad dolorem leniendum narrare amico injuriam sibi factam nominata persona : quia iniquum est gravem infamiam

Digitized by Google

seu eorum gravia occulta crimina propalare est peccatum mortale ad restitutionem obligans; Molina, disp. 28. Lessius, l. cit., dub. 21. Bonac., d. 2, qu. 4, pag. 2, tom. 2, de Restit. in partic., n. 2. Layman, loc. cit., num. 13. Petr. Navarr., loc. cit., num. 351. Busembau, lib. 3, par. 2, dub. 2, n. 13, et alii communiter. Et ratio est, quia tantum jus habeant ad famam suam Defuncti, quantum Vivi, cum juxta communem existimationem censeantur adhuc in sua fama vivere; unde sicut illorum memoria capax est gloriosæ recordationis, ita et ignominiosæ detractionis; quæ confirmat Scriptura Eccl. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Et sic si quis illos tali bona fama, et gloria injuste spoliet propalando aliquod occultum eorum grave crimen ipsis detrahere censetur, et per hoc ad restitutionem obligatur. (40. Hinc etiam Historiographi contra justitiam peccant, si occulta mortuorum crimina pandant. (41. Quo tamen ad mortuorum crimina publica, jam oblivione sepulta, seu sepelienda, vel uno, seu altero tantum loco cognita, plus Historicis, quam aliis hominibus est concessum, ut ea scilicet ad perpetuam totius posteritatis cognitionem publicis scriptis diffundant, partim ad aliorum exemplum ac terrorum, partim ad rerum gestarum notitiam conservandam; Molina, loc. cit. Sotus, cit., q. 10, art. 2, et de secreto membr. 1, q. 2, in fine; Layman, loc cit., num. 13. Valent., disp. 5, qu. 17, p. 2. Sa verb. *Infamare*, n. 4, et alii passim. (42. Peccant autem Historici describendo crimina mortuorum publica, et non referendo pœnitentiam, vel emendationem, si resipuerint; Busembau, l. c., n. 9, et alii communiter.

(43. Resolves, quarto, quod defectu injustitiæ revelandi, crimen occultum revelare non est peccatum, Ad hoc enim ut detractio seu revelatio criminis occulti alterius si peccatum; requiritur potissimum injustitia revelandi, ut scilicet fiat absque ulla justa causa necessitatis, vel utilitatis gravis præponderantis damno infamiæ alterius. (44. Causæ autem justæ revelandi aliquod crimen verum occultum alterius sunt præsertim quatuor sequentes. Prima est bonum ipsius revelantis. Secunda est bonum audientium. Tertia est bonum ipsius delinquentis. Quarta est bonum Communitatis, vel Reipublicæ. (45. Propter primam causam, scilicet propter bonum ipsius revelantis potest quis licite occultum crimen proximi vel injuriam sibi factam revelare viro prudenti, et gravi, ut consilium, vel auxilium, seu etiam in sua afflictione solatium, et sublevamen capiat, secluso alio maligno affectu detrahendi, seu lædendi. Est communis; (46. Dummodo tamen pro quanto est sibi possibile, cum minimo alterius damno fiat, ut si sufficiat unus ad consilium, seu solamen, non manifestetur pluribus; et si possit capi non nominata persona non nominetur. Sic recte limitant Layman loco cit. n. 5. Lessius loco cit. cap. 11. dub. 12. Busemb. loc. cit. num. 5. Sporer *loc cit. n.* 75. et alii. Vid. Nov. Addit. ad num. 39. (47. Sic a fortiori ad evadendam mortem vel gravia tormenta, ob crimen occultum alterius sibi falso impositum, potest quis licite manifestare crimen occultum alterius sibi falso impositum, potest quis licite manifestare crimen occultum alterius verum, extra sigillum Confessionis Sacramentalis cognitum; Est communis. (48. Nullimode autem licet crimen falsum imponere proximo innocenti; ut patet ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. relatis supra sub num. 10. (49. Ita etiam ut quis officium, vel Beneficium sibi, vel suis dignis assequatur, non est illicitum, saltem sub gravi, competitoris non dignioris vitium occultum. quoad tale officium, vel Beneficium inhabilior redditur, Collatori aperire; Navarr. in cap. *Inter verba* n. 854. Sa verb. *Infamare*; Tolet. lib. 5. cap. 65. Sporer loc. cit. n. 76. et alii.

(50. Propter secundam causam, scilicet propter bonum audientium potest quis licite proximi occulta crimina, et incognitos defectus revelare ad audientium instructionem, informationem, et cautelam, ut sic a multis malis, damnis, et incommodis liberentur, cavendo ab occultis criminosis, vel in sua professionne imperitis, quos undequaque justos, et solos peritos in sua respective professione ante talem revelationem, seu manifestationem judicabant; Sic enim potest occultus fur, seu intidus servus manifestari iis, cum quibus solet frequentare, et inhabitare, et a quibus petitur pro servitiis hoc solo fine ut a suis caveant latrociniis, seu domesticis furtis, sic occultus homicida potest indicari Judici, ut innocens eo crimine accusatus liberetur; sic imperitus Advocatus, Medicus, Confessarius, Artifex, etc., et hujusmodi potest ad cautelam manifestari iis, quibus damnum notabile inferri potest ex eorum imperitia; Dummodo tamen semper in similibus absit quilibet malignus affectus et finis nocendi, sed solum intendatur præcautio bonorum, et innocentium, a consortio et infectione malorum, et respective nocentium occultorum, juxta illud Lucæ 12. *Attendite a fermento Pharisæorum*, et Matth 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum;* item Matth. 23. et alibi late manifestat eorum vitia ad audientium cautelam, et instructionem, ut ab ipsis caveant. Sic passim Doctores; Adrianus in 4. ubi de restitut. famæ; Sotus lib. 5 quæst. 10. art. 2. Navarr. cap. 18. num. 31. Molina disp. 34. Less. loco cit. dub. 9. Layman loco cit. n. 5. Sporer loco cit. n. 79. et alii.

(51. Propter tertiam causam, scilicet propter bonum ipsius delinquentis potest quis manifestare Superiori defectus occultos subditi, ut sic corrigatur, et emendetur; ita potest quis manifestare crimen occultum filiorum Parentibus, vel famulorum heris in ordine ad correctionem; Sic uxor Marito, vel Maritus uxori manifestare potest, et sæ-

proximo inferre sine justa et gravi causa quale non est solatium illud. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

pe debet occulta crimina filiorum, vel famulorum, ut sic corrigantur, et emendentur. Immo interdum expedit in præsentia ipsius criminosi coram aliis amicis fidelibus et charitativis, seu aliis conjunctis ejus criminarevelare, ut communi omnium adhortatione saltem rubore confusus ad emendationem compellatur. Et ratio est, quia multo magis salus, et bonum spirituale ipsius criminosi præferendum est ejus famæ, quando sine hujus aliquali læsione procurari commode non potest. Est communis cum Trull. t. 2. leg. 7. cap. 10 dec. 11. Sporer l. c. n. 80. Marchant tract. 9. tit. 4. q. 4. regul. 2, Busembau loc. cit. num. 5.

(52. Propter quartam causam, scilicet propter bonum commune Reipublicæ vel Communitatis, potest quis licite revelare occultum crimen, vel incognitum defectum alterius, quoties ita necesse est ad impediendum majus damnum Reipublicæ, vel Communitatis foret. Immo quandoque tenetur ex Charitate tale occultum crimen aperire, ut est si quis moliatur proditionem Reipublicæ, hæresim, homicidia, furta, et hujusmodi, quæ aliter impediri non possunt, quam per revelationem factam iis quibus interest; Sic si homo improbus, et non idoneus Juventuti sit præferendus in Magistrum, animabus in Parochum, corporibus in Medicum, cum multorum damno sive spirituali, sive temporali; quia quilibet ordine Charitatis tenetur magis avertere majus damnum Communitatis, seu personarum innocentium, quam personæ nocentis, dummodo quam possibile est, fiat cum minima jactura alienæ famæ, seu alterius gravis damni; ipsum criminosum prius admonendo, ut sibi caveat, fuga consultat, et hujusmodi. Sic communis cum Molina disp. 24. Less. leg. 2 cap. 11. dub. 9. Navarr. cap. 18. num 21. Layman loco cit. num. 5.

(53. Detrahentes voluntarie, et sine causa audire, cum facile potest, non impedire, est peccatum mortale. Est communis; et colligitur ex Prov. 4. ubi expresse præcipitur: *Remove a te os pravum; et detrahentia labia sint procul a te.* Hoc malum enim dicit S. Hieronimus epist. 19. ad Cælant. « Ideo celebre est, idcirco in multis fervet, quia penes ab omnibus auditur, si deest auditor, deest et murmurator; » (54. Quia tamen potest quis esse auditor detractoris tripliciter, scilicet inducendo, approbando, et non impediendo, ideo dico primo, quod audiens detrahentem coram aliis inducendo, provocando, adjuvando, approbando, et non impediendo, seu alio modo positive cooperans ad detractionem faciendam, peccat mortaliter contra justitiam; et ad restitutionem obligatur respectu infamati; quia positive ad illius damnum cooperatur, et peccat mortaliter peccato scandali contra Charitatem respectu detrahentis, quem positive ad peccatum inducit, vel confirmat. Est communis: et per hoc S. Bernadus lib. 2. de Considerat. ad Eugenium cap. 13. scripsit: « Detrahere vel detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim. Immo S. Joann. Chrysost. Homil. de Davio expresse dicit: Collaudare delinquentes plus est, quam delinquere; et in specie de audiente, et collaudante, seu applaudente, et provocante detractores sic præcise dicit meus S. Bernardinus Senens. tom. 2. serm. 23. art 3. cap. 1. « Talis plerumque amplius peccat, quam detractor, quoniam ex majori iniquitate, vel malignitate procedit. » (55. Dico secundo quod audiens detrahentem non inducendo, sed solum consentiendo, et complacendo in detractionem, peccat mortaliter tantum contra Charitatem, sed non contra justitiam, adeoque ad nullam restitutionem obligatur. Et ratio est, quia consentire, complacere, vel lætari de malo alterius absque ulla positiva externa cooperatione ad illud malum, charitati tantum, non autem justitiæ adversatur. Est communis; et quod sit peccatum mortale, colligitur ex Apostolo ad Rom. 1. ubi de ipsis aliisque peccatoribus dicit: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;* et Divus Bernardus de Triplici Custod. linguæ expresse dicit: « Detractor, et libens auditor uterque diabolum portat in lingua. » (56. Si tamen quis delectaretur præcise de lepiditate, gratia, dexteritate, aut exaggeratione Detractoris, non esset inde culpandus peccati gravis licet posset mortaliter peccare, eo quod Detractorem non impediret, si posset, ut mox subjungitur (57. Dico tertio, quod audiens detrahentem non ipsum inducendo, nec ei consentiendo, sed tamen illum non impediendo, quando facile, et commode potest, peccat etiam mortaliter contra Charitatem ex duplici respectu, scilicet, et respectu ipsius infamantis, non impediendo ejus peccatum, et ruinam spiritualem, cum possit fraterne corrigendo; et respectu infamati non impediendo ejus damnum famæ; colligitur ex cap. *Error* 3. dist. 83. ibi: « Error, cui non resistitur, approbatur, et veritas, cum minime defensatur, opprimitur; negligere quippe cum possis perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere: Neque caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare; » et expresse docet S. Bonaventura in Specul. anim. cap. 1. sic dicens: « Ad detractionem spectat bonum proximi tacere, quod quidem mortale est, cum videt aliquis injuste famam proximi deperire; » et sic etiam S. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 4. « Dicendum est ergo, quod si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire, unde fit particeps peccati ejus. Et est communis sententia Doctorum, » qui insuper volunt, quod si interdum non expediat auditorem impedire detractorem per directam correctionem, ut si persona non sit idonea ad corrigendum, si nullus fructus speretur, immo gravius malum timeatur, cum sæpe detractores ex correctione eo magis irritentur ad detractiones confirmandas, vel ipsas augendas, seu ad convitia, et contumelias evomendas contra correctorem; Tunc inquam, volunt communiter Doctores teneri adhuc auditores, quantum commode fieri

Digitized by Google

potest, corrigere, impedire saltem indirecte vel discedendo, vel alio sermonem divertendo vel tacendo, et vultum tristem ostendendo, nam, ut dicitur Proverb. 25. n. 23. *Ventus Aquilo dissipat pluviam, et facies tristis linguam detrahentem;* et ideo consulit Ecclesiasticus cap. 28. n. 2. ut in similibus casibus claudantur spinis aures audientis, *Sepe aures tuas spinis;* quia ut optime explicat Ugo Cardinalis in Proverb. cap. 23. *Ostensio tristis vultus spina est, qua pungitur lingua detractoris.*

(58. Se ipsum infamare sine rationabili causa, est peccatum; Veniale tamen, ubi nullum aliud intervenit detrimentum. Est communis; Prima pars patet ex cap. 11. Ecclesiastici ubi præcipitur cura habenda de bono nomine, ibi : *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, et magni,* et Proverb. 2. 2. commendatur bonum nomen super omnes divitias : *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ;* unde et Poeta canit :

Omnia si perdas, famam servare memento;

adeoque si fama ex Sacra Scriptura debet esse homini magis cara, quam omnes divitiæ, sicuti illas prodigare est peccatum, i a et illam. Secunda pars est clara, quia homo est Dominus suæ famæ, quippe quam propriis virtutum actibus comparavit, et eam dissipando nemini injuriam facit; adeoque est tantum veniale vitium prodigalitatis. (59. Quando quis tamen se infamat in iis circumstantiis, in quibus graviter nocet Communitati, familiæ, proximo, etiam vitæ suæ, peccat mortaliter, sicut de facto peccat Religiosus, Paterfamilias, seu Rector alicujus Communitatis se ipsum ita infamans, ut inde redundet gravis infamia in familiam, aut communitatem. Est communissima. Et ratio est, quia licet sit quis Dominus famæ suæ, non tamen potest illam dissipare cum detrimento boni publici, famæ alterius, aut vitæ propriæ, cum in istis nullum habeat dominium; adeoque, etc. Hinc. cap. *Non sunt audiendi* 54, caus. 11. quæst. 3. ex verbis S. Augustini sic cavetur : « Quisquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem etiam famam, in alios misericors; Nobis enim necessaria est vita nostra honeste acta, aliis fama nostra. » Et S. Gregorius cap. 9. in Ezechiel. sic præcise habet : « Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt detrahentium sibi verba compescere. »

ARTICULUS II.

Quoad obligationem restitutionis famæ, et quoad causas excusantes a tali restitutione.

(1. Qui falsum crimen alicui scienter imposuit, necesse est, ut restituat famam retractando dictum suum, asserendo v. gr. se deceptum fuisse, sed re melius considerata comperisse errorem, vel falsum dixisse, etiam adhibendo juramentum, et testes, si necessitas urgeat, eo quia auditores nolint sine juramento, vel testibus credere; Cajetanus 2.-2, quæst. 62, art. 2. Sotus de just. lib. 4, quæst. 6, art. 3. Navarrus cap. 18, num. 45. Petrus Navarra lib. 2, de Restitut. cap. 4, n. 137. Turrian 2, 2, tom. 2, disp. 53, dub. 1, num. 9. Salonius de Just. tom. 1, quæst. 62, art. 2, controv. 13. Tannerus 2, 2, disp. 4, quæst. 6, dub. 6, num. 41. Lessius lib. 2, cap. 11, dub. 20, et alii et in specie quoad onus adhibendi testes docent Molina tom. 1, disput. 41. Joannes della Crux in directorio part. 1, proposit. 7, art. 1, dub. 5. Sotus, Aragonius Lessius, Salonius locis citatis et alii. Et ratio est, quia qui sic injuste alterum læsit, tenetur ad æqualitatem constituendam, etiam eum aliquo suo incommodo adhibere omnem modum, et medium licitum requisitum ad ipsam ponendam, sed juramentum adhibere ad firmandum se falsum in detractione dixisse, et etiam testes ad roborandum, est medium omnino licitum cum ex una parte juramentum sit verum et urgeat necessitas, cum supponatur auditores nolle sine juramento, vel testibus credere tali retractationi, ergo, etc. (2. Si auditores nullam habentes probabilem rationem, nolint, et renuant detractori se retractanti, cum juramento, et testibus, fidem adhibere, tunc detractor ad nihil amplius obligatur, quia non amplius censetur causa talis pravæ opinionis, sed perversitas eorumdem auditorum. Sic communis Doctorum.

(3. Qui crimen alicujus verum, sed occultum injuste prodidit, licet non teneatur retractare suum dictum, asserendo se falsum dixisse, quia hoc faciendo mentiretur, tenetur tamen alio licito modo facere restitutionem, quatenus potest sine mendacio, dicendo verb. grat. se male, et fatue dixisse, injuriam intulisse, deceptum fuisse, et hujusmodi. Hæc enim vera sunt, nam talis male et fatue dixit et vere injuriam intulit, et cum omne peccatum sit quædam deceptio, vere deceptus est, quando proximum injuste de occulto crimine infamavit. Ita communis cum S. Thoma 2, 2, qu. 62, art. 2, ad 2, et Scoto in 4, d. 15, quæst. 4, art. 2. (4. Vel si talis loquendi formula prævideatur interdum parum, vel nihil profutura pro restituenda aliena fama, tenebitur in tali casu infamato aliam æquivalentem famæ compensationem facere, eum ob alias ejus dotes laudando et honorifice de eo loquendo, quotiescumque se occasio præbuerit; Sic etiam sensim ex una parte tantumdem famam ejus illustrare poterit, quantum ex altera obscuravit; Sic Sotus lib. 4, de Just. quæst. 6, art. 3, ad 4. Cajetan, qu. 62, art. 2, et quæst. 72, art. 3. Navarr. cap. 18, n. 45. Lessius l. c. num. 110. Layman lib. 3, de Justit. tr. 3, part. 2, cap. 7, n. 2, et alii. (5. Si detractor revelavit alterius crimen aliquibus sub secreto, vel probabiliter credens ipsos rem aliis non esse manifestaturos, cum sint timoratæ conscientiæ, et notæ probitatis, sufficit, quod restituat famam apud suos immediatos auditores tantum. Si vero revelavit non sub secreto neque sub tali probabilitate, tenetur

Digitized by Google

restituere famam, et apud suos immediatos auditores, et apud alios mediatos, ad quos criminis infamia pervenit. Et ratio est, quia in primo sensu infamia per auditores immediatos detractoris irrogata per manifestationem criminis aliis factam, est omnino præter intentionem, et fortuita respectu primi detractoris; In secundo autem sensu detractor sua manifestatione censetur causa efficax infamiæ apud omnes; Diana part. 3, resolut. 34, in fin. Vill lobos in Summa tom. 2. tract. 11, difficul. 37. Lessius l. c. n. 111. Petrus Navarra lib. 2, cap. 4, n. 443. Rosignol de Restitut. 2, prænot. 1, n. 6. Dicastil. de Restitut. d. 2, dub. 6, a n 168. Lugo disp. 15, sect. 3. n. 15. Sporer. l. c. n. 101. Tamburin, et alii passim.

(6. Si ex infamia, quam alteri causavit detractor, sive falsum crimen narrando, sive occultum prodendo, ortum est ipsi etiam damnum fortunarum, ut si privatus est officio, excidit spe divitis, seu nobilis Matrimonii, amisit dotem etc. tu c debet integram compensationem facere prudentis viri arbitrio. Est communis cum Navarro c. 28, n. 45. Less. l. c. dub. 19. Layman. l. c. n. 4.

(7. Si ipse detractor non satisfecerit vivus læso in bonis fortunæ, tenentur satisfacere ipsius hæredes, sive ipsi læso, seu damnificato, si adhuc vivat, sive ejus hæred.bus, si fuerit mortuus. Et ratio primæ partis est, quia hæc obligatione compensationis, quo ad damna temporalia non est mere personalis, sed afficit bona detractoris, quæ cum tali onere transeunt ad successores, et sicuti tenentur hæredes ex bonis testatoris damnum compensare, quod idem testator intulit comburendo v. gr. injuste domum alterius, ita tenetur hic. Ratio secundæ partis est, quia hæredes in ordine ad bona fortunæ induunt ipsam personam defuncti, ejusque jura acquirunt in ordine ad hæreditatem, hæc enim jura sunt veluti pars hæreditatis; Ita Navarr. in Manual. cap. 18, n. 45, Adrian. quodlib. 11. Lessius loc. cit. dub. 21, num. 113. Layman loc. cit. num. 4. Busemb. loco cit. n. 4, et alii (8. Non tenentur tamen hæredes infamatoris ad restitutionem famæ, si eam ipse non restituit, quia hæc obligatio est mere personalis, neque infamatoris personam transgreditur, unde solummodo afficit, vel respicit bona, in quibus hæredes succedunt, adeoque etc. Lessius l. c. dub. 21, n. 111. Laym. l. c. n. 4. Petr. Navarr. l. c. n. 246. Busem. l. c. num. 4, et alii (9. Tenetur autem ipse detractor, si supervixerit ei, cui detraxit, famam ipsi restituere, quamvis defuncto, quia fama est bonum, quod homo etiam post mortem communi existimatione censetur possidere, per hanc enim vivit quodammodo in memoria hominum, et per hoc Eccles. 7, dicitur: *Mortuo ne prohibeas gratiam*, unde qui aliquem viventem graviter infamavit, debet ei quamvis mor uo famam restituere, sicuti tenetur defuncto famam restituere, qui ei jam defuncto detraxit, ut patet artic. antecedenti num. 39. Lessius loco cit. dub. 21, num. 114. Layman l. c. n. 13. Molin. cit. disp. 28. Petr. Navarr. l. c. n. 351, et alii communiter.

(10. Qui aliquem infamavit plane inadvertenter, et sine culpa, putans rem, v. gr. a se narratam esse publicam, cum esset occulta, vel esse veram, cum esset falsa, talis, id postea cognoscens, tenetur ex justitia restituere famam, si possit absque suo gravi incommodo; Sic Molina tom. 5, disp. 40, n. 3. Lugo disp. 15, n. 4. Lessius loco cit. cap. 11, dub. 22. Sporer. loco cit. num. 86. La Croix l. c. num. 1243, et alii communiter contra paucos volentes esse obligationem tantum ex Charitate. Et ratio est, quia justitia non solum obligat, ne quis det causam injusti damni proximi, sed etiam obligat ut illam causam damnosam forte quoquo modo a se positam, postea auferat, ideoque quicumque causam posuit, unde postea intelligit alteri damnum injustum oritur.m, is ex justitia obligatur causam a se positam tollere, si adhuc utiliter, et sine suo gravi incommodo possit; aliter si causam a se positam, cum facile possit, non removeat, censetur adhuc et de novo velle effectum, et damnum illud, quod ex causa posita oriturum prospicit; Si enim v. gr. per omnimodam inadvertentiam, et inculpate alicui venenum quis propinavit, et hunc inculpabilem errorem cognoscat adhuc in tempore, quo mors impediri possit, tenetur utique is sub mortali impedire, si absque suo gravi incommodo possit, et hoc ex justitia, quia saltem materialiter causam mortis posuit (ex charitate enim, ut recte observate meus Sporer l. c. tenetur quilibet alias facile talem mortem impedire potens, qui nullam posuisset causam.) Sic a pari in causa injustæ infamiæ narrando crimen proximi occultum, quod putabat publicum seu falsum, quod putabat verum, postea tali errore cognito, et damno proximi, tenetur ex justitia eam causam tollere, et famam reparare, si possit absque suo gravi incommodo, quia ex illo tunc perduratio talis infamiæ jam fieret ipsi voluntaria, et consequenter injusta, et moraliter ipsi imputabilis. (11. Non obligatur autem talis materialis detractor ad compensanda, seu reparanda damna secuta ante cognitum suum errorem; adhuc ipso in bona fide persistente, quia pro illis in nulla culpa fuit, quamdiu errorem suum non advertit; Sic ex communi Lugo loc. cit. 5. Sporer loc. c. 86. La Croix loc. cit. num. 1244. (12. Sunt tamen reparanda, seu compensanda damna illa, quæ sequuntur ex dilata culpabiliter restitutione famæ, quia ex illo tunc jam talis detractor de materiali evadit formalis detractor, et incipit esse in gravi culpa contra justitiam, cum negligat culpabiliter impedire infamiam proximi, et damna inde sequentia, et tenetur ex justitia; sicuti jam fuit abunde probatum. (13. Ita ex communi Doctores mox citati; Sic etiam qui de Caio revelans grave crimen, advertit audientes per errorem intelligere de Titio, tenetur ex justitia restituere Titio, quia revera ex tali revelatione occasionaliter saltem sequitur

Digitized by Google

iste error audientium, et consequenter infamiam Titii apud audientes; Molina l. c. n. 3. Lugo l. c. n. 6. Sporer loco citato num. 87. La Croix loc. cit. num. 1245, contra Lessium loco cit. num. 119, qui dicit teneri tantum ex charitate auferre errorem audientium.

(14. Causæ excusantes a restitutione famæ variæ a Doctoribus assignantur, præcipuæ tamen sunt sequentes. Prima causa est spontanea condonatio facta ab eo cujus infamia non redundat in alios; quilibet enim est dominus propriæ famæ; adeoque si infamatio ipsum solum tangat, nec redundet in alios, potest cedere juri restitutionis famæ, ejusque obligationem alteri condonare, præsertim propter Deum, aut alium honestum finem. (15. Secunda est, si ex cujuspiam oblocutione, seu detractione proximo nullum secutum est damnum famæ vel honoris, quatenus auditores prudentes non crediderunt, ex quo detractor nullius erat fidei, utpote solitus mentiri, et detrahere; vel quia illi, apud quos detraxit, jam sciebant crimen illud, vel saltem jam sciebant similia, et forsan pejora, ita ut infamia non fuerit aucta; et ratio est clara, quia quod re ipsa ablatum non est, hoc ipso restitui non debet. (16. Tertia est justa compensatio, ut si ab eo, quem infamasti, pari modo si infamatus, et is tibi famam restituere nolit, quia tunc uteris justa compensatione, si infamia non redundet in alios. (17. Quarta est, si id, quod contra bonam famam alterius quis locutus est, jam in oblivione abiisse prudenter existimatur, quia in tali casu censetur damnum illatum omnino evanuisse, et probabilius esset, memoriam delicti tali restitutione renovari. (18. Quinta est, si fama ablata jam fuit recuperata per aliam viam, ut per testimonium gravium virorum fide dignorum, vel per exemplaris vitæ probitatem, vel per alium consimilem modum. (19. Sexta est, si crimen occultum, quod quis aliquibus revelavit, alia ratione fiat publicum, tunc enim amisit jus restitutionis. (20. Septima est, si bona fide quis persuasus esse verum, et publicum narravit aliquid, et proximum diffamavit, nec possit sine propria infamia, vel magno damno fortunarum restituere, tunc excusatur a restitutione. (21. Octava est, si restitutio famæ non possit fieri sine periculo vitæ; quia generatim nemo tenetur restituere bona ordinis inferioris detrimento bonorum ordinis superioris; vita autem bonum est altioris, et superioris ordinis, quam sit fama. (22. Nona est, si non possit quis facere restitutionem famæ alienæ, nisi cum jactura propriæ famæ, quæ sit longe majoris momenti; Sic Prælatus non tenetur restituere famam personæ vili, nec vir valde illustris plebeo, sed sufficit si illum laudet in eo genere virtutis, ubi sic infamavit, vel alio meliori modo commendet; Et ratio est, quia persona vilis seu plebea nequit cum ratione exigere, ut talis Prælatus, vel vir valde illustris, Reipublicæ adeo utilis, suam famam tanti momenti amittit pro restituenda sibi ablata, quæ sit parvi, seu nullius momenti. (23. Decima est, si famæ restitutio facta sit impossibilis, cum ad impossibile nemo teneatur.

DIACONATUS.

Vide verb. Ordo, *art.* 1. *num.* 43, 44 *et* 45.

DIACONUS.

SUMMARIUM.

1. Diaconi Orientalis Eccl. ordinati in statu cælibi nequeunt Matrimonium contrahere. — 2. De Diaconis apud Cophtos. — 3. De Diaconi appellatione. — 4. Diaconorum institutio. — 5. De eorum numero. — 6. 13. De eorum officiis.

(1. Diaconi Orientalis Ecclesiæ, qui ordinati fuerint in statu cælibi, non possunt Matrimonium contrahere; Bened. XIV. T. 1. Constit. 129. incip. *Eo quamvis tempore* § 36 et 37. (2. Et si quod contraxerint, non solum illicitum est, sed etiam nullum; Idem *ib.* § 38. et 39.

(3. Diaconi apud Cophtos ordinati in infantili ætate, postquam ordinationem suam ratam habuerint, Matrimonium inire nequeunt; idem *ibid.* § 40. (4. Etiam post ejuratum schisma; Idem *ibid.* § 41. (5. Si in schismate degentes Ordinationem ratam habuerint, deindeque Matrimonium contraxerint, an redeuntibus ad Ecclesiam indulgenda sit dispensatio, ut uxores valeant retinere, quamvis exempla hujusmodi dispensationis afferant, adhuc Pontifex hæret, et ut firmo pede, ut ait, deliberare possit, certiorari a Missionariis expetit de pluribus, quæ assignat; Idem ibid. § 47, ad 54.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(6. Diaconus Græce idem est, ac Minister; unde etiam Levitæ passim a Patribus Diaconi nostri appellantur, quod scilicet quemadmodum Levitæ in veteri Testamento Sacerdotio subserviebant, ita et nostri Sacerdotibus in obeundis sacris ipsorum officiis subserviant.

(7. Ex occasione murmuris Græcorum, de quo Act. 6, ad mensarum ministerium creati fuerunt ab Apostolis septem Diaconi; primarius vero eorum finis, ac scopus fuit, ut rebus sacris, ac divinis inservirent: quod adversus Novatores Theologi nostri Bellarminus, Natalis Alexander, Turnelius ostendunt.

(8. Neque audiendus Vasquezius, qui disp. 236, cap. 4, num. 48, seq., negat, septem horum Diaconorum in Actis narratam institutionem ullum sacrum ministerium spectasse, sed unam mensarum, et rerum Ecclesiæ temporalium administrationem. Nam licet ille cap. 5, fateatur (quod Novatores inficiantur) Diaconatum esse verum Sacramentum, et divinæ quidem institutionis, licet diversæ, seu diverso tempore factæ ab

Digitized by Google

eo, quæ Act. 6, refertur; tamen ex antisquissima Patrum traditione, et omnium Ecclesiarum, in quibus Hierosolymitanorum exemplo septem ad sacrum ministerium Diaconi delecti sunt, consuetudine discimus, non aliter primam illam Apostolorum institutionem explicandam, quam uti docuimus; neque alterius eorum institutione Scriptura meminit, atque aliam fingere cum Vasquezio, inquit Turnelius, *divinare est*.

(9. Habent autem Diaconi ex sua ordinatione : 1. ut Sacerdoti sacra solemniter celebranti inservire debeant. Hinc eorum erat inter Missarum solemnia animos fidelium ad attentionem subinde excitare; monere tum Catechumenos, tum pœnitentes, ut discederent; Eucharistiam saltem jubente Sacerdote, populo administrare, non tamen Presbyteris, id enim vetuit Nicænus Canon. 18.

(10. 2. Ut jubente Episcopo, vel Presbytero, Baptismum possint administrare. « Nam sine Episcopi jussione, « inquit S. Hieronymus Dial. advers. Luciferian., neque Presbyter, neque Diaconus jus habet baptizandi. »

(11. 3. Ut Evangelium legant, aut etiam (quod statuit Concilium Vasense Canon. 2.) « Si presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homilias recitent. Aliquando tamen fuit ab antiquis concessum aliquibus doctrinæ præstantioribus, ut publice verbum Dei ipsi annunciarent. Vid. Morinum Exercit. 9, pag. 180.

(12. 4. Ut urgente necessitate, pœnitentes reconcilient (quod olim vigente publica Pœnitentia illis datum) non quidem Sacramentalem impertinendo absolutionem, sed vel ministrando communionem, quæ signum erat reconciliationis, vel canonicam dumtaxat, et cæremonialem nomine Episcoporum absolutionem deferendo.

(13. 5. Ut afflictorum curam habeant, et dispensationis thesauri Ecclesiæ, unde hospitales domos, quibus præerant, vulgo *Diaconias* dictas accepimus.

De his, aliisque ad Diaconos pertinentibus consule Habertum in notis ad Pontificale Græcorum, p. 183, seq. Selvagium Antiq. Christian. lib. 1, p. 11, c. 2; et Chardonium in Historia Sacramentorum.

DIACONISSÆ.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. 2. De Diaconissarum officiis. — 3. Quanam ætate eligebantur. — 4. Quadraginta annorum ætas necessaria Virginibus et sacris Monialibus. — 5. Diaconissar. habitus. — 6. 7. De earum ordinatione.

(1. Diaconissarum in Ecclesia primitiva jam inde ab Apostolorum ætate (1) multiplex erat officium ut ex Clemente Papa Romano S. Petri discipulo, (2) ex Ignatio, atque ex Epiphanio, aliisque veteribus colligitur. Ignatius quidem epist. 12, ad Antiochenos (3) curam illis attribuit januarum Sanctorum vestibulorum, scilicet ejus partis Ecclesiæ ad quam solæ fœminæ admittebantur. His enim Diaconissæ præficiebantur. *Saluto in Christo Diaconissas Sacrorum vestibulorum custodes.* Quemadmodum etiam januis locorum, ad quæ soli viri conveniebant janitores, quos pariter ibidem Ignatius salutat πυλώρους.

(2. S. Martyr Clemens Papa lib. 3, Constit. cap. 15 et 16, hæc pariter Diaconissis adsignat officia, ut scilicet pia Sacerdotum, et Diaconorum mandata apud fœminas exequantur; sive distribuendarum eleemosynarum, sive mutuarum reconciliationum, sive sanctarum admonitionum, aut jussionum Ecclesiasticarum, sive catecheseos ejusdem sexus gratia. Sic enim præcavebatur, ne Clericorum cum fœminis conversationes fomitem suggererent vel peccatis, vel suspicionibus pravis. Adjungit ibid. munus Diaconissarum versari circa catechizandas catechumenas, et prospiciendum, ne qua hora vestibus exuebantur ad baptismum, vel baptizatæ in vertice a Sacerdote perungebantur, quidquam præter decorum adspectui, vel contactui Sacerdotis occurreret: ipsæque Diaconissæ reliquas unctiones in multis Ecclesiis suis manibus prosequebantur. Eadem similiter scribit Epiphanius hæresi 79, quæ est Collyridianorum. Concilium pariter Carthagin. sub Anastasio Papa quartum can. 12, præscribit diaconissis ministerium instruendi fœminas Baptismi fonte abluendas.

(3. Videndum nunc de viduis Diaconissis, quali ætate eligebantur, quonam habitu vestiebantur, et utrum impositione manus tales constituerentur. Quod in primis ad earum spectat ætatem providet Apostol. 1 ad Timoth. 5, *ut eligantur viduæ non minus sexaginta annorum, neque bigamæ.* Tert. lib. de veland. Virginibus hæc loquitur de Diaconissis : « ad quam Sedem præter annos sexaginta non eliguntur. » His adstipulatur S. Hieronymus in Isaiæ c. 3 : « Nec Ecclesiasticis viduæ sustentatur alimentis nisi quæ sexaginta annorum est, et maturitatem habet pariter morum, et ætatis. » Extat pariter constitutio Theodosii Senioris Augusti, cujus meminit Sozomenus l. 7, cap. 16, quæque legitur in codice Theodosiano *de Episcop. et Cler.* leg. 27. « ut nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundum Apostoli præceptum, ad Diaconissarum consortium promoveatur. »

(1) Quæ hactenus de Diaconissis dedimus ex Cabassutio prompta sunt : in quo tamen emendanda nonnulla, nonnulla addenda. Primum itaque iis, quæ mox sequuntur, veterum testimoniis præmittenda erant aliqua Novi fœderis loca, in quibus diaconissarum injicitur mentio, ut Rom. xvi, ubi Paulus Phœbem appellat *Ministram Ecclesiæ Cenchreensis.*

(2) Indicat hic auctor, quas vulgo dicimus, Clementis Apostolicas Constitutiones. Verum inter eruditos plane nunc constat, eas S. Clementi l abjudicandas esse.

(3) Et hæc Ignatii M. epistola apocrypha est.

Digitized by Google

(4. De virginibus quidem, et Sacris Monialibus, quia inclusæ, neque totidem, ac Diaconissæ muneribus exterioribus addictæ erant, sufficiebat ad velamen suscipiendum annorum quadraginta ætas. Auctor quidem vitæ S. Leonis Papæ primi, quæ est in Pontificali, sic de hoc attestatur : « Hic quoque constituit, ut Monachæ non acciperent velaminis capitis benedictionem, nisi probatæ fuerint in Virginitate sexaginta (aut, ut Codices regii referunt, *sexaginta novem*) annis. » Verumtamen nihil tale prorsus in tanti Pontificis, quæ plurima exstant, decretis reperiri potes. Quinimmo Synodus œcumenica Chalcedonensis, quæ S. Leone Papa auctore celebrata fuit, cuique idem per Legatos ex suo latere missos præsedit, quam et sua roboravit confirmatione, præfixit solum Diaconissis ordinandis annum quadragesimum ætatis can. 15. Quin etiam, eodem S. Pontifice Leone suadente, Majoranus Augustus edixit Novella 8, ne qua virgo a suis parentibus oblata sacrum velamen accipiat ante quadragesimum ætatis annum. Eaque limitatur constitutio in illis, quæ a parentibus offerentur, ad consulendum puellarum libertati, ne qua vis, aut coactio a progenitoribus fieret. Quamvis autem in illis Ecclesiæ primordiis providerit Apostolus, Diaconissas non admitti ante annos ætatis 60, processu temporum illa præfinitio annorum sensim laxata fuit, et ad annos ætatis quadraginta restricta est, ut perspicuum fit per memoratum Chalcedonensem canonem, et insuper conformem Agathensis Concilii can. 19, qui tamen non de Diaconissis, sed de Sanctimonialibus velandis sic decernit : « Sanctimoniales quamlibet vita earum, et mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur. » Qui canon falso a Gratiano attribuitur Concilio Carthag. III, can. *Sanctimoniales* 20, q. 1. Concilium in Trullo quinisextum can. 14, et Wormatiense can. 73, Diaconissas expresse vetant ordinari, sicut et Chalcedonensis can. 15, antequam attigerint quadragesimum ætatis annum (1).

(5. Diaconissarum habitum fuisse a sæculari distinctum probat Concilii IV. Carthag. can. 104, his verbis : « Viduæ, quæ se devoverunt Domino, et veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi, et Ecclesiæ in religioso habitu apparuerint. » Et qui præcedit can. 103, easdem dicit stipendiis Ecclesiarum sustentari. Concilium pariter Toletanum quartum can. 55, hæc de distinctis ab habitu sæculari vestibus enunciat : « Quæ forma servabatur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, et postea, aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt. » Viduas tamen, quales erant Diaconissæ, velari omnino prohibet Gelasius Papa epistola 9 ad Lucanos, et Siculos can. 13. De Virginum porro, et Viduarum, quæ stipendiis Ecclesiarum alebantur, incumbente Episcopis sollicitudine, multa refert Chrysostomus, l. 3 de Sacerdotio, sub cujus postea Episcopatu Ecclesiam eximia sanctimonia decorarunt Diaconissæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Olympias, Pentavia, Salvina, quæ de primariis totius Imperii prosapiis ortæ, et maritis dignitate toto orbe præcipuis orbatæ, distributis in egenos amplissimis opibus, sese paupertati, humilitati, et Ecclesiæ obsequiis addixere. Neque vero hic omittendum alterum præter superius relata Diaconissarum officium ex Hieronymo *epistola ad Nepotianum*, scilicet ægrotorum cura, et ministerium : « Multas, inquit, anus nutrit Ecclesia, quæ et officium præbeant, et beneficium recipiant ministrando, ut infirmitas tua fructum quoque habeat Eleemosynæ. »

(6. Superest ut de earum ordinationibus disseramus. Etiamsi doctissimus Baronius ad an. Chr. 34, n. 288, innixus, ut ipse autumat, Nicænæ Synodi can. 19, scribat nullam olim fuisse in Diaconissis consecrandis adhibitam manuum impositionem (2); alii tamen antiqui canones manuum impositione solitas illas ordinari confirmant. Nicænus vero canon nihil istis obsistit : loquitur enim speciatim de Paulinistarum baptismo, quem declarat inanem, ac irritum, et ut qui ex ista hæresi convertuntur, novo abluantur baptismo, ac deinde, si ita visum fuerit, ordines eis de novo conferantur, quales in sua hæresi indebite exercuerant. Prohibet tamen conversas ex eadem hæresi Diaconissas ad idem officium assumi, manusque ipsis imponi. Certe si ejusmodi in tota Ecclesia viguisset Disciplina, ne Diaconissæ manus impositionem subirent, supervacaneum esset id speciatim in Diaconissis, quæ Paulinistarum hæresim professæ aliquando fuissent, prohibere. Causa itaque hoc prohibendi ad præteritam hæresim referenda est. Patres enim Nicæni præcipue convenerant ad hæresim Arianam reprimendam in hoc cum Pauliniana convenientem, quia utraque Christo Divinitatem abrogabat. Quia vero præcipuum Diaconissarum officium in catechizandis fœminis ad Baptismum adspirantibus versabatur, grave periculum erat catechumenarum institutionem fœminæ committere, quæ in hæresi ultra sexaginta annos (quod est præsupponendum in conversis Diaconissis) consenuerit; et mutabile sexus ingenium causa plerumque est, ut earum fides vacillet post oppositam tot annorum professionem (3).

(7. Juvabit quoque altera distinctio, si ad Canonem Nicænum respondeas, excludi

(1) At non desunt exempla Diaconissarum, quæ juvenili ætate electæ fuerint, nec solum viduæ, ut Olympias, de qua Sozomenus lib. 8, cap. 9, sed etiam virgines, in quo sane episcopi potius virtutis et modestiæ quam ætatis rationem habuerunt. Nec omittendum, eas quæ eligebantur, viduas ex Apostoli præscripto 1 Tim. v, univiras esse debuisse.

(2) Idipsum docuit Hallerius de Sac. ordinat. sectione 4, c. 2, § 6, n. 13.

(3) Paulo aliter Nicænum Canonem exponit Morinus de Sac. ordinat. P. III, Exercit. 10.

Digitized by Google

quidem Diaconissas a Sacramentali manus impositione, qualis procul dubio censenda est quæ in Diaconorum consecratione adhibebatur, non vero a pure cæremoniali, quam præfata Concilia in Diaconissis diserte requirunt, præcipue Chalcedonense : cujus canonis versio Dionysiana Græco exemplari perfecte conformis ait : « Si autem postquam manuum impositione suscepta, » etc. Græcum exemplar sic habet *εἰ δὲ γε δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν*, etc. Si voce *χειροθεσία* uteretur, quæ nunc *suffragium* nunc *electionem* significat, res esset ambigua, sed vox quam adhibet *χειροθεσία* nihil aliud quam *manus impositionem* exprimit. Defervescente tandem pietatis ac Religionis studio, et gliscentibus Diaconarum vitiis, deficiente pariter consuetudine Baptismum in provectiorem ætatem differendi, paulatim exolescere cœpit Diaconissarum ministerium. Siquidem sub ipso Leone primo habitum Arausicanum primum Concilium canone 26, de illis abolendis cogitans, ita decernit : « Diaconæ omnimodis non ordinandæ. Si quæ jam sunt benedictioni quæ Populo impenditur, capita submittant. » Quibus verbis eas quæ supersunt in statum redigit vulgarem, ac sæcularem. Deinde sub Hormisda Pontifice Concilium Epaonense sic decernit can. 21. « Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, sola pœnitentiæ benedictione, si converti ambiunt, imponenda. » Demum Aurelianensis secunda synodus sub Joanne Papa secundo, ita ordinavit can. 18. « Placuit etiam, ut nulli postmodum feminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur (1). »

DIETA.

Vide verb. Benedictio, *art.* 5, *num.* 10.

DILAPIDATIO.

Vide verb. Poena, *articul.* 5 *num.* 93 *ad* 96.

DIMISSORIÆ.

Vide verb. Ordo, *art.* 3, *n.* 36 *usq. in fin.*

DIŒCESIS.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Hujus nominis notio in re civili. — 2. Et in Ecclesiastica re apud veteres varia. — 3. Nunc singularem Episcopi ditionem significat : quæ tamen notio quinto jam sæculo obtinuerat.

(1. Huic voci notio subest, eaque maxime propria, qua sumitur pro multarum Provinciarum tractu, quem a Viro spectabili olim moris erat administrari. Ut enim ex multis pagis una civitas, ex multis civitatibus una provincia; ita ex multis Provinciis una Diœcesis existebat, cui nec illustris præerat, nec clarissimus, sed spectabilis. Cum enim aliud fuerit unam Diœcesim regere, aliud Diœcesibus multis præesse, aliud Provinciæ, erant tres Magistratus gradus : Clarissimi, qui Provincias regebant singulas; Spectabiles, qui Diœcesim integram; Illustres, qui multarum Diœcesium tractus.

(2. Hinc hujus vocis *Diœcesis* non una in Christianis veterum monumentis acceptio fuit. Ab Afris, Hispanisque Episcopis olim usurpata est pro territorio, ut loquuntur, Episcopali, ubi erant oppida contributa Metropoli, ut videre est in Africanis, et Toletanis Synodis. Sumitur ad aliis pro *ἐπαρχία* sive Provincia, in qua multi Episcopi pareant uni Metropolitano : ita Hincmarus ad Nicolaum Papam. Sunt etiam, qui hoc nomine intelligant provincias illas omnes, quæ ad unum Patriarcham pertinent : sive re ipsa sint plures Diœceses civiles, sive una, sive unius portio : ita Synodus Chalcedonensis Act. 10, et Justinianus novella 123, immo et his antiquior Synodus Arelatensis in epistola Synodica ad Silvestrum Romanum Pontificem, ubi his dicitur *majores Diœceses tenere;* hoc enim nomine Patriarchales seu Romani Patriarchatus obnoxias Diœceses a Patribus Arelatensibus designatas fuisse jure Schelestratus animadvertit, frustra obnitentibus Caveo, et Binghamio Origin. Ecclesiast. lib. 9, c. 2, § 2.

(3. Nunc vulgo accipitur pro Episcopi unius ditione, quæ in oppida, pagos, titulosque Presbyterorum divisa est. Diœcesis hoc sensu usurpata quinto jam sæculo fuit ab Innocentio epist. 11, ad Florentinum, seu Florentium Tiburtinensem Episcopum, et a Toletano I. can. 20, ubi statuitur, « ex hac die nullum alium, nisi Episcopum Chrisma conficere, et per Diœcesim destinare. » Vide Ballerinios in adnotationibus ad Espist. 12, S. Leonis M. tom. 2, col. 1333, ubi Quesnellum refellunt. Cæterum prioribus Ecclesiæ sæculis quam nos Diœcesim Episcopi dicimus, *Paræciam* vocabant; immo etiam Patriarcalibus Ecclesiis id nomen tributum invenies apud Eusebium lib. 1, c. 1, et lib.

(1) In aliquibus tamen occidentalibus Ecclesiis ad sæculum VIII, et etiam post fuisse diaconissas retentas, evincunt cum diserta Venantii Fortunati, et concili Wormatiensis testimonia, tum Ordo Romanus, aliique Rituales libri; imo card. Bona nonnisi sæculo X aut XI, ubique in Ecclesia cessasse existimat Rer. Liturgic. lib. 1, c. 25. In Ecclesia vero Græca ad finem usque sæculi XII viguerunt; Balsamon enim earum meminit, tanquam suo ævo in Ecclesia Constantinopolitana ministrantium. Sed de Diaconissis vide cum primis P. Joannis Zinii Bollandiani Tractatum Præliminarem ad tomum primum Septembris. Moneo tandem, Diaconissarum nomen a Scriptoribus Ecclesiasticis aliquando fuisse adhibitum ad significandam non veri nominis Diaconissam, sed Diaconi cujuspiam uxorem, quo sensu *Presbytera* uxorem Presbyteri, *Episcopa* Episcopi uxorem denotabat. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

11, c. 24, aliosque, sed ad denotandam non Patriarchalem, sed Episcopalem in Urbis, et Oppidorum, vicorumque circa urbem jurisdictionem.

DISMEMBRATIO.

SUMMARIUM.

1. Dismembratio est quædam species alienationis. — 2. Probatur effectuata ex provisionibus secutis, et lapsu triginta annorum. — 3. Ut dismembratio dicatur effectuata, requiritur quod saltem fuerit capta possessio. — 4. Dismembratio enim dicitur effectuata per possessionis adeptionem, et fructuum perceptionem. — 5. Non censetur autem effectuata, ubi constat, quod Ecclesia continuet in possessione suarum responsionum. — 6. In Ecclesiæ dismembratione observantia subsecuta optime declarat, quidquid fuerit præcedenter actum. — 7. Dismembratio cum sit species alienationis, requirit omnes solemnitates requisitas in alienatione rerum Ecclesiæ. — 8. Alias ex defectu solemnitatum est nulla. — 9. Et sic, ut sustineatur, requiritur necessitas causæ, et evidens Ecclesiæ utilitas. — 10. Et hoc maxime pro dismembratione Ecclesiæ Parochialis, in qua requiruntur copulative solemnitas, et justa causa. — 11. Alias sine causa legitima, et solemnitatibus dismembratio non subsistit, si etiam agatur pro reparandis Seminarii indigentiis. — 12. Item in Parochialis dismembratione requiritur vocatio Rectoris, vel, ea vacante, defensor ab Episcopo deputandus, et citatio Parochianorum, aliorumque, quorum interest. — 13. Si rector vocatus, noluerit consentire, potest Episcopus eo invito (si subsit justa causa) procedere ad talem dismembrationem. — 14. Justa causa dismembrationis est, ut vitetur periculum animarum. — 15. Non permittitur dismembratio, quoties Parochianis distantibus consultum est per Coadjutorem, qui possit Sacramenta ministrare in commodiori Ecclesia. — 16. Quo casu Rector persolvere debet mercedem Vicario deputato, salva tamen manente ipsius Congrua. — 17. Ubi per assignationem mercedis Vicario, Congrua Rectori non remaneret, in subsidium debent concurrere Parochiani. — 18. Dismembrari non potest Ecclesia Parochialis ob solam aucti populi numerositatem, nisi concurrant requisita Concilii. — 19. Neque dismembrari potest Parochialis propter angustiam, et deformitatem Ecclesiæ antiquæ, vel propter inundationem. — 20. Neque etiam sufficit, quod aliquando contigerit aliquos Parochianos decedere sine Sacramentis, dummodo tamen his omnibus provideri possit aliunde. — 21. In dismembratione Ecclesiæ Parochialis reservandus est Canon, seu recognitio aliqua annua facienda Matrici. — 22. Ecclesia dismembrata a Parochiali, consentiente Rectore, Auctoritate Episcopi, et justa de causa, dicitur jura Parochialia intra limites sibi assignatos habere exercibilia. — 23. Licet potuerit reservare sibi Ecclesia Matrix in signum subjectionis jus sepeliendi, vel similia id debet expresse facere, alias omne id, quod non est exceptum, dicitur translatum in dismembratam Ecclesiam. — 24. Præservatio facta in dismembratione Ecclesiæ intelligitur de aliis juribus præterquam consecutivis ad ipsam dismembrationem. — 25. Dismembratio generaliter loquendo non præjudicat Ecclesiæ, a qua illa facta est, nisi in iis quæ litteris dismembrationis continentur. — 26. Per ipsam dismembrationem neque censetur præjudicatum personis habentibus Officia, seu Beneficia in Ecclesiis dismembratis. — 27. Dismembratio Ecclesiæ regulariter non præjudicat Episcopo, et Capitulo super exactionem decimarum. — 28. Maxime loquendo de decimis prædialibus, quæ non transeunt ipso jure ad Parochialem noviter erectam, sed remanent apud Parochiam matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Tridentini assignaverit. — 29. Decimæ tamen personales, seu Sacramentales transeunt ipso jure in Parochialem noviter erectam, etiam ante ullam Episcopi assignationem. — 30, 36. Concurrente justa causa, olim haud deveniebatur ad dismembrationem Parochiæ, ubi prospici posset retentione Capellani in aliqua Capella, qui præsto esset necessitatibus Parochianorum. — 37. Postea S. C. Concil. id prohibuit. — 38, 39. Etiam cum retentione duorum Capellanorum. — 40. Quænam causa dismembrationis. — 41. Non ab ea regula desumenda. — 42. An consensus omnium vel majoris partis Parochianorum requiratur ad dismembrationem.

(1. Dismembratio est quædam species alienationis; Rota part. 7, recent. decis. 68, num. 1, et part. 10, decis. 90, sub num. 8, (2. Probatur effectuata ex provisionibus secutis; Rota par. 6, dec. 139, num. 5. Et ex lapsu 3, annorum Rota part. 6, dec. 275, num. 24. (3. Ut dismembratio dicatur effectuata, requiritur quod saltem fuerit capta possessio; Rota par. 4, tom. 2, decis. 446, n. 22. (4. Dicitur enim effectuata dismembratio, et applicatio per possessionis adeptionem, et fructuum perceptionem; Rota par. 4, tom. 3, dec. 648, n. 10. (5. Cum non censeatur effectuata, ubi constat, quod Ecclesia continuet in possessione suarum responsionum; Rota par. 3, dec. 222, num. 5. (6. In Ecclesiæ enim dismembratione observantia subsecuta optime declarat, quidquid fuerit præcedenter actum: Rota par. 4, tom. 1, dec. 497, n. 5, et par. 17, dec. 351, n. 10.

(7. Dismembratio, cum sit species alienationis, requirit omnes solemnitates requisitas in alienatione rerum Ecclesiæ; Rota par. 1, dec. 239, num. 1, part. 2, decis. 228, num. 4, et decis. 348, num, 2, part. 4, tom. 1, dec. 58, num. 11, part. 10, dec. 224, num. 5. (8. Alias ex defectu solemnitatum est nulla; Rota par. 10, d. dec. 224, num. 9. (9. Et sic, ut sustineatur, requiritur necessitas causæ, et evidens Ecclesiæ utilitas; Rota part. 4, decis. 68, num. 15, et part. 10, decis. 224, num. 4. (10. Et hoc maxime pro dismembratione Ecclesiæ Parochialis; Rota par. 19, tom. 2, decis. 578. num. 1, et 7, ubi solemnitas, et justa causa copulative requiruntur; Rota par. 7, dec. 68. num. 9, (11. Alias sine causa legitima et solemnitatibus dismembratio non subsistit; Rota par. 13, dec. 29, num. 1. Etiamsi agatur pro reparandis Seminarii indigentiis, quia licet possint dismembrari pro Seminariis Beneficia simplicia, Beneficia tamen Curata a Concilio Tridentino sess. 25, cap. 16, *de reformat.* omnino dismembrari prohibentur, ut advertit Gonzal. ad Regul. 8, Gloss. 5, § 7. num. 63, et 64, Rota par. 13. dec. 29. num. 4. (12. Item in Parochialis dismembratione requiritur vocatio Rectoris, vel ea vacante, Defensor ad Episcopo deputandus, et citatio Parochianorum, aliorumque, quorum interest; cap. 1, de rebus Eccles. non alienand. in 6, cap. 1, *Ne sede vacante*; Rota part. 13,

Digitized by Google

decis. 165, num. 9, et seq. Barbosa de Offic. et potest. Episcop. par. 13, allegat. 67, n. 17, cum pluribus ibi citatis; et etiam Patronorum; Rota par. 7, dec. 6, n. 4. (13. Si Rector vocatus noluerit consentire, potest Episcopus eo invito (si subsit justa causa) procedere ad talem dismembrationem; Barbosa loc. cit. n. 20; Garcias de Benefic. par. 12, cap. 4, num. 9; Pax Jordan. Lucubrat. tom. 3, lib. 10, tit. 31, num. 6; Monacell. part. 1, tit. 2, form. 3, num. 3; Rota par. 17. decis. 204, num. 2. et. seq.

(14 Justa causa dismembrationis est, ut evitetur periculum animarum, quod solet oriri ob distantiam, et incommoditatem itineris, ratione cujus nec Parochiani præsertim tempore hiemali possunt accedere ad Ecclesiam Parochialem pro divinis sine periculo, aut magno incommodo, nec Parochus ad illos occasione infirmitatis pro administratione Sacramentorum quibus circumstantiis vere concurrentibus, Episcopus auctoritate sibi attributa a Concilio Tridentino sess. 21, cap. 4, de Reform. innovante dispositionem cap. *Ad audientiam, de Eccles. ædificand.* potest ad dismembrationem procedere, et novam Parochiam erigere; Loter. de re Benefic. lib. 1, cap. 28, n. 2, et seq. Nicol. in Floscul. verb. Parochus num, 2. Monacell. loc. cit. num. 2. Rota par. 1, dec. 484, n. 3, p. 10, dec. 224 num. 6, et 8, par. 17, dec. 204. num. 1, part. 19, tom. 2, dec. 578, num. 2, et 3. Sac. Congregat. Concil. in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis 2 Jun. 1712. (15. Non permittitur tamen dismembratio supradictis non obstantibus, quoties Parochianis distantibus consultum est per Coadjutorem, qui possit Sacramenta ministrare in commodiori Ecclesia; Ricc. Praxis For. Eccles. resolut. 486. num. 6. vers. *Limitatur*, part. 1. Card. de Luca annot. ad Concil. disc. 16, num. 2, et de Paroch. disc. 34. per tot. Monacell. loc. cit. n. 4. Rota par. 19. tom. 2 Dec. 578. n. 5. et seq. et sic Sac. Congreg. Concil. sub. die 12 Augusti 1628, quæ, teste Aldano in compend. Canon. resolut. lib. 3, tom. 8, n. 20. decrevit, quod dismembrare non liceat a Parochia sita extra muros Civitatis partem Parochianorum habitantium in Civitate sub prætextu, quod illis non detur aditus de nocte, sed est constituenda capella per Abbatem Parochum intra Civitatem. (16. Quo casu Rector persolvere debet mercedem Vicario ob loci distantiam, vel ob aliud impedimentum deputato, salva tamen manente ejus Congrua; Nicol. in floscul. verb. *Cura*, num. 7. Monacell. loc. cit. n. 11. Barbosa super Trident. sess. 21. cap. 4. *de Reform.* n. 15. Rota part. 17 dec. 204. n. 5. et part. 19. tom. 2, decis. 578. num. 8. Congrua enim in quæcumque Parochialis dismembratione Rectori est relinquenda; Rota par. 17, dec. 204. num. 5. (17. Et ubi per assignationem mercedis Vicario, Congrua Rectori non remaneret, in subsidium concurrere debent incolæ, seu Parochiani: Lambertin. de jure patronat. lib. 1, p. 1, q. 5, art. 18. in fine, et lib. 3, q. 7, art. 2. n. 7. vers. *Et sic isti Beneficiati*; Bellet. Disq. Cleric. part. 1, tit. *de Clerico debitore* § 14, num. 7. Barbosa loco citato n. 15. Monacell. loco cit. num. 11. Rota part. 17, decis. 204. n. 6.

(18. Dismembrari non potest Ecclesia Parochialis ob solam aucti populi numerositatem nisi concurrant requisita a Concilio Tridentino sess. 21, cap. 4, *de Reformat.* Rota par. 1. Decis. 484. num. 1, et par. 2, dec. 88. num. 2. Sac. Congreg. Conc. in Hostunen. 12 Julii 1631. in Toletana 4 Maji 1697. in Gerunden. 29 Januarii 1701. et in Neocastren. 15. Decembr. 1703. ubi cum ipsius Episcopus, scilicet Neocastrensis ad consulendum numerositati populi divisisset Parochiam, et duas portiones Curatas Constituisset æque principales, Sac. Congreg. die qua supra declaravit, dismembrationem seu divisionem in duas portiones curatas non sustineri, et invalidum fuisse concursum respondit, et talem resolutionem confirmavit die 16 Febr. 1704. (19. Neque dismembrari potest Parochialis propter angustiam, et deformitatem Ecclesiæ antiquæ, vel propter inundationem; Rota part. 1, decis. 484. num. 4, et part. 2 dec. 288. num. 3. (20. Neque etiam sufficit, quod aliquando contigerit aliquos Parochianos decedere sine Sacramentis; Rota p. 1, dec. 484. num. 5. Dummodo tamen his omnibus provideri possit aliunde, vel media deputatione Coadjutoris; Rota part. 1, dict. decis. 484. num. 5, et part. 2, decis. 288. n. 2. Vel per ampliationem, vel novæ Ecclesiæ, seu Cappellæ ædificationem; Rota part. 1, dict. decis. 484. n. 4, et part. 2, dict. dec. 288. n. 3.

(21. In dismembratione Ecclesiæ Parochialis reservandus est Canon, seu recognitio aliqua annua facienda Ecclesiæ Matrici v. g. quod illi solvatur census annuus moderate arbitrio Episcopi taxandus, vel celebratio Missæ solemnis cantandæ in Ecclesia noviter erecta a Rectore Matricis in die Sancti Titularis, aut in aliqua ex solemnioribus anni Festivitatibus, vel quod Curati pro tempore una cum Parochianis novæ Parochiæ semel in anno accedant processionaliter ad Ecclesiam Matricem et Cereum offerant; sic declaravit Sacra Congreg. Concil. in Anglonen. 20 Decembr. 1704. in qua approbando erectionem, hanc conditionem addidit: « Reservata tamen aliqua recognitione annua Ecclesiæ Matrici in signum dominoris per traditionem Candelæ unius libræ. »

(22. Ecclesia dismembrata a Parochiali consentiente Rectore, auctoritate Episcopi, et justa de causa dicitur jura Parochialis intra limites sibi assignatos habere exercibilia, et consequenter jus sepeliendi acquisivisse; Rota par. 18, tom. 1, decis. 7, n. 12. (23. Et licet potuerit reservare sibi Ecclesia Matrix in signum subjectionis jus hoc sepeliendi, vel similia, id deberet expresse facere, alias omne id, quod non est exceptum, in dismembratam Ecclesiam translatum dicitur; Rota part. 18, tom. 1, dec. 7. n. 13, et seqq. (24. Præservatio autem facta in dismembratione Ecclesiæ intelligitur de aliis juribus, præterquam consecutivis ad ipsam dismem-

Digitized by Google

brationem ; Rota part. 18, tom. 1, decis. 7, num. 15. Cum etiam Ecclesiæ parte dismembrata, transeant cum ea omnia jura, quæ ex limitibus separatis separantur ; Rota part. 5, tom. 1, dec. 41. n. 7. (25. Dismembratio tamen generaliter loquendo non præjudicat Ecclesiæ, a qua illa facta est, nisi iis, quæ in litteris dismembrationis continentur ; Rota part. 17, decis. 213. num. 1, et decis. 351. num. 1. (26. Hinc per ipsam dismembrationem neque censetur præjudicatum personis habentibus Officia, seu Beneficia, in Ecclesiis dismembratis ; Rota par. 19, t. 2, dec. 498. n. 50. (27. Unde regulariter dismembratio Ecclesiæ non præjudicat Episcopo, et Capitulo super exactione decimarum ; Rota part. 18, tom. 2, dec. 437, num. 23. cum in Ecclesiæ dismembratione generali etiam prægnantissima non contineantur decimæ in ea non expresse ; Rota part. 17, decis. 213, num. 4. (28. Maximè loquendo de decimis prædialibus, quæ non transeunt ipso jure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanent apud Parochiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Concilii Tridentini assignaverit ; Sic expresse Sacra Congregatio Concilii 11 Martii 1617. [illegible] late Fagnan. lib. 3. Decretal. in cap. *Cum contingat* 29. de decimis a num. 42. Barbosa de Offic. et potest. Parochi cap. 28, num. 19, vers. *Advertendum quoque ;* Reiffenstuel lib. 3, decret. tit. 30, num. 104. Monacel. loco cit. num. 15. (29. Decimæ tamen Personales, seu Sacramentales transeunt ipso jure in Parochialem noviter erectam, etiam ante ullam Episcopi assignationem. Sic communis Doctorum cum Glossa in cap. *ad Audientiam* 2. de Eccles. ædificand. verb. *Obventiones* et bene notat Fagn. loco cit. num. 52. Vid. verb. *Decimæ* artic. 2, a num. 17 usque ad num. 24.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. In foro invaluerat opinio, quod concurrente etiam justa causa deveniendum haud esset ad dismembrationem Parochiæ, ubi prospici posset retentione in aliqua capella Capellani, qui præsto esse posset pro necessitatibus spiritualibus Parochianorum, qui Ecclesiam Parochialem, vel præ distantia, vel præ itineris difficultate adire nequeunt ; Ita perpetuo respondit Rota, signanter in recentior. dec. 575. num. 7, p. 19, tom. 2, cor. Falconer. decis. 34, num. 12. de Miscellan. cor. Crisp. decis. 221. num. 21. cor. Lancett. decis. 258. n. 19, et seq. cor. el. mem. Tanar, dec. 240. n. 5, et dec. 249. n. 4, et in Æsina Parochiali 18 Junii 1751. § 5. et seq. et in confirmatoria 28 Aprilis 1752. §. 3 cor. R. P. D. Elephantut. Et adamussim convenit Sacra Congregatio Concilii interpres in Derthonen. Dismembrationis 5 Aprilis 1732. et 30 Aug. ejusdem anni in Terracinen. 6 Junii 1639. in Cassanen. Dismembrationis 17 Decembris 1740. in Pisaurien, Unionis et Dismembrationis 25 Januarii 1755, et 8. Februarii ejusdem anni, et pluries alias.

(31-32. Et procedebatur cum hac opinione, sive Dismembratio Parochiæ peteretur ex impedimento temporario, puta fluminis, aut torrentis hyberno tempore exundantis, sive etiam ex impedimento perpetuo, scilicet distantiæ, ut præsertim firmavit Rota coram Crisp. dict. decis. 221, num. 23, et sequent. (33. et sive nova Parochia erigi vellet ex bonis veteris Parochiæ, (34. sive ex bonis aliunde provenientibus, ut tenuit idem Sacr. Tribunal. cor. Facolner. dec. 34, n. 13. de Miscellan. (35. et sive jam fuerint, vel non fuerint, qui obierint sine præsidio Sacramentorum, (36. ut pariter respondit Sacrum Auditorium coram Falconer, dicta dec. 34, sub. n. 13, de Miscellan.

(37. At novissime in diversam abiit sententiam S. Congregatio Concilii interpres *in Comen.* 5 Dec. 1750. Censuit enim deveniendum esse ad Dismembrationem Parochiæ, tametsi Rector veteris Parochiæ retinere offerret in aliqua capella Capellanum, qui occurrere valeret spiritualibus indigentiis Parochianorum, qui justa de causa instabant pro Dismembratione. (38. Ad evitandam Dismembrationem recentius in Nolana 3 Februar. 1753 et 1755. oblata quoque fuit retentio non unius Capellani, sed duorum Capellanorum, at ei minime adhæsit Sacra Congregatio, sed semel atque iterum requisivit informationem Episcopi juxta instructionem. Causa vero finem habuit concordia, qua facta fuit Dismembratio, et sic erecta nova Parochia. (39. Hanc autem posteriorem sententiam amplexam a Sacra Congregatione, uti conformem cap. *Ad audientiam* 3, de Ædificand. Eccl. tum Concil. Tridentin. sess. 21, cap. 4. *de Reformat.* inter alios tenuerunt Van-Eespen Juris Ecclesiast. univers. part. 2, tit. 6, cap. 2, § 24. Sed tamen (inquit) « si causa legitima erigendi novam Parochiam occurrat, non tam facile ob aliquorum interesse ad jam suggestum remedium confugiendum, tam quod non omnia in Capellis fiant, ad quæ Parochiani tenentur ex jure communi et Tridentino, quam quod magna sit distantia inter Pastorem, cujus sunt oves propriæ, ut instituitur in novis Parochiis, et Sacerdotes qui in Capellis nec omnia præstant, nec tamquam suis. Plenius ergo satisfit magno incommodo per erectionem novæ Parochiæ, quam per Capellam ; eaque in casu. magni incommodi mens esse videtur Concilii Tridentini ; » Zypæus Respons. unic, n. 2, de Ædific. Eccles. Ursaja Eccles. discept. tom. 1, part. 1, discept. 14, num. 95 et 108. Constantin. vot. decisiv. 343. num. 18, tom. 2.

(40. Justa causa Dismembrationis Parochiæ est, vel distantia, vel difficultas itineris. (41. Certa vero regula nec de distantia, nec de difficultate itineris statui potest. Standum multum judicio Episcopi, ut servare solet Sacr. Congregatio Concilii interpres, contradicentibus, licet frustra, nonnullis Auctoribus faventibus Parochis, qui ut plurimum sese opponunt Dismembrationibus.

(42. An consensus omnium, vel majoris

Digitized by Google

partis Parochianorum requiratur ad Dismembrationem Parochiæ, non conveniunt Doctores; Affirmant Zypæus Consult. Canon. 1, n. 3, de Ædific. Eccles. Slevogtius de divis. Ecclesiar. et Benefic. comment. 3, § 19. « Populo, ait, nullas in hoc negotio partes, Barbos. etc. Castropalao etc. tribuendas contendunt, quod arbitrium omne Episcopo a Synodo Tridentina deferatur. At fatemur, Synodum nihil de Populo, seu Paræcianis diserte ponere; solet tamen veriori sententia horum etiam consensus, aut majoris partis requiri in nova Ecclesia fundanda. Ergo in divisione justa non negligendus erit. Unde si plures, et distincti cœtus uni Rectori, aut Curato majoris Ecclesiæ subjecti fuerint, ex tribus duos minimum consentire oportet. Certum etenim est, eorum causa suscipi ejusmodi negotium. Eoque audiendi omnino; » Rota in recent. dec. 223. n. 5, part. 6. At negativa opinio magis recepta est.

DISPENSATIO.

SUMMARIUM.

1. Dispensatio quid sit. — 2. Dispensatio potest considerari sub variis modis. — 3. Primo, dispensatio alia est debita, alia permissa, et alia prohibita, et quæ sint. — 4. Secundo, dispensatio alia est legis, alia hominis, et alia mixta, et quæ sint. — 5. Tertio, dispensatio alia est justitiæ, alia gratiæ, et alia mixta, et quæ sint. — 6. Quarto, dispensatio alia est tacita, et alia expressa, et quæ dispensatio tacita. — 7. Hodie hujusmodi tacita Papæ dispensatio est minus frequens in usu. — 8. Dispensatio expressa quæ sit. — 9. Quinto, dispensatio alia est excusabilis, alia laudabilis, alia damnabilis. — 10. Dispensatio sine justa causa non est dispensatio, sed dissipatio. — 11. Dispensatio in lege Superioris sine justa causa non solum est injusta, sed et invalida. — 12. Dispensans in Lege Superioris sine justa causa mortaliter peccat, nisi excuset levitas materiæ. — 13. Imo secundum gravissimos Auctores in tali Lege sine justa causa dispensans non est tutus in conscientia, sed peccat. — 14. Idem dicendum est de petente sine causa dispensationem, vel eam ultro oblatam acceptante. — 15. Dispensatio in Lege propria sine justa causa est quidem injusta, sed tamen valida. — 16. Dispensans in sua Lege sine justa causa probab. peccat saltem venial.; sicuti petens, vel acceptans ultro oblatam talem dispensat. sine causa. — 17. Papa dispensans in propria Lege, et Jure positivo sine causa, an peccet. *ad n.* 18. — 19. Papa proprie, et rigorose loquendo non dispensat in Jure Divino. — 20. Potest tamen Papa Jus Divinum interpretari, et declarare, quod in aliquibus casibus propter aliquas circumstantias non obliget. — 21. Papa ex rationabili causa potest dispensare in omni Jure Ecclesiastico. — 22. Ætatis dispensatio pro consequendo Beneficium Jurispatronatus familiaris non conceditur a Papa in præjudicium remotioris vocati habentis requisita. — 23. Episcopus, quoad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum Generalium, nequit dispensare, nisi sint casus sibi a Jure concessi. — 24. Dantur plures casus, in quibus potest Episcopus dispensare quoad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, etc. — 25. Primus casus est, quando in Jure expresse conceditur Episcopis talis facultas dispensandi. — 26. Secundus est, quando saltem tacite, seu virtualiter ex modo loquendi Sacrorum Canonum, præsumitur rationabiliter ipsis concessa talis dispensandi facultas. — 27. Tertius est, quando adest magna necessitas, vel evidens utilitas de novo emergens, estque periculum in mora, nec facile recurri potest ad Summum Pontificem. — 28. Quartus est, quando adest consuetudo dispensandi legitime præscripta. — 29. Quintus est, quoties dubium est, an casus indigeat dispensatione. — 30. Potestas dispensandi in supradictis, et aliis consimilibus casibus competens Episcopis, competit etiam Capitulo Sede vacante. — 31. Dispensatio Matrimonii obtenta super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falso narrata paupertate, est valida. — 32. Dispensatus ad Ordines super Irregularitate, ex aliquo defectu corporis, non indiget nova dispensatione ad Beneficia. — 33. Alia de dispensationibus, *remissive*. — 34. Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam Tonsuram, ad obtinendum Beneficium: obtinet jam ordinatus Sacerdos, qui oculorum lumen amisit, non tamen ita ut nihil videat. — 35, 36. Non frequenter nec sine justa causa conceduntur Dispensationes. — 37, 38. Matrimonial. Dispensationum causæ veraciter exponendæ et verificandæ. — 39, 40. Cuinam denegandæ. — 41, 42. Quænam Dispens. Matrimonial. concedi possint a Pœnitentiaria Apost. — 43. Neophytis ad Fidem conversis Venetiis conceditur arbitrio Nuntii Apost. dispens. Matrimonium contrahendi cum Fideli absque interpellatione Conjugis in infidelitate relicti. — 44. 54. De Dispensationibus super gradibus prohibitis ad effectum contrahendi cum hæreticis. — 55. 57. A quonam Dispensatio super ætate ad contrahendum Matrim. concedi possit. — 58. Pro Regularibus non conceduntur nisi Superiorum Regul. consensu. — 59. 66. De Dispensationibus ab observantia Quadragesimæ. — 67, 68. De Dispensat. super Ritibus. — 69. 81. De Dispensationibus S. Pœnitentiariæ quæ diriguntur Confessariis. — 82. Alia ad rem. *Remissive*. — 83, 84. Ad definitionem Dispensationis nota. — 85. 87. Explanatur Auct. sententia. — 88. Quando tacita Dispensatio locum habeat. — 89. Plena potestas dispensandi super legibus positivis Pontifici tribuitur. — 90. 100. De potestate Episcoporum dispensandi. — 101, 102. An cesset Dispensatio, si causa, ob quam fuit concessa, cesset ante executionem illius. — 103. An et quando potius datum mandatum de dispensando quam gratia dispensationis concessa a Papa sit, et quinam effectus. — 104. 108. Dispensatio est stricti juris, nec patitur extensionem.

(1. Dispensatio est Juris communis relaxatio facta cum causæ cognitione ab eo qui Jus habet dispensandi. Est in re communis cum Glossa in c. *Requiritis* 5. caus. 1. qu. 7. verb. *Ut plerisque;* et in c. *Ut constitueretur* 5. dist. 50. verb. *Detrahentium*; Abbas in c. *Fraternitatis*, de Schismat. Fagnan. in cap. *Nimis* 18. de filiis Presbyterorum num. 4. Angel. Tab. et Armill. verb. *Dispensatio*. (2. Dispensatio sub variis modis potest considerari. Primo, dispensatio alia est debita, alia permissa, et alia prohibita. (3. Dispensatio debita est, ubi vel utilitas, vel necessitas Ecclesiæ, vel meritorum prærogativa vertitur, ut colligitur ex cit. cap. *Ut constitueretur* 25. dist. 50. et c. *Exposuisti* 23. de Præbend. Dispensatio permissa, quæ etiam arbitraria appellatur, est, ubi in Jure sit prohibitio, cujus moderatio relinquitur arbitrio Superioris, ut habetur in c. *Si quis presbyter* dist. 50. vel etiam, quando aliquid permittitur, ut pejus evitetur; c. 2. de spons. Dispensatio prohibita est ubi minime fieri potest absque manifesta Juris dissipatione,

Digitized by Google

vel quando justa causa dispensandi non adest, text. in c. *Tali;* et cap. *Si illa* caus. qu. 7. cap. *Innotuit.* § *Multa*, de Elect. (4. Dispensatio etiam triplex dicitur; Alia legis, ut in cap. *Literas* 14. de filiis Presbyterorum, ibi : « Permittimus ipsum ordinari in Clericum.» Alia hominis, ut illa, quæ a Superioribus solet concedi; mixta, quando scilicet lex concedit, ut homo dispenset, ad text. in cap. *De multa.* 28. de Præbend. (5. Tertio, dispensatio adhuc est triplex : Alia justitiæ, alia gratiæ, alia mixta. Dispensatio justitiæ est illa, quæ dicitur debita ut sub. num. 3. Dispensatio gratiæ est illa, quæ continet merum privilegium, meramque Principis liberalitatem; mixta est illa, quæ procedit partim a justitia, partim a gratia, et in hac mixta potest etiam comprehendi Principis tolerantia; in Abb. cap. *Nisi esset*, de Præbend.

(6. Quarto dispensatio alia est tacita, alia expressa. Dispensatio tacita est quando Princeps concessit officium alicui inhabili, vel Papa Beneficium, nam tunc videtur tacite super illius inhabilitate dispensare, ut notant communiter Doctores in l. *Quidam consulebant*, ff, *de Rejud.* Hoc tamen debet intelligi quando Papa, vel Princeps sciebat inhabilitatem illius, cui facta est Officii, et respective Beneficii concessio; secus vero, si ignorabat; Gloss. in l. *Universis*, c. *de præc. Imper. oss.* quia numquam censetur Princeps remittere vitium ignoratum; c. *Si eo tempore*, de Rescrip. in 6. (7. Hodie tamen hujusmodi tacita Papæ dispensatio est minus frequens in usu ob regulam quinquagesimam primam Cancellariæ Apostolicæ, quæ solet ab omnibus Pontificibus confirmari subsequentibus verbis. « Item quod per quamcumque Signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.» (8. Dispensatio expressa est illa, in cujus Literis narratur defectus impetrantis, et in illis Papa utitur verbo *Dispensamus;* cap. *At si Clerici* 4. de Judiciis § *de adulteriis*, cap. *De multa* 28. *Præbend.* Et idem esset, si in illis uteretur Papa verbo *Permittimus*, quod etiam dispensationem expressam inducit; cap. *Literas* 14. de filiis Presbyterorum et c. *Unico* de ætat. et qualit. in 6. et docet usualis praxis Cancellariæ Apostolicæ.

(9. Quinto, Dispensatio insuper alia est excusabilis, alia laudabilis, alia damnabilis. Dispensatio excusabilis est, quando urget necessitas, quia ipsa legem non habet, et propterea tunc Legis rigor infringitur, ubi enim necessitas urget : dispensatio dicitur excusabilis; Felin. in cap. 1. num. 49, et 50. de Constit. Menoch, de Arbitr. Jud. lib. 2. cent. 2. casu 131. n. 1. et alii passim, ex S. Bernardo infra citando. Dispensatio laudabilis est illa, ubi communis provocat utilitas, quæ a jure æquiparatur necessitati; in cap. *Cum omnes*, de Constitut. S. Bernard. infra citandus. Dispensatio damnabilis est illa, ubi nec ulla urget necessitas, nec communis provocat utilitas, nec ulla adest causa justa; Sperel. part. 2. Decis. 109. num. 2. Unde egregie D. Bernardus lib, 3. de Consider. ad Eugen. Papam sic ait : « Quid, inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur? ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria; nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.» (10. Hinc dispensatio sine justa causa, non dispensatio, sed dissipatio dicitur communiter a Doctoribus, ut observant, et tenent Sperell. dict. decis. 109. num. 3. Fagn. in cap. *Nimis* 18. de filiis Presbyterorum n. 9. Barbosa de Offic. et potest. Episcop. part. 1. tit. 2. glos. 15. num. 7. Pyrr. Corrad. Prax. dispensat. Apostolic. lib. 2. cap. 3. sub num. 2. Reiffenstuel lib. 1. Decretal. tit. 2. n. 450. et alii passim.

(11. Idcirco dispensatio in Lege Superioris sine justa causa non solum est injusta, sed et invalida; Innocent, in cap. *Dudum.* 22. de Elect. num 16. vers. *Item si Papa;* Abbas in cap. *Non est*, de Voto; num. 8. Butr. in cap. *Venerabilem, Qui filii sint legitimi* num. 6. Felin. in cap. *Postulasti*, de Remiss. sub num. 13. Navarr. in cap. final. *de Simonia* num. 4. et Manual. prælud. 9. n. 14. Sperell. dec. 109. num. 10. et plurimi Theologi, quos refert, et sequitur Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 17. num. 24. (12. Unde dispensans in Lege Superioris sine justa causa, mortaliter peccat, nisi excuset levitas materiæ, ut ex D. Bernardo l. c. sub n. 9. tenet Abbas in c. *At si Clerici* 4. de Judiciis § *de adulteriis* sub n. 20. in fin. Armilla verb. *Dispensatio* num. 13. Silvester eod. verb. n. 2. Campanil. in diversor. jur. Canon rubr. 6. cap. 3. num. 27. Spetelli d. dec. 109. num. 27. et dec. 115. n. 35. et post multos alios docet Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 18. num. 1. (13. Immo etiam Papa, in tali Lege sine causa dispensans non est tutus in conscientia, sed peccat, ut plurimi gravissimi Auctores firmant, Ancharan. const. 353. nisi legibus in fine, Abbas et Canonistæ passim in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constit. ubi Felin. sub n. 25. vers. *Demum* testatur ita omnes tenere, Covarr. in rubr. de Sponsal. par. 2. cap. 6. §. 9. num. 7. Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ l. 2. cap. 15. Victoria in Select. de potest. Papæ num. 7. Chorduba lib. 4. Quæstionarii q. 9. Sperell. d. dec. 109. n. 15. Sotus de Justit. et jur. lib. 3. q. 6. art. 3. et colligitur ex D. Bernardo loc. suprac. sub num. 9. monet Papam, ut non pro sua voluntate, vel utilitate, sed pro communi bono dispenset « in ædificationem, non in destructionem.... nam cum nihil horum est» (scilicet nec urget necessitas, nec provocat communis utilitas) « non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.» (14. Idem dicendum est de petente sine causa dispensationem, vel eam ultro oblatam ac-

Digitized by Google

ceptante; Ejusdem enim culpæ sit reus, cujus est ipse dispensans, ut cum multis aliis tenet Sanchez lib. 8. dis. 18. n. 8. Sotus de Just. et jur. lib. 3. qu. 6. art. 3. Hojed. in tract. de incompatib. Benefic. part. 2. c. 12. n. 39. Suarez 1. *recept. Sent.* in verb. *Dispensatio.* Maschard. de prob. conclus. 345. n. 14. vol. 1. Sperell. l. c. n. 15. et alii.

(15. Dispensatio in lege propria sine justa causa est quidem injusta, sed tamen valida, quia tunc Legislator in re propria, et in propria voluntate dispensat eam mutans, et a qua sola vim habet Lex; Innoc. in c. *Dudum* 22. de Elect. n. 16. ver. *Item et si Papa*, Butr. in cap. *Venerabilem*, *Qui filii sint legitimi* n. 6. Abbas in cap. *Non est de voto* num. 8. Felin. in cap. *Postulasti*, *de remissis* sub num. 13. Sperell. loco cit. n. 10. cum variis aliis ibi citatis. (16. Unde dispensans in propria Lege sine justa causa peccat, juxta veriorem sententiam, ut articulo discusso, et innumeris hinc inde adductis concludit Sanchez disp. 18. n. 2, et 3. subdens n. 7. probabilius esse quod remoto scandalo, ac alterius notabili damno, culpa in hoc casu sit venialis, et non lethalis tam respectu dispensantis, quam respectu petentis, vel acceptantis altro oblatam talem dispensationem sine causa, ut bene declarat ipse Sanchez d. disp. 18. per tot. et tenet Sperell. l. c. n. 13. et dec. 115. n. 35. (17. Papa autem, si dispenset in Jure positivo, etiam sine causa, ipsum non peccare firmat Innocent. in cap. *Cum ad Monasterium* 6. de statu Regul. n. 5. cum qua sententia videtur consentire Campanil, in divers. jur. Canon. rubr. 6. cap. 3. n. 27. Et ratio esse potest quia in Principe supremo sola voluntas dicitur justa causa; Glossa singularis de Jur. civil. in l. *Relegati*, ff. *de pœn.* et similis de Jure Canonico *cap. Si eo tempore*, de Elect. in 6. et in cap. *Si gratiosæ*, de Rescript. etiam in 6. (18. Sanchez vero articulo mature discusso, innumeris hic inde adductis concludit secundum veriorem sententiam peccare Papam, saltem venialiter, cum sine justa causa dispensat in propria Lege, et in Jure Canonico; Et hinc fortasse, ut recte advertit Sperell. loco citato numer. 18. forte inolevit Romanæ Curiæ stylus, ut semper in gratiis, ac dispensationibus Summi Pontificis aliqua justa causa apponatur, ita ut exordium hoc præmitti soleat, « Vitæ et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merito nos inducunt (1). »

(19. Papa proprie, et rigorose loquendo nequit dispensare in Jure Divino. Est fere communis; Et ratio est, quia ita se habet Papa ad legem Dei, sicut inferior ad legem superioris, immo minor est proportio Papæ ad legem Divinam, quam inferioris Prælati ad Legem humanam; c. *Damnamus* 2, *de summ. Trinit.* vers. *quia inter Creatorem et creaturam*; Sed in lege humana inferior nequit dispensare contra Legem superioris; cap. *Inferior* 4, *dist.* 21, c. *Cum inferior* 16, de Major. et obedient. Clementin. *Ne Romani* 2. de Election. § 1, ubi expresse habetur : « Quod lex Superioris per inferiorem tolli non potest; » Ergo nec Papa dispensare potest contra Legem divinam, seu in Jure Divino; Tum quia sicut Vicarius non potest omnia, quæ Principalis (videlicet ea, quæ speciali nota digna sunt, et requirunt expressam facultatem, cap. *Cum in generali concessione* 3, de Offic. Vicar. in 6.) ita neque Papa Christi in terris Vicarius, potest omnia quæ Christus v. g. Sacramenta nova instituere; abrogare antiqua, bigamiam simultaneam concedere, dispensare in vinculo Matrimonii consummati, et hujusmodi. (20. Potest tamen Papa Jus divinum interpretari, et declarare, quod in aliquibus casibus propter aliquas circumstantias non obliget, cum scilicet ex Divinæ Legis observantia, aut aliquid sequitur iniquum, aut majus bonum impeditur; alioquin cum pro interpretatione ad Deum recursus non pateat, non fuisset ipse bonus Paterfamilias (quod nullimode est dicendum) si Gregem suum dimisisset sine Pastore, qui in casibus dubiis, et arduis posset Jus Divinum interpretari, et declarare, et sic omnibus suis ovibus pro necessitate consulere; Abbas in c. *Proposuit* 12. De concession. præbend. Almain de Potest. Eccl. c. 13, Turrecrem. in Summa de Eccl. lib. 2. cap. 7, et lib. 3, cap 53. Covarr. variar. Resolut. lib. 3, cap. 13, n. 9, vers. *Fateor enim;* Sotus de Justit. et jur. lib. 10, quæst. 3, art. 1. Vasquez in Opusc. moral. in tract. de Benefic. cap. 4, § 2, dub. 1, n. 122, in fin. Sylvester verb. *Papa* quæst. 16, in fine S. Thomas in 2-2, quæst. 54, art. 5. Reiffenstuel lib. 1, decretal. tit. 2, n. 454, Fagnan. lib. 1, Decret. in cap. *Cum pridem* 4, de Pactis num. 80, et alii passim.

(21. Papa ex rationabili, et justa causa potest dispensare in omni jure Ecclesiastico, Est communis, et habetur clare in cap. *Proposuit* 4, de Concession. Præbend. ubi Pontifex sic expresse dicit, « Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare. » (22. Ætatis tamen dispensatio ad effectum consequendi Beneficium Jurispatronatus familiaris non conceditur in præjudicium alterius vocati, licet remotioris, habentis tamen qualitates requisitas; proximior enim in præjudicium remotioris jam præsentati, et habentis requisita, nec est dispensandus a Papa, ut respondit S. C. C. in una Bononien. 16. Julii 1695, et in Cremon. 8. Julii, et 30, Sept. 1702, apud Monacell. tom. 3, tit. 2, formul. 7, n. 11, et

(1) A nimia profecto facilitate excusari nequit Clar. Auct. circa doctrinam, quam tradit num. 16, 17 et 18. Theologi enim, et Canonistæ docentes, dispensationem absque causa a Superiore petitam, et etiam a Papa esse dissipationem, illumque qui ita est dispensatus, tutum non esse in Conscientia, aliquid magis innuunt, quam peccatum veniale. *Quoniam Papa*, inquit Cardinalis Bellarminus in Epistola ad Nepotem suum, « non est dominus, sed dispensator : ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, et qui ea utitur eadem semper irretitur iniquitate. » Cæterum Pontifices nunquam sine causa dispensationes concedunt. (Edit. Rom., 1767.)

Digitized by Google

tom. 4, supplement. ad 3, tom. n. 109.

(23. Episcopus quo ad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et decreta Consiliorum Generalium nequit dispensare, nisi sint casus sibi a Jure permissi, seu concessi; Dispensatio enim est actus jurisdictionis, et Episcopus veluti inferior non habet Jurisdictionem respectu Sacrorum Canonum, Apostolicarum Constitutionum, et Conciliorum Generalium; cap. *Inferior* 4, dist. 21, cap. *Cum inferior*. 16, de majorit, et obedient. et Clementin. *Ne Romani* 2, § 1, de Election., ubi expresse dicitur, « quod Lex Superioris per inferiorem tolli non potest. » Hinc in cap. *Dilectus* 15. de Tempor. Ordinat. graviter reprehenditur Episcopus, qui cuipiam eadem die contulit plures Sacros Ordines, licet ad mandatum Archiepiscopi sui id fecerit; « Cum illi, inquit Papa Honorius III, » hujusmodi dispensatio a Canone minime sit permissa. Et cap. *Dilectus* 17, et cap. *Nimis* 18, de Filiis Presbyterorum irritantur dispensationes contra Juris dispositionem factæ per aliquem Papæ inferiorem, quamvis Apostolicæ Sedis Legatum, ut de facto erat Archiepiscopus Remensis, sicuti legitur in d. cap. *Dilectus*. (24. Notanter tamen fuit dictum: « Nisi sint casus sibi a jure permissi, seu concessi, » quia dantur plures casus, in quibus ex concessione Juris, aut rationabiliter præsumpta licentia Papæ, potest Episcopus dispensare circa Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum Generalium.

(25. Primus casus est, quando in Jure expresse conceditur Episcopis potestas dispensandi, ut fit in cap. *Si alicujus* 59, de Election. in cap. *At si Clerici* 4, de Judiciis, in cap. *Cum ex eo* 34, de Election, in 6, in cap. *Is qui defectum* 1, de Filiis Presbyterorum in 6, et sæpe alibi, juncto Concil. Trident. sess. 24, cap. 6, de Reformat.

(26. Secundus casus est, quando saltem tacite, seu virtualiter ex modo loquendi Sacrorum Canonum præsumitur rationabiliter concessa ipsis talis dispensandi facultas, ut cum in Canone simpliciter dicitur, posse dispensari, nec Papa sibi, aut alteri reservat dispensationem, tunc enim Episcopus potest dispensare, quamvis hoc ipsi expresse non fuerit concessum; Sic Glossa in cap. *Quisquis* 43, de Election. verb. *fiat*, et Glossa in cap. *In quibusdam* 12, de pœnis verb. *Dispensatum*, ubi sic præcise dicit: « Cum non determinetur, a quo possit dispensari, dixit Joan. quoad Episcopus potest dispensare, ex quo Papa non retinuit sibi dispensationem, » et ibi Abbas num. 5, et rursus idem Abbas in cap. *Et si unanimiter* de Postulat. Prælator num. 10, dicens, quod Episcopi semper dispensant, ubicumque a Jure permittitur dispensatio in genere, licet specifice non permittatur Episcopis; Felinus in cap. *At si Clerici* 4, de Judiciis n. 1. Sanchez lib. 8, de Matrimon. disp. 5, num. 1, citans plurimos alios; Reiffenstuel l. c. n. 467. Barbosa part. 2, de Offic. et potest. Episcopi allegat. 33, num. 22. ubi dicit, quod, quando Lex impersonaliter dispensandi facultatem facit dicendo v. gr. « poterit ex dispensatione, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum, » non adjiciendo per Sedem Apostolicam vel Romanum Pontificem, prout in specie in cap. Veniens 2. De eo qui cognovit; c. *Pastoralis* 7, de Clerico excomm. ministrante; et cap. *In quibusdam* 12, de Pœnis; tunc quia frustra talis facultas dispensandi conceditur Summo Pontifici, qui de jure potestatem dispensandi habet, ut expresse habetur in cap. *Proposuit* 4, de Concession. Præbend. ibi : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare; » censetur illa facultas data Prælatis inferioribus, et Episcopis ; arg. cap. *Nuper* 29, de Sentent. excommun. ibi: « Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. »

(27. Tertius casus est, quando adest magna necessitas, vel evidens utilitas de novo emergens, estque periculum in mora, nec facile recurri potest ad Summum Pontificem; arg. cap. *Talis* 17, caus. 1, qu. 7, et cap. *Exposuisti* 33, de Præbend. ubi in casu, quo urget evidens necessitas, vel utilitas, expresse tribuitur Episcopo facultas dispensandi contra decreta quorumdam Canonum, et sic idem dicendum venit de aliis similibus. Et ratio est, quia in tali casu ex rationabiliter præsumpta voluntate Papæ, censetur Episcopus habere concessam sibi potestatem dispensandi; hoc enim exigit Pastorale officium Episcoporum ne alias in casu urgentis necessitatis oves sibi concreditæ remaneant destitutæ necessariis auxiliis; et sic tenent Abbas in cap. *At si Clerici* 4, de Judiciis n. 9, Felinus ibid. n. 3, Barbosa lib. 1, juris Eccles. univers. cap. 11, n. 149. Pirhing lib. 1, decret, tit. 31, n. 87. Reiffenstuel lib. 1, decr. tit. 2, n. 470. Sanchez l. 3, de Matrim. disput. 40, num. 3. Castro Palao par. 1, tr. 3, disp. 6, punct. 5, n. 7, et allii passim.

(28. Quartus casus est, quando adest consuetudo dispensandi legitime præscripta, consuetudo enim legitime præscripta tribuit jurisdictionem ; cap. *Cum tanto* 11. de Consuetudine cap. *Duo simul* 9, de offic. Jud. Ordinar. c. *Cum contingat* 13, de Foro competent. unde ista semel obtenta, redditur dispensatio valida, quæ alias foret invalida : Barbosa Pirhing, Reiffenstuel loco citato ; Suarez lib. 6, de Legibus c. 14, n. 10, et alii.

(29. Quintus casus est, quoties dubium est, an casus indigeat dispensatione ; arg. cap. *Cum desideres* 13, de Sentent. Excommunicat. quia stante dubio an res indigeat dispensatione, vel potest Episcopus considerata considerandis declarare eam non requiri, vel ad cautelam dispensare; Barbosa part. 2, de offic. et potest. Epicop. allegat. 35, num. 18. Reiffenstuel loc. cit. n. 474. Sanchez lib. 1, in Decalog. cap. 10, n. 74, et cap. 40, n. 26. Layman lib. 1, tract. 4, cap. 22, n. 4, Sa verb. *Dispensatio* n. 1. Diana part. 3, tract. 6. resol. 8, et par. 8, tract. 3, resol. 12, et alii plures; Et ratio est, quia reservatio Dispensationis est odiosa, utpote coarctans

Digitized by Google

potestatem ordinariam Episcoporum, ideoque est restringenda ad casus certos, juxta regulam 15, Juris in. 6, ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari. »

(30. Potestas dispensandi in supradictis, et aliis consimilibus casibus competens Episcopis, competit etiam Capitulo Sede vacante. Ita communis Doctorum cum Barbosa part. 2. de Offic. et potest. Episcop. allegat. 36. n. 9. Et ratio est, quia Capitulum Sede vacante potest ea omnia exercere, quæ pertinent jure communi ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, exceptis nonnullis, quæ speciatim sunt jure prohibita; cap. *Cum olim.* 14. de majorit. et obedient. ubi Glossa verb. *Capitulo;* cap. *Ad abolendam* 9. de hæreticis, ubi Glossa verb *Sede vacante;* cap. penul. de supplenda negligentia Prælatorum, ubi Glossa verb. *Sed Capitulum;* Dicta autem potestas dispensandi competit Episcopis ratione Pastoralis officii eorum, est que in illis perpetua, et ordinaria; cap. *His quibus ex officio* 30. juncta Glossa fin. de offic. Judicis Ordinarii, et l. *More,* et l. *Et quia,* ff. *de jurisdict. omn. judic.* adeoque etc.

(31. Qui dispensationem obtinuit super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falso narrata paupertate, dicitur valide dispensatus, et proles legitima; Sacra Congregat. Conc. 9. Septembr. 1679. apud. Monacell. tom. 2. tit. 16. formul. 2. n. 33. Vide ibi, qui affert decreta etiam pro dispensatione obtenta ob angustiam loci.

(32. Dispensatus ad ordines super Irregularitate ex aliquo defectu Corporis, v. gr. ex defectu oculi Canonis, vel alio ejusmodi defectu, non indiget nova dispensatione ad Beneficia, etiam Curata, Canonicatus, et Dignitates etiam in Cathedrali. Sic resolvisse Sacram Congregationem Concilii in Lucana Dispensationis 12. Januar. 1697. leg. 47. Decret. f. 19. *de Irregularitate ex defectu oculi Canonis* refert Ursaya Institut. Crimin. lib. 1. tit. 10. § 1. num. 9, et Antonell post. tract. de Juribus, et oneribus Clericorum in resolutionibus Sacræ Congregationis Concil. in dicta Lucana Dispensationis 22. Januarii 1697. per totum, ubi n. 2, etiam sic resolvisse in Arimen. 16. Maji 1619. et in Nuscana 26 Aprilis 1659. lib. 20. Decret. fol. 624. et sæpius alibi de Irregularitate ex defectu oculi dextri; unde talis sic dispensatus ad ordines sine nova dispensatione admittendus est ad Concursum, ut expresse tradit ex Nicolio Ursaya l. c. n. 10. per allata decreta.

(33. Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam Tonsuram, ad effectum obtinendi Beneficium Ecclesiasticum, ut ex decreto Sac. Congr. in una Pampilonensi die 28 Martii 1733. Bened. XIV. Instit. Eccles. 34. § 5.

Si tamen ordinato jam Sacerdoti accidat, ut oculorum lumen amittat, non tamen ita ut nihil videat, datur illi a Sacra Congregatione facultas celebrandi diebus quidem festis et duplicibus Missam B. Virginis votivam, ferialibus, Defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper Episcopis, ut celebrationem omnino vetent statim, ac cæcum penitus evasisse comperierint; ibidem.

(34. Dispensationes nec frequenter, nec sine juxta causa sunt concedendæ ex Concil. Trident.; Bened. XIV. tom. 1. Constit. 45.incip. *Ad Apostolicæ*, et Constitut. 130. incip. *Libentissime* § 12. (35. Dispensationes ab observantia Ecclesiasticæ Disciplinæ levibus de causis non sunt concedendæ; Idem Constitut. 89. incip. *Inter omnigenas* § 25.

(36. Dispensationem Matrimonialium causæ veraciter sunt exponendæ, et ab Executoribus omnino verificandæ; Idem in citat. Constitut. *Ad Apostolicæ.* (37. Earum executores verificare debent causas in Literis expressas; Idem *ibid.* § 6.

(38. Dispensationes Matrimoniales non sunt concedendæ occultantibus Fidei professionem, cum simulatione Mahumetismi; Idem Constitut. 89. incip. *Inter omnigenas* § 14. (39. Nec iis, qui Matrimonium contrahere intendunt contra formam in Ecclesia statutam; Idem ibidem.

(40. Dispensationes Matrimoniales, quænam concedi possint a Pœnitentiaria Apostolica, assignantur a Benedicto XIV. Constitut. 95. incip. *Bonus Pastor* § 39. et sequent. nempe in Matrimoniis contrahendis in foro concientiæ tantum super impedimentis occultis, quæ Matrimonium non dirimunt.

(41. Item super omissione denunciationum etiam ad effectum contrahendi secreto, servata tamen dispositione pro Matrimoniis *Conscientiæ* nuncupatis; Constitut. ejusdem Pontificis incipien. *Satis Vobis.* (42. Item revalidandi dispensationes. Datariæ in casu reticitæ copulæ, et in casu reticitæ intentionis facilius impetrandi dispensationem, in foro conscientiæ tantum, et cum compositione taxæ solvendæ Datariæ juxta conditionem, et facultatem personarum, quando agitur de primo, et secundo, vel secundo tantum gradu. Vide dictam Constitutionem, ubi abunde, et distincte de omnibus.

(43. Neophytis ad Fidem conversis Venetiis in Loco Pio Catechumenorum conceditur dispensatio Matrimonium contrahendi cum Fideli, absque interpellatione prioris conjugis infidelitate relicti, arbitrio Nuncii Apostolici Venetiis existentis, Idem Const. 117. incip. *In Supremæ.*

(44. Dispensationes super gradibus prohibitis ad effectum contrahendi cum haereticis regulariter a Sancta Sede non conceduntur, nisi cum clausula : *abjurata prius hæresi;* Idem tom. 2. Constitut. 51. incipien. *Magnæ nobis,* et Constitut. 59. incip. *Ad tuas manus.* (45. Dispensationes hujusmodi exsequendæ non sunt, nisi Exsecutori constet de veritate eorum, quæ in precibus exposita fuerunt; Idem in d. Const. 51. incip. *Magnæ nobis.* (46. Et nisi per authentica documenta constet, quod abjuratio hæresis Matrimonii celebrationem reipsa præcesserit; Idem ibi et in dicta Const. 59. incip. *Ad tuas manus.*

(47. Dispensatio seu licentia pro contrahendo Matrimonio cum hæreticis, non adjecta abjurandæ hæresis conditione, nonnisi

Digitized by Google

raro, et ut plurimum favore Supremorum Principum, ob publicam et gravem causam, ab Apostolica Sede concessa reperitur; Idem dict. Constitut. *Magnæ nobis.* (48. Et tunc plures cautelæ præscribi consueverunt, ne Conjux Catholicus perversionis periculum incurrat, neque proles hæretici parentis errores sequatur; Idem ibidem. (49. Dispensationum Literæ ab Apostolica Sede concessæ, debent ab Executoribus deputatis attente perpendi, tum quoad earum veritatem, tum quoad conditiones appositas; Idem ibidem. (50. Item facultates dispensandi in genere concessæ ne præscripti fines transiliantur; Idem in dicta Constitut. 59. incip. *Ad tuas manus.*

(51. Dispensandi facultas, quæ ab Apostolica Sede datur Episcopis in remotis Regionibus degentibus non excedit tertium gradum in contrahendis; (52. In contractis vero, si agatur de hæreticis, ad secundum quoque gradum pertingit; Idem in dicta Constit. incip. *Ad tuas manus.* (53. Hujusmodi facultas in usum deduci nequit cum hæreticis reipsa non conversis, etiamsi conversionis spem, aut permissionem obtendant; Idem ibidem. (54. Dispensationes Matrimoniales concedens vigore Indulti, et delegationis *Apostolicæ*, debet delegationis mentionem facere, et Indulti tenorem in dispensatione inserere, cum expressione temporis, ad quod fuit concessum, sub pœna nullitatis; Idem ibidem,

(55. Dispensatio super Ætate ad contrahendum Matrimonium quando malitia supplet ætatem, etiam ab ordinario concedi potest; Idem in dicta Const. 11. incip. *Magnæ nobis.* (56. Et hæc non tam est dispensatio, quam declaratio super casu, cui provisum est in Jure; Idem ibid. (57. Quando autem contrahentes rationis usum habent, sed nondum copulæ apti sunt, hujusmodi dispensatio ab Apostolica Sede dumtaxat impetrari potest. Nemo enim præter Papam derogare potest juri Canonico quod requirit in contrahentibus hujusmodi actualem potentiam; Idem ibid.

(58. Dispensationes pro Regularibus non conceduntur, nisi de Superiorum Regularium consensu vel ad eorum preces; Idem tom. 2. Constit. 47. incip. *Si datam.*

(59. Dispensationes ab observantia Quadragesimæ concedendæ non sunt, nisi adjecto præcepto de unica comestione, et de non permiscendis epulis; Idem tom. 1. Constitut. 55. incipien. *Cognovimus*, et Constitut. 99. incipien. *Fraternitas.* (60. Dispensatio a Quadragesimali jejunio nemini concedi debet sine legitima causa; nec Universitatibus absque urgente necessitate; Idem Constitut. 19. incipien. *Non ambigimus* § 3.

(61. Dispensationes generales ab observantia Quadragesimæ pro integris populis concedi nequeunt absque gravi causa; Idem tom. 1. Const. 130. incip. *Libentissime* § 10. et seq. (62. Causæ legitimæ ad concedendam talem universalem dispensationem possunt esse morbi communes ob aliquam aeris corruptionem, seu morbus epidemicus. (63.

Et si in aliquo loco, neque oleum, neque pisces comparari possint tunc incolis ejusdem loci concedi potest ut lacte et ovis utantur: Si autem hæc revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedetur, interposita semper jejunii servandi conditione. Idem ibidem. § 17. et sequentibus. (64. Et tunc ad id Medicorum sententiæ sunt exquirendæ, et eorum attestationes exhibendæ. Alias dispensatio denegabitur; Idem ibid. § 24. 25. et 27. (65. Non sunt tamen causæ legitimæ pro tali universali dispensatione ciborum caritas, et militum stationes; Idem ibid. § 18. et 19.

(66. Dispensationes generales super observantia Quadragesimæ, aliarumque abstinentiarum pro communitatibus Patriarchatûs Antiocheni, quomodo sint concedendæ, assignatur ab eodem Pontifice, nempe ut in singulos tantum annos, quibus egestatem et inopiam ciborum Quadragesimalium persistere ibi cognoverit, et non aliter, nec alio modo, nisi ut illæsa remanente etiam quoad illos incolas generali lege de jejuniis, et abstinentiis, a qua nemini liceat dispensationem in genere concedere, possit singulis illis communitatibus dictam dispensationem concedere; Idem tom. 1. Const. 87. incip. *Demandatam* § 7.

(67. Dispensationes super Ritibus Ecclesiasticis a Sancta Sede petendæ sunt, nec, ea inconsulta, ab alio quolibet concedi possunt; Idem tom. 1. Const. 107. incip. *Omnium sollicitudinum* § 14. (68. Dispensationes adversus Ritus et Canones Ecclesiæ Græcæ concedi non possunt a Missionariis Latinis; Idem Constit. 87. incip. *Demandatam* § 16.

(69. Dispensationes Sacræ pœnitentiariæ cum diriguntur ad Confessarium ex approbatis ab Ordinario, executioni mandari debent a Confessario approbato ab Ordinario illius loci in quo dispensatio illa præstari debet; nec valet, si actu Confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, et dispensatio petatur a Fœmina; Bened. XIV. Instit. Eccles. 87. § 31.

(70. Cum diriguntur Confessario Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, requiritur laurea Theologiæ, vel juris Canonici in publica Universitate; nec aperiri literæ illæ possunt a simplici Regulari Confessario, nisi tamen Religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit; ibid. § 32.

(71. Si semel apertum fuerit Breve Pœnitentiarii, ab eo, qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitiatur rescriptum, sed sufficit, si alteri habenti requisita consignetur, ib. § 33.

(72. Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus ex probabili sententia variari, quamquam non desint Doctores qui oppositum opinentur; ibidem.

(73. Executor certiorem se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi aliunde ipse eamdem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub juramento

Digitized by Google

interrogare, ut est communis Doctorum sententia, ib § 34.

(74. Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez, ibidem.

(75. In ejusmodi dispensationis literis mandatur executori, ut dispenset, audita prius Sacramentali confessione, et in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent; ibid. § 35.

(76. Cum pœnitentia in literis definitur, ea injungenda est; si vero committatur arbitrio Confessarii, non est illi liberum eam ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit; ibidem § 37, 38.

(77. Quoad clausulam: *dummodo sit occultum*, censetur occultum, si tantum septem, vel octo in Civitate id resciant: in oppidis vero, si quinque vel sex; quam sententiam Scriptores, qui mentem sacræ Pœnitentiariæ probe norunt, tenent; ibid. § 45. Occultum impedimentum Fagnanus censet illud quod nullo pacto probari possit; ibid. § 44.

(78. Si impedimentum occultum fuerit in loco, ubi executioni mandanda est dispensatio; publicum vero in alio, ubi commissum est delictum, tutius tunc est executionem suspendere, et de hac novitate Sacram Pœnitentiariam certiorem facere; ibid. § 46.

(79. Delictum olim publicum, nunc occultum, si a die commissi criminis longum tempus effluxerit, ad effectum dispensationis obtinenda, censetur ibid. § 42.

(80. Si quis rem vetitam præstiterit, sed publice creditur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad effectum dispensationis obtinendæ creditur occultum. Si vero commisisse delictum resciatur, sed ignoretur inde consurgere impedimentum, profecto occultum quoad hunc effectum non censetur; ibid. § 48.

(81. Si delictum deductum sit ad forum contentiosum, a S. Pœnitentiaria censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus, etc., adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum; ib. § 49.

(82. Alia ad rem. vide verb. BIGAMIA, verb. JEJUNIUM, verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 3, verb. IRREGULARITAS, art. 3, verb. JURAMENTUM, verb. SIMONIA, verb. VOTUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(83. Loco *juris communis* dici debere *juris humani*, vel *positivi* in definitione dispensationis monet Soll. de leg. cap. 4, § 1, n. 170.

(84. « Quia, inquit, etiam in Municipali, et Synodali jure, quod distinguitur a communi, c. 1, de Const. in 6, dispensatur. »

(85. Quod ait Auctor num. 7. de tacita dispensatione sublata a Regula 51. Cancellariæ, id intellige respectu Summi Pontificis, ut inquit idem Auctor ibidem, et advertit Rigant. in commentar. ad dict. Regul. 51.

num. 8. (86. Cæterum alii post Pontificem possunt adhuc tacite dispensare. Solumque quæstio est, utrum tacite dispensare valeant super propriis constitutionibus, an item super legibus Superioris in casibus, in quibus concessum ipsis est dispensare. (87. At communior est opinio, posse tacite dispensare etiam super legibus Superioris; Confer Soll. de Leg. cap. 4, § 1, n. 178.

(88. Tacita vero dispensatio secundum Rigant. in commentar. ad dict. Regul. 51. num 15. et sequent. tunc locum habet, quum quinque hæc concurrunt. Primum est, quod qui gratiam inhabili, seu incapaci facit, sciat factum, et ex illo juris dispositionem. Secundum, quod pariter sciat, quod in illo facto opus sit dispensatione. Tertium, quod ex certa scientia affirmativum factum faciat, illudque exprimat. Quartum, quod de causa, qua ad tacita dispensandum movetur, cognoscat. Quintum denique, quod ex dispensatione illa tertio præjudicium non irrogetur. (89. At præsertim quartum requisitum necessarium haud esse, tenet Soll. de Leg. cap. 4, § 1, num. 178. qui sequent. num. 179. aliter explicat, quando censeatur facta tacita dispensatio.

(90. De potestate Summo Pontifici competente dispensandi super legibus omnibus positivis non est quod disseratur, quum ea promanet ab ea superioritate, quam obtinet super omnes, et firmatur in cap. 4. de Conces. Præbend. (91. Quod vero attinet ad Episcopos, ii utique possunt dispensare non solum super propriis Constitutionibus, verum et super legibus Synodi Diœcesanæ. Duo vero excipiuntur casus. (92. Prior est, si Constitutio a Summo Pontifice confirmata fuit *in forma*, ut aiunt, non *communi*, sed *specifica*. (93. Alter est, si Constitutio abierit in contractum; (94. Confer Soll. de Leg. cap. 4, § 2, num. 184. et sequent. (95. At quod attinet ad priorem casum, tunc secundum alios confirmatio *in forma specifica* impedimento esse potest, quominus Episcopus dispenset, quum Constitutio excedit potestatem ipsius Episcopi, ita ut totum faciat auctoritas pontificia, non item quum adhibita ea fuit ad abundantiorem cautelam.

(96. Super legibus vero superioris Episcopus regulariter nequit dispensare. (97. Quocirca non est in potestate Episcopi dispensare non solum super jure Pontificio, sed nec super Synodo Provinciali. (98. Quinimmo nec Archiepiscopus dispensare valet super Synodo Provinciali, quum ab ipso tamquam inferiori ad Provincialem Synodum appelletur; Soll. de Leg. cap. 4, § 2, n. 189. (99. Quando vero Episcopus dispensare queat super legibus superioris, vide apud eumdem Auctorem de LL. c. 4, § 2. a n. 19. ad plur. sequent. ubi examinatur, (100. an in casibus in quibus inferior pollet potestate dispensandi, secum ipse dispensare valeat, (101. tum an dispensare valeat cum vagis, et peregrinis.

(102. De justis causis dispensationis consule Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudentia Canonica, verbo *Dispensatio*, sect. 1, n. 4 et sequent. An autem cesset dispen-

Digitized by Google

satio, si causa, ob quam fuit concessa, cesset itidem ante executionem illius, non conveniunt inter se Doctores. (103. Negant Suarez de LL. lib. 6, cap. 19, n. 18. Gutierez Qu. Canonic. lib. 2, cap. 15, n. 30. Affirmat vero, et quidem allegatis pro se Glossa, Joanne Andrea, Baldo, Felino, et aliis, Sanchez de Matrimon. lib. 8, disp. 30, n. 14.

(104. An et quando potius datum mandatum de dispensando, quam gratia dispensatis concessa a Papa sit, et quinam sint effectus diversi, expendit Rot. in Ugentina Beneficii, 5 Maii 1738. cor. Eminentissimo Crescentio.

(105. Nota demum, dispensationem esse stricti juris, nec ullam pati extensionem. Vide exempla in Hildesimen. Fructuum Canonicalium super bono jure 17. Junii 1731. cor. Eminentiss. Crescentio.

(106. An secunda dispensatio obtenta, non expressa prima dispensatione circa eamdem rem, indistincte sit subreptitia, non convenit inter Doctores. Videsis Soll. de Legib. part. 1, cap. 4, § 4, n. 277.

(107. At concordes in hoc sunt Auctores, quod si prima dispensatio est *cum moderatione aliqua* obtenta, secunda vero dispensatio circa eamdem rem obtenta est *absolute sine moderatione illa*, ex reticentia primæ

dispensationis excusari a vitio subreptionis nequeat secunda dispensatio, idque ex ea potissimum ratione, quod Summus Pontifex certior factus de prima dispensatione *limitata*, secundam dispensationem *sine illa limitatione* vel non concessisset, vel difficilius concessisset, quorum alterum sufficit ad subreptionem, ut firmant Sanch. de Matrimon. lib. 8, cap. 22, n. 6. Soll. de Legib. part. 1, cap. 4, § 4, n. 278. et novissime Collett. de Dispensation. lib. 1, cap. 5, § 6. Rota Divers. Dec. 91. part. 3. lib. 3.

(108. Actum vero novissime de hoc articulo fuit in Rota in Neocastren. Pensionis 3, Aprilis 1762, cor. R. P. D. Frangipan. At Tribunal hoc excusavit a subreptione secundam dispensationem illimitatam obtentam cum reticentia primæ dispensationis limitatæ « quidquid sit (Aiendo) in materia beneficiali, in qua sancitum habetur, quod necessaria sit expressio Beneficii, quod antea quis obtinuerit in postulatione et assecutione secundi, absolutissimum tamen est, quod in cæteris gratiis, et concessionibus nullibi cautum reperitur, quod mentio primæ haberi debeat in concessione secundæ gratiæ, sed hæc absque mentione prioris validissima semper reputatur. » Sed mox dicta *Decisio* est sub *revisione*.

DISPENSATIO IN BIGAMIA.

Vide verb. Bigamia.

DISPENSATIO IN FESTORUM OBSERVANTIA.

Vide verb. Festum.

DISPENSATIO IN JEJUNIO.

Vide verb. Jejunium.

DISPENSATIO IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Vide verb. Impedimenta matrimonii, *art.* 3.

DISPENSATIO AB IRREGULARITATE.

Vide verb. Irregularitas, *art.* 3.

DISPENSATIO IN JURAMENTIS ET VOTIS.

Vide verb. Juramentum *et* votum.

DISPENSATIO IN POENIS SIMONIÆ.

Vide verb. Simonia.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

Articulus I. — *Quid, et quæ sint Distributiones quotidianæ, et a quibus acquirantur?*

1. Distributiones quotidianæ ita dicuntur, quia juxta cujusque merita, ac laborem, et qualitatem distribuuntur. — 2. Distributiones quare dicantur quotidianæ. — 3. Distributiones quotidianæ aliæ sunt, quæ non distinguuntur a Præbendis, et aliæ, quæ distinguuntur, et quæ sint utræque, *ad n.* 4. — 5. Distributionum quotidianarum propria definitio. — 6. Distributiones hujusmodi non veniunt in appellatione fructuum, seu reddituum, et proventuum. — 7. Distributiones non comprehenduntur in regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo. — 8. Distributiones quotidianæ institutæ sunt in gratiam cultus divini. — 9. Jus percipiendi Distributiones quotidianas competit Cathedralium, et collegiatarum Ecclesiarum Canonicis divinis officiis interessentibus. — 10. Distributiones debentur his tantum qui vere intersunt divinis Officiis, non vero his qui ficte resident, aut juris fictione. — 11. Unde non sufficit interessentia in Ecclesia, sed requiritur actualis interessentia in Choro. — 12. Distributiones quotidianas lucratur in absentia Can. infirmus. — 13. Sic Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui ad Ecclesiam se conferre non potest, quia est debilis in cruribus, vel tibiis. — 14. Vel quia podagra laborat. — 15. Vel quia est cæcus, et propterea Missas celebrare, et divina officia recitare non potest. — 16. Vel quia medicinam sumit, aut sanguine minuitur. — 17. Vel quia lepra, aut alio morbo contagioso cogitur ab Urbe discedere. — 18. Vel quia sanitatis causa ad balnea, vel ad alium locum iret. — 19. Sic etiam lucrantur senio confecti, si alias residere soliti erant. — 20. Similibus infirmitatibus de-

Digitized by Google

tenti possunt Distributiones quotidianas percipere, quamvis propria culpa in eas inciderint, cum non sit addenda afflictio. — 21. Nec obstat statutum contrarium Capituli, ut ægrotis, vel ex quavis causa absentibus non dentur Distributiones. — 22. Nec etiam obstat consuetudo non percipiendi Distributiones in absentia. — 23. Nec tempus, quo Canonicus fuit infirmus, computandum est pro tempore vacationum. — 24. Immo Canonici infirmi percipere debent etiam portionem accrescentem. — 25. Tales tamen Distributiones debentur solum illis Canonicis infirmis, qui dum, sani erant, divinis Officiis interesse solebant. — 26. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus in absentia, ratione justæ, et rationabilis corporalis necessitatis. — 27. Distributiones quotidianas lucratur injuste carceratus. — 28. Injuste excommunicatus, et postea absolutus per sententiam, quæ in rem judicatam transivit, lucratur Distributiones quotidianas. — 29. Canonicus expulsus a Civitate propter seditiones absque sua culpa, debet integras percipere Distributiones. — 30. Sic Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui ex facto Principis temporalis loci, residere non potest, etc. — 31. Distributiones quotidianæ debentur Canonico absenti, ut injustam Judicis vexationem redimeret. — 32. Distributiones quotidianæ debentur Canonico citato ob causam criminalem, qui se innocentem exhibuit, ac propterea a servitio Ecclesiæ abfuit, licet statuto Ecclesiæ absentes per sex menses universam illius anni portionem amitterent. — 33. Canonicus, qui de crimine inquisitus, et condemnatus fuit, appellavitque, et fuit absolutus, debet percipere Distributiones totius temporis, quo propter eam causam horis Canonicis non potuit interesse. — 34. Distributionibus quotidianis gaudere debet Canonicus, qui inquisitus de homicidio, et factus contumax infra annum comparuit, et factis defensionibus in carceribus, fuit absolutus, et innocens declaratus, etc. — 35. Distributiones quotidianæ debentur Canonico legitime impedito pro toto illo tempore, quo fuit impeditus inservire. — 36. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus in absentia, ratione evidentis Ecclesiæ utilitatis. — 37. Absens pro defensione Jurium ipsius Ecclesiæ, vel sui Beneficii, lucratur fructus et Distributiones quotidianas. — 38. Canonicus Procurator Capituli, et pro negotiis Capituli absens lucratur Distributiones quotidianas. — 39. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus a Choro absens occasione servitii curæ ejus Canonicatui annexæ. — 40. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui accedit Romam pro servitio Episcopi, qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiamsi dictus Canonicus veniat post Episcopum, et non simul. — 41. Sic etiam Distributiones lucrantur Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad limina Apostolorum eorum nomine. — 42. Canonico in Urbe commoranti, si deputetur ab Episcopo suo ad visitanda limina, debentur Distributiones unius Mensis. — 43. Si vero Episcopum ad visitanda limina commitasset, tunc Distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis, et recessus; quod tempus Sacra Congregatio Concilii constituit esse trium mensium. — 44. Distributiones quotidianas lucrantur Canonici inservientes Episcopo Pontificaliter in Civitate, vel in Suburbiis, non autem in alio loco, vel comitantes in Visitatione. — 45. Distributiones debentur Canonico proviso ab Ordinario Cardinale vigore Indulti pro tempore, quo Ecclesiæ inservivit, etiamsi fuerit postea coactus capere novam possessionem Apostolicam, et primæ renunciare, tamquam invalidæ. — 46. Archidiaconus, vel Canonicus visitans Ecclesiæ jura, vel redditus suæ præbendæ, non amittit Distributiones. — 47. Canonicus Pœnitentiarius si dum recitantur divina officia, audiat in Ecclesia Confessiones, percipit quotidianas Distributiones. — 48. Etiamsi audiat Confessiones peccatorum venialium, et non reservatorum. — 49. Pœnitentiarius, dum actualiter audit Confessiones, non solum lucratur Distributiones quotidianas, sed etiam eleemosynas, quæ distribuuntur pro associandis, et sepeliendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus, et processionibus, quæ peraguntur. — 50. Theologus, seu obtinens Præbendam Theologalem diebus, quibus legit, habendus est tamquam præsens in Choro, non modo pro illis horis, ut si mane legat, pro horis Matutinis, et Missa solemni, sed etiam pro tota die, et percipere potest Distributiones. — 51. Canonici privilegiati super fructibus in absentia percipiendis, si redditus omnes in his distributionibus consistant, lucrantur de jure communi sine diminutione hujusmodi Distributiones. — 52. At post Concilium Tridentinum Canonici sic absentes percipere debent solummodo duas tertias illarum partes. — 53. Canonici, qui Papæ, vel Cardinalibus inserviunt cum Indulto percipiendi Distributiones pro diebus, et horis, quibus actualiter in servitio occupantur, gaudent Distributionibus, et etiam fallentis absentium. — 54. Distributiones debentur Canonico pro tempore quo sine salario Organum pulsat. — 55-77. Nonnulla ex Inst. Eccl. Benedicti XIV. excerpta quoad eos qui privari debeant Distributionibus. — 78. 80. Distinctio inter Distributiones quotidianas et fructus quos vocant *Grossos*. — 81. Distributiones quotidianæ non veniunt nomine fructuum Beneficii. — 82. 84. Possunt venire voluntate Papæ. — 85. 86. Neque ut Regul. Cancellariæ. — 87. Non subjiciuntur Distributiones quotid. Spolio. — 88. An quis possit ordinari ad titulum Beneficii, cujus redditus unice consistant in Distributionibus.

ARTICULUS II. — *Distributiones quotidianæ a quibus amittantur, seu non acquirantur.*

1. Distributiones non lucrantur Canonici sine legitima causa absentes, quamvis consuetudine sit introductum, ut Distributiones absentibus debeantur. — 2. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico Vicario Generali absenti a Choro ratione officii Vicariatus, quamvis ab immemorabili observatum sit, ut debeantur. — 3. Distributiones quotidianas non lucratur Canonicus inserviens Episcopo in Missis privatis. — 4. Distributiones non lucrantur Canonici associantes Episcopum volentem quandoque audire Missam in Ecclesia non Cathedrali Civitatis. — 5. Canonici assistentes Episcopo non Pontificaliter celebranti non lucrantur distributiones. — 6. Non lucrantur distributiones Canonici inservientes Episcopo in Visitatione Diœcesis, aut in Monialibus velandis, aut in examine Ordinandorum, et promovendorum ad Beneficia, vel qui Seminario præsident, aut in Congregationibus S. Officii adhibentur. — 7. Episcopus Canonicus, dum abest ex causa visitationis suæ Diœcesis, non lucratur distributiones quotidianas. — 8. Distributiones quotidianas non lucratur in absentia Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ dum servit Episcopo Cardinali pro Caudatario. — 9. Neque distributiones quotidianæ debentur Canonico Cubiculario ad bussulam Sanctissimi, et propterea absenti a residentia. — 10. Familiares Papæ non percipiunt in absentia distributiones quotidianas. — 11. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico in publica Universitate docenti, si choro non intersit, quamvis omnes redditus in distributionibus quotidianis consistant. — 12. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico infirmo habenti Coadjutorem, si Coadjutor non resideat, punctatur tamen ad damnum ipsius Coadjutoris. — 13. Distributiones non debentur Canonico iniquisito, et postea absoluto, si hic haberet Coadjutorem, qui de tempore carcerationis, seu contumaciæ Coadjuti, inservire debuisset, et non inservivit. — 14. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico, qui fuit Romæ pro negotiis Capituli contra Episcopum. — 15. Canonici, qui sunt Officiales Tribunalis Inquisitionis, non lucrantur

Digitized by Google

in absentia distributiones, absque Speciali Sedis Apostolicæ indulto. — 16. Imo neque lucrantur distributiones Canonici ipsi qui funguntur munere Inquisitoris contra hæreticam pravitatem; sicuti neque Examinatores Synodales, dum similiter suo munere funguntur; Uti neque Canonici, qui voluntarie, non autem ex officio sese confessionibus audiendis exponunt. — 17. Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici celebrantes dum Divina officia recitantur, nisi ad celebrandum compulsi fuerint ab eo ad quem pertinet. — 18. Canonici absentes studiorum causa non lucrantur distributiones. — 19. Hoc tamen locum habet, si Canonicatus habeant fructus a distributionibus distinctos; Secus vero si redditus omnes in distributionibus consistant. — 20. Distributiones quotidianæ non debentur interessentibus Congregationibus Capitularibus tempore, quo divina celebrantur. — 21. Canonici absentes ratione peregrinationis, causa devotionis assumptæ non lucrantur distributiones. — 22. Canonici habentes privilegium Apostolicum percipiendi fructus Beneficiorum suorum in absentia, non per hoc lucrantur distributiones quotidianas. — 23. Distributiones, quæ dantur Canonicis, vel Præbendatis propriæ Ecclesiæ, quando aliquas Missas celebrant, debentur Coadjutoribus, nisi quando celebrant pro Coadjutis.—24. Dispensationes quotidianas non lucratur Vicarius Generalis, quando est Canonicus, nisi sedeat, et incedat cum habitu, et in suo loco ordinarie ac si non esset Vicarius. — 25. Sic etiam distributiones quotidianas non lucrantur Canonici, sive Dignitates Protonotarii, si Choro intersint cum habitu Protonotarii. — 26. Immo neque eas lucrantur etiam accedente consensu et concordia Capituli. — 27. Affertur etiam alia novissima decisio. — 28. Canonicus qui evasit surdus non lucratur distributiones, nisi præsentiam in choro præstet. — 29. Secus autem Canonicus factus cæcus. — 30. Canonicus dispensatus super ætate ad obtinendum Canonicatum cum clausula, quod se promoveri faciat perventus ad legitimam ætatem, amittit distributiones, si conditionem non curavit adimplere, quamvis Choro intersit. — 31. Distribut. a Canonicis absentibus amissæ accrescunt interessentibus, adeo ut ab Episcopo non possint applicari Fabricæ Ecclesiæ, aliisque usibus piis. — 32. Nec Canonici, non obstante statuto, consuetudine, aut pactione contraria possunt sibi invicem remittere, et condonare distributiones. —33. Non lucrantur distributiones Canonici quoties absunt a residentia occasione litium concernentium interesse suarum Præbendarum sine licentia Episcopi, quæ necessaria est. —34. Distributiones quotidianæ non debentur Canonicis infirmis, aut alio legitimo impedimento detentis, si alias sani, aut non legitime impediti non erant soliti inservire. — 35. Potest Episcopus statuere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint. —36. Non potest tamen Episcopus decernere ut canonici in Sacris non constituti non gaudeant distributionibus.— 37. Permitti non debet Capitulo, quod dum pro litibus, vel alia causa vult expensas facere, utatur distributionibus quotidianis. — 38. Episcopus, et Capitulum non potest amissas distributiones ob non residentiam, remittere aut condonare illi ipsi qui eas amisit. — 39. Secundum Barbosam et alios poterit Canonicus distributiones, quas alter amiserat, sibi jam applicatas, et traditas, postea illi ipsi donare. — 40. Cavendum est tamen, ne hac via detur occasio Clericis se abstinendi a Choro in diminutionem Divini cultus. — 41. Distributiones amittunt juste excommunicati, vel suspensi, vel interdicti. — 42. Distributiones amittunt Canonici non psallentes, et canentes in choro cum aliis. — 43. Distributiones quotidianas amittunt dormientes, et confabulantes in Choro, non in totum, sed proportionaliter pro parte correspondente defectibus. — 44. Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici, quando non cantant Missam Conventualem, seu Missam de die. — 45. Canonici, qui perceperunt distributiones pro tempore, quo servitium Ecclesiæ non præstiterunt, tenentur ad illarum restitutionem. — 46. Canonicus tempore Divinorum Officiorum organum pulsans, vel cum Musicis psallens amittit distributiones quotidianas, si ex ejusmodi munere certum aliquod stipendium obtineat *ad n.* 49. — 50-52. De causis de quibus absentes possunt necne percipere Distributiones. — 53. Non est absolute verum quod Distrib. a Canonicis absentibus amissæ accrescant inservientibus.

ARTICULUS III. — *Adducuntur summaria varia decreta ad rem facientia, prout referuntur a D. Ursaya.*

ARTICULUS I.

Quid, et quæ sint distributiones quotidianæ et a quibus acquirantur?

(1. Distributiones quotidianæ secundum nominis etimologiam ita dicuntur, quia juxta cujusque merita, ac laborem, et qualitatem distribuuntur; nam distribuere est suum cuique tribuere, l. 1. ff. *familiæ erciscund.* Rota par. 5. recent. dec. 115, n. 20. (2. Dicuntur autem quotidianæ, sive quia quotidie distribuuntur iis qui quotidie Horis Canonicis, divinisque officiis intersunt, quasi quotidianum, et diurnum stipendium. Rota cit. part. 6, dec. 115, n. 23. Barbosa lib. 3 Juris Eccles. univ. c. 18, n. 4, et de Canonicis cap. 11, num. 3, cum plurimis ibi citatis. (3. Distributiones aliæ sunt, quæ non distinguuntur a præbendis, sed ipsæmet præbendarum vice funguntur, ut sunt distributiones illarum Ecclesiarum, quarum fructus omnes in communi reponuntur, et singulis diebus distribuuntur cuilibet Canonico præsenti pro victu, de quibus in c. *Olim*, de verb. signific. et apud Decian. cons. 43. col. 1. Menoch. cons. 436, n. 25.

(4. Aliæ vero sunt distributiones à præbendis separatæ, atque distinctæ, quales sunt distributiones illarum Ecclesiarum, in quibus Canonici certas habent præbendas et præterea quotidianas distributiones, quæ dantur interessentibus Divinis Officiis, de quibus in c. *Quia* 15, de Rescript. in 6, et in c. unic. de Cler. non resident. eod. in 6 et in c. ultim. de Concession. præbend. pariter in 6. Paris. cons. 32, n. 7, et cons. 34, n. 4. cum seq. vol. 4. Covarr. lib. 3. Variar. Resol. cap. 13, n. 1. Gallet. in Margarita Casuum conscient. verb. *Distributiones* 2.

(5. Distributiones quotidianæ proprie loquendo definiuntur, quod sint stipendia quædam personalia, quæ ex redditibus Ecclesiæ (præter Præbendam, aut portionem certam pro Beneficio competentem) Canonicis, et Beneficiatis, seu Clericis Cathedralium, et aliarum Collegiatarum Ecclesiarum divinis officiis interessentibus pro divino officio tribuuntur. (6. Distributiones hujusmodi non veniunt appellatione fructuum, seu redditum, et proventuum istius, vel illius Beneficii, cum sint redditus casuales, et incerti, qui acquiruntur labore et interventu in divinis, cap. *Licet* 32. de Præbend. cap. unic. de Cler. non resident. in 6. cap. *Quoniam* 8.

Digitized by Google

§ *In illis*, de concess. Prœbend. etiam in 6. Rota part. 15. recent. dec. 61. n. 1. Cassad. dec. 1. de Cleric. non resident. Covarr. lib. 3 Variar. resolut. cap. 13. n. 1. Fagnan. lib. 3. Decretal. in cap. *Licet* 32. de Prœbend. num. 3. et sequent. et lib. 5. cap. *Prœterea* 1. *Ne Prælati vices suas*; Barb. lib. 3 Juris Eccles. univers. cap. 18. n. 8. *de Canonicis* cap. 21. n. 6. (7. Propterea non comprehenduntur in regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo; Felinus alios citans in c. *Ad aures*, de Rescript. n. 14. Covarr. lib. 3 Variar. Resolut. cap. 13, n. 1. Fagnan. loco cit. (8. Distributiones quotidianæ institutæ sunt in gratiam cultus divini, ut sic Canonici, et Capellani promptius, ac frequentius, pro officiis divinis recitandis ad Ecclesiam convenirent, cap. unic. de Cleric. non resident. in 6. Clementin. *Si Dominum*, de Relig. et Venerat. Sanctorum; Rota part. 8. decis. 24. num. 17 et 18, et Annotât. ad decis. 576. num. 70. et 101. et sequent. part. 4. tom. 3, quia talis interest pro denario, qui non interesset pro Deo, ut inquit Hostiens in c. *Olim*, de verbor. Significat. num. 2. in vers. *Et manualia*, et Fagnan. ibid. n. 42. Et propterea ut neque in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus rebus obsequium præstetur, Concilium Trid. sess. 21, cap. 3 *de ref.* sic præcise ordinavit : « Statuit Sancta Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, Portionum, et Officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, et cæteris divinis interessentes, proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur. » Sunt præcisa verba Concilii.

(9. Jus percipiendi quotidianas distributiones competit Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis divinis officiis interessentibus, cap. *Licet* 32 de Prœbend. cap. unic. de Cler. non resident. in 6. *Clementin.* 2 de ætat. et qualitat. et Extravagant. *Cum nonnulla* 1, § *Prœterea*, de Prœbend. inter commun. et Conc. Trident., sess. 21, cap. 3, de Reform. et sess. 24, c. 12, de Ref. Rota p. 3, dec. 473, n. 1, et dec. 689, n. 7, ag. 10 dec. 135, n. 3, par. 13, dec. 233, n. 22 et 25, et sæpe alibi. (10. Debentur autem distributiones his tantum, qui vere intersunt divinis officiis, non vero his, qui ficte resident, aut juris interpretatione; c. *De cætero*, de Cler. non resident. Fagnan., l. 3 Decretal. in cap. *Licet* 32, de Prœbend. n. 102, quia ad ipsas lucrandas non solum requiritur præsentia, sed etiam interessentia corporalis in Choro; Rota part. 5, tom. 1, dec. 22, n. 14. Annotat. ad decision. 576, n. 112 et sequent., et n. 129 et seq., part. 4, tom. 3, et dec. 449, num. 7, part. 14. (11. Unde non sufficit interessentia in Ecclesia, etiamsi

Canonicus esset in Ecclesia celebrans eo tempore, quo horæ Canonicæ cantantur in Choro, sed requiritur actualis interessentia in ipso Choro, dicta Annot. ad dec. 576, n. 131, part. 4, tom. 3. Canonici enim celebrantes, dum divina officia recitantur, lucrantur solum distributiones, si ad celebrandum compulsi fuerint ab eo, ad quem pertinet, vel si consuetudine fuerit introductum, quod Clerici recedentes a Choro ad celebrandam Missam, dum præces Horariæ recitantur, eas lucrentur; secus vero si compulsi non fuerint, et consuetudo id non habeat; Sacra Congregat. Conc. in Calliensi 19 Junii 1628, in resp. ad 4. Et in Oriolen. 27 Martii 1632, in respons. ad 12, et tenet Gonzalez, ad regul. 7 Cancell. § 7 proœm. n. 18. Piasec. in Praxi Episcop. part. 2, cap. 3, num. 8, et cum multis aliis Barbosa lib. 3 Jur. Eccl. univ., cap. 18, n. 77.

(12. Distributiones quotidianas lucratur in absentia Canonicus infirmus; cap. unic. de Cler. non resident. in 6, et Glossa ab omnibus approbata ibid. in verb. *Infirmitas*, et sic semper respondit Sacra Congregatio Concilii teste Fagnan. l. 3, Decret. in c. *Cum percussio* 1, de Clerico ægrotante n. 29. Barbosa in Coll. Apostolic. dec., verb. *Distributiones quotidianæ* n. 17. Marcias de Benefic. p. 3, cap. 2, n. 362, et tenuit Rota part. 1 recent. D. 61, n. 7, par. 2, dec. 197, n. 2, et Annotat. ad dec. 576, n. 125, p. 4, tom. 3, et sæpe alibi. (13. Sic distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui ad Ecclesiam se conferre non potest, quia est debilis in cruribus, vel tibiis; Barbosa l. 3, Juris Eccles. univers. cap. 18, n. 56, cum aliis ibi citatis. (14. Vel quia podagra laborat; huic enim deberi quotidianas distributiones censuit Sacra Congregatio, teste Fagnano lib. 3, dec. in c. *Licet*, de Prœbend. n. 142. (15. Vel quia est cæcus, et propterea Missas celebrare, et divina officia recitare non potest; Sacr. Congregatio Conc. 20 Jul. 1619. Sicut etiam Canon. post adeptum Canonicatum utroque lumine orbatus distributiones lucratur, absque eo quod Divinis intersit; S. C. C. sub die 26 Jan. 1616. (16. Vel quia medicinam sumit, aut sanguine minuitur; Jacob. de Graff. in aureis Doc. part. 2, lib. 3, c. 15, n. 10. Moneta, Trullench. Sanctarell. et alii cum Barbosa l. c. n. 59. (17. Vel quia lepra, aut alio morbo contagioso cogitur ab Urbe discedere; Barbosa cum supradictis loco. cit. n. 61. (18. Vel quia sanitatis causa ad balnea, vel alium locum iret; Idem Barbosa cum iisdem loco cit. n. 60. (19. Extenditur insuper, ut habeat locum etiam in senio infectis, quibus Sacra Congregat. declaravit quotidianas distributiones deberi, si alias residere sint soliti, ut refert Fagn. loc. c. n. 146, et Barbosa d. lib. 3, n. 64. Collectan. Apost. dec. verb. *Distributiones quotidianæ* n. 4. (20. Et his omnibus infirmitatibus detenti possunt distributiones quotidianas percipere, quamvis propria culpa in eas inciderint, c. *Cum infirmitas*, de Pœn. et remiss. Et ratio est, quia etsi tales propria culpa sint impediti,

Digitized by Google

hoc tamen impedimentum nec à Jure, nec ab homine sed ab ipso Deo illatum est; ut innuit textus in c. *Cum percussio*, 2, caus. 7, qu. 1, ibi : « Cum percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc Judicium ignoratur, et ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio, » et sic præcise statuit Sacra Congregatio Concil. teste Fagnano loc. cit. n. 147. Cum non sit addenda afflictio afflicto, cit. c. *Cum percussio*, c. Ex part. 5, de Cler. ægrot. c. *Licet* 4, de Censibus cum similibus.

(21. Nec obstat statutum Capituli contrarium, ut ægrotis, vel ex quavis causa absentibus, non dentur distributiones, quia hujusmodi statum Sacræ Congreg. Concilii teste Fagnano loc. c. n. 138, censuit non esse confirmandum, cum sit irrationabile, et contra bonum Ecclesiæ, ut constat ex cap. 1, de Clerico ægrotant. ibi : « Quia si alii ejus essent exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri. » (22. Nec etiam constat consuetudo non percipiendi distributiones in absentia, quia distributiones quotidianæ debentur infirmis absentibus, etiam non probata consuetudine illas in absentia percipiendi, ut clare probatur in cap. unic. de Cler. non resident. in 6, ubi ex regula, quæ præmittitur de distributionibus quotidianis in absentia non percipiendis, excipiuntur primo loco ii, quos infirmitas excusaverit. (23. Nec tempus, quo Canon. fuit infirmus, computandum est pro tempore vacationum, ut declaravit Sacr. Congreg. teste Fagn. l. c. n. 140. (24. Immo Canonici infirmi percipere debent etiam portionem accrescentem. Sic decrevit Sacra Congregatio Concil., ut refert Fagnan. l. c. n. 139. (25. Declaratur tamen, quod tales distributiones debeantur solum illis Canonicis infirmis, qui, dum sani erant, divinis officiis interesse solebant, alias enim distributiones quotidianas non lucrantur, quia morbus non est causa non residendi in eis, qui etiam sani non resedissent; Rota in una Hispalensi Distributionum 2 Maii 1603 coram Coccino, Joan. And. Card. et Abbas in cap. *Ad audientiam*, de Cler. non resident. et in cap. *Cum percussio*, de Clerico ægrotante; Fagn. l. c. n. 148. Felin. in cap. *Apostolicæ*, de Except. num. 12, ubi dicit ita omnes tenere.

(26. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus in absentia, ratione justæ et rationabilis corporalis necessitatis, cap. unic. de Cleric. non resident. in 6, ubi tamen adverte, quod non quodlibet impedimentum corporale excusabit, sed illud tantum, quod præsefert justam et rationabilem aliquam necessitatem, veluti si injuste quis in carcerem mittatur, vel inique excommunicetur, vel sine culpa a Civitate sit expulsus, vel aliis similibus casibus, ut in dict. c. unic. num. 17, exemplificat Barbosa. (27. Quod distributiones quotidianas lucretur injuste carceratus, decrevit Sacra Congr. Episcop. et Regul. sub die 5 decembris 1600. Et Sacra Congregat. Concil. sub die 19 Maii 1626 respondit distributiones quotidianas, consuetudine contraria non obstante, deberi Canonico pro toto illo tempore, quo propter denegationem distributionum in tempore indebitæ incarcerationis abfuit a residentia. Et eadem Sacr. Congr. Concil. in Lucian. 16 Februar. et 8 Maii 1627, censuit distributiones deberi Canonico pro tempore, quo fuit Romæ carceratus, vel ibi ex causa detentus. (28. Canonico injuste excommunicato, ac postea per sententiam absoluto, quæ in rem judicatam transivit, deberi distributiones quotidianas, et si quæ alia sunt emolumenta, quæ ab infirmis percipi consueverunt, censuit Sacra Congreg. Concil. ut refert Fagnan. loco cit. n. 156. Excommunicatus enim injuste potest repetere fructus medii temporis, ut tradit Glossa communiter recepta in cap. *Super causa* 2, qu. 4. et Glossa final. in cap. *Pastoralis*, § *Verum*, de Appell.

(29. Canonicus expulsus a Civitate propter seditiones absque sua culpa a contrariæ factionis hominibus, debet integre percipere quotidianas distributiones. Sic communiter Doctores cum Fagnan. loc. cit. n. 151. (30. Distributiones enim quotidianas lucratur Canonicus, qui ex facto Principis temporalis loci residere non potest, sed interea debet curare Canonicatum resignare, vel permutare, aut rationem aliquam inire, qua et suæ, et Ecclesiæ indemnitati consultum sit, ut censuit Sac. Congr. Conc. in Carpen. 17 Septembris 1616. (31. Distributiones quotidianæ debentur Canonico absenti, ut injustam Judicis vexationem redimeret; Sacr. Congr. Concil. teste Fagnan. l. cit. n. 154

(32. Item distributiones quotidianæ debentur Canonico citato ob causam criminalem, qui se innocentem exhibuit, ac propterea a servitio Ecclesiæ abfuit, licet ex statuto Ecclesiæ absentes per sex menses universam illius anni portionem amitterent; Sic eadem Sacra Congreg. ut testatur idem Fagnan. num. 155. (33. Canonicus, qui de crimine inquisitus, et condemnatus fuit, appellavitque, et fuit absolutus per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam transivit, debet utique percipere nedum fructus, sed etiam distributiones quotidianas totius temporis, quo propter eam causam horis Canon. non potuit interesse; Ita eadem Sacr. Congreg. Conc. ut expresse testatur Fagnan. l. c. n. 156, et Sacr. Cong Episcop. et Regul. in Lucerina 17 Augusti 1696. (34. Distributiones quotidianas lucrari debet Canonicus, qui inquisitus de homicidio, et factus contumax infra annum comparuit, et factis defensionibus in carceribus, fuit absolutus, et innocens declaratus, ab ea die scilicet eas lucratur, qua se præsentavit in carceribus, non vero antea, tempore scilicet quo fuit contumax; Sacr. Congr. Conc. sub die 10 Novembris 1618. (35. Distributiones quotidianæ debentur Canonico legitime impedito pro illo tempore, quo impeditus fuit inservire; Sac. Cong. in Alexandrina 7 Septembris 1630. Rota part. 14, dec. 190, num. 4 et part. 15, decis. 100, num. 3.

(36. Distributiones quotidianas lucratur Cononicus in absentia ratione evidentis Ecclesiæ utilitatis; cit. c. unic. de Cler. non

Digitized by Google

resident. in 6. Sacra Congr. Concil. sub die 31. Januarii 1603. Rota part. 1. dec. 61. num. 7. et Annotat. ad dec. 576. n. 125 et 178. et sequent. part. 4. tom. 3. (37. Absens pro defensione jurium ipsius Ecclesiæ vel sui Beneficii lucratur fructus, et distributiones quotidianas; Rota in Astensi Fructuum, et distributionum 15 Martii 1615, coram Manzanedo, et in Calaguritana Fructuum, et distributionum 26 Martii 1614, coram Ubaldo, et sic decrevisse Sacram Congr. Conc. refert Garcias in addit. ad tractat. de benefic. part. 3, cap. 2, num. 49 et iterum sic decrevit ead. Sac. Congr. Conc. in Lauretana 16 Julii 1695. (38. Canonicus Procurator Capituli, et pro negotiis Capituli assistens, tamquam præsens reputandus est, et habere debet distributiones quotidianas; Sacr. Rit. Congr. in Saonensi 21 Aug. 1604. (39. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus a Choro absens occasione servitii Curæ ejus Canonicatui annexæ, tamquam si esset præsens, ex Concil. Tridentin. sess. 22, cap. 3, ideoque Episcopus Curam animarum eidem Canonico auferre, et Mansionario sibi, ejusque successoribus beneviso conferre non debet; Sac. Congreg. Episcop. et Reg. in Lauden. 24 Novembris 1617. (40. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui accedit Romam pro servitio Episcopi, qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiam quod dictus Canonicus veniat post Episcopum, non autem simul; Sacr. Congreg. Concil. die 9 Sept. 1623. (41. Sic etiam distributiones lucrantur Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad limina Apostolorum eorum nomine. Sic decisum fuisse a sacra Congreg. Concil. refert Garcias de benefic. part. 3, cap. 2, num. 438, et Barbosa Collectan. Apostolic. dec. verb. *Distributiones quotidianæ* n. 11. (42. Canonico autem in Urbe commorante, si deputetur ab Episcopo suo ad visitandum limina, debentur ei distributiones unius mensis; Sacra Congreg. in Vigilien. 6 Jan. 1682. (43. Si vero Episcopum ad visitandum limina comitasset, tunc distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis, et recessus; Ead. Sac. Cong. Conc. in Comen. 28 Augusti 1688. Quoad tempus ead. Congregatio Concil. constituit esse trium mensium in una Vasionen. 17 Aprilis 1627. (44. Distributiones quotidianas lucrantur Canonici inservientes Episcopo pontificaliter celebranti in Civitate, vel in suburbiis, non autem in alio loco, vel comitantes in Visitatione; Sacra Congreg. Concil sub die 7 Maii 1600. (45. Distributiones debentur Canonico proviso ab Ordinario Cardinale vigore Indulti pro tempore, quo Ecclesiæ inservivit, et possessionem habuit vigore hujus provisionem, etiamsi fuerit postea coactus capere novam possessionem Apostolicam, et primæ renuntiare, ex eo quod detectum fuit primam provisionem fuisse invalidam, quia Beneficium erat de jure patronatus Sedis Apostolicæ, et ejus provisio spectabat ad Papam. Sacra Congregat. Concilii in Ferrariensi 21 Aug. 1627.

(46. Archidiaconus, vel Canonicus visitans

Ecclesiam, jura, vel redditus suæ præbendæ, non amittit distributiones quotidianas, cum visitando prædicta jura, et loca serviat Ecclesiæ in re utili. Si vero non visitaret propriam Ecclesiam suæ Diœcesis, etiamsi illam visitaret ex officio, et jure sibi competenti, tunc non potest percipere distributiones quotidianas, ut referunt decisum Moneta de Distributionibus q. 11, n. 68. Garcias de benefic. part. 3, cap. 2, num. 332. Barbosa de Canonicis, et dignitatibus, cap. 24. num. 4, et de offic. et potest. Episc. part. 3, allegat. 53, num. 126. (47. Canonicus Pœnitentiarius, si dum recitantur divina officia, audiat in Ecclesia Confessiones, percipit quotidianas distributiones, ac si præsens esset in Choro; Concil. Trident. sess. 24. cap. 8. Sac. Cong. Concil. in Theatina 18 Aprilis 1643; et sic decisum fuisse referunt Aloysius Riccius in praxi for. Eccles. decis. 498, in prima editione, Moneta de Distributionibus quotidianis part. 2. qu. 11, num. 64 cum sequentibus; Barbosa lib. 3. Juris Eccles. univers. cap. 18. num. 42. et de offic. et potest. Episc. part. 3. allegat. 55. num. 30. Fagnan. loco cit. num. 170. (48. Etiamsi audiat Confessiones venialium peccatorum, et non reservatorum, ex responsione Sacræ Congregationis teste Fagn. loco cit. n. 170. (49. Pœnitentiarius non solum censetur præsens in Choro, dum actualiter Confessiones audit, ad lucrandas distributiones quotidianas, sed etiam eleemosynas ipsas, quæ distribuuntur pro associandis et sepeliendis cadaveribus Defunctorum, vel pro supplicationibus, et processionibus, quæ per Urbem aguntur. Ita decisum fuisse refert Garcias in addit. ad partem 5. cap. 4, n. 125, et Fagnan. loc. cit. num. 171. (50. Theologus, seu obtinens præbendam Theologalem diebus, quibus legit, habendus est tamquam præsens in Choro, non modo pro illis horis, ut si mane legat pro horis matutinis, et Missa solemni, sed etiam pro tota die, et percipere potest distributiones quotidianas. Ita declarante Gregor. XIII. decisum referunt Naldus verb. *Distributiones* num. 9; Gonzal. ad Regul. 8. Cancel. § 7. proœm. n. 180. Monet. de distr. quotid. part. 2. quæst. 19. num. 27. et qu. 11. num. 75. Barbosa l. 3 Juris Eccl. univers. cap. 18. n. 43. Fagn. loc. c. num. 116. (51. Canonici privilegiati super fructibus in absentia percipiendis, si redditus omnes in his distributionibus consistant, lucrantur de jure communi sine diminutione hujusmodi distributiones, textu expresso in c. *Olim* 16 de verb. Significat. ibi: « Plene sicut uni ex aliis residentibus. » (52. At post Concil. Tridentinum quod in cap. 3, sess. 21, jubet converti tertiam partem fructuum in distributiones quotidianas, Canonici sic absentes percipere debent tantummodo duas tertias illorum partes, amissa alia tertia, quæ inservientibus accrescit; Fagnan. in c. *De cætero*, de Cleric. non resident. a num. 29 usque in fin. et in cap. *Licet*, de præbend. n. 126. et in c. *Olim*, de verb. Signif. a n. 36 usque ad 40. (53. Canonici, qui Papæ vel Cardinalibus inserviunt, cum

Digitized by Google

Indulto percipiendi distributiones pro diebus, et horis, quibus actualiter in servitio occupantur, gaudent distributionibus, et etiam fallentiis absentium; Sacr. Congreg. in Romana punctatur. 27 Januar. 1691.

(54. Distributiones debentur Canonico pro tempore, quo sine salario Organum pulsat; Sac. Congreg. Episc. in Nolana 23 Sept. 1639; in Triventina 22 Novembr. 1641.

(55. Juvat hic ad rem e penu Institut. Eccl. Benedicti XIV, sequentia utpote scitu valde digna, et in praxi servanda, depromere.

Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. de Ref. mandat, ut separetur e massa Capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentes divinis officiis assistentes, ut supra traditum est sub n. 8. Addit vero idem Concilium, quod si dignitates, et personatus Ecclesiarium Parochialium, et collegiatarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur « Fabricæ Ecclesiæ vel alteri pio loco arbitrio Ordinarii. » Quod postremum intelligitur de dignitatibus reddilus suos habentibus a mensa Capitulari discretis; nam illæ, quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed distributiones illæ accrescunt præsentibus; Instit. Eccl. 107, § 41.

(56. Vetat insuper Sacrum Concilium sess. 24, c. 12, de Reformat. ne Chorales secum invicem paciscantur, ne mulctentur absentes. Vetat etiam, ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint, cui Decreto insistens S. Congregatio Concilii semper negavit valere istas condonationes; ibid. § 42.

(57. Hoc tamen non obstante, fas est Episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. Congregatio; ib. § 44.

(58. Cæterum cum Sacrum Concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos, quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat: hinc Sacra Congregatio censuit in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin et si quis discedens a Civitate sanus proponens reditum ad Civitatem post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in Civitate, ut ex decreto S. Cong. ib. § 46.

(59. Verum non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper; nam si quis cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc et si ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit S. Congr. ibid. § 47.

(60. Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur adesse Choro non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit S. Congr. ib. § 48.

(61. Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, et non solum ex ea, qua se admitti ut præsens postulavit, censuit Sacr. Congr. ibid. § 49.

(62. Quin nec teneri illum substituere alium pro onere missarum in Collegiata, eadem S. Congregatio alio Decreto censet; ibid.

(63. Quando pestis grassatur (quod judicium Episcopo remittitur) Canonici, qui se absentant ab Urbe vel oppido, distributiones lucrantur, ut ex Decreto S. C. ibid. § 50.

(64. Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse Choro vexationibus injustis coacti se e loco subducunt, ut ex Decreto Sac. Congr. ibid. § 51.

(65. Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum, transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est; ex Decretis S. C. ut ibid. § 52.

(66. Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam; sicut etiam qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *non molestetur*; non vero ea, qua absolvitur cum *ex quo satis*; ibid. § 53.

(67. Ex evidenti Ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit Bonifacius VIII, in cap. *Unde Cleric. non resident.* in 6. Quare absens a Choro causa negotiorum Ecclesiæ suæ, vel Capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. C. ibidem, § 54.

(68. Itaque Canonicus Theologus qua die legit, potest non amissis distributionibus a Choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit Sacr. Congreg. ibid. § 55.

(69. Hinc etiam Canonicus Pœnitentiarius, vel alius Canonicus ab Episcopo deputatus in ejus locum, dum actu audit confessiones, tuto abest a choro, et distributiones obtinet. Si vero abiit dum actu non audivit confessiones, distributiones minime percipit; ibid.

(70. Qui habet curam animarum in ea Ecclesia, in qua est Canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, quæ spectant ad curam animarum, distributiones quotidianas obtinet, ibid. § 56.

(71. Animadvertendum est, Canonicos non præsentes, de quibus supra diximus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis Anniversariorum, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes, ut ex Decreto Sacræ Congr. ibid. § 62.

(72. Demum distributiones etiam quotidianas obtinent Canonici, et beneficiati, qui interdum infra annum intra domum Religiosam clausi exercitia spiritualia præstant cum licentia Episcopi; non tamen si in Adventu, Quadragesima, et Festis solemnibus id agunt; et ita agunt, ut servitio Chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex Encyclica Clementis XI, ibid. § 63.

(73. Distributionibus etiam quotidianis non privantur Canonici, et Mansionarii emeriti, sive si Coadjutorem habeant; ib. Debent tamen indultum hoc obtinuisse a Sacr. Congr. vi cujus nec loci residentia adstringuntur. Quamquam possunt ab Episcopo com-

Digitized by Google

pelli ad assistendum Choro, si cultus divinus detrimentum patiatur; ibid. § 64.

(74. Porro si Coadjutor sive intra Civitatem ægrotet, sive extra, non tenetur Coadjutus assistere Choro, et nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis quæ præsentibus accrescunt; ibidem § 65.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(75. Interest, et quidem ad plures effectus, distinguere Distributiones quotidianas a fructibus; quos vocant *Grossos*. Hæc autem statuta est Regula. Si redditus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, de qua agitur, dividuntur ratione Beneficii, nullo prorsus habito respectu ad servitium, sunt fructus *Grossi;* Sin autem dividuntur non beneficii, sed servitii ratione, et ut dici solet, per *punctos*, seu *punctaturas*, ita ut major, vel minor sit portio uniuscujusque, prout majus, vel minus fuerit præstitum ab ipso servitium, sunt Quotidianæ Distributiones; Ita ex text. in cap. unic. de Cleric. non residen. in. 6, tradunt Scharzius in decretal. lib. 3, tit. 4, § 33, n. 33; Cardinal. Petr. in commentar. ad Constitut. Apostol. Constit. 9 Bonifacii VIII, n. 28; Cardinal. de Luca de Canon. discurs. 16, n. 6, et rursus in Adnot. ad Concil. Trident. discurs. 15, num. 8. Alter de Luca in Animadv. ad Gratian. discept. forens. cap. 166, n. 5. Rota in recent. dec. 35, n. 17, part. 10. Et in hac ipsa sententia fuit Sac. Congregatio Concilii interpres in Capuana Spolii 9 Julii 1735.

(76. Adeoque verum est, dictos redditus esse Distributiones Quotidianas, et non fructus *Grossos*, si divisio fiat ratione servitii, ut procedat etiam, si divisio non in singulos dies, sed in fine anni fiat; Rota in recent. d. dec. 135, num. 7, part. 10, cor. Achill. de Grass. dec. 12, fer. per tot. de Præbend. et cor. (77. Cæsar de Grass. dec. unic. n. 8, de Cleric. non resident. et cor. Seraph. dec. 1140, num. 2, tum etiam si proveniant non ex oblationibus anniversariis, aliisque incertis emolumentis, sed ex fructibus Prædiorum; Cardinal. Petr. in Comment. ad Constit. 9 Bonifacii VIII, num. 28; Cardinal. de Luca de canon. discurs. 16, n. 6, et in Adnot. ad Concil. Trident. discurs. 15, n. 8; Rota in recent. dict. dec. 135. n. 7, par. 10.

(78. Regulariter nomine fructuum Beneficii non veniunt Distributiones Quotidianæ, prout veniunt fructus *Grossi*. (79. Limitatur vero hæc Regula concurrente in aliquo casu voluntate Papæ, ut distributiones veniant nomine fructuum Beneficii, eaque vel expressa vel tacita, ut sit in materia quæ latam amittit interpretationem. (80. Cæterum seclusa voluntate Papæ, vel expressa, vel tacita, firma remanet Regula, minimeque distributiones quotidianæ veniunt nomine fructuum Beneficii, præsertim si materia strictam exigat interpretationem; Fagnan. in cap. 16, n. 6, de verb. Signific. Torr. de Pact. futur. succes. lib. 2, cap. 28, num. 60, et sequent. Add. ad decis. 576,

n. 57, et plur. sequent. par. 4, tom. 3. (81. Idque etiamsi Beneficia, de quibus agitur, careant præbendis, redditusque habeant solummodo consistentes in quotidianis distributionibus; Card. Petra in Comment. ad Constit. Apost. Constit. 9. Bonifacii VIII, n. 28. Rota in recent. dec. 135, n. 7, par. 10.

(82. Qua de ratione distributiones quotidianæ non solum non veniunt nomine fructuum beneficii in Regulis Cancellariæ de valore fructuum experimendo, ut monet Auctor, n. 7, sed nec in Regula IV. (83. Cancellariæ perpetuo reservante dignitatem Collegiatæ, quæ sit principalis, tum redditus excedentes valorem decem florenorum auri de Camera; Cardinal. de Luc. de Benefic. discurs. 106, n. 2, et seq. et rursus de Jurepatron. discurs. 69, n. 8. Rigant. in Comment. ad Regul. Cancell. Regul. IV, § 2, n. 9, ubi quod procedat, etiamsi omnes redditus consistant in solis distributionibus; Rot. cor. Haunitz. decis. 26, n. 6.

(84. Spolio, ut de alio diverso effectu quotidianarum distributionum disseramus, haud subjiciuntur distributiones quotidianæ, prout distribuuntur fructus grossi; Marant. Respons. 24, fer. per tot. lib. 3; Ventriglia in prax. For. Eccles. tom. 3. adnot. 16, § 2. num. 21, et admisit Sac. Congregatio Concilii interpres in Capuana Spol. 9 Julii 1735.

(85. An autem quis possit ordinari ad titulum Beneficii, cujus redditus unice consistant in distributionibus quotidianis? Affirmant communiter Barbosa de Potest. Episcop. allegat. 19, num. 24; Marchin. de ordin. tract. 2, part. 6, cap. 6, differ. 5, n. 19; Campanilis in diversor. Jur. Canon. Rub. 8, cap. 5, n. 29; Boss. de Ordin. quoad tit. patr. § 17, n. 139.

ARTICULUS II.

Distributiones quotidianæ a quibus amittantur, seu non acquirantur.

(1. Distributiones non lucrantur Canonici sine legitima causa absentes, quamvis consuetudine sit introductum, ut distributiones absentibus debeantur. Talis enim consuetudo expresse reprobatur a Bonifacio VIII, in c. unic. de Cleric. non resident. in 6. ibi : *Consuetudinem... penitus improbantes*; et ob id sæpius respondit Sac. Congreg. decreto cap. 12, vers. *Distributiones* sess. 24, etiam immemorabilem consuetudinem fuisse sublatam, ut testatur Fagnan. in d. cap. *Licet*, n. 79. (2. Hinc distributiones quotidianæ non debentur Canonico inservienti Episcopo in officio Vicarii etiam pro illis horis, quibus ratione officii Vicariatus non intervenit Choro, etiamsi a tempore immemorabili observatum sit, ut debeantur; Sac. Congr. Conc. in Ritecten. 18 Dec. 1627. (3. Distributiones quotidianas non lucratur Cononicus inserviens Episcopo in Missis privatis Sacr. Congregat. Concil. 17 Maii 1619.

(4. Item distributiones non lucrantur Canonici associantes Episcopum volentem quandoque audire Missam in Ecclesia non

Digitized by Google

Cathedrali Civitatis; Sic Sacra Congreg. Concil. teste Fagn. loc. cit. num. 107, et iterum in Arianen. 17 Maii 1704. (5. Canonici assistentes Episcopo non pontificaliter celebranti non lucrantur distributiones; Eadem Sac. Congregat. teste eod. Fagnan. loc. cit. num. 108. (6. Item non lucrantur distributiones Canonici inservientes Episcopo in Visitatione Diœcesis, aut in Monalibus velandis, aut in examine ordinandorum, et promovendorum ad Beneficia, vel qui Seminario præsident, aut in Congregationibus S. Officii adhibentur; Sic ead. Sac. Cong. ut refert idem ibid. n. 109. Quinimmo, ut ipsemet ibi subjungit, Archiepiscopo Januensi petenti, ut duo Canonici eum comitantes in visitatione Diœcesis possent percipere quotidianas distributiones juxta antiquam illius Ecclesiæ consuetudinem, censuit non concedendum.

(7. Insuper Episcopus Canonicus, dum abest ex causa Visitationis suæ Diœcesis, distributiones quotidianas non lucratur; quia Littera d. cap. unic. de Cleric. non resident. in 6. ibi : *Evidens Ecclesiæ utilitas*, intelligitur de utilitate Ecclesiæ particularis, de cujus distributionibus agitur, non autem de utilitate alterius Ecclesiæ particularis, vel Ecclesiæ generalis, ut formaliter inquit Joan. And. in d. c. unic. de Cleric. non resident. in 6, num. 3, vers. *Item intelligendum* : ubi pro hoc allegat cap. *Cum Dilectus*, et cap. *De cætero*, eod. tit. et c. *Licet*, de præbend. et sequitur ibi Petr. de Anchar. n. 4, in 5 notab. et Fagnan. in d. cap. *Licet* num. 160, ubi dicit quod hæc est ratio, cur distributiones non debeantur Canonicis existentibus in servitio Papæ, ut est casus in c. *Cum Dilectus* 14, de Cler. non resident. juncta Glossa omnium consensu approbata ibid. in verb. *Fructus*, licet censeantur servire Ecclesiæ universali, ut ibidem dicitur; « Qui circa nos se obsequiales exhibent universis. »

(8. Distributiones quotidianas non lucratur in absentia Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ, dum servit Episcopo Cardinali pro Caudatario; Sac. Cong. Concil. in Viterbien. 12 Apr. 1617. (9. Neque distributiones quotidianæ debentur Canonico Cubiculario ad Bussulam Sanctissimi, et propterea absenti a residentia; Sac. Congr. Conc. in Reatina 13 Nov. 1627. (10. Familiares enim Papæ, qui non obstante Constitutione contraria præbendarum suarum fructus percipiunt in absentia, non percipiunt tamen distributiones quotidianas, ut est casus in d. cap. *Cum dilectus* 14, de Cleric. non resid. juncta Glossa communiter approbata ib. verb. *Fructus*, ut observat, et tenet Fagn. loc. cit. num. 99. (11. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico in publica Universitate docenti, si in Choro non intersit, quamvis omnes redditus in distributionibus quotidianis consistant, Sacra. Congreg. Conc. in Limana 18 Decembr. 1627. (12. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico infirmo, vel alias legitime impedito, quando habet coadjutorem; sed si Coadjutor non resideat, punctatur tamen ad damnum ipsius Coadjutoris; S. C. Rit. in Colim. 16 Septembr. 1616, et in Patavina 8 Maii 1618, et in Granatensi 4 Apr. 1620. (13. Distributiones non debentur Canonico inquisito, et postea absoluto, si hic haberet Coadjutorem, qui eum de tempore carcerationis, seu contumaciæ Coadjuti inservire debuisset, non inserviit; Sacr. Congreg. Conc. in Brixiensi 2 Jun. 1696, in qua licet Coadjutor reperiretur absens causa studii, adhuc talis excusatio non fuit admissa, quia hic tenetur inservire durantibus Coadjuti impedimentis, cum Coadjutoriæ cum futura successione dentur in præminm servitii, et ideo fuit rescriptum: « Distributiones non deberi Canonico Nigrono, reservatis juribus contra Coadjutorem prout de jure. » (14. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico qui fuit Romæ pro negotiis Capituli contra Episcopum; Sac. Cong. Conc. in Avellina 16 April. 1633. (15. Canonici, qui sunt Officiales Tribunalis Inquisitionis, non lucrantur in absentia distributiones quotidianas absque speciali Sedis Apostolicæ Indulto; Sacr. Congregat. Concil. in una Mediolanensi 3 Februar. 1635.

(16. Immo neque lucrantur distributiones Canonici ipsi, qui funguntur munere Inquisitoris contra hæreticam pravitatem - Sicuti neque Examinatores Synodales, dum similiter suo munere funguntur; uti neque Canonici, qui voluntarie, non autem ex officio sese Confessionibus audiendis exponunt, ut nuper respondit Sacr. Congr. Concil. in Romana Servitii Chori 23 Septembr. 1690; absentes enim his tribus casibus a servitio Chori ex Sententia Sacræ Congregationis distributiones non lucrantur, etiamsi adsit contraria consuetudo in Synodo Diœcesana confirmata; sic refert, et tenet Fagnan. loco cit. n. 104. (17. Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici celebrantes, dum Divina officia recitantur, nisi ad celebrandum compulsi, aut jussi fuerint ab eo, ad quem pertinet; Sacr. Congregat. Concil. in Callien. 29 Jul. 1628, in Oriolensi 27 Martii ad responsor. ad 11.

(18. Canonici absentes studiorum causa non lucrantur distributiones quotidianas, textu expresso in cap. *Licet* 32, de præbend. ibi : « Licet vobis direxerimus scripta nostra, ut Magistro N. Eborac. Archidiacono in sacra pagina cupienti studere proventus suos Ecclesiasticos faceretis integre ministrari; Nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quæ tantum residentibus in Ecclesiis, et his qui intersunt horis Canonicis, exhibentur, ei tribui faciatis. » (19. Hoc tamen ex sententia Sacræ Congregationis locum habet, si Canonicatus habeant fructus a distributionibus distinctos. Secus vero, si redditus omnes in distributionibus consistant, quia tunc studiorum causa absentes lucrantur duas tertias partes illarum, amissa alia tertia, quæ inservientibus accrescit. Idque declaravit habere locum tam in docentibus, quam in studentibus, sic refert, et tenet Fagnan. loco c. n. 97.

Digitized by Google

(20. Distributiones quotidianæ non debentur interessentibus Congregationib. Capitularibus tempore, quo divina celebrantur; Sacr. Congregat. Rit. in Ulixibonen. 17 Novembris 1600. Et iterum, distributiones quotidianas nequaquam lucrantur Canonici Capitulum habentes eo tempore, quo divina officia celebrari debent, pro illis horis, quibus divinis non interfuerunt. Sacr. Congreg. Concil. in Oriolen. 27 Maii 1632, in respons. ad 11. (21. Canonici absentes ratione peregrinationis vel devotionis causa assumptæ, non lucrantur distributiones quotidianas. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione refert Fagn. loco cit. n. 19. (22. Canonici habentes privilegium Apostolicum percipiendi fructus Beneficiorum suorum in absentia, non per hoc lucrantur distributiones quotidianas; cap. *Licet* 32, de præbend. et cap. final. Rescript. in 6. et tradit Covarr. lib. 3 variar. Resol. cap. 12, num. 2 vers. *Quibus adstipulatur*. Fagnan. loco cit. n. 100. (23. Distributiones, quæ dantur Canonicis, vel Præbendatis propriæ Ecclesiæ, quando aliquas Missas celebrant, non debentur Coadjutoribus; nisi quando celebrant pro ipsis Coadjutis; Sac. Cong. Rit. in Patavina 13 Dec. 1626.

(24. Distributiones quotidianas non lucratur Vicarius Generalis, quando est Canonicus, nisi sedeat et incedat cum suo habitu, et in suo loco ordinario, ac si non esset Vicarius; Sac. Congreg. Rit. in Gallipolitana 11 Decembris 1613, in Casalens. 5 Julii 1614. in Comaclen. 4 Jul. 1615, et in Oritana 4 Aprilis 1620. (25. Sic etiam distributiones quotidianas non lucrantur Canonici, sive Dignitates Protonotarii, si Choro intersint cum habitu Protonotarii; Sac. Congreg. Rit. in Asculana Apuliæ 19. Mart. 1610 et 19 Novemb. 1611; in Meliten. 7 Aug. 1621. Et nuper in Spoletana contra Priorem Collegiatæ S. Michaelis Terræ Mevaniæ 9 Julii 1695. qui cum parere Decreto recusasset, et indultum saltem habitum prædictum in Choro deferri posse postularet, causa reproposita 17 Decembris ejusdem anni, responsum fuit: Distributiones restituendas esse a die Decreti, et indultum non esse concedendum. (26. Immo. facta ex post a Canonicis cum Priore concordia, quod posset d. habitu uti in functionibus Ecclesiasticis, solutis tamen annuatim Sacristiæ Scutis quindecim loco admissionis distributionum, et postulata d. concordiæ approbatione ab eadem Sac. Congreg. die 4 Jul. 1698, referente Cardinali Petruccio fuit responsum: Non esse locum approbationi Concordiæ. (27. Et die 22 Aug. 1722, propositio in ead. Sac. Rit. Cong. per Card. Origum sequenti dubio: An Præposito Cathedralis Burgi S. Sepulcri, qui est Protonotarius Apostolicus, de numero non participantium, liceat sedere in Choro aliisque functionibus Ecclesiasticis incedere cum habitu Prælatitio, nempe Rochetto, et Mantelletta, et suum retinere locum et stallum, reluctantibus aliis Dignitatibus, et Canonicis, responsum fuit, *Affirmative, amissis dis-*

tributionibus quotidianis, cum addito, *ut amplius causa non proponeretur*.

(28. Canonicus, qui evasit surdus, non lucratur distributiones, nisi præsentiam in Choro præstet; Sac. Congreg. Episc. in Thean. 12 Martii 1619. (29. Non sic autem Canonicus factus cæcus, quia hic distributiones acquirit, quamvis non intersit Divinis; Sac. Congreg. Concil. 26 Januar. 1616 et 20 Jul. 1619. (30. Canonicus dispensatus super ætate ad obtinendum Canonicatum cum Clausula, quod se promoveri faciat, postquam ad legitimam ætatem devenerit, amittit distributiones, si conditionem non curavit adimplere, quamvis Choro inserviat; Sac. Congreg. Conc. in Florentina 12 Jan. 1697. (31. Distributiones a Canonicis absentibus amissæ, accrescunt inservientibus, adeo ut ab Episcopo non possint applicari Fabricæ Ecclesiasticæ, aliisve usibus piis; Sacr. Cong. Conc. in S. Severini 16 Jul. 1695, et sic in Cathac. 18 Jul. 1690. (32. Nec Canonici, non obstante statuto, consuetudine, aut pactione contraria, possunt sibi invicem remittere, et condonare distributiones; Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de Reform. et Sacr. Cong. ejusdem Conc. in Genuen. 24 Apr. et in Avenion. 25 Sept. 1700.

(33. Non lucrantur distributiones Canonici, quoties absunt a residentia occasione litium concernentium interesse suarum Præbendarum, sine licentia Episcopi, quæ necessaria est, ut respondit Sac. Congreg. Concil. in Cavallicen. 3 Jul. 1677, in qua cum præpositus illius Cathedralis d. licentiam in casu proposito non fuisse necessariam contenderet; reproposita causa sub die 18 Septembris ejusdem anni, decretum confirmavit: et sic tenuit Rota p. 1. dec. 609. num. 1. et par. 4. tom. 1, dec. 354. n. 15. (34. Distributiones quotidianæ non debentur Canonicis infirmis, aut alio legitimo impedimento detentis, si alias sani, aut non legitime impedimenti non erant soliti inservire; Sacra Congr. Concil. in Asculana 5 Jun. 1706, in respons. ad 7. (35. Potest Episcopus statuere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint; Sacra Congreg. Episcop. in Comens. 16 Maii 1580; in Castellan et 20 Aug. 1602. et Sac. Congr. Conc. in Nicien. 18. novemb. 1628. Et in Milevitana 9 April. 1707, et Congreg. partic. in Casalens. 11 Martii 1708. Vid. verb. Episcopus, art. 6, num. 8. (36. Non potest tamen Episcopus decernere, ut Canonici in Sacris non constituti, non gaudeant distributionibus; Sacra Congreg. Conc. in Patavina 23 Aug. 1631.

(37. Permitti non debet Capitulo, quod dum pro litibus, vel alia causa vult expensas facere, utatur distributionibus quotidianis, quia id cederet in detrimentum Divini cultus, et Ecclesiastici servitii; Sac. Congr. Episc. in Trojana 16 Maii 1590. (38. Episcopus, et Capitulum non potest amissas dis-

Digitized by Google

tributiones ob non residentiam remittere, aut condonare illi ipsi, qui eas amisit; Conc. Trid. sess. 24, cap. 12, de Reform. vers. *Distributiones*, ibi : « Distributiones vero, qui statutis horis interfuerint, recipient; Reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII Decretum, quod incipit *Consuetudinem*, quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus; » Ro'a par. 4. tom. 2. dec. 1. num. 15. et communiter Doctores cum Barbosa lib. 3 Juris Eccles. univers. cap. 18. num. 91. et seq. (39. Ipse tamen Barbosa loco mox cit. n. 95. asserit, quod poterit Canonicus distributiones, quas alter amiserat, sibi jam applicatas, et traditas postea illi ipsi donare, quia nulla collusio potest suspicari, cum donetur id, quod jam amissum est, et per alios perceptum, et pro se citat Gloss. in cap. unic. de Cleric. non resident. verb. *Suas*, et ibi Gemin. in § *Qui vero*, num. 10. Navarr. in Miscellan. 59. de Orat. n. 3 et 5. Azor. lib. 7. cap. 7. q. 10. Monet de Distribut. par. 2. qu. 3. num. 6. Sanctarell. lib. var. Resol. q. 13. num. 5. Trullench. lib. 1. cap. 8. dub. 16. num. 4. (40. Cavendum est tamen ne hac via detur occasio Clericis absentandi se a Choro sperantibus sibi faciendam esse remissionem, seu etiam restitutionem a suis Canonicis amicis, et ita quoque ipse Canonicus cogatur saltem ex gratitudine remittere, seu restituere distributiones aliis Canonicis in diminutionem cultus Divini, qui quantum fieri potest, est eo magis augendus, juxta cap. *Ex part.* 12. Constitut., ibi : « Nolentes igitur Divini Numinis diminui cultum, sed potius augmentare, » et cap. *Quia per ambitiosum*, de rescript. in 6. ibi : « Minuitur cultus Divinus, quem desideramus augeri, » ut fuit mens Trid. l. c. et Sacr. Congregationis ejusdem Concilii Interpretis reiteratis Decretis sub. n. 32 citatis, inhibendo ne Canonici sibi invicem distributiones remittant, et condonent. (41. Distributiones quotidianas amittit juste excommunicatus; cap. *Pastoralis*, § *Verum* de appellat. sicut etiam ipsas amittit juste suspensus, et juste interdictus, ut communiter tenent Doctores cum Barbosa loc. cit. n. 72.

(42. Distributiones amittunt Canonici non psallentes, et canentes in Choro cum aliis, non etiam satisfaciunt, si solum assistant, et intersint horis, et per Capellanos, et alios Beneficiatos psallant, ipsi vero vel ibi, vel domi privatim recitent Horas, quia institutio Canonicatuum est, non ut adsint tantum in Choro, sed ut canendo assistant; et ob id eis dantur distributiones; et sic colligitur ex Tridentino sess. 24, cap. 12 de Reformat. ibi : « Omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia.... Atque in Choro ad psallendum instituto hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. » Et sic censuit Sac. Congr. Conc. Nam proposito dubio : « An Canonici, et alii, qui intersunt divinis officiis satisfaciant eorum muneri exhibendo suam præsentiam in Choro, etiam quod non cantent, neque psallant : maxime si allegarent se eo tempore meditari, vel submissa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias pias preces tunc recitare? An vero teneantur præcise alta et consona voce divina officia, et horas Canonicas recitare, cantare et psallere, et aliter non satisfaciant muneri, et obligationi? » Ead. Sac. Congreg. sub die 20 Aprilis 1602, censuit « teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et sic pro Canonicis basilicæ Vaticanæ Articulo diligenter discusso jam fuerat resolutum a Sac. Congr. Concil. 12 Novembr. 1592, ut refert Pignatell. tom. 9, Resolut. 115, n. 16 et 17, advertens id verum esse tam attento Jure communi, et Concil. Trid. sess. 24, cap. 12, de Reform. quam vigore specialium Constitutionum ejusdem basilicæ. (43. Distributiones quotidianas amittunt dormientes, et confabulantes in Choro, non in totum, sed proportionaliter pro parte correspondente defectibus; Suarez de Reliq. tom. 2, lib. 4, cap. 14, num. 9. Trullench. in Decalog. lib. 1, cap. 8, dub. 3, num. 9. Castropalao tom. 2, disp. 2, punct. 4, n. 2. Diana tract. de Horis Can. resolut. 7. Squillant. do Obligat. Clericor. p. 2, n. 61. Barbosa lib. 3. Jur. Eccl. cap. 18, num. 84. Monet. de Distribut. p. 3, qu. 4, n, 7. Sanchez in Consil, moral. par. 1, lib. 2, cap. dub. 10. Machad. ad lib. 4, pag. 4, tract. 3, document. 5, n. 20, qui dicunt Canonicos notabiliter confabulantes in Choro peccare mortaliter, non tamen teneri ad distributionum (1) restitutionem. (44. Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici, quando non cantant Missam Conventualem, seu Missam de die : Sac. Congr. Rit. in Faventina 25 Jun. 1611 et 28 Januar. 1612, et in Viterbien. 4 Jul. 1615. (45. Canonici, qui perceperunt Distributiones pro tempore quo servitium Ecclesiæ non præstiterunt, tenentur ad illarum restitutionem. Sic expresse Sac. Congr. Conc. in Asculana Servitii Ecclesiæ, et distributionum 5 Junii 1706, in respons. ad 10.

(46. Canonicus tempore Divinorum Officiorum Organum pulsans, vel cum Musicis psallens, amittit distributiones quotidianas, si ex ejusmodi munere certum aliquod stipendium obtineat; S. Congr. Conc. in S. Severini 15 Nov. 1669, lib. 21, Decr. pag. 802, in Adjac. 11 Julii 1671, lib. 27, Decr. pag. 144.

(47. Distributiones non lucrantur Canonici Choro interessentes, qui cum cæteris non psallunt; Bened. XIV, tom. 1, Const. 103, incip. *Cum semper*, § 24. (48. Advertendum est, quod ipsas distributiones lu-

(1) Cum distributiones non lucrentur Canonici qui Choro quidem intersunt, sed non psallunt cum cæteris, ut declaratum a Benedicto XIV fuit Const. *Cum semper*, quam Auctor num. 54 indicat, non equidem Theologis istis assentior, qui « Canonicos notabiliter confabulantes in Choro peccare mortaliter, non tamen teneri ad distributionum restitutionem, affirmant. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

crantur Canonici, et Beneficiati, qui de licentia Ordinarii spiritualia Exercitia peragunt in aliqua pia, seu Regulari Domo, licet pro illis diebus Choro non intersint, dummodo tamen ipsa spiritualia Exercitia non peragant temporibus Adventus, et Quadragesimæ, et in Festis solemnioribus, nec omnes simul, sed eo adhibito modo, ut Chori servitium nequaquam intermittatur. Sic expresse concessit Clemens XI die 1 Februarii 1701, in sua Epistola Encyclica a nobis per extensum allata sub. verb. EXERCITIA SPIRITUALIA n. 2. Vide ibid. (49. Item advertenda est resolutio sequentis dubii propositi in Sacra Cong. Conc. die 1 Februar. 1734. Bosamen. ibi : « An Canonicis Ecclesiæ Cathedralis assistentibus Episcopo Pontificalia exercenti, vel in suo Palatio, vel in aliis Ecclesiis suæ Diœcesis, debeantur anniversariorum emolumenta, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes; et quatenus negative. An sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti ex gratia in casu, » etc. Sac. Congreg. respondit, *Ad utrumque negative.*

(50. Distributiones non lucratur, etsi fructus Præbendæ lucretur, quamvis absens, Canonicus ille, qui habet Canonicatui suo adnexam, sed extra Civitatem, curam animarum; tenetur enim in parœcia residere pro eo tempore quo in parochiali Ecclesia residet, et Sacramenta administrat. Ita laudatus Pontifex Institut. Eccles. 107, § 55, ex Conc. Trid. sess. 24, c. 5, de Refor. addita Bulla 65, S. Pii V.

(51. Canonici qui Episcopo inserviunt, si actu debeant Choro interesse, non semper obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt Pontificaliter celebranti, non vero Episcopo Diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti; ibid. § 61.

(52. Distributionibus privantur Vicarius Generalis Episcopi, Canonicus Examinator, quique in Tribunali S. Officii munus suum præbet, ministri Camerales, scilicet subcollectores spoliorum, et decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. Denique Magistri Juris Canonici, et Sacræ Theologiæ, in publicis Universitatibus docentes; qui tamen si recurrerint ad Sacr. Cong. obtinent fructus Præbendæ, et si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis Universitatibus absunt; ibidem § 72.

(53. Si eo tempore, quo officium persolvuntur in Choro, Capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, Canonici non possunt absentare sese absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt, ut ex Decretis Sac. Congr. ib. § 73.

ARTICULUS III.

In quo adducuntur summarie varia decreta ad rem facientia, prout referuntur a D. Ursaya tom. III, part. II, *discept.* 4, *n.* 114.

usque ad n. 149. *et tom. VIII, part.* I, *discept*, 34, *n.* 55.

(1. *Dubia Jubilationum* 18 Decemb. 1718, quando disputata fuerunt plura dubia, et per viam regulæ, et legis generalis resoluta, nempe:

(2. I. « An indulgenda sit Jubilatio Canonicis, et Beneficiatis, qui spatio 40 annorum Ecclesiæ inservierunt, licet dicti temporis spatio cum debitis licentiis, et indultis abfuerint ab Ecclesiis, vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel pro ratione munerum, pro quibus obtinuerunt Indulta abessendi pro diebus, et horis, vel Indulta simpliciter, et absolute abessendi ab Ecclesia durante officio illis commisso. » Quod fuit resolutum cum rescripto. « *Affirmative* quoad absentes ex causa infirmitatis, cum debitis licentiis, et Indultis, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel cum Indultis abessendi pro diebus, et horis. *Negative* autem quoad absentes ex causa studiorum, et quoad habentes Indulta abessendi absolute durante officio. »

(3. II. « An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in una, et Canonici in alia, nec non illis, qui in una, et eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tamquam Clerici Beneficiati; partim tamquam Beneficiati, partim tanquam Canonici, vel partim tamquam Coadjutores, et partim tamquam principales Titulares? » Quod fuit resolutum cum rescripto : « *Negative* ad primam partem : *Affirmative* ad secundam. »

(4. III. « An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, non obstante parvo numero aliorum, qui remanente addicti Ecclesiæ servitio et quis sit parvus numerus inservientium in casu, et ad effectum de quo agitur? » Dabitur resolutio in casibus particularibus.

(5. IV. « An non obstante jubilationis Indulto, jubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur? » *Affirmative.*

(6. V. « An non obstante jubilationis Indulto, jubilatus teneatur ad residentiam, licet non teneatur ad interessendum ? » *Negative* juxta Decreta.

(7. Hujusmodi autem Decreta de facili erunt sequentia. S. Angeli in Vado 15 April. 1690, in qua resolutum fuit : « Canonico jubilato deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri, » de qua in lib. 40. Decret. fol. 256.

(8. Reatina Distributionum 19 Aprilis 1692. 4 Dubio : « An Canonico jubilato debeantur fallentiæ Canonicorum absentium, si Choro non intersint ? » Responsum fuit : « *Affirmative*, dummodo non obstent Constitutiones particulares, et consuetudo Ecclesiæ, » lib. 42. Decret. fol. 441.

(9. Patavina jubilationis 9 Junii 1714, in qua dictum fuit, « deberi Canonico jubilato distributiones, et eum non esse obligatum

Digitized by Google

ad residendum, » leg. 64. Decret. fol. 217.

(10. Aquipendii Indulti 1 Aprilis 1719, in qua Dubio I. « An Canonicus Seraphinus vigore indulti Jubilationis, si Choro non intersit, participare debeat de punctaturis, seu fallentiis in casu, » etc. Responsum fuit : « *Affirmative*, et amplius. »

(11. Dub. II. « An idem participare debeat de emolumentis adventitiis Anniversariorum, et associationum Cadaverum, si functionibus non intersit in casu, » etc. Responsum fuit : « *Affirmative* ad primam partem, dummodo non obstet voluntas Testatoris, vel dantis. Ad secundam partem *Negative*. »

(12. Novarien. Jubilationis 2 Octobris 1677. « An duo Canonici Jubilati Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Gaudentii Civitatis Novariæ frui debeant emolumentis Anniversariorum, quæ fiunt intra annum, licet non assistant. » *Affirmative*. Quæ resolutio confirmata fuit die 28 Novembris 1681, cum verbis : « In decisis, quoad Anniversaria fixa, et in quibus non est cautum a Testatoribus, ut interessentes tantum participare deberent, » l. 22. Decret. fol. 44.

(13. Romana Distributionum, 5 Martii 1678, et in Romana Jubilationis 23 Martii 1703, ad dubium : « An Simeoni de Maganinis jubilato debeatur emolumentum Processionum, etsi illis non interfuerit : » Responsum fuit *Affirmative*, » lib. 53. Decret. fol. 81.

(14. Romana Jurium Canonicalium 5 Maii 1703. Dubio I. « An Canonico Stradæ, cui ex causa infirmitatis fuit concessum Indultum vacandi a Choro, aliisque officiis divinis, illud etiam suffragari valeat pro Laudemiis, Quindenniis, Capitulis, actibusque capitularibus, Anniversariis, Festivitatibus, Processionibus, ac pro quibusvis functionibus in Ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cujusvis generis, et speciei, communia nuncupata, ac etiam victualia, et candelas? » Quod fuit resolutum cum Rescripto : « *Affirmative* etiam quoad Laudemia, exceptis Anniversariis aliisque obventibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a testatoribus dispositum, » lib. 53. Decret. fol. 207.

(15. Dubio II. « An eodem Canonico competat pro sua rata parte etiam jus accrescendi earum distributionum, et communium, quæ ob absentiam, vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt, et a qua die supradicta omnia debeantur in casu, » etc.

(16. « *Affirmative* a die præsentationis Indulti. » Quæ resolutio confirmata fuit die 20. Junii 1705, cum rescripto in dec. et amplius.

(17. Immo eadem die additum fuit aliud dubium sequentis tenoris : « An Canonicus Strada lucrari valeat omnes distributiones, quæ simpliciter appellantur quotidianæ? » Quod pariter resolutum : *Affirmative*, l. 65. decr. fol. 207.

(18. Aquipendii Jubilationis 23. Mart. 1697, in qua proposita fuerunt tria dubia, et resoluta ut infra :

(19. I. « An Canonicus Jubilatus teneatur

vel per se, vel per alium ad celebrationem Missæ Conventualis per turnum? » *Negative*.

(20. II. « An itidem teneatur facere depositum tertiæ partis fructuum Præbendæ pro distributionibus quotidianis, prout faciunt cæteri Canonici? » *Affirmative*.

(21. III. « An possit ipse participare de distributionibus, quas ponunt in Massa cæteri Canonici, tam quoties ipse præsens est in Choro, quam etiam quoties abfuerit? » « *Affirmative* etiam quoad fallentias, nisi obstet statutum, vel consuetudo. »

(22. Bituntina Anniversariorum 1 Jul. 1679. Quando resolutum fuit : « Jubilatum non esse admittendum ad participandum de emolumentis Anniversariorum, » lib. 30. Decr. fol. 208.

(23. Romana distributionum lib. 30. decret. fol. 16. et f. 36. a tergo. Quando fuit resolutum : « Fallentias non deberi Canonico Jubilato, si Choro non intersit. »

(24. Maceraten. Jubilationis 8 Martii 1698. Quando resolutum fuit : « Indultum Jubilationis non sustineri, quando deficit laudabile servitium Ecclesiæ per spatium annorum 40. »

(25. Bononien. Jubilationis 16. Jun. 1696. in qua dictum fuit : « Canonico Jubilato deberi distributiones, non solum relictas Ecclesiæ ante servitium quadragenarium, sed etiam illas, quæ auctæ fuerint durante eodem servitio. » In cujus casu agebatur de distributionibus auctis anno 24 servitii. Quæ resolutio fuit confirmata die 28. Apr. 1697. cum addito, ut amplius causa non proponeretur. De hac resolutione mentionem facit Bertachin. Vot. dec. 13, per tot.

(26. Romana, 12 Decemb. 1699. Quando fuit resolutum, « Indultum Jubilationis deberi Canonico, qui inservivit per annos 40 Ecclesiæ, prius uti Beneficiatus, et deinde uti Canonicus, » lib. 49, decret. fol. 502. Quod non procederet in casu, in quo servitium fuisset prius præstitum in qualitate simplicis Clerici, præcipue si quo reliquo tempore etiam constaret de servitio laudabili præstito; ut revocando Indultum prius concessum resolvit. Sac. Cong. Conc. In Tranen. Jubilationis, 13 Jan. 1703., lib. 53. decr. fol. 12.

(27. Burgi Sancti Domnini Jubilationis, 29 Apr. 1704, l. 54, decret. fol. 182. quando resolutum fuit : « Indultum Jubilationis suffragari non solum pro distributionibus ordinariis, sed etiam extraordinariis. » Quæ debentur a die intimati Indulti, non attenta lite, desuper per Canonicos promota. Ibidem ad dubium secundum.

(28. Quando aliqua concurrit difficultas circa integrum laudabile servitium Ecclesiæ præstitum per annos 40, vel ob Indultum abessendi, vel ex causa infirmitatis, vel ex alio rationabili motivo solet Sac. Congr. Conc. benigne concedere Indultum abessendi ad tempus, ut practicavit in Florentina Jubilationis, 10 Jan. 1711, lib. 61. decret. fol. 12. ubi concessit facultatem abessendi a Choro per triennium, et in Nepesina Jubilationis. 28 Novembr. de anni 1711, ubi indultum vacandi a triennium.

(29. Abessendi Indultum multoties pro-

Digitized by Google

ro gatum, tam ex casu difficilis accessus ad residentiam, quam actualis servitii præstiti uni ex S. R. E. Cardin. in Urbe præsenti canonizatum, et approbatum fuit a Sacra Congregatione Concilii in Avenion. Indultorum, 9 Febr. 1715. cum addito tamen, ut post ultimum terminum indulti Canonicus omnino deberet redire ad residentiam.

(30. « Servitium præstitum a Canonico, uti Coadjutore, connumeratur in annis quadraginta ad effectum obtinendi Indultum Jubilationis; » Sac. Congr. Conc. in Brixien. 27 Mart. 1682. ubi de annis duobus Coadjutoriæ, et 11 Februarii 1699. ubi de annis septem. Et in Bergomen. Jubilationis, 8 Augusti 1687. ubi de annis novem, et in Novarien 4 Aug. 1691. ubi de annis quinque.

(31. Segobien. 15 Decembris 1704. et 16 Novemb. et 20 Decembris 1704. Sac. Congreg. Concil. noluit confirmare statutum, in quo petebatur restrictio temporis annorum 30, pro consequenda Jubilatione, rescribendo in 1. dubio; « *Negative* quoad primam partem statuti, in qua petitur reductio temporis ad 30. pro consequenda Jubilatione.» (32. Prout etiam noluit confirmare idem statutum in alia parte, in qua Canonicis absentibus concedebatur tertia pars distributionum, rescribendo; « *Negative* pariter quoad tertiam partem concernentem distributiones quotidianas, » l. 63. decret. fol. 701. et lib. 64. fol. 612. et 717. De quibus rescriptis mentionem facit Monac. in Formul., tom. 2, tit. 13. form. 2, num. 77, fol. 60. et in tom. 4, fol. 2, n. 13. ubi, quod Indultum Jubilationis originem habet a Collegio Levitarum Mosaicæ Legis, in quo Levitæ servientes ab anno 25, usque ad annum 50 tanquam emeriti non amplius inserviebant, juxta verba illa num. 8. 24: *Hæc est Lex Levitarum: A 25 annis, et supra ingredientur, ut ministrent in Tabernaculo fœderis, cumque 50, annum ætatis impleverint, servire cessabunt, eruntque Ministri Fratrum suorum in Tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem non facient.* Hactenus ad literam D. Ursaya, l. c.

(33. Cum Canonici Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Asculi ab immemorabili in toto anni curriculo nonnisi unicum mensem haberent vacationis a servitio Chori, quemadmodum gaudebant Mansionarii ejusdem Ecclesiæ; supplicarunt anno 1647 Sac. Congregat. Consil. pro concessione alterius mensis, et favorabile Indultum impetrarunt; ac rursus anno 1696 prævia relatione tunc temporis Episcopi obtinuerunt concessionem vacationis per alium mensem, et sic in totum trium mensium cujuslibet anni juxta modum præscriptum a Sacro Concilio Tridentino. Et quamvis attenta concessione vacationis istorum trium mensium, adhuc Chori servitium semper fuerit laudabiliter, et summa totius populi ædificatione expletum, tamen die Sabbati 5 Junii 1706 fuerunt in eadem Congr. posita sequentia dubia, quibus fuit responsum ut infra.

Dub. 1. « An sit standum, vel recedendum a decisis, 28 Jan. 1696? »

Dilata, et exquiratur melior informatio super quantitate reddituum, et qualitate servitii.

II. « An Archidiacono, et Canonicis liceat vacare a Choro, et servitio Ecclesiæ temporibus Adventus, Quadragesimæ, et in Dominicis, aliisque festis, quæ in Cathedrali Asculana non dicuntur solemnia, et in octavis privilegiatis? » *Negative.*

III. « An, et quomodo sit faciendus Turnus per hebdomadam? » et quatenus *affirmative.*

Turnum faciendum esse per duas ex tribus partibus.

IV. « An si aliquibus ex Canonicis in sua hebdomada non inserviant, ita ut duæ tertiæ illorum partes Choro non intersint, alii Inservientes, et Interessentes, lucrentur distributiones? »

Affirmative.

V. « An Distributiones non Interventium possint reponi in Massa communi, et dividi æqualiter; seu potius ad ratam servitii? »

Negative quoad primam partem, et quoad secundam *affirmative.*

VI. « An absentes tempore vacationis, ultra fructus suarum Præbendarum, lucrentur Distributiones quotidianas? »

Dilata.

VII. « An distributiones quotidianæ debeantur Canonico infirmo, si alias sanus non esset solitus residere? »

Negative.

VIII. « An debeantur Canonicis coadjutis infirmis, si Coadjutores sani non inserviunt? »

Negative, et prædicta dubia amplius non proponantur.

IX. « An distributiones reiictæ a Cardinali Bernerio de suo, et dandæ solis interessentibus Matutino, debeantur infirmis? »

Exhibendum esse Instrumentum fundationis.

X. « An Canonici, qui perceperunt easdem Distributiones pro tempore, quo servitium Ecclesiæ non præstiterunt, ad illarum restitutionem teneantur? »

Affirmative.

Repropositis vero die 5 Jan. 1707, tribus ex dictis decem dubiis.

« Ad I. In decisis quoad concessionem tertii mensis vacationis.

« Ad VI. *Negative*, et amplius non proponatur.

« Ad IX. Stetit in decisis. » Sic apud D. Ursayam, tom. 8, discept. 34, n. 55.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De causis, ex quibus absentes possunt necne percipere distributiones quotidianas, de quibus tum in præcedendi, tum in hoc articulo agit Auctor, longum esset disserere, et ipsum Auctorem vel declarare, vel confutare. Consule, ubi res postulat San. Mem. Benedict. XIV. Institut. Eccles. 107. a num. 39. ad plur. seq. Ex quibus multa in superiores Articulos Auctor post Romanam primam Editionem transtulit,) tum P. Girald.

Digitized by Google

in addit. ad Mascat. instit. Canon. lib. 3. tit. 4, n. 22.

(35. Non est absolute verum, quod distributiones a Canonicis absentibus amissæ accrescant inservientibus, ut ait Auctor. n. 31. Vide distinctionem, cum qua procedit Fagnan. in cap. *Quia nonnulli* n. 16. et 21 de Cleric. non resid. Confer itidem Vanespen. Jur. Eccles. Univers. part. 1, tit. 7, cap. 11, n. 6. tum et maxime Rousseaud de La Combe, in sua Jurisprudentia Canon. verb. *Distributiones* n. 2 et 6. ubi nova utitur distinctione.

DIVINATIO.

Vide verb. SUPERSTITIO, *a num.* 12 *ad* 33.

DIVORTIUM.

SUMMARIUM.

1. Divortium generatim potest capi tripliciter, scilicet quoad vinculum, quoad torum solum, et quoad torum et cohabitationem simul. — 2. Divortium quoad vinculum quid sit. — 3. Divortium quoad torum solum quid sit. — 4. Divortium quoad torum, et cohabitationem simul quid sit. — 5. Divortium secundum etymologiam nominis unde sit dictum. — 6. Divortium quoad vinculum Matrimonii rati, et non consummati, fit inter fideles professione Religiosa. — 7. Non fit tamen Divortium quoad vinculum Matrimonii rati, et non consummati per votum solemne castitatis in susceptione Ordinis Sacri. — 8. Et multo minus fit tale Divortium quoad vinculum per votum simplex castitatis. — 9. Potest tamen tale Divortium quoad vinculum fieri per dispensationem Papæ. — 10. Sic fert praxis recepta Romanæ Curiæ *ad n.* 12. — 13. Affertur, et solvitur instantia, *ad n.* 14. — 15. Ad dissolvendum quoad vinculum Matrimonium, sive ratum, sive consummatum cum impedimento dirimente contractum, requiritur auctoritas legitimi judicis Ecclesiastici. — 16. Non potest tamen nec debet judex facile credere conjugibus nisi adsit sufficiens probatio. — 17. Matrimonium valide inter fideles contractum, et consummatum est quoad vinculum indissolubile. — 18. Divortium quoad thorum, et cohabitionem potest licite fieri justa interveniente causa. — 19. Causæ justæ faciendi Divortium septem generatim assignantur. — 20. Prima est mutuus conjugum consensus. — 21. Secunda est fornicatio spiritualis alterius conjugum. — 22. Cum hac tamen advertentia, quod si conjux innocens propria auctoritate sine judicio Ecclesiæ Divortium fecit, conjuge reo converso, tenetur redire. — 23. Si vero conjux innocens judicio Ecclesiæ Divortium fecit, conjuge reo converso, non tenetur redire. — 24. Si autem conjux innocens Religionem ingredi noluerit, etiam hic tenetur redire. — 25. Tertia causa est periculum salutis corporalis *ad n.* 26. — 27. Quarta est sævitia alterius conjugis. — 28. Sic etiam ob sævitiam uxoris. — 29. Sævitia sufficiens ad Divortium est si adsit probabilis timor, et periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis futuræ, etiam secluso vitæ periculo. — 30. Ob periculum vitæ, aut gravis verberationis, etc., si periculum sit in mora, potest unus conjux propria auctoritate discedere. — 31. Si vero periculum non sit in mora, debet exspectare sententiam judicis. — 32. Quinta causa est votum ultramarinum ad liberandam Terram Sanctam. — 33. Sexta est morbus contagiosus, aut aliud grave periculum corporis. — 34. Si quis autem sponte contraxit cum persona prius cognita morbo contagioso infecta, non potest Divortium facere, neque quoad torum, neque quoad cohabitationem. — 35. Septima causa est adulterium culpabile alterius conjugis. — 36. Conjux innocens potest licite divortium facere propter alterius commissam sodomiam, aut bestialitatem. — 37. Non sic autem ob tactus, amplexus, et oscula etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis sine copula facta. — 38. Conjux innocens quando alterius adulterium est notorium, potest propria auctoritate in utroque foro divortium facere. — 39. Si vero alterius adulterium sit occultum, potest conjux innocens propria auctoritate divortium facere, solum quoad torum; quoad cohabitationem vero solum post sententiam Judicis. — 40. Quando adulterium unius conjugis, nec est notorium, nec alteri physice, vel moraliter certe notum est, sed solum dubium de illo existit, conjux innocens, nec in foro externo, nec in interno divertere, aut debitum negare potest. — 41. Conjux innocens potest conjugem adulterum iterum recipere. — 42. Non tamen tenetur ipsum recipere, etsi multis annis pœniteat. — 43. Conjux innocens potest pro libitu revocare nocentem etiam post sententiam divortii, teneturque nocens redire, etc. — 44. Quando unus conjugum adulterium committit, potest eo invito conjux innocens Religionem ingredi. — 45. Et si adulterium sit publicum, et notorium, potest conjux innocens ingredi Religionem propria auctoritate, non exspectata sententia Judicis. — 46. Si vero adulterium sit occultum, debet exspectare sententiam Divortii a Judice. — 47. Conjux innocens, si post alterius adulterium, ei voluntarie cohabitat petendo, et reddendo debitum conjugale, non potest eo invito Religionem ingredi. — 48. Sic etiam conjux innocens, si ex post et ipse adulterium committat, non potest invito primo adultero Religionem ingredi. — 49. Quando conjux innocens Religionem non ingreditur, sed in sæculo manens divortium facit a conjuge adultero etiam quoad cohabitationem, non potest conjux adulter sine licentia conjugis innocentis ingredi Religionem. — 50. Potest tamen conjux adulter Religionem ingredi, et in ea profiteri etiam inscio et invito conjuge innocente, si hic prius est Religionem ingressus, et in ea professus. — 51. Quotiescumque vir ob adulterium uxoris ea invita potest religionem ingredi, potest etiam Ordines sacros in sæculo quoque manens recipere. — 52. Affertur, et solvitur instantia. — 53. Ob adult. spirituale potest alter conjux fidelis etiam alio invito Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad veram fidem rediit iterum conjux adulterans, dummodo separatio ob adulterium spirituale auctoritate Ecclesiæ, et non propria sit facta. — 54. Afferuntur plures casus, in quibus nequit fieri Divortium propter adulterium, et primus est quando conjux innocens jam remisit injuriam conjugi adultero. — 55. Secundus est quando adulterium ab utroque conjuge fuit commissum. — 56. Tertius est quando adulterium est tantum materiale, et non formale. — 57. Secus est si metu mortis, seu alterius gravis mali conjux adulterium consentiendo admisit. — 58. Quartus casus est, si fuit vir uxori causa adulterii. — 59. Et hoc etiamsi tacite tantum consentiat. — 60. Vir non censetur causam præbere mulieri adulterandi, si eam domo expellit, aut necessaria alimenta ei deneget. — 61. Subnectuntur Supplementa Auctoris. — 62. 66. Divortium quoad thorum et cohabitationem ex voto ultramarino locus hodie haud videtur esse posse. — 67. Adulterium a viro uxori falso imputatum est etiam causa Divortii. — 68. 74. An defectus Virginitatis in muliere justam præbeat causam Divortii. — 75. 76. In quo differat causa Adulterii a cæteris causis. — 77. 80. De probatione causæ, quæ allegatur ad Divortium. — 81. 85. De Divortio apud Romanos. — 86. Familiare habuerunt Divortium Imperatores, et quidem Christiani. — 87. Leges de

Digitized by Google

eo in Republica latæ. — 88. 91. Quomodo sese gesserint Imperatores Christ. circa Divortium. — 92. Semper a SS. PP. reprobatum in foro interno. — 95. 100. De quadam Sancti Ambrosii sententia. — 101. 105. Temporum malitiæ tribuendum, si post factum Divortium, SS. PP. novas nuptias tolerandas duxerint. — 105. Solum Adulterium juxta Patres causam præbet Divortio. — 107. 110. Quid si mulier infirmitate correpta debitum viro reddere non valeat. — 111. De Judæorum ad Christi fidem conversorum Divortio. — 112. Utrum statim ac infidelis conjux Christianam renuat amplecti fidem, an post secundas cum Christiana fœmina nuptias legitimum viri Neophyti matrimonium dirimatur. —

113. An dos restituenda, vel quando, et in quibus casibus, post secutam thori saltem et habitationis separationem. — 114. Divortium est triplex. — 115. Divortium in matrimoniis infidelium. — 116. Si conjuge infidelis interpellari non potest, Rom. Antis. dispensatione opus est. — 117. Quæritur quo præcise momento temporis hujusmodi matrimonia dissolvuntur? — 118. Quo jure fit divortium in matrimoniis non consummatis. — 119. Rejiciuntur quædam falsæ exceptiones, ubi non datur divortium. — 120. Adulterium non præbet justam exceptionem. — 121. Quænam est Ecclesiæ doctrina circa Græcorum matrimonia.

(1. Divortium generatim potest capi tripliciter, scilicet quoad vinculum, quoad thorum solum, et quoad thorum, et cohabitationem simul. (2. Divortium quoad vinculum est separatio conjugum, dissoluto penitus eorum matrimonio, ita ut et maritus possit aliam ducere uxorem, et uxor alium ducere maritum, prout colligitur ex tot. tit. ff. *de Divortiis*. (3. Divortium quoad thorum solum est separatio conjugum quoad debitum conjugale alteri licite denegandum, et manente vinculo Matrimonii valide contracti, et cohabitatione in eadem domo, et mensa. (4. Divortium quoad thorum, et cohabitationem simul est separatio, et liberatio conjugum non tantum ab obligatione reddendi debitum, sed etiam habitandi in eadem domo, mensa, et lecto. (5. Hoc nomen Divortium spectata nominis etymologia desumptum est, ut habetur leg. 2, ff. *de Divort. et repud.* a diversitate mentium, quatenus conjuges, qui per Divortium secernunt, quodammodo quoad effectus se alienant; vel quatenus ex alienatione affectuum, se ab invicem separant; seu desumptum est ex eo quod ad diversas partes divertunt.

(6. Divortium quoad vinculum, seu totalis dissolutio Matrimonii rati, et non consummati fit inter fideles Professione Religiosa; ita ut uno conjuge in Religionem ingresso, et professo, alter in sæculo relictus possit transire licite ad alias nuptias. *Est communis ac certa*, textu expresso in cap. *Verum* 2, et cap. *Ex publico* 7, de convers. conjugator. et Concil. Trid. sess. 54, can. 6, ibi: « Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum, non dirimi, Anathema sit. » Unde cuilibet conjugum post contractum jam Matrimonium conceditur bimestre ad deliberandum, an consummare, vel Religionem ingredi velit; cit. cap. *Ex publico*, 7, de conversion. conjugator. (7. Non dissolvitur tamen Matrimonium ratum, nec fit divortium, quoad ejus vinculum per votum solemne Castitatis in susceptione Ordinis Sacri, quia licet hujusmodi votum impediat Matrimonium contrahendum, tamen non sufficit ad dissolvendum Matrimonium prius contractum, quamvis nondum consummatum: « Cum nec jure divino, nec per Sacros Canones reperiatur hoc statutum; » prout argumentatur atque declarat Joannes XXII, in Extravag. *Antiquæ*, De voto, et voti redemptione. (8. Et multo minus fit divortium, et quoad vinculum dissolvitur Matrimonium ratum et nondum consumatum per votum simplex Castitatis; text. express. in c. *Ex parte tua*, 14, de Convers. conjug.

(9. Potest autem Divortium fieri, et quoad vinculum dissolvi totaliter Matrimonium ratum, et nondum consummatum etiam per dispensationem Summi Pontificis, ita ut ambo conjuges licite possint transire ad alias nuptias. Sic tenendum esse declaravit die 16 Julii 1599. Congregatio Particularis a Clemente VIII, deputata, cui interfuerunt Card. Asculanus, Burghesius, Blanchettus, Mantica, Arigonius, Vicecomes, Ossarius, et Bellarminus, necnon RR. PP. Seraphinus, Pamphilius, Pegna, et Mellinus tunc Rotæ Auditores, ac Petrus Justinianus, et Costa Societatis Jesu, omnes omni exceptione majores, tum in sacra Theologia, tum in Sacris Canonibus, et sic etiam pluries censuit Sacra Congregatio Conc. et signanter in Carpentoracten., 25 Junuarii 1608, in una Seguntina, 17 Septembr. 1603, in una Ferrarien., 20 Mai 1613, et in una Augustana, 16 Maii 1618. (10. Et hæc est praxis recepta a Romana Curia, ut abunde patet ex pluribus exemplis relatis a Doctoribus. Divus enim Antoninus 3, par. tit. 1, cap. 21, § 3. Affirmat se vidisse hujus dispensationis Bullas expeditas a Martino V, et Eugenio IV, Navarr. in Manual. c. 22, refert Julium III, Paulum III, et Pium IV, sic dispensasse; Cajetan. tom. 1, opusc. 28, de Matrim. asserit suo tempore hujusmodi dispensationes emanasse a Summis Pontificibus; Enriq., lib. 11, de Matrim., cap. 8. num. 11, in Gloss. litt. F. refert Gregor. XIII, unica die cum undecim Oratoribus dispensasse, et prætermissis pluribus aliis Urbanus VIII, dispensari mandavit per Archiepiscopum Neapolitanum super Matrimonio rato inter D. D. Michaelem Blanchum, et Joannam filiam Principis, et Principissæ de Concha Civitatis Neapolit. præcisis literis in forma Brevis, sub Annulo Piscatoris expeditis, tenoris sequentis, videlicet.

A tergo
Venerabili Fratri Archiepiscopo Neapolitano,
Intus vero:

(11. « Urbanus Papa VIII. Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Princeps, et Principissa de Concha Neapolitani, quod pro conservatione illorum Statuum, et familiæ, cupiunt Joannam illorum

Digitized by Google

filiam unigenitam, cum aliquo viro ex dicta familia, matrimonialiter copulari. Verum, quia dicta Joanna tunc in decimo tertio ætatis suæ anno constituta, matrimonium cum dilecto filio Michaele Blancho per Procuratorem, per verba de rato, contraxit, et quod ratione hujusmodi Matrimonii graves lites, et inimicitiæ ortæ jam sint, et majores fuissent, nisi auctoritate, et providentia dilecti filii nobilis viri Comitis de Monterey, Pro regis Neapolit. provisum fuisset. Nos etc. fraternitati tuæ committimus, et mandamus, quod Matrimonium hujusmodi sic factum, et non consummatum, stante etiam consensu partium, nullum, et invalidum, ad affectum, ut dictus Michael cum alia muliere, Joanna vero prædicta cum alio viro de dicta familia, præcedente tamen dispensatione Apostolica super Consanguinitatis, seu Affinitatis gradus, quatenus opus sit, libere, et licite contrahere valeant, Apostolica auctoritate declares. Non obstantibus præmissis, ac quibuscunque Constitutionibus Apostolicis. Datum Romæ, » etc.

(12. Accedit ratio, quia si Pontifex potest dispensare in Professione Religiosa, per quam dirimitur Matrimonium ratum, a fortiori poterit dispensare in Matrimonio ipso. Tum quia ex verbis Christi dictis Petro. Matth., 16 et 19 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* colligitur dedisse ipse Petro, et suis Successoribus amplissimam facultatem dispensandi in iis, quæ sunt juris divini, et non deducuntur proxime ex principiis juris naturæ, sed remote, et quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ, maxime ob bonum publicum aut commune Ecclesiæ, vel animarum salutem, et sic credibile est, Deum suo Vicario contulisse potestatem dispensandi in Matrimonio rato, nondum consummato, casu, quo id exigat bonum Ecclesiæ, aut animarum salus. (13. Nec valet dicere, quod si hoc valeret pro matrimonio rato, valeret etiam pro matrimonio consummato, cum æque, immo magis, et sæpius pro bono communi Ecclesiæ, et animarum salute serviret si dispensaretur in Matrimonio *consummato*, quam *rato;* adeoque si ob bonum commune Ecclesiæ, et animarum salutem non potest Papa dispensare in Matrimonio *consummato*, neque poterit in rato, cum utrumque sit æque indissolubile de jure divino. (14. Non valet, inquam, quia Matrimonii Sacramentum quoad significationem non est completum usque ad carnalem copulam inclusive, ita quod Matrimonium ratum significet conjunctionem Dei ad animam per Charitatem, consummatum vero conjunctionem Christi ad Ecclesiam cap. *Debitum* 5, de Bigamis. Prima autem conjunctio est solubilis, non secunda, ideoque Matrimonium ratum solvi potest, non vero consummatum. Unde, ut recte infert Pignatell., tom. 1, consult. 148, num. 4. Dominus, Matth. 19, non dixit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, nisi post illa verba : *Et erunt duo in carne una;* et Apostolus ad Ephes. 5, non dixit : *Hoc sacramentum magnum in Christo et Ecclesia*, nisi post illa verba : *Et erunt duo in carne una*, et ideo Leo Pontifex inquit, ut referunt Magister in 2, d. 31, et Gratian, cap. 17, caus. 27, quæst. 2. « Societas nuptialis ita est a principio instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeat Christi et Ecclesiæ Sacramentum. » Hoc etiam docet textus in cap. *Ex publico* 7, § *Sane*, de Convers. conjugat. ibi : « Sane, quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum Interpretationem sacri eloquii de his, quorum Matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest. » Hinc Rota in Burgensi Dissolutionis Matrimonii 17 Jun. 1594, cor. Justo, quo ad potestatem Papæ dissolvendi Matrimonii rati nondum consummati concludit non esse dubitandum, quia hæc est communis opinio Canonistarum, præsertim de consensu conjugum, et ex justa aliqua causa.

(15. Ad dissolvendum, quoad vinculum, Matrimonium sive ratum, sive consummatum cum impedimento dirimente contractum, requiritur auctoritas Judicis legitimi Ecclesiastici; non enim privata conjugum auctoritate dissolvi potest, nec unus alterum dimittere valet, etiamsi certi sint de impedimento dirimente, idque notorium existat; textu expresso in cap. *Porro* 3, de Divortiis, ibi : « Porro de Comite Pontini, qui B. uxorem suam absque judicio Ecclesiæ dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris Defunctæ proponit, prudentia tua cognoscat quod si etiam parentela esset publica, et notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit, quare ipsum ad eam recipiendam districte compellas; quam si recipere noluerit, eum supradictum vinculo Excommunicationis adstringas. » (16. Non debet tamen, nec potest Ecclesiasticus Judex Matrimonium dissolvere quoad *vinculum*, statim ac unus, vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniæ, fateantur secum impedimento dirimente, v. g. affinitatis, vel consanguinitatis contraxisse, sed debet eidem Judici prius constare de impedimento dirimente per probationem plenam et perfectam, qualis est, quæ fit saltem per duos testes omni exceptione majores, textu expresso in cap. *Super eo* 5, De eo qui cognovit, ibi : « Super eo quod postulas, utrum conjugatus, qui ante contractum Matrimonium uxoris suæ consanguineam carnali commixtione cognovit, cum id fateatur uterque, et aliqua pars viciniæ hoc acclamare dicatur, sit ab uxore sua judicio Ecclesiæ separandus. Tuæ Fraternitati respondemus, quod propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ separari non debent; cum et quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, et ad confessionem incostus, (*aut alterius impedimenti*) facile prosilirent, si suo judicio crederent, per judicium Ecclesiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ

Digitized by Google

non adeo est judicandus validus, quod, nisi rationabiles, et fide dignæ probationes accedant, possit bene contractum Matrimonium irritari. »

(17. Matrimonium valide inter fideles contractum, et consummatum, est quoad *vinculum* indissolubile. *Est communis* inter Catholicos ex definitione Concil. Tridentini sess. 24, can. 5, ibi : « Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitionem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit ; » et Can. 7, ibi. « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius Conjugis Matrimonii vinculum non posse dissolvi, etc., anathema sit. » Et habetur expresse ex verbis Christi Matth. 19, ibi : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Item ex Apostolo *ad Rom.* 7, ibi : *Mulier vivente viro alligata est lege*, et ad Corinth. 7, ibi : *His qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari;* quæ verba de Matrimonio consummato inter fideles contracto sunt intelligenda juxta textum in cap. *Ex publico*, 7, de Convers. conjugator. supra sub num. 14, allegatum.

(18. Divortium quoad thorum, et cohabitationem potest licite fieri, justa, et legitima causa interveniente. Habetur ex perpetua Ecclesiæ praxi, et ex expressa definitione Conc. Trid. sess. 24. Can. 8, ibi : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit. » (19. Justæ autem, et legitimæ causæ, ob quas potest licite fieri divortium inter Christianos Conjuges, septem generatim solent assignari. (20. Prima est mutuus conjugum consensus, ut cum ambo intrant Religionem, vel vir assumit statum Clericalem, et uxor ingreditur Religionem vel unus solum conjugum Religionem ingreditur, altero in sæculo remanente, dummodo perpetuum votum continentiæ emittat, ut statuitur in c. *Cum sis* 4, de Convers. conjugat., ibi : « Ut castitatem promittente, » etc. *Ad Apostolicam* 13, eodem tit., ibi : « Nisi perpetuam continentiam repromittat. » Et ejus sit ætatis, et conditionis, ut non sit suspectus vel suspecta de periculo incontinentiæ ratione morum, ut statuitur in c. *Uxoratus* 8, eod. tit., ibi : « Quæ integræ opinionis existat, ut nulla suspicio habeatur, quod minus continenter habeat vivere ; » et infra : « Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, debet Religionem intrare. » Sic etiam conjuges mutuo consensu divortium a cohabitatione thori facere possunt, ut juxta monitum Apostoli 1, ad Corinth. 7, vacent orationi ; ibi : *Ad tempus se separent conjuges, ut vacent orationi.*

(21. Secunda justa, et legitima causa est fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresim, seu gentilismum alterius conjugum ; ob hanc enim causam conjux innocens etiam propria auctoritate potest licite facere divortium quoad thorum et cohabitationem ; (22. cum hac tamen advertentia, quod si conjux innocens propria auctoritate, et sine judicio Ecclesiæ divortium fecit a conjuge in hæresim lapso, et ipse reus hæresis sese ab errore revocaverit, tunc tenetur eum iterum recipere, seu ad eum iterum redire, textu expresso in cap. *De illa* 6, de Divortii, ibi : « De illa, quæ viro suo labente in hæresim, sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur Nobis, quod mulier ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur ; » et concordat, cap. *Quanto* 7, § final. eodem titul. (23. Si vero conjux innocens judicio Ecclesiæ divortium fecit, non compellitur conjugem conversum recipere, seu ad eum iterum redire, sed potest Religionem intrare, si vult ; textu expresso in cit. c. *De illa;* ibi : « Si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam, » et concordat c. *Mulier* 21, de Convers. conjugat., ibi : « Mulier, quæ in fide remansit, potest, volente viro qui ab infidelitate revertitur, per quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem libere convolare. » (24. Si autem Religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. Sic Glossa communiter recepta in dict., cap. *Mulier* 21, de Convers. conjugat verb. *Judicio Ecclesiæ*, ubi expresse dicit : « Sed si nollet intrare Religionem, compelli debet ad ipsum redire utroque casu, sive fuerit judicio Ecclesiæ absoluta, » sive non ; arg. cap. *Quanto* 7, de Divortiis a sensu contrario ; et tenet Anchoran. *in* cit. cap. *De illa* n. 5, et ibid. Barbosa in fine. Pirhing, lib. 4. Decr., tit. 19, num. 31. Reiffenstuel, n. 32, et alii passim.

(25. Tertia causa est periculum salutis spiritualis, seu incitatio ad peccatum mortale. Si enim unus conjugum provocat, incitat, et inducit alterum ad gravia crimina, v. g. ad Sodomiam, ad furtum, ad maleficium, ad deserendam fidem, etc., ita ut sine periculo salutis spiritualis habitare cum eo non valeat, potest licite divortium facere quoad thorum, et cohabitationem ; arg. cap. *Quæ sint* 2, de Divortiis, ibi : « Verum si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit, » et textu expresso in cap. *Idololatria* 5, caus. 28, q. 1, ibi : « Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris, aut fœminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine, et vir uxorem dimittere, et uxor virum. » Et sic tenent Abbas in d. cap. *Quæ sint*, n. 3. Barbosa ib., n. 4. Engel, lib. 4, Decretal, n. 22. Reiffenstuel ibid, n. 33, et alii communiter. Et sicut ob hæresim, sic etiam ob periculum in alia labendi gravia crimina ex provocatione, incitatione, et inductione unius conjugis proveniens, potest alter propria auctoritate divortium licite facere quoad thorum et cohabitationem ; quia

Digitized by Google

si conjux ex cohabitatione cum alio periculum animæ patiatur, Jure divino licitum est ei ab ipso discedere, juxta illud Salvatoris, Matth. 5. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te*, adeoque non indiget auctoritate Judicis saltem pro foro interno; Sic Sanchez, lib. 20, disp. 17, n. 10. Reiffenstuel l. c. n. 35 arg. cap. *Idololatria* 5, caus. 28, qu. 2, ubi dicitur *omnino* posse, dictio enim *omnino* est præcisa, habetque præcisam naturam, et est latæ sententiæ, ac importat idem, ac ipso jure, taliter quod aliquid absque alia dispositione libere fieri possit; ut recte advertit Barbosa in Dict. usu frequent. dict. 240, n. 10, 12 et 19, et Sanchez lib. 1, disp. 32, n. 6.

(26. 27. Quarta causa est sævitia alterius conjugis. Potest enim licite uxor divortium facere a marito, si sit tanta sævitia mariti, ut ipsa absque periculo vitæ, vel gravis damni corporalis secum cohabitare non possit; cap. *Ex transmissa* 8, et cap. *Literas* 13, de Restitut. spoliator. (28. Sic etiam ob sævitiam uxoris, præsertim insidiantis vitæ mariti aut machinantis mortem illius, potest licite maritus divortium facere ab ea: quia jus naturale cuilibet concedit facultatem adversus vim injustam se tuendi, et periculum illius quovis modo declinandi; arg. l. *Ut vim* 3, de Justit. et Jur., et l. *Itaque* 4, ff. ad Leg. Aquil., et sic tenent Abbas in cap. *Si quæ mulier*. 1, de Divortiis, n. 4, et ibi Hostiens. n. 2. Joann. Andr., n. 3. Anchar. in fine. Sanchez, l. 10, disp. 18, n. 8. Reiffenstuel, l. c. n. 53, et alii communiter. (29. Sævitia sufficiens ad divortium censetur, si adsit probabilis timor, et periculum gravis verberationis, aut crudelis vel atrocis tractationis futuræ, etiam secluso vitæ periculo, quia gravis, aut atrox verberatio, seu crudelis tractatio causant metum cadentem in constantem virum. Nec conjuges cum tanto periculo censentur se obligasse ad cohabitandum. Ita Engel, l. 4 Decret. tit. 19, n. 23. Reiffenstuel, ibid., n. 31. Sanchez, l. 10, disp. 18, num. 16. Bosco de Matrimon., disp. 12, sect. 16, conclus. 13, a n. 446. Layman, l. 5, tract. 10, part. 3, cap. 7, n. 16, et alii communiter; arg. l. *Consensu*, 8, § 2. *C. repud.* et novell. 22, cap. 15. (30. Quando unus conjux ex sævitia alterius patitur probabilem timorem, aut periculum vitæ, gravis verberationis, aut crudelis tractationis, si periculum est in mora, potest propria auctoritate discedere ab ipso, donec causa coram Judice discussa, sententia feratur, vel eidem sufficiens cautio de securitate præstetur; quia existente et urgente tali periculo, Jus naturæ defensionem quovis modo etiam ex fuga capiendam concedit; arg. l. *Ut vim* 3, ff. *de just. et jur.* et l. *Itaque* 4, ff. ad leg. Aquil., ibi: « Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. » Sic Engel, lib. 4. Decretal., tit. 19, n. 23. Pirhing, ib., n. 62. Reiffenstuel, ib., n. 46. Guttierez, lib. 1. Can. qq., cap. 28, n. 8. Layman, l. 5, tract. 10, part. 3, c. 7, n. 18. Sanchez, l. 10, disp. 18, n. 3, arg. cap. *Ex transmissa* 8, et cap. *Literas* 13, de Restit. spoliator. (31. Si vero periculum non sit in mora, sed conjux possit cum omni securitate expectare sententiam Judicis, tunc propria auctoritate discedere non potest. Ita Doctores mox citati; arg. diction. cap. *Ex trans.* 8, et diction. cap. *Literas* 13, de Restitut. spoliator.

(32. Quinta causa est votum ultramarinum ad liberandam Terram Sanctam; ob finem enim tam pium, et sanctum potest vir etiam invita uxore tale votum emittere, atque adimplere, et in tali casu fit licite divortium ad tempus, donec scilicet vir redeat, ac proinde inter justas, et legitimas divortii causas recte enumeratur, textu expresso in cap. *Ex multa* 9, de Voto, § *In tanta*, ibi: « In tanta quoque necessitate populi Christiani, ne Terræ Sanctæ impediatur subsidium, viri præter uxorum assensum hujus peregrinationis propositum vovere libere valent, et quod voverunt libere adimplere. »

(33. Sexta est morbus contagiosus, aut aliud grave periculum corporis; ubi enim judicio Medicorum aut peritorum, est probabile periculum gravis infectionis, potest conjux sanus petere omnino separationem a thoro, et cohabitatione, si non tantum ex debito conjugali, sed etiam ex sola cohabitatione tale infectationis gravis periculum probabiliter timeatur, ut communiter sentiunt Doctores cum S. Thoma, et Scoto, in 4, distinct. 32. Sanchez, lib. 9, disp. 24, num. 17. Navarr. in Manual., cap. 16, num. 23. Barbosa in cap. *Quoniam* 2, de Conjug., lepros. Pirhing, lib. 4. Decretal., tit. 8, n. 10. Reiffenstuel, lib., n. 7. Engel, ibidem arg. cap. *Pervenit* 1, de Conjug. lepros. ubi dicitur, quod si conjuges sani non possint induci ad cohabitandum cum leprosis suis conjugibus, ad hoc cogi non possint, dummodo uterque altero vivente continentiam servent, ibi: « Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius injungas, ut uterque altero vivente continentiam servent » Et ratio est, quia ex naturali interpretatione conjuges in matrimonii contractu corporum potestatem inter se dant, et se obligant ad cohabitandum, salva suarum personarum incolumitate, adeoque cum timetur probabiliter grave periculum salutis corporalis ex cohabitatione cum conjuge infecto lepra, morbo gallico, aut alio contagioso morbo, tunc non urget obligatio reddendi debitum, nec simul cohabitandi. Rursus enim ordo naturæ postulat, aut saltem concedit, ut prius consulatur incolumitati proprii individui, cum ordinata charitas incipiat a seipso; argum. cap. *Si non licet* 7, caus. 23, qu. 5. (34. Si quis autem sponte contraxit cum persona, quam prius sciebat lepra, vel morbo gallico, aut alio simili morbo contagioso laborare, non potest licite divortium facere, nec quoad thorum, nec quoad cohabitationem, quia censetur cessisse juri suo, sicuti is, qui sciens vitium mercis, nihilominus emit. Sic communiter Doctores cum Sanch. loco cit. num. 8. Layman lib. 5. tr. 10, p. 3, cap. 1, n. 6.

(35. Septima est adulterium culpabile alte

Digitized by Google

rius conjugum. Jure enim divino et humano licitum est conjugi innocenti divortium facere quoad thorum et quoad cohabitationem ob alterius culpabile adulterium. De jure quidem divino habetur expresse ex verbis Christi Matt. 19, ibi : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur;* De jure vero humano ex cap. *Significasti* 4, cap. *Ex literis* 5, et cap. *Gaudemus* 8, de Divortiis; Frangenti enim fidem, fides merito non servatur, ex Reg. 75. Juris in 6, ibi : « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. » (36. Conjux innocens potest licite divortium facere propter alterius commissam Sodomiam, aut bestialitatem; Sic communis Doctorum, arg. c. *Idololatria* 5, caus. 28, qu. 1, ubi de mente Sancti Augustini declaratur posse fieri Divortium, et quoad thorum, et quoad cohabitationem a conjuge reo cujuscumque perniciosi, et turpis concubitus, ibi : « Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum obscenis viris, aut feminis committuntur; sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose, turpiterque corrumpunt, possint sine crimine, et vir uxorem dimittere, et uxor virum, quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem.... generalem et universalem intelligere cogimur. »

(37. Non potest tamen fieri Divortium ob tactus, amplexus, et oscula etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis sine copula facta, quia per hæc, licet cæteroquin gravia peccata, non perfecte, et consummate læditur jus Matrimonii, cum non dividatur caro unius conjugis ab altero per concubitum in tertium; Sanchez, lib. 10, disp. 4, num. 9. 10, 11. Layman, lib. 5, tract. 10, par. 3, c. 7, n. 7. Covarruv., de Sponsal., par. 2, cap. 7, § 6, num. 3. Pirhing, lib. 4. Decret., tit. 19, num 5. Reiffenstuel, ibidem num. 60, et alii. In odiosis enim, qualis est materia Divortii, non lata, sed stricta est faciendæ interpretatio, juxta Regul. 12, juris in 6, ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari. »

(38. Conjux innocens, quando alterius adulterium est notorium, potest propria auctoritate in utroque foro Divortium facere; tunc enim non est necesse expectare sententiam Judicis; arg. cap *Significasti* 4, de Divortiis, ibi : « Si notorium est, mulierem ipsam commisisse adulterium, ad eam recipiendam vir » (qui propria auctoritate sine judicio Ecclesiæ eam prius repulerat) « cogi non debet. » Sic Barbosa in cap. *Ex parte*, de Sponsal., et Matrimon., num. 6, et ibi Abbas in fine; Sanchez, lib. 10, disp. 12, num. 12 et 25. Joann., Andreas in cap. fin. de Adulter., num. 5, et ibi Ancharan., n. 6, cum Glossa communiter recepta ibidem verb. *Fornicationis*. (39. Si vero alterius adulterium sit occultum, potest conjux innocens propria auctoritate Divortium facere solum quoad thorum; Quo ad cohabitationem vero, solum post sententiam Judicis; aliter si propria auctoritate Divortium faciat quoad cohabitationem, mox alteri conjugi petenti erit restituendus, donec probaverit adulterium alterius conjugis; c. *Ex transmissa* 8, de Restitut. spoliat. et c. *Significasti* 4, de Divortiis. (40. Quando autem adulterium unius conjugis nec est notorium, nec alteri physice, vel moraliter certo notum est, sed tantum probabilis suspicio, aut dubium de illo existit, conjux innocens nec foro externo, nec interno divertere, aut debitum negare potest, quia cum conjux, de quo est suspicio, sit in possessione juris matrimonialis, non potest illo privari ob solum dubium, aut suspicionem; « nam in dubio melior est conditio possidentis; » arg. cap. *In pari* 65, de Regul. Juris in 6. Et sic tenet communis Doctorum cum Sanchez, lib. 10, disp. 12, n. 30, et seq. art. c. *Multi* 18, caus. 2, q. 1, et cap. *Oves* 9, caus. 6, q. 1, ibi : « Omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda, vel recipienda. »

(41. Conjux innocens potest conjugem adulterum iterum recipere; cap. *Quod autem* 7, caus. 32, qu. 1, et est communis Doctorum sententia. (42. Non tamen tenetur ipsum recipere, etsi multis annis pœniteat; quia quamvis per pœnitentiam tollatur culpa apud Deum, non tamen tollitur injuria facta homini, nec reatus pœnæ, nam per pœnitentiam non desinit quis esse nocens, ut recte advertit Glossa in cap. *Admonere* 8, caus. 33, qu. 2, verb. *Pœnitentiam;* arg. leg. *Qui fugitivus*, ff. *de Ædilit. edict.* sic tenent communiter Doctores, arg. cap. *Dixit Dominus* 2, caus. 32, qu. 1, ex cit. cap. *Admonere* 8, caus. 33, quæst. 2, ibi : « Nam si verum, quod absit, fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos peracta pœnitentia dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses; occidere tamen eam nullatenus debuisti (1). »

(43. Conjux innocens potest pro libitu revocare nocentem etiam post sententiam

(1) Hic ita legendus est textus, non prout in præteritis editionibus legebatur. Ex eo autem quomodo desumere Auctor possit, quod adulteram uxorem post quoque peractam pœnitentiam non teneatur recipere, non satis compertum est. Primo ibi Stephanus Papa non loquitur de repudianda uxore adultera, sed de facultate dimittendæ adulteræ etiam post peractam pœnitentiam, quod longe diversum est, cum eo temporis spatio, quod inter adulterium, et uxoricidium intercessit, in casu laudati can. potuerit viro non innotescere adulterium; ideoque licet interim uxor pœnitentiam egerit, non tamen adhuc culpa eidem a viro remissa erat, nec viro de adulterio satisfecerat, ideo vir semper poterat ob acceptam injuriam ab uxore repetere pœnam. Deinde Pontifex conferens culpam mulieris cum pœna eidem a viro inflicta, concludit melius fuisse uxorem post quoque peractam pœnitentiam dimittere, quam interficere. Eo vel magis quia textum habemus expressum in quo absolute statuitur, uxorem post peractam pœnitentiam a viro recipiendam esse. Ita Hermes in lib. 2. de Pastore mandato 4. relat. a Gratian. caus. 34. quæst. 2. can. 7. circa fin. « Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit, et voluerit ad virum suum reverti, nonne recipietur a viro suo? Immo si eam non receperit vir suus peccat, et ma-

Digitized by Google

Divortii, tenereturque nocens redire, si status utriusque adhuc est integer, et nullus eorum Religionem intravit; quia cum divortium sit in favorem innocentis institutum, non debet in ejus odium detorqueri; arg. cap. *Quod ob gratiam* 6, de Regul. jur., in 6, ibi : « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum; » retorqueretur autem in ejus dispendium, si etiam innocens privaretur jure in corpus conjugis nocentis. Et quod conjux nocens teneatur in tali casu redire, patet clare, quia nemo debet ex suo delicto commodum reportare; leg. *Itaque*, ff. *de furtis*. Immo si non teneretur redire, præberetur conjugibus ansa delinquendi, et adulterandi, ut sic possent separari, prout recte advertit Glossa in cap. *Ex literis* 5, de Divortiis, verb. *Redire;* arg. cap. *Ex part.* 10, de consuet. et Glossam hanc, et opinionem sequitur communis Doctorum (1).

(44. Quando unus conjugum adulterium committit, potest eo invito alter conjux Religionem ingredi. Sic Doctores communiter; arg. cap. *Constitutus* 15, et cap. *Veniens* 16, de Convers. conjug. juncto c. *Agathosa* 21, caus. 27, qu. 2, et cap. *Dixit Dominus* 2, caus. 32, qu. 1. (45. Et si adulterium sit publicum, et notorium, potest conjux innocens ingredi Religionem propria auctoritate, non expectata sententia Judicis. Sic Abbas in cap. *Constitutus* 15 de Conjug. numer. 4, et ibi Barbosa num. 2, Pirhing lib. 3, decret. tit. 32, n. 35, Reiffenstuel ibidem n. 17. Vallens. ibidem n. 5, Silvester verb. *Divortium* quæst. 23, dist. 2 Sanch. lib. 10, de Matrim. disp. 11, num. 5 et 10, arg. cit. cap. *Constitut.* et dict. cap. *Dixit Dominus* 2, caus. 32, quæst. 1, ibi : « Ubicumque fornicatio est, libere uxor dimittitur. » (46. Si vero adulterium sit occultum, debet expectare sententiam divortii a Judice, alias si absque tali sententia Religionem intrat, in foro externo restitui debet adultero, non obstante exceptione adulterii, ut tenet communis Doctorum; argum. cap. *Item cum quis* 6, de Restitut. spolior. (47. Conjux innocens, si post alterius adulterium ei voluntarie cohabitat petendo, et reddendo debitum conjugale, non potest eo invito Religionem ingredi, quia censetur eidem reconciliatus remisisse injuriam; argum. cap. *Quam periculosum* 8, caus. 7, quæst. 1, et cap. *Sicut* 1. cap. *Dixit Dominus* 2, c. *In conjugio* 2, caus. 32. quæst. 1, et leg. *Si Maritus* 15, § *Si negaverint* ff. ad leg. Jul. de Adulter. (48. Sic etiam conjux innocens, si ex post et ipse adulterium committat, non potest invito primo adultero Religionem ingredi arg. cap. *Significasti* 4, de Divortiis, et cap. *Intelleximus* 6, de Adulteriis, ibi : « Cum Matrimonii jus in utroque læsum consistat, et paria delicta mutua compensatione tollantur; » et cap. *Tua Fraternitas* 7, de Adulteriis, ibi : « Quia cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare : » et ibi Glossa communiter recepta.

(49. Quando conjux innocens Religionem non ingreditur, sed in sæculo manens divortium facit a conjuge adultero, etiam quoad cohabitationem, non potest conjux adulter sine licentia conjugis innocentis ingredi Religionem; quia conjux innocens habet jus condonandi adultero conjugi, eumque ad thalamum revocandi, de quo jure non potest invitus privari; arg. leg. *Si Maritus* 15, § *Si negaverint*, ff. ad leg. Jul. de Adult. et leg. *Crimen* 10, Cod. eodem cap. *Gaudemus* 19. de Convers. conjug. Et sic Glossa in cap. *Ex literis* 5, verb. *Redire*, de Divort. S. Bonavent. in 4, dist. 35, qu. 4. Silvester verb. Divorti m. q. 10. Layman lib. 5, tract. 10, par. 3, c. 7, num. 11, Pirhing lib. 3, decret. tit. 32, num. 35, Reiffenstuel ibid. num. 30, Sanchez de Matrim. leg. 10, disp. 10, num. 12 et 13, et alii plures. (50. Potest tamen conjux adulter Religionem ingredi, et in ea profiteri, etiam inscio et invito conjuge innocente, si hic prius est Religionem ingressus et in ea professus : quia quando conjux innocens Professionem in Religione emittit, redditur incapax revocandi conjugem adulterum, et eidem conjugali jure cohabitandi, quod solum alias Professionis obstaculum esse potest. Est communis. (51. Quotiescumque vir ob adulterium uxoris, ea invita, potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines sacros in sæculo quoque manens recipere, quia postquam mulier adultera amisit totum suum jus ad virum, non est major ratio, cur ea invita possit vir ingredi Religionem et in ea profiteri, et non in sæculo Ordines recipere; Sic Glossa in cap. *Constitutus* 15, de Convers. conjug. verb. *Ad gradum;* Abbas ibidem num. 4, Sanchez lib. 10, de Matrim. disp. 11, n. 16, Navarr. lib. 4, de Spons. consil. 23. num 6, Silvester verb. *Divortium* qu. 17, num 26, Pirhing lib. 3, Decretal. tit. 32, num. 34, Reiffenstuel ibidem n. 29. (52. Nec valet objicere, quod sit maxima disparitas circa ingressum

gnum peccatum sibi admittit, sed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit. » Hæc quidem sententia, licet duriuscula videatur, magis tamen Christi doctrinæ conformis est, qui inquit apud Luc. cap. 23. vers. 34 : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* (Edit. Barbiel.)

(1) Hactenus de facultate innocenti conjugi concessa dimittendi conjugem adulterum, nunc agendum de officio, quo astringitur conjux innocens dimittendi conjugem adulterum. Quousque latet adulterium, uxor adultera potest cum viro inscio cohabitare. Si vero vir adulterium sciverit, nequit cum adultera cohabitare, et eam conjugali thalamo restituere, nisi post peractam pœnitentiam. Quod si adulteram negligit dimittere, adulteræ fit particeps criminis. Salomon in lib. Proverbiorum cap. 18, vers. 22. *Qui tenet adulteram stultus est, et impius*, et Hermes loco cit. apud Gratian. caus. 34. qu. 2. can. *Ego dixi* 7. princ : « Si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, et invenerit hanc in adulterio, numquid peccat vir si cum illa concumbit? Quantu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum illa. Si autem scit vir uxorem suam deliquisse, et non egerit pœnitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, et coierit vir cum illa, reus est peccati ejus, et particeps mœchationis illius. » Hunc locum laudat etiam Fleury lib. 2. Histor. eccles. n. 45. (Edit. Barbiel.)

Digitized by Google

in Religionem, et susceptionem Sacror. Ordinum, ex quo uxor adultera post mortem viri Religionem professi possit alteri nubere, non autem sic post mortem viri Ordinibus initiati; cap. *Quia sunt* 10, d. 28, et cap. *Seriatim* 14, dist. 32. Non valet, inquam, quia Canones illi loquuntur de casu, quo vir de licentia uxoris innocentis suscipit Sacros Ordines, et non de casu, quo uxore existente adultera dictos Ordines suscipit, ut recte advertit Abbas in cap. *Constitut.* 15, de Convers. conjugat. Et ratio diversitatis est, quia in primo casu mulier innocens consentiendo ad ordinationem viri, se obligat ad continentiam; cap. *Cum sis* 4, de Convers. conjug. ibi : « Ut castitatem promittere, » et cap. *Ad Apostolicam* 13, eodem tit. ibi : « Nisi perpetuam continentiam repromittat; » Non autem sic in casu adulterii.

(53. Propter adulterium spirituale, quando videlicet unus conjux in hæresim labitur, vel apostasiam a fide committit, potest alter conjux fidelis, etiam alio invito, Religionem ingredi, vel Sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad veram Fidem iterum rediit conjux adulterans, dummodo separatio ob tale adulterium spirituale auctoritate Ecclesiæ, et non propria sit facta, textu expresso in cap. *Mulier* 21, de Convers. conjug. ibi : « Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem libere convolare, » et cap. *De illa* 6, de Divortiis, ibi : « De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur Nobis, quod Mulier ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam, » et sic Glos. communiter recepta in d. cap. *Mulier* 21, de convers. conjugat. verb. *Judicio Ecclesiæ*.

(54. Dantur plures casus, in quibus nequit fieri divortium propter adulterium. Primus casus est, quando conjux innocens jam remisit injuriam conjugi adultero, tum enim nequit amplius ab eo recedere, cum jam cesserit juri suo; arg. cap. *Quam periculosum* 8, caus. 7, quæst. 1, cap. *Sicut* 1, cap. *Dixit Dominus* 2, et cap. *In conjugio* 3, caus. 32, quæst. 1, et leg. *Si maritus* 15, § *Si negaverit*, ff. ad l. Juliam, de Adulter. et leg. *Crimen.* 10, C. eod. (55. Secundus casus est, quando adulterium ab utroque conjuge fuit commissum; c. *Significasti* 4, de Divortiis, ibi : « Nisi constaret ipsum cum altera adulterium commisisse, » c. *Intellexîmus* 6, in eod. tit. ibi : « Cum Matrimonii jus in utroque læsum consistat, et paria delicta mutua compensatione tollantur, » et cap. *Tua Fraternitas* 7, eodem tit. ibi : « Quia cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis, obtentu suæ consortium declinare; » et cap. *Nil iniquius* 1, caus. 32, q. 6, de mente D. Augustini sic præcise habetur : « Nihil iniquius, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si ipse convincitur fornicari, occurrit enim illud, in quo alterum judicas, te ipsum condemnas : eadem enim agis, quæ judicas : Quaproter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus, quod similiter etiam de fœmina dixerim. » (56. Tertius casus est, quando adulterium est tantum materiale, et non formale, id est cum absque sua culpa committitur; veluti si mulier vim passa sit; arg. d. cap. *Tolerabilius* 1, caus. 32, q. ibi : « Virgo prostitui potest, adulterari non potest : » cap. *Revera* 2, ead. caus. et q. ibi : « Revera non potest caro ante corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta; » cap. *Itane* 3, caus. 32, q. 6, ibi : « Quis sanæ mentis putaverit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa, et oppressa carne sua exerceatur, vel expleatur libido non sua; » cap. 4, ead. caus. et qu. ibi : « Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificare meruit, ipsi corpori non aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia suæ continentiæ, » quia ut dicit Gloss. communiter recepta in d. cap. *Itane* 3, caus. 32, q. 5. « Non debet quis dici perpetrasse, quod nolens fecit, vel passus fuit, nec debent imputari, quæ per coactionem absolutam fiunt. » Aut veluti si quis fraudulenter sub specie mariti aliquam cognoverit, vel aliqua sub specie uxoris se fecerit cognosci fraudulenter; cap. *In lectum* 6, caus. 34, q. 1 et 2, ibi : « In lectum mariti absente uxore soror ivit uxoris, quam uxorem putans esse suam, dormivit cum ea : super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod inscius fecerit hoc scelus.... legitimam suam conjugem habere permittatur, » quia ubi non est culpa, nec pœna esse debet. (57. Secus est si mulier sine violentia ex metu gravi cadente etiam in virum constantem, v. gr. ex metu mortis, adulterium admisit; arg. cap. *Sacris* 5, *de his quæ vi metusve*, ibi : « Cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere; » quia si talis metus non excusat a culpa mortali, nec a vero, et formali adulterio, etiam non excusabit a pœna. Tum quia si sic posset mulier esse immunis a pœna, daretur ansa adulterandi, cum quælibet se posset excusare, et defendere dicendo quod mortis, aut alterius gravis mali metu adulterium admisit; Sic Bosco disp. 12, sect. 16, concl. 5. Silv. verb. *Divort.* q. 9, casu 4. Pirhing lib. 4, Decr. tit. 19, n. 11, Reiffenstuel ib. n. 64. Sanchez lib. 10, disp. 5, n. 16, et alii communiter.

(58. Quartus casus est, si vir fuit uxori causa adulterii, veluti si eam prostituat, vel adulterium consulat, aut in illud consentiat; arg. c. *Discretionem* 6, *de eo qui cognovit consanguineam uxoris*, ibi : « Cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit. » et Glossa ibidem verb. *Tradidit* communiter recepta et stat clara ratio; quia ex Reg. 27, Juris in 6 : « Scienti, et consentienti non fit injuria, » quæ tamen injuria requiritur ad faciendum divortium. (59. Et hoc etiamsi tantum tacite consentiat, si videlicet adulterium uxoris scit, et non contradicit, sed tacet dum contradicere, et

Digitized by Google

prohibere posset, ac deberet, quia ex Regul. 43, Juris in 6: « Qui tacet, consentire videtur, » et ex leg. *Cum quid*, ff. *Si certum petatur*. « Taciti et expressi idem est judicium. » Et sic tenent communiter Doctores arg. leg. 2, ff. ad Leg. Juliam de Adulter. (60. Vir non censetur causam præbere adulterii nec uxorem prostituere, ita ut per hoc privetur jure instituendi divortium, si eam domo expellit, ac necessaria alimenta denegat, indeque indirecte causat, quod uxor adulteretur; cap. *Significasti* 4, de Divort. ubi ab Alexandro III. relinquitur viro jus faciendi divortium ab adultera sua uxore, ibi: « Ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, » non obstante quod ipsa pro excusatione sui adulterii consimilem allegaret causam, ibi: « Asserens se ab ipso injuste dimissam, at eumdem sibi materiam adulterandi dedisse; » et ibi Glossa communiter recepta in verb. *Materiam*, dicens, quod mulier nulla conditione ad adulterium adduci debet; argument. cap. *Ita ne* 3, caus. 32, qu. 5, ibi: « Potius quælibet mala tolerare decernat, quam malo consentire; » et cap. *Sacris* 5, *de his, quæ vi metusve*, ibi: « Cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere; » ut enim statuitur leg. *Palam* 43, § *Non est* 4, ff. *de Ritu nupt.* « Non est ignoscendum ei, quæ prætextu paupertatis turpissimam vitam agit. » Vide verb. ADULTERIUM, artic. 3, n. 9 et 10.

Divortia Græcorum quoad vinculum irritantur et fieri deinceps prohibentur; Bened. XIV. tom. 1. Const. 57. incip. *Etsi Pastoralis* § 8.

(61. Alia vid. verb. ADULTERIUM. DEBITUM CONJUGALE. CONJUGES. IMPEDIMENTA MATRIMONII. MATRIMONIUM. UXOR.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(62. Divortio quoad thorum, et cohabitationem locus hodie haud videtur esse posse ex voto ultramarino, de quo disserit Auctor n. 32. (63. Non sum nescius, causam hanc probari in cap. *Ex multa* § *In tanta de voto*. (64. At observandum est, constitutum id fuisse ab Innocentio III. tunc cum undique fiebant expeditiones ad Terram Sanctam recuperandam, et quidem ob « necessitatem Reipublicæ Christianæ, ne Terræ Sanctæ impediatur subsidium, » ut ait Altaserra in Comment. ad dictam decretalem Innocentii III. (65. Tales autem expeditiones non amplius fiunt nostris temporibus. (66. Non est itaque, cur vir uxorem deserere valeat sub specie voti ultramarini, quod nulli esse potest subsidio Terræ Sanctæ.

(67. Causis vero divortii quoad thorum, et cohabitationem ab Auctore adductis addi potest adulterium falso a viro uxori imputatum, quam sane causam admisit Rota in Romana Separationis Thori 4. Jun. 1736. et in confirmatoria 23. Nov. ejusdem an. 1736. cor. R. P. D. Canilliac.

(68. Defectus autem virginitatis in muliere minime præbet justam causam hujus divortii, quum attendi nequeant delicta ante Matrimonium patrata, ut sensit Rota in Posnanien. seu Varsavien. Matrimonii 27. Jun. 1747. coram Reverendiss. P. D. Bussio Decano. (69. At dubitari de hac opinione potest, præsertim si culpa mulieris hic virginitatis defectus acciderit. (70. Non me latet, in jure canonico inter causas divortii, de quo agitur, non recenseri defectum virginitatis. (71. Sed nihil mirum: uti enim recte inquit Julianus in l. 10. ff. *de LL.* « Neque Leges, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur. » (72. Cæterum ex aliis juris principiis optime deduci potest, defectum virginitatis justam causam præbere divortii, de quo disseritur. (73. Certi enim est juris, defectum qualitatis cum primis a contrahentibus contemplatæ justam præbere causam recedendi a contractu; Leg. 18. ff. *de Ædil. edict.* (74. Nemo autem inficias ire potest, virum in Matrimonio cum primis virginitatem uxoris contemplare. Deficiente igitur virginitate, si natura Sacramenti, ad quod Matrimonium elevatum est, impedit, quominus ab ipso Matrimonio recedatur, locus saltem esse debet divortio quoad thorum, et cohabitationem.

(75. Causa adulterii in eo differt a reliquis causis, quod ea tamquam immediate profluens ex violatione fidei conjugalis sit perpetua, aliæ vero causæ dumtaxat ad tempus, usque adeo donec malum, vel incommodum, quod ex mutua cohabitatione, aut consortio maritali timetur, cesset. (76. At hinc sequitur, quod in uno divortio ob adulterium potest innocens Religionem ingredi, vel, si vir sit, sacros Ordines suscipere.

(77. Ad divortium, de quo agitur, concludens requiritur probatio causæ, quæ allegatur. (78. Tum etiam ad ipsum impediendum concludenter probari debet remissio, quæ facta dicitur a parte innocente. (79. Nota vero, quod si a muliere petatur dictum divortium ex adulterio viri, et a viro opponatur remissio, ea inde probata dici nequit, quod mulier sciens pravam consuetudinem viri, cum eo cohabitaverit, sed docere præterea oportet de signis, iisque spontaneis, amoris, et benevolentiæ ipsius mulieris. (80. Confer Rotam in Romana d. Separationis Thori 4. Jun. 1736. et in confirmatoria 24. Nov. ejusd. ann. 1736. cor. *R. P. D.* Canilliac.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(81. Donec veteres Romani morum integritate, et simplicitate naturales leges observarunt, ea, quam susceperant, uxore contenti numquam de ea dimittenda fuerunt solliciti. Sed ob auctas opes, depravatis paulatim moribus, nimia eorum ambitio, et effrenata licentia in causa fuit, ut non raro per quodlibet animi impetum proprias plerumque injuria dimitterent uxores. (82. Primus omnium anno ab Urbe condita 519, ex amicorum consilio, non sine tamen magna omnium civium admiratione, Carvilius Ruga a propria conjuge ob ipsius sterilitatem divertit. Dionysii Halicarnas. lib. 2. Plutarch. in Romulum et Numam. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Aulus Gellius, Noct. Attic. lib. 4 c. 3.

Digitized by Google

lib. 7. c. ultim. (83. Frequentissima deinde, et jure Civili permissa apud Romanos fuerunt divortia leg. 60. § 1, leg. 61. l. 62. ff. *de Donat. inter vir. et uxor.* l. 1. ff. *de Divortiis.* (84. Primo id solum concedebatur viris; postea vero exeunte circiter Plauti ætate (cum apud ipsum hujus rei extet exemplum in Mercat. scen. 6. vers. 1. et seq. ubi mulierum conditionem commiseratur, quæ a viris ejici, non ejicere viros poterant) jus divortii faciendi fuit ad uxores quoque productum. Cælius ad Cicer. lib. 8. ad familiar. lit. 10. Senec. de Beneficiis lib. 5. cap. 16. l. *Si filia* 5. ff. *de Divortiis,* (85. excepta tantum liberta, quæ patrono nupsisset, cui legé Papia divortii faciendi erat interdicta facultas l. 10. l, 11. ff. *de Divortiis* l. 45. ff. *de Rit. nupt.* Heinec. Oper. tom. 8. ad leg. Papiam. cap. 12. § *Quamvis* n. 3.

(86. His ita imbuti ab infantia principiis populi, non minus quam ipsi Imperatores, et quidem Christiani, familiarissimum habuerunt divortium, facilique negotio tum mulieres tum viri post factum divortium novas contrahebant nuptias, de quibus ideo eleganter dixit D. Hieron. ad Jovin. lib. 2. « Quasdam repudiatas altero nuptiarum die statim nupsisse legimus. Uterque reprehendendus maritus, et cui tam cito displicuit, et cui tam cito placuit. » (87. Hinc ne pro conjugatorum libidine omnino fieret divortium, quædam, vigente adhuc Republica, de divortio constitutæ fuerunt leges, et nonnullæ ex legibus XII tabularum præscriptæ solemnitates, quibus tantummodo impletis licitum erat matrimonii vinculum dissolvere, aliasque ducere uxores, vel aliis nubere viris. Cicer. *Philip.* 2. Caius in l. 2. § 1, et 2. ff. *de Divortiis.* Paulus in l. 9. ff. eod. Gothofred. in Fragment. XII. Tabular. tit. 17. *de Nupt.* § 9. *de Jurgio, et fribusculo.* Valer. Max. lib. 2. cap. 1. *de Sacello deæ Viriplacæ.*

(88. Ipsi Christiani Imperatores divortium pariter permiserunt, sed justis præscriptis de causis, quibus tantum concurrentibus ad alias post annum nuptias convolare concedebatur. (89. Quod si post primos absque legitima causa repudiatos conjuges novum fuisset initum matrimonium, attentans justis plectebatur pœnis Theodos. et Valentinian. leg. 8. *de Repudiis, et judicibus de moribus sublato* § 1. Anastasius l. 9. Cod. *de Repudiis.* (90. Alias addidit divortii causas Justinianus Novell. 22. cap. 4. et 16. Novell. 68. cap. 2. l, unic. in fin. Cod. *de rei uxor. actione.* Carolus Magnus adulteram dimittenti uxorem, aliam ducere concessit, adulteræ vero a quolibet abstinere conjugio mandavit Capitular. lib. 5. cap. 19. (91. « Si quis homo habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteravit cum ea, ille frater vel illa fœmina, qui adulterium perpetrarunt, iterum, quoad vivunt, numquam habeant conjugium amplius, ille vero, cujus uxor fuit, si vult, potestatem habeat uxorem accipere aliam. » Cujus loci fit mentio etiam a Correctoribus Romanis in can. *Quædam* 19. caus. 32. quæst. 7. quæ tamen constitutio quomodo intelligenda sit, infra demonstrabimus num. 30.

(92. Quamvis autem quamplurimis adhuc erroribus infectæ comperirentur civiles leges, cum tamen primis temporibus tum SS. PP. tum Ecclesiæ deficerent vires, quibus hoc tam infandum scelus compescerent, illud in foro interno reprobarunt, et in leges adeo improbas declamare numquam destiterunt. Hinc S. Chrysostomus in epist. ad Roman. cap. 7. « Nec mihi recites leges externas atque profanas, quæ libellum repudii dare, ac divortium facere præcipiunt, non enim profecto secundum has leges judicaturus est Deus, sed secundum eas, quas ipse posuit. » S. Ambrosius de Patriarch. lib. 1. de Abram. cap. 4. relat. a Gratian. caus. 32. quæst. 4. can. 4. « Nemo blandiatur sibi de legibus hominum, nec viro licet quod mulieri non licet, et in Luc. lib. 8. cap. 2. Dimittis ergo uxorem quasi jure, et sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed Divina prohibet. Hoc non licet jure poli, etsi liceat jure fori. » Hanc eamdem sententiam innumeris aliis in locis sequitur.

(93. Quamobrem cave eidem tribuas, quod temere ipsi a Gratiano adscriptum est in can. *Uxor.* 17. caus. 32. quæst. 7. « Uxor a viro non discedat nisi causa fornicationis, quod si discesserit maneat innupta, aut reconcilietur viro suo, et vir similiter non dimittat uxorem. Ideo non subdit de viro quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam. » Hunc locum ita interpretatur et conciliat Gratian. ad can. sequent. « Sed illud Ambrosii a falsatoribus dicitur insertum. Quidam vero sententiam Ambrosii servare cupientes non de qualibet fornicatione illud arbitrantur intelligi, ut ob quamlibet fornicationem vir licite dimittat uxorem, et vivente dimissa, aliam ducat, sed de incestuosa tantum fornicatione intelligi : cum uxor videlicet alicujus patri, et filio fratris, et avunculo viri sui, vel alicui similium se constuprandam publice tradiderit. Hæc autem, quia viro suo se illicitam reddit in perpetuum, dum per copulam consanguinitatis in primum, vel secundum vel tertium gradum transivit affinitas, licite dimittitur, et ea vivente superducitur alia. Hic si quis contendat non magis viro, quam mulieri licitum esse, si vir alicujus eodem modo fornicetur, sciat virum ab Ambrosio appellatum non sexu sed animi virtute : mulierem quoque nominatam sentiat non sexu corporis, sed mollitia mentis. Sed quia nulla auctoritate permittitur, ut uxore vivente alia superducatur, intelligitur illud Ambrosii in supradicto genere fornicationis; non tamen, quod vivente dimissa, aliam ducere possit : sed post mortem fornicarii, vel fornicariæ, quorum uterque, ut supra dictum est, a corruptione luxuriæ mulier appellatur, ille, qui a fornicatione mundus est, vir vel mulier, aliis copulari possunt, adulteri autem, si supervixerint, nullo modo aliis copulari poterunt »

(94. Hæc interpretatio, rectis cæteroquin inhærens principiis, potius convenit constitutioni Caroli M. quam supra retulimus, et can. *Quædam* 19, loc. supr. cit. quam loco Ambrosii. Ibi profecto habetur casus in-

Digitized by Google

cestuosæ copulæ, at locus Ambrosii, etiamsi vellemus, de incestu nequit intelligi. Siquidem ob incestum numquam datur legitima conjunctio, quin immo post conjunctionem vinculum dirimitur. Quomodo igitur interpretari inde poterunt verba ipsius Ambrosii « aut reconcilietur viro suo? » Si ob incestum ruptum fuit vinculum, si conjunctio amplius inter eos non permittitur, ergo non potest *cum viro suo reconciliari*, ideo vel de incestuosa copula non loquitur, vel alia danda interpretatio verbis Ambrosii. Arbitratur Barbos. in hunc text. num. 3, ad fin. ibidem (95. Ambrosium loqui non secundum legem Evangelicam, sed secundum legem Juliam, aliasque Imperatorum constitutiones, dum in aliis locis juxta Christi præcepta docens contrariam tenet sententiam. Verum « est quidem commoda hæc solutio, sed ad minus incerta, cum nulli fundamento innixa sit, et male his cohæreat verbis, quæ citatam periodum concludunt. » Collet. *Continuat Tournely*, de Matrim. indissolut. cap. 5, sect. 4, num. 294.

(96. Quæ cum ita sint, magis congrua eorum mihi videtur opinio, qui negant hæc commentaria ad Ambrosium pertinere, vel saltem, dato quod ad ipsum spectent, prout tenet Cassidor. de divinis Lection. cap. 8, ab hæreticis fuisse procul dubio corrupta. Ita censet laudatus Collet. loco cit. num. 292, 293: « Commentaria in Pauli Epistolas non esse Ambrosii uno jam omnium calculo constat. Cujus vero sint dubitatur. Alii enim ea tribuunt Hilario cuidam, Factionis Luciferianæ Diacono, quem in Dialogo suo notavit Hieronymus, alii alio, vel potius aliis pluribus, qui in multis dissentiant a Patribus, præcipue autem ab Ambrosio, unde non certe magna est eorum auctoritas. R. 2. Objecta verba non esse certe Ambrosiastra, cum desit in uno Remigiensi Codice, et ea adjecta fuisse conqueratur Petrus Lombardus lib. 4. Sentent. dist. 35, et aliunde constet operi huic non pauca fuisse adjecta, ut observant Ambrosii Editores tom. 2, in admonitione iisdem commentariis præfixa. »

(97. Sed liceat mihi quoque inter varias diversorum Auctorum opiniones, quid ipse sentiam, proponere. Omitto quæstionem an commentaria in Epistolas Pauli ad Corinthios sint nec ne Divo Ambrosio tribuenda. Usque ad verba controversi textus *et vir similiter non dimittat uxorem* non dissentio ad eundem pertinere posse; at sequentia: « Ideo non subdit de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam; » absolute censeo nec esse, nec ejusdem auctoris esse posse. Ambrosius in his commentariis Epistolas Pauli expositurus iisdem fere ipsius utitur verbis. Porro uxori præcepit Paulus, ut a viro non discedat, et casu quo discedat, vel innupta remaneat, vel viro suo reconcilietur epist. 1. ad Corinth. cap. 7, vers. 10 et 11. *Præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Permittit itaque divortium mulieri, sub conditione tamen ut innupta remaneat; marito e contra legem dicturus non modo conditionatum divortium, si videlicet aliam non duxerit uxorem, sed quamlibet omnino a propria conjuge separationem prohibet ibid. loc. cit. vers. 11, in fin. *et vir uxorem non dimittat*, nec ultra quidquam de viro addit. Plus igitur mulieri, quam viro concessum est. Sed si mulieri, cui plus conceditur, post factum divortium alteri nubere non licet viro, aliam multo minus ducere uxorem poterit vir, cui etiam prohibitum est a prima uxore divertere.

(98. Duplicis generis sunt Pauli verba, *stricte prohibitiva*, et *conditionaliter ampliativa*. In priore orationis parte utraque de muliere dicta sunt, in posteriore vero respectu viri *stricte prohibitiva* tantum adhibita sunt. Si de viro quoque dicta fuissent verba *ampliativa*, veluti *vir uxorem dimittat*, tunc, omissa quoad virum conditione mulieri apposita, aliquo modo processisset consequens a *Gratiano* relatum in d. cap. *Uxor a viro* caus. 32, quæst. 7, *licere viro ducere aliam*: Sed cum verba *restrictiva* tantum respectu viri fuerint prolata *et vir uxorem non dimittat*, non erat cur Paulus adjungeret conditionem suprarelatam de muliere. Mulieri siquidem, cui divertendi a viro concedebatur facultas, conditio recte poterat imponi, ut viveret innupta; at de viro, cui prohibitum erat a muliere divertere, frustra additum fuisset, ut aliam non duceret uxorem.

(99. Quapropter cum rigidior sit lex indicta viro, quam mulieri, non satis recte ex restrictivis ad virum directis verbis desumi valet ampliativum consequens. Imbecilliorem cognovit Paulus mulierem, eique ideo magis indulsit, minus autem viro, in quo majorem invenit virtutem. Hic itaque sensus Apostoli mulieri conditionale divortium permisit, viro autem, licet continentiam servare decerneret, omnino prohibuit.

(100. Sed si genuinus hic sensus est Epistolæ Pauli, hunc certe Ambrosium ignorasse censendum non est, ideoque erronea conclusio, quæ reperitur in ejus commentariis inserta, non ipsius sed aliorum reputanda est. Hujusmodi quippe conclusio non modo Evangelicæ et Apostolicæ doctrinæ, quam certe semper in aliis operibus sequitur idem Ambrosius, ut supra notatum est, sed etiam rectæ rationi adversatur. Neque ad contrariam defendendam interpretationem dici potest, Ambrosium eo loci de legibus civilibus loqui, quibus post secutum divortium liberum erat alias contrahere nuptias. Barbos. in Decret. Grat. part. 2, caus. 32, quæst. 7, cap. 17. Dum enim Pauli Epistolas commentabatur Ambrosius, non poterat quin Apostolicam, et Ecclesiasticam sequeretur doctrinam, cum Paulus expresse protestetur, non propriam, sed Dei, conjugatis dicere sententiam. *Is autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus uxorem a viro non discedere....* Sint itaque S. Ambrosii in Epistolas Pauli commentaria, posteriora tamen verba nec sunt, nec esse possunt illius, ideoque ab

Digitized by Google

impiis hæreticis insipienter eidem attributa, atque in ejus commentariis inserta fuerunt.

(101. Temporum injuriæ tribuendum est, si post factum divortium novas nuptias nonnulli primitivæ Ecclesiæ Patres nulla quidem imitatione, sed potius commiseratione digni tolerandas duxerunt. Cum enim opportunis essent destituti remediis, quibus pudendas, et injustas civiles subverterent et abrogarent leges, hinc quando gravis occurrebat causa, ob quam thori separatio jure erat permittenda, ad majora evitanda mala, tolerarunt etiam, ægro licet animo, ut innocens conjux, vivente adhuc conjuge dimisso, ad alias convolaret nuptias, ne oppositum statuendo, leges hactenus communiter observatas temere viderentur conculcare, ut manifeste eruitur ex verbis Origenis tract. 7, in Matth. : « Scio quosdam, qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere, viro priore vivente, et contra Scripturam quidem fecerunt dicentem : Mulier ligata quanto tempore vivit vir ejus : item vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Non tamen sine causa hoc permiserunt : forsitan enim propter infirmitatem et incontinentiam hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt permiserunt, adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta. » (102. In hoc sensu accipienda sunt quæ scripsit S. Basilius in epist. 1, ad Amphilochium. cap. 9 : « Virum ab uxore dimissum venia dignum esse, si nubat cum altera, neque mulieri, quam ducit, tale connubium crimini esse vertendum, » secundum leges civiles, de quibus proprie loqui videtur. (103. Hujusmodi demum contrahentes nuptias a veniali saltem culpa non omnino immunes voluit S. Augustinus, de Fide et operibus cap. 19 : « In divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit : ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. »

(104. Quod adeo verum est, ut ubi eidem data fuit facultas et opportunitas libere loquendi, contrariam statim ipse S. Augustinus esse tenendam opinionem demonstravit Homilia 46, seu sermon. 392, et in Concilio Milevitano, cui ipse interfuit, statutum fuit, ut nova antiquarum legum derogatoria super divortiis ab Imperatore peteretur Constitutio can. 69, inter collect. Concil. Binii tom. 1, part. 1, pag. 752 : « Placuit etiam ut secundum Evangelicam, et Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur ; sed ita maneant, aut sibimet concilientur. Quod si consenserint, ad pœnitentiam redigantur. In quo casu legem Imperialem petendam promulgari. » (105. Hunc canonem habes etiam penes Gratian. caus. 32, quæst. 7, can. 5, sed paulisper mutilatum, cujus ideo lectio rejicienda est.

(106. Multas recensuit Auctor causas, ob quas licitum est divortium quoad separationem thori, et habitationis, quæ revera omnes in foro obtinuerunt, sed si ex ipsis adulterium demas, caute et nonnisi ex necessitate alias admittes. Ex unanimi enim SS. PP. sententia habemus, solum adulterii vitium præbere causam divortio. Ita D. Hieronymus in cap. 19, Matthæi : « Grave pondus uxorum est, si excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus nolumus, sustinenda est, cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti. » Ita S. Augustinus in can. *Dominus* 6, caus. 32, quæst. 7 : « Dominus ad illud confirmandum, ut non facile dimittatur uxor, solam causam fornicationis excepit : cæteras vero molestias, si quæ forte extiterint, jubet pro fide conjugali, pro castitate fortiter sustineri ; » et ibidem in can. *Si uxorem* 18, q. 5 : « Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, sive morbis, et doloribus confectam ; et quidquid, excepta fornicatione, excogitari potest vehementer horribile, pro fide, et societate sustineat. » Ita Nicolaus Papa in can. *Quidquid* 22, caus. 32, qu. 5, « quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit ; vel si te accusaverit, non est, excepta fornicationis causa, rejicienda. » Ita e contra de muliere S. Ambrosius in can. *Horrendus* 17, eadem caus. et quæst : « Horrendus, et incultus est vir, semel placuit. Numquid vir frequenter est eligendus ? »

(107. Quid vero dicendum, si mulier gravi infirmitate correpta viro reddere debitum non valuerit? Si ad Epistolam Gregorii III, prout jacet, oculos convertamus in can. *Quod proposuisti* 18, caus. 32, qu. 7, non ambiguis verbis viro conceditur facultas eam dimittendi, et congruis alimentis eidem constitutis, aliam ducere uxorem : « Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis ; bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret ; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis ; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit. »

(108. Hæc profecto sententia primo aspectu non minus Evangelicæ quam Divinæ legi contraria est, nec ita facile concipi potest quomodo anno circiter 726, quo Gregorii Epistola scripta fuit, hæc absolute doctrina tolerata fuisset, dum multo antea, sublatis civilium legum erroribus, contrarium in Concilio Milevitano, cujus supra retulimus verba num. 42. generaliter sancitum fuit. Primo vero. advertendum est Epistolam hanc non a Gregorio III, prout legit Gratianus, sed a Gregorio II, fuisse scriptam ; extat enim tom. 1. Conciliorum German. pag. 33. ubi tribui debere Gregorio II, ex chronicis Epistolis notis a Jacobo Sirmondo animadversis scite ostenditur. Ex his patet quanti facienda sit eorum opinio, qui hanc Epistolam cum Ecclesiastica doctrina conciliare nescientes dubiæ fidei esse crediderunt. Alii cum Gratiano arbitrantur rescriptum illud, uti Evangelicæ et

Digitized by Google

Apostolicæ doctrinæ adversum, omnino rejiciendum esse, vel de eorum numero esse, quæ summis interdum Pontificibus, ut privatis Doctoribus exciderunt, quæ ideo vim legis, et robur non habent.

(109. Sed, his rejectis opinionibus, ea magis placet, qua traditum est Epistolam intelligendam esse de muliere aliqua infirmitate correpta, qua impotens matrimonio erat perpetuo, sive impedimentum esset absolutum, sive relativum; ibique agi de matrimonio rato, non consummato. Non enim satis est, ut infirmitas sit perpetua, nisi eodem tempore constet matrimonium ratum non consummatum fuisse. Post consummatum quippe matrimonium, si superveniat impedimentum, non per hoc dissolvitur ipsius vinculum. Requiritur ergo, ut copulative concurrat, et perpetuitas impedimenti licet superventi, et quod matrimonium sit ratum. In his profecto terminis recte respondit Gregorius, cum ea fœmina numquam dici potuerit uxor, cum deficeret causa matrimonii, sobolis nempe propagatio. Ita Barb. Collect. Doct. in part. 2. decret. caus. 32. q. 7, cap. 18, sub num. 2. « Dico ergo vel intelligendum de fœmina infirmitate arctationis correpta, quæ ita arcta erat ut a viro cognosci non posset, maritoque dicit Pontifex, bonum viro si sic permanserit, solebant enim quas ut uxores habere non poterant, retinere ut sorores sine copula maritali et actibus. » Bellarmin. de Matr. lib. 1, c. 11. in fin., Sanchez tenent « priorem non fuisse legitimam uxorem ob impedimentum perpetuum, idque solum declarasse Pontificem, » et paucis interjectis, prosequitur: « Dico etiam explicari posse de fœmina nondum cognita et de matrimonio rato non consummato, qua in gravem aliquem morbum incidente, eumque perpetuum, conjux volebat ad secunda vota transire, idque indultum a Gregorio. » Collect. loc. alias cit. de matrim. cap. 5, sect. 3, num. 132. « Dico in illo Gregorii textu sermonem esse de fœmina, qua naturali infirmitati correpta matrimonii impotens erat, quæ proinde nusquam vere fuerat uxor illius, cui ab ipsa discedere permittit Pontifex Rom. Hanc certe expositionem patitur Gregorii textus, quem totum retuli. Atqui postulat æquitas, ut ambigua locutio benigniorem in sensum flectatur, cum præsertim durior alia admitti nequit absque eo quod Pontifex et in re perspicua cæcutierit, et a constanti tum Sedis suæ, tum et Ecclesiæ doctrina recesserit.»

(110. Neque rem mutant sequentia Gregorii verba non *tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedit*, ac si his indicare vellet matrimonium validum ab initio fuisse, et quasi polygamiam tueri. Etenim respondebitur cum Glos. intelligi de dote restituenda, aut si de alio subsidio accipiatur, esse consilium: Barbosa loco cit. et Collect. loc. pariter citat. « Nec obstet, quod vetet Gregorius ne vir ille subsidii opem subtrahat ab ea quam deserit. Neque enim opem illam præcipit Gregorius, eo quod fœmina illa vere fuerit uxor, sed quod inops esset, nec sibi propter infirmitates victum posset comparare. Huic uni, quæ reverentior est, solutioni adhæret Juninus. » Cæterum, hoc excepto casu, ubi perpetuus non sit morbus, et matrimonium jam sit consummatum, nullo modo licet, alterutro vivente conjuge, novas contrahere nuptias. Ita Alexander III. in cap. *Pervenit* 1, et cap. *Quoniam* 2, de Conjugio leprosorum.

(111. Quoniam hic Auctor meminit de spirituali adulterio legitimam præbenti causam divortio, non abs re erit, pauca hic de Judeorum ad Christi fidem conversorum divortio adjungere. Statuit Benedict. XIV. in Constit. Apostolici ministerii 38, *super abusu libelli repudii conversorum a judaismo*, si quis judææ uxori libellum repudii exhibeat, Ecclesiasticis censuris, et pecuniariis insuper pœnis plectendum esse: voluit tamen, ut a viro converso mulier infidelis interpellatur, an ipsa quoque velit Christi fidem amplecti, et cum viro Christiano cohabitare; quod si infidelis ad fidem converti renuat, tunc, viro converso, liberum est aliam Christianam ducere uxorem. Innocentius III. cap. *Quando* de Divortiis, et idem Benedict. XIV. in Constit. *in Suprema* 127, tom. 1. ejus Bullar. Apostolica tamen Sedes facillime eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadeat, concedere solet. Gregorius XIII. locorum Ordinariis Parochis, et Præsbyteris Missionariis Societatis Jesu in Angola, Etiopia, et Brasilia degentibus potestatem concessit dispensandi cum quolibet Conjuge, qui Christianiæ Religioni nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse. Bened. XIV. de Synod. Diœcesan. lib. 6, cap. 4, § 3. post medium. Immo ipse Benedictus Apostolico Venetiarum Nuntio facultatem concessit, ut in simili rerum eventu possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges conversos existentes in loco pio Catechumenorum ipsius Civitatis Venetiarum, ut habetur ex ipsius Constit. 3, tom. 1. Bullar. Quin immo licet inde Mulier infidelis ad Christi fidem convertatur, matrimonium tamen ex post a viro converso cum muliere Christiana contractum ipsa nequit rumpere; idem Benedict. XIV. alia Constit. incip. *In suprema* 117. tom. 1. Bullar. relat. a Galiard. Instit. Jur. Canon. lib. 2, tit. 11. § 1, num. 52. in fin. in not. lit. *A*.

(112. Quæstio hic solet excitari, utrum statim, ac infidelis conjux Christianam renuat amplecti fidem ut quidem minus recte opinantur an post secundas cum Christiana fœmina nuptias initas legitimum viri Neophyti matrimonium dirimatur ex probabiliori sententia, quam sacra Congregatio Concilii sequitur in quadam Florentina 1679, reproposita anno 1680, in Thesaur. resolut. tom. 3, pag. 346, 352. et seq. et in alia Florentina anni 1726. Rursus utrum infidelis uxor in pœnam suæ perfidiæ nequeat alteri viro nubere, quousque

Digitized by Google

primus vixerit, an vero potius ipsa quoque a matrimonii vinculo diei debeat soluta statim ac ipsius vir secundas cum Christiania muliere celebravit nuptias. Super his varii varia sentiunt, ideoque hanc potius Theologis dirimendam relinquimus quæstionem, ne in alienam messem injicere manus videamur, quoniam in suis Constitutionibus eamdem maluit indecisam relinquere Bened. XIV. Hanc tamen breviter pertractare non omisit in suo tractatu de Synod. Diœces. lib. 6, cap. 3, § 4 et 5. ubi quærit: an Summus Pontifex suprema sua auctoritate possit matrimonium in infidelitate contractum dirimere, et affirmativam sequi videtur opinionem. Verum Sacra Congregatio Concilii quæstionem indecisam reliquit. Quapropter si libet consule argumenta affirmativæ sententiæ allata in magistrali super hoc puncto ejusdem Benedicti dissertatione, quæ inserta legitur in cit. Thesaur. Resolut. pag. 30.

(113. Expedit ab iis, quæ spiritualem respiciunt matrimonii naturam, modo videamus de temporalibus. Sicuti enim ut plurimum sine dote, vel donatione propter nuptias non contrahitur matrimonium, ita jure quæritur, an dos restituenda, vel quando, et in quibus casibus restituenda sit post secutam thori saltem, et habitationis separationem. Quæstio hæc absolvitur distinctione: Aut divortium sequitur ex culpa viri, et tunc mulieri integra restituenda est Dos. Fontanell. de Pact. nupt. claus. 7, glos. 2, par. 10, num. 51. Rota coram Molines decis. 369. n. 15 et 16, et post multos relatos coram Crispo decis. 292, et 8. usque ad fin. ubi multis pariter allegatis firmat, ultra dotem augmentum quoque dotis, fructusque a die contestatæ litis super divortio esse mulieri restituendos. Quid vero si nupserit indotata, nullaque propter nuptias intercesserit donatio, Resolutionem quæstionis habes a Justiniano in leg. *Jubemus* 11. Cod. *de Repudiis*. « Si quis autem eam, quam sine dote uxorem acceperat sine ejus culpa eam rejecerit, vel ipse talem culpam contra innocentem mulierem commiserit, compellatur ei quartam partem propriæ substantiæ pro rata portione persolvere; ut si quidem quadringentarum librarum auri vel amplius vir substantiam habeat, centum libras auri mulieri præstet, et nihil amplius, etsi quantamcumque substantiam possideat. Si vero minus quadringentis libris auri pura substantia ejus fuerit, tunc quarta pars, computatione facta puræ substantiæ ejus, usque ad minimam quantitatem mulieri detur, » et Novell. 22, cap. 18. Novell. 53, cap. 6. Novell. 74, c. 5.

Si vero e contra mulier divortio occasionem præbuerit, tunc de rigore juris ipsa Dotem amittit d. l. *Jubemus* 11. Cod. *de Repudiis*, ibique Bruneman. n. 3. Corvin. in Cod. lib. 5, tit. 17. circa fin. Duaren. Oper. tom. 1, pag. 188, coll. 1. in princ. et pag. 479. coll. 2, § 5. in Comment. tit. *de Divortiis*. Rem adeo produxerunt nonnulli ut mulierem bonis etiam paraphernalibus privent, contrariam tamen sententiam, quod illis non privetur, veriorem esse tenet post relatam utramque opinionem Pirhing in Jus canon. lib. 5, tit. 16. sect. 1, § 5, n. 28. Ex æquitate tamen atque ex diversorum locorum consuetudine in potestate viri est, vel dotem adulteræ uxori restituendi, vel alimenta eidem præstandi, in quibus constituendis pro circumstantiarum varietate multum arbitrio Judicis tribuendum est. Voet. in Pandect. lib. 24, tit. 2, n. 18. in fin. Carpzov. Definit. forens. par. 3. Constit. 26. definit. 15 et 18.

Si vero quæras quis Judex ad has exolvendas controversias adeundus sit, utrum nempe laicus, vel Ecclesiasticus, non longe petenda est responsio. Si respicias matrimoniales causas in se, quatenus agitur de validitate matrimonii, de vinculi indissolubilitate, et similibus, cum hæc spiritualia sint, ad Judicem Ecclesiasticum procul dubio pertinent, ut luculenter probavit Auctor. Controversiæ autem quæ versantur super dotis restitutione, vel alimentorum constitutione, incidenter potius quam principaliter ad matrimonium pertinent. Quapropter si uno eodemque tempore res sit de matrimonio quoad ipsius validitatem, et vinculi indissolubilitate, et de arris, largitionibus, mutuis donationibus, de dotibus, de pactis dotalibus, de alimentis, causa super matrimonio simpliciter cognoscenda erit a Judice Ecclesiastico, reliqua vero relinquenda erunt judicio Laicæ Curiæ. Ros. in Prax. civil. decr. dist. 3, c. 2, n. 41; *de Franch.* dec. 52 et dec. 512. Sanfelic. dec. 11, n. 3. Capicelatr. dec. 73.

Neque officit, quod hoc contrarium videatur regulæ de qua leg. 1. Cod. *de ordin. judic.* et leg. 3 Cod. *de judic.* quæ Judicem principalis causæ, quæ omnia incidenter adnexa, licet a suo foro aliena cognoscere jubet. Hoc enim peculiare est in causis matrimonialibus, in quibus sicuti Judex laicus, ubi etiam incidenter occurrit super matrimonii, et sponsalium fœdere controversia, eam ipse cognoscere recusat, sed potius decernere solet, ut *partes adeant Judicem Ecclesiasticum*, vel *ut causa ad Ecclesiasticam Curiam remittatur*; ita videtur statuendum in contrario casu, quatenus Judex Ecclesiasticus principaliter spiritualem matrimonii causam expendit, incidenter vero occurrit de aliis incidentibus disputatio. Gagliard. Instit. jur. canon. lib. 3. tit. 7, § 16, in fin. Fontanel. de Pact. nuptial. claus. 7, glos. 2, part. 10, a num. 55, usque ad. n. 60. Card. de Luca de Matrimon. in sum. num. 61.

ADDITIONES CASINENSES.

114. *Divortium* Matrimonii opponitur indissolubilitati: porro tripliciter considerari hanc Matrimonii proprietatem debemus. 1. Cum Matrimonium est *verum*; 2. Cum *ratum* est; 3. vero cum *consummatum*. Est autem *verum* Matrimonium quod in infidelitate contrahitur; *ratum* quod a fidelibus legitime

Digitized by Google

celebratur; *consummatum* denique quod usu intervenienté completum est.

(115. De Divortio in secundo tertioque casu auctor agit noster, at de divortio in primo casu quædam dicenda sunt. Contendimus itaque Matrimonium ab infidelibus legitime contractum (h. e. Matrimonium *verum*) dissolvi posse quoad vinculum, si alter conjugum fidem amplectitur, et nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris. Hæc doctrina penes Catholicos semper certa erat; at in dubium eam vocant neoterici. Anno enim 1758, die 2 Jan. Senatus Parisiensis decretum edidit, quo confirmatum est judicium latum a curia Suessionensi die 5 Feb. 1756, in causa Judæ Borack Levi Argentinensis fidem catholicam noviter amplectentis : sententia vero curiæ præfatæ eidem vetitum erat aliud inire Matrimonium, licet uxor Judæa cum ipso vivere jurgiter renueret. Tunc temporis Ecclesiam Suessionensem regebat Episcopus Fitzjames. Ab ejus sententia Borach appellavit ad senatum Parisiensem; a quo Episcopi sententia fuit confirmata. Historiam hujus causæ habes in opere, cujus titulus : *Recueil important sur la question de savoir si un juif peut se remarier après son baptême;* 2 vol. in-12. Vide quoque hac de re Leridant *Code Matrimonial* t. 1, necnon Potier t. 2.

Ad sententiam Senatus Parisiensis confirmandam conati sunt Desessarts : *Dissertation où l'on prouve que saint Paul n'enseigne pas que le mariage puisse être rompu lorsqu'une des parties embrasse la religion chrétienne.* D. Pillet : *Traduction des deux livres de saint Augustin...* Augustinus Gervasius : De Sacram. Matr. cap. 5. t. 2. Auctor Institutionum Theologicarum Lugdunensium Diss. 4, art. 3. Eybel, Binterim, Tabaroud, La Luzerne in *Instr. sur le Rituel;* aliique quos collegit D. Jos. Carriere de Matrimonio t. 1, p. 11, sect. 3.

Hisce præmissis adversus omnes istos neotericos, sive aulici, sive Jansenistæ sint, probandum est nostrum assumptum : Primo quidem id probatur ex Pauli verbis (I. ad Cor. VII, 15. *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus.* In quibus sane verbis de Divortio quoad vinculum loquitur Apostolus, uti antithesis inter fidelium et infidelium conjugia evidenter demonstrat. Accedit Patrum auctoritas. Re sane vera SS. Ambrosius (l. VIII, in Lucam), Jo. Chrysostomus (Hom. 19. in cap. VII, ep. I. ad Cor.) Theophylactus atque OEcumenius in hunc Apostoli locum docent divortium esse faciendum, cum infidelis discedit. « Ut, inquit Chrys., si jubet te sacrificare, aut sociam esse impietatis propter Matrimonium, aut recedere : melius est ut divellatur Matrimonium quam pietas. » Ex quo testimonio habemus rationem quamobrem Deus exceptionem fecit, in favorem nempe fidei et pietatis. Diximus Deum apponere exceptionem, quia non humana aliqua sed divina prorsus auctoritate dissolvenda sunt ejusmodi Matrimonia.

Accedunt Rom. PP. decreta : illustre est illud Innocentii III, cap. VII. *de Divortiis :* « Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente : qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit : et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus : Si infidelis discedit, discedat... Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum. » Mitto cætera Rom. PP. decreta, mitto usum perpetuum omnium Ecclesiarum qui ex libris ritualibus colligitur; sed non possum prætermittere quod sapienter hac de re scribit Benedictus XIV, in l. 6, de Synodo, cap. 4. « Certum est infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et per Apostolum I. Cor. VII, promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam Fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris. » Sive ergo Scripturam Sacram, sive Patrum Auctoritatem, constantem Ecclesiæ traditionem et praxim consideras, conjugia infidelium dissolvi posse admitteres necesse est.

(116. Quid vero dicendum in casu, ubi conjux infidelis interpellari non potest? Huic quæstioni reponimus, edendo decretum a S. C. Conc. datum 17 Jan. 1722. Unde colligimus in hoc casu Summi Pontificis dispensatione opus esse. Scimus Benedictum XIV potestatem Nuntio Venetiis commoranti concessisse, qua dispensari posset cum quolibet conjuge, qui Christianam Religionem fuerit amplexus, ut novum Matrimonium inire posset, omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constaret non posse legitime interpellari. Constat etiam Gregorium XIII, eamdem dedisse facultatem missionariis in Æthiopia et Brassilia degentibus.

(117. Licet vero certum est conjugii vinculum dissolvi posse in hoc casu; tamen inter se non conveniunt auctores quoad tempus quo illud dissolvatur : sunt enim qui putant illud fieri ante, sunt et qui tenent illud evenire post secundum Matrimonium. S. Thomas in ea sententia est quod neque ante, neque post secundum Matrimonium prius dirimitur, sed eo temporis quo contrahitur secundum : « Crimen, inquit (in suppl. q. 59, art. 5.), uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris absolvit virum a servitute qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente, aliam ducere : sed nondum solvit Matrimonium; quia si de blasphemia illa converteretur, antequam ille aliud Matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus, sed solvitur per Matrimonium sequens... » Hanc Thomæ sententiam sequutus est Benedictus XIV. Nobis quoque longe probabiliorem esse videtur.

Conjugi fideli, in hoc rerum statu, liberum est, religionem profiteri; et si semmo sit de marito, ad sacros Ordines ascendere

Digitized by Google

potest. Ita S. Thomas (in suppl. q. 59, art. 4). « Si autem non sit spes conversionis, potest *ad sacros Ordines vel ad religionem accedere.* »

(118. Divortium quoad vinculum, sive totalis dissolutio Matrimonii rati non consummati, fit per solemnem Religionis professionem alterius conjugum. Est de fide : sed quæritur ex quo jure matrimonium hoc in casu dirimitur. Tres sunt sententiæ : earum prima hunc effectum repetit ex jure naturali; altera ex jure divino positivo; tertia demum contendit Ecclesiam, potestate sibi divinitus tradita, hanc conditionem apponere, ut dissolvatur vinculum matrimonii rati, non consummati, per solemnem religionis professionem. Ex hisce tribus sententiis nobis magis arridit ultima; quia viam faciliorem nobis præbet fidem defendendi adversus neotericos. Cæterum unicuique liberum est illam amplecti, quæ sibi verior faciliorque esse videtur. Cum vero constat Romanos Pontifices sæpius in hisce matrimoniis dispensasse, non video quomodo catholici hanc potestatem ipsis denegant. Vide Tournellium, Collet, et Jo. Carriere; Sauretium et Perrone. Illi sententiam negantem, isti affirmantem tuentur.

(119. Divortium quoad matrimonii vinculum dari non potest propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam. Sic definitum est a Patribus Tridentinis. Sane vinculum matrimonii dissolvi non potest nisi in casu quo Christus a lege generali de ejus indissolubilitate a se edita, derogavit. Atqui numquam derogavit in hisce casibus, uti colligere est tum ex ipsis sacris literis, tum Ecclesiæ auctoritate, constantique praxi. Sed haud levis est difficultas pro adulterii exceptione petita ex verbis Christi apud Matth. v, 32 : *Omnis qui dimiserit uxorem suam*, EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA, *facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat.*

Doctrina vero Ecclesiæ quoad Divortium adulterii causa hæc est : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi... anath. sit. » Conc. Trid.

(120. Neque in verbis Christi penes Matth. l. c. ulla habetur exceptioin favorem adulterii. Namque ex citatis verbis liquet, cum mœchari eum qui adultera dimissa aliam ducit, tum qui dimissam ducit. At si talis exceptio haberetur, qui fieri posset ut mœcharentur in hoc casu? Verba ergo citata intelligi debent de dimissione quoad thorum. Quæ confirmantur ex aliis Evangelistis, qui hanc clausulam omittunt, et ex S. Paulo Christi verba exponente de sola dimissione quoad thorum.

His accedit universalis Ecclesiæ consensus, quæ non aliter Christi verba intellexit, quam de dimissione quoad thorum. Hujus rei testes appello omnes Patres, atque Ecclesiæ doctores; testes appello Conciliorum et Romanorum Pontificum decreta.

(121. Juverit vero cum Card. Pallavicinio monere sententiam de divortio quoad vinculum propter adulterium non esse damnatum ut *hæreticam* in Conc. Trid. Damnati enim fuerunt Lutherani et Calvinistæ, qui Ecclesiam erroris accusabant, non vero Græci et orientales, qui adhuc tenent conjugium propter adulterium dissolvi posse. Vide quæ docte scribit Card. Pallavicinius lib. 22. cap. 4, adversus Paulum Sarpium. Licet vero Tridentini Patres directe anathemate Græcos non perculerint non inde sequitur Ecclesiam aliqua ratione Græcorum praxim approbare, cum ex dictis doctrinæ Evangelicæ plane sit contraria. Sed legenda esset Const. Benedicti XIV, quæ incipit : ***Etsi pastoralis***. « Matrimonia, inquit, inter conjuges Græcos dirimi, seu divortia, quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur (ordinarii); et si quæ de facto præcesserunt nulla et irrita declarent. » Dum vero Ecclesia tolerat Græcos aliter sentientes, ac nisi eos ignorantia excusat, propterea peccantes, cum illis agit sicut cum cæteris peccatoribus.

DOCTRINA CHRISTIANA.

SUMMARIUM.

1. A quibusnam tradenda Fidelibus Doctrina Christ. — 2. Etiam in Ecclesiis ruralibus non parochialibus tradenda. — 3. 6. Necessaria etiam adultis, et ejus methodus tradendi. — 7. Non ea satis instructi a matrimonio repellendi. — 8. 10. In propria parœciæ instruendi Fideles. — 11. Ludimagistri cogendi ad tradendam pueris Doctr. Christ. — 12. Plura de ea clericis quam laicis scitu necessaria. — 13. Multo probabilius, non valide absolutum fuisse, ignorantem scitu necessaria necessit. medii. — 14. Valide vero ignorantem necessaria necessit. præcepti. — 15. Mandatum Procurat. Gener. omnium Ordinum, ut explicationem Doctrinæ Christ. Professis laicis faciendum curent. — 16. Innovatum, et executioni traditum apud Frat. Min. — 17. Doctrinæ Christ. exemplar Catechismus Rom.

(1. Doctrina Christiana est Fidelibus populis tradenda ab Episcopis; Benedict. XIV, tom. 1, Constitut. 42, incip. ***Etsi minime***, § 2. (2. A Parochis, aliisque animarum curam habentibus; Idem, ibidem, § 3 et 4. (3. Item a reliquis Ecclesiasticis, a Magistris, a Patribus familias, a sodalibus huic operi addictis, et a reliquis invicem viris, et mulieribus; Idem, ibidem, § 5, et seq.

(4. Doctrina Christiana tradenda est etiam in Ecclesiis ruralibus non parochialibus; ibid., § 14, ubi expresse mandat, quod decernat. « Episcopus, gravibus etiam statutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes Christianæ Doctrinæ Summam populo tradant, divinamque Legem annuncient. » Et jam id statuerat Clemens XII, in sua Epistola Encyclica directa omnibus Episcopis Italiæ die 1 Julii 1735, vulgari idiomate, ibi « Sopratutto Sua Beatitudine inculca l'esatta osservanza di quanto s'ordine a' Porichi su questo punto dal Sacro Concilio di Trento,

Digitized by Google

e specialmente che non si tralasci mai l'istruzione nella messa de' giorni festivi, ciocchè ancora dovrà farsi da tutti i Sacerdoti, che celebrano ne' medesimi giorni nelle Chiese, e Capelle rurali, per ammaestramento, di quella gente, che interviene al Santo Sacrificio, così dovranno insegnare tuttociò che debbano credere, sperare, ed operare, e specialmente i Misteri principali della nostra Santa Fede. » Sic apud eumdem Pont. Benedict. XIV, volum. 3, Notific. 3, circa fin.

(5. Doctrina Christiana non solum pueris, sed et adultis est necessaria; Idem in cit. Constitut. *Etsi minime*, § 8. (6. Qua ratione providendum est institutioni Fidelium omnis ætatis, et gradus; Idem ibid., § 9. (7. Et præscribitur uniformitas in methodo et ratione docendi Doctrinam Christianam, adhibendi nempe Libellum de Clementis VIII, mandato a Cardinali Bellarmino conscriptum, in deputata Congreg. diligenter examinatum, et approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, et discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneretur; Idem ibid., § 17. (8. Ubi subjungit, quod si alicubi contingat, ob peculiares regionum necessitates alium quempiam adhiberi forte Libellum, sedulo invigilando sit, ne quid ille contineat, vel in eum umquam inducatur a Catholica veritate absonum; sed insuper ut in eo Fidei dogmata clare, et dilucide sint explicata, additis, si quæ desunt, necessariis, ac sublatis, quæ redundant, servata semper brevi, et univoca docendi methodo.

(9. Qui in Doctrina Christiana satis instructi non reperiuntur, Matrimonio jungendi non sunt; Idem Constitut. 42, incipit *Etsi minime*, § 11.

(10. Non est tolerandus mos in nonnullis Diœcesibus obtinens, ut pueri unius parœciæ in alia parœcia doceantur doctrinam Christianam; quemadmodum rescripsit Sac. Congregat. Concil. ad Card. Lambertin., die 9 Augusti 1732. Institut. Ecclesiast. 9, § 10, sed singuli Parochi erudire suos debent, vel saltem curare, ut in parœcia erudiantur. Non tamen reprehenduntur qui in Ecclesiis suis, licet non sint Parochis subjectæ, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant Parochis nomina eorum, qui eo frequentant; ib., § 13.

(11. Ludimagistri, tam conducti a Communitate, quam non conducti, tam Clerici, quam laici, hortandi sunt prius, ut doceant suos Discipulos Christianam Doctrinam, tum etiam cogendi, ex Decr. Congr. Concil. ad Archiepiscopum Spalatens. die 17 Julii 1668, ibidem, § 14.

(12. Doctrinam Christianam non omnes scire æqualiter necesse est; plura enim scitu necessaria Ecclesiasticis, quam Laicis, plura adultis, quam pueris, et puellis, plura valentibus ingenio, quam hebetibus; Institut. Ecclesiast. 72, § 19.

(13. Si quis non credat, explicite ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, multo probabilius est, illum nec valide absolutum fuisse. Illicita est quidem certe in eo casu absolutio, nec potest Confessarius tuto uti opposita huic sententia, et absolutionem illis, qui hæc ignoraverint, impertiri, ut ex propositione damnata ab Innocentio XI, constat.; ibidem, § 19.

(14. Si quis vero ignoret ea, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, dummodo nunc doleat, et proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex Theologis; ibid.

(15. Mandatum Procuratoribus Generalibus omnium Ordinum Regularium injunctum, ut per Encyclicam Epistolam Ministros Provinciales singularum Provinciarum Italiæ, Insularumque adjacentium admoneant, ut per idoneum Virum Regularem singulis diebus Dominicis in quolibet Conventu Professis Laicis, ac præsertim quæstuatoribus Doctrinam Christianam, Catechismum, Romanum, et aliquod Regulæ punctum explicari curent.

« In vigore della presente s' incarica seriamente al padre Procuratore Generale, etc., di scrivere una lettera circolare a tutti li Provinciali delle Provincie d'Italia, ed Isole adjacenti, con ordinar loro in coerenza della mente espressa della Sacra Congregazione sopra la Disciplina Regolare, che in ciaschedun Convento della medesima si spieghi ogni Domenica da un Padre, che da' Superiori Locali rispettivamente sarà giudicato a proposito, la Dottrina Cristiana, Catechismo Romano, e qualche punto di Regola ai Religiosi Professi nello stato Laicale, e particolarmente ai Questuanti, con premere fervorosamente intorno a tuttociò, che riguarda i doveri, ed oblighi precisi, e proprii della Vita Religiosa, che professano. Si starà intanto attendendo di sentire in scriptis da V. P. che così si eseguirà speditamente senz' altro, etc. Di Casa, 13 Novembre 1709.

« *Fr.* DE VICO, *Segretario.* »

(16. Mandatum hoc Sac. Congr. innovatum fuit anno 1758, cujus omnimodam executionem in Ordine Fratr. Minor P. Minister Generalis totius Ordinis edixit, ut sequitur.

F. CLEMENTE DI PALERMO. *Lettor Giub. Teol. di S. M. C. nel Real Congresso di Madrid per l'Immocolata Concezione, Ministro Gener. di tutto l'ordine nel D. P. San Francesco, Visitatore, e Riformatore Apostolico, e Servo nel Signore.*

« La Sacra Congregazione della Regolare Disciplina, sempre intenta a promuovere il vantaggio e il decoro delle Religioni, avendo saputo, quanto sieno ignoranti moltissimi Laici delle medesime tanto nella Dottrina Cristiana, quanto nelle altre cose necessarie sapersi da questi, ha giudicato espediente fare intendere a tutti li Superiori Generali, quali sieno le sue intenzioni sopra un tal particolare per mezzo della seguente Lettera.

Digitized by Google

« Reverendiss. Padre,

« Frequenti sono stati i ricorsi, che in diversi si sono fatti a questa Sacra Congregazione della Disciplina Regolare, della grave ignoranza, che vi era tra Laici, e Conversi di molte Religioni, non solo degli obblighi, che sono particolari del loro proprio stato, ma anche della Dottrina Cristiana, e delle cose più importanti di Nostra S. Fede; e con quel premuroso zelo, che devoa, non ha mancato con replicate Lettere Circolari dei 9 Novembre 1709, e dei 20 Febbraio 1739, inculcare a' Superiori Generali gli ordini più pressanti, che in ogni Convento in ciascuna Domenica dell' anno da un Padre da destinarsi dal Superior locale si spiegasse a' Religiosi Professi nello stato laicale, e precisamente a' Questuanti la Dottrina Cristiana, il Catechismo, ed ancora qualche punto della Regola, premendo sopra tuttociò, che riguarda i doveri della vita Religiosa, che professano.

« Non ostante però tutti questi replicati Ordini di essa Sacra Congregazione, continuano ed in iscritto, ed in voce le querele degli zelanti Religiosi, che la spiega della Dottrina Cristiana a' Conversi venga trascurata anche nelle più osservanti Religioni, tantochè alcuni di essi Religiosi con lagrime hanno attestato ritrovarsi in essi una sì crassa ignoranza che non sappiano nè anche i principali Misteri di N. Santa Fede.

« Per riparare adunque ad un tanto lagrimevole disordine, ha creduto questa Sacra Congregazione della Disciplina Regolare, anche con espressa approvazione della Sanctità di Nostro Signore, che si eccitasse il lodevole zelo di V. Paternità, affinchè con viva, ed efficace Lettera circolare a tutti li Provinciali d'Italia, ed Isole adjacenti faccia lor conoscere il debito preciso del loro Officio d' invigilare su de' Superiori Locali per l' esato adempimento d' un obbligo di tanto rilievo, qual' è l' istruzione de' loro Conversi nella Dottrina Cristiana, e lo stretto conto, che dovranno rendere a Dio dell' altrui ignoranza, ordinando ad essi Superiori Provinciali.

« Primo. Che nel ricevere li Conversi alla Religione, la principal cosa, su cui debbano essere esaminati, sia sulla Dottrina Christiana, secondo viene specialmente prescritto dai Decreti della Santa Memoria di Clemente VIII. *De Educatione Novitiorum;* e non trovandoli ammaestrati, come conviene, in niun conto li ricevano.

« Secondo. Che in tutte le maniere, e senza che vi sia scusa alcuna, che possa darne esenzione, facciano in tutti li Conventi in ciascuna Domenica, o altro giorno della Settimana, che dal Superior Locale sarà stimato più opportuno, ai Laici Professi, Terziari, o Oblati, da un Padre, che egli giudicherà capace, spiegar la Dottrina Cristiana, il Catechismo, e qualche punto della Regola, che riguarda i doveri, e gli Obblighi precisi della loro vita Regolare, e specialmente appartenenti al Voto di Povertà.

« Terzo. Che portandosi essi Provinciali in visita, come altresì qualche altro in grado di Visitatore, tra le più importanti cose, che con maggior premura debbano inquirere, sia l' informarsi, se i Superiori Locali facciano adempire una tale spiega della Dottrina Christiana e se esattamente si eseguisca, esaminando anche i detti Laici, con osservare, come siano in quella istruiti, e nel caso, che ritrovino dell' ignoranza ne' medesimi, o che tal esercizio non sia esattamente praticato, rigorosamente gastighir, ed essi, ed i Superiori locali a misura della loro trascuraggine, anche col privarli e sospenderli dall' Officio; come dalla Sacra Congregazione non si mancherà, essendo avvisata. che si usi da qualche Superior Locale della negligenza di procedere a quei condegni gastighi, anche di privazione di voce attiva, e passiva, ed altri, che crederà convenevoli.

« Quarto. Ed acciocchè si mantenga sempre vivo ne' Superiori Locali l' adempimento di tale Ordine, è mente della Sacra Congregazione, che questa sua Lettera da' medesimi si faccia leggere due volte l' anno in pubblico Refettorio di ciascun Convento nella stessa maniera, che si pratica di altri simili Ordini.

« E sicura la stessa Sacra Congregazione, che V. P. non tralascerà col suo commendabile zelo adempiere quanto le vien prescritto, invigilando nella più attenta ed efficace maniera, che un dovere di sì grand' importanza, qual' è l' istruzione ne' la Dottrina Cristiana in Persone Religiose, sia nel di lei Ordine eseguito con ogni esattezza. E nell' attendere il riscontro dell' esecuzione, che si sarà sollecitamente data ai commandi delle EE. Loro, auguro alla Paternita Vostra ogni felicità.

« Roma 15 Marzo 1758.

« *Al piacere di V. Paternità.*

« F. G. A. CARDIN. GUADAGNI PREFETTO.

« *Dom. Arcivesc. di Nicomedia Segr.*

« In sequela pertanto di quanto ci viene imposto dalla medesima Sacra Congregazione incarichiamo strettamente la P. V. a dar pronta esecuzione a' suoi Ordini, che per mezzo d' una Circolare notificherà a tutti li Superiori Locali, i quali dovranno far copia di questa Nostra per leggerla ogni sei mesi in piena Communità. Sarà poi suo peso, venga da medesimi eseguita in tutte le sue parti; e con autentico attestato ci farà costare di venir praticato da Essi quanto nella presente si prescrive, sotto pena, in caso d' inoservanza, della privazione dell' Officio, e d' altre a nostro arbitrio. E cordialmente salutandola, le diamo la Serafica Benedizione.

« Roma Araceli 1 Aprile 1758.

« *Di V. P.*

« F. CLEMENTE DI PALERMO

« *Ministro Gener.* »

Per Comandamento di S. P. R. F. Vincenzo Scutari già Diff. Gener. e Segretar. General. dell' Ordine.

Digitized by Google

17. Noverint Parochi et Catechistæ omnes a Summo Pontifice Clemente XIII, ad omnes Episcopos Encyclicam datam fuisse Epistolam die 14 Junii 1761, qua omnibus præcipit, ut ad fidelium instructionem, posthabitis iis catechismis, quos novitatis amor passim efferre consuevit, utantur Catechismo Romano jussu S. Pii V, ad mentem Tridentinæ Synodi edito, qui quidem omnem doctrinam complectitur, qua fideles informari oporteat; quæ ab omni errore quam longissime abest, quæque demum communis est in Ecclesia. Cum enim per invia loca ducendæ non sint oves ad pascua, nec possit vulgus ascendere in montem, in quem gloria Domini descendit, fidelibus propterea, præsertim rudioribus, et simplicioribus proponenda non sunt singularia quædam etiam catholicorum doctorum placita, sed ea tantummodo tradenda, quæ sunt ad salutem necessaria, aut summopere utilia, ne iidem plus sapiant, quam oporteat sapere, sed sapiant ad sobrietatem. Hacce autem antiqua docendi ratione, quam nobis Romanus Catechismus suppeditat, auferetur a pusillis quoddam scandali genus ortum ex diversis variisque Christianæ doctrinæ tradendæ methodis, et certissima magis elucescet catholicæ veritatis nota, Doctrinæ universitas, antiquitas, et consensio.

DOLOR

Vide verb. Pœnitentiæ sacramentum, *art.* 2.

DOLUS

Vid. verb. Commodatum, *num.* 17.

DOMICILIUM PRO CONTRAHENDO MATRIMONIO

Vid. verb. Matrimonium, *art.* 2, *Impedimenta matrimonii.*

DOMICILIUM PRO ORDINIBUS SUSCIPIENDIS

Vide verb. Ordo, *art.* 3.

DOMINIUM.

SUMMARIUM.

Articulus I. — *Dominium quoad ejus esse, divisionem, et species.*

1. Dominium generalissime sumptum quid sit. — 2. Dominium sic generalissime sumptum dividitur in Divinum, et humanum, et quid utrumque. — 3. Dominium divinum dicitur universalissimum, et excellentiæ. — 4. Dominium humanum aliquando dicitur Altum, seu politicum, et aliquando dicitur Bassum, seu speciale, et quid sit utrumque. — 5. Dominium humanum est duplex, Jurisdictionis, et proprietatis. — 6. Dominium Jurisdictionis quid sit. — 7. Dominium Jurisdictionis dividitur in sæculare, et Ecclesiasticum, et quale sit utrumque. — 8. Dominium proprietatis quid sit. — 9. Dominium proprietatis est duplex, perfectum, et imperfectum; et quid sit dominium perfectum. — 10. Dominium proprietatis imperfectum vel est directum, vel utile, et quid sit utrumque. — 11. Quis dicatur habere dominium utile, et quis dominium directum. — 12. Ususfructus quid sit. — 13. Usufructus proprie nequit constitui in rebus unico usu consumptibilibus. — 14. Quasi ususfructus tamen etiam in his constitui potest. — 15. Usus generaliter loquendo est duplex, scilicet usus facti, et usus Juris: et quis sit uterque. — 16. *ad* 2. 17. Datur alius quoque usus, quasi Juris permissivi, vel potius usus Facti simplex, ac licitus omnino dependens a voluntate Domini proprietarii. — 18. Hic usus simplex Facti potest separari, et de facto separatur a Dominio rei etiam unico usu consumptibilis. — 19. Affertur et solvitur instantia. — 20. *ad* 2. 21. Possessio unde dicatur. — 22. Possessio ut sic, dividitur in possessionem *Juris* tantum, in possessionem *facti* tantum, et in possessionem *Juris, et facti* simul. — 23. Possessio *Juris* tantum quid sit. — 24. Possessio *facti* tantum quid sit. — 25. Possessio Juris, et facti simul quid sit. — 26. Possessionis vera definitio. — 27. Possesio tripliciter acquiri potest, scilicet, Apprensione vera, ficta, et civilissima. — 28. Possessio deperditur multipliciter. — 29. Per rei amissionem universaliter loquendo non perditur ejus dominium. — 30. Possessionis commoda, et privilegia sunt plura. Primo, quod in dubio æquali de rei Dominio melior sit conditio possidentis bona fide. — 31. Secundo, quod non sit possessoris probare in judicio rem esse suam, sed alterius, scilicet Actoris, non esse. — 32. Tertio, quod possessor bonæ fidei post legitimi temporis decursum plenum rei dominium acquirit. — 33. Quarto, quod possessio bonæ fidei tribuit possessori Jus administrationis. — 34. Quinto, quod possessio bonæ fidei tribuit jus possessori, ut lucretur fructus ex re taliter possessa perceptos. — 35. Sexto quod possessor ab altero invasus possit vim vi repellere, et rem suam defendere, seu repetere etiam armis ad id necessariis adhibitis. — 36. Septimo, quod si quis tempore motæ litis reperiatur in possessione, et nec vi, nec clam, nec precario possideat, est in sua possessione manutenendus. — 37. Octavo, quod si Possessor privata alicujus violentia de possessione suarum rerum fuerit expulsus, aut clam ea spoliatus, ante omnia debeat fieri restitutio spoliatu. — 38. Dominium rectius definitur. — 39. 43. quomodo in primævo hominum statu res terræ in dominium singulorum pervenerint. — 44. In auctorem animadversio.

Articulus II. — *Dominium quoad ejus Subjectum, et Objectum.*

1. De fide est, Deum esse rerum omnium creatarum vere, et proprie Dominum. — 2. Christus ut homo fuit Dominus absolutus, et directus universorum quantum ad jus, et potestatem. — 3. Angeli habent Dominium proprie dictum solummodo suorum actuum liberorum, rerum autem inferiorum, et corporearum non habent proprie dominium, sed solum potestatem, gubernativam a Deo delegatam. — 4. Inter has Creaturas inferiores solus homo est Dominii capax, ita ut omnes res corporeæ inferiores cadant sub Dominium hominis. — 5. Unus homo licite acquirit, et habet Dominium in alium hominem quoad ejus opera, et servitutem personalem. — 6. Dominium servitutis in alium hominem potest homo acquirere quatuor modis, seu titulis, scilicet titulo nativitatis, via emptionis, ratione delicti, et

Digitized by Google

jure belli. — 7. Primus modus, scilicet titulo *nativitatis* ostenditur. — 8. Secundus modus, scilicet via *emptionis*, demonstratur. — 9. Tertius modus, scilicet ratione *delicti*, exemplificatur. — 10. Quartus modus scilicet jure *belli*, manifestatur. — 11. Homo non habet Dominium vitæ suæ, sed ipsum remanet penes solum Deum. — 12. Habet tamen homo Dominium omnium actuum suorum liberorum, etiam interiorum, immo, et supernaturalium. — 13. Homo est etiam Dominus suæ libertatis. — 14. Item est Dominus propriæ famæ, et honoris. — 15. Nequit tamen homo licite tantum bonum prodigere sine causa, et maxime quando ex fama se infamantis pendet fama, ac infamia alterius. — 16. Uxores habent Dominium, et administrationem bonorum paraphernalium; dotalium vero et medietatis bonorum communium Dominium quidem, sed non administrationem. — 17. Filii familias adhuc sub patria potestate constituti habent verum Dominium, plenamque administrtaionem bonorum Castrensium, et Quasicastrensium, Adventitiorum vero Dominium, non administrationem; Profectitiorum autem nec Dominium, nec administrationem. — 18. Religiosi solemniter professi, cujuscumque sint Religionis, sunt in particulari penitus incapaces omnis Dominii, ac juris bonorum temporalium. — 19. Novitii retinent Dominium bonorum suorum; immo etiam illi, qui in Societate Jesu finito biennio probationis emittunt tria vota simplicia. — 20. Religiosi retinent Dominium, seu quasi Dominium bonorum spiritualium, aliorumque jurium. — 21. Religiosi professi cujuscumque Ordinis (excepto Ordine FF. Minorum de Observantia, et Cappucinorum) possunt in communi habere Dominium bonorum temporalium. — 22. Hoc tamen Dominium competens dictis Religiosis in communi non est omnino liberum, et independens, sicuti est Dominium sæcularium. — 23. Clerici Beneficiati non habent Dominium portionis fructuum, quæ honestæ sustentationi superfluit, et si illam expendant in usus profanos, peccant mortaliter contra justitiam, et tenentur ad restitutionem. — 24. Sunt tamen Clerici Beneficiati Domini portionis fructuum Beneficii, quæ ad congruam ipsorum sustentationem necessaria est. — 25. 27. Alia de subjecto et objecto dominii.

ARTICULUS III. — *Dominium quoad modos ipsum acquirendi.*

1. Dominium rerum tribus modis acquiri potest, scilicet Jure naturali, seu Gentium; Jure civili, atque Canonico; Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis.—2. Jure naturali, seu Gentium, qualium rerum acquiratur Dominium.—3. Jure civili atque Canonico, qualium rerum acquiratur Dominium. — 4. Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis qualium rerum acquiratur Dominium.—5. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium multipliciter, scilicet, Occupatione, Alluvione, Specificatione, Accessione, Confusione, Commixtione, et fructuum Perceptione. — 6. Per Occupationem res illæ, quæ nullius sunt, fiunt primi occupantis. — 7. Hinc licitum est quælibet animalia ferina, et silvestria nondum ab aliquo comprehensa prosequi, et capere, ita ut statim fiant capientis. Idem est de iis quæ ex Domini potestate elapsa in pristinam libertatem redierunt. — 8. Capientes autem animalia in leporariis, vivariis, stagnis, sylvis non amplis, et circumdatis, non acquirunt eorum dominium, sed tenentur restituere. — 9. Ita etiam animalia domestica, seu naturaliter mansueta, sicut et ferina mansuefacta, quamdiu redire solent, non sunt primo capientis, etiamsi longe aberraverint, sed sunt Domino comparenti restituenda. — 10. Feram, aut avem lethaliter vulnerans, et eam insequens moraliter certo capturus acquirit ipsius Dominium, et si ab alio capiatur, est ei restituenda. — 11. Si vero fera aut avis sit ita leviter vulnerata, ut adhuc fugere possit, tunc si alius eam fugientem capiat, est ipsius capientis. — 12. Si autem dubium foret, an qui vulneravit ratione talis vulneris esset capturus, nec desisset prosequi feram vulneratam, tunc de æquitate esset dividenda inter vulnerantem, et capientem. — 13. Eadem ratione si quis animal vagum insequatur, et illud in retia alterius incidit, tunc uterque habet jus illud capiendi, unde de æquitate est inter ipsos dividendum. — 14. Si piscis reperiatur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piscatoris, ut nullatenus possit evadere, acquirit statim ejus dominium, unde si alter ex ejus retibus ipsum eripiat, tenetur ad restitutionem; Secus si piscis adhuc poterat se eripere ex illis retibus. — 15. Quando apes ex proprio alveario ita evolant, ut illarum reversio, vel apprehensio desperetur, tunc licite possunt a quolibet apprehendi, etiam si forent in fundo prioris domini. — 16. Si autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, maxime si ipsum apertum retineat etiam ad hunc finem. — 17. Res incertæ habentes dominium, sed ignotum, non cadunt sub dominio primi inventoris, seu primo occupantis, sed qui eas invenerit, obligatur eas restituere veris dominis, si per sibi debitam diligentiam dignoscere possit. — 18. Res, seu pecuniæ incertæ inventæ si post diligentem inquisitionem non compareat earum dominus, sunt in pauperes, seu ad alium pium usum applicandæ, nisi ipse inventor pauper sit, *ad n.* 20. — 21. Opposita tamen sententia defenditur a plurimis classicis Doctoribus. — 22. Si res inventa derelicta fuerit, fit inventoris qui primo occupat. — 23. Si res inventa sit de illis, quæ numquam dominum habuerunt, fit primo occupantis. — 24. Merces, aut quævis alia bona reperta in litore maris, aut fluminis post naufragium non sunt primo capientis, aut fisci, sed restitui debent. — 25. Piscantes bona naufraga in mari tenentur restituere domino, sicuti debent domino restitui ea, quæ eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione, etc., et etiam oves, aut alia animalia ex lupi faucibus erepta. — 26. Thesaurus proprie dictus definitur; et ipse jure naturali, et gentium transit in Dominium inventoris occupantis. — 27. Si thesaurus inventus sit in proprio fundo, totus est inventoris. — 28. Si thesaurus inventus sit in fundo alieno casu fortuito, dimidius erit domini fundi, et dimidius inventoris. — 29. Si thesaurus inventus sit ex industria in fundo alieno, erit totus domini fundi. — 30. Si dominus consensit ut quis in fundo suo thesaurum quæreret, standum est pacto inito; Si autem nullum initum sit pactum, fieri debet divisio ad æqualitatem, nisi dominus cessisset partem suam; Si autem inventor certo scierit ibi latere thesaurum, et simulaverit se nihil scire fingendo aliam necessitatem terræ effodiendæ, thesaurus erit totus domini fundi. — 31. Si fundus habet duos dominos, unum directum, et alterum utilem, thesaurus inventus casu fortuito, erit dimidius inventoris; et alter dimidius thesauri erit inter illos dominos ex æquo dividendus. — 32. Si autem thesaurus fuerit ex industria inventus sine consensu alterius domini; tunc erit totus dividendus inter ipsos dominos, et nihil debetur inventori. — 33. Si vero inventor fuerit unus ex ipsis dominis fundi v. gr. fuerit, dominus utilis, ut Feudatarius, vel Emphyteuta, tunc ipse dominus utilis inventor debebit reddere domino directo solummodo quartam partem; et sibi reservare alteram quartam partem, quatenus est ejus fundi dominus, et integram medietatem, quatenus est inventor. — 34. Tanto jure non gaudet Depositarius, et Hypothecarius. — 35. Si vero casu fortuito thesaurum inveniant in illo loco sibi deposito, aut impignorato, tunc dimidius thesaurus erit domini fundi, et dimidius inventoris, seu inventorum. — 36. Thesaurus inventus in loco publico spectante ad Principem, seu fortuito, media pars debet esse inventoris, et media pars Principis,

Digitized by Google

seu Communitatis. — 37. Thesaurus aut inventus in loco omnino publico, et communi ad nullius speciale Dominium proprietatis spectante, quamvis spectet ad Dominium Jurisdictionis alicujus Principis, vel Communitatis, totus est inventoris, et non Principis, vel Communitatis. — 38. Thesaurus ex industria quæsitus, et inventus in loco sacro vel Religioso, inscio aut invito Prælato, fit ipsius Prælati, seu Ecclesiæ. Ex consensu autem, vel fortuito requisitus, dividendus est pro medietate inter inventorem et Prælatum, seu Ecclesiam. — 39. Thesaurus arte magica inventus in omni casu post sententiam Judicis adjudicatur fisco vel in toto, si totus fuisset inventoris, vel solum in parte, quando una sola pars inventori contingere debeat. — 40. Sciens in agro alieno esse thesaurum, potest illum emere eodem pretio, ac si ibidem thesaurus non lateret, ac postea, empto agro, totum thesaurum tamquam verus Dominus in conscientia retinere. — 41. Emens rem mobilem, in qua thesaurus latebat, etiam priori venditori ignotus, si ipsum inveniat, acquirit sibi thesaurum totum, nec de eo tenetur quidpiam venditori. — 42. Miles qui hosti saccos lupulo refertos abstulit, in quibus laminæ auræ vel argentæ erant conditæ, si postea saccos vendidit, non habet jus ad laminas neque ad pretium pro illis exigendum. — 43. Leges circa thesaurorum applicationem factæ, quando sunt pœnales, non obligant in conscientia ante sententiam Judicis. — 44. Quando autem non sunt pœnales, obligant in conscientia ante omnem sententiam Judicis. — 45. Ea, quæ hactenus dicta sunt de thesauris, procedunt secundum jus commune. Si autem, in aliqua Provincia sint aliæ leges particulares, vel consuetudines hac de re justæ, sunt servandæ. — 46. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium etiam per alluvionem. — 47. Alluvio est duplex, alia latens, alia patens, et quæ sit utraque. — 48. Augmentum fundi factum per Alluvionem latentem est ejus cui adjungitur; Augmentum autem factum per alluvionem patentem, remanet illius, cujus prius erat. — 49. Insula per alluvionem de novo nata, cujus sit? et cujus sit alveus a fluvio derelictus. — 50. Incrementum alluvionis quoad substantiam fit domini proprietarii fundi, cui accedit; Quoad usumfructum autem, si sit incrementum latens, accrescit usufructuario; si vero sit incrementum patens, accrescit Domino proprietario. — 51. Jure Gentium acquiritur rerum Dominium etiam per *Specificationem;* et quid per specificationem intelligatur. — 52. Si quis ex aliena materia faciat speciem, quæ semel facta non possit reduci ad priorem materiam, acquirit dominium illius speciei; E contra si quis ex aliena materia faciat speciem, quæ possit iterum reduci ad priorem materiam, non acquirit dominium illius speciei, sed dominium manet apud illum, cujus fuit materia. — 53. Jure gentium acquirit rerum dominium etiam per *Accessionem.* Quando dicatur *Accessio*, seu adjunctio. — 54. Si annulo accedat, seu conjungatur gemma; si vesti intextatur purpura, gemma et purpura spectabunt ad dominium illius, cujus erat annulus, et vestis. — 55. Remanet tamen ipsi obligatio reddendi alteri æstimationem rei suæ, sive bona, sive mala fide usurpata. — 56. Sic jure *Accessionis* si quis in suo fundo ex aliena re ædificaverit, is fit dominus ædificii; diruto tamen ædificio materiæ dominus eam vindicare poterit, nisi antea ipsis pro materia satisfactum sit. — 57. E contra vero, si quis in alieno solo sua materia ædificaverit, ædificium, erit illius, cujus est solum; et si talis ædificans scivit solum esse alienum, nihil pro opera, et materia sua repetere poterit in foro externo, etiamsi ædificium diruatur. — 58. Ex æquitate tamen, etiamsi mala fide in alieno fundo ædificaverit, potest repetere pretium materiæ, et expensarum. — 59. Et a fortiori si bona fide ignoravit solum esse alterius. — 60. Sic etiam jure *Accessionis*, si quis alienam plantam in suo fundo posuerit, et radices egerit, fit statim sua. — 61. Sic si arbor in confinio posita in duorum dominorum fundo radices egerit, æqualiter communis erit ambobus. — 62. Arbor vicina ut fiat tua, non est satis quod radices aliquas, et etiam aliquos ramos projiciat in fundum tuum, sed requiritur ut origo, seu truncus in tuo fundo crescat. — 63. Sic etiam jure *Accessionis* frumenta sata in fundo alieno fiunt illius, cujus est fundus. — 64. Si bona fide severit, potest repetere impensas, e contra si severit mala fide. — 65. Ex æquitate tamen, etiamsi mala fide severit, potest, ut volunt multi, repetere pretium materiæ, et expensarum, secundum æstimationem utilitatis. — 66. Sic etiam jure *Accessionis* scripturæ, seu literæ, etsi aureæ sint, chartis, vel membranis cedunt. — 67. Hodie tamen, quia charta vilis est pretii, consuetudo prævaluit, ut charta cedat scripturæ, etiamsi mala fide esset conscripta. — 68. Sic etiam jure *Accessionis* pictura vilior, quam tabula valde pretiosa, cedit tabulæ, soluto tamen a Domino tabulæ pretio picturæ ipsi pictori, si bona fide pinxit, alias de jure nihil. — 69. Si autem pictura pretiosior sit quam tabula, ut plerumque accidit, tunc tabula cedit picturæ. — 70. Jure gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Confusionem et Admixtionem.* — 71. Confusio quid sit. — 72. Admixtio quid sit. — 73. Assignatur differentia inter Admixtionem, et Confusionem. — 74. Assignatur prima regula ad dignoscendum ad quem spectet rerum dominium in Confusione. — 75. Assignatur secunda regula pro Confusione. — 76. Assignatur prima regula ad dignoscendum ad quem spectet rerum dominium in admixtione. — 77. Assignatur secunda regula pro Admixtione. — 78. Pro acquirendo Dominio alienæ pecuniæ per admixtionem cum propria; speciale quid videtur statutum, ut tenet una Doctorum sententia. — 79. Alia autem Doctorum sententia communior, et probabilior tenet pro acquirendo rerum Dominio per *Admixtionem*, eamdem esse rationem de pecunia, ac de frumento mixto, et hujusmodi mixtibilibus, et pro discernendo ad quem spectet dominium etc. tradit duas regulas. — 80. Assignatur prima regula ad dignoscendum ad quem spectet dominium pecuniæ, frumenti, hujusmodi, quando mixtio facta est uno volente, altero nolente, aut sciente. — 81. Assignatur secunda regula pro eodem fine. — 82. Qui pecuniam, vel quamvis rem alienam ab ipso furatam, vel ab alio fure mala fide acceptam, cum propria commiscuit, ut discerni amplius nequeat, acquirit totius cumuli dominium, et remanet cum obligatione resarciendi totum damnum Domino pecuniæ. — 83. Qui pecuniam furtivam accepit bona fide in solutionem alicujus debiti, et sic bona fide cum sua pecunia commiscuit, postea comparente Domino pecuniæ ad nihil tenetur. — 84. Qui autem pecuniam furtivam accepit bona fide gratis, vel lucratione, et ita commiscuit cum sua, acquirit quidem dominium ipsius, ut non teneatur eam restituere in individuo, sed tenetur Domino restituere in æquivalente. — 85. Jure Gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Fructuum perceptionem.* — 86. Jure Civili atque Canonico, acquiritur potissimum mediante *Præscriptione, et Usucapione.* — 87. Jure Particulari privati alicujus Contractus acquiritur per *Emptionem, Donationem* etc. — 88. 89. Modi quibus olim Dominium privatum inductum est. — 90. Contractus titulum et causam præbent pro acquirendo Dominio. — 91. Quomodo Dominium acquiratur jure Gentium. — 92. Distinctio inter alluvionem et inundationem. — 93. Duo acquirendi modi, *Fœtura et accessio.* — 94. De Accessione. — 95. Quid per Alluvionem acquiri possit. — 96. 129 Alia de Dominio opportune notanda ex Edit. Barbiell.

ARTICULUS IV. — *Dominium quoad reservationem, et reservationis effectus.*

De Dominii reservationis effectibus. — 2. 3.

Digitized by Google

Præcipuus effectus. — 4. 5. Conceditur beneficium reservationis dominii etiam mutuanti ad rem emendam. — 6. Licet expressa Dominii reservatio non sit ei necessaria. — 7. 9. Quid si concurrat cum ipsa domino rei venditæ, qui sibi Dominium non reservaverit. — 10. 12. Non ita sentiendum est de mutuante ad rem in genere emendam, vel reficiendam, vel conservandam. — 13. 14. Quid ulterius requiratur

ARTICULUS. I.

Dominium quoad ejus esse, divisionem et species.

(1. Dominium generalissime sumptum est facultas disponendi de re tanquam sibi subjecta. Est in re communis. (2. Dominium sic generalissime sumptum dividitur in *Dominium*, quale competit Deo per essentiam in omnes creaturas; et *Dominium humanum*, quod convenit homini per participationem, seu potestatem sibi a Deo collatam in alias Creaturas, juxta illud Genesis I : *Crescite et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli ; et universis animantibus, quæ moventur super terram.* (3. Dominium divinum dicitur dominium universalissimum, seu excellentiæ, quia competit soli Deo ratione creationis in omnes creaturas. (4. Dominium humanum aliquando dicitur *Altum*, seu politicum, et est illud, quod habent Reges in bona subditorum, urgente necessitate; et aliquando dicitur *Bassum*, seu speciale, et est illud, quod competit particularibus respectu rerum suarum. (5. *Dominium humanum* est duplex: dominium scilicet Jurisdictionis, et dominium proprietatis. (6. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi sibi subditos, præcipiendo, vel prohibendo, præmiando, vel puniendo. (7. Et hoc dominium jurisdictionis subdividitur in *sæculare*, quale est in Imperatoribus, Regibus, Ducibus, etc., respectu populorum sibi subditorum in negotiis sæcularibus; et in *Ecclesiasticum*, quale est in Summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, qui habent subditos in spiritualibus. (8. *Dominium proprietatis* est facultas disponendi de re sua pro libitu in suum commodum : et dicitur notanter in *suum commodum*, ut contradistinguatur a dominio jurisdictionis, quod habent Principes sæculares, et Prælati Ecclesiastici in suos subditos in ordine ad gubernationem, et correctionem, cum hoc non faciant in suam, sed suorum utilitatem.

(9. Dominium proprietatis est duplex; perfectum et imperfectum; *dominium proprietatis perfectum*, quod et plenum dicitur, est facultas libere, et licite disponendi de re etiam in proprium commodum, et quoad omnes usus a lege non prohibitos; adeoque hoc dominium perfectum seu plenum, importat liberam dispositionem tam rei, quam fructuum, seu emolumentorum ejusdem. (10. *Dominium proprietatis imperfectum* est illud quod, vel habet solam proprietatem rei sine fructibus et dicitur *Dominium directum;* vel habet solos fructus sine proprietate, et dici-

in mutuante in concursu cum habente hypothecam generalem. — 15. 17. Alii effectus Dominii reservationis. — 18. An reservatio Dominii, quæ jus pignoris et hypothecæ producit, cadere valeat super mobilibus et semoventibus. — 19. Secus dicendum ubi reservatum fuerit Dominium super animalibus. — 20. 22. An Princeps gaudeat prælatione super omnes Dominii reservatarios.

tur *Dominium utile*. (11. Hoc dominium utile habet Feudatarius, Emphitheuta, Usufructuarius, etc., respectu illius rei, quam ab alio accepit in Feudum, Emphitheusim, vel cujus habet usumfructum; Dominium vero directum habet Princeps in feudis, Dominus in Prædio ad Emphitheusim dato, et omnis ille, qui dicitur Dominus cujuspiam rei, cujus usufructus alteri est concessus.

(12. Usufructus est jus utendi, ac fruendi re aliena, salva ejus substantia; l. 1, ff. *de usufructu*, et Instit. eod. tit. Dicitur *Jus*, quod est quid commune ad dominium, usum nudum, et usumfructum. Dicitur *Utendi*, ut contradistinguatur a certis juribus, nempe Depositarii respectu depositi; Creditoris respectu pignoris, isti enim nequeunt uti deposito, aut pignore sine licentia Domini. Dicitur *Ac fruendi*, ut distinguatur a mero usu ; Differt enim Usuarius simplex ab usufructuario, quod *Usuarius* habet tantum jus utendi re aliena, non autem percipiendi, et alienandi fructus, et colligitur ex l. 1 et 2, ff. *de usu, et habit.* et Inst. eod. in princ. Usufr. autem habet jus utendi re aliena, et percipiendi, ac alienandi ejus fructus; l. *Usufructu* leg. 7, ff. *de usufructu*. Hinc qui habet jus utendi equa, ea uti potest ad arandum, at non potest de ejus pullis disponere ; qui vero habet ejus usumfructum, potest utrumque; Unde usus fructuarius potest disponere de fructibus rei tam pro se, quam pro aliis, vendendo, donando, concedendo, locando etiam invito proprietario. Non sic autem usuarius, uti constat ex tit. Instit. *de usu et habitatione*. Vide verb. Usufructus num. 4. Dicitur *Re aliena*, quia per id distinguitur a Dominio, ratione cujus utitur quis re tanquam sua, hic autem sermo est de usufructu nudo, seu separato a proprietate rei qui proprie formalis usufructus appellatur. (13. Dicitur *salva ejus substantia*, ad denotandum quod usufructus proprie nequit constitui in rebus unico usu consumptibilibus, ut sunt vinum, panis, oleum, etc., cum sit impossibilis eorum usus salva manente rei substantia, ex quo talis usus in consumptione consistat. (14. Quasi usumfructum tamen etiam in his constitui posse, statutum est in l. 1 et 2. ff. *de usufructu rerum quæ usu consumuntur;* et § *Constituitur*, Instit. *de usufructu;* ea conditione, ut si v. g. maritus uxori testamento legaverit usumfructum omnium suorum bonorum, vel rerum usu consumptibilium. Istæ tradi debeant æstimatæ uxori, postulata cautione, quod tempore usufructus finito, scilicet post mortem uxoris, earumdem æstimatio hæredibus mariti restituenda sit, textu expresso in cap. *Cum constet* 8, *de pignoribus*, ibi : « Cum constet, etc., mulierem uxorem

Digitized by Google

Ogerii quoad usumfructum filio suo successisse in bonis, quorum proprietas ad M. mulierem uxorem C. dignoscitur pertinere, Mandamus quatenus eam ad cautionem idoneam exhibendam, quod utatur, et fruatur salva rerum substantia in rebus immobilibus, quæ usu non consumuntur, ad arbitrium boni viri; Pecuniam vero, si quam habuit, vel habebit, ad æstimationem bonorum quæ consumuntur usu, et in hæreditate inventa fuerit, in morte sua dictæ mulieri, vel hæredibus ejus restituat per censuram Ecclesiasticam compellatis. » Et sic Glossa communiter recepta, ibid., verb. *Pecuniam*. Vide d. verb. USUSFRUCTUS, num. 16.

(15. Usus generaliter loquendo est duplex, scilicet usus *Facti*, et usus *Juris*. Usus *facti* est ipsa actualis rei usurpatio, sivejure; sive injuria facta, adeoque usum facti habere dicitur omnis, qui re aliqua actualiter utitur, sive sibi assistente jure, sive sibi jure resistente. (16. Usus *Juris* est ipsum Jus sive legitima facultas utendi aliqua re; adeoque usum juris habere dicitur omnis, qui et utitur, et potest ad libitum licite uti aliqua re. (17. Alius quoque dari potest usus, quasi Juris permissivi, vel potius facti, simplex, ac licitus, et omnino dependens a libera voluntate domini proprietarii, quo scilicet conceditur alicui facultas utendi re etiam usu consumptibili, sed omnino dependenter a libera concedentis voluntate, ita ut pro ejus libitu revocari possit.

(18. Et sic usus simplex Facti, atque dependens omnino potest separari, et de facto separatur a dominio rei etiam unico usu consumptibilis, ut jam docet communissima etiam extra Scholam Scotisticam apud Lugo *de just. et jur. disp.* 2, *sect.* 3, *n.* 43, ubi pro hac opinione citat plusquam viginti classicos Auctores, et dicit sic tenere cæteros Recentiores communiter; Et hanc partem tradiderunt plures Summi Pontifices, Nicolaus III, cap. *exiit, qui seminat*, § *Nec quidquam*, vers. *profecto si juxta promissum*, de verbor. Signific. in 6. Clemens V. Clementin. 1, § *Perinde cum vir Sanctus* eod. tit. Alexander IV. Constit incip. *Uberes fructus*, Mart. V, Eugen. IV, Nicolaus V, Paulus IV, Sixtus IV, qui expresse sententiam nostram docuerunt, indeque affirmarunt, Fratres Minores habere tantum usum facti simplicem rerum etiam unico usu consumptibilium, earum dominio vel penes donantes, vel si ipsi donantes dominium abdicaverint, penes Sedem Apostolicam existente. Et hæc sententia clare ostenditur a priori, quia, ut recte dicit Lugo loc. cit. num. 44. non repugnat aliquem accipere facultatem a domino utendi re aliqua usu consumptibili, et tamen accipere hanc facultatem revocabilem, et dependentem semper a voluntate ejusdem Domini; tunc autem ille, qui habet talem facultatem, non potest dici Dominus illius rei, cum dependeat semper a voluntate alterius potentis pro suo libitu prohibere illum quoties voluerit; habet ergo usum rei licitum sine Dominio; Et hoc patet clarissimo exemplo Nicolai III, quia invitatus ad prandium utitur quidem licite cibis appositis, et tamen in illos nullum habet dominium, cum secundum communem apprehensionem semper maneat usque ad eorum consumptionem penes invitantem, qui ideo potest apposita auferre, vel relinquere sine illius injuria; adeoque talis invitatus habet solum usum talium appositorum ciborum absque dominio, sicuti solum usum facti absque dominio habent Fratres Minores circa res illas, quibus uti possunt.

(19. Nec valet objicere, quod si Nicolaus III, in d. Constitut. *Exiit qui seminat*, admisit posse Fratres Minores in rebus unico usu consumptilibus habere simplicem usum facti absque dominio, hoc tamen postea negavit Joann. XXII, in Extravagant. incipient. *Ad Conditorem* 3, de verb. significat. et in Extravagant. incip. *Quia quorumdam* 5, eod. tit. Non valet, inquam, quia Joann. XXII, in dictis decretalibus. *Ad conditorem*, et *Quia quorumdam*, non fuit contrarius quo ad rem germano, et vero sensui Nicolai III, in cit. Decret, *Exiit*, sed præcise quoad modum loquendi, seu quoad vocum apparentiam, et in verbis, ut notat Glossa in Clementin. *Exivi de Paradiso*, § *Proinde* circa finem, ubi dicitur, quod in hoc negotio, quod *turbavit totum mundum, non est vis nisi in verbo*. Et revera si adamussim ad libram attendantur dictæ Decretales, Nicolaus, et Joannes quoad rem non sibi contradicunt, quia Nicolaus accepit dominium in sensu proprio, et stricto, Joannes vero in sensu improprio, et lato, ut abunde ostendit Matthæucci in suo opere dogmatico controvers. 6, cap. 2, n. 45, 46, et seq. Et in diverso sensu accepit Joannes simplicem usum facti, ac acceperit Nicolaus, et cum Nicolao accipimus nos, ut late ostendit Henno tom. 2, de jur. et just. disp. 3, conclus. 3. (20. Et quod nulla quoad rem sit contrarietas inter dictas Decretales docet S. Joannes de Capistrano in tractatu de Christi et Apostolorum Sanctissima paupertate artic. 6. Henno, et Matthæucci *locis citatis*, Eminentissimus Petra tom. 4, comment. ad Constit. 3. Joann. XXII, n. 40, et alii passim, tum ex nostris, tum ex exteris; non enim tot Summi Pontifices Successores Joannis, qui sententiam Nicolai, et nostram in terminis docuerunt, et declararunt, permisissent præfatas Constitutiones Joannis in corpus Canonicum inseri, si credidissent ipsum fuisse eis vere et quoad rem contrarium.

(21. Possessio sic dicitur a pedibus, et sonat idem quasi *pedum positio*, prout notatur l. 1, ff. *de acquirenda, vel amittend. possess.* nam per pedum positionem super bona immobilia verb. grat. super agrum, vel domum, solet acquiri possessio (1). (22. Possessio ut sic, dividitur in posses-

(1) Ex citata lege 1. minime apparet, quod possessio a *pedum positione* dicta sit, sed expresse habetur ibid. in princ. *Possessio appellata, ut ait Labeo, a sedibus quasi positio quia naturaliter tenetur*

Digitized by Google

sionem *Juris tantum*, *Facti tantum*; et *Juris*, et *Facti* simul. (23. *Possessio Juris tantum* (quæ alio nomine appellatur *Possessio civilis tantum*) est ipsummet jus possidendi rem animo, sed non corpore retentam; Sic Dominus absens de jure, et civiliter possidet res suas, a quibus licet absit corpore, adhuc tamen animo eas possidet, seu occupat eo quod non discesserit inde animo relinquendæ possessionis, sed postea reversurus. (24. *Possessio Facti tantum* (quæ alio nomine appellatur *Possessio naturalis tantum*) est solus actus possidendi rem sine jure; Sic possessor rei alienæ dicitur ipsam possidere facto tantum, quia nullum jus habet illam possidendi. (25. *Possessio juris, et facti simul* (quæ alio nomine appellatur *possessio civilis, et naturalis*) est jus, et actus simul possidendi rem ut suam; Sic quilibet verus Dominus rem suam per corporalem insistentiam possidens dicitur ipsam possidere possessione juris, et facti simul.

(26. Possessio definitur, quod sit rei corporalis detentio, corporis, et animi, et juris adminiculo. Sic Glossa communiter recepta; l. 1. ff. *de acquir. vel amittend. possess.* Dicitur detentio rei corporalis, quia rerum incorporalium, sive Jurium non est propria possessio, sed quasi possessio; l. 3. ff. eod. tit. l. *Servum* § *in corporales*, ff. *de acquirend. rerum dominio*, et l. *Sequitur*, § 27. ff. *de usucaptionibus*, et concordat c. *Cum Ecclesia* 3, de Caus. poss. et proprietat. et Glossa ibid. verb. *Quasi possessionem*. Dicitur *corporis* quia non incipit possessio, nisi interveniat actus externus, quo vel manu, vel pede, vel aliter res possidenda in se, vel in alio apprehendatur. Dicitur *animi*, quia nisi rem apprehensam detineat tamquam suam, sicque animo possidendi, non sit illius possessor, ut patet in depositario, qui quia rem apud se depositam non detinet animo possidendi, ac retinendi sibi, sed deponendi, non dicitur illam possidere. Dicitur *Et juris adminiculo*, quia necesse est ad legitimam possessionem, ut non sit contra jus; cum data definitio conveniat possessioni, juris, et facti simul; hinc fur non legitime possidet rem furatam, quia quamvis habeat possessionem facti, seu naturalem, non habet tamen possessionem juris, cum detineat illam sine juris adminiculo, seu contra jus, et fas

(27. Possessio tripliciter acquiri potest, scilicet apprehensione vera, ficta, et civilissima. Apprehensione vera acquiritur, dum fit mediante corporis adminiculo, ut domum intrando, agrum colendo, rem manu tangendo. Apprehensione ficta acquiritur, dum fit per actum lege, aut consuetudine introductum, licet de se non sit corporaliter apprehensivus, ut per traditionem clavium, scripturæ, aut instrumenti, per signationem rei possidendæ, etc. Apprehensione civilissima acquiritur, quando per leges transfertur possessio sine ullo actu vero, aut ficto, etiam ignorante novo possessore. Sic in Gallia transit ad hæredem possessio hæreditatis; Sic in Hispania possessio Majoratus. (28. Unde quoad has apprehensiones possessionis, si servanda est consuetudo cujusque provinciæ, aut loci. Possessio deperditur multipliciter. Si sit possessio immobilium deperditur: Primo, per longam absentiam Domini: nec per se nec per alium rei suæ insistentis; absentiam autem illam aliqui volunt debere esse decennalem, alii longiorem, alii prudentum judicio relinquendam. Secundo, per oblivionem quod res sit sua, quia tunc deest animus possidendi; Tertio, per negligentiam, aut timiditatem repetendi ab injusto invasore. Si autem sit possessio mobilium, deperditur: Primo, per voluntatem Domini rem suam amplius possidere nolentis, modo non sit pupillus, aut furiosus; quia tunc requiritur etiam consensus tutoris aut curatoris; Secundo, per alterius furtum, aut rapinam, si res ablata aliquando detineatur; Tertio, per amissionem; Quarto, per fugam animalis evadentis, si non habeat consuetudinem redeundi; non perditur tamen possessio servi per fugam; l. *Pomponius* 13, ff *de acquirenda, aut amittenda possessione*. (29. Per rei amissionem universaliter loquendo non perditur ejus dominium, quia res amissa, aut furto ablata, saltem per aliquod tempus desinit possideri, et tamen dominium non amittitur, et sic de pluribus aliis; Hactenus Heinec. tom. 2, disp. 2, conclus. 3 et 4.

(30. Possessionis commoda, et privilegia sunt potissimum sequentia. Primo, quod si adsit controversia inter quosdam de rei proprietate, seu Dominio, et adhibita diligenti inquisitione maneat abhuc dubium, cujusnam res illa sit tunc prævalet conditio possidentis; c. *In pari* 65, de Regul. Juris in 6, ibi: « In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis (31. Secundo, quod non sit possessoris probare in judicio rem esse suam, sed alterius non esse qui alter si non satis probaverit rem non esse, possessoris, possessor remanebit in possessione, etiamsi revera res ejus non sit; textu expresso in § *Retinendæ* Institut. *de Interdictis*, ibi: « Quia et civilis et naturalis ratio facit, ut alius possideat, et alius a possidente petat; Et quia longe commodius est, et potius possidere, quam petere, ideo ferme ingens existit contentio de ipsa possessione; Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi ejus res non sit, qui possidet: si tamen Auctor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio; propter quam causam cum obscura sint jura utriusque, contra petitorem judicari solet,

ab eo, qui ei insistit, et ita interpretatur Vicat. vocab. jur. verb. *Possessio* in princ. sed rectius hujus vocis Etymologiam a facultate sedendi desumit Duaren. comment. in tit. Pandect. *de acquir. vel amit. possess.* tom. 2. cap. 2. ad leg. 1. pag. 558. coll. 1. quem sequitur, et erudite demonstrat ita tenendum esse Heinec. in Pandect. part. 6. tit. 2. § 197. Multa de possessione corrigenda, et addenda superessent, sed satius erit illa loco magis congruo infra verb. Possessio adnotare. (EDIT. BARBIEL.)

Digitized by Google

et concordat c. *Examinator* 15, *de judiciis.* » (32. Tertio quod possessor bonæ fidei post legitimi temporis decursum plenum rei dominium acquirit, ita ut non amplius teneatur eam Domino postea ipsam repetenti restituere, l. 3, *de usucap.* et docet communis cum Abbate in c. *Vigilanti* in 6, de Præscript. Glossa ib. verb. *Noverit;* Glossa in c. ult. eod. tit. et Abb. ib. n. 37. (33. Quarto, quod possessio bonæ fidei tribuit possessori jus administrationis. Si quis enim sit in possessione, vel quasi possessione eligendi, præstandi, vel instituendi Clericos in Beneficio, aut hujusmodi, valida est electio, presentatio, etc., ab ipso facta, quamvis postea appareat tale jus non ad ipsum, sed ad alium pertinuisse; cap. *Querelam* 24, de Elect. et Glossa ibid. verb. *Super jure*, et cap. *Consultationibus* 19, de Jure patronat. (34. Quinto, quod possessio bonæ fidei tribuit jus possessori ut lucretur fructus ex re taliter possessa perceptos; nec ipsos jam consumptos tenetur restituere Domino postea comparenti, nisi quatenus locupletior factus sit; l. Item veniat § *Præter hæc*, juncta Glossa verb. *Facti*, ff. *de petit. hæredit.* l. *bonæ fidei* § 1, ff. *de acquirend. rerum domin.* et § *Si quis a non domino* Institut. *de rerum divis.* (35. Sexto, quod possessor ab altero invasus, possit vim vi repellere, et rem suam defendere, aut si jam expulsus, possessionem suam repetere, etiam armis necessariæ defensionis causa adhibitis; l. 1. Cod. *Unde vi;* l. 1 et 3, ff. *de vi, et vi armata;* cap. *Olim*, caus. 12, *de restitut. spoliator* (1). (36. Septimo, quod si quis tempore motæ litis reperiatur in possessione, et nec vi, nec clam, nec precarie possideat, a Judice defendi, et in sua possessione manuteneri debeat; l. 1, ff. *Uti possidentis*, et l. 1, C. de *servitut.* (37. Octavo, quod si possessor privata alicujus violentia de possessione suarum rerum fuerit expulsus, aut clam ea spoliatus, ante omnia debeat fieri restitutio spoliati, non obstante, quod spoliator alleget titulum, et velit probare rem illam esse suam; Generaliter enim debet ante omnia fieri restitutio spoliati; c. *In litteris* 5, *et seq. de restitut. spoliat.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Dominium rectius definitur *jus in corporali, quo hæc ita nobis propria est, seu ad nos spectat, ut alios possimus excludere ab usu ejus rei, deque illa disponere, quatenus Lege, pacto, vel Testamento jus disponendi non reperiatur restrictum.*

(39. Quomodo autem in primævo hominum statu res terræ in dominium singulorum pervenerint, non est una omnium sententia. (40. Alii particularis dominii regimen immediate a Deo derivant; Valentin. Albert. Compend. jur. natur. par. 2, cap. 4, § 14 et 29. Joannes Henricus Boeclerus ad Hugon. Grot. lib. 2, cap. 2. (41. Alii illud a facto humano repetunt, sed mire inter se variant. (42. Sunt enim, qui autumant res omnes fuisse ab initio communes, et homines demum pacto tum expresso, tum tacito ab illa communione recessisse, resque proprias sibi fecisse; Grotius de Jur. Belli et Pacis l. 2, c. 2, § 2, n. 5. Puffendorfius de Jur. nat. et gent. l. 5, c. 4, § 4. Plerique vero, et quidem simplicius, et indoli humani generis, prout tum ejus status fuit, convenientius sentiunt, res ab initio non communes, sed nullius, idest in nullorum hominum bonis, et proprietate fuisse, et per occupationem demum in dominium singulorum pervenisse. (43. Vide si lubet, Lockium in Tractatu de regimine civili cap. 4. Barbeyrac ad Puffendorf. lib. 4, cap. 4, § 4, nota 4. Buddæum Theol. Moral. part. 2, cap. 4, sect. 5, § 15, tum et maxime Samuel Coccei Dissert. procem. 12, in Grotium lib 4, c. 3, per tot. qui contrarias hypotheses una refutant.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(44. Hic multa de dominio consarcinat Auctor, quæ nihil ad dominium pertinet, vel minus proprie ab imperitis forensibus dominio tributa sunt, licet eidem minime conveniant. Primo novam sibi fingit dominii distinctionem *jurisdictionis* nempe, et *proprietatis.* Jurisdictio est quid omnino diversum a dominio. Definitus quippe a Cujacio Paratit. Digest. l. 2, tit. 1, et Paratit. C. lib. 3, tit. 13. *Notio jure Magistratus competens.* Dominium vero est *Jus in re corporali, ex quo libera facultas de re, ejusque fructibus disponendi, eamque vindicandi nascitur, nisi vel lex, vel conventio, vel testatoris voluntas obsistat* l. 21. C. *Mandat* l. ult. C. *de rei alien. non alienam.* Minsyngerus ad pr. Instit. *de rer. divis.* At quandonam de jurisdictione quis potest pro lubitu disponere prout de dominio? Dominium potest vendi, donari de eo unusquisque arbitrio suo disponere, et ipsius acquisitio a facto nostro dependet. Jurisdictio vero cum ab aliis nobis data sit, ab ipsis nobis potest auferri, quin a nobis vendi, aut locari possit, ut fuse demonstrat Heinec. exercit. 33, § 15 et seq.

Sed fortasse pro jurisdictionis dominio, imperium intellexit, quod eminens, seu altum dominium a Grotio lib. 1, de Jur. bell. et pac. cap. 1, § 6, et lib. 3, cap. 20, § 7,

(1) Non ita generatim asserendum est possessorem invasum vi, atque armis rem invasam tueri, atque ablatam ab invasore recuperare posse, ut id semper, et in quolibet casu liceat. Etsi enim in statu naturali, in quo judicium, atque supremæ potestatis auctoritas deficit, possit quisque rem suam ab iniquo invasore vi atque armis tueri, et ablatam eadem ratione repetere, tamen in statu societatis civilis fieri id non potest, nisi in ea circumstantia, in qua judicium desit, atque solum bellum supersit pro re tuenda atque repetenda; tunc enim homo in statu naturæ positus haberetur. Nam cum judicem adire liceat, qui civium bona tueatur, et qui eosdem ab injuriis defendat, et vindicet, non licet privato civi rem armis tueri, aut jam expulso, eadem vi, armisque repetere, sed adeundus est judex, qui auctoritate, et sententia sua rem defendat; ab illata injuria hominem vindicet, ac cuique suum tribuere faciat: alioquin homines in statu belli essent; et cuique liceret, contemptis magistratibus, et suprema Principis potestate, propria auctoritate jus suum persequi; quod quidem maximum absurdum est. (Not. Rom. Theol.)

Digitized by Google

omnium primo appellatur, sed merito reprehenditur a Samuel. Coccejo in Comment. ad eumd. Grot. lib. 1, cap. 1, § 6, verum neque hoc sensu recte dicitur dominium Jurisdictionis, seu Imperii. Imperio enim utendi in nostra potestate non est, nisi quatenus id bonum publicum expostulet. Unusquisque potest proprium dominium dissipare, resque perdere. Princeps vero, licet alto dominio perfruatur super privatorum bonis, illa nequit distrahere, nisi in extrema Reipublicæ necessitate, ex qua sola limitata imperio utendi facultate manifesta ipsius cum dominio resultat repugnantia. Rot. cor. Tanar. decis. 57, n. 24. Cum itaque tantum inter altum dominium, et dominium privatorum intercedat discrimen, rectius appellari debet imperium illud quod gentes altum in Principes contulerunt ad universam tuendam Rempublicam. Ita Coccejus loc. cit. verb. *Majus est dominium.* « Immo non majus est, sed alterius generis: Nam quod Princeps dominio privatorum derogare possit, est consequens, juris tuendi Rempublicam, ad cujus conservationem quilibet de suo tribuere tenetur. Repetendum hic est quod antea monuimus, tutius esse abstinere a voce dominii, ubi de juribus Principum in subditos agitur, quia vox dominii proprie non significat jus regendi, et conservandi, sed id quod directo contrarium est, nimirum potestatem consumendi, abutendi, et pro lubitu de re disponendi. » Rursus idem dissert. procem. ad eumd. Grot. 12, § 237. « Imperium est potestas proprio jure competens ad tuenda jura civitatis. Dominium est facultas domino competens de re sua pro lubitu disponendi. Ex jure Imperii igitur saltem facultas oritur tuendi, et conservandi personas, et res imperio subjectas. Ex dominio autem sequitur facultas etiam perdendi res, » et inferius § 629, n. 2 et 3. « Dominium, quod vocari solet eminens, est vera pars summæ potestatis, quia Doctores voce illa nihil aliud intelligunt, quam effectum imperii, vi cujus Princeps jura subditis quæsita vel ob utilitatem publicam, vel in pœnam auferre potest. Negari tamen nequit vocem dominii improprie admodum hic usurpari, quia ex sua natura facultatem abutendi infert, adeoque consultius est, voce illa abstinere, ac jus illud Principi asserere non vi dominii eminentis, sed vi imperii legitimi, seu vi plenitudinis potestatis. Nulla autem ratione monstrum illud, vi cujus Principi permissum esse aiunt jura subditis quæsita pro lubitu tollere, ad objectum imperii referri potest: pugnat enim hæc opinio cum essentia summæ potestatis, quæ unice in tuendo jure consistit. » Ita etiam Wolfius, Jus Gentium § 329, in not.

Secundo, non recte dicitur dominium proprietatis. Ubi enim distinguimus dominium, inspicienda sunt dominiorum genera, non species, quæ sub eodem genere continentur. Porro « Dominium est genus, quod plures species seu formas quodammodo complectitur, adeoque dicitur dominium proprietatis, dominium usufructus, quod etiam proprietas redditiuum nuncupatur, dominium possessionis, dominium usus, dominium servitutum, dominium actionum. Cæterum dominium nihil aliud est, quam proprietas. » Guadagni Comment. in instit. jur. civ. lib. tit. 1, de rer. divis. § 55, ubi in notis multa ex allatis declarat et illustrat. Insuper dominium est attributum hominis qui dominus appellatur; proprietas vero attributum rei quæsitæ quæ propria dicitur. Guadagni l. c. Vin. Partit. jur. lib. 1, cap. 68, § circ. fin.

Rectius igitur in tria genera humanum dominium distinxisset. I. Dominium politicum, quod proprie potestas, et imperium appellatur. Galvan. dissert. de Usufruct. cap. 25, n. 1, de quo satis supra. II. Dominium Œconomicum, quod, vivente adhuc patre, habent filii, qui in potestate sunt, et dominium etiam jure familiæ dicitur a Galvan. loc. cit. sed dominium tantum in spe est, quod nullam actionem tribuit, late Guadagn. l. c. in not. ad § 53, n. 8 et 9. III. Dominium singulorum de quo proprie hoc loco disputandum erat. Vide Guadagni ibi supr. § 53.

Hoc singulorum dominium dividitur in *plenum* et *minus plenum*, ut monet Auctor. *Plenum* quod adnexam habet proprietatem; *minus plenum* quod a proprietate separatum est. Dominium *minus perfectum* rursus dividitur in directum et utile. Hæc posterior divisio inventa fuit a Bart. in leg. *Si quis vi* 17, § *Differentia* num. 5, ff. *de acquir. vel amit. poss.* et a quamplurimis inde secuta; sed Cujac. Observat. lib. 11, cap. 35, *de Feud.* lib. 1, in princ. lib. 2, tit. 9, et ad leg. *In rem* 24, ff. *de rei vindicat.* et Donello Comment. de Jur. civ. cap. 14, in fin. non placet, eo quia genere, quod dividitur nullo modo convenial. Ob commodiorem tamen docendi rationem, cum in foro recepta sit, tolerandam esse existimant Ger. Noodt. ad tit. ff. *de divis. rer.* § *Postrema rerum.* Heinec. In Pandect. 2, § 79, in not.

Aliam, quam utiliorem vocat Heinec. in Pand. part. 2, tit. 1, § 81, dominii divisionem tradunt doctores *veri* nempe, et *ficti. Verum* est quod a veritate facti dependet, nobisque competit in re corporali reapse acquisita. *Fictum* vero a Prætoris fictione proficiscitur, qui interdum aliquem usucepisse fingit, quamvis adhuc non usuceperit, ut si quia a non domino, quem tamen esse dominum putabat, rem aliquam ex justa causa acceperit, veluti emptione, donatione, etc., sed nondum ab ipso usucaptu sit vel quod tempus ad id requisitum transactum non fuerit, vel ob aliam similem causam, Guadagn. Instit. jur. civ. lib. 2, tit. 1, § 58, in not.

Postrema, quæ a Doctoribus assignatur dominii divisio, speciem potius dominii dotis in *naturale*, et *civile* respicit, quam ipsius domini genus. *Naturale* dicitur quod in re immobili in dotem data censent Interpretes, constante matrimonio, uxoris esse, ut eadem ipsa soluto matrimonio restituatur:

Digitized by Google

Civile vero quod in eadem re immobili maritum habere existimant. Dubitatur tamen an dominium fundi inæstimati in dotem dati in maritum potius quam in uxorem transferatur. Communiter affirmant in maritum transferri, sed hac habita distinctione, ut si non fuerit æstimatus, vel tantum æstimatus ut de ipsius quantitate, et qualitate constaret, tunc transire quidem dominium, sed civile tantum, et revocabiliter in maritum, irrevocabiliter vero si talis æstimatio appareat, ut commode pro venditione haberi possit, et tunc non modo civile, sed et naturale in maritum transfertur. Ita sentiunt Brunem. in Pandect. lib. 23, tit. 3, l. 75. Voet. in Pandect. lib. 23, tit. 3, n. 19. Marcil. ad tit. Instit. *Quibus alienare licet* § 1. Harpprect. ad princ. ejus. tit. instit. num. 22. Pichard. ibid. n. 10, in fin. Fondanel. de Pact. nupt. claus. 6, glos. 1, part. 3, n. 18. Rot. cor. Seraphin. decis. 201, n. 28, post Merlin. de Pignor. dec. 39, n. 1, in recent decis. 91, n. 1, part. 8, decis. 20, n. 4, part. 15, decis. 34, num. 29, part. 17. Alii vero sentiunt dotis etiam inæstimatæ verum et absolutum dominum esse maritum. Cujac. Observat. lib. 10, cap. 32, in comment. ad leg. *In rem.* 24, fi. *de rei vindicat.* et in comment. ad tit. C. *de jur. dot.* Joh. Robert. Controv. lib. 3, cap. 9. Vin. ad princ. Institut. titul. *quib. alien. lic.* num. 2, et alii relati a Guadag. Institut. jur. civ. lib. 2, tit. 1, in not. ad § 59.

ARTICULUS II.

Dominium quoad ejus subjectum et objectum.

(1. De fide est Deum esse rerum omnium creatarum vere, et proprie Dominum, idque non solum per essentiam, sed etiam titulo creationis, et gubernationis. Et patet expresse ex pluribus Sacræ Scripturæ locis; Judith enim 9, dicitur *Dominus totius creaturæ* Sapient. 12. *Omnium Dominus*, et alibi: *Dominus universorum.* Et Genes. 2, hujus dominii redditur ratio cum dicitur: *In principio creavit Deus Cœlum et Terram;* et Esther. 13, *Tu fecisti Cœlum et Terram.* (2. Christus ut homo fuit Dominus absolutus, et directus universorum, quantum ad jus, et potestatem. Sic communior Doctorum sententia, et patet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. Psalm. enim. 9, dicitur: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Ad Hebræos 2. *Omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei;* et ideo Apocalyps. 19, *Dominus dominantium;* et de facto Matthæi 21, intraturus Jerusalem præcepit Christus discipulis, ut adducerent asinam, et pullum, inquiens: *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet.* (3. Angeli habent Dominium proprie dictum solummodo suorum actuum liberorum; rerum autem inferiorum, et corporearum non habent proprie dominium, sed solum potestatem gubernativam a Deo delegatam. Quia Angeli non possunt disponere de iis rebus tamquam suis, et in suum commodum, quod proprium est dominii sed solum de mandato Dei, ut Ministri Regii provincias, et Urbes, homines, eorumque res gubernant in ordine ad eum finem a Deo intentum; quod ipsum potest vocari dominium saltem jurisdictionis late sumptæ; hinc in Scriptura Domini, et Principes Regnorum appellantur, ut præsertim Daniel. 10, num. 13, ibi: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, et uno diebus; Et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum;* et ibid. num. 17. *Quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo?* Et sic in re communiter Doctores.

(4. Inter has creaturas inferiores solus homo est dominii capax, ita ut omnes res corporeæ inferiores, videlicet agri, montes, flumina, plantæ, metalla, bestiæ, etc., cadant sub dominium hominis: Sic communis, et patet clare ex illo Genes. cap. 1. *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus Cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.* Hæc autem omnia sunt objectum dominii humani, seu cadunt sub dominio hominis, ut etiam habetur ex Psalm. 8, ibi: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (inferiora scilicet) *oves et boves,* etc. (5. Unus homo licite acquirit, et habet dominium in alium hominem, quo ad ejus opera, et servitutem personalem. Est communis, et patet ex Genes. 20. Exod. 21 et 1, ad Timoth. 6, ibi: *Quicumque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* (6. Dominium servitutis in alium hominem potest homo acquirere quatuor modis, seu titulis; scilicet titulo nativitatis, via emptionis, ratione delicti, et jure belli. (7. Primus modus, scilicet *titulo nativitatis,* habetur ex l. *Partum,* Cod. *de rei venditione,* ubi statuitur, quod partus sequatur ventrem, id est conditionem matris, adeo ut, non considerata conditione Patris, ex serva nascatur servus, et ex libera liber. Hinc ad Galat. 4. Agar servæ Abraham eidem in servitute generasse *filios* non *liberos* dicitur. (8. Secundus modus, scilicet *via emptionis,* patet clare, quia cum homo sit suorum operum, suæque libertatis Dominus, potest urgente fame, aut alia justa necessitate, seipsum in perpetuum vendere, sicut potest famulus, aut ancilla ad tempus se alteri locare; Hinc S. Paulinus Nolanus Episcopus, ut filium viduæ a servitute liberaret, se ipsum servituti subjecit, et hoc ex Scriptura Sacra licitum supponitur; Exod. 21, Levit. 23, et Deuter. 15. (9. Tertius modus, scilicet *ratione delicti,* patet manifeste, quia sicut propter delicta potest aliquis vita, sic etiam libertate privari per modum justæ pœnæ, prout in cap. *Ita quorumdam* 6, *de Judæis* ab Alexandro III, statuitur, ut Christiani deferentes arma ad Saracenos, aut in eorum navibus piraticis regimen, aut gubernationem exercentes, servi fiant capientium et hujusmodi pœna propter alia delicta statuitur in l. *Si manumissus, C. de libertis, et eorum liberis,* in. § *Maxima* Instit. *de capitis diminutione;* et in cap. *De raptoribus* 36, quæst. 1. (10. Quartus mo-

Digitized by Google

dus, scilicet. *jure belli*, aperte liquet, quia qui in bello justo capitur, sit capientis servus. Hinc 1, Petri 2, dicitur : *A quo quis superatus est, hujus est servus;* nam quos victores possent licite occidere, possunt etiam mortem in servitutem commutata, servare, et a servando dicti sunt *servi*, sicuti et dicuntur *mancipia*, quia manu capiuntur. Hæc tamen servitus locum non habet inter milites Christianos, apud quos consuetudine immemorabili ab omnibus Principibus observata introductum est, ut capti Christiani non fiant servi, sed pretio soluto in præmium victoris redimantur.

(11. Homo non habet Dominium vitæ suæ, sed istud remanet penes Deum, hinc homo est solum custos, et usuarius vitæ suæ, non autem Dominus : habetur clare ex Sapientiæ 16, ibi : *Tu es Dominus, qui vitæ, et mortis habes potestatem.* Et quamvis Ecclesiast. 25, dicatur : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit in manu consilii sui. posuit ante eum vitam, et mortem* etc. hic tamen textus intelligitur communiter de libertate eligendi non vitam, et mortem naturalem, sed vitam, et mortem accidentalem, ac spiritualem, gloriæ vel pœnæ. (12. Habet tamen homo Dominium ominium actuum suorum liberorum etiam interiorum, immo et supernaturalium, ut gratiæ, virtutum etc. Est communis. Et ratio est, quia potest homo pleno jure libere uti omnibus dictis actibus tamquam rebus suis, et in suum commodum potestque illos ponere, vel non ponere; sine gratia quidem nunquam operabitur supernaturaliter, sed ipsa recepta, adhuc liber est ut agat, vel non agat, physice loquendo. (13. Homo est etiam Dominus propriæ libertatis; est etiam communis. Et ratio est, quia homo potest ea pro suo arbitrio frui, et non frui, aut si velit, potest ipsam vendere, et se servum constituere; ut patet ex dictis supra num. 8. (14. Homo est pariter Dominus propriæ famæ, et honoris; est etiam communis. Et ratio est, quia homo famam suam, et honorem libero arbitrio acquirit, sicut alias res adeoque sicuti est Dominus aliarum rerum, quas proprio labore acquirit, ita et famæ, et honoris. (15. Nequit tamen homo licite tantum bonum prodigere sine causa, et maxime quando ex fama se infamantis pendet fama, ac infamia alterius, vel aliorum, sicuti ex fama, vel infamia Religiosi pendet fama, ac infamia Religionis, vel Ordinis; et per hoc in cap. *Nolo* 12, quæst. 1, ex verbis S. Augustini. sic dicitur: « Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est, etc. Non sunt audiendi » 11, quæst. 3, ex verbis ejusdem sic dicitur : « Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra; » et ne fama et honor sine justa causa prodigatur, cavetur Ecclesiastici 41. ibi : *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi, et magni.*

(16. Discussa capacitate Dominii competente cuilibet homini jure naturæ, examinanda venit capacitas Dominii competens variis personis ratione status; unde uxores habent Dominium, et administrationem bonorum Paraphernalium, dotalium vero, et medietatis communium Dominium quidem, sed non administrationem. Est communis. Vid. verb. Bona, art. 4, ubi late de bonis Paraphernalibus, Dotalibus, Contradotalibus, seu antiphernalibus, communibus, et propriis conjugum. (17. Filii familias adhuc sub patria potestate constituti habent verum Dominium, plenamque administrationem bonorum Castrensium, et Quasicastrensium; Adventitiorum vero Dominium, non administrationem; Profectitiorum autem nec Dominium, nec administrationem; Et communis. Vide verb. Bona art. 4, num. 38, ubi late de bonis Castrensibus, Quasicastrensibus, adventitiis, et profectitiis. (18. Religiosi solemniter professi, cujuscumque sint Religionis, sunt in particulari penitus incapaces omnis Dominii, ac juris bonorum temporalium, ita ut nemo eorum quidpiam suo nomine, seu tamquam proprium possit tenere. Est communissima, et habetur expresse cap. *Cum ad Monasterium* 6, de Statu Monachor. ibi : « Prohibemus quoque districte in virtute obedientiæ, et sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. » et infra: « Quod si proprietas apud quempiam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. » Et tandem in fine sic concludit : « Nec æstimet abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare. » Et Concil. Trident. sess. 25. cap. 2, de Regul. sic statuit: « Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel retinere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. »

(19. Dicitur notanter *Religiosi solemniter professi*, qui Novitii retinent Dominium bonorum suorum; Immo etiam illi, qui in Societ. Jesu, jam extincta, finito biennio probationis emittunt tria vota substantialia, sed simplicia solum Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ, adhuc retinent Dominium bonorum suorum, quamvis eo Dominio licite uti non possint sine consensu Superioris propter votum simplex paupertatis, juxta Constitutionem Gregorii XIII, incip. *Ascendente Domino*. (20. Dicitur etiam notanter bonorum temporalium, quia per votum paupertatis Religiosi non renuntiant bonis spiritualibus, et omnibus omnino juribus, cum jurium, et bonorum spiritualium possint Religiosi habere Dominium, vel quasi Dominium; retinent enim Religiosi jus honoris, ac famæ suæ ex Divo Thoma 2. 2, quæst. 186, articul. 7, ad 4. Item jus suffragii activi, et passivi, jus suscipiendi alimenta, et vestimenta, de bonis communibus Monasterii, et jus Domicilium habendi intra Ordinis Monasteria, vel hujusmodi. Est communis, ac certa.

Digitized by Google

(21. Religiosi professi cujuscumque Ordinis (excepto Ordine FF. Minorum de Observantia, et Capuccinorum) possunt in communi habere dominium bonorum temporalium. Est communis ac certa habetur expresse ex Concilio Tridentino sess. 25, cap. 3, *de Regularibus* ibi : « Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis tam Virorum, quam mulierum mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum, et eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. » Et colligitur etiam ex Extravag. *Exiit qui seminat*, de verb. Significatione in 6, ubi Nicolaus III declaravit tamquam aliquid particulare bonorum mobilium, et immobilium Dominium non competere Fratribus Minoribus, etiam in communi, sed Papæ; ergo supponit Communitatibus aliorum Religiosorum competere. (22. Hoc tamen Dominium competens dictis Religiosis in communi non est omnino liberum, et independens, sicuti est Dominium sæcularium; quia sæculares possunt libere disponere de rebus suis, Religiosi autem nequeunt alienare bona immobilia, vel etiam mobilia pretiosa, nisi ex justa causa, et servatis debitis juris solemnitatibus, atque assensu Summi Pontificis; quod si secus fiat, alienatio est nulla, et irrita, et tam sic alienans, quam sic alienata suscipiens incurrit pœnam excommunicationis ex Extravagant. *Ambitiosæ*, *de rebus Eccles. non alienand.*

(23. Clerici Beneficiati non habent dominium portionis fructuum, quæ honestæ sustentationi superfluit, et ideo nisi illam in pauperes, aut usus pios expenderint, peccant mortaliter contra justitiam, et tenentur ad restitutionem. Est communis omnium Canonistarum, ut dicit Navar. tract. de redditibus q. 2, quibus consentiunt plurimi Theologi recentiores, immo omnes antiqui, ita ut dixerit Major Professor Parisiensis, « ante ipsius ætatem nullum tenuisse contrarium, » et Paulus Comitolus dicit, « contrariam opinionem esse novam, ac periculosam post mille, et quingentos annos in Christi Ecclesiam invectam; » Archidiaconus Canonista celeberrimus in c. *Statutum*, § *Assessorum*, de rescriptis in 6, dicere non dubitavit, contrariam opinionem esse Juris hæresim; Petrus Sotus in tractatu de Vita Sacerdotum, in principio dicit : « Contrarium credimus errorem gravissimum saltem contra bonos mores, et justitiam, quidni etiam contra Scripturam. » Et nostra conclusio ostenditur auctoritate Sacrorum Canonum, Conciliorum, et SS. Patrum, qui dicunt redditus Ecclesiasticos superfluos honestæ sustentationi Beneficiatorum, esse bona pauperum, seu Ecclesiæ, atque adeo furtum, et Sacrilegium ammitti, quando in usus profanos expenduntur. Canones præcitati sunt sequentes; c. *Quia* 8, c. *Episcopus* 23, c. *Res. Ecclesiæ* 26, caus. 12. qu. 1, c. *Apostolicos* 13, c. *Quiquis* 16. caus. 12, qu. 2, c. *Pontifices* 3, caus. 12, quæ 3. cap *Revertimini* 65, c. *Decimæ* 66, cap. *Quoniam* 68, caus. 16, qu. 1, cap. *Fraternitatem* 2, de donationibus; cap. *Cum ex eo* 34, de election. et electi potest. in 6, Concilia præsumpta sunt; Aquisgranens. 1, cap. 116, Agathen. cap. 16, Carthaginens. cap. 46, et alia. Sancti Patres præcipui sunt S. Gregorius, Ambrosius, Hieronym. Augustin. Chrisostomus, Fulgentius, Bernardus, Thomas, Raymundus, Antoninus, et alii, quos omnes cum suis sententiis, et Jurium textibus adducere nimis oblongum esset, Vid. verb. Beneficiatus art 1, per tot. et signanter a num. 38, usque ad finem, ubi abunde probata remanet hæc nostra sententia, et solum hic adde auctoritatem Divi Laurentii Justiniani lib. de Institut. et regimine Prælatorum cap. 4, sic expresse dicentis : « O quanta abusio, Christi ditari divitiis, et Christo nihil velle dare; nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? Unde temporalia sunt Ecclesiis prærogata? nonne propter Christum? nonne ut Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu, qui possides, retinere quod alienum est, ne furti deprehendaris in causa : et aliam clarissimam auctoritatem D. Bernardi in Epistol. 2, sic loquentis : « Quidquid præter necessarium victum, simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, sacrilegium est, rapina est. »

(24. Sunt tamen Clerici Beneficiati domini portionis fructuum Beneficii, quæ ad congruam ipsorum sustentationem necessaria est, adeoque possunt pro suo libitu de illa portione disponere in usus honestos, v. gr. donando, legando, dando consanguineis, vel aliis ea, quæ parce vivendo in victu, vestitu aliisque congruis impendiis subtrahunt, vel reservant, quod licite expendere potuissent. Est communis. Et ratio est, quia illa pars bonorum necessaria congruæ sustentationi Beneficiati tamquam jam ad usum pium expensa, pleno Dominio ad ipsum spectat; ita ut libere, ac licite possit de illa disponere tamquam de re sibi applicata justo titulo sustentationis debitæ; Sicut enim Miles sæcularis sit Dominus stipendii sibi concessi, ita et miles spiritualis; Tum quia ideo Clericus fit Dominus acquisitorum per ministerium Clericale, id est per Missæ celebrationem, per Conciones, per Confessionum exceptionem, per cantum, et hujusmodi, quia sunt justa merces, et stipendium laboris; sed ita est de portione præfata, ergo etc. Vid. verb. Beneficiatus art. 2. per tot. ubi multa ad rem facientia.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. De materia hujus articuli ita paucis disserit Samuel Coccei dissertat. procem. ad Grot. 12. lib. 4. c. 3. § 244. et sequent. « Subjectum, inquit, dominii sunt Homines ratione prædiți. (26. Unde dominium acquirere non possunt bruta, infantes, furiosi, summe ebrii etc Deficit enim animus sibi tenendi. Objectum sunt res corporales, quæ in proprietatem venire possunt, mobiles, et immobiles, non vero res incorporales, nec jura universitatis, nisi quatenus corpori coherent, nec res natura communes. »

Digitized by Google

(27. De mari, an illud esse possit subjectum dominii, quæstio est, quæ suos hinc inde habet Auctores. Confer. Grotium, Seldenum, Jonstonum, Burgum, Welvodum, Pontanum, Graswinckelium, Puffendorfium, Huberum, Jacobum, Gothofredum, Beoclerum, Van-Bynkerfoek, Chist. Thomasium, aliosque.

ARTICULUS III

Dominium quoad modos ipsum acquirendi.

(1. Dominium rerum tribus modis acquiri potest, scilicet Jure naturali, seu gentium; Jure Civili, atque Canonico: Jure particulari, privati alicujus contractus, seu conventionis. (2. Jure naturali, seu gentium acquiritur dominium rerum, quæ nullius sunt. (3. Jure Civili, atque Canonico acquiritur Dominium rerum, quæ quidem alicujus sunt, sed præfixo per leges, et Canones tempore possidentur. (4. Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis acquiritur dominium rerum, quæ sunt alicujus tamquam domini, et possessoris, sed in alium transferuntur per donationem, venditionem, aut alium contractum. (5. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium multipliciter, scilicet Occupatione, Alluvione, Specificatione, Accessione, Confusione, Commixtione, et fructuum Perceptione.

(6. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium primo per Occupationem, ratione cujus res illæ, quæ nullius sunt, fiunt primi occupantis, textu expresso in § *Feræ*, Institut. *de rerum divis.* ibi: « Feræ igitur bestiæ, et volucres, et pisces, et omnia animalia, quæ mari, cœlo, et terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, Jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. » (7. Hinc licitum est quælibet animalia ferina, et silvestria, nondum ab aliquo comprehensa prosequi, et capere, ita ut statim fiant capientis, ubicumque capiantur. Idem est de illis, quæ ex Domini potestate elapsa in pristinam libertatem redierunt; lib. 2. Instit. *de rerum divis.* cit. § *Feræ*. (8. Capientes autem animalia in leporariis, vivariis, stagnis, sylvis non amplis, et circumdatis, non acquirunt eorum Dominium, sed tenentur restituere, cum adhuc habeant proprium Dominum. Est communis. (9. Ita etiam animalia domestica seu naturaliter mansueta, sicut et ferina mansuefacta, quandiu redire solent, non sunt primi occupantis, etiamsi longe aberraverint, sed sunt Domino competenti restituenda; lib. 2. Instit. tit. 1. § *Pavonum* 15. *et* § *Gallinarum* 16

(10. Quando duo, vel plures ad occupationem concurrunt, v. g. unus feram vulneravit, et alter eam cepit, tunc si fera fuit vulnerata lethaliter, et percussor eam insequens moraliter certo erat ipsam capturus, ipse vulnerans acquirit dominium et consequenter si ab aliquo capiatur, est restituenda; quia tali vulnere lethali jam censetur ipsam cepisse. Est communis. (1) (11. Si vero fera, aut avis sit ita leviter vulnerata, ut adhuc fugere possit, tunc si alius eam fugientem capiat, est ipsius capientis, quia naturalem libertatem non amisit. Sic Doctores communiter. (12. Si autem dubium foret, an qui vulneravit ratione talis vulneris esset capturus, nec desiisset prosequi feram vulneratam, tunc de æquitate esset dividenda inter vulnerantem et capientem, tamquam duas concausas acquisitionis feræ, secundum proportionem concausalitatis; Laym. l. 3. de just. tract. 1. c. 5. num 12. Henn. tom 2. de just. et jure tract. 3. disp. 4. qu. 1. conclus. 1. resolut. 2. Sporer et alii passim.

(13. Eadem ratione si quis animal vagum insequatur, et illud in retia alterius incidat, tunc uterque habet jus illud capiendi; unus quia retibus suis deprehensum est, alius quia sua opera, et industria incidit unde de æquitatate est inter ipsos dividendum secundum proportionem concausalitatis. (14. Si piscis reperiatur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piscatoris, ut nullatenus possit evadere, acquirit statim ejus dominium; unde si alter ex ejus retibus ipsum eripiat, tenetur ad restitutionem; secus autem est dicendum si piscis adhuc poterat se eripere ex illis retibus, quia tunc fiet prius apprehendentis, eo quod defectu sufficientis apprehensionis nondum piscator censebatur illius Dominus; de æquitate tamen est piscatori aliquid concedendum juxta proportionem industriæ, et probabilitatis prædæ capiendæ. Ita Doctores passim. (15. Quando apes ex proprio alveario ita volant, ut illarum reversio, vel apprehensio desperetur, tunc licite possunt a quolibet apprehendi, etiamsi forent in fundo prioris domini, quia sicuti avis nidificans ad parietem domus alicujus non est sua, ita nec examen apum in fundo alterius existens censetur suum, cum jam evolando nativam libertatem recuperaverit. *Est communis* per jura mox citanda. (16. Si autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, maxime si ipsum apertum retineat etiam ad hunc finem; l. 3. 4. 5. ff. *de acquirendo rer. Domin.* et l. 3. § *Item feras, de acquirenda possessione*, et Institut. *de rerum division.* § *Avium quoque.*

(17. Res incertæ, quæ scilicet habent dominum, sed ignoratur quis ille sit, ut sunt

(1) Non modo communis non est Auctoris opinio superius tradita, sed omnino opposita sententiæ Justiniani § *Illud* 13 *de rer. divis.* « Alii vero putaverunt non aliter tuam esse, quam si eam ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quod multa accidere soleant ut eam non capias, » et ita sentiunt contra Trebutii sententiam, Grot. de Jur. bell. et Pac. l. 2. c. 8. § 3. circ. fin. Ibique Samuel. Coccei. vers. *Atque ideo vulnerasse*, idque licet fera lethaliter vulnerata sit. Harpprett. ad § 13. n. 83 instit. de rer. divis. Perez. hoc tit. Cum enim res, quæ nullius est, dominium apprehensione tantum acquiratur, hinc feræ fugientis adhuc dominium acquisivisse nemo dici potest, qui spem tantum capiendi habet. Duaren. de acquirend. rer. Domin. c. 2, t. 2, p. 544, coll. 1, in fin. (Edit. Barbiel.)

Digitized by Google

res casu amissæ, atque ab altero inventæ, aut quæ in periculo naufragii projectæ fuerunt in mare, et postea ad littus evaserunt, non cadunt sub dominio primi inventoris, seu primi occupantis, sed qui eas invenerit, obligatur eas restituere veris Dominis si eos dignoscere possit, et tenetur ad dominos illos dignoscendos moralem diligentiam adhibere eoque majorem, quo res perdita, et ab alio inventa majoris est momenti. Est communis, et ratio est clara; quia ille qui amisit ejusmodi res, seu pecunias, earum dominus esse non desinit, cum autem unaquæque res reddi debeat domino suo, stat clarum ipsum inventorem teneri illas reddere propriis dominis, textu expresso in c. *Si quis* 6. caus. 14. q. 5. ubi ex verbis S. Augustini sic dicitur: « Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti; » et in c. *Multi* 8. ead. caus. et q. ubi ex verbis S. Hieronymi sic habetur: « Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, et dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat. »

(18. Res, seu pecuniæ incertæ inventæ, si post diligentem inquisitionem non compareat earum Dominus, sunt ad pium usum, seu in pauperes applicandæ, nisi ipse inventor pauper sit, quia tunc posset sibi reservare in toto, vel in parte, considerata quantitate rei inventæ ac inopiæ suæ; Sic S. Thomas 2, 2, q. 66, art. 5. Scotus in 4, dist. 15, q. 2, *ad argumenta*; S. Antonin. Cajetan. Abbas, Paludanus, Silvester, Covarr. Navar. Valent. Medin. Turian. Lessius, Filliuc. tr. 32, n. 85. Medina tom. 3, tr. 2, disp. 764. Vasquez de restit. c. 5, § 4, n. 43, ubi dicit pro hac sententia stare omnes Auctores excepto uno Soto; Reiffenstuel. Theol. moral. tract. 7, de just. et Jur. dist. 3, q. 1, n. 8. Sporer tom. Tract. 4, n. 110, quam sententiam Card. de Lugo tom. 1, disp. 9, sect. 12, num. 139, dicit esse veriorem, Layman. lib. 3. tract. 1, c. 5, n. 24, vocat piam, et tutiorem, Castropalao putat in praxi sequendam; et sic tenent alii plurimi. Et ratio est, quia res seu pecuniæ inventæ sciuntur esse alicujus, nec eorum dominium amisit, qui eas perdidit: ergo si ipsimet domino restitui non possunt, restitui debent juxta ejus voluntatem præsumptam; atque in eo casu rationabiliter debet præsumi, quod voluntas Domini sit, ut pauperibus, atque aliis piis causis applicentur, quatenus quod ei corporaliter restitui non potest spiritualiter restituatur; et quod ipsi non potest prodesse temporaliter, prosit saltem æternaliter. (19. Nec obstat, dicit Card. de Lugo l. c. quod Dominus sit mortuus, et forte damnatus; nam in hoc casu debebit respici voluntas hæredum, ad quos talium rerum, seu pecuniarum Dominium est devolutum, qui presumuntur velle offerri saltem pro se prout magis expediet. Nec etiam obstat, quod tales res, seu pecuniæ inventæ possint esse alicujus infidelis, seu hæretici, cui æternaliter nihil sint profuturæ; quia ut dicit Molina l. c. nulla est gens tam barbara, quæ non putet eleemosynas esse bona opera; et si re ipsa a Christianis dentur pauperibus, actus dantis, et oratio pauperis potest prodesse cuivis etiam infideli. 20. Tum quia a Summis Pontificibus sunt concessa privilegia variis Ordinibus, qui etiam sub excommunicatione possunt compellere detentores talium rerum, seu pecuniarum inventarum, ut eas sibi tradant pro redemptione captivorum, seu pro aliis piis usibus; ergo signum est deberi pauperibus, vel ad pias causas. De dictis privilegiis vid. Castrop. *de Just. part.* 19, et Haunoldum tom. 5, a. n. 31. Et de facto Catechismus Romanus par. 3, c. 8, n. 16, sic statuit. « Si rerum inventarum Dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda. »

(21. Nihilominus si Dominus non reperiatur post factam diligentem inquisitionem, Sotus, Ledesma Sa, Sarmiento, Navarra, Mendo, Escobar, Diana p. 1. tr. 8, R. 12, dicunt inventorem posse retinere sibi res, seu pecunias inventas, quam sententiam Platel. p. 3. n. 728. dicit non esse improbabilem, Amic. Tambur. Dicastill. l. 2. tom. 2. dist. 9. n. 491. Burghaber. cent. 1. caus. 69. Illi tom. 4. d. 2. num. 259. vocant probabiliorem, Lessius, Malder. Med. Aragon. Lopez, Salas, Henriq. Rodriq. Lugo l. c. n. 139. Sporer l. c. n. 183. agnoscunt probabilem, Laym. loc. c. et Castropal. de justitia p. 19. num. 4. dicunt esse valde probabilem, Diana par. 2. tom. 3. R. 5. vocat in praxi tutam, Haun. tom. 5. n. 26. defendit, speculative probabiliorem, et tamquam in praxi securam (1).

(22. Si res inventa fuerit derelicta, fit inventoris, qui primo occupat; l. 1. ff. *pro derelicto*. Res autem habetur pro derelicta, quando Dominus ita se gerit circa illam rem, ac si eam amplius non curaret ut propriam, ejusque Dominium negligere censeatur, utpote qui vel tam procul recedit, ut verisimile sit eum nunquam reversurum, vel si revertatur, rem tamen non petiturum, maxime usu consumptibilem; aut si prope est, tamen cum possit recuperare, rem non inquirit, nec repetit, et recuperare negligit. Est communis, et habetur § penult. Inst. *de res. divis.* (23. Si res inventa sit de illis, quæ nunquam Dominum habuerunt, ut insula in mari nata, gemmæ et lapilli in maris littore, sit primo occupantis; quod enim ante nullius est, naturali jure occupanti conceditur; l. *Adeo* § *Insula*, ff. *de acquirendo rerum dominio*. (24. Merces et quævis alia bona reperta in littore maris aut fluminis post naufragium non sunt primo occupantis, aut fisci, sed domino restitui debent; leg. *Navigia*, Cod. *de furtis*. Est communis Doctorum, et ratio est, quia Dominus rei suæ dominium non

(1) E. R. Auctores hic citati in rebus moralibus cum plerisque n. 19, citatis, non sunt comprobandi; nec sola nomina ejusdem sunt ponderis, et valoris ac sint auctoritates Sanctorum, Catechismi Romani, atque rationes. Vide Cuniliati Trac. 9. de 7. Decal. Præcepto, cap. § 9. n. 2. (Edit. Barbiel.)

Digitized by Google

amittit, nisi ipse consentiat, sive eam pro derelicta habeat; in hoc autem casu, quod ratione tempestatis rem projiciat in mare ad evadendum naufragium, aut in naufragio ipsam amittat, Dominus non consentit, nec pro derelicta habet; quin potius libentissime retineret, vel recuperaret, quocumque modo posset, quamvis necessitate compulsus ejecerit, vel impossibilitate deterritus spem recuperandi per se abjiciat; § 48. Instit *de rer. divis.* l. 21. § 1. ff. *de acquir. vel amittend. poss.* Tum quia talia bona in littore inventa retinere est contra jus naturale, ut alieni occupatio et magna in miseros crudelitas, ut inquit Cassiod. lib. 4. Var. Epist. 7. ibi: « Crudelitatis genus est ultra naufragium velle sævire, et illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dedisse; » Unde excommunicantur in Bulla Cœnæ qui bona Christianorum naufragantium in littore reperta surripiunt animo retinendi. (25. Hinc piscantes bona naufraga in mari tenentur restituere Domino; sicuti debent Domino restitui ea, quæ eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione etc, et etiam oves, aut alia animalia ex lupi faucibus erepta, sive adhuc vivant, sive non, per cit. Jura sub n. 24. Nec refert, quod eas res Dominus nunquam recuperaturus fuisset, quippe certo perituras, nisi talis piscator, seu ereptor illas magna industria, labore, periculo vitæ ab interitu liberasset, ut habetur ex l. *Pomponius* 44. ff. *de acquir. rer. domin.* ubi dicitur, quod quælibet res nostra, quantumcumque periclitetur, manet nostra quandiu non est consumpta; et sic tenet communis Doctorum, qui tamen dicunt posse talem Piscatorem seu Ereptorem compensationem laboris, ac periculi sui debite æstimatam Jure exigere, quia Domini negotium utilissime gesserunt (1).

(26. Thesaurus proprie dictus (qui leg. *Numquam* 3. ff. *de acquir. rer. dom.* definitur quod sit *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*) Jure naturali, et gentium transit in dominium inventoris occupantis; est communis; quæ enim nullius sunt, Jure naturæ et gentium fiunt primo occupantis; thesaurus autem in nullius dominio existit, adeoque etc. De jure autem civili in discernendo ad quem spectat thesaurus, opus est distinctione. (27. Si enim thesaurus inventus sit in proprio fundo, totus est inventoris; Instit. *de rerum divisione*, § *Thesauros;* ubi sic expresse dicitur: « Thesauros, quos quis in loco suo invenerit, D. Adrianus, naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos invenerit. »

(28. Si autem thesaurus inventus sit in fundo alieno, vel inventus est non data hoc opera, sed fortuito, v. gr. arando, seu fodiendo, et hujusmodi, tunc dimidius erit Domini fundi, et dimidius inventoris; l. 1. Cod. *de thesauris* lib. 10. et Inst. *de rer. divis.* § *Thesaurus*; (29. Vel inventus data ad hoc opera, et ex industria quæsitus sine consensu Domini, et tunc erit domini l. unica, Cod. *de thesauris*, ibi: « In alienis vero terrulis nemo audeat invitis, id est nec volentibus, vel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari; quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur. »

(30. Si dominus consensit, ut quis in fundo suo thesaurum quæreret, standum est pacto, si quod initum est; si nullum initum sit pactum, fieri debet divisio ad æqualitatem, nisi partem suam cessisset dominus; arg. l. 1. Cod. *de thesauris* lib. 10. et Instit. *de rer. devis.* § *Thesauros*. Si autem inventor certo sciverit ibi latere thesaurum, et simulaverit se nihil scire, fingendo aliam necessitatem terræ effodiendæ, tunc de tali thesauro disponendum est, ac si nullus fuisset datus a Domino consensus, ac ideo totus debebitur Domino, cum se inscio, immo decepto, fuerit quæsitus, et inventus; l. unica, C. *de thesauris*. (31. Si fundus habet duos Dominos, unum scilicet directum, et alterum utilem, tunc thesaurus, inventus fortuito et sine data opera, erit dimidius inventoris, et alter dimidius thesaurus erit inter illos ex æquo dividendus, tamquam inter dominos fundi; cit. l. 1. Cod. *de thesauris* lib. 10. et Inst. *de rer. divis.* § *Thesauros*. (32. Si vero thesaurus fuerit inventus data, ad hoc opera, ut ex industria quæsitus sine consensu alicujus Domini, tunc erit totus dividendus ex æquo inter ipsos dominos fundi, et nihil debebitur inventori, cit. leg. unica C. *de thesauris*. (33. Si autem inventor fuerit unus ex ipsis Dominus fundi, v. g. fuerit Dominus utilis (ut Feudatarius, vel Emphyteuta) tunc ipse Dominus utilis inventor debebit reddere Domino directo solummodo quartam partem, et sibi reservare alteram quartam partem quatenus est ejus fundi Dominus, et sibi retinere integram medietatem, quatenus est inventor arg. cit. § *Thesauros*, Instit. *de rer. divis.* et cit. l. unica, Cod. *de thesauris*. Et ratio est, quia idem est inventor; et sic debetur illi media pars, et est etiam Dominus ex parte, et sic ei debetur altera quarta pars. (34. Tanto jure non gaudet Depositarius, et hypothecarius, qui cum non sint Domini nec utiles, nec directi loci sibi depositi, vel oppignorati, si ex industria quærant, et inveniant thesaurum in ipso, erit totus Domini fundi;

(1) Quid vero si dominus rerum naufragii causa projectarum eas non vindicet? Cui hoc casu dici debent acquisitæ? Plerique hoc jure utuntur, ut si dominus rei naufragio in littus ejectæ infra annum, et diem ad vindicandum non advenerit, duæ partes acquirantur fisco, tertia inventori. Coccenius de jur. marit. lib. 1. c. 7. n. 10. Alii vero putant res omnes acquiri fisco, si Dominus infra annum non compareat, et dominium probet, nilque aliud inventoribus præstandum præter mercedem operis, si eam extraxerunt. Perez in Cod. tit. *de Naufragiis* n. 28. et 29. Corvin. ibid. lib. 11. 6. § *Quod humanitati*, et seq. pag. 89. per tot. Voet. in Pandect. lib. 47. titul. 9. n. 3. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

arg. cit. .. unica, Cod. *de thesauris*. (35. Si vero casu fortuito thesaurum inveniant in illo loco sibi deposito, vel oppignorato, tunc dimidius thesaurus erit Domini fundi, et dimidius inventoris, seu inventorum, cit. leg. 1. Cod. *de thesauris* lib. 10. et Inst. *de rer. divis.* § *Thesauros*.

(36. Thesaurus inventus in loco publico spectante ad Principem, vel Communitatem speciali jure proprietatis, ut potest esse in aliqua sylva, domo, agro, horto et hujusmodi, si sit inventus casu fortuito, media pars debet esse inventoris, et altera media pars Principis, seu Communitatis. Inst. *de rerum divis.* l. 2. § *Thesauros* 39. ubi sic dicitur: « Si quis in fiscali loco, vel publico, vel Civitatis thesaurum invenerit, dimidium ipsius esse debeat, et dimidium fisci, vel Civitatis. » Si sit inventus ex industria seu quærendo, totus pertinet ad dominum fundi; cit. l. unica Cod. *de Thesauris;* Non enim Princeps, aut Civitas est pejoris conditionis, quam alter particularis, cui sic totus thesaurus adjudicatur; ex d. lege. (37. Thesaurus autem inventus in loco omnino publico, et communi, ad nullius speciale dominium proprietatis spectante, quamvis pertineat ad dominium jurisdictionis alicujus Principis, vel Communitatis, uti sunt viæ publicæ, plateæ, flumina et hujusmodi, totus videtur esse inventoris, et non Principis, vel Communitatis. Ita Covarr. Regula Peccatum pag. 3. § 2. numer. 3. citans pro se Baldum, Cynum, et alios, Sporer. loco cit. n. 174. Lessius l. 2. cap. 5. dub. 16. num. 63. La Croix l. 3. par. 2. num. 106. et alii, arg. § *Thesauros* 39. Inst. *de rerum divis.* Et ratio est, quia quod antea nullius erat, naturali jure occupanti conceditur; Princeps autem, vel Communitas non est Dom. talium locorum jure dominii specialis, et proprietatis, de quo loquuntur leges, sed dominio jurisdictionis, et auctoritatis disponendi. Per ly enim verbum *in loco publico* citat. leg. § *Thesauros.* adduct. supra n. 37. non intelligitur via publica, forus, platea, flumen, vel similis locus, qui proprie nullius est, cum similis locus sit omnium usibus deputatus: sed intelligitur de loco, quem Princeps specialis dominii jure possidet, ut sylva, domus, ager, hortus et hujusmodi, alioquin dimidium non deberet dari Civitati, ut ibi dicitur, sed potius Principi, ut recte notat Lessius loco citato.

(38. Thesaurus ex industria quæsitus, et inventus in loco sacro vel religioso, inscio, aut invito Prælato, fit ipsius Prælati, vel Ecclesiæ. Ex consensu autem, vel fortuito repertus dividendus est pro medietate inter inventorem, et Prælatum, seu Ecclesiam; arg. l. unica Cod. *de Thesauris*, et Inst. *de rer. divis.* § *Thesauros.* Et ratio est, quia Ecclesia censetur dominus talis loci, et ideo pariformiter discurrendum est de locis sacris, ac religiosis, quæ specialis dominii jure possidentur, ac de aliis locis profanis sub speciali dominio alicujus existentibus. (39. Thesaurus arte magica inventus in omni casu post sententiam Judicis adjudicatur Fisco, vel in toto, si totus fuisset inventoris, uti quando inventus fuit in fundo proprio; vel solum in illa parte, quæ inventori contingere debebat, uti quando inventus fuit fortuito, vel de consensu domini in fundo alieno, quia dominus loci ob maleficium alterius non debet suo jure privari, per citatam l. unic. Cod. *de Thesauris*

(40. Sciens in agro alieno esse thesaurum, potest illum emere eodem pretio, ac si ibidem thesaurus non lateret, ac postea empto agro totum thesaurum tamquam verus Dominus in conscientia retinere; Ita colligitur ex l. *A Tutore*, ff. *de rei vindic.* et tenet communis cum S. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 5. Soto lib. 6. de Just. part. 3. Molina disp. 56. Lessius leg. 2, cap. 5, dub. 15, n. 62. Layman. loco cit. cap. 5, num. 23. Sporer. l. cit. num. 175. Et ratio est, quia eruit postea thesaurum ex proprio fundo, nec tenebatur priori domino indicare ipsum, non enim ei fecit injuriam, cum emerit, ut supponitur, agrum illum secundum communem æstimationem, ad quam æstimationem nihil facit thesaurus latens, cujus nulla habetur suspicio.

(41. Emens rem mobilem, in qua thesaurus latebat, etiam priori venditori ignotus v. gr. capsam ferro, vel plumbo plenam, in qua invenit aurum, vel aliud quidpiam pretiosum, cujus dominus omnino ignoratur, et proinde pro derelicto habetur; ipsa inventione acquirit sibi thesaurum totum, nec de eo quidquam tenetur venditori restituere, quia invenit in re sua. Venditor enim non fuit dominus illius thesauri, cum fuerit sibi omnino ignotus, adeoque nullum habet jus ad aliquid repetendum ab emptore; quod autem thesaurus in terra lateat, vel in re mobili, nihil refert, cum utrobique lateat, et in eo statu in nullius dominio existat, et consequenter dum latebat, non fuit venditoris, sed fit emptoris, quando ab emptore invenitur. Unde si non ab emptore, sed ab alio inveniretur, in illo ferro, aut plumbo empto, si fortuito inveniretur, media pars deberetur inventori, et media emptori; si ex industria inveniretur, deberetur totus emptori, per dicta, et jura adducta sub n. 28 et 29. ut optime resolvit Lugo tom. 1. disp. 6. sect. 11. n. 129. (42. Addit Lessius l.c. n. 62. militem, qui hosti saccos lupulo refertos abstulit, in quibus laminæ erant aureæ, et argenteæ conditæ, si postea saccos vendidit, non habere jus ad laminas, neque ad pretium pro illis exigendum, quia cum latuerint, dum ipse dominus fuit saccorum, non acquisivit earum dominium.

(43. Leges circa thesaurorum applicationem factæ non obligant in conscientia ante Judicis sententiam, quando sunt pœnales, qualis est illa de inveniente thesaurum per artem magicam, et illa contra quærentes thesaurum in fundo alieno sine consensu Domini, ut colligitur ex leg. unica, Cod. *de thesauris*, ubi de tali inventore dicitur, « totum hoc locorum domino reddere compellatur, » ubi verbum *compellatur* sa-

Digitized by Google

tis indicat Legem esse pœnalem, et non esse latæ, sed ferendæ sententiæ; adeoque compulsionem Judicis esse expectandam. (44. Aliæ autem leges, quæ pœnales non sunt, obligant in conscientia, etiam ante omnem sententiam Judicis, quia cum dispositio juris per tales Leges sit definitiva proprietatis, rerum transfert; dominium justas ob causas in fiscum, vel dominum fundi saltem quo ad partem ante sententiam Judicis, sunt in conscientia observandæ tales Leges non pœnales; et idem dicendum est de similibus Legibus municipalibus, si alicubi sunt; Lugo loc. cit. num. 131. Lessius loc. cit. num. 59. Sporer loc. cit. num. 172. et alii passim. (45. Advertendum tamen est, quod ea, quæ hactenus dicta sunt de thesauris, procedunt secundum Jus commune. Si autem in aliqua Provincia sint aliquæ Leges particulares, vel consuetudines hac de re justæ, sunt servandæ, ut recte Lessius l. c. n. 66. (1)

(46. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium nedum ex hucusque dictis per occupationem, sed etiam per *Alluvionem*, § *Præterea*, Inst. *de rer. div.* Alluvio autem est duplex; alia dicitur *latens*, et alia *patens*. (47. Alluvio latens, et proprie dicta alluvio est, quia pars fundi unius paulatim, et insensibiliter, et ita latenter, ut vix notari queat, fundo alterius adjungitur. Alluvio patens est, qua pars aliqua notabilis fundi unius vi fluminis in alterius fundum patenter transfertur. Sic in re comm. (48. Augmentum fundi factum per alluvionem latentem est ejus, cui adjungitur. Augmentum autem factum per alluvionem patentem remanet illius cujus prius erat, textu expresso in § *Propterea quod per alluvionem*, Instit. *de rer. divis.*

(49. Insula per alluvionem de novo nata, si sit nata in alto mari, quod sub nullius dominio sit, est primo occupantis. Si autem sit nata in fluminis medio, fit eorum, qui utrinque e regione prædia habent, et sic debet dividi inter eos. Si vero insula fuerit propinquior uni ripæ, quam adversæ, erit tota Dom. illius ripæ propinquioris. Si fluvius ita dividatur, ut ex uno agro, qui erat in ripa, insulam faciat, talis insula erit illius, cujus erat ager. Si vero fluvius, alveo derelicto, divertat per aliam partem, alveus antiquus accrescit iis, qui agros utrinque habent, et inter ipsos est dividendus. Alveus vero novus ita sit publicus, vel ejus cujus est fluvius, ut si post longum tempus iterum redeat fluvius ad primum suum alveum, non redeat alveus ad Dominos, quorum antea erat, sed accrescit iis, qui utrinque agros habent, textu expresso in § 20. et seq. Instit. *de rer. divis.* Lugo l. c. n. 155. Sporer *loco cit. n.* 222. (50. Incrementum alluvionis quo ad substantiam fit domini proprietarii fundi, cui accedit. Quo ad usufructum autem, si sit incrementum *latens*, accrescit usufructuario; si vero sit incrementum *patens*, accrescit domino proprietario. Sic expresse habetur l. *Item*, ff. *de usufructu.* Excipiuntur tamen feudatarii, et Emphyteutæ, quibus accrescit utrumque incrementum alluvionis, scilicet, et incrementum *latens*, et incrementum *patens*, ut communius tenent Doctores cum Card. de Lugo loc. cit. n. 156. et duobus sequentibus, et Molina disputat. 56. Sporer l. c. n. 223.

(51. Jure gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Specificationem* § 25. Instit. *de rerum divis.* Per specificationem autem hic intelligitur nova formatio, seu introductio novæ formæ in materiam, ita ut dicatur produci quasi nova species, quando ex lana fit pannus, ex tabula fit navis, ex uvis fit vinum, ex argento fit vas, et hujusmodi. Ad specificationem autem pro acquirendo dominio, non sufficit aliquid quomodocumque accidentaliter immutari, sed requiritur talis immutatio, ut in commercio humano habeatur pro nova re, novo nomine substantivo appellata, uti cum ex lana fit pannus, lana enim per talem specificationem, seu introductionem novæ formæ, scilicet panni, desivit vocari lana, et vocatur pannus. Si enim lana mutaretur solum accidentaliter, ut si de alba fieret nigra, non esset specificatio, nec mutaretur ejus dominium, sed remaneret adhuc prioris sui domini; l. 26. § ult. ff. *de acquirend. rer. domin.* (2)

(52. Hinc si quis ex aliena materia faciat speciem, quæ semel facta non possit reduci ad priorem materiam, acquirit dominium illius speciei; quia enim v. gr. vinum ex uvis factum non potest redire ad uvas, si quis expresserit vinum ex uvis alienis, acquirit vini dominium, sed dominium uvarum competit actio personalis contra illum. E contra si quis ex aliena materia faciat speciem, quæ possit iterum reduci ad priorem materiam, non acquirit dominum illius speciei, sed dominium manet apud illum, cujus fuit materia, quia enim v. gr. vas ex argento factum potest iterum resolvi in argentum, si quis fecerit vas ex argento alieno, dominium manet penes dominium argenti, et ei competit actio etiam realis ad vas illud, § 25. Instit. *de rer. divis.* lib. 7. § 7. ff. *de acquirend. rerum domin.* (3)

(1) Multa, quæ hic desiderantur de thesauris, videnda sunt apud Guadagn. Instit. jur. civil. lib. 2. tit. 1. a § 96. præcipue in notis. (Edit. Barb.)

(2) Requiritur ulterius in specificatore bona fides, secus enim concurrente in ipso mala fide, nova species domino materiæ acquiritur, et specificator amittit operam, eamque donasse censetur domino; Donnell. Comment. jur. civil. lib. 4. cap. 12. late Guadag. Instit. jur. civ. lib. 2. tit. 1. § 81. num. 13. Quid vero si novâ species partim ex propria, partim ex aliena materia facta sit? Hoc pariter casu communiter eamdem adhibent distinctionem Interpretes, nempe quod si ad priorem materiam reduci nequeat, specificatoris sit, contra vero, si commode ad pristinum statum reverti possit. Harprect. Vinn. Zoes. aliique in § 25. Instit. *de rer. divis.* (Edit. Barbiel.)

(3) Duplicem accessionis speciem supra distinximus. Hactenus de accessione naturali, nunc sequitur accessio industrialis, quæ fit vel *adjunctione*, seu *con-*

Digitized by Google

(53. Jure gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Accessionem*. Accessio autem seu adjunctio dicitur, quando res unius accedit, vel adjungitur rebus alterius per humanum laborem, vel industriam, ut ornatione, inædificatione, implantatione, satione, scriptione, pictura. Unde quando res unius accedit, seu conjungitur rei alterius, totum ex utraque re compositum, jure *Accessionis* spectat ad dominum rei præsuppositæ, et principalis; l. *Cum aurum* 19. § *Perveniamus* 13. *de auro, et argento*, et ratio est, quia ex Regula 42. Juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* (54. Hinc si annulo accedat seu conjungatur gemma, si vesti intexatur purpura; gemma, et purpura spectabunt ad dominum illius, cujus erat annulus, et vestis; quamvis illa adjecta essent pretiosiora, textu expresso in § *Si tamen*, Institut. *de rerum divis.* (55. Remanet tamen ipsi obligatio reddendi alteri æstimationem rei suæ, sive bona sive mala fide usurpatæ, ut docent communiter Doctores. Immo volunt, quod si illud quod accessit, seu adjectum est, possit absque detrimento, seu læsione rei principalis separari, debeat separari, et suo Domino in specie petenti reddendum sit.

(56. Sic jure *Accessionis* si quis in suo fundo ex aliena re ædificaverit, is sit dominus ædificii, quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit tamquam principali; diruto tamen ædificio, materiæ dominus eam vindicare poterit, nisi antea ipsi pro materia satisfactum sit, textu expresso in Institut. *de rerum. div.* § 29. ibi: « Cum in suo fundo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipse intelligitur dominus ædificii, quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit; nec tamen is, qui materiæ dominus fuerat, desinit dominus ejus esse, sed tantisper, neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem 12. tabularam, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet per actionem quæ vocatur, de tigno juncto; appellatione autem tigni, omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt; quod ideo provisum est, ne ædificia rescindi necesse sit; quod si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit jam duplum consecutus, tunc eam vindicare, » et concordat l. *Adeo*, ff. *de acquirend. rer. dom.* (57. E contra vero si qui in alieno solo ex sua materia ædificaverit, ædificium erit illius, cujus est solum. Et si talis ædificans scivit solum esse alienum, nihil pro opera, et materia sua repetere poterit in foro externo, etiamsi ædificium diruatur, quia aut donasse, aut temere ædificasse censetur, cit. Institut. *de rer. divisione* § 30. ibi: « Ex diverso si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius sit domus, cujus et solum est, sed hoc casu materiæ dominus proprietatem ejus amittit, quia voluntate ejus intelligitur alienata, utique; si non ignorabat se in alieno solo ædificare, et ideo, licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest; » et concordat cit. l. *Adeo, de acquirend. rer. domin.* (58. Ex æquitate tamen, etiamsi mala fide in alieno fundo ædificaverit, potest repetere pretium materiæ, et expensarum: ut ei conceditur; l. 38. ff. *de petit. hæred.* et recte docet Haunoldus de Just. et jure num. 142. Illsung. tom. 4. doc. 2. n. 271. et alii; arg. l. 2. Cod. *de rei vindicatione.* (59. Et a fortiori si bona fide ignoravit solum esse alterius, ipsa bona fides, vel æquitas non patitur, ut fundi dominus cum alterius ædificantis detrimento locupletetur, quare pretium materiæ, et operarum solvere tenetur; c. l. 38. ff. *de pet. hæred.* et cit. l. *Adeo* ff. *de acquir. rerum domin.* et cit. l. 2. C. *de rei vindic.*

(60. Sic etiam jure *Accessionis* si quis alienam plantam in suo fundo posuerit, et ea radices egerit, fit statim sua, cum planta licet aliena accedat solo, quod est suum. E contrario, si quis suam plantam in alieno solo posuerit, statim ac ibi radices egerit fit illius, cujus est solum textu expresso in § *Si Tit.* 31, *de rerum divisione*, ibi: « Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius est, et e diverso si Titius suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit, si modo utroque casu radices egerit; ante enim quam radices egerit, ejus permanet, cujus fuerat, adeo ut si vicini arbor in terram Titii posuerit, et in ejus fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus; ratio enim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quam cujus in fundum radices egerit, et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit; communis sit; » et concordat cit. l. *Adeo* § fin. ff. *de acquirent. rer. domin.* (61. Sic si arbor in confinio posita in duorum dominorum fundo radices egerit, æqualiter communis erit ambobus, mox citat § *Si Titius* 31, *de rer. divis. et citat.* l. *Adeo* § final. ff. *de acquirend. rer. domin.* adeoque fructus colligendi, debent æqualiter dividi. Sponte vero decidentes in fundo, erunt domini fundi; Layman. loco cit. num. 21. Sporer, loc. cit. num. 232, et alii passim. (62. Arbor vicina ut fiat tua, non est satis, quod radices aliquas, et etiam aliquos ramos projiciat in fundum tuum, sed requiritur ut origo, seu truncus in tuo fundo crescat; l. 6, § 2, ff. *Arborum furtim Cæsarum;* unde non licet tibi succidere radices, et ramos se nimium porrigentes, sed datur tibi actio contra alterum, ut vel ipse tollat, vel damnum compenset, quod si monitus facere neglexerit, poteris tu succidere, et sibi tollere, l. 1 et 2, *de arboribus cædendis;* Layman, loc. c. num. 21. Sporer loco cit. num. 233 et alii. (1)

junctione, vel *commixtione*. Donell. (Comment. jur. civ. lib. 4. cap. 32. (Edit. Barbiel.)

(1) Privata auctoritate succidere non licet; sed recurrendum est ad Judicem, qui sua id sententia secundum legem decernat, juxta ea, quæ supra notavimus, de Possessore agentes. (Nova Rom. Theol.)

Digitized by Google

(63. Sic etiam jure *Accessionis* frumenta sata in fundo alieno fiunt illius, cujus est fundus; textu expresso in § 32. Instit. *de rer. divis.* ibi : « Qua ratione plantæ, quæ terræ coalescunt; solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur. » (64. Additur autem, si bona fide severit, posse impensas repetere, e contra, si severit mala fide; La Croix, lib. 3, part. 2, num. 133. Sporer. loco cit. num, 231. Layman loc. cit. n. 21. (65. Ex æquitate tamen, etiamsi mala fide severit, potest repetere pretium materiæ, ex expensarum, secundum æstimationem utilitatis, ut volunt Haunoldus de Justit. et Jur. n. 145. Illsung. tom. 4, decis. 2, num. 271, et alii per leg. 38, ff. *de petit. hæred.* arg. *leg.* 2, *Cod. de rei vindicat.* (66. Sic etiam jure Accessionis scripturæ, seu litteræ, etsi aureæ sint, chartis vel membranis cedunt. Unde si in charta Petri historiam Paulus scribat, ejus operis erit dominus Petrus; impensas tamen scripturæ Petrus solvere debet Paulo, si bona fide ejus charta sit usus; § *Littera* 33, Instit. *de rer. divis.* ibi : « Litteræ, licet aureæ sint, perinde chartis membranisque cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur, aut inferuntur; » et concordat lex *Qua ratione* § *Litteræ*, ff. *de acquirend. rerum dominio.* (67. Hodie tamen quia charta vilis est pretio, consuetudo prævaluit, ut charta cedat scripturæ, etiamsi mala fide esset conscripta. Scriptor vero tunc conveniri potest actione furti in duplum præter æstimationem chartæ. Si autem bona fide fecerit, satis erit restituere æquale ejus pretium; Haunoldus, loc. cit. num. 147. Ilsung. loc. cit. n. 272. Sporer loc. cit. num. 228, et alii. (68. Sic etiam jure Accessionis pictura vilior quam tabula valde pretiosa, ut, argentea, in accessionem tabulæ venit, et tabula picta ad suum primum dominum spectat, soluto tamen pretio picturæ ipsi pictori, si bona fide pinxit, alias, de jure nihil. Sic pariter si picturam quicumque rei, quamvis viliori, quis adjiciat ornandi causa, ut si super alterius mensa pingantur Ver, Æstas, Autumnus, pictura mensæ cedet, quia ejus gratia facta est, ut ornatior compareat, et sic de similibus; Paul. Juriscons. leg. 23, § 3, ff. *de rei vindicat* Layman loc. cit. num. 21. Sporer loc. cit. num. 227, et alii. (69. Si autem pictura pretiosior sit quam tabula, ut plerumque accidit, tunc tabula cedit picturæ, quia quod minus principale est, sequi debet id, quod est principalius; Instit. *de rer. divis.* § 34 : « Ridiculum est enim, inquit Justinianus, picturam Apellis, vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. » Adest tamen obligatio restituendi Domino pretium tabulæ; Layman loc. cit. num. 21. Sporer loc. cit. 227, et alii.

(70. Jure gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Confusionem*, et *Admixtionem.* (71. Confusio est, qua res unius rei alterius ita conjungitur ut non possit discerni pars unius a parte alterius, ut v. g. cum vinum unius miscetur cum vino alterius. Est in re communis. (72. Admixtio est, qua res unius ita conjungitur rei alterius, ut possit physice pars unius assignari, quamvis non possit faciliter dignosci, ut cum triticum, aut pecunia unius misceatur cum tritico, et pecunia alterius. Est etiam in re communis. (73. Ubi Vides, quod Admixtio in hoc differt a Confusione, quod in Admixtione corpora separata inter se manent secundum substantiam; quodlibet enim granum unius manet distinctum a grano alterius, et de singulis verum est dicere hoc granum non fuit utriusque, licet nunc propter similitudinem discernere non possimus, cujus fuerit. In *Confusione* vero corpora non manent separata, sed in unum coeunt; vinum enim unius ita confunditur cum vino alterius, ut facta confusione, nulla pars assignari possit, quæ non habeat aliquid de utroque, § *Quod si frumentum*, Instit. *de rer. divis.* Ad dignoscendum ad quem in confusione, et admixtione rerum spectet earum Dominium, traduntur sequentes regulæ.

(74. Prima regula pro Confusione est, quod si duorum Dominorum materiæ utriusque consensu, vel utroque inscio, aut casu confusæ sint, totum corpus, aut conflatum ex ipsis, est dividendum pro rata; Instit. *de rer. divis.* § *Si duorum*, 27. (75. Secunda est, quod si uno solo volente, altero nolente, aut nesciente, materia utriusque confusa sit, Dominium totius conflati erit illius, qui posuit operam, et majorem partem materiæ; et ratio est, quia major pars trahit ad se minorem, secundum leg. 23, § 4, ff. *de rei vindicat.* et ex reg. 42. Juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Remanet tamen obligatio reddendi æstimationem pretii materiæ illius. (76. Sic pariformiter prima regula pro *Admixtione* est, quod si species duorum Dominorum v. gr. frumenta ex utriusque voluntate misceantur, talis cumulus efficitur utrique communis, quia ex consensu utriusque singula v. gr. grana, quæ cujusque propria fuerant, mutuo communicantur; Institut. *de rer. divis.* § *Quod si frumentum.* (77. Secunda est, quod si casu ea commixtio facta sit, aut unus miscuerit sine alterius consensu, talis cumulus non sit communis; quia singula corpora in sua substantia durant, ac proinde si ab alterutro totum frumentum detineatur, competere alteri actionem in rem pro modo cujusque frumenti : unde Judex arbitrari debebit, quale cujusque frumentum fuerit, ut videat quid singulis ex illo cumulo debeatur. Institut. *de rer. divis. citat.* § *Quod si frumentum.*

(78. Pro acquirendo tamen Dominio alienæ pecuniæ per admixtionem cum propria, speciale quid videtur statutum in l. *Si alieni nummi* 78, *de solutionibus*, ubi sic habetur : « Si alieni nummi, inscio vel invito domino, soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt : » intellige antequam admixti fuerint cum propriis « si mixti essent ita, ut discerni non possint, ejus fieri, qui accepit, in libris Gaii scriptum est, ita ut actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret. » Ubi ut vides

Digitized by Google

determinatur, quod pecunia, etiam inscio, vel invito domino, cum alia admixta, transeat in dominium alterius volentis totam habere ut suam, quod in simili de frumento expresse negare videtur Justinianus in cit. § *Quod si frumentum*, Institut. *de rer. divis.* Hinc non parum laborant Doctores in assignanda disparitate, et ratione, quare pecunia, etiam inscio, vel invito domino commixta, transeat in dominium accipientis post commixtionem, et non sic grana frumenti, et alia mixtilia. Congruentia tamen esse potest, quia majus periculum est in nummis, qui sunt in quotidianis commerciis, unde multæ difficultates oriri possent, si eorum dominium, quando miscentur, maneret ita incertum. Tum quia nummi a publica æstimatione suum habent valorem, atque statim ac expenduntur, et commiscentur, intelliguntur consumpti, quia ut dicit Glossa in citat. l. *Si alieni nummi*, eorum mixtio habet vim consumptionis; non sic autem de granis frumenti, aliis permixtis, et hujusmodi mixtilibus; et sic tenet una Doctorum sententia.

(79. Alia autem Doctorum sententia communior, et probabilior tenet, pro acquirendo rerum dominio per *Admixtionem* eamdem esse rationem de pecunia, et de frumento mixto, et hujusmodi mixtilibus, et pro discernendo ad quem spectat dominium pecuniæ, frumenti, aut alterius similis mixtilis, quando mixtio facta est uno volente, et altero nolente, aut nesciente, tradit sequentes regulas. (80. Prima est, quod qui rem alienam quamcumque admiscuit suæ in quacumque quantitate, habens præsumptam, vel expressam voluntatem non acquirendi dominium partis admixtæ, non acquirit dominium totius cumuli, sed pars admixta remanet adhuc sub dominio sui pristini domini; et tunc quia nequeunt discerni, quæ partes sint unius, et quæ alterius, spectat ad Judicem dare singulis ex illo cumulo, quod eis pro rata competit: colligitur ex § *Quod si frumentum*, Institut. *de rer. divis.* Et ratio est, quia dominium non acquiritur sine voluntate acquirendi, et nunc præsumitur talem admiscentem alienam rem, vel pecuniam cum sua, non habere voluntatem acquirendi ejus dominium, adeoque per meram admixtionem ipse admiscens non acquirit rei admixtæ dominium; aliter sequeretur, quod si aliquis amicus det alicui Religioso rem, seu pecuniam custodiendam, et ipse Religiosus cum sua conjungat, et misceat, ut utramque simul sub clave æquali cura custodiat, peccet contra votum paupertatis, si hanc mixtionem absque licentia sui Prælati faciat, quia per mixtionem acquirit de novo dominium illius novæ pecuniæ, quam acquisitionem facere non potest absque licentia Prælati. Hoc autem durum videtur, et contra praxim, ac sensum communem: nemo enim putat, se magis indigere licentia ad custodiendam illam pecuniam simul cum sua, quam ad custodiendam in loco separato, adeoque non perdit antiquus dominus dominium suæ pecuniæ, eo ipso quod ab alio cum sua admisceatur, ut recte Lugo loc. cit. n. 162. Nec contradicit. c. l. *Si alieni nummi*, quia ut observat Sporer loc. cit. num. 149, loquitur in casu Regulæ immediate sequentis.

(81. Secunda igitur Regula est, quod qui rem alienam, seu pecuniam, seu frumentum, seu aliud quid simile miscuit rei suæ majoris quantitatis, habens expressam, vel implicitam saltem voluntatem acquirendi dominium totius cumuli, re ipsa acquirit dominium totius cumuli, si nimirum partes commixtæ amplius discerni nequeant, prout semper supponitur. Et in hoc sensu intelligenda et accipienda est c. l. *Si alieni nummi*, quæ Lex dicit quidem per admixtionem cum sua pecunia fieri etiam suam pecuniam alienam, etiam furtivam, quæ ipsi miscenti pro solutione debiti data fuit; at tunc, ut constat, adest pro acquirendo tali dominio voluntas, seu intentio ipsius miscentis, qui ea voluntate, seu intentione pecuniam alienam etiam furtivam pro solutione debiti acceptam, commiscet suæ indiscernibiliter, ut sic totum cumulum tam quam suum possideat, quia voluntate, seu intentione posita dicimus per admixtionem acquiri dominium cujuscumque rei admixtæ. Sic Lugo loc. cit. num. 167, Sporer loc. cit. num. 247, et alii. (82. Hinc qui pecuniam vel quamvis rem alienam ab ipso furatam, vel ab alio fure mala fide acceptam ita cum propria commiscuit, ut discerni amplius nequeant, acquirit totius cumuli dominium; at remanet cum obligatione resarciendi totum damnum domino pecuniæ; quia licet res alterius per admixtionem cum sua transierit in dominium admiscentis, ita ut non teneatur eam restituere in individuo, teneretur tamen restituere æquivalens, uti quando rem alterius consumpsit. Sic Lugo loc. cit. num. 172, Sporer loc. cit. et alii. (83. Qui vero pecuniam furtivam accepit bona fide in solutionem alicujus debiti v. g. ut pretium pro merce vendita, et sic bona fide cum sua pecunia commiscuit, postea comparente domino pecuniæ, ad nihil tenetur. Non enim ratione injustæ acceptionis, cum bona fide acceperit, neque ratione rei acceptæ, quia res accepta jam per admixtionem moraliter consumpta est, et perinde se habet, ac si expendisset: nec denique tenetur quantum factus est ditior, cum ea occasione nil prorsus acquisierit lucri, sed habet solum quod sibi alias debebatur, et in hoc potissimum casu loquitur dicta Lex *Si alieni nummi*, ff. *de solutionibus*. (84. Qui autem pecuniam furtivam bona fide accepit gratis, vel lucrative v. g. ex donatione, Legato, etc., et ita commisceat cum sua, acquirit quidem dominium ipsius, ita ut non teneatur eam restituere in individuo, sed tenetur domino restituere in æquivalenti, quia ex pecunia aliena factus est ditior, quo ad illud augmentum, adeoque debet ea de causa restituere domino pecuniæ totum illud augmentum pecuniæ, quod habet: Sic Lugo l. c. n. 170. Sporer, l. c. num. 254. et alii passim.

(85. Jure gentium acquiritur rerum dominium etiam per *Fructuum perceptionem*; possessor enim bonæ fidei Jure gentium fructus facit suos, nec eos consumptos tenetur

Digitized by Google

restituere vero domino, si is postmodum comparuerit, et fundum evicerit; quamvis secus sit de possessore malæ fidei, nam is etiam fructus perceptos cogitur restituere. Sic habetur expresse in § *Si quis a non domino*, Instit. *de rer. div.* ibi: « Si quis a non domino, quem dominum esse credebat, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet justa causa, æque bona fide acceperit; naturali ratione placuit fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura, et cura. Et ideo si postea dominus supervenerit, et fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei vero, qui alienum fundum sciens possederit, non id concessum est; itaque cum fundo etiam fructus, qui consumpti sunt, cogitur restituere. »

(86. Hactenus egimus de rerum dominio, quod acquiritur jure naturali, seu gentium; nunc hic restaret agendum de rerum dominio, quod acquiritur Jure civili, atque Canonico, et de rerum dominio; quod acquiritur Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis. (87. At quia rerum dominium, quod acquiritur Jure Civili, atque Canonico, contingit potissimum mediante Præscriptione, atque usucapione, utpote quæ ad magis conservandam pacificam hominum conversationem, præcludendasque infinitas lites per Leges tum Civiles, tum Ecclesiasticas fuit introducta, et constituta; (88. ideo de hoc modo acquirendi rerum dominium Jure Civili, atque Can. agetur sub dicto verbo Præscriptio, seu Usucapio. Vide ibi. Et quia rerum dominium, quod acquiritur Jure particulari privati alicujus contractus, seu Conventionis, contingit per varios speciales contractus, seu conventiones, uti per emptionem, donationem, et hujusmodi; ideo de hoc modo acquirendi rerum dominium Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis, agetur sub dictis verbis Emptio, Donatio et hujusmodi. Vide ibi. Verbo Contractus *Empt. Vendit. Donat.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(89. Modi, quibus olim dominium privatum inductum est, et potest etiamnum induci, in originarios et derivatos non male dividi queunt. Primi sunt *occupatio et accessio*. Secundi vero *divisio, cessio, et traditio*. At de singulis hisce modis agere non est hujus loci. Adesis Genuens. de Princip. Leg. Natur. cap. 5. fer. per tot. tum etiam Samuel Coccei Dissert. procem. ad Grot. 12, cap. 3. a § 251. ad pl. seq. qui et de modis, quibus dominium amittitur, agit.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(90. Contractus, et conventiones non tertium acquirendi dominii modum constituunt, sed titulum, causamque præbent pro acquirendo dominio. Hinc non satis est ad acquirendum dominium, ut fundus sit cuidam venditus, donatus; sed insuper opus est, ut emptori vel donatario tradatur, qua traditione non secuta, nequit dici translatum jure naturæ dominium, ideoque traditio erit modus acquirendi dominii, non contractus. Guadag. Inst. jur. civ. lib. 2. tit. 1, § 60 et 61, ubi limitationem habes. Duo igitur remanent acquirendi dominii modi, qui respectu legis vel sunt *naturales*, seu ex jure Civili aut Canonico. Respectu dominii naturales modi vel sunt *originarii*, quibus res nullius fit nostra, eamque nos ipsi acquirere incipimus, qualis est occupatio, de qua infra; vel sunt *derivativi*, quibus dominium ab uno acquisitum in alium transfertur, qualis est traditio. Grot. de Jur. bell. et pac. lib. 2, cap. 3, § 1. Respectu vero rei acquirendæ, vel sunt *principales*, quibus rei substantiam simpliciter acquirimus, vel *accessorii*, quibus incrementum aliquod ad rem nostram adjungitur, ut fit per accessionem. Puffendorf. de Jur. natur. et gent. lib. 4, cap. 6, § 1 et de Offic. hom. et civ. lib. 1, cap. 12, § 5. Vide tamen in eumdem locis citatis Barbeyr. n. 2. Heinec. ad § 5. Gottl. Gerb. Titium observat. 297.

(91. Dominium jure gentium acquiritur vel *facto nostro*, sive etiam *alieno* Donell. Comment. jur. civ. lib. 4. c. 7. Samuel. Coccej. Dissert. procem. 12, § 256. nam qui per alium facit, per se ipse facere videtur; vel *vi ac potestate rei nostræ*. Possunt *facto nostro* acquiri aut *res nullius*, aut res *alterius*. Res quæ vere et omni ex parte nullius est, *facto nostro* acquiritur *occupatione*, quæ est actus, quo rem quæ nullius est, in potestatem, et custodiam eo animo redigimus, ut res ipsa nostra sit. Samuel. Coccej. Dissert. procemial. 12, § 254. Occupatio vero non semper fit earum rerum, quæ nullius sunt, sed etiam earum, quæ habere dominum desierunt. « Natura semper nullius fuerunt vel res animatæ, ad quas pertinet Venatio, vel res inanimatæ, cujusmodi sunt I. Regio, quam nullus homo sibi unquam adseruit. II. Res communes. III. Res in mari, aut littore natæ. IV. Res natæ in flumine publico, quæ per accessionem vicinis non cedunt. V. Species ex aliena materia facta quo interdum spectat acquirendi modus, qui dici solet specificatio. Dominum habere desierunt quædam eo volente, veluti res pro derelicto habitæ; quædam eo invito, et casu, cujusmodi est thesaurus. » Guadag. Inst. jur. civ. l 2, tit. 1, § 65. Donell. Comment. Jur. civil. l. 4, cap. 8. in princ. Vin. Partit. jur. l. 1, c. 19.

(92. Rectius distinxeris inter alluvionem, et inundationem. Per alluvionem acquiritur dominium iis, qui prope ripam possident prædia, quia fluminis alveus mutatur leg. 7, § 7. et l. 38. ff. *de acquir. rerum dom.* Inundatione vero prior dominus numquam talis esse desinit, nisi fundi formam immutet. Hinc si recedat aqua, fundus remanet illius, cujus antea fuit; sed si numquam recedat, prior dominus dominium amittit. Voet. in Pandect. lib. 41, tit. 1, n. 18.

(93. Notavimus alibi dominium acquiri vi et potestate rei nostræ, quod fit dum aliquid ex re nostra nascitur, aut provenit, vel dum rei nostræ adeo aliunde accedit, ut ab ea trahatur: hinc duo acquirendi dominii modi distingui commode possunt, *Fœtura, et Accessio*. Illa definiri potest acquirendi dominii modus, quo nostrum fit quidquid ex rebus nostris natum editumque est. Donell. Comment. jur. civil. lib. 4, cap. 23. Vin.

Digitized by Google

Partit. jur. lib. 1, cap. 22. et Comment. in § 19. Instit. lib. 2, tit. 1, *de rer. divis.* Quare hujus vigore quidquid ex animalibus dominio nostro subjectis nascitur, nostrum sit, leg. 2. et leg. 6. ff. *de acquir. rer. dom.* dummodo tamen mater in nostra sit potestate, cum fœtus pars ventris reputetur l. 5, § 2. ff. *de rei vindicat.*

(94. Accessio autem definiri potest acquirendi dominii modus, quo nostra fiunt ea, quæ rebus nostris inanimatis, mobilibus, et immobilibus aliunde ita accedunt, ut iis adhæreant, et ab iis trahantur. Donel. lib. 4. Comment. jur. civil. cap. 23. Vin. loc. sup. cit. Hæc vel naturalis, vel industrialis, vel mixta est. Ad naturalem accessionem pertinet appulsio, et alluvio. Appulsio appellatur, cum vi fluminis portio a fundo alieno avulsa prædio nostro adjungitur, illique adhæret, quæ portio, ut nostra fiat, adeo fundo nostro hærere debet, ut ab eodem fundo minime distinguatur l. 7, § 2. ff. *de acquir rer. dom.* Instit. *de rer. divis.* § 21, l. 9, § 2. ff. *de damn. infect.* Antequam vero hæc pars nostro fundo adhæreat, ejus adhuc manet, cujus antea fuit, ab eoque potest jure vindicari lib. 5, § 3. lib. 23. in princ. ff. *de rei vindicat.* l. 7. ff. *de acquir. rer. dom.* l. 9, § 2. ff. *de damn. infect.*

(95. Beneficio alluvionis acquiri nobis potest vel Alveus, vel Insula in flumine nata. Supra de Alveo, nunc de Insula. Insula est terra aqua fluminis circumflua. Ovid. Metamorphos. lib. 15. vers. 624 et 739. et alia est *mobilis*, alia *immobilis*. Mobilis alveo fluminis, non adhæret, seu virgultis, aliaque simili materia levi adeo sustinetur, ut ipsius solum non attingat, et in medio fluminis natat. Insulæ hujus naturæ nullius sunt, et fiunt primi occupantis leg. 65. § 2. ff. *de acquir. rer. domin.* De his natantibus insulis vide Dionys. Halic. Ant. Rom. lib. 1. Plin. Histor. natural. lib. 2. cap. 95. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 7. Griphiaund. de Insulis c. 6. § 1. 43. Grot. de Jur. bell. et pac. lib. 2. cap. 8. § 9. num. 3. Vin. Instit. lib. 2. tit. 1. § 22. n. 2. Immobilis vero est, quæ firmiter manet, et hæc vel remanet prioris domini, vel acquiritur privatis prout infra.

(96. Quoad æstimationem melioramentorum, et expensarum, quæ licet omnino necessaria sit, et ipsius quotidie in foro occurrat disputatio, tamen prorsus omittitur, hic pauca notanda sunt. Primo tria sunt genera impensarum; aliæ *necessariæ* sunt, aliæ *utiles*, aliæ *voluptuosæ*. Quartum addi posset expensarum genus in fructibus quærendis, colligendis, vel conservandis factarum, quæ cum indistincte a quocumque possessore deduci valeant, non longa a nobis sunt oratione persequendæ, l. 36. § ult. *de petit. hæred.* Noodt in Pandect. lib. 6. tit. 1. § *huc usque.*

(97. *Necessariæ* impensæ hæ sunt, quæ si fuissent omissæ, res periisset, aut saltem deterior evasisset. l. 1 in princ. ff. *de impens. in res dot. fact.* l. 79. ff. *de verb. signific.* (98. *Utiles* hæ dicuntur, quæ factæ rem meliorem, et fructuosiorem reddunt, sed omissæ, deteriorem non faciunt l. 5. ff. *de impens. in res dot. fact.* § ult. et d. l. 79. § 1. *de V. S.* (99. Illæ vero *voluptuosæ* appellantur, quæ factæ fructum rei non augent, omissæ nullo eamdem afficiunt detrimento, sed majorem tantum speciem, et ornatum tribuunt. l. 7. princ. ff. *de impens. in res dot. fact.* d. l. 79. § ultim. Heinec. in Pandect. part. 4. § 249.

(100. Distinguendum insuper est inter ædificantem simul et possidentem, et inter ædificantem sed non possidentem. (101. Demum non leve discrimen est inter possessorem bonæ, et malæ fidei Ant. Fabr. in rat. ad l. Julianus ff. *de rei vindicat.* Si ædes possidet, sive bona sive mala fide, ædificaverit, ei doli mali competit actio contra dominum, qui vindicet ædificium, nec afferat pretium materiæ, nec mercedes fabrorum, aut saltem competit retentio officio judicis Noodt. in Pandect. lib. 6. tit. 1. § *huc usque.* Anton. Fabr. de error. pragmat. decad. 26. error. 8. num. 24. Cujac. ad Papin. in l. sumptus, et comment. ad l. Sin autem § *in rem* ff. *de rei vindicat.*

(102. Quoad vero utiles impensas multum interest inter bonæ, et malæ fidei possessorem. Bonæ fidei possessor opposita doli mali exceptione per retentionem deducit. l. 38. ff. *de petit. hæred.* l. 27. § *ult.* ff. *de rei vindicat.* (103. Distinguendum tamen est inter dominum divitem, et pauperem. Si dives adeo ut eas esset facturus impensas, habeatque unde easdem ab alio factas eidem refundat, ut fundum recipiat, restituere tenetur impensas. l. 38. ff. *de rei vindicat.* ibique Bruneman. Cujac. in comment. ad l. sin autem § *in rem petitam.* ff. *eod.* (104. Aut pauper est, nec eas erat facturus, nec habet unde restituat, et hoc casu judex non admittet expensarum deductionem, ne ob id forte dominus cogatur vel propria re carere, vel patrimonium distrahere, ut melioramenta et expensas restituat, sed possessori tantum licitum erit tollere ea, quæ sine detrimento fundi meliorati tollere potest. Anton. Fabri ad d. l. 38. in ration.

(105. Quod si dominus paratus sit exsolvere ea, quæ possessor tollere posset, vel eorum pretium, tunc statum rei immutare non potest, adeo si nihil posset corradere eo quod domino noceret, nihil poterit a domino consequi d. l. 38. ff. *de rei vindicat.* Cujac. loco cit. Ant. Fabr. de error. pragmat. decad. 28. error. 8. num. 12. et 130. (106. Contra vero si Dominus venditurus sit fundum, licet sit pauper tenetur impensas restituere, ob quas fundus pretiosior factus est. Cujac ubi sup.

(107. Possessor vero malæ fidei *utiles* deducere impensas non potest per doli mali exceptionem, sed ei ipsas tollere permissum est, quatenus id sine læsione prioris status rei fieri possit. l. 37. ff. *de rei vindicat.* l. 5. Cod. eod. Ant. Fabr. ubi supra n. 27. et 28. Noodt. ad Pandect. lib. 6. tit. 1. § *dixi de jure*, quamvis de rigore juris neque retentionem rei, neque expensarum deductionem possessori competere teneat. Cujac. in comment. ad l. sin. autem § *in rem* ff. *de rei vindicat.* et ad Papinian. in l. sumptus ff. *eod.* et observat. lib. 10. cap. 1.

(108. Idem observatur discrimen quoad

Digitized by Google

voluptuosos sumptus inter bonæ fidei, et malæ fidei possessorem : Ille videlicet impensas retinere potest doli mali exceptione, vel officio judicis, eo quia res pretiosor facta sit, l. 39. n. 1. ff. *de hæredit. petit.* Ant. Fabr. loc. cit. num. 34. (109. Possessor vero malæ fidei easdem nullo potest modo detrahere, eique tantum conceditur facultas ipsas tollendi, dummodo id fieri possit sine fundi detrimento; quinimmo dominus pati debet, ut eas tollat, dummodo tamen possessoris commodo cedat, secus non d. l. 39. et l. 9. ff. *de impens. in res dot. fact.* Cujac. observ. lib. 10. c. 1. Ant. Fabr. loco cit. numer. 19. et 34. (110. In voluptuosis impensis hoc demum notandum est, quod factæ in re promercali desinunt tales esse, sed reputantur tamquam utiles leg. 10. ff. *de impens. in res dot. fact.* ibique Bruneman.

(111. Hac de re inopportunum non erit regulam tradere, quæ in repetendis, vel restituendis impensis servari debet : Regula quippe generalis est, ut refici debeat quod minus est inter impensum, et melioratum, quod tamen intelligendum putant de possessore bonæ fidei, qui dum impendit, erat dominus revocabilis vel directus, vel utilis. l. 38. ff. *de rei vindicat.* Menoch. de Arbit. caus. 258. num. 55. et 56. Card. de Luc. de legit. disc. 35. n. 29. Bonfin. de Jur. fideicom. disput. 146. num. 53. Ant. Fabr. in rat. ad l. 38. Mangil. de evict. quæst. 153. num. 25. Rot. in recent. part. 19. tom. 2. dec. 455. num. 1. (112. Id vero dicitur minus inter impensum et melioratum, ut si quis impenderit 100, et melioratum sit 150, solum 100 restituendum est. Quod si centum impensum fuerit, sed melioratum sit 50, solum quinquaginta restituendum erit, cum dominus quoad 50 solum ex aliena jactura lucrum sentiat. Quamobrem in primo casu restituendum erit quod ab initio impensum fuit; secundo vero casu inspiciendum erit, quanti res restitutionis tempore valet.

Jura superius allegata limitant præfatam regulam primo ut in prædiis tantum rusticis locum habeat, veluti si plantatæ sint arbores. Hoc casu valoris incrementum cedere debet commodo domini directi, vel illius, cui restituitur fideicommissum. Hujusmodi enim incrementum non minus ab industria meliorantis, quam ab ipso solo ad dominum spectante provenit Mangil. loc. c. n. 22. (113. In ædificiis autem urbanis aliud dicendum tradunt, sed inspiciendum restitutionis tempus pro reficiendis melioramentis. Hoc quippe casu incrementum valoris magis ab impensis, quam a fundo provenit, cum plerumque creverit valor ad mensuram expensarum Mangil. loco c. n. 20. Rot. dict. dec. 455. num. 2. Bonfin. ubi supr. num. 54. (114. Priore itaque casu inspiciendum erit tempus facti melioramenti, posteriore vero tempus restitutionis, de quibus tamen vide Menoch. de Recuperan. posses. rem. 15. n. 557. et seq. Peregrin. de Fideicom. artic. 50. n. 73. et sequ. Mangil. de evict. quæst. 153. num. 17. seq. Fulgin. de jur. emphit. tit. de melior. Quæstion. 7. Pontirol. apud Sabell. allegat. to. 2. cap. 1. n. 501. sequ. Angel. de Melioramen. Garz. de Expens. et melioram. Gilken. de Expens. Guadagn. Institut. jur. civil. lib. 2. tit. 1. in not. ad § 187. num. 4.

(115. Secunda limitatio versatur circa impensas necessarias, quas integras restituendas esse primo definivit Rot. in recent. part. 18. tom. 2. dec. 537. num. 11. confirmata post Paulut. dissert. 34. Sed postea in eadem causa eadem Rota definivit etiam in necessariis melioramentis reficiendum quod minus est inter impensum et melioratum, Paulut. dissert. 45. n. 97, quamvis multo post aliam adhibeat distinctionem inter impensas utiles, et necessarias decis. 65. num. 2. post. Cardin. de Luc. de Testament. lib. 6. Cum enim præ oculis haberi in primis oporteat quid esset ipse dominus facturus, cumque nequeat præsumi, quod necessarias non esset facturus impensas, ideoque ab ipso melioranti præstanda esse videntur. D. Mævias decis. 187. de his tamen vide Cels. et Bruneman. in leg. 38. ff. *de rei vindicat.* Cujac. in comment. ad l. sin autem § *In rem* ff. *eod.* Noodt. in Pandect. lib. 6. tit. 1. § *hue usque.*

(116. Observandum postremo et discrimen inter possessorem simplicem bonæ fidei, et possessorem ratione dominii licet resolubilis. Ille tenetur compensare fructus etiam ante litem contestatam perceptos, nec competit retentio, nisi reddita ratione fructuum leg. 48. et leg. 65. ff. *de rei vindicat.* Ant. Fab. de Error. pragmat. decad. 26. error. 8. num. 6. Voet. in Pand. lib. 6. tit. 1. n. 39. Possessor vero ratione dominii etiam resolubilis fructus perceptos cum impensis non tenetur compensare, Brunem. in Pandect. lib. 6. tit. 1. l. 48. n. 8. Fusar. de substit. Quæst. 669. n. 2. Mangil. de evict. qu. 153. num. 3. seq. Pontirol. penes Sabell. allegat. tom. 2. cap. 1. n. 474.

(117. Quid vero si ædificator, vel melioratur fundum ædificatum, vel melioratum non possideat, et hic ex juris rigore nullam competere actionem contra dominum fundi tenent Donell. Comment. jur. civ. lib. 4. cap. 33. § *hæc de ea.* Noodt. in Pandect. lib. 6. tit. 1. § *satis ut opinor* Vin. comment. in Instit. lib. 2. tit. 1. § 30. numer. 4. Ex æquitate tamen eidem vel actio negotiorum gestorum, vel actio in factum, vel alia actio conceditur; de quibus diversis actionibus videndi Vin. l. c. Honnius lib. 2. var. resol. tract. 1. q. 26. Amat. resol. 14. n. 55. et plur. seq. Pontirol. l. c. n. 471. Molignat. de retent. qu. 188. Cujac. Comment. in leg. 27. § 5. ff. *de rei vindicat.* et observat. lib. 10. cap. 4.

(118. Fructuum perceptio hoc loco est acquirendi dominii modus, quo is, qui rem alienam bona fide non interrupta, et justo titulo possidet, fructus, percipiendo, suos facit. Cujac. in Comment. ad l. 109. ff. *de verb. Signific.* et ad l. 1. *C.* de acquir. et retin. posses. (119. Nomine vero fructuum venit omnis redditus, omnis obventio, omne commodum, quod vel ex re nascitur, vel rei occasione percipitur, deductis semper im-

Digitized by Google

pensis ad eosdem colligendos fructus necessariis. Cujac. observat. lib. 11. c. 39. Petr. Perrenon. Animad. et variar. lect. lib. 1. c. 5. in l. 48 ff. *de acquir. rer. dom.* apud Everard. Otth. Thesa. jur. tom. 1. coll. 597. (120. Fructus vel sunt *naturales*, vel *civiles* l. 62. ff. *de rei vindicat.* l. 9. prin. ff. *de usus.* l. 121. ff. *de verb. Signific.* (121. Fructus naturales in *mere naturales* dividuntur, et *industriales*. (122. Mere naturales proprie sunt ii, quos sponte sua nullaque concurrente hominis industria terra producit. l. 45. ff. *de usur.* l. 31. ff. *de V. S.* (123. *Industriales* vero, qui potius ab hominis industria, et cultura proveniunt, quam ex ipso solo leg. 78. ff. *de rei vindicat.* l. 45. ff. *de usur.* Card. de Luc. *de Dot.* disc. 168. n. 27. et seq. (124. Civiles vero appellantur ii, qui non ex re, sed occasione rei percipiuntur, ut sunt pensiones prædiorum, mercedes et vecturæ navium, et jumentorum, et similia, qui proprie fructus non sunt. l. 121. ff. *de V. S.* l. 62. pr. *ff. de rei vindic.* vicem tamen fructuum obtinent, et inter fructus numerantur. leg. 19. leg. 34. leg. 36. ff. *de usur.* leg. 29. ff. *de hæred. petit.* leg. 83. pr. *ff. de legat.* 3. De fructibus industrialibus vide Donell. Comment. jur. civ. l. 4. cap. 25. Menoch. de Arb. cas. 210. n. 20. et 26. et de recuper. poss. rem. 15. n. 578. et 593.

(125. Fructus insuper *naturales* alii *pendentes* seu *extantes* sunt, qui a solo, vel re nondum sunt separati. l. 44. ff. *de rei vindicat.* l. ult. § 4 et 6. ff. *quæ in fraud. credit.* Alii *percepti*, qui a solo separati sunt l. 78. ff. *de rei vindicat.* l. 13, ff. *quibus modis usufr. amit.* Alii *percipiendi*, quos nempe diligentissimus paterfamilias vel petitor rei percipere potuisset, sed non fuerunt percepti, vel quod antequam colligerentur perierint, vel quod numquam extiterint. Voet. in Pand. lib. 41. tit. 1. n. 28. Gallus de Fruct. disp. 2. art. 6. n. 15 et 18. Vin. Instit. lib. 2 tit. 1. § 35. in fin. Percepti alii sunt extantes, alii sunt consumpti l. 22. § 2. ff. de pignorat. act. leg. 40. ff. *de acquir. rer. domin.* l. 3. *C. De condict. ex leg.*

(126. Bonæ fidei possessor naturales et industriales fructus percipiendo suos facit. Ant. Fabr. Conject. lib. 4. c. 17. Fachin. Controv. lib. 1. cap. 57. Vinn. Select. quæst. l. 1. cap. 24 et ad § 35. instit. lib. 2. tit. 1. n. 7. et seq. ibid. Harpr. n. 35. et seq. Nood. Probabil. l. 2. c. 7. et in Pandect. l. 6. tit. 1. § videamus igitur. (127. Pendentes vero, et extantes sive naturales, sive industriales sint, supervenienti Domino cogitur restituere, non vero consumptos, vel usucaptos. Vin. Select. quæst. l. 1. c. 26. et Comm. in d. § 35. instit. n. 9. Pulfendorf. de jur. natur. et gent. l. 4. c. 13. § 8. Voet. in Pandect. l. 41. tit. 1. n. 29. exceptis tamen sumptibus necessariis et utilibus in rem factis; Gothof. in l. 48. ff. *de rei vindicat.* addit. ad Vincen. de Franch. decis. 31. Gallus de Fruct. disput. 13. n. 8. et seq. Quod si per triennium possederit, licet existant, nec imputandi sint in sumptibus, tamen possessor jure eos retinet, cum usuceperit. Noodt. lib. 6. Pandect. tit. 1. § *Igitur ut faciamus.*

Hactenus de bonæ fidei possessore cum justo titulo; quid vero de possessore sine justo titulo? Hic naturales fructus suos non facit, sed tantum industriales. l 45. ff. *de usur.* l. 15. § 1. l. 17. princ. *ff. de donat. inter vir. et uxor.* (128. Hic utilis excitari posset quæstio an bonæ fidei possessor debeat restituere fructus consumptos, sive eorum æstimationem, ex quibus factus sit locupletior; sed ne hunc articulum in ævum protrahamus, super hac unusquisque consulere poterit Ant. Fabr. in rat. ad l. 25. § 11. et ad l. 36. § 4. ff. *de hæred. petit.* Bynhers. Observat. l. 8. c. 12. Menoch. de recuper. poss. remed. 15. n. 586, 598 et seq. et de Præsumpt. lib. 6, præs. 27, n. 6. Fachin. Controv. l. 2, c. 46, l. 1, c. 58. Gallus de Fruct. disp. 12, art. 1, num. 36 et 37. Vin. Select. quæst. l. 1, c. 26. Harpp. Instit. l. 2, tit. 1, § 35, n. 66 et seqq. Voet. in Pandect. l. 41, tit. 1, num. 29. Fagnan. in cap. gravis. n. 57, ad 60, de restit. Spol. Peregrin de Fidei comm. art. 49, n. 114 et 115. Barbos. in l. 8, princ. part. 2, n. 48, ff. *solut. matrim.* Vincent. de Franch. decis. 31, n. Car. Ant. de Luca obs. ad d. dec. 31, n. 2. Rot. cor. Merlin. dec. 663, n. 50.

(129. Non ita dicendum de malæ fidei possessore, qui nullos aut percipiendo, aut consumendo fructus suos facit, sed extantes restituere, et consumptorum justam æstimationem præstare tenetur instit. *de rer. divis.* l. 2, t. 1, § 35, *vers. ei vero qui l.* 22. C. *De rei vindicat.* Quod adeo verum est, ut licet ab initio bona fide possideret, si tamen tractu temporis mala fides supervenerit, ex eo tempore desinit suos facere fructus, quin imo si tempore bonæ fidei perceperit fructus, tempore vero malæ fidei eosdem consumpserit, ad eorumdem restitutionem, vel æstimationem tenetur, l. 23, § 1, l. 48, § 1, ff. *de acquir. rer. domin.* Guadagn. Instit. jur. civ. lib. 2, tit. 1, § 132 in fin. Plura de bonæ fidei, et malæ fidei possessoribus dicenda superessent, sed hæc commodius afferri poterunt articulo sequenti *de possessoribus*, et interea huic articulo finem imponemus, in quo ob necessitatem, et multiplicitatem rerum plus æquo immorati sumus, et si quis plura desiderat, consulat Doctores hactenus allegatos, præcipue Noodt. Probabil. lib. 1.

ARTICULUS IV.

Ex editione Barbielliniana.

Dominium quoad reservationem, et reservationis effectus.

(1. Antequam dominii argumentum exsolvamus, non abs re erit nonnulla de ipsius reservationis effectu brevissime delibare, super quo tot tantæque quotidie in foro excitantur quæstiones. Pactum reservationis dominii tum a proprie dominis, tum ab improprie dominis potest utiliter iniri. A proprie dominis dominium reservatur, ubi quis vendit prædium, domum, vel aliud simile

Digitized by Google

sibique super re vendita reservat dominium, quousque pretium sit integre persolutum. Ab impropriè dominis vero, ubi quis mutuatur pro re emenda, vel credit in refectione domus, aut navis, vel pro instructione tabernæ. Hæc dominii reservatio vel tacita est, quæ a solo juris ministerio inducitur, vel expressa, quæ a partium conventione profluit. Hujus reservationis capaces sunt non modo res immobiles, sed etiam mobiles, et removentes, dummodo universitatem constituant, et uti corpus universale considerentur, veluti grex, prout infra.

(2. His ita præmissis præcipuus reservationis dominii effectus ille est, ut in creditorum concursu omnibus super re debitoris præferatur reservatarius, nulla facta distinctione inter privilegiatos, et non privilegiatos, inter anteriores, et posteriores. Constantin. ad Statut. Urb. annot. 30, art 1, n. 5 et 6. Zanchi de prælat. Exercit. 1, § 1, n. 1. Rot. in recent. part. 13, dec. 284, num. 1. (3. Quin immo licet cum dote concurrat, tamen doti præferendus semper est reservatarius dominii, cum super bonis viri postea quæsitis mulier pro dote generalem non particularem acquirat hypothecam. Rota coram Lancett. dec. 1188, n. 16, et plur. seq. coram. Haunitz. dec. 231, n. 1 et seq.

(4. Respectu proprie domini res certe expedita est, at aliquam invaluere videtur contradictionem quoad imperfecte dominum, ut dum quis mutuans ad rem emendam dominium sibi super eadem re reservat. Reservatio quippe præexistentia jura supponit, cum quis nequeat sibi reservare, quod non habet; Rot. coram Molines dec. 1299, num. 8, multoque magis, quia in data hypothesi super re emenda neque mutuans, neque mutuatarius aliquod jus habent. (5. His tamen non obstantibus, placuit Doctoribus, ut etiam hoc casu mutuanti concederetur beneficium reservationis dominii, ex conventione tamen, non ex lege, cujus præsidio posset omnibus creditoribus respectu illius rei præferri. Ansal. de Commerc. et mercat. disc. 84, num. 5 et seq. Zanch. de prælat. Cred. exercit. 1, § 2, num. 32. Rot. in Romana reportationis Pecuniarum 21. Martii 1757. *Verum coram* Olivatio.

(6. Verum arbitrantur nonnulli expressam dominii reservationem in mutuante ad rem emendam necessariam non esse, ut mutuans aliis creditoribus præferatur, hac tamen adhibita distinctione inter creditores simplices generalem habentes hypothecam, et creditores particularem habentes super re empta ex pecuniis mutuatis hypothecam. Primo casu expressam non requiri dominii reservationem communiter tenent exemplo mutuantis pro refectione domus, vel navis, secus vero in secundo casu, Zanch. loco cit. num. 33, 34 et 35, et in laudata Romana Reportationis pecuniarum § *Nec reponere*, et § *Idque sane*.

(7. Hactenus de mutuante in concursu cum creditoribus in genere. Quid vero si concurrat cum ipso domino rei venditæ, qui sibi dominium non reservaverit? In hoc regula generalis est, ut semper venditori præferatur reservatarius dominii, nec alia venditori conceditur actio præter personalem. Gait. de Credit. par. 4, quæst. 11, n. 1222. Salgad. Labyrint. cred. part. 1. cap. 11, num. 78 et 79. Communiter tamen Doctores distinguunt inter mutuantem ad rem emendam in genere, vel reficiendam, vel conservandam, et mutuantem ad reficiendas ædes. (8. Secundo casu mutuanti jus pignoris ex dispositione juris competit super refecto ædificio, adeo ut seclusa etiam quacumque reservatione, ei nequit denegari prælatio; leg. 1. ff. *in quibus caus. pign. tacit. contrahit.* Corvin. in Cod. lib. 8. tit. 15. pag. 628. coll. 1. § *Senatuconsulto*. (9. Quin immo licet inde aliquis in eamdem refectam domum emendam nummos credat, nullo gaudet prælationis privilegio, etsi super re emenda expresse sibi dominium, et hypothecam reservaverit, ita contra Bartol. in l. Interdum 5. ff. *qui potior. in pignor. habeant.* tenet Corvin. loc. cit. § *Quod adeo verum est*.

(10. Non ita vero sentiendum est de mutuante ad rem in genere emendam, vel reficiendam, vel conservandam. Privilegium enim quod ex Senatuconsulto in dicta Leg. allegato competit credenti ad restaurandas ædes, de solis ædificiis loquitur, nec ad alia esse trahendum fuse demonstrat omissis cæteris, Averan. Interpretat. jur. lib. 2. cap. 13. Comment. ad dict. leg. 1. ff. *in quibus caus.* etc. a n. 1. ad 8. quamvis contrariam sequatur opinionem, Ludovic. Vitalis. variar. lection. lib. 2. cap. 19. penes Everard. Otth. Thesaur. jur. tom. 2. coll. 683. (11. Quapropter juxta primam, communioremque sententiam, nisi sibi mutuans ad rem emendam expresse dominium, et hypothecam reservet, nulla eidem conceditur prælatio; Corvin. in Cod. lib. 8, titul. 19. pag. 636. coll. 2. § hac ratione, Zoes. in Pandect. lib. 42. tit. 6. num. 11. et 12. qui tamen num. 13. (12. tenet expressam dominii reservationem esse necessariam etiam in mutuante pro novo construendo ædificio. Bruneman. in Pandect. lib. 42. tit. 5. in l. 26. et 34. n. 2. et in Cod. lib. 8. tit. 14. in l. 17. per tot. et tit. 18. in l. 7. n. 4. et 5.

(13. Sunt qui præter dominii, et hypothecæ reservationem, requirunt ulterius, ut mutuans ostendat pecunias creditas in causam expressam versas fuisse ad hoc, ut prælationis beneficio perfrui valeat. Bruneman. in Pandect. lib. 4. tit. 25. l. 1. num. 4. Zoes. in Pandect. lib. 14. tit. 1. num. 4. Duaren. Oper. tom. 3. pag. 439. collect. 2. tit. de exercit. act. cap. 2. et pag. 449. princ. coll. 2. tit. de instit. act. c. 2. (14. Neque solam versionem sufficere, nisi versio conjuncta sit cum titulo lucrativo, et locupletationis cum aliena jactura tenet Rot. coram Ottobon. decis. 40. num. 46. et 47. decis. 94. num. 18. coram eodem, sed vide Bruneman. in Pandect. lib. 20. tit. 2. leg. 2. per tot. Hæc tamen intellige in concursu cum habente hypothecam generalem, secus, si hypotheca sit particularis.

(15. Alter effectus reservationis dominii

Digitized by Google

in eo versatur quod licet pecunia credita per se esset infructifera, jus tamen tribuit creditori ad percipiendas, et repetendas accessiones. Exemplum habemus in Fabro Murario, qui licet pro concessa dilatione solutionis mercedis, et pretii cæmentorum nullos exigere valeat fructus, cum ipsius creditum reputetur adinstar crediti mere pecuniarii, nihilominus si sibi dominium reservet super ædificio refecto, vel noviter constructo, jure fructus convenire, et repetere a Domino ædificii potest, ut opportune distinguit Constantin. Vot. decis. 107. num. 2. et 3. Rot. coram Lancet. decis. 1188. num. 10. coram Herrera dec. 51. n. 11. et decis. 86. per tot. in Romana fructuum 4. Martii 1763. per tot. coram Herrera in Romana Pecuniaria quoad Mandatum A. C. 27. Jun. 1776. cor. Origo per tot. præsertim § 3. quæ plenum super hac quæstione exhibet tractatum.

(16. Tertio reservatio dominii habet vim pacti, manus injectionis cum facultate implorandi remedia possessoria manutentionis, et associationis, efficitque, ut donec solutum sit pretium, venditio non uti talis, sed potius uti simplex locatio reputetur per text. in l. *Cum manu sata* § fin. ff. *de contrahen. empt.* « Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur ne ad emptorem transeat, sed hoc ost aut locatio, aut aliud genus contractus, » ibique Glos. verb. Genus contractus quem sequitur Surd. decis. 157, num. 3. Magon. decis. Lucen. 31. num. 9. Rot. Rom. coram Bichio decis. 156, n. 15, in Recent. part. 8, dec. 128, num. 2 et 3, cor. Caprara dec. 12, n. 2, cor. Molin. dec. 1306, num. 2 et 3.

(17. Quarto efficit, ut validum exhibeat argumentum pertinentiæ illius rei, superqua reservatum fuit dominium, favore reservatarii. Quod adeo verum est, ut licet dominium reservatum sit super re aliena, super qua licite quidem, sed sine effectu reservari potest, nihilominus si hujusmodi reservationi præsens sit verus dominus, et ab ea contra reservatarium non reclamet, probat dominium in eumdem reservatarium legitime fuisse translatum, remque ad eum pleno jure pertinere, cujus favore constat reservatum fuisse dominium. Rot. in Nuper. to. 9, dec. 201, n. 25, cor. Cerro dec. 152, n. 30, cor. Molines dec. 1253, n. 4 et 5, dec. 1299, n. 4 et 6.

(18. Dubitari potest an reservatio dominii, quæ jus pignoris, et hypothecæ producit, cadere valeat super mobilibus, et semoventibus? Prima fronte videtur negandum. Cum enim reservatio dominii rem ipsam afficiat, et impediat quominus in alium transferatur, et quatenus id fiat, reservatarius a quocumque possessore eam vindicare potest; rursus cum res mobiles, et semoventes non illius sint naturæ, quæ ab aliis similibus distingui possint, cumque usu consumantur, et in commercio familiari sint, hinc in dies mutantur, alienantur, et alienatis nova capita subrogantur, hinc reservatario dominii nisi impossibile, difficile saltem redderetur proprium jus exercere. Demum cum in dies intereant si jus reservatarii super re perempta versabatur, videtur peremptum cum ipsa re jus quoque remansisse. Hoc tamen casu Doctoribus placuit distinctio inter reservationem dominii super animalibus uti singulis, et super animalibus uti gregem componentibus. Primo casu cum natura pignoris, et hypothecæ secum ferat, ut perempta re hypothecata, jus hypothecæ evanescat, ita reservato dominio super animalibus uti singulis cum omnibus peremptis animalibus vel aliquibus tantum, jus reservatarii vel in parte, vel in totum caderet, hinc jura irritam hujusmodi reservationem declarant.

(19. Secus vero dicendum est ubi reservatum fuit dominium super animalibus, mobilibus, peculio non uti singulis, sed uti universitatem conficientibus. Hoc quippe casu licet nonnulla animalia depereant, vel alienentur, deperditis tamen, et alienatis alia subrogantur, adeo ut licet nonnulla capita deficiant, non tamen deficit corpus universale, super quo reservatum fuit dominium. Hinc licet reservatio dominii certam rem afficiat, incerta videantur animalia, mobilia, merces, et similia, nihilominus fictione juris uti certa reputantur, et conservatur jus super corporibus subrogatis. Negusan. de Pignor. mem. 2, num. 18, et seq. Zanch. de Prælat. exercit. 1, § 2, sub. n. 227. Voet. in Pandect., lib. 20, tit. 1, numer. 2 et 6. Bruneman. in Pandect., lib. 20, tit. 1, in l. 3, prin. num. 1, et rursus in l. 34, n. 1 et 3. Zoes in Cod., lib. 8, tit. 15, quæst. 2., Gait. de credit., capit. 4, quæst. 5, n. 168, et seq. Card. de Luc. de Alienation. disc. 1, n. 25, Rot. cor. Ratto lec. 136, n. 3 et 4, coram Rezonic. dec. 131, n. 6.

(20. Hic demum juvat inquirere num Princeps gaudeat prælatione super omnes etiam dominii reservatarios? Princeps duplicem repræsentat personam Principis, et privati. Uti privatus in contractibus nullo gaudet privilegio, et non minus ipse quam cæteri cives ligatur legibus, et statutis. Rot. coram Molin. decis. 167, n. 7, coram Falconer. tit. de Statut. exclusiv., Fœminar. dec. 11, num. 11, coram Kaunitz decis. 236, num. 27.

(21. Dum vero uti Princeps contrahit, et fisci personam gerit maximis gaudet privilegiis, et generaliter affirmari potest omnibus in concursu præferri creditoribus. Dubium aliquod superest respectu reservatarii dominii. Ex supra firmatis num. 3, constat dominii reservatarium credito Dotis præferri. Porro dotis privilegium æquale est cum privilegio fisci, immo in aliquibus casibus potioribus fruitur privilegiis causa dotis, quam fisci, adeo ut in dubio, pro dote potius, quam pro fisco judicium sit ferendum. Cujac. in paratit. Cod. lib. 8, tit. 17. Peregrin. de jur. fisci lib. 6, tit 6, num. 33, Mantic. de tacit. et ambig. convent., lib. 11, tit. 26, num. 4, Card. de Luc. de Dote discurs. 166, num. 67. Salgad. in Labyrint. Credit. part. 2, cap. 4, num. 169, et alii quamplures allegati a Zanch. de prælat. Credit. exercit. 2, § 3, numer. 121, 122.

(22. Huic opinioni obstare videtur text. in l. 34, ff. *de reb. auctor. jud. possid.* ubi ex-

Digitized by Google

præsse habetur, « quod quis navis fabricandæ, vel emendæ, vel armandæ, vel instruendæ causa, vel quoquo modo crediderit, vel ob i avem venditam petat, habet privilegium post fiscum. » Quidquid tamen sit de eo, qui credit in refectione navis, cui expresse præfertur fiscus, in aliis tamen casibus contrarium videtur sentiendum ob rationes supra relatas. Si enim reservatarius dominii præfertur doti, et dos præfertur fisco, sequitur necessario, quod etiam fisco præferatur reservatarius dominii ex regula, « quod si vinco vincentem te, multo magis vinco te. » Præterea in allato textu nulla fit mentio expressæ reservationis dominii, ideoque ad summum dicendum erit, quod nulla existente expressa dominii reservatione, credens in refectione navis non præfertur fisco; secus in casu contrario.

DONATIO.

Vide verb. CONTRACTUS DONATIONIS.

DOS, DOTARE.

SUMMARIUM

ARTICULUS I. — *Dos quoad variam ejus acceptionem, naturam, divisionem, et proprietatem, seu dominium.*

1. Vocis, seu termini Dotis æquivocatio aperitur, ac assignantur acceptiones et usus, *ad n.* 3. — 4. Assignantur Dotes Animæ beatæ, et quare virtutes Theologicæ non dicantur dotes. — 5. Obiter assignantur Aureolæ Beatorum, ac quid et quot sint; et cur dicantur Aureolæ. — 6. Assignantur Dotes corporis Gloriosi, quidque beatis corporibus præstent. — 7. Dos quid sit juridice, et civiliter capta. — 8. Dos est duplex, Profectitia scilicet, et Adventitia. — 9. Dos Profectitia quæ sit. — 10. Dos Adventitia quæ sit. — 11. Dominium, seu proprietas dotis tradita in re mobili in certo numero pondere, et mensura pertinet absolute ad maritum. — 12. Sic etiam ad maritum spectat dominium, seu proprietas dotis sive in re mobili, sive immobili, quando ei talis dos tradatur æstimata æstimatione faciente venditionem. — 13. Unde si res æstimatæ pereant, aut deteriores fiant pereunt, aut deteriores fiunt ipsi marito, uti earum domino. — 14. Hinc plurimum interest maritis, ut res dotales absque æstimatione recipiant. — 15. Dominium naturale Dotis in re immobili non æstimata, sed præcise taxationis causa, non æstimatione faciente venditionem, pertinet ad uxorem; Civile vero transit ad maritum. — 16. Fundus Dotalis remanet in dominio uxoris, et ad ejus periculum stare dicitur, nunquam transit in verum, et naturale dominium mariti. — 17. Soluto matrimonio, dominium civile ipso jure, et ministerio legis statim transfertur in uxorem, et consolidatur cum naturali. — 18. Fundus Dotalis, seu dos in re immobili non æstimata ita spectat ad verum, et naturale dominium uxoris, ut maritus eam alienare, hypothecare, aut alias obligare non possit. — 19. Immo neque alienari potest cum consensu uxoris. — 20. De Jure tamen Canonico valet alienatio interveniente uxoris juramento de non revocando, seu non contraveniendo. — 21. Ususfructus Dotis etiam rei immobilis, et inestimatæ pertinet ad maritum. — 22. Si tamen lucrum perceptum ex fundo dotali non pertineat ad fructuum, seu redditumum naturam, et sit sors quædam præcipua, quæ dotem augeat, non pertinet ad maritum. — 23. Dominium, seu proprietas dotis amittitur ab uxore propter ejus adulterium, et transit in maritum; similiter a marito propter ejus adulterium amittitur dominium, seu proprietas donationis, seu donati propter nuptias, nisi inter se reconciliati fuerint. — 24. Hoc tamen intelligi debet post Judicis sententiam. — 25. Soluto per mortem mariti matrimonio, filia familias vidua habet plenum jus suæ dotis adventitiæ tam quoad proprietatem, seu dominium, quam quoad usumfructum, privative etiam quoad partem. — 26. Soluto matrimonio dominium, seu proprietas dotis profectitiæ pertinet ad filiam familias viduam. — 27. Talis autem dotis profectitiæ ususfructus pertinet ad patrem, ad quem reverti debet, nisi aliud conventum fuerit in constitutione ipsius dotis; et hoc quousque eadem filia secundo nubat dummodo tamen eo tempore alatur a patre. — 28. Mortua uxore, ususfructus dotis spectat ad maritum, proprietas vero pertinet ad filios. — 29. Quando res in dotem data sit æstimata; et quando inæstimata.

ARTICULUS II. — *Dos quoad illos, qui tenentur eam dare.*

1. Pater tenetur dotem dare filiæ. — 2. Conclusio procedit, etiamsi filia cum patris consensu nubens propria bona adventitia habeat, nisi pater gravi inopia laboret. — 3. Item procedit conclusio, etiamsi pater filiam Matrimonio collocaverit nulla facta mentione dotis. — 4. Eadem ratione si mulier dives non facta expressione, et conventione dotis ducta sit; tacite censetur ejus bona vel saltem pars bonorum pro conditione, et dignitate viri in dotem constituta. — 5. Insuper procedit conclusio etiamsi filia, inscio, vel invito patre, viro tamen digno nupserit. — 6. Limitatur tamen conclusio in casu, quo filia ante annum vigesimum quintum inscio, et invito patre nupsit indigno moribus, aut genere. — 7. Indignus censetur conjux ille, cui alter nubere absque dedecore juxta mores Civitatis non potest. — 8. Limitatur insuper conclusio in omnibus illis casibus, quibus pater filiam exhæredare possit. — 9. Si pater dotare nequit filiam, tenetur eam dotare Avus paternus. — 10. Et quidem ante matrem. — 11. In defectu patris, et avi paterni, et accedente magna et probabili causa tenetur mater ipsa dotare filiam. — 12. In defectu omnium dictorum ascendentium tenetur frater dotare inopem Sororem ex patre. — 13. Dotem dare tenentur omnes, qui illam serio promiserunt, cujuscumque sint sexus, aut conditionis. — 14. Defloratur, qui absque promissione Matrimonii virginem per vim, fraudem, vel metu injuste incussum violavit, tenetur illam dotare, aut ducere in uxorem. — 15. Adducitur, et solvitur instantia. — 16. Defloratur tenetur dotare puellam a se inique defloratam, quamvis sit paratus eam ducere in uxorem, si pater ipsius, aut ipsa seducta recuset Matrimonium cum ipso defloratore. — 17. Talis defloratur tenetur dotare puellam sic defloratam, etiamsi ipsa jam habeat dotem competentem. — 18. Et hoc pro foro externo. Pro foro autem interno sufficit supra dotem quam alias a patre, vel alinnde, haberet, addere quantum necessarium est, ut possit nubere viro æquali, perinde ac si defloratu non fuisset. — 19. Talis defloratur tenetur in foro externo dotare defloratam, etiamsi defloratu præter amissionem virginitatis penitus nullum damnum passa fuisset. — 20. Pro foro autem interno si defloratu nullum damnum passa sit præter amissionem virginitatis, non tenetur eam dotare ante Judicis sententiam. — 21. Defloratur, qui vi, metu injuste incusso, fraude, seu dolo absque promissione Matri-

Digitized by Google

monii se lucit, et cognoscit puellam ab alio jam corruptam, quæ tamen vulgo et publice virgo habebatur, tenetur in utroque foro illam saltem dotare arbitrio prudentis viri, si inde infamia sit secuta, ita ut non possit tam commode alteri nubere, sicut antea. — 22. Secus autem est de eo, qui vi, metu injuste incusso, fraude, seu dolo carnaliter cognoscit puellam jam corruptam, et talem ut jam publice habitam. — 23. Clericus in sacris constitutus, seu maritatus, qui fingens se laicum solutum sub ficta promissione Matrimonii, obtinet a fœmina copulam, tenetur ipsam dotare in tantum, in quantum requiritur, et sufficit ad reparandum damnum, quod inde passa est decepta. — 24. Si vero puella damnum nullum ex inde patiatur, ad nihil tenetur talis Clericus, seu maritatus in foro interno ante sententiam Judicis. — 25. Si tamen defloretor, sive sit Clericus, sive uxoratus, sive solutus crimen alias occultum postmodum propalet, indeque damnum puellæ defloratæ causet, tenetur illud ad æqualitatem etiam in foro interno, et ante omnem sententiam Judicis resarcire.—26. Quinimmo etiamsi virgo libere consenserit in stuprum, sine vi, vel metu injuste incusso, fraude aut dolo, si tamen stuprator, seu defloretor crimen occultum postea propalaverit, eamque infamaverit, tenetur ad reparandum ejus honorem, et damnum infamiæ injuste ei illatum resarciendum. — 27. Quantitas dotis danda a defloratore puellæ per vim, dolum, fraudem, aut metum injuste incussum defloratæ taxanda est in foro externo juxta quantitatem dotis, quam ipsa puella, si deflorata non fuisset, potuisset habere a parentibus vel aliunde secundum qualitatem suam, et mariti, quem non violata potuisset acquirere. — 28. Ordinarie loquendo, plus restitui debet a defloratore puellæ nobili, vel specialibus naturæ donis ornatæ, quam ignobili, aut deformi. — 29. Cæteris paribus defloretor dives non tenetur plus dare defloratæ, quam defloretor pauper. — 30. Defloretor pauper non tenetur semper dare tantam dotem, quantam alias puella posset habere secundum suam qualitatem et opulentiam suorum parentum, sed tantam solummodo quantam, salvo adhuc statu, et conditione sua dare potest.—31. Defloretor tamen pauper, qui quantum tenetur non habet, debet tantum restituere, quantum interim salvo statu et conditione sua potest cum obligatione supplendi reliquum, si ad pinguiorem fortunam venerit.—32. In foro interno dos puellæ per vim, fraudem, dolum defloratæ restituenda non regulatur, et mensuratur juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt, sed mensuranda est præcise juxta damnum, quod injuste deflorata inde patitur.—33. In foro interno, seu conscientiæ tenetur iniquus defloretor Dotem restituere juxta quantitatem damni, etiam in casu, quo Judex non bene informatus in foro externo ad minorem Dotem per sententiam ipsum obligaverit. —34. Etiam in foro interno, seu conscientiæ ordinarie prius Dos ab iniquo defloratore restitui debet puellæ nobili, aut specialibus naturæ dotibus ornatæ, quam ignobili et deformi.—35. Defloretor non tenetur dotare, nec ducere puellam, quæ libere sine vi, fraude, vel metu injuste incusso consensit in stuprum, se sponte ad id offerendo.—36. Immo neque hoc casu in foro externo cogi potest talis defloretor ad ipsam dotandam, seu ducendam, etc. — 37. Defloretor neque tenetur in foro interno dotare seu ducere puellam, etiamsi illam suasionibus, vel blanditiis, seu precibus importunis, aut muneribus ipsam induxerit ad consensum in stuprum, dummodo sine ulla vi, fraude, vel minis id fecerit. — 38. In foro tamen externo talis defloretor tenetur dotare, vel ducere puellam importunis precibus, et muneribus defloratam. — 39. An teneatur Pater dotem dare filiæ nuptæ sine ejus consensu.—40. An teneatur, si filiæ culpa dos constituta et soluta primo Matrimonio periit. — 41. Nota in Auctorem.

— 42. 53. Quæ circa defloratores, et defloratas puellas Clemens XII pro Urbe sancivit.

ARTICULUS III. — *Dos quoad ejus reversionem, seu restitutionem, soluto Matrimonio, et facultatem eam repetendi, constante Matrimonio.*

1. Soluto matrimonio per mortem naturalem mariti, dos adventitia est in integrum restituenda uxori. — 2. Dos profectitia tamen redit una cum uxore dotata ad dotantem, si dotata adhuc est in potestate dotantis.—3. Si autem uxor jam est emancipata, Dos est restituenda uxori.—4. Soluto matrimonio per mortem naturalem uxoris, nullis ex illa extantibus liberis, Dos profectitia de jure communi revertitur ad patrem, si filia nondum fuerit emancipata.—5. Si vero filia fuerit emancipata, tunc præmortua ipsa filia, Dos non revertitur ad patrem dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem filiæ ab intestato.—6. Dos adventitia, mortua uxore, de Jure communi non transit ad maritum, sed ad ipsius uxoris hæredes ab intestato.—7. Sic etiam Dos a stupratore constituta puellæ stupratæ, pereunte ipsa stuprata, non revertitur ad stupratorem, sed ad hæredes ipsius stupratæ.—8. Eadem ratione Dos constituta per raptorem filiæ raptæ, mortua ipsa rapta, non revertitur ad raptorem, sed ad hæredes ipsius raptæ. — 9. Item Dos constituta a viro sene et ignobili puellæ juveni, non revertitur ad ipsum donantem, sed ad hæredes ipsius fœminæ. — 10. Soluto Matrimonio quoad vinculum, viventibus adhuc contrahentibus, v. g. per impedimentum dirimens, cum quo ignoranter contraxerunt, Dos integra restituenda est uxori putativæ. — 11. Dos contrahentium scienter cum impedimento dirimente, nisi minor ætas excuset, acquiritur Fisco. — 12. Si Matrimonium ex licita causa separetur, quia v. g. maritus cum uxoris consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, tota Dos est restituenda uxori.—13. Si vero Matrimonium separetur quoad torum per Ecclesiæ judicium ratione alicujus culpæ contrahentium, tunc si talis separatio fiat ex culpa mariti, Dos est restituenda uxori. Si autem fiat ex culpa uxoris, ipsa perdit dotem, eaque accrescit marito. — 14. Dissoluto Matrimonio non tantum integra Dos, sed etiam dimidia pars omnium illorum lucrorum quæ constante Matrimonio ambobus conjugibus, simul ac utriusque intuitu obvenerunt, debet a marito restitui uxori, seu ejus hæredibus. — 15. Illa autem bona, et lucra quæ constante Matrimonio uni conjugi in specie, et intuitu illius solius obvenerunt, non debent dividi inter conjuges, sed integra remanent illi soli conjugi, intuitu cujus obvenerunt. — 16. Sic illa lucra, quæ solius viri industria, studio, labore, officio, arte, etc. constante Matrimonio, acquisita sunt, soli viro, ejusque hæredibus remanent, nec quidquam de iis debetur uxori, aut ejus hæredibus. — 17. Constante Matrimonio, si maritus culpa sua ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet facultates ejus non sufficere ad assecurandam dotem, vel certe esse periculum illius, potest uxor repetere Dotem suam. — 18. Si autem in tali casu dos uxoris fidejussione, aut alia cautione sufficienter assecurari potest, tenetur uxor arbitrante Judice acceptare. — 19. Si absque culpa maritus vergit ad inopiam, nequit cogi ad restituendam Dotem. — 20. Potest tamen uxor, incipiente marito vergere ad inopiam aut decoctionem, agere hypothecaria contra tertium creditorem; Nec creditor potest opponere jus offerendi ad impediendam ipsam uxorem.—21. In hoc casu si bona, quæ uxor detinere intendit contra tertium creditorem, essent excedentia Dotem, et divisibilia, posset tantum detinere, quantum sufficeret ad Dotem, reliquum vero teneretur dimittere. — 22. Si vero bona illa essent indivisibilia, posset illa constante Matrimonio detinere, sed excessum fructuum teneretur restituere. — 23 Potest insuper uxor, constante Matrimonio,

Digitized by Google

suam repetere Dotem, si bona mariti Fisco inferantur. — 24. Uxor ratione Dotis habet tacitam, et privilegiatam hypothecam in omnibus bonis mariti, ita ut præferatur omnibus aliis creditoribus. — 25. Circa omnia hactenus dicta de Dote, sunt attendendæ speciales conventiones Dotales, et locorum consuetudines. — 26. Pro Dote profectitia filiam agere potest. — 27. Mulier tacitam habet hypothecam pro Dote. — 28. 29. An adversus Fiscum obtineat prælationem.

ARTICULUS I.

Dos quoad variam ejus acceptionem, naturam, divisionem, et proprietatem, seu dominium.

(1. Dotis nomen quodammodo æquivocum est; primo enim late, et communiter perfectiones quædam, quibus naturaliter afficiuntur homines, dotes appellari solent: sic qui optimo pollet ingenio, facundia, robore, pulchritudine etc., dicitur bene donatus, vel optimas habere dotes.

(2. Secundo, et proprie, a Theologis ornatus, et dona quædam supernaturalia a Deo animæ sibi in æternum desponsatæ largiter concessa, Dotes animæ vocantur; immo cum beatitudo, quæ ex Boetio 3, de Consolat. est status omnium bonorum aggregatione perfectus, taliter adhuc in corpus redundet, quod æternus beans etiam ipsi ornatus, et dona quædam supernaturalia elargiatur, illa corporis gloriosi Dotes nominat: dos autem theologice, ac supernaturaliter sumpta generatim describi potest, quod sit ornatus, et donum quoddam perpetuum in æterna beatitudine proportionaliter animæ, et corpori concessum.

(3. Tertio, nomen Dotis juridice, et civiliter capitur pro eo scilicet, quod sive mobile sive immobile datur intuitu Matrimonii, et de hac præsertim procedit titulus; prius tamen Theologorum communiter quæ supra, breviter perstringamus.

(4. Dotes igitur animæ beatæ tres a Theologis recensentur; videlicet clara Dei Visio, comprehensio seu Tuitio, et Fruitio. Prima sufficitur loco Fidei, secunda Spei, tertia Charitatem numquam excidentem perficit; de quibus fuse Scholastici; si autem quæras cur Fides, Spes, et Charitas animæ in via tributæ non dicantur ejusdem Dotes; respondetur id esse, quia unio indissolubilis, et consumata animæ cum Christo, quæ analogice Matrimonium dicitur, quo Christus eam sibi sponsat, non est nisi in patria; quandiu enim sumus in hac vita ex Apostolo 2, ad Cor. 5, peregrinamur a Domino: quæ autem ante Matrimonium dantur, non dotes, sed donationes potius vocitantur; et idem dicendum de donis aliis ante ingressum gloriæ collatis.

(5. Ulterius obiter accipe, ultra dotes prædictas omnibus beatis communes, a Theologis insuper assignari præmia quædam propter heroicitates quasdam aliquibus concessa, quæ Aureolas vocant; est autem Aureola generatim accepta præmium aliquod accidentale reportatum in cœlo propter insigne aliquod factum, et singularem victoriam in vita a Beatis obtentam de capitalibus

ARTICULUS IV. — *Dos quoad fideicommissum.*

1. 5. De Justinianea Constit. coercent Fideicommittentium abusum. — 6. 10. Huic non adversatur contraria disponentis voluntas. — 11. 16. Eadem Constitutio extenditur etiam ad dotes spirituales. — 17. 19. Quando nam huic Constitutioni locus sit. — 20. 24. A quonam Dotes a Fideicommisso detrahantur. — 25. 29. De Transversalium Fideicommissis. — 30. 32. De particularibus Fideicommissis. — 33. 34. An Dotes ex feudis possint detrahi.

christianæ salutis inimicis, Diabolo scilicet, mundo, et carne: hinc tres communiter a Theologis assignantur Aureolæ. Prima est pro Martyribus, qui heroice triumpharunt de mundo, sævas persecutiones sustinendo et mortem ipsam subeundo, Christum fortiter confitendo. Secunda est pro Doctoribus, qui per sapientiam, et doctrinam, erroris, infidelitatisque tenebras propulsantes decipientem Diabolum excellenter debellarunt. Tertia est pro Virginibus, sive omnibus illis, qui per continentiam virginalem carnem insigniter calcarunt; dicuntur autem Aureolæ seu quasi parvæ aureæ coronæ, non quia magnæ non sint, sed quia exiguæ videntur respective ad beatitudinem essentialem, quæ aurea seu corona aurea dicitur.

(6. Corporis gloriosi Dotes quatuor a Theologis enumerantur, nimirum impassibilitas, claritas, agilitas, et subtilitas. Per impassibilitatem corpus gloriosum erit incorruptibile, et immortale; 1. ad Corinth. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*, consequenter nec pati poterit quidquam; Isaiæ 49. *Neque esurient, neque sitient*, etc. et Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam*, etc. Per claritatem corpora Beatorum fulgebunt quam maxime; Matth. 13: *Tunc justi fulgebunt sicut sol*; Ad Philippens. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*; unde si in densissima nocte unicum e gloriosis corporibus appareret, noctem ipsam verteret in lucidissimam diem. Per agilitatem corpora Beatorum vim se absque difficultate, et fatigatione quaquaversus movendi habebunt; Isai. cap. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient*: Sapient. 3. *Tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Per dotem subtilitatis, quæ arguitur ex 1 ad Corinth. 15, *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Beatorum corpora cœlos aliaque corpora penetrare, ac per illa transire poterunt, sicut Christus Dominus ex Virginis utero, et sepulcro est egressus, januis clausis ad Apostolos ingressus, ac cœlos penetratus. Verum in assignanda hujusmodi Dotis ratione non parum discrepant Theologi; nobis tamen præfata extremis labiis libasse sufficiat, fusius enim hic immorari non expedit; interim ex his quisque meminerit, quod Apostolus ait, 1, ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*, ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones*.

Digitized by Google

hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

(7. Dos juridice et civiliter capta, est bonum in pecunia, seu in alia re mobili vel immobili consistens, ab uxore, vel alio ejus nomine datum marito ad onera Matrimonii sustinenda, ut videlicet ex ejus fructibus uxorem, et familiam facilius sustentare possit. Colligitur hæc definitio ex. l. Dotis 1, ff. *de Jure dotium*, et l. *Plerumque* 10, § 3, *eod. est in re communis.* (8. Dos est duplex; Profectitia scilicet, et Adventitia. (9. Dos Profectitia est illa, quæ a Patre, vel ab alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio, intuitu tamen Patris, datur; leg. *Profectitia* 4, ff. *de Jure dotium*, et l. *Unica Cod. de rei uxoriæ actione.* (10. Dos Adventitia est illa, quæ nec a patre, nec ab ascendente paterno, sed ab alio absque ullo intuitu patris datur; l. unic. § *Accedit.* C. *De rei uxoriæ actione.*

(11. Dominium, seu proprietas dotis traditæ in re mobili in certo numero, pondere, et mensura v. g. in tanta pecunia, in tot pecoribus, et hujusmodi, pertinet absolute ad Maritum, ita ut de ea pro suo libitu disponere possit; cum obligatione tamen, quod soluto Matrimonio, ipse vel ejus hæres restituat tantumdem ejus generis, et qualitatis in eodem numero, pondere, et mensura, textu expresso in leg. *Si res in dotem* 42, ff. *de Jur. dotium*, ibi : « Res in dotem datæ, si in numero, pondere, aut mensura constant, mariti periculo sunt, quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat, et quandoque soluto Matrimonio, ejusdem generis, et qualitatis restituat, vel ipse, vel hæres ejus. » (12. Sic etiam ad Maritum spectat dominium, seu proprietas dotis sive in re mobili, sive immobili, quando ei talis dos traditur æstimata æstimatione faciente venditionem, textu expresso in leg. *Quoties* 5. Cod. *de Jure dotium*, ibi : « Quoties res æstimatæ in dotem dantur, Maritus dominium consecuturus summæ velut pretii debitor efficitur; si igitur non convenit, ut soluto Matrimonio restituantur, retinebit eas, si pecunias tibi offert. » Concordat. l. *Plerumque* 10, § 4, ff. *de Jure dotium*, ibi ; « Si ante Matrimonium æstimatæ res dotales sunt, hæc æstimatio quasi sub conditione est, namque hanc habet conditionem, si matrimonium fuerit secutum; secutis igitur nuptiis, æstimatio rerum perficitur, et fit vera conditio. » (13. Unde sequitur quod si res æstimatæ pereant, aut deteriores fiant, pereunt, aut deteriores fiunt ipsi Marito uti earum domino, sicuti tamquam verus dominus lucrum, si quod esset ex ipsis, ipse referret; textu expresso in l. *Cum dotem* 10. Cod. *de Jure dotium*, ibi : « Quis enim dubitet æstimationem a te mulieri deberi, cum periculo tuo res deteriores fiant, vel augmenta lucro tuo recipiantur; et concordat. » l. unic. § 9. Cod. *de rei uxoriæ actione*, ibi : « Æstimatarum enim rerum maritus, quasi emptor, et commodum sentiat, et dispendium subeat, et periculum expectet.» (14. Hinc plurimum interest Maritis, ut res dotales absque æstimatione recipiant, textu expresso in l. *Plerumque* 10, ff. *de Jure dotium*, ibi : « Plerumque interest viri (res in contractu nuptiali) non esse æstimatas, ne periculum rerum ad eum pertineat;» quia tunc si æstimatio non præcessit, damnum superveniens absque culpa Mariti, et deterioritas ipsarum rerum dotalium non æstimatarum in solam cadit uxorem, textu expreso in cit. l. *Plerumque*, ibi : « Quoties igitur non æstimatæ res in dotem dantur, et meliores, et deteriores mulieri fiunt. »

(15. Dominium naturale dotis in re immobili, non æstimata, sed præcise taxationis causa, non æstimatione faciente venditionem, pertinet ad uxorem; civile vero transit ad maritum. Rota part. 8, recent. dec. 259, num. 1, et part. 15, dec. 277, num. 16, textu claro in leg. *In rebus* 30. Cod. *de Jure dotium*, ibi : « Cum eædem res ab initio uxoris fuerint, et naturaliter in ejus permanserint dominio; » et clare evincitur ex iis omnibus juribus, in quibus dos dicitur proprium patrimonium uxoris, ut in l. 3, § *Sed utrum*, ff. *de minor.* l. *unic.* § *et hoc*, C. *de rei uxoriæ actione*, et ex iis juribus, in quibus dicitur dos esse in bonis mulieris, ut in. l. *Filius*, ff. *de Collat. bonorum*, vel simpliciter esse mulieris, ut in. l. *Pater*, ff. *de Evict.* et in l. *Quamvis*, ff. *de Jure dotium*, et respectu Mariti dicuntur esse res alienæ.; l. *Si constante*, § *Si maritus*, ff. *de Jure dotium*; et l. *Donatio*, § *fundum*, et l. *Etiam*, § 1, eod. tit. (16. Unde fundus dotalis remanet in dominio uxoris, et ad ejus periculum stare dicitur, et nunquam transit in verum, et naturale dominium viri; Rota part. 12, recent. dec. 10, n. 27, decis. 21, num. 29, part. 13, dec. 51, num. 9, part. 15, dec. 83, num. 11, et 12, part. 18, tom. 1, dec. 98, num. 10. (17. Soluto Matrimonio, dominium civile ipso jure, et ministerio legis statim transfertur in uxorem, et consolidatur cum naturali, leg. *Dotis*, ff. *Soluto matrim.* Rota par. 13, dec. 349, par. 15, dec. 190, num. 7, et decis. 279, num. 17.

(18. Fundus dotalis, seu dos in re immobili non æstimata ita spectat ad verum, et naturale dominium uxoris, ut Maritus eam alienare, hypothecare, aut alias obligare non possit. Princip. Instit. *Quibus alienare licet, vel non*, ibi : « Dotale prædium maritus invita muliere per legem Juliam prohibetur alienare; » Rota par. 3, dec. 573, n. 2, par. 4, tom. 2, dec. 492, n. 1, par. 8, decis. 91, num. 6, par. 9, tom. 1, dec. 431, n. 8, dec. 269, num. 13, et seq. part. 15, dec. 190, n. 5, part. 18, tom. 1, dec. 98, n. 29, part. 19, tom. 1, dec. 68, num. 20, et ead. part. 19, tom. 2, decis. 436, num. 1. (19. Immo neque alienare potest cum consensu uxoris. Cit. Instit. *Quibus alienare licet, vel non*, ibi : « Interdicta alienatio, et obligatio (de hypotheca in specie erat prius etiam sermo) ut neutrum eorum, neque consentientibus mulieribus, procedat, » et ratio additur istis verbis : « Ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ ejus convertatur; » Concordat Nov. 61, cap. 1, § 1. Rota recent.

Digitized by Google

part. 4, dec. 619, n. 2, part. 19, tom. 1, dec. 214, n. 1. (20. De jure tamen Canonico valet alienatio, interveniente uxoris juramento, quo se obligat ad non revocandam alienationem, aut ad non contraveniendum, prout expresse statuitur, et in hoc puncto Jus civile corrigitur; cap. *Cum contingat* 28, de Jurejurando, ibi : « Cum contingat interdum, quod constante Matrimonio, alienationibus super rebus dotalibus, et donationibus propter nuptias consentiant; ne ulterius contraveniant proprio Sacramento firmando, ac soluto processu temporis Matrimonio, contravenire nitantur; utrum hoc eis liceat a nobis tua fraternitas requisivit. Nos autem fraternitati tuæ respondemus, quod etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones; ne tali tamen prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipsæ servare debent hujusmodi juramenta sine vi et dolo sponte præstita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ; » Rota par. 4, tom. 2, decis. 492, n. 3, et part. 9, tom. 1, dec. 169, n. 12, et seq. par. 19, tom. 2, dec. 436, n. 5.

(21. Ususfructus dotis etiam rei immobilis, et inæstimatæ pertinet ad maritum; textu expresso in l. *Dotis* 7, *de Jure dotium*, ibi : « Dotis fructum ad Maritum pertinere æquitas suggerit, » et additur ibi ratio his verbis : « Cum enim ipse onera Matrimonii subeat, æquum est eum etiam fructus percipere; » et concordat leg. Pro oneribus 20. Cod. eodem tit. ibi : « Pro oneribus Matrimonii mariti lucro fructus totius dotis esse, quos ipse cœpit.... manifestissimi juris est. » (22. Si tamen lucrum perceptum ex fundo dotali non pertineat ad fructuum, seu redditum naturam, et sit sors quædam præcipua, quæ Dotem augeat, non pertinet ad Maritum, textu expresso in leg. *Si ex lapidicinis* 12, ff. *de Jure dotium*, ibi : « Si ex lapidicinis Dotalis fundi lapides, vel arbores, quæ fructus non essent, vendiderit, nummi ex ea venditione recepti sunt Dotis. » Sic etiam licet maritus habeat usumfructum silvæ cæduæ pro dote sibi traditæ, non tamen potest sibi retinere lucrum perceptum ex alienatione arborum prægrandium, aut arduarum ibi existentium, cujus proinde ratione exigere ab ipso poterit ipsa Mulier, vel ipsius hæres, quod etiam verum est, licet ventorum vi arbores illæ ceciderint, textu expresso in leg. *Fructus* 7, § 12, ff. *Soluto Matrimonio*, ibi : « Si arbores cæduæ fuerunt, vel gremiales, dici oportet in fructum cedere; sin minus, quasi deteriorem fundum fecerit maritus, tenebitur. Sed et si vi tempestatis ceciderunt, dici oportet pretium earum restituendum mulieri, nec in fructum cedere. Idem est dicendum de Marito, qui vendit ligna, lapides, etc. veteris ædificii, quod reficere, neque necessarium, neque utile est; l. *Si ex lapidicinis* 31, *de Jure dotium*, ibi : « Sive superficiem ædificii dotalis voluntate mulieris vendiderit, nummi ex ea venditione recepti sunt dotis. »

(23. Dominium, seu proprietas dotis amittitur ab uxore propter ejus adulterium, et transit in Maritum; similiter a Marito propter ejus adulterium amittitur dominium seu proprietas donationis, seu donati propter nuptias, nisi inter se reconcialiti fuerint; l. *Dotem* 24. Cod. *de Jure dotium*, l. *Consensu*, § *Si vero causam*, Cod. *de Repudiis*, cap. *Plerumque* 4. De donat. inter virum, et uxore, ibi : « Si mulier ob causam fornicationis judicio Ecclesiæ, aut propria voluntate (scilicet ob eamdem causam) a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalium repetere non valebit; » et in ejus summario dicitur expresse : « Mulier propter adulterium a viro separata perdit dotem, » et sic tenet communis cum Glossa ibid. verb. *Dotalium*, et alia Glossa in cap. *Ex par.* 10, ex consuetudine, verb. *Bonis*. (24. Hoc tamen intelligi debet post Judicis sententiam, est enim pœna, sicuti ex communi docent Sa verb. *Divortium* n. penult. Sanchez lib. 10, *de Matrim. disp.* 8, n. 12. Layman lib. 3, *de justit. tract.* 4, c. 3, n. 6.

(25. Soluto per mortem Mariti Matrimonio, filiafamilias vidua habet plenum jus suæ dotis adventitiæ tam quoad proprietatem, seu dominium, quam quoad usumfructum privative etiam quoad patrem; Bossius tract. *de Dote* cap. 3, n. 92. Constantinus Rogerius *de Dote quæst.* 10, num. 18. Baldus Novellus *de Dote part.* 6, privil. 23, et l. duob. sequent. et part. 8, privileg. 10, et communis aliorum, et habetur l. *Pomponius Philadelph.* ff. *Famil. Erciscund.* et colligitur ex leg. *Cajus*, ff. *sol. Matrim.* ubi cum ageretur de Nepte, quæ erat sub patria potestate, et quæreretur, cui competeret actio ad dotem ab Avo Materno constitutam, respondit Paulus Jurisconsultus favore nuptiarum, eam actionem competere Nepti, ac proinde videtur negare de patre, et hæredibus per textum in l. *Cum prætor*, ff *de Judic.*

(26. Soluto Matrimonio, Dominium seu proprietas dotis profectitiæ pertinet ad filiamfamilias viduam; Menochius *de præsumption.* l. 3, præsumpt. 29, n. 80, et *de Arbitrariis* lib. 2, cas. 88, n. 39. Mascard. *de probation. Conclus.* 574, n. 6. Stephanus Gratianus tom. 2. *Discept. forens.* cap. 301, n. 30. Paschal *de Viribus patriæ Potest.* part. 2, cap. 4, num. 37, et a n. 69 ad final. Camillus Borellus in summa decis. par. 3. tit. 4, a num. 54 ad 58. Et ratio est, quia pater constituendo dotem filiæfamilias, intelligitur eamdem donare, seu constituere cum animo donandi; Salicetus in l. *Ex morte*, Cod. *de pact. Convent.* Cephalius cons. 753, n. 5, vol. 5. Alexander cons. 99, num. 2, vol. 7. Quinimmo nedum donare sed etiam munus adimplere, ad quod tenetur; l. *Si cum Dote*, § *Si pater*, ff. *soluto Matrimonio*; et leg. *Cum dotem* 71, ff. *de Jure dotium*; eorum autem, quorum sit donatio vel ex libera voluntate, vel quodammodo ex debito, dominium transit ad donatarium, ut habet communis ex vulgat. jur. (27. Talis autem dotis profectitiæ usus pertinet ad patrem, ad quem reverti debet, nisi aliud conventum

Digitized by Google

fuerit in constitutione ipsius dotis; et hoc quousque eadem filia secundo nubat, dummodo tamen pro eo tempore alatur a patre. Est communis, argum. l. *Eos a patre*, Cod. *soluto Matrimonio*; l. *Si ab hostibus*, ff. eodem, et l. 6, *de Jure dotium*. (28. Mortua uxore, usufructus dotis spectat ad virum, proprietas vero pertinet ad filios; l. 1. Cod. *de Bonis matern.* Rota part. dec. 126, sub. n. 2, et part. 11, dec. 368, n. 25.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Interest dignoscere, quando res in Dotem data sit æstimata, et quando inæstimata, tum ob effectus, quos offert Auctor, tum ob alios effectus. At vide de hac materia Rota in Spoletana Immissionis super bonis S. Anatolis 15 Junii 1725. coram bon. mem. Nunez, in Romana Dotis super mandato 21 Januarii 1738. coram Rezzonico postea Summo Pontifice Clem. XIII. in Romana Immissionis super bonis Catharinæ Putignanæ 6 Maii 1737. coram clar. mem. Millin. in Eugubina Reintegrationis 21 Junii 1737. cor. clar. mem. Calcagnino in Romana, seu Januen. Locorum Montium 23 Junii 1738. coram eod. in Romana Immissionis 8 Maii 1743, coram bon. me. Lana in Romana Dotis 10 Maii 1748. coram cl. me. Matthæo.

ARTICULUS II.

Dos quoad illos, qui tenentur eam dare.

(1. Pater tenetur Dotem dare filiæ, textu expresso l. ult. Cod. *de Dotis promissione*, ibi: «Neque enim leges incognitæ sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium Dotem, vel ante nuptias donationem, pro sua dare progenie,» et ibidem verb. *Intelligi* docet Glossa communiter recepta et concordat; l. *Qui liberos* 19. ff. *de Ritu nuptiarum*. (2. Et Conclusio procedit, etiamsi filia cum Patris consensu nubens propria bona adventitia habeat, nisi Pater gravi inopia laboret; ut statuitur in cit. l. ult. Cod. *de Dotis promission.* ut tenent communiter Doctores apud Covarruv. in epit. par. 2. cap. 3, § 7, n. 9. Layman lib. 3. *de Justit. tract.* 4, c. 13, n. 3. (3. Item procedit Conclusio, etiamsi pater filiam matrimonio collocaverit nulla facta mentione dotis; Glossa in leg. *Obligamur*, vers. *Lege* ff. *de Action. et obligat.* Abbas in cap. 1. *de Sponsalib. impub.* num. 6. Sanchez lib. 4, disp. 26, num. 3. Layman loc. cit. num. 4. et alii communiter. Et ratio est, quia tacite intelligitur sponso dos promissa, eo quod pater non solum obligatus sit ad providendum filiæ maritum, sed etiam ad dandam ei dotem; l. *Qui liberos* 19. *de Ritu nuptiarum*; Dos enim datur ad sustinenda onera Matrimonii, et Mulier sine Dote facile contemneretur a viro. (4. Eadem ratione, si mulier dives, non facta expressione, et conventione dotis, ducta sit, tacita censentur ejus bona, vel saltem pars bonorum pro conditione et dignitate viri in dotem constituta, quæ si non solvatur, justam causam Maritus habet alimenta uxori negandi; Sanchez lib. 9, disput. 5, concl. 9. Gail. l. 2, observ. 93, num. 10. Layman loc. cit. n. 4. Et ratio est, quia cum dos detur ad sustinenda onera Matrimonii; arg. tot. tit. ff. et Cod, *de Jure dotium*, debet uxor dives assignare Marito congruam dotem pro tali matrimoniali onere sustinendo. (5. Insuper procedit conclusio, etiamsi filia, inscio et invito patre, viro tamen digno nupserit; Ripa in l. 1. ff. *soluto Matrimonio* n. 57. Menochius *de Præsumption.* lib. 4. præsumpt. 189. Sanchez cit. disp. 20, num, 16. Layman loco citat. num. 4, Reiff. lib. 4. decr. tit. 20, n. 39. et alii communiter. Et ratio est, quia pater, licet ægre ferre possit tale Matrimonium secundum modum, ex quo, ipso inscio, contractum fuerit; non potest tamen rationabiliter illud ægre ferre secundum substantiam, cum pater ipse teneatur providere filiæ de viro digno, et ei congruam dotem tradere; l. *Qui lib.* 19. *de Ritu nuptiarum.*

(6. Limitatur tamen Conclusio in casu, quo filia ante annum 25, inscio patre et invito, nupsit indigno moribus, aut genere. Tunc enim cogi non potest pater ad plene dotandam talem filiam, sed solum ad alimenta necessaria præstanda, quæ pater liberis suis indigentibus etiam ingratis, et immorigeris naturali jure dare tenetur; arg. cap. *Cum haberet de eo, qui duxit*, et leg. *Qui liberis*, § *Si vel parens*, ff. *de Liberis agnoscendis*, et tenet communis cum Covarr. in epit. par. 2, c. 3, § 8, num. 7. Sanchez lib. 4, disp. 16, num. 19. Rodriq. tom. 1. summ. cap. 14, n. 4. Layman loc. cit. n. 4. Unde ad Judicem pertinebit arbitrari, considerata indignitate mariti, et inobedientia filiæ, utrum delictum ejus dotis subtractionem mereatur. Non enim competit patri facultas statim exhæredandi filiam ita nubentem, aut ei notabiliter dotem minuendi sine arbitrio Judicis, ut statuit Carolina Constitutio in Comitiis Augustanis promulgata, teste Haunoldo tract. 3, c. 5. contract. 5, n. 382. (7. Indignus autem censetur conjux ille, cui alter nubere absque dedecore juxta mores Civitatis non potest; arg. leg. *Si adulterium cum incestu*, § *Stuprum*, ff. ad l. *Juliam, de Adulterio* ibi: «Contumacia juris, et sanguinis contumelia;» Sic etiam indignus conjux censetur, qui est malorum morum; arg. l. *Sed ea*, ff. *de Sponsal.* et l. *Nuptiæ* Cod. *de Nupt.* ibi: « Si pares sint genere, et moribus; » Menoch. *de Præsumpt.* lib. 4, præsumpt. 189, num. 25. in fine; Sanchez lib. 4, disp. 26, n. 23. Reiffenstuel loco citato num. 41. (8. Limitatur insuper Conclusio in omnibus illis casibus, quibus pater filiam exhæredare potest. Sic communis Doctorum cum Sanchez lib. 4, disp. 29, num. 1. Reiffenstuel loc. cit. num. 43. Non enim major ratio requiritur ad privandam filiam dote, quam ad eam privandam legitima, cum dos substituatur legitimæ, et in eam imputetur; l. *Quoniam* 29. C *de Inofficios. Testament.*

(9. Si pater dotare nequit filiam, tenetur eam dotare Avus paternus; arg. l. *Dotem* 7, ff. *de Jur. dotium*; (10. Et quidem ante

Digitized by Google

Matrem, prout cum pluribus Juristis docet Haunoldus tract. 4, cap. 5, n. 386. Reiffenstuel loc. cit., n. 45, arg. *Neque mater*, Cod. *de Jure dotium*. (11. In defectu Patris, et Avi paterni, et accedente magna et probabili causa, tenetur Mater ipsa dotare filiam; arg. leg. *Mater* 14, C. *de Jure dotium* ibi : « Neque mater pro filia Dotem dare cogitur, nisi ex magna, et probabili causa, vel lege specialiter expresse; » Neque pater de bonis uxoris suæ invitæ ullam dandi habet facultatem. Magna autem, et probabilis causa intelligi debet si filia et pater inopes sint, Mater autem dives; tunc mater sicut alere tenetur filiam, ita et dotare; Molina tom. 2, disput. 424, post princip. Petr., Gregor., Tholosan., lib. 9, Syntagm., cap. 18, num. 6. Layman, loc. cit. n. 5. Dos enim succedit loco alimentorum; Sylvester, verb. *Dos*, q. 5. (12. In defectu omnium dictorum ascendentium tenetur frater dotare inopem sororem ex patre; arg. l. *Cum plures* 12, § 3, ff. *de Administr. et pericul Tutor.*; ubi statuitur, fratrem non teneri dotare sororem ex alio patre natam, seu tantum uterinam, unde a sensu contrario recte infertur, eum teneri ad dotandam sororem ex eodem patre natam, si non habeat propria bona, et non sit ab aliis dotata. Sic communis Doctorum cum Haunold., loco c. n. 389. Layman., loco c. n. 5. (13. Dotem dare tenentur omnes, qui illam serio promiserunt, cujuscumque sint sexus aut conditionis; arg. leg. *Promittendo* 14, ff. *de Jure dotium*, ibi : « Promittendo Dotem omnes obligantur, cujuscumque sexus, aut conditionis sint; dummodo tamen sit major 25 annis; l. Ultim., C. *ad S. C. Vellejan*, ibi. Generaliter sancimus, ut si quis major 25, annis sive masculus, sive fœmina, Dotem pollicitus est, vel spoponderit pro qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum est, omnino compellatur suam confessionem adimplere. »

(14. Defloror, qui absque promissione matrimonii virginem per vim, vel metum injuste incussum violavit, tenetur illam dotare, aut illam ducere in uxorem; Barbosa, in c. *Si seduxerit* 1, *de Adult. et Stupr.*, n. 7, et ibi Ancharanus, p. 3, l. 5, c. 5. § *Quæres*, Lugo, tom. 1, disp. 12, sect. 1, n. 11. Lessius, l. 2, c. 10, n. 12. Guttierez, *Canon.* qq. lib. 1, qu. 37, n. 7, et seq. Engel, l. 5, decret. tit. 16, num. 11. Pirhing, ibid. n. 29, 41 *et* 44. Reiffenstuel, l. 4, decret. tit. 1, n. 87. Navarr., in *Manual*, cap. 16, n. 17. Molina, tract. 3, *de Justit.*, disp. 106. Vasquez, in opuscul. moral. tract. *de Restitut.*, cap. 3, § 2, dub. 1, n. 2 et 3, et alii communiter arg. cap. *Pervenit*. 2, *de Adult. et Stupr.* ubi non absolute, sed sub alternatione defloror, seu seductor compellitur; in alternativis autem sufficit alterutrum adimplere textu expresso in c. *In alternativis* 70, *de Regul. juris* in 6, ibi : « In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri » et concordat l. *Plerumque* 10, in fin. ff. *de Jure dotium*. Et sic habet recepta consuetudo, et praxis omnium fere Tribunalium Ecclesiasticorum, teste Barbosa loco cit. Guttierez, l. c. q. 37. Consuetudo autem est optima Legum interpres; c. *Cum dilectus* 8, *de consuetud.* (15. Nec obstat c. *Si seduxerit* 1, *de Adult. et Stupro*, ubi non solum ad adulterum, sed ad utrumque defloror teneri dicitur, ibi : « Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit uxorem. » Non obstat, inquam, quia verba illa non copulative sed disjunctive intelligenda sunt; illa enim dictio *et* sumi debet pro *vel*; ut desumitur ex recepta Tribunalium praxi et consuetudine quæ est optima Legum interpres; l. 37, ff. *de Legibus*, et citat. c. *Dilectus* 8, *de Consuetudine*. Et sic sæpe fit in jure, uti patet l. *Sæpe*, ff. *de Verbor. significat.* ibi : « Sæpe ita computatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis, » et leg. *Conjunctionem*, ff. eod. ibi : « Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipi, » Labeo ait.

(16 Defloror tenetur dotare puellam a se per vim, metum gravem, et dolum seductam, quamvis sit paratus eam ducere in uxorem, si pater ejus, aut ipsa seducta recuset matrimonium cum ipso defloratore, textu expresso c. *Si seduxerit* 1, *de Adulter. et Stupr.* ibi : « Si vero pater virginis dare noluerit (et a fortiori si puella ipsa principaliter offensa nubere ei recuset) reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. » Et sic tenent Barbosa in d. cap. *Si seduxerit*, num. 7. Hostiens, ibid. n. 1. Gonzalez, ibid., n. 7. Farin., *de Delict. carn.* qu. 147, n. 105. Lugo, tom. 1, disp. 12, sect. 1, n. 12. Azorius, part. 3, lib. 5, c. 5, diffic. 4. Lessius, lib. 3, c. 10, n. 12. Clarus, § *Stuprum*, n. 3. Pirhing, lib. 5, decret. tit. 16, n. 46. Reiff., lib. 4, decret. tit. 1, num. 89, et alii communiter contra Molinam, et paucos alios volentes saltem tunc defloratorem liberari ab onere dotandi, si sit virgini defloratæ conveniens, et offerat se ad eam ducendam. Et ratio nostra est, quia si virgo defloratæ adstricta esset ad contrahendum matrimonium cum stupratore ad hoc se offerente, vel ad carendum dote sibi debita, non compensaretur ei æqualiter damnum injuste illatum, nam puella prius habebat libertatem nubendi cui vellet, qua privaretur si tunc deberet contrahere matrimonium cum eo, qui forte illi non placet, vel carere Dote sufficiente ad ineundum matrimonium æquale, seu æque commodum, ac si adhuc virgo esset.

(17. Talis defloror tenetur dotare puellam sic defloratam, etiamsi ipsa jam habeat Dotem competentem. Sic communis Doctorum cum Abbate in c. *Pervenit* 2. *de Adult. et Stupr.* n. 5. Guttier. *Can. qq. lib.* 1. Quæstion. 37. n. 8. Et ratio est, quia virginitas est secunda, seu altera dos, quam qui injuste abstulit, debet in pœnam, et odium delicti compensare substituendo Dotem in ea quantitate, in qua consideratis circumstantiis considerandis fuisset dos virginis, si defloratа non fuisset; cit. c. *Si seduxerit* 1. *de Adult. et Stupro*. (18. Et hoc pro foro externo; pro foro autem interno sufficit supra dotem,

Digitized by Google

quam alias a patre, vel aliunde haberet, addere quantum necessarium est ut possit nubere viro æquali, perinde ac si corrupta non fuisset, quia ad plus non tenetur, spectato jure naturæ, et sic redditur æquale damno illato; Covarr. in *Epit.* leg. 1. decr. part. 2. cap. 6. § 8. n. 5. Lessius lib. 2. cap. 10. num. 11. Vasquez in opusc. moral. tract. *de Restit.* cap. 3. § 2. dub. 5. n. 14. Pirhing. loco c. n. 44. (19. Talis defloratur tenetur in foro externo dotare defloratam, etiamsi deflorata præter amissionem virginitatis penitus nullum damnum passa fuisset, utpote æquale matrimonium sortita, vel sortitura, ac si deflorata non fuisset ex cit. cap. *Si seduxerit*. Defloratur principaliter non in solam compensationem damni, sed in pœnam delicti tenetur defloratam dotare; delictum autem existit, et pœnam secum trahit, etsi omne aliud damnum absit. (20. Pro foro autem interno, si deflorata nullum damnum passa est præter amissionem virginitatis, non tenetur eam dotare ante sententiam Judicis; Guttier. *Can. qq.* quæstion. 37. numer. 25. Lessius *de Just. et Jure* libr. 2. cap. 10. n. 15. Pirhing. loco citat. num. 47. Reiffenstuel loco c. n. 76 et 93.

(21. Defloratur, qui vi, metu injuste incusso, fraude seu dolo absque promissione matrimonii seducit, vel cognoscit puellam ab alio jam corruptam, quæ tamen vulgo, et publice virgo habebatur, tenetur in utroque foro illam saltem dotare arbitrio prudentis viri, si inde infamia sit secuta, ita ut non possit tam commode alteri nubere, sicut antea. Est communis cum Navarr. in *Manual.* cap. 16. n. 19. Azorio part. 3. lib. 5. cap. 5. diff. 11. Pirhing. l. c. n. 48. Reiffenstuel loco c. n. 83. Et ratio est, quia ipsa communiter habebatur pro virgine, et honesta puella, adeoque defloratur eam seducens vi, fraude, seu dolo incurrit consimilem obligationem, ac si defloratur vere virginem; arg. cap. *Si seduxerit* 2. *de Adult. et Stupr.* (22. Secus autem est de eo, qui vi, metu injuste incusso, fraude, seu dolo carnaliter cognoscit puellam jam corruptam et ut talem jam publice habitam; Sic communis Doctorum arg. cit. c. *Si seduxerit*, ubi tantum constringitur ducere, vel dotare, qui seducit virginem; adeoque a sensu contrario, qui seducit non virginem, nec ut talem habitam, non tenetur, optime enim arguitur a sensu contrario; arg. leg. 1. § *Hujus rei, de offic. ejus, cui mandata est jurisdictio.* et leg. *Qui testamento*, § *Mulier*, ubi Glossa ff. *de Testam.* Tum quia seductor non causavit aliquod damnum puellæ jam prius notoriæ corruptæ, cum ipsa jam prius ut talis communiter cognita, non fuisset consecutura magis commodum Matrimonium, quamvis non fuisset ulterius ab ipso seducta.

(23. Clericus in sacris constitutus, seu maritatus, qui fingens se laicum solutum sub ficta promissione matrimonii obtinet a fœmina copulam, tenetur ipsam dotare in tantum, in quantum requiritur, et sufficit ad reparandum damnum, quod inde passa est decepta; omnis enim injuste damnificans tenetur ad restitutionem; arg. leg. unic. c. *de Sent. quæ pro eo*, et cap. ult. *de Injur. et Damn. dat.* et cap. *Si res aliena* caus. 14. quæst. 6. Sic Sanchez lib. 1. disp. 10. n. 15. Ledesma *de Matrim.* quæst. 45. num. 4. dub. 1. de confirmat. tertii. Reiff. loco cit. n. 152. et alii passim. (24. Si vero puella damnum exinde nullum patitur, ad nihil tenetur talis Clericus, seu maritatus in foro interno ante sententiam Judicis, quia tunc nec vi legis, nec ratione damni illati in foro interno consurgit aliqua obligatio. Non vi legis, quia cum dispositio cap. *Si seduxerit* 1. *de Adult. et Stupr.* sit pœnalis, in odium seductionis lata, externamque pœnæ executionem requirat, ante sententiam Judicis non obligat; argum. cap. *Cum secundum de hæret.* in 6. Nec vi damni illati, quia, uti supponitur, talis puella nullum exinde patitur damnum. (25. Si tamen defloratur sive sit Clericus, sive uxoratus, sive solutus, crimen alias occultum postmodum propalet, indeque damnum puellæ defloratæ causet, tenetur illud ad æqualitatem etiam in foro interno, et ante omnem Judicis sententiam resarcire. Sic communis cum Molina tract. 3, disp. 104. n. 13. in fin. Lugo to. 1. disp. 2. sect. 1. num. 6. Pirhing. l. c. n. 48. Et ratio est clara, quia tam jure naturali, quam positivo quilibet in foro conscientiæ ante omnem sententiam resarcire tenetur damnum injuste illatum; arg. l. unic. Cod. *de Sentent. quæ pro eo*, et cap. ult. *de Injur. et Damn. dat.* et cap. *Si res aliena* qu. 6. (26. Quinimmo etiamsi virgo libere consenserit in stuprum sine vi, vel injusto metu, fraude, aut dolo; si tamen stuprator, seu defloratur postea crimen occultum propalaverit, eamque infamaverit, tenetur ad reparandum ejus honorem, et damnum infamiæ injuste ei illatum resarciendum; Reiffenst. l. c. n. 78. Molina l. c. n. 13. in fin. Lugo l. c. num. 6. Pirhing l. c. n. 48. et alii passim.

(27. Quantitas dotis dandæ a defloratore puellæ per vim, dolum, fraudem, aut metum injuste incussum defloratæ taxanda est in foro externo juxta quantitatem dotis, quam ipsa puella, si deflorata non fuisset, potuisset habere a parentibus, vel aliunde secundum qualitatem suam, et mariti, quem non violata potuisset acquirere; arg. c. *Si seduxerit.* 1. *de Adult. et Stupr.* ubi pro foro externo in odium, et pœnam delicti sic expresse statuitur: « Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt; » et l. *Si filiæ* 45. ff. *de Legatis*, leg. *Si Curatoris* 9. c. *de administrat. tutor.* et leg. *Cum potest* 69. § *Gener*, ff. *de Jure dotium*, ibi: « Dotis etiam quantitas pro modo facultatum patris, et dignitate mariti constitui debet. » Et ita Glossa in dict. cap. *Si seduxerit*, verb. *Juxta modum*, et ibi Gonzalez n. 6. circa finem, Farinac. *de Delict. carn.* qu. 147. n. 24. et seq. Carpz. *Prax.* crim. part. 2. qu. 68. n. 13. Berlich. part. 5. conclus. pract. 38. n. 20. Didac. Perez in princ. tit. 15. lib. 8. ordin. Castil. *de Alim.* cap. 26. n. 7. Reiffenstuel. l. c. n. 9. (28. Ordinarie loquendo plus restitui debet a de

Digitized by Google

floratore puellæ nobili, vel specialibus donis naturæ ornatæ, quam ignobili, aut deformi; tales enim puellæ, quamvis Dote careant, vel modicam habeant, intuitu qualitatum nobilitatis, pulchritudinis, aut alterius consimilis, ordinarie æque honesta, et commoda sunt matrimonia acquisituræ, ac aliæ majorem habentes dotem, carentes tamen similibus qualitatibus; adeoque cum per injustam defloration priventur omni spe acquirendi sic honesta, et commoda matrimonia, possunt de jure etiam in foro externo exigere a Defloratore compensationem illius gravis damni sibi injuste illati, cum omnis injuste damnificans ad æqualem satisfactionem etiam in foro externo teneatur, et ad eam præstandam possit et debeat a Judice condemnari; arg. l. unic. *de Sentent. quæ pro eo*, et c. ult. *de Injur. et Damn. dat.* et c. *Si res aliena caus.* 14. q. 6.

(29. Cæteris paribus, defloratur dives non tenetur plus dare defloratæ quam defloratur pauper. Non enim ob divitias debet aliquis esse deterioris conditionis, aut ob illas ad plus, quam lex præcepit, obligari, cit. autem c. *Si seduxerit* 1. *de Adult. et Stupr.* plus non præcipit, quam ut injustus defloratur tantam det dotem, quantam (consideratis considerandis) virgines accipere consueverunt. Dos autem, quam virgines accipere consueverunt, regulatur, et mensuratur secundum l. *Cum potest* 69. § *Gener.* ff. *de Jure dotium;* ubi sic expresse habetur: « Dotis etiam quantitas pro modo facultatum patris, et dignitate mariti constitui debet, » adeoque defloratur dives non tenetur plus dare puellæ defloratæ quam pauper; Reiffenstuel loc. cit. n. 96. et alii passim. (30. Defloratur pauper non tenetur semper dare tantam dotem, quantam alias puella posset habere secundum suam qualitatem, et opulentiam suorum parentum; sed tantam solummodo, quantam salvo adhuc statu, seu conditione sua, dare potest. Defloratori enim pauperi impossibile est tantam dare dotem, quanta alias ad dotandam puellam divitem, et nobilem a se injuste defloratam requireretur. Ad impossibile autem nemo tenetur; l. *Impossibilium* 185. ff. *de Reg. Jur.* ibi: « Impossibilium nulla obligatio est, » et cap. *Nemo* 6. *de Regul. Jur.* in 6. ibi: « Nemo potest ad impossibile obligari: » adeoque etc. Nec etiam defloratur pauper tenetur tantam dare Dotem, ex quo totaliter deberet cadere a statu, et conditione sua; juxta enim universalia principia restitutionis, nemo tenetur restituere cum totali ruina sui status, in quo existit, nisi forsan injuste læsus, aut damnum passus esset in æquali periculo, ut communiter sentiunt Doctores. (31. Defloratur tamen pauper, qui quantum tenetur, non habet, debet tantum restituere, quantum interim salvo statu, et conditione sua, potest, cum obligatione supplendi reliquum si ad pinguiorem fortunam venerit; quia præsens impotentia, paupertas, aut defectus mediorum non extinguit omnino, sed tantum suspendit obligationem restituendi æquale, ita ut veniens ad pinguiorem fortunam omnino teneatur, et in utroque foro adhuc urgeat obligatio; Molina *de Just. et jur.* tra. 3. dis. 104. n. 16. et communis aliorum.

(32. In foro interno dos puellæ per vim, fraudem, seu dolum defloratæ restituenda non regulatur et mensuratur juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt, ut pro foro externo statuitur in cit. cap. *Si seduxerit* 1. *de Adult. et Stupr.* sed mensuranda est præcise juxta damnum, quod injuste defloratæ inde patitur; quia in foro interno de jure humano, naturali, ac divino ante omnem Judicis sententiam requiritur, et sufficit, ut quis tantum restituat, aut resarciat, quantum injuste damnificavit, ut habet communis Doctorum sententia; arg. l. unic. c. *de Sententia, quæ pro eo*, etc. ult. *de Injur. et Damno dat.* Tenetur igitur iniquus defloratur tantam in foro conscientiæ dare dotem puellæ inique defloratæ, quanta requiritur et sufficit pro reparando damno, quod ex tali injusta defloratione puella patitur, præcipue ut æque honestum, et commodum matrimonium acquirere possit, quale potuisset secundum prudentis viri judicium acquirere, si non fuisset violata, sive dein hæc quantitas major sit, sive minor Dote, quam talis puella non violata habuisset. (33. Sic Abbas in citat. capit. *Si seduxerit*, et ibi Ancharanus, et communis aliorum. In foro interno, seu conscientiæ tenetur iniquus defloratur dotem restituere juxta quantitatem damni, etiam in casu, quo Judex non bene informatus in foro externo ad minorem dotem per sententiam ipsum obligaverit, quia Judicis sententia, quæ solummodo secundum allegata, et probata fieri potest, et debet, non relevat in foro conscientiæ illum, qui scit, quod revera plus damnificaverit, ut tenet communis Doctorum sententia; arg. l. unic. c. *de Sent. quæ pro eo*, et cap. ult. *de Injur. et Damn. dat.* (34. Etiam in foro interno, seu conscientiæ ordinarie plus dotis ab iniquo defloratore restitui debet puellæ nobili, aut specialibus naturæ dotibus ornatæ, quam ignobili, aut deformi, quia ordinarie honestius, et commodius matrimonium acquirit puella nobilis, aut specialiter pulchra, quam ignobilis, et deformis; et consequenter cum illa patiatur per iniquam defloration majus damnum, quam ista, plus dotis etiam in foro interno ante sententiam Judicis debetur illi, quam isti, ut habet communis sententia; arg. cit. leg. un c. *de Sent. quæ pro eo;* et cit. c. ult. *de Jur. et damn. dat.*

(35. Defloratur non tenetur dotare, nec ducere puellam, quæ libere, sine vi, fraude, vel metu injuste incusso consensit in stuprum se sponte ad id offerendo quia ex Regul. 27. *Juris* in 6: « Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus; » Lessius lib. 2, cap. 10, num. 9. Pirhing. loco cit. num. 49. Reiffenstuel loco cit. n. 70. Molina tract. 3, disp. 106, n. 10. Barbosa in cap. *Si seduxerit* 1, *de Adult. et Stupr. n.* 2. (36. Immo neque hoc casu in foro externo cogi potest talis defloratur ad ipsam dotandam seu ducendam, neque ad subeundas alias

Digitized by Google

pœnas decretas in cit. c. *Si seduxerit* 1, et cit. cap. *Pervenit* 2, *de Adult. et Stup.*, quia pœnæ illæ, ut patet ex textus verbis, solum imponuntur ei, qui virginem seduxerit, vel decepit, quod non potest dici de illa, quæ se sponte obtulit, vel consensit, ut patet ex cit. Regul. 27. *Juris* in 6, ibi : « Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus ; » Molina loc. cit. n. 10. Pirhing. l. c. n. 43, et alii. (37. Defloratur neque tenetur in foro interno dotare, seu ducere puellam, etiamsi illam suasionibus, seu blanditiis, vel precibus etiam importunis, aut assiduis, vel muneribus induxerit ad consensum in stuprum, dummodo sine ulla vi, fraude, vel minis id fecerit ; Molina cit. disp. 106, n. 1. Less. cit. c. 18, n. 4. Lugo to. 1, disp. 12, sect. 1. Vasquez c. 3, § 2, dub. 1, n. 4 et 5. Pirhing. l c. num. 50. Reiffenstuel l. c. n. 106, et alii passim. Et ratio est, quia cit. c. *Si seduxerit* 1, *de Adul. et Stup.* quod quemlibet seducentem, et consequenter importunis precibus, blanditiis, vel muneribus instantem, et allicientem obligat ad dotandam, vel ducendam puellam defloratam, non obligat ante Judicis sententiam, quia cum sit lex pœnalis in odium seductionis lata, externamque pœnæ executionem requirat, ante sententiam Judicis in foro interno non obligat arg. cap. *Cum secundum, de Hæret.* in 6. (38. In foro tamen externo talis defloretor tenetur dotare, vel ducere puellam importunis precibus, blanditiis, et muneribus defloratam ; Gonzal. in c. d. *Si seduxerit* 1, *de Adult. et Stup.* Navarr. in *Manual.* c. 16, n. 17. Reiffenstuel l. c. n. 72. Guttierez l. *Canon. qq.* q. 37, n. 15, citans communem, et Vasquez de *Restit.* c. 3, § 2, dub. 1, n. 6, et Pirhing. l. c. n. 50, dicunt, hanc sententiam, utpote miseris puellis favorabilem, esse consulendam ; et colligitur clare ex cit. cap. *Si seduxerit* 1, *de Adult. et Stup.* ubi ad dotandam, vel ducendam virginem obligatur omnis ille, qui seduxerit virginem, et dormierit cum ea : atqui importunis precibus, blanditiis, et muneribus inducens puellam ad consentiendum copulæ, vere eam seducere censetur ; l. 1, c. *de Raptu virgin.* ibi : « Nisi sollicitaverit : » ergo, etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Quæstio hic est non incongrua, an Pater teneatur Dotem dare filiæ nuptæ sine ejus consensu, si vir scripserit Tertio mediatori, quod duceret Uxorem sine Dote, modo pater acquiesceret. At vide omnino Rot. in *Romana Dot.* 19 Aprilis 1728, cor. clar. mem. Corio.

40. Nec importune disputari potest, an Pater iterum teneatur dotare filiam, si ejus culpa dos constituta, et soluta primo Marito, perit? Et quid si interim paternum patrimonium fuerit diminutum ? Sed et consulendum de hac quæstione idem supremum Tribunal Rot. in *Romana Dotis* 11 Junii 1726, cor. clar. mem. Calcagnin.

(41. Nota, quod in illis locis in quibus virum inter et uxorem viget communio bonorum, mater non in subsidium, ut ait Auctor, sed æque principaliter, ac pater Dotem constituere tenetur filiæ : Gron. Ovveg. *de Leg. abrog.* ad leg. 14. Cod. *de Jur. Dotis.* Strykius *in Usu modern. Pandect.* libr. 23, titul. 3, § 6.

ADDITIO CENSORIS THEOL.

Addenda hic censuimus, quæ contra defloratores, sive stupratores et stupratas puellas pro Urbe Romana sancivit Clem. XII, per edictum Cardinalis ipsius in Urbe Vicarii publicatum die 13 Septembris anno 1736, in quo pœnæ decernuntur, quibus in defloratorem, defloratam virginem, ejusque parentes, si aliquo modo in causa fuerint stupri secuti, lenones, aliosque, quorum ope usus fuerit stuprator, animadvertendum sit.

(42. Ac primo quidem statuitur, ut in suo vigore manentibus pœnis, quas in similes delinquentes sacri decreverunt Canones, stuprator pœnæ quoque corporis afflictivæ subjiciatur, quæ extendi quoque possit etiam ad triremes, si defloretor Laicus fuerit, et ad ergastulum aut relegationem, Judicis arbitrio, si fuerit Clericus, juxta diversas casuum circumstantias, gradus, et conditionis, præsertim juxta diversam fraudem, et seductionem adhibitam.

(43. Stuprata autem Puella pœnæ quoque corporis afflictivæ subjicitur, quæ extendi etiam possit Judicis arbitrio ad carcerem usque, pro diversis circumstantiis casuum, gradus, et conditionis, et præsertim juxta majorem, minoremve fraudem, et seductionem, quam passa sit, vel adhibuerit defiorata Puella.

(44. Decernitur præterea, ut dum stuprum secutum sit ex spe et promissione futuri matrimonii, defiorata Puella actionem habere non possit in defloratorem, ut promissum adimpleat, nisi coram Judice legitimo, et omnino concludenter probaverit obligationem defloratoris ex illa promissione contracta; firma tamen remanente quacumque alia actione, quam puella in deflorantem habere possit. (45. Declarat vero legitimam atque concludentem probationem satis non esse ad cogendum defloratorem ad matrimonium ineundum quod promiserat, quoties inter contrahentes tanta sit conditionis disparitas, ut ex tali matrimonio magnum secuturum esset scandalum, et familiæ ignominia. (46. Eo tamen in casu defloretor neutiquam absolutus declaratur ab obligatione, quam habet, compensandi damna, etc.

(47. Quantum ad Puellæ Parentes, consanguineos, aliosque, quibus vel naturæ jure, vel positiva aliqua lege ejusdem puellæ cura, et educatio concredita sit, et ad quos pertineat de stupro secuto causam ad Judicem deferre, et accusare, dum rei probentur aut lenocinii, aut conniventiæ, statuitur, ut actionem omnino amittant petendi dotem nomine defloratæ (intacto tamen remanente jure, quod huic competat) et aliam quamcumque actionem, quæ eorum favori intentari posset pro damnis, et interesse ; atque decernitur, in hujusmodi casibus quidquid damnum, et interesse deberetur delinquentibus, quod Judicis arbitrio taxandum est,

Digitized by Google

juxta diversas circumstantias a Fisco exigendum esse, et ab eodem pro arbitrio in pios usus erogandum.

(48. Quoniam vero antedictæ compensationis amissio culpæ proportionata non esset, nisi condigna punitio ulterius accederet; propterea pœna afflictiva corporis contra eosdem stabilita est, et pro gravitate delicti ita inviolabiliter observanda præscribitur.

(49. Patres, Matres, Fratres, aliique, ad quos spectet cura, et custodia puellarum, dum rei aperti lenocinii probentur, pœnæ subjiciuntur carceris decem annorum, juxta diversitatem sexus. (50. Si vero non aperti lenocinii, sed solius conniventiæ rei fuerint, triremibus, aut respective carceri subjiciuntur, septem annorum pro Judicis arbitrio, qui pro diversitate casuum, et personarum, pœnam decernet simplici negligentiæ debitam.

(51. Servi vero, Ancillæ, Familiares, aliique stipendio conducti homines, quorum ope, auxilio, aut consilio, stuprum secutum sit, vel triremibus pro septem annis, vel carceri ut supra, subjiciantur; atque omnes generaliter, (52. licet domestici non fuerint, si lenocinii rei convincantur, quinque annis carceris vel triremis pœna puniantur; arbitrio tamen Judicis committitur pœnam ad majus quoque tempus extendere, juxta diversas circumstantias casuum, etc.

(53. In omnibus autem supradictis casibus conniventiæ, vel lenocinii rei, antequam ad triremes mittantur, vel carceribus detrudantur, per Urbem circumduci debent cum *Mitra*, et infamiæ cartam ferentes, in qua sit eorum conscriptum delictum, ut fieri in iis solet, qui fustigatione puniuntur.

ARTICULUS III.

Dos quoad ejus reversionem, seu restitutionem soluto matrimonio, et facultatem eam repetendi constante matrimonio.

(1. Soluto Matrimonio per mortem naturalem mariti, dos adventitia est integra restituenda uxori, textu expresso in leg. ult. Cod. *soluto Matrimonio*, et leg. unic. § *Accedit*, Cod. *de rei uxor. Action.* juncto c. *Donatio* 8, *de Donationibus inter vir. et uxor.* Est communis. (2. Dos profectitia tamen redit una cum dote ad dotantem, si dotata adhuc est in potestate dotantis; cit. leg. unic. Cod. *de rei uxor. Action.* Ipse tamen dotans tenetur eamdem dotem prius dotatæ iterum dare, si alteri nubat; Authentic. Sed quamvis cit. leg. unic. *de rei uxor. Action.* (3. Si autem uxor jam est emancipata, vel si adsit statutum, aut consuetudo, ut proles statim ac nubunt, hoc ipso emancipatæ habeantur, dos est restituenda uxori citat. leg. ult. Cod. *soluto Matrimonio* et l. unic. Cod. *de rei uxor. Action.* Et ratio est, quia quando filia est emancipata a Patre, Pater ipse in ordine ad eamdem habetur pro extraneo, cum illam non habeat in sua potestate, per textum in d. l. unica § *Extraneum*, Cod. *de rei uxor. Action.* Statim enim ac filia est emancipata, intelligitur absolute, et simpliciter recta domina illius dotis per textum in d. l. unica § *Videamus*, Cod. *de rei uxor. Action.* adeo ut facta vidua possit de illa disponere per ultimam voluntatem, etiam absque patris consensu; Joann. Angel. Bossius *de Dote* cap. 3, num. 270. Gabriell. consil. 16, num. 35, et sequent. lib. 1, et alii passim.

(4. Soluto Matrimonio per mortem naturalem uxoris, nullis ex illa extantibus liberis, dos profectitia de jure communi revertitur ad patrem, si filia nondum fuerit emancipata, textu expresso in l. *Succursum*, ff. *de Jur. dot.* ibi: « Jure succursum est Patri, ut filia amissa, solatii loco redderetur ei dos ab ipso profecta, ne et filiæ amissæ, et pecuniæ damnum sentiret, » et l. *Dos a patre*, Codic. *soluto Matrimonio*, ibi: « Dos a patre profecta, si in Matrimonio decesserit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet. » Dicitur autem notanter *de Jure communi*, quia de jure municipali diversimode res se habet in diversis Provinciis, et locis. Alicubi enim cautum est, ut si uxor per annum vixerit cum marito, et postea moriatur maritus, acquirat ex integro dotem; alicubi, ut acquirat solummodo medietatem, et alia medietas redeat ad dotantem parentem; alicubi, ut maritus non existentibus communibus liberis, præmortua uxore jam ad maritum traducta, vel Matrimonio per copulam carnalem consummato, lucretur dotem datam, et promissam, ut refert statutum Mediolanense in cap. 298. vol. 1. et aliter alibi. Unde circa hoc attendi debet cujusque loci jus municipale, et consuetudo, quæ est optima legum interpres leg. 37. ff. *de Legibus*, et cap. *Dum dilectus* 8. *de Consuetudine*. (5. Si vero filia fuerit emancipata, tunc præmortua filia ipsa, dos non revertitur ad patrem dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem filiæ ab intestato, textu expresso in d. l. unica, § *Videamus*, Cod. *de rei uxor. Action.* ibi: « Si parens dote pro filia, vel nepti præstita emancipaverit eam, vel ipsa decesserit, rei uxoriæ actione dotem omnino ad mulierem pertinere, etiamsi fuerit exhæredata; » Camillus Borellus in summa decis. tom. 3. tit. 4. num. 199. Vincentius in l. *Post dotem* num. 31. ff. *soluto Matr.* Angelus Bossius tract. *de Dote* cap. 3. num. 168. et alii passim.

(6. Dos adventitia, mortua uxore, de jure communi non transit ad maritum; arg. cap. *Mulieres* 1. *de Donat. inter virum et uxorem;* Dos enim adventitia pleno jure pertinet ad ipsam uxorem, adeoque, ipsa mortua transit ad ejus hæredes ab intestato; l. *Avus* 49. ff. *de Jure dot.* Boschejus *de Legit. nuptiis* lib. 4. num. 11. vers. *Unde apparet*; Baldus Novellus *de Dote part.* 8. privil. 10. n. 11. Rosign. *de Dote* tom. 2. contr. 19. prænot. 2. num. 5. et alii. Et ratio est, quia sistendo in jure communi, maritus eatenus gaudet dote, ejusque fructibus, quatenus perseverat Matrimonium, ejusque onera sustinet; quo Matrimonio, ejusque oneribus cessantibus, dos adventitia ad eos transit, quibus de jure competit; leg. unica § *Procul dubio*, ff. *de*

Digitized by Google

rei uxor. Action. Fachineus controv. 35. § 2. lib. 6. Rosignol. loco cit. Reiffenstuel. lib. 4. *Decretal.* tit. 20. num. 76. et alii. (7. Sic etiam dos a stupratore constituta filiæ stupratæ, pereunte ipsa stuprata, non revertitur ad stupratorem, sed transit ad hæredes ejusdem stupratæ. Et ratio est, quia illa dos in pœnam consummati delicti facta est pleno jure ejusdem fœminæ stupratæ, arg. c. *Si seduxerit* 1. *de Adulter. et Stupr.* Panormitanus in dict. cap. 1. *de Adulter.* Farinacius *de Delict. carn.* quæst. 147. § *Dos num.* 112. Joann. Baptista Lupus tract. *de Illegitim. et natur.* lib. comment. 1. § 1. n. 125. vers. *Et ista dos;* Molina *de Just. et jur.* tract. 3. disput. 104. vers. *Justa.* (8. Eadem ratione dos constituta per raptorem filiæ raptæ, mortua ipsa rapta non revertitur ad raptorem, sed pleno jure transit ad hæredes ejusdem raptæ; Thesaurus decis. 217. n. 6. in fin. Cancerius in tertia parte variar. resol. cap. 11. *de Sponsal. et Matrimon.* num. 24. Sanchez *de Matrim.* leg. 7. *de Imped.* disp. 13. num. 1. Bajardus in addit. ad Julium Clarum in § *Raptus* num. 35. Rosignol. loco cit. numer. 7. et alii. (9. Item dos constituta a viro sene et ignobili uxori juveni et nobili, in compensationem juventutis, et nobilitatis, non revertitur ad ipsum dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem fœminæ, Ripa in leg. *Fœminæ*, num. 44. C. *de secundis Nuptiis*, Surdus cons. 471. num. 29. liber 4. Stephanus Gratianus *Discept. foren.* cap. 984. num. 9. Lupus in rubr. *de Donatio. inter vir. et uxor.* § 5. numer. 35. in fin. et alii.

(10. Soluto Matrimonio quoad vinculum viventibus adhuc contrahentibus, v. gr. per impedimentum dirimens, eum quo ignoranter contraxerunt, dos integra restituenda est uxori putativæ; arg. cap. *Mulieres* 1. *de Donat. inter vir. et uxor.* et ibi Glossa verb. *Licita*, et communis Doctorum. (11. Dicitur autem notanter *ignoranter*, quia contrahentes scienter cum impedimento dirimente, amittunt quidquid unus alteri dedit, dotem scilicet, et donationem propter nuptias, Fisco totum acquirente, nisi minor ætas excuset, textu expresso in l. *Qui contra* 4. et Authent. *Incestas nuptias*, Cod. *de Incestis nupt.* et ibi Glossa verb. *Licita.* (12. Si Matrimonium ex licita causa separetur, quia v. gr. Maritus cum uxoris consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, tota dos est restituenda uxori, textu expresso in cit. cap. *Mulieres* 1. *de Donat. inter vir. et uxor.* ibi: « Mulieres cum pro aliqua licita causa a propriis viris fuerint separatæ, totam dotem præcipimus sibi reddi, » et ibi Barb. num. 5. et communis aliorum. (13. Si vero Matrimonium separetur quoad torum per Ecclesiæ judicium, ratione alicujus culpæ contrahentium, tunc si talis separatio, seu divortium fiat ex culpa Mariti, dos est restituenda uxori, arg. cit. cap. *Mulieres;* si autem fiat ex culpa uxoris, v. gr. ob ejus adulterium, ipsa perdit dotem, eaque accrescit Marito; cap. *Plerumque* 4. *de Donat. inter. vir. et uxor.* ibi: « Si mulier ob causam fornicationis judicio Ecclesiæ, aut propria voluntate, a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non potest, » et concordant leg. *Consensu* 8. *de Repudiis*, et *Novell.* 117. c. 8. et 9.

(14. Dissoluto Matrimonio, non tantum integra dos, sed etiam dimidia pars omnium illorum bonorum, et lucrorum, quæ constante Matrimonio ambobus conjugibus simul, ac utriusque intuitu obvenerunt, v. gr. hæreditate, legato, donatione, negotiatione, emptione ex utriusque peculiis, aut bonis facta, debet a Marito restitui uxori, seu ejus hæredibus textu expresso in cap. *Significavit* 2. *de Donat. inter vir. et uxor.* ibi: « Quæ ipsius dum simul viverent cujuscumque contractus titulo communiter obvenerunt..... ad divisionem eorum compellatis; » Barbosa ibidem num. 6. cum communi aliorum. (15. Illa autem bona, et lucra, quæ constante Matrimonio uni conjugi in specie, et intuitu illius solius obvenerunt, v. gr. hæreditate, legato, donatione, etc., non debent dividi inter conjuges, sed integra remanent ut propria illi soli conjugi, cui soli legata aut donata sunt. (16. Certa, et communissima. Sic illa lucra, quæ omnia solius viri industria, studio, labore, officio, arte, etc., constante Matrimonio acquisita sunt, ut lucra, quæ faciunt Officiales, et Ministri Principum, Advocati, Medici, Consiliarii, Judices, etc., soli viro, ejusque hæredibus remanent, nec quidquam de iis, debetur uxori aut ipsius hæredibus; Est communis cum Barbosa in cit. cap. *Significavit* numer. 5. et Gonzal. ibidem num. 5. Guttier. lib. 2. pract. quæst. 118. numer. 5. Nullo enim jure nec civili, nec Canonico statutum reperitur, quod de hujusmodi bonis quidquam uxori restituatur.

(17. Constante Matrimonio, si Maritus culpa sua ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet facultates ejus non sufficere ad assicurandam dotem, vel certe esse periculum illius, potest uxor repetere dotem suam, textu expresso l. *Si constante* 24. princip. ff. *solut. Matrim.* et l. *Ubi adhuc* 29. c. *de Jur. dot.* dummodo tamen non maneat penes uxorem, sed detur cuidam mercatori, aut alicui securæ, et licitæ negotiationi, ut inde honestum lucrum haberi, et onera Matrimonii sustentari valeat; arg. cap. *Per vestras* 7. *de Donat. inter vir. et uxor.* et ibi: Barbosa n. 7. Engel lib. 4. decret. tit. 20. num. 9. Surdus *de Aliment.* tit. 9. qu. 40. num. 37. et alii passim. (18. Si autem in tali casu dos uxoris fidejussione, aut alia cautione sufficienter assicurari potest, tenetur uxor arbitrante Judice acceptare. Sic contra communem Legistarum communior Theologorum, et Canonistarum, teste Haunoldo tract. 4. cap. 5. controv. 6. num. 399. arg. cit. cap. *Per vestras* 7. *de Donat. inter vir. et uxor.* ubi Innocentius Tertius Summus Pontifex mandat Archiepiscopo, et Archidiacono Genuensi, tamquam Judicibus, ut in casu præfati periculi dotem Marito sub cautione sufficienti relinquant, vel alicui securæ, et licitæ negotiationi, seu Mercatori ad hone-

Digitized by Google

stum lucrum committant, ibi : « Mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea; quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui Mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera Matrimonii possit sustinere. »

(19. Si absque sua culpa maritus vergit ad inopiam, v. gr. ratione inculpabilis naufragii, incendii, et hujusmodi, nequit cogi ad restituendam dotem, ut recte observat Glossa in cit. cap. *Per vestras* verb. *Ad inopiam*, arg. *Novell.* 67. c. 6. princip. ubi tunc tantum reddere dotem cogitur Maritus, *si res male gubernat*, eo vel maxime quod uxor etiam teneatur de sua dote maritum inopem sustentare, leg. *Maritus* 37. ad fin. ff. *de Jure dot.* (20. Potest tamen uxor, incipiente marito vergere ad inopiam, aut decoctionem, agere hypothecaria contra tertium creditorem, etiam constante Matrimonio : nec creditor potest opponere jus offerendi ad impediendam ipsam uxorem. Hoc privilegium colligitur ex Cino in l. *Ubi adhuc* in quæst. 13. Cod. *de Jure dot.* quod etiam sustinet Baldus Novellus *de Dot.* part. 7, privil. 47. et alii. Et ratio est, quia illa recuperatio dotis, vergente marito ad inopiam, non est in rigore propria, et vera restitutio, ut notant Glossa, et Bart. in l. *Si constante*, ff. *solut. Matrim.* cum servari debeat, et committi alicui Mercatori, aut licitæ, et securæ negotiationi, ut ex fructibus ejusdem sustineri possint onera Matrimonii, ut constat ex cit. cap. *Per vestras;* et sic magis interest uxori habere bona sibi hypothecata, quam pecuniam sibi oblatam.

(21. In hoc casu si bona, quæ uxor detinere intendit contra tertium creditorem, essent excedentia dotem, et divisibilia, posset tantum detinere, quantum sufficeret ad dotem, reliquum vero teneretur dimittere. Et ratio est, quia æquum non videtur, ut uxor lucretur cum aliorum jactura, per textum in Leg. *Jure succursum*, § fin. *de Jur. dot.* nam licet jura eidem succurrant pro sua dote ad eam conservandam, non tamen ad eam augendam cum aliorum jactura; arg. Regul. juris 48. in 6. ibi : « Locupletari non debet aliquis cum alterius jactura, vel injuria. » (22. Si vero bona illa essent indivisibilia, posset illa, constante Matrimonio, detinere, sed excessum fructuum teneretur restituere, et ratio est, quia uxor in hoc casu lucrum non acquireret, cum aliorum jactura, ut clare patet, cum relaxaret fructus excedentes in favorem creditorum, et aliunde ratione hypothecæ, quam habet in omnibus bonis mariti, sit omnibus aliis creditoribus præferenda, ex l. *In rebus* 50. Cod. *de Jure dot.* et l. *Assiduis* 12. § 1. Cod. *Qui potiores in pign.*

(23. Potest insuper uxor, constante Matrimonio, suam repetere dotem, si bona Mariti Fisco inferantur; arg. l. *Si marito*, ff. *de solut. Matrim.* ibi : « Si marito publico judicio damnato, pars aliqua bonorum ejus publicetur, Fiscus creditoribus ejus satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est. »

(24. Uxor ratione dotis habet tacitam, et privilegiatam hypothecam in omnibus bonis Mariti, ita ut præferatur omnibus aliis creditoribus. Est communis et certa textu expresso leg. *In rebus* 30. Cod. *de Jure dot.* ibi : « In rebus dotalibus, sive mobilibus, seu immobilibus, sive se moventibus (si tamen extent), sive æstimatæ, sive inæstimatæ sint, mulierem in his vindicandis, omnem habere post dissolutum Matrimonium prærogativam jubemus, et neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi potiorem causam in his per hypothecam vindicare. » et leg. *Assiduis* 12. § 1. Cod. *Qui potiores in pignor.* ibi : « Sancimus ex stipulato actionem, quam mulieribus jam pro instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere creditores, licet anteriores sint temporis privilegio vallati, etc., licet res dotales, vel ex his aliæ comparatæ non extent, sed quocumquemodo, vel dispositæ vel consumptæ sint. »

(25. Pro complemento, et uberiori notitia et regula omnium, quæ hactenus dicta sunt de dote, advertendum est, quod præ *omnibus* pacta dotalia, seu speciales conventiones, et locorum consuetudines, seu specialia statuta attendi debent; arg. tot. tit. ff. *de Pactis dotal.* et C. *de Pactis convent.*, et cap. *Donatio* 8. *de Donat. inter. vir. et uxor.* ibi : « Sane soluto Matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic et donatio propter nuptias redit ad virum, nisi de consuetudine secus obtineat; vel ex pacto de lucranda dote, et donatione propter nuptias, quod æquale sit tamen hinc inde contrarium judicatur, » et ratio est, quia ut habet l. 75. *Juris* in 6 : « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur; » et consuetudo est optima legum interpres, ut habetur l. 37. ff. *de Leg.* et cap. *Cum dilectus* 8. *de Consuetudin.*

(26. Ubique fere locorum receptum est moribus patriam potestatem dissolvi per nuptias filiæ, quocirca adhærendum est illis, qui indistincte sentiunt, hodie pro dote profectitia ipsam filiam solum agere posse. Bohemer, in Introd. ad Jus digest. lib. 24, tit. 3, n. 7. Stryk in usu modern. Pandect., lib. 23, tit. 4, § 11. Muller., in addit. ad Struv., exerc. 30, thes. 50, litt. E.

ADDITIO NOVISSIMA.

(27. Mulierem pro Dote tacitam habere hypothecam, cum prælatione adversus ejusdem Mariti creditores anteriori licet hypotheca munitos cognitissimi juris est ex vulgatissima Leg. *Assiduis* Cod. *qui potiores in pignor.* etc. At vexatissima quæstio est, an hanc ipsam prælationem obtinere debeat contra Fiscum, qui anteriorem habeat hypothecam.

(28. Ea nonnullis insevit opinio, quod hanc adversus Fiscum anteriorem hypothecam habentem haud obtinet prælationem. Moventur hi, quod in leg. 2. Cod. *de Privileg.* Fisci dispositum sit parem esse causam Fisci, ac Mulieris, hinc inferendo, quod Fisco anteriori hypotheca sic munito nequeat Mulier præferri.

(29. At prævaluit contraria sententia, quod scilicet Mulier præferatur Fisco anteriori licet hypotheca vallato. Ratio. et quidem

Digitized by Google

solidissima, contrariæ hujus sententiæ hæc nebat prælationem. Abrogata propterea Lex hæc 2, dici debeat a posteriori lege *Assiduis* est, quod dicta Lex 2 lata fuit ab Antonino Imperatore, quo tempore nulla mulier obti- imperatoris Justiniani, qua prælatio fuit prima mulieri tributa.

Ita post alios tradunt Zoes in Comment. ad Pandect. l. 20. tit. 4. n. 18. Anton. Faber *Conject.* l. 8. c. 12. Mared. *controvers. jur.* l. 6. c. 31. n. 14. Bachov. *de Pign.* l. 4. cap. 14. *n.* 2. Schovartzenthal. *de Pignor. et Hypoth.* c. 28. sub. n. 29, Costanus de *Dote* c. 7. n. 7. et secundum contrariam hanc sententiam decrevit Camera Apostolica die 28 Aprilis 1658. et rursus die 27 Februarii 1760.

ARTICULUS IV.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

Dos quoad fideicommissum.

(1. Eo ingens Fideicommittentium processerat libido, ut naturæ omnino vinculis obliti, et propriis filiabus turpem præponentes ambitionem, easdem indotatas relinquerent: hinc infinitæ fœminæ ob Parentum crudelitatem innuptæ cum fastidiosam, et Reipublicæ noxiam servare cogerentur virginitatem, Civium paulatim deficiebat frequentia. Vidit hæc Imperator, tantoque malo finem statim, modumque ponere decrevit. (2. Quamobrem suam edidit Constit. *Novell.* 39. ex cujus c. 1. celebris decerpta fuit *Auth.* Res quæ C. comm. de leg. in tribunalibus, nemine discrepante, admissa, in qua mandavit: « Si liberis portio legitima non sufficiat ad dotis, sive donationis propter nuptias obligationem, permittitur res prædictas in eam causam alienare, vel obligare pro modo honestati personarum congruo. » Cum enim propter generis propagationem favor dotis, ut fœminæ nubant, publicam respiciat utilitatem l. 2. ff. *de Jur. dot.* ita æquum est ut particularis. (3. Fideicommissariorum utilitas postponatur, cum « ea quæ communiter omnibus prosunt, his quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponi debeant, » inquit idem Justinianus.

(4. Neque dubitari potest quin hujus *Auth.* beneficio perfruantur filiæ primi gradus, ac neptes indistincte. (5. Non enim Imperator consuluit filiis tantum, sed liberis, quod nomen cum magis late pateat, quam filiorum nomen, æque primum ac ulteriores gradus complectitur l. 6. ff. *de Testam.* « tut. quid si nepotes sint? Et magis est, ut ipsis quoque dati videantur, si modo liberos dixit. Cæterum si filios non continebuntur » et l. 201. ff. *de verb. signif.* Bruneman. in C. lib. 6. titul. 46. in *Auth.* res quæ num. 5.

(6. Neque adversatur contraria disponentis voluntas, qui penitus dotium prohibuerit detractiones, etenim non ex præsumpta Testatoris voluntate ut colligitur ex l. 22. § *Pen.* ff. *ad S. C. Trebell.* fœminis ex fideicommisso constituuntur dotes, (7. sed ex auctoritate juris nuptias tali favore promoventis, (8. et constituentis, paterni esse officii dotem vel donationem propter nuptias filiabus relinquere, ex quo fit, ut contraria disponentis voluntas non attendatur. Perez. Tulden. Corvin. in *Cod.* lib. 6. tit. 43. *Dn.* Richter. in hanc. *Auth.* in fin. Rot. cor. Falconer. tit. *de Cen.* decis. 5. num. 12. (9. Bona vero ob hanc causam a fideicommisso avulsa libera prorsus remanent quin ad illorum libertatem requiratur supremi Principis auctoritas dict. *Novell.* 39. cap. 1. Sichad. ad *Auth.* res quæ et Corvin. loco cit. Rot. cor. Molines decis. 724. n. 8. et decis, 889. n. 1. (10. adeo ut etiamsi in tertios translati sint isti possunt eorumdem possessionem dictæ authenticæ beneficio tueri. Rot. cor. Falconer. tit. *de Dote* dec. 14. n. 1.

(11. Quamvis vero Justinianus de dotibus tantummodo temporalibus loqui videatur, doctores tamen, et tribunalia eamdem Constitutionem extendunt etiam ad dotes spirituales. Rot. cor. Falcon. decis. 5, n. 5, tit. *de Cens.* (12. Insuper favore legitimarum non minus, quam simpliciter naturalium Rot. cor. Lancet dec. 55, num. 4, et pro sorte æque ac pro fructibus, et interusuriis dotalibus. (13. Rot. decis. 1359, num. 22, cor. eod. quod procedit sive de constituenda, sive de restituenda dote agatur: (14. Rot. cor. Falconer. tit. *de Dot.* decis. 1, sub num. 9, decis. 9, in princ. decis. 18, num. 9, et cor. Lancet decis. 914, num. 3, ad quam tenentur etiam cohæredes in propriis portionibus, licet dotes (15. fuerint pro aliorum cohæredum filiabus distractæ, cum hoc onus sit reale, et transeat ad quemcumque possessorem. Rot. cor. Falconer. titul. *de Dot.* decis 19, num. 1, et 2. (16. Hinc quilibet possessor potest tum ab ipsis mulieribus, tum ab omnibus mulierum hæredibus licet extraneis pro dotis restitutione conveniri. Rot. cor. Falconer. tit. *de Dote* decis. 2, n. 2, et cor. Molines decis. 910. num. 11.

(17. Sed cum admissa ob dotis causam Fideicommissorum distractione, Fideicommittentium voluntates eluderentur, et paulatim subverterentur, quod maxime a legibus injuriosum reputatur, Rot. cor. Falcon. tit. *de Dot.* decis. 12. num. 3, hinc per juris Interpretes cautum est, ut non alias dictæ Constitutioni locus sit, nisi evidentissime constet de bonorum liberorum inexistentia, ex quibus dotes detrahi possint. Rot. decis. 28, num 5, in *Miscell.* cor. Falconer. et decis. 5, n. 10, titul. *de Aliment.* cor. eod. (18. 19. adeo ut existentibus bonis liberis, etiamsi testator fœminarum dotationem ordinaverit, nihilo tamen minus ex bonis fideicommissariis detrahi nequeunt dotes in vim dictæ Authenticæ, quæ mere subsidiaria est. Rot. cor. Molines decision. 476, num. 18, et decision. 821. num. 4.

(20. Firmato quod ex fideicommissis detrahi possunt dotes, nunc quæritur a quo fideicommisso detrahantur. Fideicommissa enim alia sunt ab ascendentibus, alia a transversalibus, alia ab estraneis condita, alia demum sunt universalia, alia particularia. (21. 24. De fideicommissis universalibus ascendentium a nemine dubitatur ut ex Bruneman. Corvin. loc. citat. et Cujac. in *Novell.* 39. (25. Quæstio in qua plene Doctores non con-

Digitized by Google

veniunt, circa transversalium fideicommissa et fideicommissa particularia versatur. (26. Inspectis certe prioribus *Novellæ* et *Autenthicæ* verbis *si liberis portio legitima non sufficiat*, videtur Imperator de solis fideicommissis ascendentium, non vero de transversalium fideicommissis intellexisse, cum soli ascendentes dicantur habere liberos, et ita cum majori Doctorum numero sentit Rot. cor. Falconer. *de Fideicommiss.* decision. 43, numer. 3, et decis. 75. num. 20, decis. 22, num. 9. *de Dot.* et in *Miscell.* 89, num. 44, cor. Lancett. decis. 170, num. 9, decis. 664, num. 18. et decis. 1133. n. 12. (27. Dummodo tamen expresse a Testatore transversali non fuisset præscripta fœminarum dotatio. Dec. 1186, n. 30.et 31. cor. Molines.

(28. 29. Quod si totus dictæ Constitutionis contextus expressa ratio expendatur contrarium videtur sentiendum. Non enim Imperator a parentum officio erga fœminas descendentes, non ab eorumdem pietate motus apparet ad omnino solvenda pro dotibus constituendis fideicommissorum vincula, sed quia « ea quæ communiter omnibus prosunt, his, quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus. » Sed si publica utilitas unice Imperatorem impulit ad hanc statuendam Legem contra ascendentium fideicommissa, nulla apparet rationis disparitas, ob quam eadem procedere non debeat in transversalium quoque fideicommissis. Favor enim publicus non Fideicommittentium, sed Fœminarum personas dotis constitutione indigentes respicit, ut nubere possint; quæ ratio cum in utroque fideicommisso locum habeat, videretur eadem pari jure procedere debere dispositio, nulla facta. Fideicommittentium distinctione, dummodo is, qui dotare tenetur fideicommissa possideat, eoque magis, quia Justinianus, nullo designato fideicommissorum genere, a fideicommissis dotium detractionem præscribit; et ubi eadem occurrit ratio, idem esse debeat juris effectus; et ita sensit Riminald. cons. 324. n. 12. (29. In tribunalibus tamen vicit sententia prior, quamvis posterior mihi magis ratione consona, et Imperatoris menti accommodata videatur.

(30. 31. Super particularibus fideicommissis dissentiunt pariter Doctores. (32. Alii quippe affirmant, alii negant ex ipsis posse detrahi dotes; sed Sacræ Rotæ tribunal mitiorem admisit opinionem, quod nempe etiam a particularibus fideicommissis possint constitui dotes, quando alia bona tum libera, tum ex fideicommissis universalibus provenientia sunt. Rot. cor. Falconer. tit. *de Fideicom.* decis. 1, num. 16, ea semper potissima ratione, quia favor dotis publicam respicit utilitatem, et quibuscumque privatis fideicommissis prævalere debet. Gratian. *discept. Forens.* cap. 331, num. 4. et seq. Rot. in recent. part. 6, decis. 312. per tot. cor. Molines dec. 724, num. 14, et dec. 157, *n.* 10.

(33. 34. Quæri etiam potest, an dotes ex feudis possint detrahi, et distinguendum est inter feudum mere hæreditarium, et feudum ex pacto, et providentia. Primo casu feudum habetur ad instar bona alodialia, et potest ex eo constitui dos. Secundo vero casu non licet nisi ex fructibus donec vivit dotans, Peregrin. *de Fideicom.* artic. 42, num. 63, reliqua super his vide infra in verb. *Feudum.*

DUBITATIO TEMERARIA.

Vide verb. Judicium temerarium, *a num.* 2 *ad* 16

DUBIUM.

Vide verb. Conscientia, *a num.* 25 *ad* 30.

DUELLUM.

SUMMARIUM.

Articulus I. — *Duellum quoad ejus esse, divisionem, et prohibitionem.*

1. Duellum proprie dictum quid sit. — 2. Duellum debet esse cum effectu; nam duellantes ad solam apparentiam non incurrunt pœnas spirituales contra duellantes inflictas. — 3. Duellum est prohibitum, si fiat privata auctoritate; si autem fiat auctoritate publica ex justa causa, non est prohibitum. — 4. Duellum proprie dictum debet esse ex condicto; unde ex subita ira progredientes, et duellantes non incurrunt pœnas. — 5. Duellum proprie dictum debet esse initum *statuto loco, et tempore.* — 6. Duellum proprie dictum debet esse cum periculo occisionis, vel mutilationis, vel vulneris; unde certamen factum cum pugnis, vel quocumque alio instrumento sine periculo occisionis, vel mutilationis non subjacet pœnis. — 7. Duellum aliter dividitur a Theologis, et aliter a Legistis. Legistæ illud dividunt in decretorium, propugnatorium, et satisfactorium. — 8. Duellum Decretorium quid sit. — 9. Duellum Propugnatorium quid sit. — 10. Duellum Satisfactorium quid sit. — 11. Theologi dividunt duellum in sex species, scilicet in duellum Manifestativum veritatis, Ostentativum virium, Evitativum ignominiæ, Terminativum controversiæ, Evitativum Belli, et Defensivum honoris. — 12. Duellum manifestativum veritatis quid sit? Hoc duellum est illicitum, non enim potest indici, aut acceptari hoc duellum pro indaganda veritate, aut innocentia, vel justitia alicujus. — 13. Duellum ostentativum virium quid sit. Et hoc etiam duellum est illicitum, non enim licet duellare ad ostendendam peritiam, et virtutem duellandi. — 14. Duellum evitativum ignominiæ quid sit? Et hoc etiam duellum est illicitum; non enim licet acceptare duellum ad evitandam notam timiditatis. — 15. Duellum terminativum controversiæ quid sit? Et hoc etiam est illicitum. — 16. Duellum evitativum belli quid sit? Hoc duellum est licitum. — 17. Duellum defensivum honoris quid sit? Hoc duellum est illicitum. — 18. Duellum dividitur ab omnibus in duellum solemne, et in duellum privatum. Duellum solemne quid sit. — 19. Duellum privatum quid sit. — 20. Duellum ulterius dividitur in illud, quod fit auctoritate publica, et in illud, quod fit auctoritate privata, utrumque patet ex terminis. — 21. Duellum tum solemne, tum privatum, seu simplex est prohibitum Jure Divino, et humano, tam Civili, quam Canonico. — 22. Alia *Remissive.*

Digitized by Google

ARTICULUS II.—*Duellum quoad ejus pœnas et personas eas incurrentes, et earum absolutionem.*

1. Affertur in primis per extensum pro regula et notitia satis necessaria ad hæc omnia, Constitutio Clementis VIII. — 2. Enumerantur pœnæ principales contra duellantes statutæ. — 3. Vulneratus si in ipso loco duelli, vel in alio quidem loco, sed tamen paulo post eodem, adhuc die, sicque sine vero sufficienti intervallo decedat, caret Ecclesiastica sepultura; quamvis pœnitens, et a censuris absolutus decedat. — 4. Si autem vulneratus in duello moriatur post notabile intervallum, v. g. post unam, vel alteram diem, non caret Ecclesiastica sepultura. — 5. Pœnas impositas contra duellantes incurrunt, Primo: Ipsimet pugnantes, sive sint principales, sive non, sive sit solemne, sive sit privatum, vel simplex, etiamsi non sequatur mors seu mutilatio; immo quamvis initum fuerit pactum de statim terminando, etc. — 6. Secundo, illas pœnas incurrunt Patrini, socii, ad duellum serio provocantes, acceptantes, etiamsi pugna ob aliquod impedimentum non fuerit secuta. — 7. Tertio, illas pœnas incurrunt duellantium adjutores, sive auxilium, consilium, operam, vel favorem præstantes, equos, arma, commeatum, pecuniam, et alia subsidia scienter administrant. — 8. Consulens duellum non incurrit excommunicationem, si fecit quod potuit, revocando consilium, licet nihil profecerit. — 9. Quarto, illas pœnas incurrunt spectatores ex industria, seu ex composito. — 10. Hinc pœnas illas non incurrunt, qui ex occulto, vel obiter transeundo respiciunt. — 11. Quinto, illas pœnas incurrunt locorum Domini, Magistratus, Præsides, Locumtenentes, Duces militum, et Capitanei, qui duellum vel permittunt, vel non prohibent quantum possunt, vel commissum non puniunt. — 12. Civitates vero, Oppida, Terræ, Castra, in quibus commissum fuerit duellum, permittentibus, aut tolerantibus Dominis, Ecclesiastico subjiciuntur Interdicto.—13. Sexto, illas pœnas incurrunt omnes scripta, et manifesta ad duellum præparatoria efficientes, nec non quascumque, etiam sine scripto, denunciationes, declarationes, narrationes, etc., etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus, ad pugnam proximus, neque expressa, aut aperta provocatio subsecuta fuerit. — 14. Illas pœnas incurrunt etiam Christiani cum Turcis duellantes. — 15. Non incurrunt tamen tales pœnas ratum habentes duellum suo nomine factum. — 16. Exemplificantur varii casus, in quibus provocatus ad duellum non incurrit illas pœnas, *usque ad n.* 19. — 20. Absolutio ab excommunicatione incursa ob duellum ratione citat. Constit. Clementis VIII. non poterat impendi extra articulum mortis nisi a Romano Pontifice pro tempore existente. — 21. Hodie tamen talis absolutio potest impendi virtute suorum privilegiorum a Confessariis Regularibus extra Italiam, et in Urbe Romana, licet non intra Italiam, et extra Urbem. — 22. Alia de pœnis in duellantes consulenda. — 23. Constitutio Benedicti XIV. — 24. De Duelli Origine. — 25. Idem de causa ejusdem. — 26. Quibus est vetitum legibus. — 27. Media quæ Bacon a Verulamia suadet ad impedienda Duella.

ARTICULUS I.

Duellum quoad ejus esse, divisionem, et prohibitionem.

(1. Duellum proprie dictum, seu Monomachia est pugna inita inter duos, vel plures in pari numero, privata auctoritate, et ex condicto, statuto loco, et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris. Est in re communis. Ad majorem autem, et clariorem ejus intelligentiam explicantur singulæ principales particulæ: (2. Dicitur primo *Pugna inita*, ut intelligatur debere duellum esse cum effectu, nam duellantes ad solam apparentiam, ex quo antea convenerint sese non vulnerare, sed honoris gratia duellum simulare, non incurrunt pœnas spirituales contra duellantes inflictas, ut tradunt Caraffa *de Duell.* tract. 1, sect. 5, quæst. 6, num. 1. Raynold. lib. 5. c. 9, § 3 et 4, num. 3. Pignatell. tom. 9. consult. 88, num. 62. Gomesius de Amescua *de Potest. in seipsum* lib. 2, cap. 5, num. 24 et alii. (3. Dicitur secundo *privata auctoritate*, ad denotandum quod non sunt prohibita duella illa, quæ publica auctoritate inter hostes fiunt, inter quæ celebre est illud Davidis cum Goliat in lib. 1. Reg. c. 17. Sic etiam D. Wenceslaus Bohemiæ dux, ut in ejus officio legitur, ad singulare certamen adversus ducem Curimensem eo fine accessit, ut suorum saluti prospiceret, ac proinde visi sunt Angeli arma ministrasse, et dixisse adversario: *Ne ferias.* (4. Dicitur tertio ex condicto, quia ad hoc, ut verificetur duellum proprie dictum, requiritur præcedens tractatus et deliberatio; si enim unus ex rixantibus alium ad dimicandum provocet ex calore iracundiæ, et statim pugnent, non erit verum duellum. Sic censuit Sac. Congr. Conc. in *Segobien.* 15 Oct. 1644, teste Pignatell. tom. 1, consultat. 317. (5. Dicitur quarto statuto loco et tempore, quia sine determinatione certi loci, et temporis non est proprie duellum, ut resolvit Sac. Congr. Conc. in *Nullius* 15 Octob. 1644, lib. 17, decretor. fol. 460. Et per hoc, quod non fuit determinatum certum tempus, et locus; Sac. Cong. Immunitatis in una Civitatis Castellanæ ponente Card. Vallemano die 13. Febr. 1703, non habuit pro duello sequens Vigliettum disfidæ: « Sig. Alessandro siete un mentitore, etc., v' intimo però a battervi meco a corpo a corpo con la spada alla mano, onde dovrete cingerla, acciocchè dove c' incontriamo, possa sostenervi, e ratificarvi con quella, tutto quello che di proprio pugno vi scrivo. » (6. Dicitur quinto « cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris, » ut excludantur a ratione duelli contentiones, et exercitationes vulgo dictæ *di Scherma*, cum istæ fiant sine periculo mutilationis, vulneris, vel mortis, et etiam excludantur contentiones, quæ fiunt cum pugnis, vel capillorum evulsione; Murga disquisit. Canon t. 2, disp. 11, dub. 1, n. 1. Pascucc. in annot. ad Pignatell. tom. 1, tit. *de Duellante* finem fol. 240 vers. *Excluditur etiam*, ubi excludit a ratione veri duelli omnes alias contentiones, seu pugnas quocumque alio instrumento fiant, dummodo ex illis non immineat periculum mortis, seu mutilationis, et Pignatell. tom. 9, cons. 88, n. 63.

(7. Duellum aliter dividitur a Theologis, et aliter a Legistis. Legistæ sequentes Joan. de Lignan. Tract. de Duell. cap. 2, n. 1, illud dividunt in Decretorium, Propugnatorium, et Satisfactorium. (8. Duellum Decretorium est illud, in quo duellantes hac lege arma movent, ut a pugna cessare non

Digitized by Google

debeant, quoad usque alter occidatur. (9. Duellum Propugnatorium est quando quis ad locum designatum accedit non animo adversarium occidendi, sed suum honorem conservandi. (10. Duellum satisfactorium est quando quis gravi affectus injuria satisfactionem in mortis poscit Tribunali, paratus tamen a provocatione desistere eo ipso, quod adversarius satisfactionem dare vult; ut ex Caramuel. *in Theologia fundament.* 19, qu. *de Honor.* n. 412, pag. 11, refert Murga disquisit. can. tom. 2 dub. 1, n. 20.

(11. Theologi autem sequentes Cajetan. in 2, 2, qu. 95, art. 8, vers. *circa Duella*, dividunt duellum in sex species juxta sex causas formales, ad quas singulare certamen ordinatur, scilicet in duellum Manifestativum veritatis; Ostentativum virium; Evitativum ignominiæ; Terminativum controversiæ; Evitativum belli, et Defensivum honoris, ut late prosequitur Caraffa *de Duell.* sect. 1, tr. 3, q. 1, n. 3 et seq. (12. Duellum manifestativum veritatis tunc verificatur, quando quis læsus in honore non habens testes, seu aliam justificationem propriæ innocentiæ, confidit quod victoria erit testis veritatis, et hoc duellum est illicitum, ut de communi testatur Sanchez, lib. 1, moral. c. 39, num. 3, arg. c. *Monomachiam* 22, caus. 2, q. 6. c. 1 et 2, de *Purgat. vulgar.* (13. Duellum ostentativum virium est quando quis ex solo motivo gloriæ, seu valoris ad ostendendam peritiam et fortitudinem duellandi, alium provocat ad duellum; et hoc duellum est illicitum, ut tenet communis arg. c. 1. *de Torneament.* ubi id expresse rejicitur, ibi : « Ad ostentationem virium suarum, et audaciæ. » (14. Duellum evitativum ignominiæ est, quando quis aliquo notatur defectu, a quo per duellum putat se purgari posse, et nisi duellum acceptet, pro vili et timida persona reputatur, et hoc duellum tamquam illicitum reprobatur ab Alexandro VII in propositione secunda ex damnatis, die 7 Septembris 1665, ibi : « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. » (15. Duellum terminativum controversiæ est quando indicitur, vel acceptatur duellum ad terminandam, seu dirimendam litem, seu controversiam, quam alioquin sine tali duello non potest consequi justitia, aut cum suo, vel aliorum damno quis in lite succumbit. Et hoc etiam duellum est illicitum, quia non est aptum medium ad hunc finem, cum semper exponatur periculo justitia causæ, una cum periculo vitæ, propriæ, vel alterius. (16. Duellum evitativum belli est, quando Rex, vel Princeps justum bellum gerens, quia non habet sufficientes vires, ad resistendum hostibus, vel ad parcendum multitudini, committitur res duello inter duos, vel plures milites utriusque exercitus decidenda, ut quæ pars vicerit, causam obtineat; vel ipsimet Reges, et Principes ad duellum se provocant, ut suorum subditorum saluti prospiciant, et hoc duellum est licitum, ut clare patet de Divo Wenceslao Bohemiæ Duce, cui, ut in ejus officio legitur, ad singulare certamen adversus ducem Curimensem accedenti, ut suorum saluti prospiceret, in signum justitiæ sui duelli visi sunt Angeli arma ministrasse, et dixisse adversario : *Ne ferias.* (17. Duellum defensivum honoris est, quando quis de aliquo defectu notatus, ad se defendendum duellum indicit, vel acceptat. Et hoc duellum est illicitum, quia alia via fieri potest honoris defensio, seu injuriæ reparatio, videlicet legitima accusatione apud judicem, ad quem finem conceditur in jure actio injuriarum; Institut. *de Injur.* § *In summa* ibi : « In summa sciendum est, de omni injuria, cum qui passus est posse vel criminaliter agere, vel civiliter; » et tit. 30. *de Injuriis.*

(18. Duellum dividitur ab omnibus principaliter in duellum solemne, et in duellum privatum : Duellum solemne (quia forte solemnius conducit ad Tartara) est quod fit servata certa forma, et solemnitate circa designationem armorum, et circa tempus, et locum securitatis privilegio præditum (quod *Campum francum* communiter appellant) adhibitis etiam testibus seu Patrinis, quos *Secundantes* vocant. (19. Duellum privatum est, quod fit quidem etiam ex condicto statuto certo tempore, et loco, sed absque aliis solemnitatibus circa designationem armorum, et securitatem loci, et sine Patrinis. (20. Duellum dividitur ulterius in illud, quod fit auctoritate publica, et in illud, quod fit auctoritate privata, et utrumque patet ex terminis.

(21. Duellum tum solemne, tum privatum, seu simplex, est prohibitum jure Divino et humano, tam Civili quam Canonico, seu Ecclesiastico sub pœnis gravissimis. Jure Divino prohibetur in præcepto: *Non occides*, quo Divino præcepto non tantum prohibetur occisio, auctoritate privata, sed etiam periculum ejusdem, ut patet in aliis præceptis. In duello autem uterque duellans ad minimum exponitur evidenti occisionis periculo, et de jure Divino est textus in Deuteronom. c. 6. et Luc. c. 4. ibi : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Jure humano Civili prohibetur l. unic. Cod. *de Gladiatoribus*, et sæpe alibi. Jure humano Canonico, seu Ecclesiastico prohibetur c. *Monomachiam* 12. caus. 2. q. 4. et tit. 14. *de Clericis pugnantibus in duello*, et tit. 35. *de Purgatione vulgari*, lib. 5. decret. et a Julio II. Constit. incip. *Regis pacifici*, a Leone X. Constit. incip. *Quam Deo, et hominibus*, a Clemente VII. Constit. incip. *Consuevit Romanus Pontifex*, a Julio III. Constit. incip. *Cum sint*, a Pio IV. Constitut. incip. *Ea, quæ a Prædecessoribus*, a Greg. XIII. Constit. incip. *Ad tollendam*, a Clemente VIII. Constit. incip. *Illius vices*, et a Conc Trid. sess. 25. c. 19. *de Reform.* præcisis his verbis : « Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christianorum orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in

Digitized by Google

terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et dominio Civitatis, Castri, aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur; et si Feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, et ut homicidæ juxta S. Canones puniri debeant. Et si in conflictu decesserint, perpetuo careant sepultura Ecclesiastica; illi autem, qui consilium in causam duelli tam jure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur; non obstante quocumque privilegio, aut prava consuetudine, etiam immemorabili (1). »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. Varia ex Scriptoribus ad duella pertinentia collegit Thurmannus *in duellicis*, etsi dicendum quod res sine judicio quovis consarcinavit. De judiciis duellicis olim usitatis egerunt, et quidem rectius, Mauritius *de duellis*, et Ephraim Gerard *de judiciis duellicis*. Historiam vero duellorum, eamque plenissimam edidit *Basnage in tractatu*, cui titulus: *Dissertation historique sur les duels*, quæ præmissa est *tom. I. de l'Histoire des Ordres militaires*.

ARTICULUS II.

Duellum quoad ejus pœnas, et personas eas incurrentes, et earum absolutionem.

(1. Affertur in primis per extensum pro regula, et notitia satis necessaria ad hæc omnia, Constitutio Clementis VIII, quæ est ut sequitur.

CLEMENS PP. VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Illius vices licet immeriti gerentes, qui ut animas suorum Fidelium a peccato, et Diaboli laqueis liberaret, de Cœlo descendens, humana carne assumpta, nec proprio quidem suo pretiosissimo Sanguini pepercit, sed se ipsum in ara Crucis immaculatam hostiam æterno Patri offerre voluit, in hanc præcipuam curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inæstimabili prætio redemptas adversus Sathanæ fraudes, quantum in nobis est, illæsas præservemus, præsertim vero totis viribus Nobis a Domino traditis exterminemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus Divina Majestas gravius offenditur, quæque, eodem fabricante humani generis hoste, inventa, atque introducta sunt, ut ex cruenta corporum morte, animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur.

§ 1. Recte siquidem, et salubriter fel. record. Pius Papa IV, Prædecessor noster, post alios complures suos, nostrosque Prædecessores, qui detestatum Divina, naturalique lege, ac sacris Canonibus damnatum Duellorum abusum, suis etiam Constitutionibus severe prohibuerant, gravesque pœnas contra quoscumque temporali ditioni S. R. E. mediate, vel immediate subjectos ejus criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solum in terris prædictis, sed alias ubilibet animarum periculis obviare, Principes, ac Domnicellos permittentes in suis Dominiis id patrari, ac etiam extra Terras, et Loca ditioni Ecclesiasticæ subjecta, hujusmodi Duella, seu singularia certamina, diffidationes desuper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illisque astantes, et interessentes, nec non chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos Imperatore ac Regibus inferiores majoris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) ultra eam, etiam privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, et Officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, et alia in posterum obtinenda, pœnis subjacere, easque incurrere voluit, a quibus nonnisi a Romano Pontifice absolvi possint.

§ 2. Sed et postmodum generalis Triden-

(1) « Ad coercendam nimiam duellantium licentiam, Benedictus XIV novas stabilivit pœnas sequenti articulo recensendas, atque quinque damnavit propositiones, quas passim tradunt, atque tuentur Probabilistæ Theologi: ex quarum prescriptione manifestum fit: Primo, non licere viro militari offerre, vel aceeptare duellum, ne tamquam formidolosus, timidus, et abjectus officio militari privetur, quo se, suamque familiam sustentet: quia timore amissionis officii, quo sustentatur, licita non potest fieri actio, qua propriam et alienam vitam periculo exponit. Secundo, excusari non posse offerentes et acceptantes duellum, etsi certo sciant pugnam non sequuturam; quia actionem provocant vel actionem probant, quæ jure naturæ, divino, et ecclesiastico, atque civili prohibita est, et quæ sine scandalo esse, vel palam probari non possit. Tertio, excusari non posse a censuris offerentes, vel acceptantes duellum gravi metu amittendæ famæ, vel officii compulsi. Ideo enim has Ecclesia constituit pœnas, ut harum timore militares homines a detestabili hujusmodi abusu compesceret. Quarto, ne quidem in statu naturali, ubi scilicet tribunalia, et judicia desint pro honoris, bonorumque defensione, acceptari, vel offerri duella posse: nunquam enim licet propriam et alienam vitam, cujus Deus Dominus est, certo periculo exponere, et animam æternæ damnationi subjicere. Quinto denique, nec itidem licere prætextu male ordinatæ civitatis, ac denegatæ justitiæ; tum ob allatas rationes, tum etiam ex eo, quod hac via aditus fieret ad plura incommoda, quæ in civili societate inde nascerentur; ut considerati facile patet. » Inde subjiciebantur propositiones a Benedicto XIV proscriptæ, quas non omittimus, cum *art. prox. n.* 22. integra ejus Pontificis Constitutio contra detestabilem duellorum abusum referatur, eademque ratione *art. proximo* prætermittendam duximus *not.* in eadem Edit. *n.* 2. subjectam, in qua pœnæ in laudata Constitutione contra Duellantes latæ recensebantur. Vide Animadversiones Auctoris in calce articuli II ad hanc Rom. Theologi Notam. (*Nota Edit. Rom.* 1758.)

Digitized by Google

tina Synodus, ad exterminandum penitus ex Christiano Orbe hoc malum, statuit, ut Imperator, Reges, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio Civitatis, Castri, aut loci in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, et si Feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, omnium bonorum suorum proscriptionis, et perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, et ut homicidæ, juxta Sac. Canones puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam jure quam facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, et perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

§ 3. Quas pœnas novissime piæ mem. Gregorius Papa XIII, pariter Prædecessor noster extendit adversus illos etiam omnes, qui non publice, sed privatim ex condicto, statuto tempore, et in loco convento, Monomachiam commisissent, etiam patrinis, sociisque non vocatis, et loci securitate non habita, et provocatoriis litteris minime præcedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, cæterosque supradictos criminis socios et ex composito spectatores etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset, quominus pugnarent.

§ 4. Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, præsertim transalpinis, ac remotis regionibus, et potissimum ubi bella vigent, castrensi quadam et militari licentia, seu verius audacia, perniciosum hoc scelus inter Fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, ubi Christiani nominis, seu Catholicæ Fidei hostes tyrannidem exercent, seu hæreses, et schismata impune grassantur, sive inter signa et castra militaria in caput suorum fratrum impios convertere mucrones, quod multo salubrius contra Christiani nominis adversarios stringi par esset; Nos nefaria Diaboli arma salutari Ecclesiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipue ipsius Domini auctoritate traditos retundere, atque a cervicibus gregis Domini nostræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adjutore) eniti possumus, propulsare cupientes, prædictas omnes Constitutiones, ac decretum Concilii Tridentini cum omnibus, et singulis in eis contentis Gensuris, et pœnis decretis, ac extensionibus, quarum, et quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, et ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus et innovamus.

§ 5. Ac insuper auctoritate, et tenore præmissis decernimus, et declaramus easdem Constitutiones, ac decretum, locum habere ubique gentium, et terrarum, inter quascumque personas, etiam armatas, et in castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum, et S. R. E. aut Catholicæ Fidei hostium furor impune grassatur, in dominiis per eos occupatis, et detentis. Idem quoque juris censendum esse, si publico, et forsan justo bello indicto, miles aliquis alterum in adversariorum exercitu militantem, sive alias hostium castris, præsidiis, aut terris degentem privatas simultates, atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo, etiam Ducum permissu, ex condicto, ad singulare certamen discendat, aut illum provocet. Nec non iisdem pœnis, decreto, et Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrique illatus fuerit. Vel si convenerint, ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, et Capitaneos in castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum Monomachiam, in quocumque casu per præsentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post commissum crimen, veniam, et impunitatem concedentes.

§ 6. Præterea pari ratione prohibemus omnia, et singula ejus generis scripta, manifesta, seu *fide* vulgo appellata, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi præparatoria quædam ad chartulas, seu libellos provocatorios, et ad Duellum illorumque veluti radices, aut semina, ut plurimum, lacessendi aliquem ad pugnam, et suscitandæ simultatis, atque inimicitiæ materiam, et occasionem præbent. Dum scilicet in illis per modum Epistolæ, libelli, et publicæ attestationis, et intimationis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriumve chirographorum subscriptiones, aut relationes, sub prætextu proprii vel alieni honoris, et famæ, more militari, atque ut vulgo dicitur *Cavalleresco*, tuendi, aut lædendi, sive ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut injuriæ probationem, seu tollendam ipsius suspicionem rei alicujus gestæ, ad id pertinentes, vel verborum, aut responsionum series, et ordo narratur, vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit, is sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quæritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam ejusmodi, quo ad superius expressa spectet, gestum dictumque sit. Vel denique offerre se quidam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quemcumque ad probandum armis, et verificandum

Digitized by Google

etiam inito certamine, aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse, nec non quascumque etiam sine scripto factas talium rerum supradicta quoquomodo concernentium, et ob hujusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denunciationes, narrationes, declarationes, et testificationes. Volentes eos omnes, et singulos, qui suo, vel alieno nomine ad effectum, de quo superius dictum est, prædicta, vel his similia, multoque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, eorumque exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, attestati fuerint; quive aliis ad singulare certamen publice, vel occulte ineundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quæ manifesta, quæque chartulæ provocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam, vel favorem præstiterint, sive id suaserint, aut mandaverint, quique in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint; etiamsi neque pugna aliqua, vel certamen, aut effectus, non accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, et aperta provocatio subsecuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuidam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret; nihilominus censuris, et pœnis omnibus in præsenti, et aliis prædictis Constitutionibus, et decreto contentis subjacere, tam si superius enumeratis, quam si aliis etiam majoribus Ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, et præeminentiis excellant.

§ 7. Quinimmo de novo etiam per præsentes ex parte Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, excommunicamus, et anathematizamus, maledicimus, et execramur omnes, et quoscumque publice, vel privatim, palam, vel occulte, in quibuscumque locis, modis, et formis, ac casibus sub præsenti nostra, et aliis prædictis Constitutionibus, ac decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex composito ineuntes, nec non in scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, commeatus, præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuncios, aut quæcumque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujusque delicti socios de industria, spectatores, Patrinos, fautores, defensores, quacumque tam superius expressa, quam alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, ita ut singulares etiam personæ cujuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Reipublicæ, quæ hujus criminis participes quoquomodo fuerint, nequaquam excusentur, sed supradictos omnes, eorumque singulos ipso facto absque ulla monitione, Judicis decreto, aut ministerio, perpetui anathematis, excommunicationis majoris, maledictionis æternæ mucrone percussos, et damnatos harum serie declaramus, et si in ipso conflictu obierint sepultura Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus. Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, et loca, in quorum Territoriis id facinus scientibus, et tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo, admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus Interdicto, cujus Interdicti relaxationem, aut Excommunicationis absolutionem, ab alio quam a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentia, et satisfactione congrue peracta, in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumcumque facultatum, et indultorum quibusvis personis tam Ecclesiasticis cujuscumque Ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quam Laicis etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quæ omnia quoad præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Pœnis aliis tam spiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§ 8. Universos autem, et singulos charissimos in Christo Filios nostros Imperatorem, Reges, et dilectos Filios nobiles Duces Viros, etiam armorum, et exercituum, Marchiones, cæterosque Principes Christianos nec non Dominia, Potentatus, Communitates, et Universitates Civitatum, Oppidorum, et Castrorum, illorumque Domnicellos, et Dominos temporales, ac etiam militum, et copiarum tam equestrium, quam pedestrium Ductores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuscumque etiam Nobis, et Romanæ Ecclesiæ, temporali jurisdictioni non subjectis locis constitutos, cujuscumque gradus, præeminentiæ, et nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, et obtestamur per viscera Domini Nostri Jesu Christi, ut ejus Divini Nominis intuitu pro sua erga eumdem Deum, per quem regnant Reges, et a quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga Nos, et S. hanc Sedem reverentia, et devotione, non modo nihil tale in suis Dominiis fieri permittant, nec ullo modo conniveant, sec hoc malum omni studio, diligentia, et auctoritate exterminare totis viribus procurent, contra quoscumque delinquentes, et ut præfertur quomodolibet complices, et participes etiam temporalibus pœnis gravissimis animadvertant, et per suos Officiales, et Curiæ Ministros procedi curent, se obsequium Deo pergratum, perque acceptum præstituros, si quo gladio ad tutelam bonorum, et ad propulsandos perditorum conatus sunt accincti, eumdem ad vindictam hujus peccati, et ad sumendas de hujusmodi criminis reis debitas pœnas exercuerint, contra vero memores, si in re tam gravi male se gesserint, se in districto Dei judicio rationem in novissimo die reddituros.

§ 9. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, Notarii publici

Digitized by Google

manu subscriptis, et personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo signatis, eadem prorsus fides ubique gentium, et locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur exhibitis, et ostensis.

§ 10. Quodque eædem præsentes in Lateran. ac Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, et Cancellariæ Apostolicæ valvis de more publicentur, affixis inibi earum exemplis per aliquem ex Cursoribus nostris, et dimissis, quodque eadem publicatio eos, qui in Urbe sunt, post triduum, qui vero extra eam post quatuor menses, omnes, quos concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

Nulli ergo omnino, etc.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarn. Dom. 1592, Kalend. Sept., Pont. nostri Anno 1.

(2. Pœnæ principales duellantibus statutæ sunt sequentes. Primo, Excommunicatio ipso facto incurrenda. Secundo, perpetua infamia. Tertio, proscriptio bonorum omnium. Quarto, debent puniri sicuti homicidæ. Quinto, privatio sepulturæ Ecclesiasticæ si in ipso conflictu decesserint. Sexto, si fuerint Ecclesiastici, privati sunt omnibus Dignitatibus, Beneficiis, et Officiis Ecclesiasticis, et redduntur inhabiles ad illa et ad alia in posterum obtinenda. Septimo, fiunt rei Criminis læsæ Majestatis. Octavo, redduntur inhabiles ad condendum testamentum. Omnes istæ pœnæ recensentur in adducta Constitutione Clementis VIII. Accedunt etiam latæ per Benedictum XIII Constit. incip. *Ex quo Divinæ*, et aliæ a Benedicto XIV Constit. incip. *Detestabilem;* de utriusque fusius in calce hujus artic. n. 22, 23.

(3. Vulneratus, si in ipso loco Duelli, vel in alio quidem loco, sed tamen paulo post, eadem adhuc die, sicque sine vero sufficienti intervallo decedat, caret Ecclesiastica sepultura, quamvis pœnitens, et a censuris absolutus decedat; Diana part. 4. tractat. 4. resolut. 94. Sanchez. in select. disp. 39. num. 9. Pignatell. tom. 9. consult. 88. num. 116. Homobon. in consult. cas. conscient. 2. part. 7. res. 64. Lezana tom. 2. verb. *Duellum* n. 14. Honing. lib. 5. decretal. tit. n. 20. Reiffenstuel. ibid. n. 43. et alii magis communiter. Et ratio est, quia ultra quam quod semper comprobatur de ipso, quod dicit Concilium Tridentinum, et Clemens VIII, in loco conflictus decessisse; sic expresse decernitur, ac præcipitur in Rituali Romano jussu Pauli V, edito in rubrica de exequiis in hæc verba: « Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in Duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ. » Et confirmatur a simili de decedentibus in Torneamentis, vel ludo agitationis taurorum; tales enim sic decedentes carent Ecclesiastica sepultura, quamvis moriantur pœnitentes, ut expresse statuitur in cap. *de Torneamentis*, ibi: « Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen caret sepultura; » adeoque a pari idem dicendum est de decedentibus in duello. (4. Si autem vulneratus in duello moriatur post notabile intervallum, v. gr. post unam, vel alteram diem, non caret Ecclesiastica sepultura; Caraffa *de Duello* tract. 2, sect. 3, q. 19, num. 9, Diana part. 11, tract. 6, resolut. 26, Lezana tom. 2, verb. *Duellum* num. 14, Mancin. in practic. *de Infirm. in ord. ad sepult.* n. 34, Portell. in respons. part. 3, cap. 10, n. 3 et 4, Bassæus verb. *Sepultura* num. 5, Trullench. *de Jure Parochi* cap. 9, dub. 7, n. 7, Possentius in recollect. q. moral. verb. *Duellum* in 6, Remig. in *pratic. Confess.* tract. 2, cap. 5, § 1, n. 11, Koning loco cit. num. 20, Reiffenstuel loc. cit. num. 44, et alii plures. Et ratio est, quia in tali casu vulneratus, licet moriatur occasione Duelli, seu ex Duello, non decessit tamen in ipso Duello, seu conflictu, uti ad incurrendam hanc pœnam expresse requiritur, tum a Conc. Trid. loc. cit. tum a Constit. Clementis VIII, supra adducta, ibi: « Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. » Tum quia cum hæc sit lex pœnalis, extendi non debet, sed potius restringi, arg. Regul. 15, Juris in 6, ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari; » et recul. 49, eod. in 6, ibi: « In pœnis benignior est interpretatio facienda. »

(5. Pœnas impositas contra duellantes incurrunt: Primo, ipsimet pugnantes, sive sint principales, sive non, sive duellum sit solemne, sive privatum, vel simplex; etiamsi non sequatur mors seu mutilatio; immo quamvis initum fuerit pactum de statim terminando certamen, cum primus vulneratus fuerit, aut sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit, textu expresso in cit. Const. Clem. VIII, § 5, ibi: « Nec non iisdem pœnis, et decreto, » etc. Vid. supra in allata Constit. Clementis VIII. (6. Secundo, illas pœnas incurrunt Patrini, ac socii, ad duellum serio provocantes, vel acceptantes, etiamsi pugna ob aliquod impedimentum non fuerit secuta, ut expresse cavetur in cit. Const. Clem. VIII, in fine § 3, ibi: « Etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset, quominus pugnarent. » (7. Tertio, illas pœnas incurrunt duellantium adjutores, sive auxilium, consilium, operam, vel favorem præstantes, equos, arma, commeatum, pecuniam, et alia subsidia scienter administrantes, ut patet expresse in cit. Constit. Clementis VIII, § 7. (8. Consulens autem duellum non incurrit excommunicationem, si fecit quantum potuit, revocando consilium, licet nihil profecerit, quia, quantum est ex se, efficit ut per eum cessaret duellum, novum enim consilium dedit ex se efficacius ad revocandum duellatorem; qui si non revocetur, est propter suam pravitatem, adeoque consulens non est amplius in causa, et consequenter si efficaciter suum consilium revocat etiam post provocationem et ante executionem duelli, faciens quantum in se est, ne sequatur ipsa pugna, non contrahit excommunicationem; colligitur ex Constit. Gregorii XIII, ubi dixit: « Consulentes eisdem censuris, et pœnis sub-

Digitized by Google

jacere, si per ipsos non stetit, ne pugna sequatur. »

(9. Quarto, illas pœnas incurrunt spectatores ex industria, seu ex composito ; scilicet qui ex sua præsentia, et visione videntur ad pugnam duellantes incitare, textu expresso in Concilio Trid. cit. sess. 25, cap. 199, *de Reform.* ibi : « Nec non spectatores, » et in cit. Constitut. Clementis VIII, § 2, ibi : « Nec non spectatores. » et § 3, ibi : « Et ex composito spectatores, » et § 7, ibi : « De industria spectatores. » (10. Hinc pœnas illas non incurrunt qui ex occulto, vel obiter transeundo respiciunt, quia nihil ad ineundam, et acuendam pugnam conferunt. (11. Quinto, illas pœnas incurrunt locorum Domini, Magistratus, Præsides, Locumtenentes, Duces militum, et capitanei, qui Duellum vel permittunt, vel non prohibent quantum possunt, vel commissum non puniunt, textu expresso in d. Constit. Clementis VIII, § 5, in fine, ibi : « Et non solum locorum Dominus, sed etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces et Capitanei in Castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum Monomachiam in quocumque casu per præsentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post commissum crimen, et veniam, et impunitatem concedentes. » (12. Civitates vero, Oppida, Terræ, Castra, in quibus commissum fuerit duellum, permittentibus, aut tolerantibus Dominis, Ecclesiastico subjiciuntur Interdicto, textu pariter expresso in cit. Constitut. Clementis VIII, § 7, ibi : « Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida vel Castra, et loca, in quorum territoriis id facinus, scientibus, et tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut magistratibus, vel Senatu, aut populo, admissum fuerit, Ecclesiastico suppohimus Interdicto. »

(13. Sexto, illas pœnas incurrunt omnes scripta, et manifesta ad Duellum præparatoria efficientes nec non quascumque etiam sine scripto denunciationes, narrationes, declarationes, et testificationes, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, materiam et occasionem præbent; et illas pœnas incurrunt omnes, et singuli, qui suo vel alieno nomine hujusmodi scripta dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, intimaverint, vel etiam verbo denunciaverint, sive attestati fuerint, et illi, qui ad aliquod horum auxilium, consilium, operam, vel favorem præstiterint, sive suaserint, mandaverint aut quomodolibet se immiscuerint, etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, et aperta provocatio subsecuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ Manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuidam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quominus publicatio aut denunciatio fieret; textu expresso fere præcisis verbis in d. Constit. Clement. VIII. § 6. (14. Illas pœnas incurrunt etiam Christiani cum Turcis duellantes. Sic censuit Sacra Cong. Conc. in Cathar. 21. Aug. 1737. lib. 5. decret. fol. 584.

(15. Non incurrunt tamen tales pœnas ratum habentes Duellum suo nomine factum. Floron. *de Duell.* c. 14. § 3. num. 1. Murga disquis. Canon. tom. 2. disp. 11. dub. 9. n. 1. et seq. Navar. in *summ. Bullar.* part. 1. comm. 62 num. 41. et alii; et ratio est, quia summi Pontifices volentes pœnas extendi ad ratihabitionem, id solent exprimere, unde cum hoc non expresserint in Bullis contra duellantes, non est facienda extensio, eo vel maxime quia ista est Lex pœnalis, quæ potius debet restringi, ex cap. *Odia* 15. et cap. *In pœnis* 49, de regul *in Juris.* in 6, et l. *Factum* § *Pœnalibus*, ff. *de regul. Juris.* (16. Nec tales pœnas incurrit qui provocatus ad Duellum sic respondet : « Paratus sum me defendere, quandocumque me invaseris, nolo talem acceptare duellum quod Legi Divinæ et Ecclesiasticæ est contrarium. » (17. Nec etiam illas incurrit, qui sic respondet : « Ego ubicumque me aggressus fueris, paratus sum me defendere, neque latitabo, sed mei copiam per ordinarias Civitatis vias faciam, et forsan tuo magno malo aggredieris; cæterum recuso Duellum; quia a Lege Divina, et Ecclesiastica reprobatur. » (18. Nec etiam illas incurrit, qui sic respondet : « Sono Cristiano, e non accetto Duello, ma cammino per la Città con la mia spada sola, e la prima volta che c' incontreremo vi darò saddisfazione. » (19. Item nec pœnas illas incurrit, qui postquam dixerat : « Quandocumque reperero te in loco apto, rem armis decidemus, » postea data occasione cum altero, qui et id acceptaverat, de facto congreditur; quia in omnibus adductis casibus, non fuit designatus locus, et tempus, prout ad rationem veri duelli requiritur ex cit. Constitut. Gregorii XIII et Clementis VIII, § 3. ibi : « Statuto tempore et in loco convento, » et declaravit Sac. Congregatio Concil. in Nullius 15 Octob. 1644. lib. 17. decret. fol. 360. et Sac. Congr. Immun. 13 Februar. 1703. in casu graviori quam supradicti, ut patet in art. præcedenti sub n. 4. non quod tale scribens Viglettum dixisset Portitori ipsius Viglietti, quod responsum expectabat in quadam Aromataria, eo quia ista verba expectare responsum, erant nimis æquivoca : sic apud Ursajam *Instit. Criminal.* l. 2. tit. 5. n. 283.

(20. Absolutio ab excommunicatione incursa ob Duellum, quamvis ex cit. Constitutione Clementis VIII, sub § 7. non posset impendi extra articulum mortis, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente, ut ibi expresse fuerat statutum præcisis his verbis : « Excommunicationis absolutionem ab alio, quam a Nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentia, et satisfactione congrue peracta, nisi in mortis articulo constituti nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indultorum, quibusvis personis, tam Ecclesiasticis, cujuscumque ordinis, aut militiæ, status,

Digitized by Google

gradus, aut conditionis existentibus, quam Laicis etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. » (21. Hodie tamen ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium de speciali mandato ejusdem Clementis VIII. edito die 16. Novemb. 1602. potest talis absolutio ab excommunicatione incursa ob Duellum impendi virtute suorum privilegiorum a Confessariis Regularibus extra Italiam, et in urbe Romana, licet non intra Italiam, et extra Urbem, ibi : « Sacra Congregatio quod provocantes et pugnantes in duello juxta decretum, et formam Tridentini, et Gregorii XIII, censuit Regulares omnes etiam Societatis Jesu non posse virtute suorum privilegiorum a Censura ob Duellum incursa absolvere in Italia, extra Urbem Romanam. » Ita hoc Decretum referunt, simulque docent Quaranta in *summ. Bullar.* verb. *Casus reservati*, Dicastillus *de Justitia, et jure* tom. 1. lib. 3. tract. 1. disp. 10. dub. 5. n. 238. Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 5. num. 4. Pellizar. tom. 1. tract. 15. cap. 5. num. 106. Fagundez tom. 1. in *Decalog.* lib. 5. c. 8. n. 5. et alii. Vid. verb. *Absolutio* art. 1. ubi late a n. 41 usque ad 46.

(22. 23. Hic ad literam tradimus sequentem Benedicti XIV Constitutionem, qua damnantur, et prohibentur quinque propositiones duellorum abusui faventes : ac veteres leges adversus duellantes editæ novis pœnalibus Sanctionibus cumulantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Detestabilem, ac Divina naturalique lege damnatum duellorum abusum, a barbaris gentibus atque superstitiosis, non sine ingenti corporum animarumque clade, in Christianam Rempublicam auctore Diabolo invectum, cum semper execrata sit, atque improbarit Ecclesia, tum præcipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a Fidelium cœtu longissime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus Prædecessorum nostrorum, Nicolai, (1) Cœlestini III. Innocentii II. Eugenii III. Alexandri III. (2) Innocentii IV. (3) adversus singulares pugnas Decreta, extant recentiores Apostolicæ Sedis Constitutiones quibus Romani Pontifices Julius II. (4) Leo X. (5) Clemens VII. (6) ac demum Pius IV. (7) gravissimas pœnas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacumque causa, etiam per Sæculares Regionum, aut Locorum Leges forsan permissa, adjecta infamia, bonorumque proscriptione etiam adversus complices, ac participes, et qualemcumque operam iisdem præbentes.

Tridentina vero Synodus (8) latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, et Reges, Duces, ac Principes, cæterosque Dominos temporales, si locum ad Monomachiam in terris suis concesserint, ac jurisdictione, et dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quem ab Ecclesia obtineant eo ipso privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque Patrinos excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere statuit ; et si in ipso conflictu decesserint, Ecclesiastica sepultura perpetuo carituros decrevit.

Cum vero præfatis saluberrimis Legibus judicialia dumtaxat, ac solemnia duella comprehensa, ac proscripta viderentur, piæ memoriæ Prædecessor Noster Gregor. Papa XIII. (9) hujusmodi pœnas adversus eos omnes extendit, qui nedum publice, sed etiam privatim ex condicto, statuto tempore et loco, Monomachiam commiserint, etiam si nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denunciationis Chartulæ præcesserint.

Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster, Apostolicas Romanorum ante se Pontificum leges omnes, et pœnas in eis statutas, sua Constitutione, quæ incipit : *Illius vices*, data 16. Kalend. Septemb. anno 1592, diserte complexas, easdem extendit ad omnes non solum duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes, chartulas, libellos, manifesta mittentes, scribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes, Socios, Patrinos, de industria spectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam, et impunitatem concedentes, quique se prædictis quoquomodo immiscuerint, etiamsi neque pugnæ effectus, neque accessus ad locum sit subsequutus.

His tam sapienter, tam aperte, atque perspicue ab Ecclesia, et ab Apostolica Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia, tam publica, quam privata, et Naturali, et Divino, et Ecclesiastico jure prorsus illicita, vetita, atque damnata censeri deberent. Sed nonnulli earum legum interpretes, per benignitatis speciem humanis, pravisque cupiditatibus plus æquo faventes, Apostolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes, ac temperantes, licere, docuerunt, (10) « Viro Equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat : (1) fas esse defensione occi-

(1) *Epist. L. ad Carolum Calvum.*
(2) *In Concil. Lateranens.* cap. 1 et 2. *de Torneamentis*, ubi trium Prædecessorum decreta citantur.
(3) In *Epist. ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosve Ecclesiasticos Regni Franciæ*, apud Raynald. ad ann. 1252. num. 31.
(4) Constit. incip. *Regis Pacifici.*
(5) Constitut. *Quam Deo et hominibus.*
(6) Const. *Consuevit Romanus Pontifex.*
(7) Const. *Ea quæ a Prædecessoribus.*
(8) Sess. 25. cap. 19. *de Reform.*
(9) Const. *Ad tollendum.*
(10) Prop. 2, damnata ab Alexandro VII.

Digitized by Google

siva vel ipsis Clericis, ac Religiosis, tueri honorem, dum alia declinandæ calumniæ via non suppetat; (2) propulsare damna, quæ ex iniqua Judicis sententia certo imminent; (3) defendere non solum quæ possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus : » Quas quidem assertiones duellis faventes, Apostolica Sedes censura notavit, rejicit, proscripsit.

Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etsi duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti, res fortunasque servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis, et casibus, vel amittendi officii, et sustentationis, vel denegatæ sibi a Magistratu justitiæ, Defensionis innoxiæ titulo, ea licere pronunciant. Laxas, et periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum libris ad nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et quibusdam dilectis Filiis Sacræ Theologiæ Magistris specialiter ad id per nos deputatis, commisimus, qui re mature discussa, latis coram Nobis tum voce, tum scripto suffragiis, infrascriptas propositiones censura, et proscriptione dignas existimarunt.

I.

Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II.

Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel officialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, et officii.

IV.

Licitum est, in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio jacture propulsari nequit.

V.

Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

Auditis itaque, super unaquaque earum propositionum, dictorum Cardinalium, et Consultorum judiciis, atque omnibus rite, et mature consideratis, Nos ipsas, præsentium Literarum tenore, et Apostolica Auctoritate, tamquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali, et specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

Jam vero ut exitiosam duellorum licentiam, in Christiana, ac præsertim Militari Republica, non obstantibus providis legibus a plerisque etiam Sæcularibus Principibus, et Potestatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coerceamus, gravissimumque scelus Apostolicæ districtionis gladio magis magisque insequamur, omnes, et singulas dictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro sufficientes expressis haberi volumus, Apostolica Auctoritate confirmantes, ut innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas, et severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro motu proprio, ac de Apostolicæ Auctoritatis plenitudine, earumdem præsentium Literarum serie, statuimus, atque decernimus, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tamquam interficiens proximum suum animo præmeditato, ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII, quæ incipit : *Ex quo Divina*, data VI Idus Junii anno Domini 1725, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusus, et repulsus omnino censeatur, ita ut a cujuscumque Sacri, aut Religiosi loci Asilo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et Judicis competentis Curiæ pro merito puniendus tradi possit, ac debeat. Super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit imposterum, necessarias, et opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere posse

(1) Prop. 17. ex damnatis ab eodem.
(2) Prop. 18. ab eodem damnata.
(3) Prop. 32. ex damnatis ab Innocentio XI.

Digitized by Google

prospiciatur; volumus, et respective permittimus, ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus asciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper Decreto Episcopi, et cum assistentia personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum, alioquin in easdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII literis constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Præterea, simili motu, et auctoritate decernimus, ac declaramus, Sepulturæ Sacræ privationem a Sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta Pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, et Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

In hujus demum sollicitudinis nostræ Societatem vocantes charissimos in Christo Filios nostros, Imperatorem Electum, cunctosque Catholicos Reges, nec non Principes, Magistratus, Militiæ Duces, atque Præfectos, eos, omnes et singulos, pro sua in Deum Religione, ac pietate, enixe obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis, et animis, exitiosæ duellorum licentiæ, qua Regnorum tranquillitas, Populorum securitas atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æterna animarum vita certe periclitatur, omni nisu, et constantia vehementer obsistant. Neque sibi, suæque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis legibus, indictisque gravissimis pœnis, horrendum scelus proscriptum sit, nisi accuratam ipsarum Legum, pœnarumque executionem naviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant. Nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim, falsique honoris Idolo humanas litari victimas non impune feret supremus omnium Judex Deus, rationem ab iis aliquando exacturus, quorum est divina, et humana jura tueri, sibique creditorum hominum vitam servare, pro quibus Sanguinem ipse suum Jesus Christus effudit.

Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, etc.

Nulli ergo, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCLII, quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Animadversiones Auctoris ad notam Romani Theologi verbo Duellum *artic. 1. subjectam.*

Quoad ea, quæ in verb. *Duellum* art. 1. n. 17. adnot. Rom. Theologus, (proferens scilicet sensum Constitutionis Benedict. XIV, quæ incip. *Detestabilem*) si accurate percurrisset mea supplementa, reperisset in verb. *Propositiones damnatæ* totam ex integro præfatam Constitutionem incip. *Detestabilem*, cum quinque damnatis propositionibus, sicque omisisset superfluas illas notas, sicuti et totam additionem ibid. art. 2. n. 2. subjunctam; seu saltem indicasset supplementum meum lectoribus, ne ego apud ipsos viderer minus diligens in recensendo dictas damnatas propositiones et cætera quæ in ea Constitut. a vigilantissimo æque ac sapientissimo Pontifice præscribuntur. In præsenti tamen editione placuit Constitutionem illam subnectere verb. *Duellum*, utpote loco sibi congruentiori, et sub verb. *Propositiones damnatæ* illam tantum indicare.

ADDITIONES CASINENSES.

(24. Mos singularia committendi certamina originem duxit a barbaris populis, qui medio ævo Europam inundaverunt atque partim subjugaverunt. Jam ab initio sæculi Ecclesiæ sexti hujus barbaræ consuetudinis vestigia invenire licet in legibus *Borgognionum*, qui litigantibus juramento sese defendere nolentibus certamen singulare inire imperabant. Horum etiam certaminum usum Longobardorum leges confirmaverunt.

(25. Quod vero spectat ad Duelli causam, cum Eminentissimo Cardinali Gerdilio repetendam eam esse censemus: primo, ex abusu libertatis vi cujus barbari populi jus omne conculcabant, et justitiam per vim solum posse obtineri putabant: secundo, ex eo quod haud bene intellecta erat honoris virtus, eam enim constituerunt in vi physica: tertio denique, ex sua superstitione; qua inducti fuerunt ad singulare certamen habendum pro Dei judicio. At nullum ex hisce motivis sufficit ad Duellum justificandum.

(26. Sane omni jure prohibitum est Duellum: Divina enim lex homicidium privatamque vindictam vetat. Item Ecclesiasticæ leges pœnis ac censuris illud prohibent. Demum leges civiles omne singulare certamen prohibent. Frustra autem aliqui Duellum cohonestare conati sunt, illud confundendo cum homicidio, quod per accidens fit quando quis vim vi repellat. Magnum enim est discrimen Duellum inter et propriæ vitæ defensionem adversus injustum aggressorem.

(27. Juverit heic inserere consilia quæ omnibus curam Reipublicæ gerentibus proponit Verulamiæ Philosophus: Ergo leges adversus duellantes latæ semper et in omni casu, nullo dignitati vel gradui respectu ha-

Digitized by Google

bito, ad executionem demandantur. Qui istas leges violant omni honore, dignitate ac officio privantur. Alia media ad hocce vitium detestabile impediendum Principum sapientiæ et prudentiæ relinquenda esse censemus.

DIPTYCHA.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. 2. Quæ nomina in Missæ sacrificio olim ex diptychis recitarentur. — 3. Praxis hujusce recitationis. — 4. 5. Erasa ex sacris his tabulis hæreticorum nomina, unde orientalia quædam dissidia.

(1. Pro omnibus quidem Christi fidelibus solet Ecclesia inter sacra ministeria preces ad Deum fundere communes: sed præterea speciales Deo preces offerebat pro certis quibusdam hominibus, tum viventibus, tum vita functis, quorum nomina ex scripto per Diaconos pronunciabantur inter sacra mystica, pro Imperatoribus et Regibus, pro Summo Pontifice, pro Episcopo loci, pro Patriarchis, pro cæteris quibusdam Episcopis, sibi invicem hoc genere officii gratificantibus: denique pro fidelibus illis, qui munera, et oblationes ad rem sacram, divinumque cultum contulerant. Ex altera autem charta (1), quæ defunctorum nomina referebat, nominabantur pariter ad populum ex ambone ad aliquod tempus homines, vel Principatu temporali, vel dignitate Episcopali pridem spectabiles. Insignium autem benefactorum, quales erant fundatores illius Ecclesiæ, perpetua fiebat memoria et recordatio. Hujusce ritus, simulque gratitudinis innumera legimus veterum monumenta nonnunquam etiam graves erant inter Ecclesias concertationes, aliis quorumdam insignium dignitate virorum memoriam colentibus, aliis ex adverso damnantibus, ut contigit in Joanne Chrysostomo, cujus memoriam Romana venerabatur Ecclesia; sed in oppositum Alexandrina, dum vixit infensissimus Chrysostomi persecutor Theophilus, exsecrabatur, una cum factione Theophili freta Imperatoris Arcadii animositate, qui sanctissimum virum, urgente Theophilo, injustissimis exsiliis damnaverat, ut referunt Socrates, Sozomenus, et Palladius. Nec minus nota sunt dissidia Orientalium Ecclesiarum cum Romana; dum hæc Acacii memoriam tanquam hæretici (ut vere erat) exsecratur; illæ vero ab eodem olim seductæ recolunt: quam referunt historiam Chronicon Marcellini, Theophanes, et Theodorus lector. Eaque ex causa Euphemius Constantinopolis Episcopus Apostolicæ sedis communione tanquam Schismaticus excidit, cæteroque orthodoxus, ob pertinaciam, qua nomen Acacii de tabulis Ecclesiasticis eradere recusaret, ut prodit Theophanes, et Nicephorus historicus.

(2. Dionysius lib. 3, *de Ecclesiast. hierarch.* hæc de diptychis refert: « et cum se mutuo omnes salutaverint, mystica sacrarum tabularum recitatio fit. » Eodem spectat illa Cypriani expostulatio *Epist. X.* de faciliori quorumdam lapsorum reconciliatione: « Ad communionem admittuntur, et offertur eorum nomen nondum pœnitentia facta. » Hieronymus in *Comment. super Exechielem* 18. egregie dicit « Publice Diaconus in Ecclesia offerentium nomina recitat, tantum offert ille, tantum ille pollicitus, placentque sibi ad plausum populi torquente conscientia, damusque materiam miseris, ut gaudeant ad ea quæ tribuunt, et non lugeant ad ea quæ rapuerunt. » Innocentius Papa in illa notissima ad Decentium Eugubinum Episcopum epistola dicit: « Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tum eorum nomina, quorum sunt oblationes edicenda ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ antea præmittimus, ut ipsis in mysteriis viam futuris precibus aperiamus. »

(3. Recitandorum nominum praxis visitur in ipsis Liturgiis Jacobi Apostoli, Basilii, et Joannis Chrysostomi. In harum duabus ultimis hæc habentur. « Diaconus sacram mensam incensat per circuitum, et diptycha tam viventium, quam eorum qui dormierunt, quorum vult. » His adjungo Concilii Emeritensis can. 19. « Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procure offerre; et eorum nomina, a quibus Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his Sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: Quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine. » Magnus Gregorius Papa lib. 2. epist. 37. ad Constantium Mediolani Episcopum rescripsit, nullam ipsi necessitatem incumbere Joannem Ravennæ Episcopum nominandi, cum neque Joannes Constantium ad altare nominare soleat (2).

(4. Acacius Constantinopolis Episcopus hæresi Eutichianæ clam addictus, Zenoni

(1) Diptycha hæ chartæ appellabantur, non quod gemini essent libri, vivorum alter, alter mortuorum, ut existimavit Meursius in suo *Glossario Græcobarbaro*, cum unus idemque liber utrorumque nomina continere potuerit; et solus liber viventium, item solus mortuorum etiam diptychum sint dicta. Dictæ sunt ergo Diptycha chartæ hujusmodi, quod duobus foliis constarent, quemadmodum quæ tribus constabat, *triptycha* vocabantur. Chartas dixi, quod membranacea plerumque diptycha essent; erant tamen interdum eborea, ex profano Consulari Diptycho in Ecclesiasticum usum translata.

(2) Observa diversam fuisse formulam, qua utebatur Celebrans, ac quandoque etiam Populus post Episcopalium nominum recitationem; recitatis quippe cæterorum defunctorum nominibus, Sacerdos pro iis precabatur ea formula, qualis extat in Liturgia, quam Alexandrini S. *Marci* appellant: *et horum omnium animabus dona requiem, Dominator Domine Deus Noster, in Sanctis tuis Tabernaculis.*

Digitized by Google

Augusto edictum (quod vocabatur henoticum) suggesserat, quo universum orbem impensè perturbavit, abrogato Synodi Chalcedonensis contra Eutychianam hæresim decreto : Idemque Petrum Moggum Alexandrinum Episcopum, ipsosque Felicis Papæ III. Legatos in suas partes attraxit et corrupit. Quamobrem Papa Felix Acacium turbarum auctorem communione fidelium amovit, qui vicem rependens Felicis Pontificis nomen ex Ecclesiasticis diptychis erasit anno 484. Mortuo demum Acacio, Gelasius Felicis in Romana sede successor omni studio connixus est, ut perfidi Acacii nomen ex Græcarum Ecclesiarum diptychis obliteraretur, quem pariter conatum prosecuti sunt insequentes Romani Pontifices, Anastasius et Symmachus inani tamen opera. Sed rem demum obtinuit Hormisda Pontifex, Justino fretus religiosissimo Imperatore, sub quo ablatum diuturnum Schisma, et pax inter Orientis et Occidentis Ecclesias felicissime restituta, damnata duorum præcedentium hæreticorum Imperatorum Zenonis et Anastasii memoria, deletisque sacris ex tabulis eorum simul et Acacii, cæterorumque sequacium infaustis nominibus post sex et triginta perniciosi Schismatis annos ab excommunicatione Acacii.

(5. Fidem quoque facit Theodoretus lib. 5. *hist. Eccles.* cap. 34. circa gravissimum dissidium occasione Joannis Chrysostomi, factione Eudoxiæ Augustæ, et Theophili Alexandrini, qui dicto ad Quercum conciliabulo præsidens Chrysostomum injustissime damnaverat, et Episcopatu ejecerat; sed Innocentius Papa innocentis Episcopi suscepta discussaque causa, ipsum conciliabuli decretum abrogavit, atque in exsilio defuncti memoriam honorificè restitui curavit; nec aliter pax inter Orientis et Occidentis Ecclesias studiis divisas iniri potuit, nisi restituto ad sacras tabulas Joannis Chrysostomi nomine (1).

Lectis autem de mortuis Episcopis, clamabat populus : *Gloria tibi, Domine*, quod factum fuit in Concilio Œcumenico quinto.

(1) Hæc sumpsimus ex Cabbassutii diatryba de Diptychis; sedhis consule sig. Heribertum Rosweydum in onomastico sacro *advitas Patrum*, Cl. Senatorem Bonarrotium in *observat. ad vitas Cœmet.* Selvaggium Antiquit. Christian. *l.* 2. *c.* 2. § 6 et 7. cum primisvero amplissimum, eruditissimumque *Thesaurum* a celeberrimis viris Gorio et Passerio editum omnium diptychorum quibus tamen adjungendum erit Cremonense ab egregio Viro P. Allegranza Dominicano illustratum.

E

EBRIETAS.

Vide verbum CLERICUS, *art.* 5, *a num.* 15 *ad* 20, *et verb.* IRREGULARITAS, *art.* 1, *sub num.* 11, *et verbum* GULA, *a num.* 12 *ad* 21. *In talibus enim citatis locis quantum sufficit pertractatum est de hoc titulo.*

ECCLESIA.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Ecclesia in sensu morali capta, quoad ejus esse, et principales notas.*

1. Ecclesiæ nomen quid significet. — 2. Ecclesiæ nomen aliquando sumitur generaliter, aliquando particulariter, et quid utrumque importet. — 3. Affertur vera definitio Ecclesiæ, et explicatur per singulas ejus particulas, *usque ad n.* 9. — 10. Ad hanc Ecclesiam spectant non solum prædestinati, sed etiam reprobi. — 11. Sic etiam ad hanc Ecclesiam spectant non solum justi, sed etiam peccatores. — 12. Ad hanc tamen Ecclesiam non spectant, sed ab ea excluduntur Pagani, Turcæ, Judæi. — 13. Excluduntur etiam Catechumeni. — 14. Item excluduntur Hæretici, et a Fide Apostatæ. — 15. Item excluduntur Schismatici. — 16. Item excluduntur Excommunicati. — 17. Una, et eadem substantialiter et formaliter est Ecclesia Legis gratiæ, Legis naturæ, et Legis scriptæ. — 18. Notæ præcipuæ, per quas vera Ecclesia discernitur a falsis, sunt quatuor : scilicet quod sit Una, Sancta, Catholica, et Apostolica. — 19. Prima veræ Ecclesiæ nota demonstratur, et insinuatur. — 20. Hæc Ecclesia variis Titulis est *Una*. — 21. Secunda nota veræ Ecclesiæ explanatur. — 22. Hæc Ecclesia pluribus Titulis dicitur *Sancta*. — 23. Tertia veræ Ecclesiæ nota, quod scilicet sit *Catholica*, variis rationibus ostenditur. — 24. Quarta veræ Ecclesiæ nota, quod scilicet sit *Apostolica*, variis de causis demonstratur. — 25. Sola Ecclesia Romana Catholica habet notas veræ Ecclesiæ Christi, et in ipsa sola potest obtineri salus, et nullus extra ipsam salvatur. — 26. Ecclesia Romana pro eodem sonat ac universalis. — 27. Summus Pontifex, quamvis non sedeat Romæ, appellatur semper Romanus Pontifex, et sola Ecclesia Romana appellatur Una, Sancta, Catholica, et Apostolica. — 28. Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam Romanam Matrem.

ARTICULUS II. — *Ecclesia quoad ejus Visibilitatem, Indefectibilitatem, et Infallibilitatem.*

1. Ecclesia vera Christi est, et fuit semper absolute visibilis. — 2. Ecclesiam esse visibilem ostenditur etiam evidenti ratione. — 3. Christi Ecclesia visibilis, seu Ecclesia Romana Catholica est indefectibilis, et semper duratura. — 4. Colligitur etiam ex aliis Scripturæ locis. — 5. Colligitur etiam ex variis veteris Testamenti testimoniis. — 6. Ostenditur etiam expresse ex Sanctis Patribus. — 7. Ecclesia Romana Catholica in rebus fidei et morum est infallibilis. — 8. Colligitur etiam ex aliis Evangelicis textibus. — 9. Colligitur etiam ex variis Sacris Canonibus. — 10. Ecclesia Romana Catholica est regula Fidei, et morum in toto mundo. — 11. Sola potest definire causas fidei. — 12. Sola Fides Ecclesiæ Catholicæ Romanæ est ab omnibus tenenda, et non alia. — 13. Non tenens illam Fidem, quam Ecclesia Romana docet, non est in Ecclesia. — 14. Ecclesia Romana dicitur Mater, et Magistra omnium Ecclesiarum. — 15. Ecclesia Romana est etiam caput Ecclesiæ Græcæ. — 16. Romana Ecclesia habet annexum primatum Universalis Ecclesiæ ex institutione, et præcepto Christi Domini. — 17. Affertur, et solvitur instantia. — 18. Fides Apostolica non potest a Romana Urbe divelli, et alio transferri. — 19. Ubi est Papa, ibi est Roma.

Digitized by Google

Articulus III. — ***Ecclesia materialis quoad ejus ædificationem, dotationem et reparationem.***

1. Ecclesia materialis juxta varias ejus classes, varia sortitur nomina, quæ assignantur. — 2. Basilicæ secundum aliquos fuerunt sic appellatæ a Basilio Græcorum Imperatore, qui primus sepultus fuit in Ecclesia. — 3. Secundum alios Basilicæ fuerunt dictæ Ecclesiæ nondum consecratæ. — 4. Verisimilius tamen est solum majores, principaliores, ac digniores Ecclesias vocari Basilicas. — 5. Cathedrales vocantur, quæ sunt sedes Episcoporum. — 6. Collegiatæ sunt illæ, quæ habent communitatem Clericalem, quæ capitulariter congregari, et agere potest et solet cum libero usu sigilli, et arcæ sibi communis. — 7. Matrices ultra Ecclesias Cathedrales sunt illæ, quæ alias Ecclesias aliquo modo sibi subjectas habent. — 8. Filiales dicuntur illæ, quæ per divisionem a Matrice, de novo fiunt, vel alteri subjiciuntur. — 9. Baptismales sunt illæ, quæ habent Fontes Baptismales ubi Parochiani baptizantur. — 10. Parochiales sunt illæ, in quibus populus eisdem deputatus sub certis locorum finibus et limitibus constitutus degit, et unus Rector ad uniuscujusque regimen assumitur cum potestate Fori pœnitentialis. — 11. Parochiales, et Baptismales, ut plurimum tum in Jure, tum in facto confundantur. — 12. Baptismales dicuntur etiam Matrices. — 13. Pro Ecclesia de novo ædificanda requiritur consensus seu licentia Episcopi loci. — 14. Episcopi licentia requiritur etiamsi quis haberet privilegium Ecclesias ædificandi. — 15. Episcopus non debet talem licentiam denegare sine rationabili motivo, alias datur recursus. — 16. Non requiritur talis licentia Episcopi pro ædificando Oratorio privato in propria domo. — 17. Pro ædificanda Ecclesia una cum Monasterio Regularium, ultra consensum Episcopi, requiritur etiam consensus Papæ, maxime in Italia et insulis adjacentibus. — 18. Clemens IV concessit privilegium Fratribus Minoribus, quod prope eorum Ecclesias per spatium 300 cannarum non possint ab aliis Mendicantibus, vel Monialibus cujuscumque Ordinis construi Monasteria, vel Ecclesiæ. — 19. Hoc tamen speciale privilegium Ordini Minorum concessum quoad 300 cannas, censetur revocatum per non usum, et ex variis posterioribus Bullis aliorum Pontificum fuit indefinite quoad omnes Mendicantes reductum ad 140 cannas. — 20. Privilegium 140 cannarum non solum habent Mendicantes contra alios Mendicantes, sed eo utuntur contra omnes cujuscumque ordinis. — 21. Procedit hoc privilegium etiam contra Presbyteros sæculares in communi viventes. — 22. Et etiam contra Ecclesiam Congregationis Laicorum. — 23. Patres Societatis Jesu habent peculiare privilegium, ut possint ædificare intra spatium etiam 140 cannarum prope quemcumque Conventum, seu Ecclesiam. — 24. Privilegium distantiæ 140 cannarum attendendum est etiam in translatione Ecclesiæ, et Conventus. — 25. Per tale privilegium impediri non potest ampliatio Conventus, si jam fuerit legitime erectus. — 26. Secus vero si erectio non fuerit legitime facta, vel fuerit tantum permissa parva Ecclesia. — 27. Tale privilegium distantiæ 140. cannarum locum non habet in Domibus, seu Hospitiis Regularium quæ non habent Ecclesiam publicam, nec etiam in Seminariis. — 28. Privilegium distantiæ 140 cannarum est saltem pluribi usu receptum, nec tollitur per non usum in aliquibus casibus. — 29. Hinc non licet Ordinario contra hujusmodi privilegia aliquid innovare. — 30. Neque hoc privilegium abrogatum censetur per Bullas Clemen. VIII. Greg. XV. Urb. VIII. et Innoc. X. — 31. Privilegium 140 cannarum non esse usu receptum tenent varii; unde videtur in hoc servanda consuetudo cujuscumque loci. — 32. Mensuratio hujusmodi distantiæ 140 cannarum debet fieri per aerem, non autem per terram. — 33. Longitudo cannarum debet esse pro qualibet octo palmorum mensura. — 34. Pro ædificanda Ecclesia requiritur insuper, ut assignetur Dos sufficiens, et congrua pro iis, quæ ad illius reparationem, cultum et ministros sunt necessariæ, alias ædificari nequit. — 35. Si quis absque dotis assignatione Ecclesiam construxerit, obligatur ad eam constituendam eo ipso quod construxerit, et mortuo ædificatore, tenentur ejus Hæredes. — 36. Si Ædificator impotens esset ad dotem constituendam, et Ecclesia fuit ædificata de consensu Episcopi, eamque absque dote, vel absque cautione consecravit, teneretur ipse Episcopus ad ipsam dotem constituendam, etc. — 37. Id tamen Episcopus tenetur facere de proprio sine lesione Ecclesiæ. — 38. Cappella potest erigi sine dote. — 39. Dummodo tamen non adsit in ea speciale Beneficium erectum, aut aliquod onus impositum, alias esset assignanda dos juxta onus. — 40. Dos assignanda Ecclesiæ debet esse competens, et sufficiens pro ipsius Ecclesiæ Ministris, Luminariis, aliisque necessariis, et pro cognoscenda sufficientia dotis, potest etiam respectus haberi ad decimas oblationes, etc. — 41. Pro cognoscenda sufficientia dotis novæ Ecclesiæ Regularium ædificandæ, debent hodie attendi Decreta Sacræ Congregationis Concilii jussu Urbani VIII. edita etc. — 42. Pro ædificanda Ecclesia requiritur ulterius, ut ipsa Ecclesia noviter ædificanda non vergat in præjudicium alterius Ecclesiæ, præsertim Parochialis. — 43. Hinc si ab Episcopo permittatur ædificatio Ecclesiæ in præjudicium Parochialis, potest Parochus se opponere, et a licentia concessa appellare. — 44. Si tamen in licentia concessa sint ab Episcopo reservata Jura Parochialia, tunc nec requiritur consensus Parochi, nec ipse Parochus potest contradicere, et ædificationem impedire. — 45. Referuntur ad hoc varia Decreta, *usq. ad n.* 50. — 51. Antequam ædificetur Ecclesia, debet Episcopus accedere ad locum, ubi ipsa Ecclesia ædificanda est, et ibidem publice Atrium designare, Crucem figere, et primum lapidem ponere. — 52. Potest autem Episcopus per alium Crucem figere et primum lapidem ponere. — 53. Pro Ecclesia ædificanda, sive amplianda potest cogi vicinus ad vendendam domum vel alium situm. — 54. Domum vicinam cogitur quis vendere, etiamsi non fuerit contigua Ecclesiæ sed via publica adfuerit media. — 55. Domus vicina compellitur vendi pro ædificanda, amplianda, et reparanda Ecclesia, etiamsi fuerit perpetui fideicommissi, aut majoratus. — 56. Immo conclusio procedit, etiamsi Domus fuerit alterius Ecclesiæ, aut alterius causæ piæ. — 57. Ad hoc ut quis teneatur Domum vel alium situm vendere pro ædificanda, amplianda, vel reparanda Ecclesia quatuor conditiones requiruntur. — 58. Prima est, quod solvatur justum pretium. — 59. Secunda est, quod adsit necessitas. — 60. Tertia est, quod Domus sit contigua, et aliis vicinior. — 61. Quarta est, quod talis venditio non fiat cum magno incommodo vendentis, et parvo commodo Ecclesiæ ædificantis. — 62. Si ista concurrant qui habet Domum vicinam, potest cogi ad venditionem, sin minus nequaquam. — 63. Pro reparanda corruente Ecclesia standum est specialibus locorum consuetudinibus. — 64. Nulla speciali consuetudine in loco existente, Ecclesia debet reparari de suis reditibus. — 65. Si Ecclesia nullos habet reditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare tenetur, si sit Parochialis, proprius Parochus. — 66. Et si Ecclesia non sit Parochialis, ad eam reparandam tenentur in ea Beneficium habentes. — 67. Si Ecclesia nullos reditus habeat, et Beneficiati non nisi necessaria, vel aliqua quidem superflua, sed ad reparationem insufficientia percipiant, tunc ad Ecclesiam reparandam tenentur Patroni, et Parochiani, qui in illa Sacramenta, et alia Divina percipiunt. — 68. Ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis tenetur solus Episcopus, si tamen habeat reditus superfluos, et ipsa Ecclesia non habeat spe-

Digitized by Google

ciales reditus pro fabrica, et non adsit legitima consuetudo in contrarium. — 69. Si episcopus reditus superfluos non habet, tunc ad reparationem tenentur, et compelli possunt Canonici superfluos reditus habentes. — 70. Si nec Episcopus, nec Canonici habent reditus superfluos, aut sufficientes ad reparationem, tunc Episcopus una cum Capitulo posset compellere alios inferiores Clericos ad contribuendum de suis superfluis reditibus, vel etiam posset deputare fructus Beneficiorum pro reparatione ipsius Ecclesiæ. — 71. Qui tenentur ad reparationem Ecclesiæ tenentur etiam ad reparationem ædium Rectoris Ecclesiæ. — 72. Immo supradicti (deficientibus Ecclesiæ reditibus, et contraria non extante legitima consuetudine) tenentur etiam ad procuranda, et reparanda paramenta, et ornamenta Ecclesiastica. — 73. Ad hæc, et similia adducitur recens decretum. — 74. Ecclesiæ olim quando ædificabantur, caput illarum, seu Altare majus respiciebat partem orientalem. — 75. Nec sine suis congruentiis erigebantur sic Ecclesiæ versus Orientem. — 76. Adducitur prima congruentia. — 77. Adducitur secunda congruentia. — 78. Adducitur tertia congruentia. — 79. Adducitur quarta congruentia.—80. Hic modus erigendi Ecclesias, licet sit congruentior, non est tamen omnimo necessarius. — 81. Forma Ecclesiarum, qua a principio ex Apostolorum traditione utebantur Christiani, semper eadem fuit, longa nimirum, et in Navis speciem.—82. Ecclesia in tres partes, seu mansiones distribuitur. Prima pars Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum appellatur; Secunda, Chorus; Tertia, Navis. — 83. Sacrarium, sive presbyterium, sive sancta Sanctorum est ea mansio, quæ ab Altari majori vergit versus Ecclesiam. — 84. Quare appelletur Presbyterium. — 85. Presbyterium est nobilior pars Ecclesiæ. — 86. Quare appelletur Sancta Sanctorum. — 87. Quare appelletur Sacrarium. — 88. Secunda Ecclesiæ pars appellatur Chorus; et unde sit dictus, *usque ad numer.* 89. — 90. Mos alternatim Psalmos canendi quando inceperit, *usque ad num.* 91. — 92. Tertia Ecclesiæ pars appellatur Navis deserviens pro receptaculo laicorum Divinis assistentium. — 93. In hac parte Ecclesiæ olim Mares a Fœminis separati constituebantur, Mares in dextera Navis parte, et Fœminæ in sinistra. — 94. Et hoc fuit constitutum ab ipsismet Apostolis. — 95. 102. Quædam illustranda circa obligationem, qua tenetur vicinus vendendi domum vel alium situm pro ædificatione vel ampliatione Ecclesiæ. — 103. 114. Alia de reparatione Ecclesiæ. — 115. 124. De illis qui ad reparationem tenentur.

ARTICULUS IV. — *Ecclesia quoad ejus Consecrationem, Exsecrationem, et Reconciliationem.*

1. Consecratio Ecclesiæ quid sit. — 2. Solus Episcopus loci de Jure communi potest Ecclesiam consecrare. — 3. Episcopus debet esse proprius illius Diœcesis, in cujus finibus sita est Ecclesia consecranda. — 4. Non potest Episcopus in Diœcesi aliena consecrare Ecclesiam absque permissione proprii Episcopi. — 5. Episcopus consecrans Ecclesiam in aliena Diœcesi absque permissione proprii Episcopi suspenditur per annum ab exercitio Pontificalium, et a celebratione Missarum. — 6. Consecratio tamen Ecclesiæ facta ab Episcopo in aliena Diœcesi sine permissione proprii Episcopi remanet valida. — 7. Episcopus non potest delegare potestatem consecrandi Ecclesias simplici Sacerdoti, sive non Episcopo. — 8. Regulares habent privilegium benedicendi solemniter proprias Ecclesias, ut possint in ipsis Missæ celebrari ac si ab Episcopo essent consecratæ. — 9. Insuper Regulares habent privilegium, ut quilibet alius Episcopus possit consecrare suas Ecclesias, quoties Episcopus Diœcesanus ab ipsis debito modo requisitus noluit consecrare, aut id facere distulerit ultra quatuor menses. — 10. Tale privilegium non est revocatum per Conc. Trid. — 11. Ecclesiæ consecrari possunt qualibet die etiam non Festiva. — 12. Non possunt tamen Ecclesiæ consecrari nisi inter Missam. — 13. Hinc Episcopus peccat, si absque celebratione Missæ Ecclesiam consecret. — 14. Consecratio tamen remanet valida. — 15. Ecclesiæ Cathedrales, et Parochiales cum majoribus saltem Altaribus intra Annum in Civitatibus, et in Diœcesibus intra biennium post earum restaurationem sunt ab Episcopo consecrandæ. — 16. Ecclesia semel consecrata non est iterum consecranda. — 17. Si tamen ignoretur, aut dubitetur, an fuerit consecrata, nec ne, tunc est consecranda. — 18. Ecclesia non est consecranda, nisi prius ei de dote competente provisum fuerit. — 19. Ecclesia ex toto, vel ex majori parte simul destructa exsecratur, et indiget nova consecratione, licet ex eadem materia reædificetur. — 20. Si Ecclesia per partes successive deficiens, paulatim per partes statim reficitur, non indiget nova consecratione, quamvis tota Ecclesia successive per partes ita destruatur, et reficiatur, ut nulla pars de primo ædificio supersit. — 21. Unde in tali casu sufficiet, si nova pars aquæ benedictæ aspersione exorcizetur. — 22. Si non tota Ecclesia, nec major, sed solum aliqua minor pars ejusdem, v. g. tectum corruat, parietibus adhuc illæsis, non indiget nova consecratione. — 23. Si Ecclesia ita igne comburatur, ut parietes interiores ex toto, vel ex majori parte sint devastati, vel abrasi, quamvis non corruant, indiget nova consecratione. — 24. Quando Ecclesia ampliatur si nova pars addita sit minor veteri remanente, non indiget nova consecratione, sed sufficit quod pars nova aquæ benedictæ aspersione exorcizetur. —25. Si vero pars nova esset major veteri remanente, tunc Ecclesia esset denuo consecranda. — 26. Ecclesia pluribus casibus, et modis polluitur, ita ut indigeat reconciliatione. Primus est, quando in ea sanguis humanus in quantitate notabili per voluntariam, injuriosam, et graviter peccaminosam actionem effunditur. — 27. Ad hoc ut Ecclesia polluatur, sanguis effusus debet esset humanus. — 28. Ecclesia efficitur polluta, sive proprius sive alienus sanguis in ipsa effundatur. — 29. Sanguinis effusio, ut polluat Ecclesiam debet esse in quantitate notabili. — 30. Et tanto minus diceretur polluta, si nullus effluereret Sanguis, quamvis in ipsa quis summa cum injuria graviter verberaretur, etc. — 31. Immo Sanguinis effusio, quamvis sit copiosa, non sufficit, ut Ecclesia sit polluta, nisi sit causata per percussionem graviter peccaminosam. Si enim percussio fuerit levis, quamvis sanguis copiose effundatur, non ideo erit polluta Ecclesia. — 32. Si Sanguis copiose effluat de naso ex percussione violenta inter majores quatuordecim annorum, tunc efficitur polluta Ecclesia. — 33. Effusio sanguinis ad hoc ut inducat violationem Ecclesiæ debet esse plene voluntaria. — 34. Debet insuper talis effusio sanguinis ad hoc ut violet Ecclesiam, esse injuriosa. — 35. Ut Ecclesia violetur, requiritur ulterius, quod effusio sanguinis copiosi causetur in ipsa Ecclesia. — 36. Secundus casus, quo polluitur Ecclesia est, quando in ea committitur voluntarium, et injuriosum homicidium, sive respectu sui, sive respectu alterius, quamvis sanguis non effundatur. — 37. Ad hoc ut per homicidium polluatur Ecclesia, debet tale homicidium esse voluntarium, et injuriosum, quia ob causale homicidium vel factum sine alterius injuria ob justam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non violatur Ecclesia. — 38. Violatur tamen Ecclesia per mortem reo illatam in ipsa ex sententia Judicis. — 39. Non violatur autem Ecclesia, si idem Judex, aut quivis alius super ipsius Ecclesiæ tectum, vel ex ejusdem parietibus hominem suspendat. — 40. Si quis extra Ecclesiam mortale vulnus recipiat, et postea ratione ejusdem vulneris moriatur intra Ecclesiam, non violatur per hoc Ecclesia. Secus vero e contra. — 41. Si quis existens intra Ecclesiam

Digitized by Google

occidat jaculo hominem existentem extra ipsam, non violatur per hoc Ecclesia. Secus vero e contra. — 42. Adducitur, et solvitur objectio, *ad n.* 43. — 44. Ecclesia violatur, si quis in ipsa pro defensione Fidei homicidium, et ita Martyrium intra Ecclesiam patiatur. — 45. Tertius casus, quo polluitur Ecclesia est; quando humanum semen in Ecclesia criminose, voluntarie, et notorie est effusum, sive sit hominis, sive mulieris, sive hæretici, aut infidelis, etc. — 46. Non violat Ecclesiam seminis effusio facta in somnis. — 47. Nec violatur Ecclesia per pollutionem, quam quis invitus patitur, nec per menstruum fœminarum decidens. — 48. Nec violatur Ecclesia per seminis effusionem etiam voluntarie factam supra tectum Ecclesiæ, vel subtus Ecclesiam in aliqua caverna aut in aliqua Cella, vel Choro, Sacristia, Campanili, Tribuna, et Confessario extra Ecclesiæ corpus. — 49. Violatur tamen Ecclesia per copulam conjugalem, si in ipsa Ecclesia habeatur extra necessitatem. — 50. Non violatur autem, si in ipsa habeatur copula in casu necessitatis. — 51. Quartus casus, quo polluitur Ecclesia est, quando in ea sepelitur aliquis excommunicatus vitandus, aut infidelis. — 52. Ecclesia polluitur per sepulturam infidelis, etiamsi talis esset infans. Immo probabiliter polluitur etiam per sepulturam infantis non baptizato filio parentum fidelium. — 53. Probabilis tamen est etiam contraria sententia de infante non baptizato filio parentum fidelium. — 54. Si in Ecclesia fuerint sepulti hæretici non denunciati nominatim, etiamsi alias notorii, non censetur violata Ecclesia. — 55. Sic nec violatur Ecclesia per sepulturam ejus qui in duello decessit, nisi denunciatus fuerit. — 56. Omnes supra recensiti casus, in quibus fuit dictum pollui Ecclesiam, requiritur quod sint publici seu publice innotuerint. — 57. Si vero tales casus ab initio occulti, postea publice innotescant, ex eo tempore debet Ecclesia haberi pro polluta, et necessario debet reconciliari. — 58. Effectus violationis Ecclesiæ sunt, et assignantur. — 59. Si quis in Ecclesia publice polluta Missam celebrat, aut peragit Divina Officia, aut defunctum sepelit, peccat quidem mortaliter, irregularis tamen, aut suspensus non efficitur. — 60. Si Sarcerdos sciat, solum ex Sacramentali Confessione Ecclesiam esse pollutam, poterit in ea licite celebrare, neque opus est aliqua reconciliatione. — 61. Quando in actu celebrationis Missæ violatur publice Ecclesia, si id contigerit ante Canonem, est statim a sacrificio cessandum; secus post Canonem. — 62. Polluta Ecclesia polluitur etiam Cœmeterium ei contiguum. Secus si remotum fuerit ab eadem. — 63. Polluto autem Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, non polluitur Ecclesia. — 64. Quando sunt plura Cœmeteria, polluto uno Cœmeterio, aliud illi contiguum non polluitur, licet per portam de uno in aliud detur ingressus. — 65. Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ si prius fuerat consecrata, non potest fieri ab alio quam ab Episcopo Diœcesano, vel de ejus consensu ab alio Episcopo. Nec ab Episcopo Diœcesano potest ad hoc delegari simplex Sacerdos. — 66. Afferuntur ad hæc varia Decreta. — 67. Ex privilegio, seu commissione summi Pontificis reconciliatio Ecclesiæ pollutæ potest fieri etiam a simplici Sacerdote. — 68. Et de facto Prælati Regulares habent tale privilegium reconciliandi Ecclesias sibi subjectas, quomodocumque violatas, etiamsi prius consecratas; aqua quidem per ipsos benedicta, si Episcopus distet ultra duas dietas, alias debent uti aqua per Episcopum benedicta. — 69. Dicto privilegio reconciliandi Ecclesias aqua per ipsos benedicta possunt uti Regulares non solum quando Sedes Ordinaria Episcopi distat duabus dietis ab Ecclesia polluta, sed etiam quando Episcopus taliter distat ratione suæ absentiæ, vel abest causa mortis, renunciationis, depositionis, exsilii, etc. — 70. Quælibet dieta continet 20. milliaria Italica. — 71. Si Ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta, reconciliari potest per quemlibet simplicem Sacerdotem per solam aquæ lustralis aspersionem. — 72. Neque requiritur quod aqua pro reconcilianda Ecclesia non consecrata sit per Episcopum benedicta. — 73. Cœmeterium consecratur, et reconciliatur iisdem modis, et ab iisdem, quibus consecratur, et reconciliatur Ecclesia. — 74. 78. Cur Ecclesia semel solemni ritu consecrata, denuo consecrari nequeat. — 79. 84. Quomodo possit constare de consecratione Ecclesiæ. — 85. 86. De ritibus consecrationis. *Remissive.*

ARTICULUS V. — *Quoad varia miscellanea Ecclesiam concernentia.*

1. In Ecclesia servitus, prospectus, vel transitus haberi non potest sine Indulto Apostolico. Et sic nec Cryptæ, et aditus subterranei ad ipsam. — 2. Hoc indultum sæpe petentibus denegatur. — 3. Talis prohibitio vim habet etiam in eo qui habet januam correspondentem in Domo Parochi Ecclesiæ contigua. — 4. Immo nequidem Ducibus et Marchionibus id permitti potest. — 5. Unde non debet Ordinarius permittere, ut ab Ecclesiis sit ingressus, transitus, et prospectus in privatas ædes neque super Ecclesias esse cameras etc. — 6. Nisi tamen in limine fundationis Ecclesiæ Fundator, seu aliquis insignis Benefactor sibi reservaverit jus habendi prospectum, seu ingressum in ipsam. — 7. Sedilia proponere in Ecclesiam nemo potest absque facultate Rectoris Ecclesiæ, et invito Episcopo, et si ab aliquibus apponantur, possunt a Rectore, et Episcopo removeri. — 8. Ex tolerantia tamen vel licentia Episcopi, sed Rectoris Ecclesiæ possunt Laici acquirere Jus retinendi sedilia in Ecclesia, non quoad dominium vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum Rectoris et Episcopi. — 9. Hinc non possunt Laici prædicta sedilia, seu scamna, aut eorum partem, seu eorumdem usum, locum, aut situm aliis cedere, donare, aut quoquomodo concedere, nisi Episcopi consensus accedat. — 10. Consensus Episcopi non requiritur expressus, sed sufficit tacitus. — 11. Unde non potest Episcopus, sicut nec Rector Ecclesiæ Laicis auferre hujusmodi jus, si ab initio passus est eos habere, seu retinere Sedile in aliquo Ecclesiæ loco. — 12. Nisi sic exposceret servitium, vel commodum Ecclesiæ, vel Laicus prætenderet habere illud Jus, quoad proprietatem. — 13. Quando lis est inter privatos, super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione absque novitate. — 14. Locus in Ecclesia possessus videntibus, et patentibus Rectore, toto Clero, et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita præscribitur per immemorabile. — 15. Adeoque nemini permittitur in præjudicium hujusmodi Juris quæsiti ponere novam sedem ante veterem. — 16. Nec potest poni nova sedes ante veterem etiamsi sedes vetus non amoveatur a suo antiquo situ, sed ea intacta assignetur alteri locus ante illam. — 17. Neque hoc casu prævalet oblatio facta, per assignatarium Ecclesiæ pauperi. — 18. Ex consuetudine sedendi in certo loco ratione præeminentiæ, interdicta censetur situatio cujuscunque alterius sedis, ex qua præjudicium præeminentiæ primi inferatur. — 19. Dummodo tamen locus primus assignati in communi hominum æstimatione reputetur aliorum hominum primus, ita ut consuetudo inibi sedendi suum operari non possit effectum præeminentiæ si alteri designetur locus, qui reputari possit honorificentior. — 20. Et dummodo primus assignatarius cum Jure sedendi in certo loco acquisiverit etiam Jus prohibendi, ne alius loco superior alteri assignari possit. — 21. Jus autem sic prohibendi, ut acquiritur, requiritur, quod Ecclesia, vel quilibet alius interesse habens acquieverit prohibitioni. — 22. Ex simplici enim consuetudine sedendi in certo loco non infertur ad Jus prohibendi ne alteri in diverso, et etiam præstantiori concedatur Sedes, et sepultura. — 23. Neque hoc modo præjudicatur

Digitized by Google

habendi certum locum in Ecclesia, ut pro esset si a loco jam quæsito amoveretur. — 24. Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum etiamsi amovens esset Administrator. — 25. Si antiqua forma Ecclesiæ immutetur in aliam structuram, sedilia Laicorum in illa existentia, reponi debent eodem ordine quo reperiebantur ante immutationem fabricæ, vel in loco æque digno. — 26. Jus habendi talia sedilia, vel sepulcra in Ecclesia concessum alicui familiæ vel descendentibus, exstincta familia transit ad hæredes extraneos, nisi taxative concessum fuisset illis de familia duntaxat, vel solis descendentibus. — 27. Sedilia non possunt in Ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora oriantur. — 28. Strata ad Ecclesias sibi deferri facere, nemini sub gravibus pœnis licere declaratur, exceptis duntaxat Personis Regalibus. — 29. Affertur decretum generale Sacr. Rit. Congr. prohibens laicis osculum Evangeliorum intra missam, usum Baldachini in Ecclesiis, et assistentiam in Presbyteriis. — 30. Affertur quoad hoc aliud Decretum generale. — 31. Hinc eadem Sacra Congregatio mandavit aptandum esse locum Magistratui extra Presbyterium juxta designationem porrectam a Magistro Cæremoniarum, non obstante quod Magistratus reperiatur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. — 32. Magistratus Laicus non potest in Ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus. — 33. Afferuntur quoad hæc varia resoluta dubia. — 34. Afferuntur quoad hæc et alia varia decreta. — 35. Quæ decreta, non obstante quod partes reclamarent, fuit sancitum esse omnino observanda. — 36. Qualis honor debeatur Prælato Præsidi Provinciæ declaratur. — 37. Dedicationis Ecclesiæ Festum potest ab Episcopo ex justa causa transferri in alium diem magis congruum ab evitandam concurrentiam alienorum Officiorum. — 38. Sanctis antiqui testamenti possunt dedicari Ecclesiæ. — 39. Musica est de Jure permissa in Ecclesia. — 40. Episcopus potest prohibere, quod in Ecclesia non canantur in Musica nisi verba sacra, devota, et Ecclesiastica. — 41. Episcopus potest prohibere non obstante quacunque in contrarium consuetudine, ne in Ecclesiis, et Oratoriis publicis canatur Musica, lingua vernacula, quantumvis cantiunculæ, et verba spiritualia sint. — 42. Episcopus non potest prohibere Musicis, neque Officialibus Ecclesiarum, quod Musicam non canant nisi vocato Magistro Capellæ Cathedralis. — 43. Est decretum generale S. C. esse tolerandam Musicam in Ecclesia exteriori Monialium præsertim in quibusdam Festis principalibus, ubi est talis consuetudo, ubi vero consuetudo non adest, non esse de novo concedendam. — 44. Propter Ecclesiæ reverentiam possunt expelli artifices prope illam obstrepentes, ac Personæ infames, et sordidæ ejus Divina Officia perturbantes. — 45. Stabulum prope Ecclesiam construi prohibetur. — 46. Competit Ecclesiæ privilegium removendi stabulum, aliave loca sordida, tam ratione fœtoris, quam indecentiæ. — 47. Et præcipue si supra stabulum sit etiam ædificatum fœnile, quod sit contiguum, vel annexum Ecclesiæ, vel Monasterio. — 48. Datur hic Epistola Encyclica ad universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et alios Italiæ, Insularumque adjacentium Ordinarios jussu Clementis XI conscripta, qua illis veneratio, ac reverentia Ecclesiis debita impensissime commendatur. — 49. An possint in Ecclesiis fieri ludi Theatrales, et Repræsentationes, seu comœdiæ? *ad. n.* 52. — 53. 55. Citantur Auctores de Juribus honorificis, quæ in Ecclesia Laicis præstari debent.

ARTICULUS VI. — *Ecclesia quoad ejus naturam, status varios, prærogativas ac regiminis formam.*

1. 11. Generalis Ecclesiæ notio. — 12. 14. Ecclesia Christi dupliciter sumi potest, secundum latam, et strictam significationem. — 15. 18. De Ecclesia priori modo accepta. — 19. 23. Divinæ Providentiæ cura in regenda Ecclesia in statu legis naturæ. — 24. 31. Et in statu legis scriptæ. — 32. 42. Novatorum hæreses circa definitionem Ecclesiæ stricte sumptæ. — 43. De Notis Ecclesiæ. — 44. 52. Ecclesia est Visibilis. — 53. 55. Notæ Ecclesiæ sunt omnibus obviæ. — 56. Ecclesia est Una. — 57. Sancta. — 58. Catholica. — 59. Apostolica. — 60. 67. Quatuor istæ Notæ in sola Romana Ecclesiæ conspiciuntur. — 68. 72. Quænam reperiantur in Ecclesia. — 73. 76. De iis, quos Ecclesia e sinu suo excludit. — 77. 79. De Ecclesiæ indefectibilitate. — 80. 83. — De Infallibilitate. — 84. De Primatu Romani Pontificis.

ARTICULUS VII. — *Ecclesia materialis quoad ejus antiquitatem.*

1. De Origine Ecclesiarum. — 2. Christiani initio habuere loca ad res divinas peragendas determinata. — 3. Alexandri Severi tempore publicam Ecclesiam habuerunt Christiani. — 4. Diluuntur difficultates. — 5. De antiquissimo ornamentorum usu in Christianorum templis.

Ecclesia potest capi dupliciter, scilicet in sensu morali, prout nempe significat Cœtum, Conventum, Collectionem, aut Congregationes hominum, quo sensu Ecclesiam sæpe accipit Scriptura, ut *Psal.* 25. *Odivi Ecclesiam malignantium*, et *Psal.* 88. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*, et *Matthæi* 5. *Convenit Ecclesia magna*, et *ad Romanos* 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ*, et alibi passim, quo sensu etiam cuncti Fideles sub uno in Terra Capite, id est Papa, existentes vocantur Ecclesia, ut patet in cap. *Ecclesia* 7. *de consecrat. dist.* 1. ibi: *Ecclesia, id est Catholicorum Collectio*. Et potest capi pro ipsa Ecclesia materiali, scilicet pro Templo aliquo manufacto, seu Æde publica cultui Divino deputata, in quo Fideles ad colendum, et invocandum Deum, Divina administranda et percipienda conveniunt. Unde de Ecclesia utroque hoc modo sumpta breviter erit sermo, et in primis de Ecclesia in sensu morali capta.

ARTICULUS I.

Ecclesia in sensu morali captâ, quoad ejus esse, et principales notas.

(1. Ecclesia est nomen græcum, quod significat evocationem, seu cœtum vocatorum. Hinc usurpatur a nobis ad significandum cœtum Fidelium, et aptissime nomine vocationis cœtus Fidelium appellatur, quoniam ad cœtum Fidelium nemo se instinctu proprio adjungit, sed Cœlesti admonitus vocatione. Ecclesiæ nomen aliquando sumitur generaliter, aliquando particulariter. (2. Nomen Ecclesiæ sumptum generaliter est quid commune ad Ecclesiam *Triumphantem*, quæ est cœtus in Cœlis regnantium, sive hominum, sive Angelorum; ad Ecclesiam *Patientem*, quæ est Congregatio hominum in igne pro purgandis peccatorum reliquiis probatorum; et ad Ecclesiam *Militantem*, quæ est adunatio Christianorum contra salu-

Digitized by Google

tis hostes pugnantium. (3. Nomen Ecclesiæ sumptum particulariter significat tantum Christi Ecclesiam Militantem; et Ecclesia sic sumpta, de qua solum in præsenti est sermo, sic definitur : (4. « Ecclesia est Congregatio, seu Cœtus visibilis Baptizatorum sub uno Capite Christo in Cœlis, et Romano Pontifice ejus Vicario in Terris, inter se in eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione, colligatorum (1). » Est in re *communis*. Dicitur primo, *Congregatio*, seu *Cœtus visibilis*, quia ut dicitur in *Ps.* 18. *In sole posuit Tabernaculum suum*, quod ibi de Ecclesia intelligit S. Augustinus dicens : « In sole posuit Tabernaculum suum, hoc est in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. » Et idem habet in *Epistola* 166. *ad Donatistas*. « Ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione, omnibus nota, usque ad terminos terræ. » (5. Dicitur secundo, *Baptizatorum*, quia nullus est Ecclesiæ membrum, aut intrat Ecclesiam, nisi per Baptismum, qui est porta unica, et omnibus communis. (6. Dicitur tertio, *sub uno Capite Christo*, quia Deus *ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, ad Ephes.* cap. 1, et cap. 5. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*. (7. Dicitur quarto, *et Romano Pontifice ejus Vicario*, quia solus Romanus Pontifex est verus Christi Vicarius, et contraria opinio Lutheri fuit tamquam hæretica proscripta a Leone X. Constitut. incip. *Exsurge*, et est Lutheri error 25. ibi : « Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro constitutus : » tum quia ipsi in persona Petri dixit Christus Joan. 21. *Pasce Oves meas*, et licet spectet etiam ad hos Episcopos, aliosque Pastores regere Ecclesiam, hoc tamen est cum subordinatione ad Romanum Pontificem. (8. Dicitur quinto, *in eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione*, quia sicuti Ecclesiæ membra sub uno, et eodem Capite nempe Christo vivunt, sic eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione debent ipsum colere. (9. Dicitur sexto et ultimo, *inter se colligatorum*, quia non sufficit ad veram Congregationem, seu Cœtum, qualis est Ecclesia, sola multitudo, sed requiritur insuper aliqua communicatio per preces, Charitatem, etc., ut verificetur Sanctorum Communio.

(10. Ad hanc Ecclesiam spectant non solum prædestinati, ut prætendunt Wiclefistæ, Hussitæ, et Calvinistæ, sed etiam reprobi, cum isti, sicut illi, possint Christi Fidem profiteri sub uno Capite, et de facto Christus, *Joan.* 10. *Ecclesiam comparavit Ovili, in qua sunt Oves, et hædi : et Matthæi* 13, ipsam Ecclesiam comparavit Agro, *in quo est bonum semen, et zizania;* Item *Matthæi* 25. Ipsam comparavit decem Virginibus, ex quibus erant quinque prudentes, et quinque fatuæ, ex quibus dantur intelligi prædestinati, et reprobi. (11. Sic etiam ad hanc Ecclesiam spectant non solum justi, et perfecti, qui nullum habent peccatum, ut prætendunt Pelagiani, sed etiam ipsimet peccatores, quia per hoc, quod aliqui peccent peccato furti, homicidii, et hujusmodi, non rejiciunt propterea fidem Christi, aut Ecclesiæ subjectionem.

(12. Ad hanc tamen Ecclesiam non spectant, sed ab ipsa excluduntur Pagani, Turcæ, Judæi, qui numquam ad veram Fidem venerunt; unde Apostolus 1. *Ad Corinth.* cap. 5, ait : *Quid mihi de his qui foris sunt judicare? id est de infidelibus.* (13. Excluduntur etiam Catechumeni, qui licet sint Fideles possintque, si sic moriantur, salvari ratione Baptismi in Voto; tamen cum nondum Baptismum receperint, inter actualia Ecclesiæ membra non numerantur, quia juxta Concilium Florentinum, et Sanctos Patres, homines fiunt de corpore Ecclesiæ, cum baptizantur; unde Catechumeni non ligantur Ecclesiæ Constitutionibus, et si revertantur ad Paganismum, aut Hebraismum, non possunt ut Apostatæ haberi, ac puniri. (14. Item excluduntur Hæretici, et a Fide Apostatæ; cum enim ipsi veram fidem non profiteantur, nequeunt esse de corpore Ecclesiæ, quæ est Congregatio Fidelium ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter, de Summa Trinitate* : et ideo in Concilio Nicæno cap. 8, dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redeant, quod signum est manifestissimum ab ea fuisse separatos. Et quamvis Ecclesia possit ipsos judicare, et punire, hoc non est, quia sint sua membra, et de suo corpore, sed quia debent esse, uti jam fuerunt, et ab ea sponte, et culpabiliter recesserunt. (15. Item excluduntur Schismatici, quia, licet idem credant, ac nos, ubi non sunt præcise Schismatici, per hoc tamen, quod unionem non habent cum capite, nec locum habere possunt in corpore. Hinc Ecclesia in die Parasceve orat pro Hæreticis et Schismaticis, ut Deus ad Ecclesiam eos revocare dignetur. (16. Item excluduntur Excommunicati, quia ex quo privantur omni commercio spirituali, quod habent Ecclesiæ membra inter se, non cen-

(1) Non displiceret, si in hac definitione adderetur, *et legitimorum Pastorum regimine;* immo probarem maxime, quod mentio hæc *Pastorum*, a quibus Ecclesia *regatur*, ac præcipue Romani Pontificis Launojum videam in Epistola ad Nicolaum Gatinæum offendi, veluti re, de qua, ait, silere quotquot a Christo ad Concilium usque Tridentinum, et a Tridentino ad ætatem usque Bellarmini, et Cardinalis Ecclesiam definiere, aut describere : *istud enim*, inquit ille, *Pastorum regimen ad statum Ecclesiæ pertinet, non vero ad Ecclesiæ naturam, et essentiam.* Sed egregie fallitur; militantis enim in præsenti statu Ecclesiæ tradenda nobis definitio est, quam Lutherani et Calviniani suis cœtibus, et synagogis Satanæ accommodare nequaquam possint; neque ulla definitionis hujusmodi pars minus ab illis usurpari posset, quam quæ legitimorum Pastorum sub uno Capite Romano Pontifice mentionem ingerit. Adde, Bellarmino, et cæteris hac in re aperte præivisse S. Cyprianum Ep. 69, *ad Pup.* ubi Ecclesiam definit *Plebem sacerdoti adunatam, et Pastori suo gregem adhærentem. Vide* Tournelium *de Eccl.* q. 7, art. 2. (Edit. Barmel.)

Digitized by Google

sentur cum aliis colligati, textu expresso in c. *Omnis* 32, caus. 11, quæst. 3, ibi : « Omnis Christianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, » et S. Augustinus lib. *de unitate Ecclesiæ* c. ult. ait : « Excommunicari est visibiliter præscindi ab Ecclesia. »

(17. Una, et eadem substantialiter, et formaliter est Ecclesia Legis gratiæ, ac Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ. Est communis inter Catholicos. Et ratio est, quia unum, et idem objectum Fidei, Christus nimirum, semper fuit ab exordio mundi creditum usque ad præsens, et credetur ad usque consummationem sæculi; cum hac solum differentia, quod juxta diversitatem temporum magis, et minus explicite creditum fuerit hoc unum, et idem objectum Fidei; magis enim explicite fuerunt multa credita tempore Legis scriptæ, quam tempore Legis naturæ, et magis explicite plura creduntur tempore Legis gratiæ, quam tempore utriusque, et Legis naturæ scilicet, et scriptæ ita crederentur, ut egregie ad rem habet S. Augustinus *in tract. 45 in Joan.* n. 9, ibi : « Ante adventum Domini Nostri Jesu Christi, qui humilis venit in carne, præcesserunt justi; sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non Fides, quia et ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur; alium sonum habet *venturus est*, alium sonum habet *venit*, mutatus est sonus *venturus est, et venit*, eadem tamen Fides utrosque conjungit, et eos, qui venturum esse, et eos, qui venisse crediderunt, diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum Fidei Ostium, hoc est per Christum videmus ingressos » et ad hoc propositum adducit Apostol. 2 *ad Corinth.* 4, dicentem : *Habentes eumdem spiritum Fidei;* adeoque una, et eadem substantialiter, et formaliter est Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ, ut clare etiam constat ex diversis statibus vitæ hominis; sicut enim est idem numero homo, et quando est infans, et quando adolescens, et quando juvenis, et usque ad finem vitæ; sic eadem omnino est Ecclesia in diversis statibus eamdem substantialiter, et formaliter identitatem servans cum Ecclesia Legis naturæ comparetur infantiæ hominis, Ecclesia Legis scriptæ Adolescentiæ, et Ecclesia Legis gratiæ Juventuti, et maturitati usque ad finem vitæ. Hinc firmiter tenendum est, tres dictas Ecclesias non formaliter, sed materialiter tantum fuisse, et esse distinctas, adeoque unam tantummodo, et essentialiter et formaliter esse, cum quælibet per eamdem Fidem in Christum, sive ante Incarnationem, ut Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ, sive post Incarnationem, ut Ecclesia Legis gratiæ sibi paraverit, et paret aditum ad salutem, ut expresse docet S. August. in *Psalm.* 104, n. 10, ibi : « Non enim quispiam præter istam Fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus Incarnationem, sive postea reconciliatus est Deo. »

(18. Notæ præcipuæ, per quas hæc nostra vera Ecclesia discernitur a falsis, sunt quatuor, scilicet quod sit *Una, Sancta, Catholica, et Apostolica.* Est communis inter Fideles, cum sit articulus Fidei definitus in Conc. Constantinopolitano, et Fidelibus omnibus credendus propositus in Symbolo, quod in Missis recitatur, et habetur etiam expresse in cap. *Unam, Sanctam, de Majorit. et Obed. inter Commun.* ibi : « Unam, Sanctam, Ecclesiam Catholicam, et ipsam Apostolicam urgente Fide credere cogimur, et tenere, Nosque hanc firmiter credimus, et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum. » (19. Prima igitur veræ Ecclesiæ nota est, quod sit *Una*, quod verum est, non solum de Ecclesia Legis gratiæ, sed etiam ut consideratur, ab initio mundi usque ad consummationem sæculorum, ita ut credentium universalitas, quæ fuit in Ecclesia Legis naturæ, et Legis scriptæ, et Legis gratiæ, semper eadem fuerit, et sit essentialiter, ut fuit ostensum sub n. 17. Hanc Ecclesiæ unitatem insinuat Scriptura variis in locis. *Cantic.* 6, dicitur : *Una est Columba mea*, quod de Unitate Ecclesiæ interpretatur S. Aug. *tract.* 6, *in Joan.* ibi : « Quid evidentius, Fratres mei, in Columba Unitas, in linguis gentium Societas... Unde debuit ergo, charissimi, demonstrari Spiritus Sanctus Unitatem quamdam designans, nisi per Columbas, ut pacatæ Ecclesiæ diceretur : Una est Columba, mea? » Et de Ecclesiæ unitate intelligitur etiam in cit. cap. *Unam, Sanctam, de major, et obed. inter commun.* ibi : « Sponso in Canticis proclamante una est Columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ, quia unum Corpus mysticum repræsentat, cujus caput Christus, Christi vero Deus, » et *Ps.* 21, dicitur : *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu Canis unicam meam*, quod de nostræ veræ Ecclesiæ unitate intelligitur in d. c. *Unam, Sanctam*, ibi : « Hanc autem veneramus et unicam, dicente Domino in Propheta, Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam, pro anima enim, id est pro se ipso capite simul oravit, et corpore, quod corpus unicam scilicet Ecclesiam nominavit, » et *Joan.* 10, dicitur *Unum Ovile*, et *Ephes.* 4. dicitur *Unum Corpus.*

(20. Unde hæc Ecclesia variis titulis est Una. Primo est una unitate principii, scilicet Dei vocantis, et Christi fundantis, et ideo dicitur *ad Ephes.* 4. *Unus Dominus.* II. Unitate Capitis, sicut enim unum est Ovile, ita est unus Pastor, ut dicitur *Joan.* 10. III. Unitate conjunctionis, et ideo dicitur 1 *ad Corinth.* 10. *Unum Corpus multi sumus*, et *Act.* 4. *Credentium erat cor unum, et anima una in Domino.* IV. Unitate Fidei, ut habetur *ad Ephes.* 4. *Una Fides*, et ibid. *Donec occurramus omnes in Unitatem Fidei.* V. Unitate mediorum ad hæreditatem Fideles perducentium, tum internorum, quæ sunt Fides, Spes, Charitas, tum externorum, quæ sunt Sacramenta, et ideo *ad Ephes.* 4. Dicitur *Unum Baptisma*, quod est reliquorum janua, et fundamentum. VI. Unitate Sacri-

Digitized by Google

ficii, ut dicitur 1 *ad Corinth.* 10. *Omnes, qui de uno pane participamus.* VII. Unitate Doctrinæ, de qua loquens S. August. dicit: « Qui volunt unam linguam veniant ad Ecclesiam, quia in diversitate linguarum carnis, una est in Fide lingua cordis. » Unde S. Irenæus *de unitate Fid.* cap. 3, sic ait: « Neque quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lydia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ; sed sicut sol Creatura Dei in universo Mundo unus, et idem est; sic et lumen, et prædicatio veritatis ubique lucet. »

(21. Secunda nota veræ Ecclesiæ est, quod sit *Sancta.* Unde *Cantic.* 6, dicitur: *Ecclesia decora Columba, pulchra ut Luna, electa ut Sol. Epist.* 1. *Petri* c. 2, dicitur *Gens Sancta;* Et *ad Romanos* cap. 1. *Omnibus, qui sunt Romæ.... vocatis Sanctis.* Unde pluribus titulis dicitur *Sancta.* (22. I. Propter Sponsum Christum, qui est *Sanctus Sanctorum.* II. Quia in eam nullus ingreditur, nisi per Baptismum ablutus, et sanctificatus, 1 *ad Corinth.* cap. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* III. Propter Christi mortem: Ad hoc enim Christus passus est, ut Ecclesiam suam sanctificaret, ut dicitur c. 5, *ad Ephes.* ibi: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret,* et *ad Hebræos* cap. 13: *Jesus, ut sanctificaret Populum per sanguinem suum, extra portam passus est.* IV. Propter ejus Leges, præcepta, Sacramenta, et doctrinam, quæ omnia sanctitatem redolent, et eo tendunt: ut Sancti efficiamur; Unde *Psalm.* 18, dicitur: *Lex Domini immaculata convertens animas; ad Ephes.* cap. 1, dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, et immaculati in conspectu ejus.* V. Quia extra illam nulla Sanctitas esse potest, dicit enim S. August. lib. *de Baptismo contra Petilianum* c. 16, sic: « Intra istam arcam (Catholicæ Ecclesiæ,) boni, et mali esse possunt; extra eam boni esse non possunt. »

(23. Tertia nota veræ Ecclesiæ est, quod sit *Catholica,* id est Universalis. I. Ratione loci, quia per totum Orbem diffusa, et ideo *Ps.* 18. dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines Orbis Terræ verba eorum;* Et *Marc.* 16. *Euntes in mundum universum etc.* Et S. August. *Epist.* 52. *ad Severinum* num. 1. dicit: « Ipsa enim est Ecclesia Catholica, unde Græce appellatur, quod per totum Orbem Terrarum diffunditur, » et *Epist.* 140. *ad Honoratum* num. 43. ait: « Ecclesia illa est, quam modo dicit unicam suam, hæc est unica Catholica, quæ toto Orbe copiosa diffunditur, quæ usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur. » II. Ratione personarum, quia vocat, et recipit homines cujuscumque nationis, status, et conditionis, si velint Evangelio obedire, et salvari. Unde *Marci* 16. dicitur: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ.* III. Ratione temporis, quia fuit ab initio mundi, et durabit usque ad finem per omnia tempora. Hinc *Daniel.* 2. dicitur: *Suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* IV. Ratione communis consensus populorum etiam inimicorum, eam Catholicam appellantium, ut observat S. August. *de vera Religione* cap. 7. ibi: « Tenenda est nobis Christiana Religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, et Catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis, velint, nolint: ipsi enim quoque Hæretici, et Schismatici alumni, quando, non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. » Et idem S. August. in cap. 9. *Joan.* sic dicit: « Multa sunt, quæ in gremio Ecclesiæ me tenent; tenet me consensus populorum, tenet Auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet successio Sacerdotum ab ipso Petro, tenet denique ipsum Catholicæ nomen, quod ita inter tot Hæreses Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam Ecclesiam conveniatur, nullus Hæreticorum Basilicam suam audeat ostendere. »

(24. Quarta nota veræ Ecclesiæ est, quod sit *Apostolica,* et dicitur Apostolica tribus potissimum de causis. 1. Quia fundata est a Christo, qui *ad Hebr.* 3. dicitur Apostolus confessionis nostræ; Et quod Christus Auctor, et fundamentum nostræ Ecclesiæ sit Apostolus, clare patet, quia Apostolus idem est ac missus, Christus autem missus est a Patre ad homines edocendos, et redimendos, *Joan.* 20. ibi: *Sicut misit me vivens Pater,* etc., 2. Quia fuit per Apostolos propagata, et firmata. Unde *ad Eph.* 2. dicuntur fideles *superædificati super fundamentum Apostolorum,* et *ad Romanos* 10. *ex Psalm.* 18. dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum;* et doctrinam ab ipsis Apostolis receptam semper integram, et incorruptam retinuit, et retinebit. Unde *ad Galatas* 1. dicitur: *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 3. Quia ab ipsis Apostolis usque ad nos per continuam virorum Apostolicorum successionem descendit. Unde S. August. lib. *contra Epistol. fundamenti* cap. 4. dicit: « Tenet me in gremio Ecclesiæ ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas Oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. »

(25. Sola Ecclesia Romana Catholica habet notas veræ Ecclesiæ Christi, et in ipsa sola potest obtineri salus, et nullus extra ipsam salvatur. *Est de fide,* et habetur expresse tota conclusio in cap. *Unam sanctam, de Majoritat. et Obedient. inter communes;* ibi: « Unam, Sanctam Ecclesiam Catholicam, et ipsam Apostolicam, urgente Fide, credere cogimur, et tenere. Nosque hanc firmiter credimus, et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, » et ibi est sermo de sola Ecclesia Romana Catholica, ut expressis verbis ibidem in § final. declaratur ibi: « Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creatu-

Digitized by Google

ram declaramus, dicimus, definimus, et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. » Et habetur etiam definitum in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. in c. *Firmiter* 1. *de summa Trinitate*, ibi : « Una vero est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium Jesus Christus ; » habetur etiam definitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. ut in ejus Constitut. incip. *Lætentur*, ibi : « In Universo Orbe primatum tenet, est successor B. Petri et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Pater, et Doctor, cui in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est. » Hinc a Leone X. in Constitut. incip. *Exsurge*, fuit tamquam Hæresis proscriptus sequens error Lutheri in ordine 25. « Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus. » (26. Ecclesia enim Romana commissa Petro, et successoribus ejus Romanis Pontificibus, a quibus tamquam a Capite Romana denominatur, pro eodem sonat, ac universalis, (27. unde quamvis Summus Pontifex, qui est Pastor Universalis omnium Fidelium, Romæ non sedeat, ut de facto plures non ibi sederunt, adhuc tamen appellatur semper Romanus Pontifex, et sola Ecclesia Romana appellatur *Una, Sancta, Catholica, seu Universalis, et Apostolica*, ut constat ex Constitut. incip. *Gloriosam*, edita a Joan. XXII. qui nunquam Romæ sedit, ibi : « Una est igitur Sancta Universalis Apostolica, atque Romana Ecclesia, extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non sinit, et Divina providentia non permittit, ut membrum, quod a totius Corporis unitate sejungitur, virtute, quæ a vertice in corpus influit, aliqualiter vegetetur ; » Unde S. Augustinus *de Symbolo ad Catechumenos*, serm. 1. cap. 6. sic expresse dicit : « Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia Una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes Hæreses pugnans ; pugnari potest, expugnari non potest ; Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa ; » Et serm. 4. *de eod. Symbolo ad Catechumenos* cap. 13. dixit : (28. « Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum, nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. » Vide Tournelium *de Eccl.* quæst. 11. art. 6. p. 5.

ARTICULUS II.

Ecclesia quoad ejus visibilitatem, indefectibilitatem, et infallibilitatem.

(1. Ecclesia vera Christi est, et fuit semper absolute visibilis, ut tenent unanimiter Catholici contra Novatores, et deducitur ex pluribus Scripturæ textibus. In *Psalm.* enim 18. dicitur : *In sole posuit tabernaculum suum*, quod ibi de Ecclesia intelligit S. Augustinus dicens : « In sole posuit tabernaculum suum, hoc est in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto ; » et idem habet in *Epist.* 166. *ad Donatistas*, ibi : « Ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ. » *Matth.* 18. præcipit Christus, ut quando Frater noster est incorrigibilis, dicamus Ecclesiæ, ibi : *Dic Ecclesiæ, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus et publicanus.* Verba autem illa *Dic*, et *si non audierit*, indicant apertissime Ecclesiam esse visibilem cum ibi mandet Christus, ut ad Ecclesiam, prout ad Judicem controversiarum recurramus, eaque audiatur, quod nullimode posset fieri, si Ecclesia esset invisibilis. De Ecclesia item visibili intelligendum est illud *Actorum* 18. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Grex enim, qui non videtur, nec cognoscitur, nequit a Pastore regi, et gubernari, adeoque si Ecclesia est regenda, et gubernanda ab Episcopis, non est cœtus, seu congregatio invisibilis. Item de Ecclesia visibili illud 1. *ad Timoth.* 3. *Ut scias quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Per verbum enim illud *conversari*, denotatur clare visibilitas Ecclesiæ, cum non possit quis conversari cum invisibilibus. Item de Ecclesia visibili intelligitur illud *ad Galatas* 1. *Persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam.* Cœtum enim invisibilem non potest quis persequi ; et si Paulus Ecclesiam expugnabat, necessario videbat, ubi ipsa Ecclesia, seu congregatio expugnanda existeret. Item de Ecclesia visibili intelligitur illud *Actor.* 13. *Cum venissent Hierosolymam, susceptiest ab Ecclesia*, et cap. 18. *Ascendit Paulus, et salutavit Ecclesiam.* Hæc enim nequeunt convenire Ecclesiæ invisibili.

(2. Ecclesiam esse visibilem ostenditur etiam evidenti ratione, quia illa Ecclesia est visibilis, in qua publice convocantur Concilia, sanciuntur Canones, damnantur Hæreses, Pastores visibiliter docent subditos, subditi obediunt Pastoribus, Sacramenta sensibilia administrantur etc., sed hæc omnia fiunt in vera Ecclesia Christi, ut de se patet, ergo etc. Tum quia de ratione essentiali ipsius Ecclesiæ, ut patet ex ejus definitione, est, quod sit congregatio, seu societas quædam hominum baptizatorum ; atqui non potest dici congregatio, seu societas hominum, nisi in externis, et visibilibus signis consistat, cum non sit societas nisi se agnoscant ii, qui dicuntur socii ; nec homines se possint agnoscere, nisi societatis vincula sint externa, et visibilia. Et hoc patet clarissime ex more omnium humanarum societatum, seu congregationum ; nam in Civitatem, in Regnum, et Militiam, et alia hujusmodi, non aliter homines adscribuntur, quam signis externis, et visibilibus. Hinc S. Augustinus *l.* 19. *contra Faustum* cap. 11. sic expresse dicit : « In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur. » Unde idem S. Augustinus *Epist.* 105. n. 14. scribens ad Donatistas ipsos adhortando ad

Digitized by Google

unitatem visibilis nostræ Ecclesiæ, eos sic alloquitur : « In Scripturis discimus Christum ; in Scripturis discimus Ecclesiam. Has Scripturas (o Donatistæ, o Hæretici) communiter habemus, quare non in eis, et Christum, et Ecclesiam communiter retinemus ? » Et n. 17. « Ecce Scripturæ communes ; ecce ubi nomines Christum, ecce ubi nomines Ecclesiam ; Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis ? Si in ipsum Christum, quem legitis, et non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Ecclesiam negatis, quam legitis et videtis. »

(3. Christi Ecclesia visibilis, seu Ecclesia Romana Catholica, est indefectibilis, et semper duratura usque ad finem mundi. Est de fide, et habetur expresse ex cap. 16. *Matth.* ibi : *Dico tibi, Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Atque si defecisset, aut potuisset deficere, adversus eam prævaluissent, aut potuissent prævalere portæ inferi, ergo, etc. Item 1. *ad Timoth.* cap. 3. dicitur : *Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis*, sed non potest deficere veritas, ergo nec ejus columna ; cum deficiente substentaculo debeat necessario corruere substentatum. (4. Colligitur etiam ex aliis Scripturæ locis, ubi clara est promissio perpetuitatis, et indefectibilitatis Ecclesiæ visibilis ; sic nomine ipsius Ecclesiæ *Matth.* 28. dicitur : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Hæc enim verba, ut de se patet, dicta sunt ad Ecclesiam visibilem, scilicet ad Apostolos, et Discipulos cæteros, quos in die Ascensionis suæ Dominus alloquutus est, adeoque ex promissione Christi, Ecclesia visibilis duratura est usque ad consummationem sæculi. *Ad Ephes.* dicitur : *Dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi* ; Ubi, ut vides, Apostolus clare demonstrat Ecclesiam visibilem Christi duraturam esse usque ad novissimos dies, id est usque ad finale Judicium, quando complebitur numerus electorum. Cum enim Pastores et Doctores non dentur, nisi gregi existenti, et visibili, et ex ipso textu Pastores, et Doctores debeant esse visibles, et perpetui, grex etiam debet esse visibilis et perpetuus.

(5. Colligitur etiam Ecclesiæ visibilis perpetuitas, et indefectibilitas ex variis Veteris Testamenti testimoniis, quæ perennitatem Ecclesiæ visibilis clare indicant, et promittunt ; *Psalm.* 47. Dicitur : *Deus fundavit eam in æternum*, id est Ecclesiam suam, ut ibi exponit S. Augustinus ; *Isaiæ* 61. (quod caput intelligi de Ecclesia Novi Testamenti docuit Christus Lucæ 4. cum in Synagoga citavit, et exposuit de adventu suo initium hujus capitis, *Spiritus Domini super me*, etc.) sic dicitur : « Et fœdus perpetuum feriam eis, et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum ; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. » Ubi vides satis aperte indicari perpetuitatem, et indefectibilitatem Ecclesiæ visibilis ; non enim potest esse invisibilis Ecclesia illa, seu cœtus ille fidelium, de quo dicitur : *Omnes qui viderint eos* (quid clarius ?) *cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Psalm.* 88. dicitur : *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in Cœlo fidelis* ; ibidem : *et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus, sicut dies Cœli. Daniel.* 2. dicitur : *Suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Istæ enim Scripturæ intelliguntur passim a Sanctis Patribus de vera et visibili Christi Ecclesia numquam defectura.

(6. Ostenditur etiam expresse ex Sanctis Patribus. S. Augustinus *de unitat. Eccles.* cap. 12. sic habet : « Evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura. Hoc in Lege, et prophetis, et Psalmis esse prænunciatum ipse Dominus testificatus est, qui eam capturam ab Jerusalem, et per omnes gentes permansuram esse prædixit ; testes sibi futuros in Jerusalem, et in tota Judæa, et Samaria, et usque in totam terram, cum jam in Cœlum ascenderet, prænuntiavit..... Quisquis aliud evangelizaverit anathema sit ; aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, et in sola parte Donati » (seu Lutheri, Calvini, aliorumque Protestantium) « in sola Africa (Germania, Geneva, Saxonia, Prussia, Hollandia, Anglia, et hujusmodi,) remansisse dicit ; ergo anathema sit, aut legat mihi in Scripturis Sanctis, ut non sit anathema. » Et idem S. Augustinus lib. 1. *de Symbol. ad Catechumen.* cap. 5. ait : « Ipsa est Ecclesia Sancta..... pugnari potest, expugnari tamen non potest : Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa ; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in Charitate sua, portæ inferorum non vincent eam. » S. Hieronymus *in cap. 4. Isaiæ vers.* 16. sic dicit : « Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertitur. » S. Gregorius Magnus *in Psal.* 5. *Pœnitent.* 26. sic expresse habet : « Sancta Ecclesia in hoc sæculo a Catholica Fide nequaquam deficiet. » S. Ambrosius *lib.* 4. *Hexaemeron. cap.* 2. sic ait : « Ecclesia tempora sua habet persecutionis et pacis, nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest. » S. Joann. Chrysostomus *serm. de Pentecost.* tom 3. sic habet : « Putas eam te posse lædere, sed non poteris ; Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam. »

(7. Ecclesia Romana Catholica in rebus Fidei, et morum est infallibilis : seu er-

Digitized by Google

rare non potest. Est de fide; et ostenditur ex pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis. *Joan.* 16. dicitur *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, hoc autem Christus promittebat immediate Apostolis, et mediate eorum successoribus; sed qui scit omnem veritatem, non potest errare in materia Fidei, alias sciret, et non sciret. Ergo Ecclesia sic de omni veritate edocta non potest errare in rebus Fidei et morum. *Lucæ* 10. Christus alloquens Ecclesiæ Pastores, sic dicit: *Qui vos audit, me audit*, sed hoc non esset, si Ecclesia Catholica posset errare: Ergo, etc. Minor probatur, quia si omnes simul constituentes Ecclesiam possent errare, qui ipsos audiret errantes, non audiret Christum, cum Christus non possit falsum proponere, ergo etc. adeoque *Matth.* 18. diciter: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*; ex quo textu clare indicatur Ecclesiam Catholicam esse infallibilem, aliter non posset haberi tamquam Ethnicus, non audiens Ecclesiam, quæ esset fallibilis, et forte errores proponeret. *Epistol.* 1. *ad Timoth.* cap. 3. dicitur: *Ecclesia est columna, et firmamentum veritatis*, adeoque tamquam firma in veritate, errare non potest in fide. *Epistol. ad Ephes.* cap. 1. dicitur: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, et in eadem *Epist.* c. 5. dicitur: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*; adeoque si Ecclesia in rebus Fidei et morum erraret, error tribueretur Christo suo Capiti, quod absurdum ne dicatur, dicendum est Ecclesiam esse infallibilem, seu errare non posse in materia Fidei et morum.

(8. Lucæ 22. dicitur: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua*, quem textum exponens Joannes XXII. in Constitutione incipiente, *Redemptionem*, sic ait: « Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, dumque pro Petro Christus rogat, pro ejus Ecclesia intercedit. » *Matth.* 16. habetur: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; ubi, ut vides, ne possit errare Ecclesia, facta est promissio Magistro, et capiti; quia ex securitate non errandi in materia fidei, et morum prius in Romano Pontifice capite et Magistro universalis Ecclesiæ resultat securitas non errandi in Ecclesia quæ ejus doctrinam infallibilem recipit, ut optime observat. M. Canus lib. 6. *de Locis* c. 3. § *Præterea*, ibi: « In Petro, et successoribus primum firmam certamque doctrinam asserimus, mox vero in Ecclesia Romana, cujus Petrus cum successoribus et caput, et fundamentum est. » (9. Et hæc Ecclesiæ infallibilitas colligitur etiam ex pluribus sacris Canonibus; ut cap. *Palam est* 9. dist. 11. cap. *A recta* 9. cap. *Memor.* sum 10. cap. *In sede* 11. cap. *Hæc est fides* 14. cap. *Rogamus* 15. et cap. *Si Petrus* 17. caus. 24. quæst. 1. cap. *Firmiter* 1. *de Sum. Trinit.* cap. *Exiit*, de verb. *significat.* in 6. et c. *Unam sanctam, de Majoritate, et obedientia inter commun.*

(10. Unde Ecclesia Catholica Romana est regula Fidei et morum in toto mundo, Agapitus epistol. 4. Leo IX. epistol. 1, cap. 8. Concil. Lateranens. III. in appendic. tit. *de Spons.* et cap. 2. et 7. Conc. Trever. cap. 1. (11. Sola potest definire causas fidei; cap *Quoties* 12. caus. 24. quæst. 11. Fidei resolvere dubia, et quæstiones ad fidem spectantes. Cajus epistol. 1. Marcell. I. epistol. 1. Pelagius III. epistol. 8. in fine c. *Nec licuit* 4, et c. 12. Multi 5. dist. 17. (12. Sola fides Ecclesiæ Catholicæ Romanæ est ab omnibus tenenda, et non alia; c. *Rogamus* 15. caus. 24. q. 1. Joan. VIII. ep. 194. Concil. Trev. c. 1. (13. Non tenens illam Fidem, quam Ecclesia Romana docet, non est in Ecclesia; c. *Qui Cathedram* 3. dict. 93. « Qui cathedram Petri (supra quam fundata est Ecclesia) deserit, in Ecclesia se esse non confidat. » Non habet Spiritum Sanctum, cap. *Loquitur Dominus* 18. c. *Alienus est* 19. et c. *Advocavit* 23. caus. 24. q. 1. (14. Hinc Ecclesia Romana dicitur Mater, et Magistra omnium Ecclesiarum; cap. *Non decet* 1. dist. 12. ibi: « nulli vero dubium est quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, a cujus regulis nullatenus vos convenit deviare; et sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris sui, sic et vos implete voluntatem Matris vestræ, quæ est Ecclesia, cujus caput Romana consistit Ecclesia; » et concordat cap. *Denique* 6. dist. 21. et cap. *Firmiter* 1. *de Sum. Trinit.* (15. Ecclesia Romana est etiam caput Ecclesiæ Græcæ; cap. final. *de Baptismo*; quia fundavit Ecclesias Partriarchales; cap. *Omnes* 1. dist. 22. eique sunt subditæ Ecclesia Constantinopolitana, et omnes aliæ, cap. *de Constantinopolitana* 4. dist. 22. cap. *Rogamus* 15. caus. 24. quæst. 1. Leo IX. epist. 1, cap. 28. et cap. final. *de Privil.* in 6. Unde Ecclesia Romana est infallibile caput Religionis; Nicolaus I. in appendic. epist. 14. et cap. *Officii nostri* 13. cap. *Hæc est fides* 14. cap. *Rogamus* 15. caus. 24. quæst. 1. ibi: « Rogamus vos, Fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis, neque sentiatis, quam quod a B. Petro, et reliquis Apostolis, et Patribus accepistis: ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.... ejus enim sedes jubente Domino Romam translata est..... ad quam cuncta majora Ecclesiastica negotia, Divina disponente gratia, jussa sunt referri. »

(16. Romana Ecclesia habet annexum primatum universalis Ecclesiæ ex institutione, et præcepto Christi Domini. Habetur clare ex pluribus sacris Canonibus, et signanter ex cap. *Quamvis* 3. dist. 21. ubi ex verbis S. Gelasii Papæ sic habetur: « Quamvis universæ per Orbem Catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sint, Sancta tamen Romana, Catholica, et Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evange-

Digitized by Google

lica voce Domini, et Salvatoris nostri primatum obtinuit ; » cap. *Omnes* 1, dist. 22. ubi ex verbis Nicolai II. sic habetur : « Qui Romanæ Ecclesiæ Privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur ; » cap. *Sacrosancta* 2. ead. dist. 22. ubi ex verbis S. Anacleti Papæ, (1) sic habetur : « Sacrosancta Romana, et Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias : » cap. *Rogamus* 15. caus. 24. q. 1. ubi ex verbis S. Marcelli Papæ scribentis ad Episcopos per provinciam Antiochiæ constitutos, sic habetur : « Ejus enim (Petri) Sedes primitus apud vos fuit, quæ postea, jubente Domino, Romam translata est. » Epist. ad Michaelem Imperatorem scripta a Nicolao primo sic habetur : « Ecclesiæ Romanæ privilegia Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, atque a cuncta jugiter Ecclesia venerata, nullatenus possunt minui nec commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanos non valet amovere conatus, et quod Deus statuit firmum, validumque constituit. » Et infra : « Illa igitur privilegia huic S. Ecclesiæ a Christo donata, a Synodis non donata, sed solummodo celebrata, et venerata : » cap. *Per venerabilem* 13. *Qui Filii sint legitimi*, ubi ex verbis Innocentii III sic habetur : « Locus, quem elegit Dominus, Apostolica sedes esse cognoscitur : cum enim Petrus Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, revocare : interrogatus ab eo : Domine, quo vadis ? respondit : venio Romam iterum crucifigi ; quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus. »

(17. Nec potest dici, quod Romana Ecclesia obtinuit primatum Ecclesiæ Universalis a Concilio Nicæno, ut volunt Schismatici ; seu ab Imperatoribus Christianis, ut prætendunt Lutherani, Calvinistæ, et Magdeburgenses, aliique Hæretici ; nam, ut refert Bail. *summ. Conc.* tom. 1, in Conc. Chalcedonensi ad can. 27, in præfatione d. Conc. Nicæni expresse dicitur : « Quod Ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est cæteris Ecclesiis, sed Evangelica voce Domini, et Salvatoris nostri Primatum obtinuit. » At si « voce Domini, » ut in mox laudato Conc. Nicæno, si « ab ipso Domino Salvatore nostro, » ut in d. cap. *Sacrosancta*, si « Jubente Domino, » ut in d. cap. *Rogamus*, si « Christi ore, » ut in d. Epistol. Nicolai primi, Romana Ecclesia obtinuit primatum Ecclesiæ universalis nullimode potest ab hæreticis dici, quod illum obtinuit ab Imperatoribus Christianis. (18. Unde Eugenius IV, in Concilio Florentino in litteris unionis sententiam nostram clare confirmat, ibi : « Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum.... et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. » Hinc Sedes Apostolica non potest a Romana Urbe divelli, et alio transferri, et ideo non obstantibus tot Romanæ Urbis excidiis, semper Apostolica Sedes Romæ fixa permansit, et licet pluribus annis Avenione resederint plures summi Pontifices, ut Clemens V, qui illuc primus se transtulit, Joannes XXII, Benedictus XII, Clem. VI, Urbanus V, Greg. XI, qui Romam Romanam Curiam reduxit, tamen Apostolica Sedes Romano Episcopatui semper annexa remansit, et ipsi semper Romani Pontificis titulo sunt, usi, ut patet in eorum Apostolicis, et Pontificiis Rescriptis. Unde, ut refert Eminentissimus Petra tom. 4. *Comment. in Constit.* 4. Eugen. IV. num. 6, stat vulgatum adagium, quod *ubi Papa, ibi Roma.* (19. Adeoque clare patet ordinatione divina, et non dispositione humana Ecclesiæ universalis primatum Romanæ Ecclesiæ fuisse annexum. Sic tenent Cajetanus tom. 1, opusc. tract. 3, *de Pontif. Instit.* c. 13. M. Canus lib. 6, *de Locis Theolog.* c. 4. Valentia *de Fid.* disp. 1, q. 1, punct. 7, § 37. Guarnieri *de Capite Militantis Eccles.* lib. 2, c. 8. Tirinus in *Summar controv.* controv. 6, num. 11. Matthæucci controv. 6, c. 2, n. 2 et seq. Leytam *Synops. de Eccles. Militant.* Discept. 5, sect. 4, n. 409, et plures alii (2).

ARTICULUS III.

Ecclesia materialis quoad ejus ædificationem, dotationem, et reparationem.

(1. Ecclesia materialis, quæ ex Gloss. ultim. in cap. fin. *Ne prælati vices suas*, definitur, *Locus sacer murorum ambitu circumdatus*, juxta varias ejus classes (3) varia sortitur nomina : Aliquæ enim vocantur Basilicæ, aliæ Cathedrales, aliæ Collegiatæ, aliæ Baptismales, aliæ Parochiales, aliæ Matrices, aliæ Filiales, prout colligitur ex notatis per Gloss. et Doctores in cap. *Plures* 10, q. 1, in c. *Cum contingat, de Decim.* in cap. *Cum Clericis* et in c. *Venerabili* de V. S. (2. Basilicæ, licet secundum Rochum de Curte, Mandosium, Remigium, Duareum, Turrecrematam, quos

(1) Hæc, et sequentia Marcelli Papæ verba expungi possent ac fortasse debuerant, cum ex suppositis Anacleti, et Marcelli epistolis sumpta sint (EDIT. BARBIEL.)

(2) Id ipsum multis adversus Febronium ostendit Franc. Antonius Zaccaria *Antifebron.* Tom. 2. Cæsen. edit. diss. 2. c. 1. n. 4. seqq. (EDIT. BARB.)

(3) Non solum *juxta varias classes* varia sortiuntur nomina Ecclesiæ, sed etiam juxta varios fines. Præcipuus fuit honor Dei ; hinc *dominica* passim apud veteres dictæ sunt. Vide Cyprianum de *Opere et Eleemos.* Eusebium *de Laudib. Constant.* cap. 17. et Concilia Ancyranum can. 15. et Laodicenum can. 28. Quoniam vero in sacris ædibus Martyrum vel corpora, vel lipsana condi consueverunt, ut in illis quoque Deus, qui eos in certamine gratia sua adjuverat, coleretur, *Martyria, Concilia Martyrum, et Martyrum memoriæ* vocabantur. Prostrata tandem idololatria, Templorum nomen, a quo antea religionis causa abstinuerant, apud Christianos obtinuit. (EDIT. BARB.)

Digitized by Google

sequitur Spino *de Testament.* gloss. 2, prin. n. 33, fuerint sic appellatæ a Basilio, Græcorum Imperatore, qui primus fuit sepultus in Ecclesia; et secundum Glossam in cap. 1, *de Religiosis domib.* et Panormitan. in rubr. *de Consec.* (3. *Ecclesiæ Basilicæ* fuerint ita dictæ Ecclesiæ nondum consecratæ; tamen verosimilius est, quod solum majores, principaliores, ac digniores Ecclesiæ vocentur *Basilicæ*, (4. quia Basilica est nomen Græcum, quod latine est *Regia*, ut notavit Selva tract. *de Benefic.* 1 p. cap. 3, num. 15, et Isidorus lib. 15, orig. sic expresse dicit: « Basilicæ prius vocabantur Regum habitacula, unde et nomen habent; » et Baronius in notis ad Martyrolog. die 5 Augusti sic ait: « Hoc nomen nequaquam abhorrere a Sacra Scriptura, nam atrium illud majus Templi Salomonis, Basilica dicitur » 2. *Paralipom.* cap. 4, 9 ibi: *Fecit etiam atrium Sacerdotum, et Basilicam grandem, et ostia in Basilica, quæ texit ære;* et cap. 6, 13. *Siquidem fecerat Salomon basim æneam, et posuerat in medio Basilicæ* (1). Hinc quod solum Ecclesiæ majores, principaliores, ac digniores vocentur Basilicæ est hodie jam communis opinio, et praxis. Barbos. lib. 2. *Juris Eccles. univers.* cap. 1, num. 10. Itala lib. 1, cap. 5, § 3, num. 33. Engel. lib. 3. *Decretal.* tit. 48, num. 2. Reiffenstuel ib. n. 3, et alii passim.

(5. Cathedrales vocantur quæ sunt Sedes Episcoporum, et in aliquibus partibus *Domus* appellantur, uti in nostra Italia vulgariter *il Domo*, quod ex eo potest dici habere principium, quia sicut *Palatium* absque alia expressione, intelligitur de Principis habitaculo, quod satis per antonomasiam, et excellentiam demonstratur, ut ex pluribus observat Camill. Borell. *de Reg. Cathol. præstan.* cap. 23, num. 21, ita Domus Domini, quæ est Ecclesia Cathedralis, et Palatium Principis supremi Domini Dominantium, et Sedes ordinaria supremi Civitatis, et Diœcesis Pastoris, satis per *Domum* simpliciter significatur. Sic expresse Frances *De Eccl. Cathedralibus* cap. 15, num. 187. (6. Collegiatæ sunt illæ, quæ habent communitatem Clericalem, quæ capitulariter congregari, et agere potest, et solet cum libero usu sigilli, et arcæ sibi communis; Barbos, lib. 2. *Jure Eccles.* cap. 6, num. 6. (7. Vide quo ad istas verb. *Collegiata.* Matrices Ecclesiæ quamvis proprie loquendo sint solæ Ecclesiæ Cathedrales, quia Matres sunt, et Magistræ totius Episcopatus, textu expresso in c. *Venerabili* 12, de Verb. *Significat.* ibi: « Per Matricem Ecclesiam Cathedralem intelligi volumus (2). » Tamen *Matrices* etiam vocantur illæ Ecclesiæ, quæ alias Ecclesias aliquo modo sibi subjectas habent. Rota part. 1, recent. decis. 272, num. 3. Suarez *de Religion.* tom. 1, tract. 2, *de Decimis* lib. 1, cap. 24, num. 1. Barbosa loc. cit. num. 21. (8. Filiales dicuntur illæ, quæ per divisionem a Matrice de novo fiunt, vel alteri subjiciuntur; arg. cap. *Ad audientiam* 3, *de Eccles. ædificand.* (9. Baptismales, sunt illæ, quæ habent Fontes Baptismales, ubi Parochiani baptizantur. Gloss. 1, et Abbas in cap. *Cum contingat, de Decimis.* (10. Parochiales dicuntur illæ, in quibus populus eisdem deputatus sub certis locorum finibus, et limitibus constitutus degit, et unus Rector ad uniuscujusque regimen assumitur cum potestate Fori pœnitentialis. Barb. l. c. n. 26 (3). (11. Ut plurimum autem Parochiales, et Baptismales tum in Jure, tum in facto confunduntur, cum regulariter Baptismales sint etiam Parochiales, licet non necessario, nec semper; ex quo variis in locis, ut experientia patet, sint distinctæ. (12. Baptismales dicuntur etiam Matrices, quia sicut Mater generat, sic illa regenerat. Glossa in Clement. unica *de Baptism.* et *verb. Matricem* in Clementin. 1, *de Sentent. excommunic.* ibi: « Id est majorem, et Baptismalem, quæ dicitur Matrix. »

(13. Pro Ecclesia de novo ædificanda requiritur consensus, seu licentia Episcopi loci; cap. *Latos* 3, caus. 16, *q.* 2, cap. *Nemo* 9, dist. 1, *de Consecration.* cap. *Cum olim* 14, *de Privil.* cap. *Auctoritate* 4, *de Privil.* in 6. (14. Et hæc Episcopi licentia requiritur, etiamsi quis haberet privilegium Ecclesias ædificandi, quia debet intelligi sine præjudicio Juris Episcopi, quando in Indulto, seu privilegio non sit specialiter expressum, ut respondit Sacra Congregatio in Sulmon. Interdicti 24 Januar. 1699, contra Præceptorem S. Spiritus in Saxia, qui Ecclesiam construxerat absque licentia Episcopi, nixus suis privilegiis, sublatis hodie a Conc. Triden. sess. 22, *de Celebrat. Missar.* et session. 25, c. 3, *de Regul.* (15. Episcopus tamen non debet talem licentiam denegare, sine rationabili motivo, alias si irrationabiliter ipsam licentiam deneget, datur recursus ad Archiepiscopum, vel ad Sacram Congreg. Conc. pro supplendo Ordinarii consensu; Barbosa de *Offic. et Potest.* Episc. alleg. 20, n. 1, vers. *in ædificanda.* Amostaz *de Caus. piis* lib. 5, cap. 2, num. 31, et alii; et de facto sic fuit decisum a Sacra Congregatione Conc. in una Foroliviensi 16 Januar. 1694, favore Baratiæ, qui cum ab Ordinario con-

(1) Ante Constantini tempora vix ab ullo Christiano Auctore *Basilicæ* nomen Ecclesiis tributum invenies. Hinc Selvagius *Antiquit. Christian.* lib. 2. c. 1. § 2. colligit, cum Constantinus multas, quæ magnificæ erant, profanas Basilicas, ubi Principes et Magistratus ad causas audiendas, ac decidendas sedebant, Episcopis ad sacros inibi conventus habendos concessisset, Basilicarum nomen generatim Ecclesiis inditum. Negari certe non potest, Basilicas quoque Ecclesias appellatas, quæ aliis magnificentia et magnitudine non antecellerent. Sic S. Ambrosius ep. 33. *Extramuranæ Basilicæ* meminit, quam structuræ amplitudine, et elegantia cæteris præstitisse vix credibile est. Nihilominus multiplicatis Ecclesiis Basilicarum nomen solummodo principibus quibusdam Ecclesiis, aut illis saltem, quæ veteri ævo illud obtinuerant, inhæsit. (Edit. Barb.)

(2) Matrix Ecclesia dici quoque consuevit Metropolitana, sive princeps cujusque Provinciæ Ecclesia. Vide codicem Africanum can. 119. (Edit. Barb.)

(3) Olim Parochiales, quas dicimus, Ecclesiæ *Diœceses*, et Ecclesiæ *Diœcesanæ* dicebantur. Vide Syrmondum ad Sidonii ep. 16. lib. 9. et Selvagium l. c § 5. (Edit. Barb.)

Digitized by Google

sensum pro constructione Ecclesiæ ruralis non potuisset obtinere, Episcopo contradicente, obtinuit Rescriptum. *Licentiam esse concedendam sine præjudicio jurium Parochialium*, (16. Non requiritur autem talis Episcopi licentia pro ædificando Oratorio privato in propria domo; textu expresso in cap. *Unicuique* 33, *de Consecrat.* dist. 1, ibi: « Unicuique Fidelium in domo sua Oratorium licet habere, et ibi orare, Missam autem ibidem celebrare non licet. » Hoc tamen quod non liceat ibid. Missam celebrare, debet intelligi sine licentia legitima, aut privilegio Apostolico, quibus concurrentibus ad normam Concil. Trident. sess. 22, in *Decreto de observandis in celebratione Missæ*, et Decreti Clementis XI, *de Celebratione in Oratoriis privatis*, incip. *Quoniam sancta*, potest ibi Missa celebrari, ut de facto in omnibus similibus Oratoriis ubique celebratur.

(17. Pro ædificanda Ecclesia una cum Monasterio Regularium, ultra consensum Episcopi, requiritur etiam consensus Papæ, maxime in Italia, et insulis adjacentibus, ut expresse fuit statutum ab Innocentio X. Constitution. incip. *Instaurandæ*: et de Jure communi ante Concilium Tridentinum, et dictam Constitutionem consensus Papæ requirebatur ubique, textu expresso in cap. Unico, *de excessibus Prælator.* in 6. et cap. *Unica de Eccles. ædificand.* in 6. Pro construendis, seu ædificandis Regularium Ecclesiis, Monasteriis, circa distantiam ab aliis, variæ emanarunt Pontificiæ dispositiones. (18. Clemens IV, in Constit. incip. *Ad consequendam*, concessit privilegium Fratribus Minoribus, quod prope eorum Ecclesiam per spatium 300 Cannarum non possint ab aliis Mendicantibus vel Monialibus cujuscumque Ordinis construi Monasteria, vel Ecclesiæ. (19. Hoc tamen speciale privilegium Ordini Minorum concessum quo ad 300 Cannas censetur revocatum per non usum, seu abiit in desuetudinem, ex quo observantia tantæ distantiæ ex multiplicitate Religionum fuerit reddita moraliter impossibilis; cum in plerisque locis vix ædificari una Ecclesia et Monasterium posset. Hinc ex variis posterioribus Bullis aliorum Pontificum hujusmodi privilegium fuit indefinite reductum ad 140 Cannas, ut aliis relictis clare demonstrat Constitut. 39. Gregorii XIII, incip. *Salvatoris*; ubi Papa enunciat omnes Ordines Mendicantes habere tantum privilegium quoad 140 Cannas; et Rota decis. 356. coram Rojas num. 5, refert Sacram Congregationem Episcoporum declarasse privilegium 200. Cannarum non esse in usu.

(20. Privilegium quod prope eorum Ecclesias per spatium 140. Cannarum non possint ædificari aliæ Ecclesiæ, et Monasteria, non solum habent Mendicantes contra alios Mendicantes, sed ex specialibus privilegiis, vel ex communicatione omnes Mendicantes eo utuntur contra omnes cujuscumque Ordinis, ut ex pluribus notat Rota part. 10, recent. decis. 337, num. 1. Barbosa lib. 2, *Juris Eccles. univers.* cap. 12, num. 72 et seq. Lezana in summ. *verb. Regularia Monasteria* n. 15. Rodriquez qu. *Regul. tract.* 2, qu. 49, art. 5, tom. 2. Passerinus in cap. *Cum ex eo, de excessib. Prælator.* in 6. (21. Et procedit hoc privilegium etiam contra Presbyteros sæculares in communi viventes, Card. Petra tom. 3. *Comment. ad Constit. 7. Clement IV*, n. 12. Immo supponitur tale privilegium contra Ecclesiam congregationis Laicorum in PP. Theatinis; Rota in Neapolitana ampliationis Ecclesiæ, et Sacristiæ 11 Maji 1708. coram D. Molines Decano. (22. Tali privilegio gaudent omnes Regulares etiam non Mendicantes, sive ex peculiaribus concessionibus, sive per communicationem. Card. de Luca *de Regul.* dist. 33, num. 2, versic. *vel per communicationem;* Barbosa lib. 2. *Juris Ecclesiast. univers.* cap. 12, num. 72, in fine. Card. Petra loc. cit. num. 19. Rota in Neapolitana Seminarii decis. 982, num. 5 et 6, coram Dunozz. Jun. (23. Patres Societatis Jesu habuere, dum vigebant, peculicare privilegium, ut possint ædificare intra spatium etiam 140. Cannarum prope quemcumque Conventum, seu Ecclesiam, et hoc privilegium illis solis concessum esse a Gregorio XIII. Constitut. incip. *Salvatoris* innuit illorum Compendium, verb. *Ædificia* § 3.

(24. Privilegium distantiæ 140. Cannarum attendendum est etiam in translatione Ecclesiæ et Conventus. Si enim Ecclesia, vel Conventus reperiatur extra 140 cannas, nequit transferri infra dictum spatium, ut expresse cavetur in cit. Const. Clem. IV, incip. *Ad consequendam*, et in aliis Bullis concedentibus privilegium 140 cannarum. Si vero Ecclesia, vel Conventus reperiatur intra spatium 140 cannarum, licet cesset idem præjudicium in genere, non cessat tamen in specie, ut si transferatur ad vicinorem locum, quam prius reperiebatur; tunc enim translatio nequit libere, et ad libitum fieri, quia forsan potuerat concedi licentia in spatio 140 cannarum, et non in viciniori, adeoque debet Judex considerare motivum discretivum in uno, vel alio loco, Pacichel. *de Distantiis* c. 6. membr. 2, n. 15. Pasqualig. *ad Laurc.* part. 1, n. 140. Passerin. in cap. *Cum ex eo, de excessib. Prælator.* in 6, n. 89, ubi refert Sac. Congreg. Epis. et Regul. 14. Decemb. 1625. decrevisse, non licere PP. Carmelitis Discalceatis in Civitate Savonæ transferre Conventum in locum propinquum PP. Dominicanis. (25. Per tale privilegium impediri non potest ampliatio Conventus, si jam fuerit legitime erectus. Rota decis. 131. et 163. coram Mantica decis. 327. n. 1. coram Roissas, et decis. 377. num. 9. coram Emerix Jun. et in d. Neapolitana amplationis Ecclesiæ et Sacristiæ 11 Maji 1708. cum communi Doctorum. (26. Secus vero si erectio non fuerit legitime facta, vel fuit tantum permissa constructio parvæ Ecclesiæ, quia in tali casu cum non legitime subsistat erectio, a fortiori nequit legitime fieri ampliatio; et permissio concessa tantummodo pro parvo loco, seu parva Ecclesia, nequit extendi ad magnam Ecclesiam, cum valde majori præjudicio primæ Ecclesiæ. Card. Petra loc. cit. num. 21

Digitized by Google

(27. Tale privilegium distantiæ 140 cannarum locum non habet in domibus, seu Hospitiis Regularium, quæ non habent Ecclesiam publicam, nec in Seminariis. Card. de Luca disc. 1. num. 67. et disc. 33. num. 5. *de Regularib*, Card. Petra loc. cit. n. 18. Rota part. 1. rec. dec. 676. n. 10. et in Neapolitana Seminarii dec. 82. num. 1. et seq. coram Dunozz. Jun. ubi fuit resolutum, quod liceret Seminarium Nobilium erigi, dummodo non haberet Ecclesiam publicam, nec Campanas, aut sepulturas, neque ibi fierent Conciones publicæ, nec pro missis eleemosynæ reciperentur.

(28. Privilegium distantiæ 140 cannarum est saltem pluribi usu receptum, nec tollitur per non usum in aliquibus casibus. Sic Rota part. 10. recent. dec. 337. num 17. ubi late de observantia, et usu talis privilegii, et ad hoc citat varios Doctores. Sic etiam Confect. *de Privileg. mendicantium* tit. 3, cap. 3. Passerin. loc. cit. num. 84. et 85. Card. Petra loc. cit. num. 14. ubi affert hanc solidam rationem, quia, dicit ipse, Privilegium concessum Ordini nequit amitti per non usum aliquorum Conventuum; non enim ex eo quod fuerit permissa ædificatio in uno loco, potest induci præjudicium in alio loco, cum agatur de actu facultativo; unde potest in uno casu admitti, et in alio denegari; et nisi concurrat permissio, et acquiescentia, nequit induci aliquod præjudicium ut relatis concordantibus, et in terminis dixit Passerinus loc. cit. num. 84. et 85. et Rota in dec. 327. num. 5. et seq. cor. Roissas, ubi de Civitate ampla Januæ, et part. 10. recent. dec. 337. ubi referuntur varia exempla in Civitate Neapolis quoad reclamationes in similibus casibus. (29. Hinc non licet Ordinario contra hujusmodi privilegia aliquid innovare, ut rescripsit Sacra Congregatio Episcop. et Regul. in Albingen. 12. Jan. 1604. sicut refert Passerin. l. c. num. 84. in fine. (30. Neque hoc privilegium abrogatum censetur per Bullam Clementis VIII. incip. *Quoniam ad instantiam*; neque per Bullam Gregorii XV. incip. *Cum alias*, neque per Bullam Urbani VIII. incip. *Romanus pontifex*, neque per Bullam Innocent. X. incip. *Instaurandæ*: in quibus licet præscribatur forma servanda in erectione novorum Conventuum, non tamen abrogatur privilegium concessum ab aliis de distantia 140 cannarum, cum tales Pontificiæ Constit. sint inter se compatibiles, et procedentes a diversis rationibus, ut late Rota in citat. decis. 327. et 356. coram Roissas, et part. 16. recent. decis. 37. et reassumit Passerin. loco cit. num. 83. ac annuit, Pignatell. tom. 10. consult. 12. n. 4. et per tot. (31. Contrarium tamen, scilicet privilegium 140 cannarum non esse usu receptum, tenent Sorbo in *Compend. privil.* verb. *Ædificare* num. 20. in annot. versic. *quoad dispositionem*, Tamburrin. *de Jure abbat.* tom. 3. disput. 5. qu. 4. num. 2. et 3. Panimol. decis. 11. num. 12. et alii. Unde videtur in hoc servanda consuetudo cujusque loci; arg. cap. *Cum tanto* 11. *de Consult.* (32. Mensuratio hujusmodi distantiæ 140 cannarum debet fieri per aerem, non autem, per terram, ut præscribitur in cit. Constit. Clement. IV. incipit *Ad consequendum* § 2.

(33. Longitudo autem cannarum debet esse pro qualibet mensura octo palmorum, ut expresse habetur in cit. Const. *Ad consequendam* § 3.

(34. Pro ædificanda Ecclesia requiritur insuper ut assignetur dos sufficiens, et congrua pro iis, quæ ad illius reparationem, cultum et Ministros sunt necessaria, alias ædificari nequit; *Novell.* 67. cap. 2. ubi statuitur : « Non aliter quampiam Ecclesiam ex novo ædificare, priusquam loquatur ad Deo amabilem Episcopum, et definiat mensuram quam deputat, et ad luminaria, et ad S. Ministerium, et ad incorrumpendæ Domus custodiam, et observantium alimenta; et si sufficientia habere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura sunt deputari, et ita Domus ædificetur; » et cap. *Nemo* 9. dist. 1. *de Consecrat.* ibi : « Nemo Ecclesiam ædificet, antequam præfiniat, quæ ad luminaria, et ad stipendia Custodum sufficiant, et ostensa donatione, sic domum ædificet; » concordat cap. *Placuit* 1. caus. 1. q. 2. et cap. *Cum sicut* 8. *de Consecrat eccles.* (35. Si quis absque Dotis assignatione Ecclesiam construxerit, obligatur ad eam constituendam, eo ipso quod construxerit ; cap. *Piæ mentis* 26. caus. 16. qu. 7. et mortuo ædificatore tenentur ejus hæredes, ut docent communiter Doctores; arg. cit. c. *Cum sicut* 8. *de consecrat.* (36. Si autem Ædificator impotens esset ad ipsam Dotem constituendam, et Ecclesia fuit ædificata de consensu Episcopi, eamque absque cautione, vel absque Dote consecravit, teneretur ipse Episcopus ad ipsam Dotem præstandam, ac omnino providere de necessariis, ut obligantur ad illum providendum, quem absque Titulo ordinavit; cap. 2, et cap. *Cum secundum* 16. de *Præbendis*, et tenet Engel. lib. 3. *Decretal.* tit 48, num. 6. Reiffenstuel ibid. n. 9. et alii passim arg. citat. cap. *Cum sicut* 8. *de Consecrat. Eccles.* et ibi Glossa verb. *Consecranda.* (37. Id tamen Episcopus de proprio teneretur facere sine læsione Ecclesiæ, quia cum id sit ei impositum in pœnam, ex quo absque Dote, vel sine sufficienti cautione, ut dotaretur, eam permisit ædificare, et consecravit, cit. cap. *Cum sicut.* 8, *de Consecrat. Eccles.* non debet ejus delictum in Ecclesiæ damnum converti, textu expresso in cap. *Si Episcopum* 3. caus. 16. q. 6, ibi : « Quia delictum personæ in Ecclesiæ damnum non est convertendum. » (38. Capella potest erigi sine Dote, nam sufficit Ecclesiam esse dotatam; Lambert. *de Jure patronatus* lib. 1. pag. 1. qu. 3. princ. art. 5. Annan. consil. 24. Bellet *Disq. Cleric.* 1. p. tit. *de Cleric. debitore* § 13 n. 12. Genuens. in praxi c. 109. n. 1 Card. Petra tom 1. *Comment. ad Constit.* 2. *Paschalis II.* num. 85 *et* 91. (39. Dummodo tamen non adsit in ea speciale Beneficium erectum, aut aliquod onus impositum; alias esset assignanda dos juxta onus; Bellet. et alii mox cit. *Doctores.*

Digitized by Google

(40. Dos assignanda Ecclesiæ debet esse competens, et sufficiens pro ipsius Ecclesiæ ministris, luminariis, aliisque necessariis; cap. *Nemo* 9, dist. 1, *de Consecrat.* cujus Canonis verba cum aliis *Novel.* 67, *c.* 2, sunt adducta supra sub. n. 34, et ad rem facit expresse cap. *Placuit* 1, causa 1, qu. 2, ibi: « Hoc unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ, et obsequium ipsius per donationem Chartulæ confirmatam accipiat. Nam non levis culpa est ista temeritas, se sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tamquam domus privata consecratur. » Et pro cognoscenda sufficientia Dotis, potest etiam respectus haberi ad Decimas, oblationes, et alias obventiones spirituales Ecclesiæ Ministris de Jure competentes, ut recte docent. Abbas in c. *Cum sicut* 8, *de Consecrat. eccl.* num. 5. Pihring. lib. 3, decret. tit, 40, *n.* 6. Reiffenstuel. ibid. num. 6, et alii. (41. Pro cognoscenda sufficientia Dotis novæ Ecclesiæ Regularium ædificandæ debent hodie attendi Decreta Sacræ Congreg. Concilii jussu Urbani VIII, edita 21 Junii 1625, et innovata ab eadem Sac. Congreg. Concil. Jussu Innocentii XII, 23 Novembris 1697, et ab eodem Pontifice expresse confirmata die 23 Decembris ejusdem anni 1697. Constit. incip. *Nuper a Congregatione;* ubi statuitur non esse congruam, et sufficientem Dotem pro nova Ecclesia, et Monasterio erigendo, nisi inibi ali et sustentari possint ex redditibus, et consuetis eleemosynis saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi. Vid. verb. *Conventus*, art. 1, num. 27, et seq.

(42. Pro ædificanda Ecclesia requiritur ulterius ut ipsa Ecclesia noviter ædificanda; cap. *Quicumque* 44, non vergat in præjudicium alterius Ecclesiæ præsertim Parochialis caus. 16, qu. 1, ibi: « Omnino providendum est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur; » cap. *intelleximus* 1, *de novi operis nunciatione;* ibi: « Nulla Ecclesia in præjudicium alterius est construenda. » (43. Hinc si ab Episcopo permittatur ædificatio Ecclesiæ in præjudicium Parochialis, potest Parochus se opponere, et a licentia concessa appellare, Barbosa *de Offic. et Potest. Episcop.* alleg. 26, n. 5. Pax Jordan. *Elucubrat. Can.* tom. 1, libr. 5, tit. 8, n. 39. Guido Papa dec. 370. Seraphinus, dec. 847, n. 1. Card. Petra tom. 1. *Comment. ad Constit.* 2. *Paschal. II*, n. 10. (44. Si tamen in licentia concessa pro ædificatione novæ Ecclesiæ, quæ non sit Parochialis, nec Regularis, sint ab Episcopo reservata Jura Parochialia, et sic non inferatur præjudicium Ecclesiæ Parochiali, tunc nec requiritur Parochi consensus nec ipse Parochus potest contradicere, et ædificationem impedire, ut late probat, et defendit Card. Petra loc. cit. a. n. 17, et seq. ubi solvendo fundamenta adversariorum, ostendit consensum Parochi pro constructione Ecclesiæ non Parochialis a nullo jure requiri; Monacel. tom. 1, tit. 6, formul. 10, num. 8, ubi dicit, quod si in licentia concessa ab Episcopo pro construenda nova Ecclesia non Parochiali, nec Regulari, præservata maneant Jura Parochialia, non requiritur consensus Parochi, nec ipse Parochus potest se tali ædificationi opponere, ut pluries a Sacra Congregatione tum Episcop. et Regular. tum Concilii fuit decisum, quæ decisiones hic litteraliter dantur prout ab ipsa ibid. sub num. 9, usque ad num. 14, afferuntur.

(45. In una Januen. in qua cum nobilis Mulier Anna Adurna obtinuisset ab Archiepiscopo licentiam parvam Ecclesiam Ruri ædificandi tam pro commoditate propria, quam loci Incolentium, se opposuit Parochus S. Margaritæ Narasi, causaque per viam recursus delata ad Sac. Cong. Episcop. et Regular. referente Eminentissimo Sacchetto sub. die 5 Septemb. 1692, prodiit rescriptum: *Concedendam esse ædificationem arbitrio Ordinarii, salvis Juribus Parochialibus.*

(46. In Nucerin. in qua cum vellet Dominicus Cognucci ædificare publicum Oratorium in Villa Dignani, sese opposuit Parochus, non solum ob subtractionem, quam timebat, eleemosynarum, sed ob diminutionem concursus populi; sine quo nec processiones facere, nec pueros adultosque rudiores docere Doctrinam Christianam potuisset. Episcopus tamen in actu Visitationis licentiam pro constructione novæ Ecclesiæ concessit, nonnullis conditionibus qualificatam, *et sine præjudicio Jurium Parochialium*, a quo decreto recurrente Parocho ad eamdam Sac. Congregationem, et referente Eminentissimo D. Card Acciajolo sub die 12 Martii 1693, responsum fuit: *Serventur disposita per Episcopum*, et idem tenuit in Placentina Oratorii 20 Maii 1697, referente clar. mem. Card. Petrucci, Parocho, ac etiam Episcopo reluctantibus.

(47. In Maceraten. Exoptans Bartholomeus Accursius in oppido Montis Miloni Ecclesiam ædificare, et dotem pro illius manutentione assignare, Parochus se opposuit, qua oppositione non obstante, delata causa per viam recursus ad Sacr. Congreg. Conc. sub die 10 Maii 1687, licentiam Accursio concessit, *Cum obligatione congruæ Dotis, et salvis Juribus Parochialibus.*

(48. In Theatina; Baro Joseph Foppus pro commoditate Colonorum Ecclesiam auctoritate Ordinarii Ruri ædificavit, et cum vellet in ea Capellaniam perpetuam cum onere Missarum erigere, consensum Archiepiscopi suscessoris non potuit obtinere, ex quo Ecclesia non esset in loco, et via publica, tum quia per erectionem Capellaniæ Villici propriam Parochiam deseruissent, ideoque habito per dictum Baronem recursu ad eamd. Sac. Congreg. Conc. propositoque Archiepiscopo etiam informante dubio; *An precibus Baronis esset annuendum?* die 29 Julii 1690, responsum fuit affirmative.

(49. In Foroliv. Cæsar Maria Baratta volens fabricam publici Oratori Ruri cœptam complere, se opposuit Parochus ob proxi-

Digitized by Google

mitatem Ecclesiæ Parochialis, cui oppositioni adhærente Episcopo (qui noluit licentiam concedere) recursum habuit Baratta ad eamdem Sac. Cong. Concilii, a qua audito Episcopo, et nihil, quod posset obstare, deducto, die 16 Januari 1692, fuit resolutum : *Licentiam esse concedendam sine præjudicio jurium Parochialium.*

(50. In Ravennat. Quidam Franciscus Secchius ob commoditatem populi, mandavit in suo Testamento, quod ex suis bonis erigi deberet certo loco nova Ecclesia Parochialis, et pro indemnitate Parochi, a quo pars Parochianorum separari debebat, legavit eidem Prædium annui redditus scut. 18. Huic dispositioni acriter se opposuit Parochus ob præjudicia suæ Ecclesiæ. Causaque proinde delata ad eamdem Sac. Cong. Conc. propositoque dubio : *An esset facienda erectio novæ Parochialis in alio loco, quam destinato per Testatorem, et sub quibus conditionibus?* prodiit, partibus informantibus, solutio : *Affirmative, et quoad locum et conditiones arbitrio Archiepiscopi.*

51. Antequam ædificetur Ecclesia debet Episcopus accedere ad locum, ubi ipsa Ecclesia ædificanda est, et ibidem publice atrium designare, Crucem figere, et primum lapidem ponere; cap. *Nemo Ecclesiam* 9, distinct. 1, *de Consecrat.* ibi : « Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus Civitatis veniat et ibid. Crucem figat, publice atrium designet; » concordat *Novella* 131, c. 7, et *Novell.* 66, ibi : « Sancimus præ omnibus illud fieri, et nulli licentiam esse neque Monasterium, neque ecclesiam, neque Orationis Domum incipere ædificare, antequam Civitatis Deo amabilis Episcopus orationem id loco faciat, Crucem figat, publicum processum ibi faciens, et causam manifestam omnibus statuens. » Et quamvis in allatis testibus expressa mentio non fiat de primo lapide ab Episcopo ponendo, Glossa tamen in cap. *Placuit* 1, caus. 1, q. 2, et alii Doctores communiter etiam de primo lapide dictos textus interpretantur. (52. Potest autem Episcopus etiam per alium Crucem figere, et primum lapidem ponere, ut docent communiter Doctores cum Barbosa lib. 2. *Juris Eccles. univers.* c. 2, n. 17. Engel. lib. 3, decr. tit. 48, n. 3. Pirhing ibid. n. 3. Reiffenst. ibid. n. 6, et Glossa in cit. cap. *Nemo* 9, dist. 1, *de Consec.* verb. *Veniat*, et ratio est, quia ex Regula 68. *Juris* in 6 : « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, » eo vel maxime, quod præfati actus non pertinent ad potestatem Ordinis, sed Jurisdictionis, quam alteri etiam simplici Sacerdoti delegare potest Episcopus cap. *Aqua* 9. *De Consecratione Ecclesiæ* ibi : « Quia licet Episcopus committere valeat quæ Jurisdictionis existunt, quæ Ordinis Episcopalis sunt non potest inferioris gradus Clericis demandare. » Et quoad totum consonat *Pontificale Romanum* p. 2, *de Bened. et imposit. primar. lapid. pro Eccles. ædificand. in urb.* per hæc verba : « Nemo Ecclesiam ædificet, priusquam Pontificis judicio locus, et ambitus designetur, et quoad luminaria, quid ad Rectoris, Ministrorum stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiæ dotem pertineat, definiatur, et per eum, vel ejus auctoritate per Sacerdotem Crux in loco figatur, et primarius lapis in Ecclesia ponatur.

(53. Pro Ecclesia ædificanda, sive amplianda potest cogi vicinus ad vendendam Domum, vel alium situm, l. *Si quis Sepulchrum* 12, ff. *De religios. et sumpt. fun.* l. *Si locus* 12, § fin. ff. *Quemadmod. servit. amit.* l. 3, tit. 5, part. 5, et sic communis Doctorum. (54. Domum vicinam cogitur quis vendere, etiamsi contigua non fuerit Ecclesiæ, sed via publica adfuerit media; Rota d. 213, n. 5, in recent. Farinac. p. 3. Giurba cum pluribus aliis d. 87, n. 3 et 7. Frances *de Eccles. Cathedrali* 6, c. 10, n. 125, et alii passim. (55. Domus vicina compellitur vendi pro ædificanda, amplianda, vel reparanda Ecclesia, etiamsi fuerit perpetui fideicommissi, aut majoratus; quia prohibitio non alienandi fideicommissum, aut majoratum debet intelligi, nisi, ex juxta causa, contrarium Principi placuerit, ut late docet Molina lib. 1, cap. 8, a num. 28. Larea Allegat. 115, per. tot. unde cum causa publica Religionis sit justissima causa, ut res ab invito auferatur, stat evidenter quod, licet Domus sit fideicommissi perpetui, vel majoratus, possit, et debeat vendi ob ædificium, vel ampliationem Ecclesiæ; Barbosa in l. *Invitum* 11. *Cod. de contrahend. Empt.* n. 10. Franciscus Marcus 1, p. d. 534, n. 6. Hieronymus Leo d. 90, n. 13. Novarius *de Privil. miser. pers.* privil. 6. n. 5. Thoro *In Summa privileg. caus. piar. privil.* 237. Amostaz. tom. 1, lib. 5, c. 2, *de Eccles. ædificandis*, n. 8. Fontanella *de Pact. nupt.* tom. 1, clausula 4, glos. 12, a. n. 25. Frances loc. cit. num. 159. (56. Immo conclusio procedit etiamsi Domus fuerit alterius Ecclesiæ, aut alterius causæ piæ; Barbosa in d. l. *Invitum* 11, num. 21. Giurba d. 86, n. 16, Franciscus Marcus 1, p. d. 535, n. 6 et 7. Covarr. in 4, decretal. 2, p. c. 14, n. 48. Frances l. c. n. 127 et 160, arg. c. *Apostolicæ Sedis* 9, *de Donat.*

(57. Ad hoc ut quis teneatur domum, vel alium situm vendere pro ædificanda, amplianda, vel reparanda Ecclesia, quatuor conditiones requiruntur. (58. Prima est, quod solvatur justum pretium; l. *Venditor*, § *Si constat*, ff. *Comm. prædio*, l. fin. ad l. *Juliam de Annon.* l. 2. C. *Quibus ex causis servi pro proœm.* l. 1. *Si quis sepulcrum*, ff. *de Relig. et sumpt. funer.* et est communis Doctorum. (59. Secunda est, quod adsit necessitas, quod nempe talis domus sit necessaria pro construenda Ecclesia, vel requiratur ad necessariam dilatationem Ecclesiæ, vel Monasterii, ut optime ponderavit Rota in Januens. Domorum 15 Maii 1615, coram Manzanedo, quæ est decis. 676. part. 1. recent. Farinacc. (60. Tertia est, quod Domus sit contigua, et aliis vicinior, quia non licet ædificare volentibus libere eligere quas domus voluerint, sed debent accipere eas, quæ Ecclesiæ ædificandæ, vel ampliandæ sunt viciniores, ut æquissime statuit Rota apud

Digitized by Google

Farinac. dist. decis. 676. ex n. 4. usque ad 7. p. 1. recent. et apud eumdem part. 3. recen. dec. 213. n. 5. (61. Quarta est, quod talis venditio non fiat cum magno incommodo vendentis, et parvo commodo Ecclesiæ ædificantis; Rota part. 1. recent. Farinac. dec. 676. in Januens. domorum 15 Maii 1615. coram Manzanedo per text. in l. 1. § *Sunt qui putant*, ff. *Ne quid in loco publico*, et l. *Si quis sepulcrum*, vers. *Si præses*, ff. *de Relig. et sumpt. funer.* (62. Si enim ista concurrant, qui habet domum vicinam potest cogi ad venditionem; sin minus, nequaquam; sic Rota in Romana Palatii de Comitibus dec. 372. part. 1. recent. et de dec. 676. n. 6. Giurba dec. 86, num. 10. Gratianus disceptat 896. n. 7. Morla in *Empt.* par. 1. tit. 9, q. 9. 1. n. 7. Fontanella *de Pact. nupt.* gloss. 1. part. 3. n. 120. Frances. l. c. a. n. 151. ad 156. cum multis aliis.

(63. Pro reparanda corruente Ecclesia standum est specialibus locorum consuetudinibus; Abbas in cap. *Quicumque* 1. *de Eccles. ædificandis* n. 3. Barbosa in d. cap. *Quicumque* 1. et in cap. *De his* 4. tit. eod. Engel. lib. 3. decretal. tit. 48. n. 8. Reiff. ib. n. 22. arg. c. *Ad Apostolicam* 42. *de Simonia*, et c. *Decrevimus* 10. caus. 10. q. 1. (64. Nulla speciali consuetudine in loco existente, Ecclesia debet reparari de suis redditibus: cap. *Placuit* 1. cap. *Priscis* 2. cap. *Unio* 3. caus. 10. quæst. 3. Concil. Trid. ses. 21. cap. 7. *de Reformat.* et communis Doctorum. (65. Si Ecclesia nullos habeat redditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare tenetur, si sit Parochialis, proprius Parochus, textu expresso in cap. *De his* 4. *de Eccles. ædificandis*, ibi: « De his qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem, et restitutionem Ecclesiarum cogi debent. » (66. Et si Ecclesia non sit Parochialis, ad eam reparandam tenentur omnes in illa beneficium habentes, textu expresso in cap. *Quicumque* 1. *de Eccl. ædificand.* ibi: « Quicumque Ecclesiasticum Beneficium habent omnino adjuvent ad Ecclesiæ tecta restauranda, ipsasque Ecclesias emendandas. » (67. Si Ecclesia nullos redditus habeat, et beneficiati non nisi necessaria, vel aliqua quidem superflua, sed ad reparationem insufficientia percipiant; tunc ad Ecclesiam reparandam tenentur Patroni, et Parochiani, qui in illa Ecclesia Sacramenta, vel alia Divina percipiunt, et in quorum gratiam est reparanda, textu expresso in Conc. Trident. sess. 21. cap. 7. *de Reformat.* Ibi: « Parochiales vero Ecclesias etiamsi Jurispatronatus sint, ita collapsas refici, et instaurari procurent ex fructibus, et proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, et condradictione remota: quod si nimia egestate omnes laborent, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi. »

(68. Ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis tenetur solus Episcopus, (si tamen habeat redditus superfluos, et non adsit legitima consuetudo in contrarium); Barbosa in cap. *Quicumque* 1. *de Eccles. ædificand.* n. 5. Bellet. disquisit. Clerical. part. 1 *de Clerico debitore* § 13. num. 12. Pirhing. lib. 3. decretal. tit. 48, n. 19. Reiffenstuel. ibid. n. 28. et communis aliorum, arg. cap. *Decrevimus* 10. caus. 10. q. 1. et cap. *Quatuor* 27. caus. 12. q. 2. (69. Si autem Episcopus redditus superfluos non habeat, tunc ad reparationem tenentur, et compelli possunt Canonici superfluos redditus habentes, sive de suis Præbendis, sive de distributionibus quotidianis aliisque rebus Capituli: arg. c. *Ex parte sua* 4. *De his quæ fiunt a major. part. Capit.* et ibi Abbas n. 7. et tenent omnes Doctores mox cit. (70. Si vero nec episcopus, nec Canonici haberent redditus superfluos, aut sufficientes ad reparationem, tunc Episcopus una cum Capitulo posset compellere alios inferiores Clericos ad contribuendum de suis superfluis redditibus; vel etiam posset deputare fructus Beneficiorum vacantium pro reparatione ipsius Ecclesiæ; Abbas in c. *Quicumque* 1. *de Eccl. ædificand.* n. 6. Barbosa ibid. n. 5. Pirhing. loc. cit. n. 19. Reiffenstuel l. c. n. 28. Ecclesia Parochialis si forte corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire Fabrica si adsit, sin minus, tenetur Parochus, non quidem redditibus suis patrimonialibus, sed ex redditibus Beneficii, si ad suam substentationem supersint; quamquam non supersint ad substentationem propinquorum ejusdem Parochi. Tertio loco, qui habent Beneficium Ecclesiasticum in illa Ecclesia. Quarto loco, si Parœcia est de jure patronatus, tenetur Patronus suis sumptibus id agere; ita tamen, ut si infra præfixum ab Episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat juspatronatus illud. Denique ultimo loco tenetur populus, et qui in ea Parœcia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et Dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Ita ex Canonistis Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 100. per tot.

(71. Quæ dicta sunt de reparatione Ecclesiæ, intelligenda etiam sunt de reædificatione, seu reparatione domus Episcopi, Parochi, aut Beneficiati, ita ut qui tenetur ad reparationem Ecclesiæ, teneatur etiam ad reparationem Ædium Rectoris Ecclesiæ, prout decrevit Sacr. Congregat. Concil. teste Barbosa in cap. *De his* 4. *de Eccles. ædificand.* n. 5. Reiffenstuel loco cit. n. 26. Pirhing. loco c. n. 16. (72. Immo supradicti (deficientibus Ecclesiæ redditibus, et contraria non extante legitima consuetudine) tenentur etiam ad procuranda, et reparanda paramenta, et ornamenta Ecclesiastica, scilicet Casulas, Pluvialia, Albas, Calices, et hujusmodi; arg. cap

Digitized by Google

Quicumque 1. *de Eccles. ædific.* sic cum pluribus aliis tenet Barbosa in c.t. cap. *quicumque* n. 2. et in lib. 2. *Juris Eccl. univers.* c. 4. num. 2. Belletus *Disquis Clerical.* part. 1. tit. de *Clerico debitore* § 14, n. 4. Pirhing. loco c. n. 16. Reiffenstuel loco c. n. 26. et alii. (73. Ad hæc facit, et scire juvat sequens recens decretum Sacræ Congregationis Concilii: « Utensilia Sacra non tenetur Rector Ecclesiæ subministrare illis Sacerdotibus qui in eadem celebrant ex obligatione Beneficii, seu Capellaniæ. Quatenus vero permittat, seu recipiat Missas adventitias in sua Ecclesia celebrari, tenetur ad dictam subministrationem. Non potest demum cogi ad admittendas Missas adventitias nisi solutis Sacris Utensilibus; » Sac. Congr. Conc. in Derthonen. 6 Julii 1726. ad 11. dub.

(74. Hinc pro complemento hujus articuli juvat adducere, quod Ecclesiæ olim quando ædificabantur, caput illarum, seu Altare Majus respiciebat partem Orientalem, ut notavit Rota part. 5, tom. 1. recentior decis. 353. n. 102. Isidorus lib. 15. *Etymolog.* S. Clemens Roman. lib. 1. *Constitut Apostolicar.* Paulinus ad Severum, et alii apud Baronium anno Christi 57. n. 103. Et hunc modum erigendi Ecclesias, et orandi versus Orientem ex traditione primorum Christianorum probavit Gratianus ex S. Basilio in cap. *Ecclesiasticarum* 5. dist. 11. derivatum a lege Mosaica, ut voluit Glos. ibid. verb. *Quæ Orientem*, dicens Danielem in Babylonica captivitate oppressum versus Orientem orasse, pariformiterque Salomonem magnam sui templi molem struxisse. (75. Nec sine suis congruentiis erigebantur Ecclesiæ versus Orientem, ut observat Archidiaconus in d. c. *Ecclesiasticarum.* ubi octo enumerat, et Tostatus in cap. 6. *Matth. Quæ.* 91. ubi varias adducit; quarum præcipuæ hic subnectuntur. (76. Primo igitur eriguntur, et constituuntur capita Ecclesiarum versus Orientem, taliter quod existentes in ipsis versus Orientem orare necesse sit; quia cum oratio nostra dirigatur ad Deum omnipotentem in recognitionem suæ supremæ, et divinæ majestatis, versus illam partem orare debemus, in qua ipse magis esse videtur, et quamvis ipse ubique sit æqualiter, quia tamen operatio sua manifestatur magis in quibusdam partibus, quam in aliis, versus illas magis orandum est, quia ibi magis esse videtur. Unde cum Dei Majestas magis nobis innotescat ex gubernatione mundi ad quam præcipue confert motus Cœlorum, qui ab Oriente incipit, videtur Motor esse in Oriente adeoque versus Orientem orandum esse. (77. Secundo, oramus in Ecclesiis versus Orientem propter Paradisum terrestrem, qui a parte Orientis est constitutus; Genesi enim cap. 2. ubi nostra littera dicit, *Plantaverat Dominus a principio Paradisum* dicit litera Hebraica *ab Oriente Paradisum;* et idem est, quia Oriens est principium terræ; unde quia per Paradisum terrestrem ostenditur cœlestis, oramus versus Orientem, ubi est Paradisus terrestris, ut per hoc demonstremus in oratione nos petere solummodo ipsum

Deum, seu vitam æternam, quæ Paradisus dicitur.

(78. Tertio, quia ascensus Christi in Cœlum dicitur fuisse versus Orientem; *Psalm.* 67. ibi: *Qui ascendit super Cœlum Cœli ad Orientem;* et etiam adventus suus ad Judicium expectatur futurus, a parte Orientis; *Matth.* 24. ibi: *Sicut fulgur erit ab Oriente, et apparet usque ad Occidentem, ita erit adventus filii hominis.* (79. Quarto, quia creditur Christum Dominum pendentem in Cruce faciem versus Orientem habuisse, ac proinde Fideles versus Orientem orant, ut faciem ipsius in Cruce pendentis adorent, teste Basilio lib. *de Spiritu Sancto* c. 13, et 27. quem sequitur Vasquez tom. 3. q. 83. art. 2. disposit. 223. cap. 2. n. 19. et alii.

(80. Apostolorum igitur, et primorum Christianorum traditio, et consuetudo ista, et similia attendit, ut Ecclesias erigere, et orare versus Orientem introduceret. Verum licet hic modus erigendi Ecclesias sit congruentior, non est tamen omnimode necessarius, cum respicere Orientem dependeat ex commoditate fabricæ, propter quam multæ reperiuntur ædificatæ Ecclesiæ, quæ non respiciunt Orientem, unde hoc magis ad decentiam, quam necessitatem spectare notavit Selva *de Benefic.* qu. 5. primæ part. in principio t. 15. tractatuum n. 35. Fusc. *de Visit.* lib. 1, c. 10, n. 7. et alii. (81. Forma Ecclesiarum, qua a principio ex Apostolorum traditione utebantur Christiani, semper eadem fuit; longa nimirum, et in navis speciem, ad denotandum, quod quia in hoc mundo tanquam in mari fluctuamus, ad Ecclesiam tanquam ad Navim debemus recurrere, ut in ea pericula tempestatum, et omnes procellas superare possimus, et in ea tamquam in Navi tuta servemur; Azorius *Institut. moral.* tom. 2, lib. 9, c. 3, q. 12. Et hæc forma et species Navis probatur ex S. Clemente lib. 1, *Const. Apostol.* cap. 61. alias 57. S. Anaclet. Papa Epist. 1. decret. colum. 1, tom. 1. Conc. pag. 156.

(82. Ecclesia in tres partes, seu mansiones distribuitur. Prima pars seu mansio est ea quæ prope Altare Majus constituitur, et solet cancellis includi, et appellatur *Sacrarium*, sive *Presbyterium*, sive *Sancta Sanctorum.* Secunda pars est *chorus;* Tertia et reliqua pars est illa, quæ *Navis* appellatur. (83. Prima pars quæ appellatur *Sacrarium*, sive *Presbyterium*, sive *Sancta Sanctorum*, est ea mansio, quæ ab Altari majori versus Ecclesiam vergit. (84. Et appellatur *Presbyterium*, seu Diaconium, quia ibi sunt Presbyteri, quibus Diaconus, et Subdiaconus Sacra peragentibus ministrant; cap. 1, *de Vita, et honestate Clericor.* verb. *Sed illa pars;* Lot. *de Re benefic.* lib. 1, quæst. 13, a n. 18. (85. Et appellatur nobilior pars Ecclesiæ, quia denotat vitam contemplativam: Coccin. dec. 142, n. 1. (86. Licet alias omne Deo consecratum lato modo *Sanctum Sanctorum* appelletur; c. *Nulli* 3, caus. 12, q. 1. Zabar. cons. 14, in princ. Frances *de Eccles. Cathedr.* cap. 5, n. 38. (87. Locus hic *Sacrarium* dicitur, quia in talem locum, seu partem

Digitized by Google

non licere ingredi nisi Ministros sacratos fuit decretum in Concil. Agatens. can. 66, ibi: « Non oportet non sacratos Ministros in Sacrarium, quod Græci Diaconium appellant, ingredi, » et in Concil. Laodicensi, cap. 19, ibi: « Solis autem Ministerio Sacro deditis liceat ad Altare ingredi, et in eo communicare. » Unde non sacratos hominem ibidem sacrata vasa contingere non posse fuit statutum tot. tit. *de Consecr.* dist. 1, juncta Glos. in c. 1, verb. *Sed pars illa, de Vit. et honestat. Cleric.*

(88. Secunda Ecclesiæ pars dicitur *Chorus* sic etymologice dictus a Chorea, vel Corona, quia olim Clerici in modum coronæ circa aras stabant, et eo modo psalmos canebant; Durand. in *Rational.* lib. 1, cap. 1, n. 18. Selva part. 1, q. 5, num. 44. Gavant. in *Thesaur. sacror. rit.* p. 1, tit. 15, verb. *in Choro*, Brunus *de Cæremoniis*, lib. 5, cap. 2, et alii. (89. Unde Chorus significat locum, qui Clericos psallentes continet; cap. *Dilectus*, *extra de præsb. et dignit. in antiq.* Calvin. in suo *Lexico* verb. *Chorus*, et ut ait Polyd. Virg. *de Invent. rer.* leg. 6, cap. 2. Chorus multorum vocibus constat, ita ut ex pluribus una reddatur, fiatque concentus ex dissonis; leg. *Cum ejusdem* 34, ff. *de ædil., edict.* l. *Si Chorus* 79, ff. *de Legat*, 2. (90. Hinc tempore Constantis Imperatoris, Flavianus et Theodorus adversus Arianos decertantes, et in duas partes Canentium Choros dividentes, ex successione Davidicam melodiam canere docuerunt, idque primum in Antiochia factum, postea in alias orbis terrarum partes propagatum, et a S. Damaso confirmatum, ut legitur in lectione 6, ejus officii die 11. Decembris, et a Theodoreto, et Durand. refert Daniel de Nobilibus in disp. select. disp. 60, n. 161. (91. Immo Selva, et Durand. loc. c. dicunt, quod Beatus Ignatius, qui post Beatum Petrum tertius Antiochenæ Ecclesiæ Antistes extitit, fuit primus, qui præcepit, et induxit morem alternatim Psalmos canendi in Antiochena Ecclesia, notantes id factum fuisse ad imitationem Angelorum, et spirituum cœlestium laudantium Deum quasi reciproca voluntate; et talis mos exinde propagatus fuit in Orientales Ecclesias. Spino *in Spect. testam* Gloss. 3, in princip. n. 66, et in Occidentali Ecclesia primus cum auctoritate S. Damasi Mediolani instituit S. Ambros. Barb. cum pluribus in coll. ad text. in cap. *Dolentes*, *de Celebrat. miss.* n. 14.

(92. Tertia Ecclesiæ pars est Navis deserviens pro receptaculo Laicorum Divina officia audientium, et orantium; sacras item conciones audiendo; cap. 1, *de Vita et honest. Clericor.* cap. *Sacerdotum* 29, dist. 2, de *Consecrat.* teste coccino dec. 142. Lotter. d. c. 13, n. 39. Daniel. de Nobilibus d. disp. 60, n. 33. (93. In hac parte Ecclesiæ olim Mares a Fœminis separari constituebantur; Mares in dextra Navis parte sedem habebant, Mulieres in sinistra; sive viri in parte Australi, mulieres in Boreali, ut habet Ordo Romanus *de Officio Missæ*, Micrologus *de Eccles. observ.* cap. 9, ubi sic dicit. « Diaconus cum legit Evangelium juxta Romanum Ordinem, in Ambone vertitur ad meridiem, ubi et masculi conveniunt, non ad Aquilonem, ubi fœminæ consistunt; » Amalarius lib. *de Divin. Offic.* cap. 2. Albinus Flaccus lib. *de Offic.* cap. *de Sabbato Sancto*; Durand. lib. 1. *Rational.* cap. 1, n. 46. Pignat. tom. 7, consult. 35, n. 22, qui rationem assignatæ Mulieribus stationis ad Boream, viris ad Austrum dicunt esse, ut teneatur correspondentia cum Angelo, quem Joannes vidit pedem dextrum ad Mare in Austro situm protendere, sinistrum autem in terra ad Aquilonem. (94. Et quod fœminæ a viris separatæ in Ecclesia starent, fuit expresse statutum ab Apostolis ipsis lib. 2, cap. 61, ut refert, et tenet Barbosa lib. 1, *Juris Eccl. univ.* cap. 3, n. 33, et S. Clemens Roman. lib. 2, *Const.* cap. 57. Et utinam hæc sanctiones, et antiquæ praxes, ut in Ecclesiis separatæ remanerent mulieres ab hominibus, servarentur adhuc nostris hisce temporibus, ne mutua eorum proximitas, et promiscua statio cor a piis meditationibus, sacrisque Mysteriis verteret, et ne, ut non semel in dies accidit, studium salutis fieret perditionis occasio! (1)

(95. Duo præsertim in hoc articulo inu stranda sunt. Alterum concernit obligationem, qua tenetur vicinus vendendi domum, vel alium situm pro ædificatione, vel ampliatione Ecclesiæ. Alterum respicit reparationem Ecclesiæ.

(96. Ad primum quod attinet, fundamentum dictæ obligationis vicini communiter reponitur in leg. *Si quis sepulcrum*, ff. *de Religiosis et sumpt. Funer.*

(97. Sed ut jamdudum animadverterunt (licet frustra) viri docti, nihil tale in citata lege occurrit. Regula enim juris est, neminem invitum cogi posse ad vendendam rem suam; L. *Dudum*, C. *de contrahend. Empt.* (98. Continere itaque debet Lex : *Si quis sepulcrum* exceptionem mox dictæ Regulæ, ubi agatur de ædificanda vel amplianda Ecclesia. In ea autem hoc habetur : « Si quis sepulcrum habeat, viam autem ad sepulcrum non habeat, et a vicino ire prohibeatur, Imperator Antoninus cum Patre rescripsit iter ad sepulcrum precario peti et concedi solere, at quoties non debetur, impetretur ab eo, qui fundum adjunctum habet. »

(99. At textum hunc agere, apposite inquit Merend. *Controvers. jur.* lib. 1, cap. 30, num. 1, de sequent. « de concessione itineris ad sepulcrum, quod suapte natura Domino fundi modicum, immo nullum damnum affert. Raro enim homines sepulcra adeunt, ideo in hujusmodi casu locum sibi vindicat

(1) De diversis apud Christianos Ecclesiarum formis, et partibus consule Selvaggium *Antiq. Christ.* To. 2. lib. 2. c. 2. et Fleury *disciplinam populi Dei* a Zaccaria notis, et variorum dissertationibus illustratam To. 2. edit. 1782. *pag.* 217. *seqq.* ubi Joan. Cabassutii *de veterum Ecclesiarum situ, partibus*, et *structura*, ac Mabilonii *de Ecclesiarum, seu Basilicarum forma* et *dispositione apud Francos* Dissertationes exhibentur. (EDIT. BARB.)

Digitized by Google

Regula Legis secundæ, § *Item Varos*, ff. *de Aqua pluv. arcen.* Id quod tibi non nocet et mihi prodest, æquitas vult ut mihi concedatur, etiamsi jure deficiat. Ergo decisio hujus textus non potest trahi ad quæstionem nostram, in qua de re vicino gravissima agitur, ut scilicet rem suam vendere cogatur. Traditum est enim extensionem de casu ad casum etiam in materia favorabili non admitti, nisi eadem prorsus ratio vigeat in utroque casu, etc. At dices, Jurisconsultum tractare de eo casu, quo iter damnum non leve afferebat Domino, quia inquit: ita tamen, ut Judex de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum. Respondeo, speciem singularem non tractari ab Ulp. auctore hujus textus, sed rem in abstractu exponi, et per modum Regulæ, ut liquet ex verbis antecedentibus, et ideo dum prædictis verbis admonet Judicem datum ad constituendum iter, ut opportune, et sine damno Domini iter constituat, id facit, ut intelligat, quomodo versari debeat in hac re, ut scilicet minus, quam fieri possit, Dominus fundi lædatur. Itaque verissimum est, quod dixi, decisionem illius textus pendere ex eo, quod leve, immo nullum damnum concessio itineris ad sepulcrum plerumque continet; plerumque, inquam, quia licet interdum secus sit, non refert, quia in legibus id quod plerumque accidit sequimur, non quod raro evenit, l. *Num ad ea*, ff. *de Leg.* cum. ll. seqq. Sed esto, textum loqui in casu, in quo damnum concessio itineris Domino fundi affert, quid tum? Ergone ad quæstionem nostram trahi poterit? Nequaquam, nam damnum quod propter concessionem itineris affertur, est longe minus, quam sit id quod affertur, cum quis cogitur rem suam vendere, non enim extensio permittitur, nisi eadem prorsus ratio vigeat, ac ita fortis, ut in lege, quæ extenditur, ut constat ex scriptis, » cap. 12, num. 11, lib. 3, et in proposita quæstione agnoscit Rota dict. decis. 676, num. 7 et 8. « His accedit sepulcri, de quo J. C. agit, nullum futurum fuisse usum, si denegatum fuisset iter ad illud, quæ circumstantia magni certe momenti fuit ad commovendum Impp. Severum, et Antoninum, ut rescriberent ad favorem Domini sepulcri, tunc enim magis urget dictamen illud naturale, quod tibi non nocet, et aliis prodest, etc. Hæc autem circumstantia in quæstione nostra deficit. Ergo hæ species sunt valde dissimiles. » Confer etiam Covarruv. *Variar. resolut.* lib. 3, cap. 14, n. 7 et seqq.

(100. Cæterum vanum est confutare opinionem hanc de obligatione, qua vicinus tenetur, vendendi domum, vel alium situm pro ædificatione, vel ampliatione Ecclesiæ, nam ea communiter a Doctoribus et Tribunalibus recepta est. (101. Juvat tamen hæc adnotasse, ut non docte et quidem concludenter de omnibus ab ipsis Doctoribus et Tribunalibus, in hoc judicio requisitis, de quibus agit Auctor, respondeatur contra Ecclesiam, prout servavit Rota in Melevitana Fabricæ 1741. coram clar. mem. Calcagnin. (102. Tum etiam ut hæc opinio non extendatur ad omne id, quod est connexum Ecclesiæ, prout hactenus est extensa, ut videre est apud Mastrill. decis. 280. Gizarell. decis. 37, ibique omnes addunt, et Rot. in *Compostellana Permutationis* 2 Junii 1738, § 16, cor. bon. mem. Vicecom.

(103. Quod vero concernit reparationem, ad eam illi primo loco tenentur, in quos onus hoc transtulit consuetudo. Idem dic de statuto. (104. Quomodo autem probanda in subjecta materia sit consuetudo tradit Klock. *de Contribut.* cap. 10, num. 23, et plur. sequent. (105. Confer etiam Lanfredin. *Respons. Eccles.* 32, num. 13, tum Louvrex *Dissert. Canon.* 16, num. 5, et plur. sequent.

(106. Deficiente autem tam consuetudine, quam statuto, facienda est reparatio ex portione, si qua extat, pro Fabrica destinata: eaque non extante, ex fructibus Ecclesiæ de qua agitur. (107. Qua ratione Episcopus Ecclesiam Cathedralem, Capitulum Ecclesiam Collegiatam, Parochus Ecclesiam Parochialem, et Rector quamcumque aliam Ecclesiam reparare tenentur, nam ipsi sunt qui fructus percipiunt. (108. Intellige tamen deducta prius ex fructibus congrua pro eorum substentatione. (109. Adi Louvrex, dict. dissert. canon. 16, numer. 9 et sequ.

(110. Quod si deducta mox dicta congrua substentatione, non supersit pro reparatione, tenentur alii, si qui sunt, qui fructus percipiunt. (111. Solent enim Decimæ Ecclesiarum Parochialium ut plurimum ad alios quam ad Parochos pertinere. (112. De obligatione autem decimatorum ad reparationem, vide quæ diximus in additione ad verb. *Congrua* artic. 2. Pensionarii quoque in hoc casu tenentur ad reparationem; Rot. in *Fanen. Suppressionis* 4, Junii 1741, cor. R. P. D. Canilliac.

(113. Post hos tenentur qui beneficia in ea Ecclesia possident, deducta pariter prius pro ipsis congrua substentatione ex fructibus suorum Beneficiorum; Louvrex, dict. dissert. canon. 16, num. 13. Rot. in Viterbien. Contributionis Onerum. et Expensarum 15 Junii 1745, § 10, cor. R. P. D. Elephantut. (114. deinde Patroni, ac demum Parochiani, si agatur de Ecclesia Parochiali.

(115. Habes et quidem ex ordine illos qui ad reparationem tenentur. At plura adhuc adnotanda sunt.

(116. De Episcopo singulare illud occurrit, quod si onus reparandi ad alios pertineat, tenetur nihilominus ipse reparare Cathedralem minitantem ruinam, reservato sibi jure agendi contra illos; Rota coram clar. mem. Tanar. decis. 233, num. 11.

(117. Quoad Parochum, nota, quod is tenetur tantummodo reparare Ecclesiam Parochialem, non item Ecclesiam succursalem, si qua est in Parochia, nam ad eam reparandam nec Parochus nec quicumque alius percipit fructus Parochiæ, (118. sed Parochiani illi, quorum gratia extructa est, tenentur; Vanespen. *Jur. Eccles. univ.* part. 2, tit. 16, cap. 5, num. 17, at sequent. Wames. *Consil. canonic.* 511, num. 8. Peck *de*

Digitized by Google

Repar. Eccles. cap. 24, fere per tot. (119. De eo vero, uter teneatur ad reparationem Ecclesiæ Parochialis, Parochus habitualis ne, an Vicarius perpetuus, consule Lanfredin. *Respon. Eccles.* 32, a num. 1, ad plur. sequent.

(120. Quod dictum est supra, Beneficiatos teneri ex fructibus ad reparationem, deducta prius pro ipsis congrua substentatione, id procedit si agatur de Beneficiatis illis, qui residere tenentur; Rota *in Romana, seu Regien. Reparationum* 26 Aprilis 1743, § *Alterum* et sequent. coram bon. mem. Nunez et 4 Maii 1746, § 10, cor. Illustriss. Caprar. Alm. Urb. Gubernator. (121. De Forensibus, qui prædia possident in Parochia, cujus Ecclesia reparatione indiget, an ii in contributionem vocari queant, vide Klock. *de Contribut.* cap. 10, n. 57, et plur. sequent.

(122. Si Ecclesiam ruinam passa sit tempore Beneficiati Antecessoris, uter conveniendus sit pro reparatione, Successor, an hæres Beneficiati Antecessoris, magna quæstio est; Consule de ea Louvrex, dissert. 16, num. 10, et plur. seq.

(123. De Hypotheca competenti Ecclesiæ pro reparatione super bonis Beneficiati, adi Rous. De la Combe in sua *Jurisp. Canon.* v. *Reparatio* sect. 6, per tot.

(124. Additionem hanc cludat quæstio illa: An is, ad quem pertinet onus reparationis, ampliandæ quoque, et de novo ædificandæ Ecclesiæ sumptum agnoscere debeat, nec ne? negant Peck. *de Repar. Eccles.* c. 2, num. 1 et 2, et Klock. *de Contribut.* cap. 10, n. 9, et plur. seqq. de illo, qui ex *testamento*, vel ex *contractu* tenetur reparare: affirmant vero de eo, qui ex *juris dispositione* ad reparationem Ecclesiæ obligatus est. At absolute et quidem rectius negat Wanies. *Consil. canon.* 513, n. 5.

ARTICULUS IV.

Ecclesia quoad ejus consecrationem, execrationem, et reconciliationem.

(1. Consecratio Ecclesiæ est Dedicatio ejusdem ad cultum Divinum speciali ritu facta a legitimo Ministro, ad hoc ut populus fidelis opera Religionis in ea rite exercere possit; Est in re communis. (2. Solus Episcopus loci de jure communi potest Ecclesiam consecrare; cap. *Interdicimus* 19. caus. 16, quæst. 1, ibi: « Chrisma, et Oleum, consecrationesque Altarium Ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum Parochiis manent; » concordat cap. *Nemo* 9, et cap. *Nullus* 15. dist. 2, *de consecrat.* ibi: « Nisi in consecratis ab Episcopo locis. » (3. Episcopus debet esse proprius illius Diœcesis, in cujus finibus sita est Ecclesia consecranda; cit. cap. *Iterdicimus* 10, caus. 16, quæst. 1, et c. *Tua fraternitas* 2, *de Consecr. Eccles.* ibi: « In Diœcesi tua. » (4. Non enim in Diœcesi aliena potest Episcopus consecrare Ecclesiam absque proprii Episcopi permissione; cap. *Episcopus* 28, caus. 7, quæst. 1, cap *Piæmentis* 25, et c. *Frigentius* 26, caus. 16, quæst. 7, (1). (5. Et si Episcopus in aliena Diœcesi sine Diœcesani Episcopi permissione Ecclesiam consecraverit, punitur suspensione ab exercitio Pontificalium per integrum annum; Conc. Trid. sess. 6, c. 5, *de Reform.* et sess. 14, c. 2, et debet per eumdem annum cessare a celebratione Missarum; textu expresso in c. *Episcop.* 38, caus. 7, q. 1, ibi: « Episcopus in Diœcesim alienam ad consecranda altaria irruere non debet. Quod si fecerit transgressor Canonum uno anno a missarum celebratione cessabit. » (6. Consecratio tamen Ecclesiæ facta ab Episcopo in aliena Diœcesi remanet valida; textu expresso in d. c. *Episcopus*, ibi: « Altaris tamen consecratione manente. » (7 Episcopus non potest delegare potestatem consecrandi Ecclesias simplici Sacerdoti, sive non Episcopo; textu expresso in c. *Aqua* 9, *de Consecrat. Eccles.* ibi: « Aqua per Episcopum benedicta, Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes: non obstante consuetudine Provinciæ Bracharensis (quæ dicenda est potius corruptela), quia licet Episcopus committere valeat, quæ Jurisdictionis existunt, quæ Ordinis Episcopalis sunt non potest inferioris gradus Clericis demandare (2). » Et sic quoad supradicta omnia Barbosa *de Offic. et Potest. Episcop.* part. 2, allegat. 27, num. 1. Pirhing. lib. 3. Decret. tit. 40, num. 1. Reiffenstuel ibid. num. 2 et 3, et communis aliorum. (8. Ecclesiam consecrare quamvis nemo possit præter Episcopum, possunt tamen Prælati Regulares proprias Ecclesias solemniter benedicere, et ad cultum divinum deputare, ita ut possint in ipsis divina peragi Officia, et Missæ celebrari, ac si ab Episcopo fuissent consecratæ, ut patet ex privilegio Leonis X, qui, ut refert Casarubius *in Compendio privilegiorum, verb. Benedicere*, concessit: « Generalibus, Provincialibus, ac Custodibus, et Guardianis Fratrum Minorum pro tempore existentibus, ut omnia, et singula ejusdem Ordinis, et Observantiæ Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, et Oratoria ubicumque existentia tam recepta, quam recipienda, etc. solemni benedictione benedicere valeant. » Quo privilegio gaudent etiam omnes alii Regulares vi communicationis privilegiorum, etiamsi expressam concessionem non haberent; Miranda in *Manuali Prælator.* tom. 2, quæs. 40, art. 1, conclus. 1. Barbosa *de Offic. et Potest. Episcop.* alleg. 27, num. 44. Reiffenstuel loco cit. n. 9, et alii passim.

(1) Et Concilium Calcedonense can. 4. Idque adeo verum est, ut ne ipse quidem Vicarius Generalis Episcopi absque Episcopi sui, aut jussu aut permissu consecrare Ecclesias possit, etsi Episcopus sit, neque enim in istiusmodi rebus, sed in jurisdictionis dumtaxat exercitio diœcesani sui Episcopi vices gerit, quod bene observat Sbroz. *de Vicar. Episc.* lib. 2. quæst. 5. num. 10. a Benedicto XIV laudatus *de Syn. diœc.* lib. 2. cap. 8. n. 2. (Edit. Barbiell.)

(2) Vide Benedictum XIV. *de Syn. Diœces.* lib. 13. cap. 15. n. 2. (Edit. Barb.)

Digitized by Google

(9. Insuper Regulares habent privilegium, ut quilibet alius Episcopus possit consecrare suas Ecclesias, quoties Episcopus Diœcesanus ab ipsis debito modo requisitus noluerit consecrare, aut id facere distulerit ultra quatuor menses, prout habetur in cit. *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum Mendicantium, et non Mendicantium*, ab Alphonso de Casarubios secundo edito, ubi sub. verb. *Altare* num. 2, sic expresse refertur : « Honorius IV, concessit, ut si Diœcesani requisiti a Fratribus Minoribus debita humilitate, noluerint in Ecclesiis eorum primarium lapidem ponere, ac Ecclesias, vel Oratoria, et Altaria sua consecrare, vel id facere ultra quatuor menses distulerint, possint prædicti Fratres per quoscumque voluerint Episcopos (gratiam, et communionem Apostolicæ Sedis habentes) præmissa recipere. » (10. Et idem concessum fuisse a Joanne XXII. Patribus Carmelitis refertur ib. sub verb. *Benedicere* n. 3, et ex ipso Barb. loco cit. numer. 11, hæc privilegia non sunt revocata per Concil. Trid. sess. 6, *de Reformat*, cap. 5, dum statuit quod nullus Episcopus in alterius Diœcesi Pontificalia possit exercere, sine ipsius expressa licentia cujusvis privilegi prætextu, etc. Nam quantum ad hoc privilegia prædicta non censentur esse privilegia, sed Jus commune continere, dummodo licentia fuerit petita, justa cap. *Statuimus* 1, *de Supplend. negligen. Prælator.*, etc. *Nihil est* 44, *de Election.* (1).

(11. Ecclesiæ consecrari possunt qualibet die etiam non festiva ; textu expresso in cit. cap. *Tua fraternitas* 2, *de Consecratione Ecclesiæ* ibi : « Licet tibi Ecclesiis dedicationem impendere tam diebus Dominicis quam privatis (2). »

(12. Non possunt tamen Ecclesiæ consecrari nisi inter Missam, textu expresso in cap. *Omnes* 3, dist. 1, *de Consecrat.* ibi : « Omnes Basilicæ cum Missa debent semper consecrari, » et concordat cap. *de Fabrica*, 24, ead. dist. 1, *de Consecrat.* (13. Hinc Episcopus peccat si absque celebratione Missæ Ecclesiam consecret ; Miranda l. c. conclus. 3, in fine ; Azor. part. 2, lib. 9, cap. 4, quæst. 2. Barbosa loco cit. num. 10. Reiffenstuel. loc. cit. num. 4, et alii passim. (14. Consecratio tamen remanet valida ; Silvester *in Summa* verb. *Consecratio* 2, quæst. 1. Pirhing. loc. cit. num. 3, et alii mox citati. Ecclesiæ Cathedrales, (15. et Parochiales cum majoribus saltem Altaribus intra annum in Civitatibus, et in Diœcesibus intra biennium post earum restaurationem, sunt ab Episcopis consecrandæ ; Benedictus XIII, in Concilio Romano tit. 25, c. 1, ex Concil. Londinens. anno 1237, c. 1.

(16. Ecclesia semel consecrata non est iterum consecranda ; textu expresso in cap. *Ecclesiis* 20, dist. 1, *de Consecrat.* ibi : « Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi. » (17 Si tamen ignoretur, aut dubitetur an fuerit consecrata nec ne ? tunc est consecranda, textu expresso in cap. *Solemniter* 16, dist. 1, *de Consecrat.* ibi : « de Ecclesiarum consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas. Nec talis trepidatio facit iterationem, quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum ; » et concordat c. *Ecclesiæ* 18, ead. dist. 1, *de Consecrat.* ibi : « Ecclesiæ, vel Altaria quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur, » et sic expresse statuit novissime Benedictus XIII, in Concilio Romano tit. 25, c. 3. (18. Ecclesia non est consecranda, nisi prius ei de dote competente provisum fuerit textu expresso in cap. *Cum sicut* 8, *de Consecr. Eccles.* ibi : « Cum non sit Ecclesia, nisi de dote provisum ei fuerit, consecranda, » et concordat cap. *Placuit* 1, caus. 1, q. 2, c. *Nemo* 9, dist. 1, *de Cons. et novell.* 66, c. 2, Vid. art. antec. a n. 34, ad. 41.

(19. Ecclesia ex toto, vel secundum majorem partem simul destructa, execratur, et indiget nova consecratione, licet ex eadem materia reædificetur ; arg. cap. *de Fabrica* 24, dist. 1, *de Consecrat.* et Glossa ibid. verb. *Innovata*, et ratio est clara, quia in tali casu nec moraliter, nec physice censetur esse eadem Ecclesia ; et sic tenet Abbas in cap. *Proposuisti* 4, *de Consecr. eccl.* n. 8, Silvester verb. *Cons.* q. 4, Barbosa loc. cit. n. 13, et alii passim. (20. Si Ecclesia successive per partes deficiens, paulatim per partes statim iterum reficitur, ac reparatur, non indiget nova consecratione, quamvis tota Ecclesia successive per partes ita destruatur, et reficiatur, ut nulla pars de primo ædificio supersit. Et ratio est, quia quamvis ex nova materia paulatim a primis fundamentis reficiatur, non ideo desinit esse eadem Ecclesia ; sicuti patet de legione militum, quæ remanet, et dicitur semper eadem Legio, quamvis militibus deficientibus novi substituantur, et sic paulatim successive omnes milites renoventur ; arg. l. *Proponebatur* 76, ff. *de Judiciis*, l. *Quod in rerum natura* 24, ff, *de Legat.* 1, et l. *Si grege*, ff. *de Legat*, 1. Tum quia dum Ecclesia paulatim, et successive reficitur, magis dignum attrahit ad se minus dignum, et major pars minorem arg. c. *Quod in dubiis* 3, *de Consec. eccl.* cap. *Si eccl.* 1, tit, eod. in 6, et Regul. 42, Juris in 6, ibi : « Accessorium naturam sequi congruit principalis. » (21. Unde in tali casu sufficiet, si nova pars aquæ benedictæ aspersione exorcizetur ; arg. cap. *de Fabrica* 24, dist. 1, *de Con-*

(1) Non desunt quoque exempla facultatum Abbatibus insigniorum quorumdam Cœnobiorum a Romanis Pontificibus factarum, ut suorum monasteriorum Ecclesias, recepto tamen prius oleo sacro ab Episcopo benedicto, consecrarent. Antiquiora nonnulla hujusmodi concessionum exempla affert Benedictus XIV *de Synod. diœc.* lib. 13. cap. 15. num. 3. iisque ille permotus eamdem Abbati Campidonensi Monasterii facultatem concessit 12. Marti, a. 1743. (Edit. Barb.)

(2) Confer Pagium in Critica ad n. 335. n. 4. ubi de Ecclesiæ Hierosolymitanæ consecratione agit. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

secrat. Glossa in cap. *Ligneis* 6, de *Consecrat. eccl.* verb. *Parietibus*, et sic tenet Barb. l. cit. n. 19, Silvester verb. *Consecratio* 2, q. 5, vers. *Tertius est;* Azor. part. 2, lib. 9, cap. 4, q. 6, Engel. lib. 3, decret, tit, 40, n. 2, Reiff. ibidem num. 12. et alii.

(22. Si non tota Ecclesia, nec major, sed solum aliqua minor pars ejusdem v. g. tectum corruat, parietibus adhuc illæsis, non indiget nova consecratione, textu expresso in cap. *Ligneis* 6. *de consecrat. Eccles.* ibi : « Cum parietes in sua integritate permanserint, et tabula Altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit, ob causam prædictam nec Ecclesia, nec Altare debet denuo consecrari, » et ibi : Gloss. communiter recepta, quæ sub verb. *Parietibus* sic præcise dicit : « Quandiu parietes integri sunt, non est Ecclesia reconsecranda, quia in parietibus consecratur Ecclesia, et non in tecto. » (23. Si Ecclesia igne ita comburatur, ut parietes interiores ex toto, vel ex majori parte sint devastati vel abrasi, quamvis non corruant, indiget nova consecratione ; cap. *Ecclesiis* 20. distin. 1. *de Consacrat.* ibi : « Nisi ab igne exustæ, » et Glossa ibid. verb. *Exustæ*, et ratio est, quia in parietibus ubi sunt Cruces, et inunctiones, fit consecratio, adeoque illis ex toto, vel ex majori parte devastatis, seu exustis, exeoratur Ecclesia, et indiget nova consecratione ; Abbas in cap. *Proposuisti* 4. *de Consecrat. Eccles.* n. 7. Azorius l. cit. qu. 5. Reiffenstuel. l. cit. n. 13. Barbosa, l. cit. n. 18. Miranda l. cit. art. 3. conclus. 2. Piasec. in praxi nova Episcop. part. 5. n. 24. vers. 2.

(24. Quando Ecclesia ampliatur, si nova pars addita sit minor veteri remanente, non indiget nova consecratione, sed sufficit quod pars nova aquæ benedictæ aspersione exorcizetur ; arg. cit. cap. *de Fabrica* 24. dist. 1. *de consecrat.* et Gloss. ibid. verb. *Innovata*; Engel l. c. n. 2. Reiffenstuel l. c. n. 14. Azorius part. 2. lib. 9. c. 4. quæst. 6. ad fin. Et ratio est eadem quæ fuit adducta sub num. 20. quia magis dignum attrahit ad se minus dignum, et major pars minorem ; arg. 4. *Quod in dubiis* 3. *de consecr. eccles.* et cap. *Si Ecclesiam unic. de consecr. Eccles.* in 6. et regul. 42. Juris in 6. Unde cum major principalis, et magis digna pars sit vetus remansa, et ipsa sit consecrata, efficitur etiam consecrata minor pars, et minus digna, et accessoria de novo addita. (25. Si vero pars nova esset major veteri remanente, tunc Ecclesia esset denuo consecranda ; arg. cit. cap. *Si Ecclesiam unic.*, de Consecrat. eccles. in 6. ibi : « Ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur. » Et hoc totum patet a pari de oleo sacrato, et aqua benedicta, cui si affundatur oleum non sacrum, et aqua non benedicta in majori quantitate, quam sit quantitas sacrata, vel benedicta, tunc indiget nova consecratione, vel benedictione. Si vero oleum non sacrum, et aqua non benedicta affundatur oleo sacro, et aquæ benedictæ existenti in majori quantitate, quam sit quantitas non sacrata, vel non benedicta, tunc non indiget nova consecratione, vel benedictione, quia per commixtionem cum majori quantitate sacrata, vel benedicta efficitur sacrata, vel benedicta etiam minor quantitas non consecrata, vel non benedicta ; arg. c. *Quod in dubiis* 3. *de Consecrat. Eccles.* et tenet Barbosa in cit. cap. *Quod in dubiis* n. 6. Silvester verb. *Aqua*, quæst. 3. Pirhing lib. 3. decretal. tit. 40. n. 9. Reiffenstuel ibid. num. 14 et alii passim.

(26. Ecclesia pluribus casibus, et modis polluitur, ita ut indigeat reconciliatione. Primus est, quando in ea sanguis humanus in quantitate notabili per voluntariam, injuriosam, et graviter peccaminosam actionem effunditur ; cap. *Ecclesiis* 20. dist. 1. *de Consec.* c. *Proposuisti* 4. cap. *Si Ecclesia* 10. *de Consecratione Ecclesiæ*, et cap. unico eod. tit. in 6. (27. Hic tamen nota, quod ad hoc ut Ecclesia polluatur, sanguis effusus debet esse humanus, si enim fuerit cujusvis alterius animalis irrationalis, non erit per hoc Ecclesia polluta ; Glossa in cap. *Si Ecclesiam* unic. *de Consecrat.* in. 6. verb *Sanguinis humani*, et cum communi aliorum Barbosa *de Offic. et Potest. Episcop.* part. 2. alleg. 28. n. 31. (28. Ecclesia tamen efficitur polluta, sive proprius, sive alienus effundatur sanguis. Si enim quis suæ mentis compos ex ira, vel desperatione seipsum occidat, vel se cum sanguinis effusione percutiat, Ecclesia erit polluta, et reconcilatione indigebit, ut expresse dicit Glossa cit. verb. *Sanguinis humani*, in additione, ibi : « Si vir sanæ mentis seipsum occidat in Ecclesia, vel vulneret irato animo ad sanguinis effusionem, ex quo publicum est, reconciliabitur, » et tenet Mar. Alter. in. d. cap. *Si Ecclesiam* vers. *Quæritur tertio*, Sayrus *de Censur.* c. 17. n. 4. in fine, Barbosa loc. cit. n. 13. aliique passim ; arg. c. *Contingit* 36. *de sentent. excom.* (29. Sanguinis effusio, ut polluat Ecclesiam, debet esse *in quantitate notabili*, hoc enim importat verbum *Effusio*, nempe sanguinis abundantiam, et copiosum fluxum, ut notat Glossa in cap. *Cum illorum* 33. *de Sent. excom.* verb. *effusionem sanguinis*, et Glossa in cit. cap. *Si Ecclesiam* unic. *de Consecrat. Eccles.* in 6. verb. *Nota primo ;* ubi sic expresse dicit : « Item requiritur, quod illa effusio sanguinis fuerit facta in magna abundantia, immo si solum essent effusæ duæ, vel tres guttæ, non diceretur Ecclesia polluta. » (30. Et tanto minus diceretur polluta, si nullus effluueret sanguis, quamvis in ipsa quis summa cum injuria graviter verberaretur, ut ejus carnes contererentur, et ossa confringerentur, quia Jura sub. n. 24. citata requirunt *sanguinis effusionem*, et cum sint pœnalia et odiosa, non debent extendi, juxta regul. 15. Juris in 6. ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » et regul. 49 eod. in 6. ibi : « In pœnis benignior est interpretatio facienda. »

(31. Imo sanguinis effusio quamvis sit copiosa, non sufficit ut Ecclesia dicatur polluta, nisi sit causata per percussionem graviter peccaminosam. Si enim percussio fuerit levis, quamvis sanguis copiose effundatur, non ideo erit polluta Ecclesia, et hoc patet cum pueri se invicem in Ecclesia

Digitized by Google

percutiunt, vel Pater, aut magister causa correctionis modum leviter excedendo Filium, aut discipulum ita verberat, ut sanguis copiose e naribus fluat; per has enim, et similes percussiones leviter peccaminosas non violatur Ecclesia, cum ei per istas non censeatur inferri gravis injuria; Navarr. in *Manual.* cap. 27, n. 82. Marc. Anton. *Variar. resol.* lib, 1, resolut. 13, casu 6, Grass. lib. 2. c. 48, n. 25. Barbosa l. cit. n. 36, et alii passim. (32. Si autem sanguis copiose effluat de naso ex percussione violenta inter majores quatuordecim annorum, tunc pollui, et violari Ecclesiam resolvit, et judicatum refert Marc. Anton. *variar. resolut.* lib. 1, resol. 112, casu 6, Gambarupt. *de Casibus reservat.* cap. 15, casu 6, n. 9. Barbosa l. cit. n. 36. (33. Effusio sanguinis ad hoc ut inducat violationem Ecclesiæ, debet esse plene voluntaria, unde si ab amente furioso, vere ebrio, dormiente, vel aliquo casu fortuito, ut a cadente lapide, et hujusmodi, causaretur, et fieret in Ecclesia sanguinis humani effusio, Ecclesia non pollueretur, ut tenet communis Doctorum cum Glossa in cit. cap. *Si ecclesiam* unic. *de Consecr. Eccles.* in 6, verb. *Sanguinis humani*, et Barbosa l. c. a. n. 3, ad 14. (34. In omnibus enim supradictis deficit voluntarium, eo ipso quod nesciant quid faciant; cap. illud 2, caus. 15, q. 1, Debet insuper talis effusio sanguinis ad hoc ut violet Ecclesiam, esse injuriosa; unde si quis voluntarie quidem, sed non injuriose, ex quo ob justam v. g. sui defensionem servato, moderamine inculpatæ tutelæ, in Ecclesia Aggressoris sanguinem effundat, ex hoc non erit polluta Ecclesia, ut expresse dicit Glossa communiter recepta in cit. cap. *Si ecclesiam*, verb. *Casus*, ibi : « Requiritur quod sit effusio sanguinis humani injuriose, imo si me defendendo effundam sanguinem in Ecclesia, non propter hoc dicitur Ecclesia polluta. » (35. Ut Ecclesia violetur, requiritur ulterius, quod effusio sanguinis copiosi causetur in ipsa Ecclesia. Hinc non polluitur Ecclesia, quando quis extra illam in platea v. g. in via, in turri, aut subtus in spelunca Ecclesiæ percussus fugit ad Ecclesiam, et ibi copiosum sanguinem effundit. Polluitur tamen si e contra percussus graviter in Ecclesia extra illam copiosum sanguinem effundat : Sic expresse habet Glossa communiter recepta in citat. cap. *Si Ecclesiam*, verb. *Sanguinis humani*, ibi : « Et si extra Ecclesiam vulneratus ad Ecclesiam fugiat, et ibi sanguinem spargat, non reconciliatur Ecclesia; secus e contrario. »

(36. Secundus casus quo polluitur Ecclesia, est quando in ea committitur voluntarium, et injuriosum homicidium sive respectu sui, sive respectu alterius, quamvis sanguis non effundatur, veluti si aliquis suspendatur, aut aliter citra sanguinis effusionem violenter, et cum injuria occidatur; cap. *Si motum* 19, dist. 1, *de Consecrat.* cap. *Proposuisti* 3, *de Consecratione*, et est communis Doctorum. (37. Hic nota quod ad hoc ut per homicidium polluatur Ecclesia, debet tale homicidum esse voluntarium, et injuriosum, quia ob casuale homicidium, vel factum sine alterius injuria, ob justam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non violatur Ecclesia, sicuti sub n. 31, et 32, dictum est de sanguinis effusione. Sic cum Glossa in cit. cap. *Si Ecclesiam* unic. *de Consecrat.* in 6. (38. Doctores communiter. Violatur tamen Ecclesia per mortem reo illatam in ipsa ex sententia Judicis, quia licet taliter suspensus dignus fuerit tali supplicio, fit tamen illi injuria, cum jus habeat ne in tali loco hujusmodi vim patiatur; et insuper fit etiam injuria loco sacro, et ipsi Deo, in cujus honorem Ecclesia est specialiter dicata, et consecrata; cap. *Decet Domum Domini* 2. *De Immunitate Ecclesiæ* in 6, ibi : « Nulla inibi (scilicet in Ecclesiis) causa per laicos criminalis maxime agitetur; sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. » (39. Non violatur autem Ecclesia, si idem Judex, aut quivis alius super ipsius Ecclesiæ tectum, vel ex ejusdem parietibus hominem suspendat, quia in tali casu non intra, sed extra Ecclesiam contingit homicidium. Sic post Silvestr., et Navarr. Mar. Alter. d. c. unic. *de consecrat. Eccl.* in 6, vers. *Sed quid*, Fagundez in *quinque Ecclesiæ præcepta, præcept.* 1, lib. 3, c. 14, sub n. 9, et præcept. 2, lib. 14, c. 4, num. 17. Barbosa *de Offic. et Potestat. Episcop.* part. 2, allegat. 28, n. 25, et lib. 2, *Juris univ. Eccl.* cap. 4, n. 18.

(40. Si quis extra Ecclesiam mortale vulnus recipiat, et postea ratione ejusdem vulneris moriatur intra Ecclesiam, non violatur per hoc Ecclesia, quia tunc non homicidium, sed sola mors contingit in Ecclesia. E contra vero si quis intra Ecclesiam vulnus mortale recipiat, et postea moriatur extra ipsam, tunc Ecclesia efficitur polluta : quia juxta jura n. 24, citata requiritur et sufficit, ut vulnus lethale, seu lethalis percussio, a qua ipsum homicidium denominatur, contingat et fiat intra ipsam Ecclesiam, quamvis deinde ipsa mors per accidens extra Ecclesiam sequatur; Glossa communiter recepta in cit. cap. *Si Ecclesiam* unic. *de Consecr. Eccles.* in 6. verb. *Sanguinis humani.* Navarr. in *Manual.* c. 17, num. 256. Fagundez d. præc. 1, lib. 3, cap. 14, n. 9. Barbosa lib. 2. *Juris Ecclesiastic. univ.* cap. 4, n. 20, et *de Offic. et Potest. Episc.* par. 2, alleg. 28, n. 23. (41. Si quis existens intra ecclesiam, occidat jaculo hominem existentem extra ipsam, non violatur per hoc Ecclesia, cum in tali casu sit verum dicere quod homicidium non sit intra Ecclesiam patratum, licet intra eamdem initium sumpserit. Secus vero e contra, si quis existens extra Ecclesiam, occidat jaculo hominem existentem intra ipsam, quia jam tunc verificatur homicidium patratum voluntarie, et injuriose intra Ecclesiam; Navarr. l. c. n. 256. Fagundez loc. cit. cap. 14, n. 11. Ugolin. *de Potest. Episcop.* cap. 29, § 1, vers. quarto *Non polluitur;* Barbosa dict. alleg. 28, n. 26, et dict. c. 4, num. 20.

(42. Nec valet objicere quod sicuti ex no-

Digitized by Google

vissima Constitutione Benedicti XIII, incip. *Ex quo*, non gaudent Immunitate Ecclesiastica, « qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, » ita a pari sit censenda polluta Ecclesia per tale homicidium. (43. Non valet, inquam, quia quoad privilegium Immunitatis attenditur spes, animus et fiducia, qua quis delinquit, ut ab Ecclesia defendatur, et sic evadat pœnam crimini condignam; id quod verificatur proprie in illo, qui cum sit intra Ecclesiam, occidit alium existentem extra eamdem: et ideo fuit statutum in dicta Constitutione Benedicti XIII, non gaudere Immunitate Ecclesiastica, sicuti jam ab Abbate in cap. ultim. *de Immunitate Ecclesiast.* et ab aliis sustinebatur. Quo autem ad violationem Ecclesiæ, seu ut polluta dicatur Ecclesia, requiritur, ut homicidium sit voluntarie, et injuriose patratum intra Ecclesiam; arg. cap. *Ecclesiis* 20, dist. 1, *de Consecrat.* cap. *Proposuisti* 4, et cap. *Si Ecclesia* 10, *de Consecr. Eccl.* et c. *Si Ecclesiam* unic. eod. tit. in 6. Existens autem intra Ecclesiam, si occidat hominem existentem extra ipsam, non patrat homicidium intra Ecclesiam; adeoque per tale homicidium non censetur polluta, seu violata Ecclesia, nec in sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus reperitur usque adhuc aliter determinatum; sicuti expresse reperitur determinatum in d. Constitutione Benedicti XIII, quod tales homicidæ non gaudeant Immunitate Ecclesiæ, et consequenter cum simus in pœnalibus, et in odiosis non debet fieri extensio ultra expressa in Jure, juxta regul. 15. Juris in 6, et regul. 49, eod. in 6, et sic tenet Barbosa *de Offic. et Potest. Episc.* d. allegat. 28, n. 27 et 28.

(44. Ecclesia violatur, ita ut reconciliatione indigeat, si quis in ipsa pro defensione Fidei homicidium, et ita Martyrium intra Ecclesiam patiatur; quia jura sub. n. 24, et iterum sub. n. 41, citata indistincte loquuntur, et sceleratius est justum et sanctum occidere quam injustum; cap. *Si non licet* 9, caus. 23, qu. 5. Quamvis enim per martyris mortem, quatenus est passio, et habet rationem Martyrii, non polluatur, sed potius consecretur Ecclesia; cap. *Quamvis* dist. 21, cap. *Fundamenta* 17, *de Elect.* in 6, et cap. *Gloriosus* unic. *de Reliquiis, et veneratione Sanctorum.* eod. in 6, polluitur tamen per ipsum homicidium, seu Martyrium, quatenus consideratur ut injuriosa actio ex parte occidentis, cum ut talis sit revera sacrilegium, et injuriosum homicidium, sic Glossa communiter recepta in cit. cap. *Si Ecclesiam* unic. *de Consecr. Eccl.* in 6, verb. *Sanguinis*, ubi adducit sequentem versum:

Actio displicuit, passio grata fuit.

(45. Tertius casus quo polluitur Ecclesia est quando humanum semen in Ecclesia criminose, voluntarie, et notorie est effusum, sive sit hominis, sive mulieris, sive hæretici, aut infidelis, sive etiam per mollitiem, aut adulterium, vel sodomiam, aut bestialitatem, textu expresso in c. *Ecclesiis* 20, dist. 1. *de Consecrat.* ibi: « Cujuscumque seminis effusione pollutæ fuerint; » et cap. *Si Ecclesiam* unic. *de Consecrat. Eccles.* in 6. ibi: « Si Ecclesiam seminis effusione pollui contingat », et sic communis Doctorum cum Barbosa dict. allegat. 28, n. 42, et dist. c. 4, n. 22. (46. Hic nota quod non violat Ecclesiam effusio seminis facta in somnis; Glossa communiter recepta in cit. c. *Ecclesiis* 20, dist. 1, *de Consecr.* verb. *Semine.* (47. Nec violatur Ecclesia per pollutionem, quam quis invitus patitur, nec per menstruum feminarum decidens; Barbosa cum aliis dict. allegat. 28, n. 43. (48. Nec violatur Ecclesia per seminis effusionem etiam voluntarie facta supra tectum Ecclesiæ, vel subtus Ecclesiam in aliqua caverna, aut aliqua cella, vel Choro, Sacristia, Campanili, Tribuna, aut Confessionario extra Ecclesiæ corpus, quia in his et similibus dicitur extra Ecclesiam contigisse: ut cum plurimis ibi citatis docet Barbosa dict. allegat. 28, n. 45.

(49. Violatur tamen Ecclesia per copulam conjugalem, si in ipsa Ecclesia habeatur extra necessitatem; quia licet copula conjugalis de se sit licita, est tamen illicita propter loci sacri circumstantiam, cui fit injuria; arg. cap. *Accusatio* 14, caus. 2, q. 7, cap. *Ut in Domibus* 1, *de immunit. Eccles.* et cap. *Decet Domum Domini* 2, eod. tit. in. 6. Et facit a pari illud dictum sub n. 36, de Judice suspendente reum intra Ecclesiam, quo casu quamvis pœna mortis sit crimini condigna, et ideo per se licita, propter tamen loci sacri circumstantiam redditur illicita, et injuriosa, et ideo polluta censetur Ecclesia; arg. cit. cap. 2. *Decet Domum Domini de immunit. Eccles.* in 5. (50. Si autem copula conjugalis habeatur in Ecclesia in casu necessitatis, quia v. g. conjuges causa belli, vel ex alia causa diu cohabitare debent in Ecclesia, propter quod adest periculum incontinentiæ, tunc ad ipsum vitandum est licita copula conjugalis etiam in Ecclesia, si aliter extra ipsam haberi non possit; Sic Silvester verb. *Consecratio* 2, q. 5. Covarruv. *de Sponsal.* part. 2, c. 7, § 2, num. 3. Richard. in 4, dist. 32, art. 3, q. 1. Lessius *de Justitia* lib. 5, cap. 3, dub. 1, num. 85. Pirhing lib. 3, *Decretal.* tit. 40, n. 13. Reiffenstuel ibid. n. 22, et cum pluribus aliis, Barbosa dict. alleg. 28, n. 48.

(51. Quartus casus quo polluitur Ecclesia est quando in ea sepelitur aliquis excommunicatus vitandus, scilicet publice denuntiatus, aut notorius Clerici percussor, aut infidelis; de excommunicato stat textus expressus in c. *Sacris* 12, *de Sepulturis*; et in cap. *Consuluisti* 7, *de consec. Eccles.* ibi: « Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicatione Ecclesiarum fieri consuevit: » de infideli tenet communis cum Barbosa in cap. *Ecclesiam* 27, dist. 1, *de Consecrat.* et patet clare ex cit. cap. *Ecclesiam in qua Paganus* 27, et cap. *Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera* 28, dist. 1, *de Cons.* (52. Hinc nota quod Ecclesia polluitur per sepulturam

Digitized by Google

infidelis ; etiamsi talis esset infans, ut tenet communis Doctorum cum Pasqual. q. 582. Immo probabiliter polluitur etiam per sepulturam infantis non baptizati filii parentum fidelium, quia talis infans est infidelis saltem negative; sic tenet Glossa, Hostiens. Tabiena, Armilla, Angel. Rodriq. Piasec. Suarez, Avila, Azor. Fagundez, Reginaldus, Layman, Coninch. Castropal. Lessius, Dicastill. Amicus, uterque Lugo, Quarti, Delbene, et alii, quos citat Pasqualig. q. 584, et etiam sic tenent Pirhing lib. 3. *Decretal.* tit. 40, num. 14. Reiffenstuel ibid. num. 21. Nisi tamen in utero matris defunctus cum matre sepeliatur, quia tunc non censeretur polluta Ecclesia, ex quo partus antequam edatur mulieris portio sit, vel viscerum ; l. 1, ff. *de Ventre inspiciendo*, Pirhing. l. c. n. 14. Reiffenstuel loc. c. n. 21. (53. Azorius, Layman, et alii passim. Sunt tamen plures alii, ut Paludanus Sayr. Ugolinus, Jordan. Bordon. Alan. Passerin. et alii, qui sustinent per sepulturam infantis non baptizati filii parentum fidelium non pollui Ecclesiam, quia infantes non baptizati censentur tales, quales sunt parentes, et Jura odiosa intelligi debent de illo, qui positive est infidelis saltem professione parentum ; quæ revera opinio non caret sua probabilitate.

(54. Si in Ecclesia fuerint sepulti hæretici non denuntiati nominatim, etiam si alias notorii, non censetur violata Ecclesia, nec indiget reconciliatione, quia cum non teneamur eos evitare in vita, nisi nominatim denunciati sint, ita neque eos tenemur vitare post mortem; Layman. in *Theolog. moral.* lib. 1, tract. 5, part. 2, cap. 4, num. 9. Jordan. *de Re sacra* tom. 1, lib. 5, tit. 11, *de Benedict. Cœmet.* n. 127. Pirhing. loc. c. n. 13. Reiffenstuel l. c. n. 21. Antonell. *de Loco legali* lib. 1, c. 9, n. 16. La Croix lib. 6, part. 2, num. 286. Navarr. Gobat, et alii. (55. Sic nec etiam violatur Ecclesia per sepulturam ejus, qui in duello decessit, nisi denunciatus fuerit, quia licet duellantes ultra excommunicationem priventur etiam Ecclesiastica sepultura, ut in Concil. Trident. sess. 25, *de Reformat.* cap. 19, et in Constit. Clementis VIII, incipient. *Illius vices*, ex tali tamen prohibitione præcise non sequitur, ut Ecclesia polluatur, si contra fiat. Vide tamen ad rem, quæ a Bened. XIV, in sua Const. incip. *Detestabilem* noviter statuuntur quoad decessos in duello, quam Constitutionem habes superius verb. *Duellum* art. 2. Sicuti etiam non polluitur aliorum quibus est interdicta Ecclesiastica sepultura, ut sunt Usurarii, Interdicti, et alii similes, nam in pœnalibus, et odiosis non est facienda extensio nisi in jure habeatur ; l. apud Labeonem, § *Si communem*, ff. *de Jurejur.* l. *Si quis servum*, ff. *de Serv. corrup.* c. *Is qui* 18, *de Sentent. excommun.* in 6, cap. *Odia* 15, et cap. *In pœnis* 49, de Reg. Juris in 6, et sic tenent Jordan. dict. tract. *de Re sacr.* tom. 1, lib. 5, tit. 12, num. 126. Layman, Pirhing, Reiffenstuel, Antonell, l. c. Engel. lib. 3. *Decretal.* tit. 40, n. 12. Zœsius ibid. n. 11. Navarr. Suarez, et alii.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Post emanationem Bullæ Benedicti XIV. incipientis *Detestabilem, ac divina, naturalique ratione damnatum*, etc., falsa evidenter deprehenditur Auctoris sententia, quia sustinet non violari Ecclesiam per sepulturam ejus, qui in duello decessit, nisi is denuntiatus fuerit. Quam in rem adducere satis est verba prælaudatæ Constitutionis Pontificiæ, quæ sunt hujusmodi : « Præterea simili motu, et auctoritate decernimus, ac declaramus, sepulturæ sacræ privationem a Sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, et conflictus, incurrendam perpetuo fore etiam ante sententiam Judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, et censuris absolutionem obtinuerit ; sublata Episcopis, et Ordinariis locorum, » etc. Ex quibus verbis satis liquido constat. Quod si quem ex duello defunctum in Ecclesia sepeliri contingeret, etiam ante sententiam Judicis pollueretur Ecclesia, nam is esset excommunicatus non toleratus, ac per hujus sepulturam Ecclesia violatur, ut docet Antoine *Tract. de Eucharistia*, cap. 3. qu. 8. n. 4.

RESPONSIO AUCTORIS AD THEOL.

Præfatam Constitution. incipient. *Detestabilem* jam a me integram allatam fuisse in Supplementis ad verb. *Propositiones damnatæ*, in prioribus editionibus, et in præsente, ad verb. *Duellum* superius dixi. Poterit igitur lector eam percurrere, atque ex ea corrigere si quid minus recte exscripsi ante illius promulgationem.

(56. Omnes recensiti casus, in quibus fuit dictum violari, seu pollui Ecclesiam, requiritur quod sint publici, seu publice innotuerint; arg. cap. *Significasti* 5. *de Adulter.* ubi vis ponitur in publica detectione, ibi : *Publice*, et tenet Glossa communiter recepta in cit. cap. *Si Ecclesiam* unic. *de Consecr. Eccl.* in 6. verb. *Pollui*, Barbosa *de Offic. et Potest. Episcop.* alleg. 28. num. 37. Pirhing lib. 3. tit. 40. num. 22. Reiffenstuel ibid. num. 22. Suarez disp. 81. sect. 4. vers. 2. et alii passim. Qui enim secreto polluunt, etiam si adessent duo, vel tres testes, non inferunt necessitatem reconciliationis, ut est apud Abb. in cap. *Significasti* num. 2. *de Adult.* quem sequuntur Armil. Navar. Ostiens. et alii apud Episc. Maraviglia Leg. 348. *Prudentiæ Episcopal.* Et ratio est quia Ecclesia non judicat de internis; arg. cap. *Tua* 34. *de Simonia*, et cap. *Erubescant* 11. distinction. 32. ibi : « De manifestis loquimur, Secretorum autem cognitor Deus, et Judex est. » (57. Si vero tales casus ab initio occulti, postea publice innotescant, ex eo tempore debet Ecclesia haberi pro polluta, et necessario debet reconciliari, quia ex tunc bona fama Ecclesiæ perditur, et æstimatio communis contraria subintrat ; Silvester verb. *Consecratio* 2. qu. 3. § *Tertius*

Digitized by Google

casus est, Azor. part. 2. lib. 9. c. 5. qu. 2. Pirhing et Reiffenstuel loc. c. et alii passim.

(58. Effectus violationis seu pollutionis Ecclesiæ sunt tres. Primus est, quod Ecclesia polluta non potest consecrari antequam reconcilietur, et pollutionis causa amoveatur; cap. *Ecclesiam* 27. et c. *Ecclesiam* 28. dist. 1. *de Consecrat.* cap. *Si Ecclesia* 10. *de Consecrat. Eccl.* Barbosa lib. 2. *Juris. Eccl. univers.* cap. 4. n. 32. Secundus est, quod in Ecclesia polluta, vel in ejus Cœmeterio contiguo non potest sepeliri ullus defunctus, donec reconcilietur; textu expresso in cap. *Si Ecclesiam*, unic. *de Consecrat. Eccl.* in 6. ibi: « Unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri. » Tertius effectus est, quod in Ecclesia polluta non possunt nec Divina Officia, nec Missæ celebrari; cap. *Sicut* 11. cap. *Nullus* 14. cap. *Ecclesiam* 27, et cap. *Ecclesiam* 28. dist. 1. *de Consecrat.* cap. *Ecclesia* 10. *de Consecrat. Eccles.* (59. Si quis in Ecclesia publice polluta Missam celebrat, aut alia peragit Divina Officia, seu Defunctum sepelit, peccat quidem mortaliter, irregularis tamen, aut suspensus non efficitur, quia nulla pœna invenitur expressa in Jure contra eos qui talia agunt in Ecclesia polluta, antequam reconcilietur, adeoque non inducenda; arg. c. *Is qui* 18. *de Sentent. excommunic.* in 6. et cap. *Odia* 15. *de Regul. Juris* eod. in 6. Henriq. l. 9. *de Missa* cap. 27, § 7. et lib. 13. *de Excommunic.* cap. *Si* § 5. Silvester verb. *Consecratio* q. 9. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 28. num. 54. Abbas in c. *Si Ecclesia* 10. *de Consec. Eccles.* num. 4. Engel. lib. 3. *Decretal.* tit. 40. num. 22. Ugolin. *de Irregul.* lib. 1. cap. 1. num. 1. et alii plures apud Barbos. l. c. et lib. 2. *Juris Eccl. univ.* cap. 4. num. 33. Fagnan. lib. 5. *Decretal.* in cap. *Tuarum* 11. *de Privileg.* num. 4. (60. Si Sacerdos sciat solum ex Sacramentali Confessione Ecclesiam esse pollutam, poterit in ea licite celebrare, neque opus est aliqua reconciliatione; arg. cap. *Significasti* 6. *de Adulter.* et aliis juribus cit. sub. n. 54. et sic tenent communiter Doctores cum Sayr. *de Censuris* lib. 5. c. 16. num. 10. et Barbosa cit. allegat. 28. num. 41. (61. Quando in actu celebrationis Missæ violatur publice Ecclesia, si id contigerit ante Canonem, est statim a Sacrificio cessandum; si post Canonem, est prosequendum; sic expresse Rubrica Missalis tit. *de Defectibus in Ministerio ipso occurentibus*, ibi: « Si Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa, si post Canonem, non dimittatur. »

(62. Polluta Ecclesia, polluitur etiam Cœmeterium ei contiguum; secus si remotum fuerit ab eadem; cap. *Si Ecclesiam*, unic. *de Consecrat. Eccles.* in 6. ibi: « Si Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis effusione contingat, ipsius Cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum, unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri. Secus si in remotum fuerit ab eadem. » (63. Polluto autem Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, non polluitur Ecclesia; cit. c. *Si Ecclesiam*, ibi: « Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta, ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur. » (64. Quando sunt plura Cœmeteria, polluto uno Cœtemerio, aliud isti contiguum non polluitur, licet per portam de uno in aliud detur ingressus; cit. cap. *Si Ecclesiam*, ibi: « Non unum sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur; ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum. »

(65. Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ si prius fuerat consecrata, non potest fieri ab alio, quam ab Episcopo Diœcesano, vel ex ejusdem assensu aut commissione ab alio Episcopo; non autem potest Episcopus Diœcesanus ad hoc delegare simplicem Sacerdotem; textu expresso in cap. *Aqua* 9. *De Consecrat. Eccles.* ibi: « Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus; per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine Provinciæ Bracharensis, (quæ dicenda est potius corruptela) quia licet Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt, quæ Ordinis Episcopalis sunt non potest inferioris gradus Clericis demandare (1). » (66. Et

(1) Ad hoc doctrinæ caput, quod in hac insigni Decretali Gregorii IX. continetur, quæ præterea duobus aliis in locis: nimirum hoc Art. 4. n. 7. atque Art. 3. n. 52. a Cl. Nostro Auctore profertur, pauca quædam scitu opportuna heic adnotare supervacaneum non ducimus; ubi et ad cumulatiorem hujusce argumenti, quod in hoc Articulo versatur tractationem, adnectendam curabimus insignis cujusdam casus resolutionem.

Edicitur itaque in hac Decretali, uti patet; Episcopum posse committere alteri Episcopo reconciliationem Ecclesiæ pollutæ, non vero simplici presbytero; quia Episcopus committere minime valet ea, quæ ad Ordinem spectant Episcopalem, inferioris Ordinis Clericis. Qua quidem in re optima proponitur Regula ad dignoscenda quænam ab Episcopo demandari possint inferioris Ordinis Clericis. Etenim illa omnia quæ ad jurisdictionem spectant Episcopalem, quæq. Episcopus adsequitur ipso Confirmatione, Cap. *Transmissa* 5 *de Electione* etc. hæc posse delegari aliis inferioris gradus Clericis nullatenus dubitandum. Hujusmodi autem essent potestas cognoscendi causas, judicandi, instituendi, conferendi beneficia, atque id genus alia. Secus vero dicendum erit de his, quæ ad potestatem ordinis spectant; uti est E. G. Clericorum Ordinatio, consecratio virginum, consecratio Altarium, aliaque hujusmodi, de quibus Leo I. in Cap. *Quamvis* 4. distinct. 68. apud Gratianum; quæ ab Episcopis simplici Presbytero, aut altari inferioris Ordinis Clerico committi non posse, unanimi consensu tradunt Canonum Interpretes.

Hujusce porro discriminis ratio inde repetenda est; quia nimirum jurisdictionis potestas sola voluntate, et verbo committitur, et revocatur, sive fuerit delegata, sive ordinaria, Cap. Super Quæstionum, 27. § *Intentioni* et § *Porro de Officio Judic. Deleg.* Et leg. *Judicium* ff. *de Judiciis*. Collatio vero Sacra-

Digitized by Google

quod Ecclesiæ consecratæ, et Cœmeterii reconciliatio non possit fieri nisi per Episcopum Diœcesanum, vel per alium Episcopum de consensu ipsius, et non per simplicem Sacerdotem, decrevit pluries Sacra Rit. Congreg. et signanter in Placentina 19. Maii 1607. in Cameracensi 9 Februar. 1608. et in Aretin. 9 Aprilis 1633. (67. Ex privilegio, seu commissione Summi Pontificis reconciliatio Ecclesiæ pollutæ potest fieri etiam a simplici Sacerdote. *Est communis*, et habetur ex Sac. Cong. Rit. quæ in Placentina 19. Maii 1607. decrevit non posse simplicem Sacerdotem reconciliare Ecclesiam consecratam pollutam sine licentia Sedis Apostolicæ. (68. Et de facto ex privilegio a Leone Decimo concesso Generalibus, Provincialibus, Custodibus, et Guardianis Fratrum Minorum possunt ipsi, aliique Prælati Regulares Ecclesias sibi subjectas quomodocumque violatas, etiam prius consecratas, reconciliare, aqua per ipsos benedicta, si Episcopus, qui illam benedicat, distet ultra duas dietas, alias debent uti aqua per Episcopum benedicta. Tale privilegium habetur in compendio privilegiorum Fratrum

Minorum, et aliorum Mendicantium, et non Mendicantium ab Alphonso de Casarub. secunda edit. sub verb. *Benedicere* § 4. et refert Sayr, *de Cens.* l. 5. c. 16. n. 31. et de eo testantur passim Doctores, et signanter plures citati a Barb. dict. allegat. 28. n. 64. (69. Immo Rodriquez tom. 1. qq. *Regul.* q. 16. art. 6. quem sequitur Barbosa, et alii, vult posse Regulares uti dicto privilegio reconciliandi Ecclesias aqua per ipsos benedicta, non solum quando Sedes ordinaria Episcopi distat duabus dietis ab Ecclesia polluta, sed etiam quando Episcopus taliter distat ratione suæ absentiæ, vel abest per mortem, renunciationem, depositionem, exilium, etc. (70. Quælibet dieta continet 20. milliaria Italica juxta Glossam in cap. *Nonnulli* 28. *de Rescriptis*, verb. *Ultra duas dietas* arg. l. 3. ff. *de Verbor. Significat.* quam Glossam sequitur Barbosa loc. cit. num. 64. cum pluribus aliis ibi a se adductis.

(71. Si Ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta, reconciliari potest per quemlibet simplicem Sacerdotem per solam aquæ lustralis aspersione: c. *Si Ecclesia* 10, *de Consecrat. Ecclesiæ* ibi: « Si

mentorum non confertur sola voluntate, et verbo; sed facto opus est; quia necessaria est visibilis unctio, et exterior, quæ est signum interioris et in corde. Cap. unic. *de Sacr. Unctione.* Ita Glossa in *Laud.* Cap. *Aqua.* Verb. *Jurisdictio.* Quod etiam luculentioribus verbis expressit D. Thomas, cum docuit duplicem esse spiritualem potestatem, aliam Sacramentalem, aliam vero Jurisdictionalem; Sacramentalis, quæ enim confertur per aliquam Consecrationem; potestas autem Jurisdictionalis ex simplici *injunctione hominis confertur* 2. 2. q. 3. art. 3.

Hunc itaque actum, atque jus reconciliandi Ecclesiam pollutam ad Episcopalis Ordinis potestatem pertinere declarat, atque decernit Pontifex in adducta Decretali; ideoque a simplici Presbytero, etiam præcedente Episcopi delegatione, peragi non posse. Et licet, si secus fieret, reconciliatio ipsa nullius roboris esset reputanda, uti sentit Glossa in *Laud.* Cap. *Aqua.* Verb. *Jurisdictio*, et verb. *Toleramus*; demandante tamen Summo Pontifice hujusmodi reconciliationem, per simplices etiam Presbyteros fieri posse, communiter docent Theologi, ac Canonum interpretes. Quare non tam ex natura rei, sed potius ratione prohibitionis, ac præcepti potestatem reconciliandi pollutas Ecclesias Episcopis privative factam suspicarer.

Id quidem rectissime sancitum occurrit velut vestigium antiquæ Disciplinæ. Hæc enim solemnis et publica Ecclesiæ reconciliatio, cum figura esset publicæ, et solemnis reconciliationis animæ per peccatum pollutæ; quemadmodum isthæc solemnis Pœnitentium reconciliatio per neminem, nisi per Episcopum fiebat, ita et Templi reconciliatio, quæ ut per solum Episcopum fieret Ecclesiæ canonibus decretum fuisse constat. Van-Espen Part. II. sect 2. tit. seqq. *de Ædificand. consecrand.* etc. cap. 4. num. 21. etc.

Illud etiam quæri poterit; num scilicet vis consuetudinis legitime inductæ dispositioni hujusce Decretalis derogari possit; ut per simplicem etiam Presbyterum, obtenta tamen delegatione ab Ordinario, atque adhibita aqua ab Episcopo benedicta, quam vocant *Gregorianam*, possit Ecclesia polluta reconciliari; licet ibidem consuetudo contraria, veluti *corruptela* damnetur. Ita sane respondet ac docet Cl. Pontas in suo *Dictionar. Respons. ad Cas.* 17. verb. *Ecclesia*, qui ibidem adserit ad reconciliationem Ecclesiæ pollutæ non esse absolute necessarium personale Episcopi ministerium; atque in multis Galliæ Diœcesibus usum obtinere, ut satis sit pro hâc cœremonia peragenda Sacerdotem ab Episcopo deputari. In Belgio quoque testatur Van-Espenius reconciliationem Ecclesiæ consecratæ passim fieri per Sacerdotales ab Episcopis delegatos. Num vero istud ex privilegio Romana Sede concesso habeant Episcopi Belgii, ut possint ad hanc functionem simplicem etiam Sacerdotem delegare, quemadmodum testatur Innocentius IV, in hanc Decretalem, Pontificem pluribus Episcopis hoc privilegium indulsisse, se ignorare fatetur Van-Espen. l. c.

Demum breviter inquirendum, quidnam agendum Parocho, si hæc aut similis facti species eveniat. Ob orta forte rixa in Ecclesia inter duas mulieres, altera in alteram tanto impetu insiluit, ejusque fauces tanta vi compressit, ut pene illam ad mortem redegerit. Semianimis itaque relicta in Ecclesia, atque inde in vicinam domum delata, judicio Medicorum de ipsius vita conclamatum, brevi creditur moritura. Dum itaque mortis eventus expectetur, atque suspensus hæreat, quid interea temporis Parocho erit agendum?

Resp. Præter cessationem a Divinis Officiis, nihil præterea moliendum,, donec mortis, aut valetudinis eventus adhuc pendeat suspensus. Neque enim accedendum statim ad reconciliationem Ecclesiæ, cum nondum pollutionis maculam contraxerit; cum nulla sanguinis effusio in Ecclesia contigerit, tantum Obitu mulieris adveniente pollui poterit Ecclesia, qui Obitus nondum accidit. Præterea, si post hujusmodi reconciliationem mulieris mors eveniat, iterum erit ecclesia reconcilianda cum prior reconciliatio peracta in ecclesia nondum polluta, nullius penitus momenti erit habenda; si vero sanitati mulier restituetur, risu forte excipienda foret publica, et solemnis reconciliationis cœremonia antea peracta. Quapropter, uti diximus, expectandus rei eventus, cessando tantum interea a Divinis Officiis. Quod si illa e vita excedat, protinus erit Ecclesia reconcilianda. Ita olim respondit Cl. Cabassutius in simili facti specie suam sententiam rogatus, cujusmodi responsionem inseruit in sua *Theor. et Prax Jur. Canon.* lib. V. cap. 21. n. 16. Et Pontas, in *Dictionar. Cas. Conscient.* verb. *Ecclesia*, cas. 9. (Edit. Neap.)

Digitized by Google

Ecclesia non consecrata, cujuscumque semine fuerit aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur », et sic Glossa communiter recepta, ibi : verb. *Lavetur*. (72. Neque requiritur quod aqua pro reconcilianda Ecclesia non consecrata sit per Episcopum benedicta : debet enim statim, etiam irrequisito Episcopo, a Rectore Ecclesiæ, vel alio Sacerdote aqua lustrali lavari, seu reconciliari, ut præscribit cit. textus : « Aqua protinus exorcizata lavetur »; quod non posset *protinus* fieri, si Episcopi licentia, benedictio, aut auctoritas esset expectanda, et exorcismus aquæ per Episcopum esset faciendus, nec haberetur justus finis intentus a Canone, « Ne divinæ laudis organa suspendantur », ut cit. cap. *Ecclesia*, recte advertunt Doctores. Aliter loquitur citatus Maraviglia Leg. 348. *Prud. Episc.* Juxta ipsum enim poterit etiam Ecclesia consecrata polluta, ex permissione Episcopi, aut illius Vicarii ablui aqua benedicta per simplicem Sacerdotem, adhibitis ordinariis benedictionum precibus, et postea poterunt intra eam divina officia celebrari, sicuti prius, donec per Episcopum consecretur. Contra vero, si Ecclesia tantum benedicta, et non consecrata polluatur, sufficiet ordinaria quidem reconciliatio per simplicem Sacerdotem, sed ex mandato Episcopi, ex c. fin. *de Consecr. Eccl.* Juncta Glossa.

(73. Cœmeterium consecratur, et reconciliatur eisdem modis, et ab eisdem, quibus consecratur et reconciliatur ipsa Ecclesia ; arg. cap. *Consuluisti* 7, *de Ecclesiæ Consecrat.* et cap. *Si Ecclesiam* unic. eod. tit. in 6, et Pontificalis Romani, ex quo eodem ritu consecratur Ecclesia, et Cœmeterium : ita tenet communis Doctorum cum Silvestr. verb. *Cœmeterium* q. 1. Pirhing. loc. cit. n. 30. Reiffenstuel l. c. num. 29.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(74. Facile est rationem reddere, cur Ecclesia semel solemni ritu consecrata denuo consecrari haud possit, quocumque etiam enormi crimine polluta. (75. Consecratio enim templi materialis, repræsentat consecrationem templi spiritualis per baptismum, atque hac ratione ritus istius consecrationis ad similitudinem rituum hujus spiritualis consecrationis sunt plures inducti. (76. Quo factum est, ut sicuti templum spirituale semel per (77. baptismum consecratum, licet postmodum per peccatum fuerit violatum, haud potest iterato per Baptismum consecrari, ita nec templi materialis solemnis consecratio huic spiritualis templi consecrationi respondens iteranda est. (78. Vide decretum, quod sub nomine Concilii Nicæni, licet falso, refert Gratian. dist. 68, can. 3, et rursus dist. 1, *de Consecrat.* can. 20.

(79. Quomodo autem constare possit de consecratione Ecclesiæ, non inutilis investigatio est : « Per unum Testem, qui dicat fuisse consecratam sive de visu, sive de auditu, vel per notam in libris Ecclesiæ, vel pariete, sive tabula marmorea, quia tunc sufficiunt semiplenæ probationes quando nemini fit præjudicium : » ita apposite ait Zoes. in *Decret.* lib. 3, tit. 40, n. 1, in addit.

(80. Sin autem de consecratione minime constet, vel dubia ea sit, consecranda est Ecclesia ; eodem modo ac reiterari potest baptismus, si dubium sit, an is valide sit collatus, ut sub nomine Concilii Meldensis habetur can. 18, dist. 1, *de Consecrat.*

(81. Consecrari vero denuo potest Ecclesia, si ipsa vel in totum, vel ex majori parte destructa fuerit, quod quando evenisse dici possit, recte explicat Auctor a. n. 19, ad plur. sequent. (82. Hic vero non est prætereundum, quod sæculo XI, persuasum fuit, principali Altari everso, totam Ecclesiam esse consecrandam. (83. Fundata autem fuit persuasio hæc in Canone falso Higino Papæ adscripto ; Vide dist. 1, can. 19, *de Consecrat.* tum. hæc a sancto Anselmo lib. 3, epist. 159, reddebatur ratio. (84. « Altare (*aiebat*) non fit propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter Altare, et ideo violato principali Altari, jam non videtur esse Ecclesia, quia non est illud propter quod Ecclesia constituitur et consecratur. Quapropter quum illud fit novum, recte videtur cum eo consecrari, per quod recipit ut sit Ecclesia. » At sub finem Sæculi XII, hæc disciplina mutari cœpit, uti constat ex decretali Alexandri III. in cap. 1, *de Consecrat. Eccles.*

(85. De ritibus, quibus tum antiquitus usa est, tum in præsens utitur Ecclesia in consecratione, confer Bohemer. in *Decretal.* lib. 3, tit. 40, fer. per tot. (86. De mystico vero ipsorum significatu adi Durand. in *Ration. divin. offic.* lib. 1, cap. 6. Remigium *apud Marten.* t. 3, *de Antiqu. Eccles. Ritib.* lib. 2, cap. 18, pag. 242, et sequent. et Honorium Scriptorem Sæculi XI. in *Sacramentario* edito a Bernardo Pezio tom. 2. *Thesaur. anecdot. novissim.* p. 1, c. 100 pag. 339 et sequent.

ARTICULUS V.

Quoad varia miscellanea Ecclesiam concernentia.

(1. Nemo potest habere fenestram, per quam prospectus, nec portam, per quam transitus habeatur in Ecclesiam, sine indulto Apostolico, ut pluries declaravit Sac. Congr. Episc. et Reg. et signanter in Casertana 8 Junii 1646, in Cusentina 14 Decemb. 1646, in Hortonen. 11 Junii 1655, in Veronen. 15 Junii 1655, in Alexandr. 14 Novembris 1659. (2. Immo injungitur Episcopo, ut cryptas, et aditus subterraneos a domibus privatorum ad Ecclesias, et loca immunia claudere faciat; S. Cong. immunit. in Aquilana 9. Martii 1632, l. 2, *decr. Pauluc.* pag. 115. Quod indultum sæpe petentibus denegatur, ut in Andrien. et Telesina. 5 Martii 1619, et in Pisaurien. 3 Octob. 1692. (3. Talis prohibitio vim habet etiam in eo, qui habet januam correspondentem in Domo Parochi Ecclesiæ contigua, ut declaravit eadem Sacra Congregatio Episcopor. in Faventina 17. Februarii 1619, in qua casus ita propositus erat : « Episcopus Faventinus, cum in visitatione Ecclesiarum Parochialium quasdam

Digitized by Google

Privatorum domus, Parochorum Domibus contiguas, et Januas ex quibus in eorumdem Parochorum Domibus accessus patet, habentes invenisset; illarumque Domini easdem Januas per multum temporis spatium possedisse prætenderent; ut in posterum eædem Januæ mutari debeant, decrevit. Quo per Sanctissimum audito, Decretum hujusmodi probavit, et executione mandari ordinavit. »

(4. Immo ne quidem Ducibus, et Marchionibus id permitti posse declaravit eadem Sacra Congregatio 5 Martii 1619, his verbis: « Non si concede ne anche a'Duchi, ed a'Marchesi di aprire fenestre, che rispondano in Chiesa per ascoltare da quelle la Messa, ed i divini officii; » neque quoad portas, idque etiamsi extaret longa consuetudo, et essent patroni, ut in una Faventina 15 Februar. 1619, his verbis: « Si devono murar le porte, per le quali dalle case contigue si può entrare nella Chiesa, non ostante i Padroni siano soliti per lungo tempo tenerle aperte.» (5. Unde non debet Ordinarius permittere, ut ab Ecclesiis sit ingressus, transitus, vel prospectus in privatas ædes, neque super Ecclesias esse Cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, vel deambulandum absque licentia Sedis Apostolicæ, alias debent interdici, donec hæ servitutes removeantur; ut sæpe decrevit eadem Sacr. Congregatio Episcop. præsertim in Hieracen. 26 Julii 1613, in Melphiten. 2 Octobr. 1626, in Neapolitana 13 April. 1646, et in Hortonen. 11 Junii 1655. (6. Nisi tamen in limine fundationis Ecclesiæ Fundator, seu aliquis insignis Benefactor, sibi reservaverit Jus habenti prospectum, seu ingressum in ipsam. Quia in tali casu ne Laici a fundationibus retrahantur, cum possit Episcopus Leges et conditiones, etiam Juri communi contrarias admittere, juxta communem DD. sententiam, teste Ricc. dec. *Cur. Archiepisc. Neapol.* 29, per tot. part. 1. Ciarlin. contr. 53, n. 48, Lotter. *de Re Benefic.*, lib. 1, qu. 32, n. 3. Tondut. q. *Benefic.* tom. 1, part. 1, cap. 5, num, 5, posset Ecclesiam cum hac lege fundatam, valide huic servituti subjicere; Lotter. dict. qu. 32, per tot. et præsertim num. 15 et 16. Monacell. part. 1, tit. 6, formul. 10, num. 18. Vide verb. *Porta*, et verb. *Prospectus*.

(7. Sedilia, seu scamna propria ponere in Ecclesia nemo potest absque facultate Rectoris Ecclesiæ, et invito Episcopo, et si ab aliquibus apponantur, possunt a Rectore, et Episcopo removeri, maxime quando sunt causa rumoris, et impediunt functiones, et celebrantes, ut pluries tenuit Sacr. Congreg. Episcopor. et signanter in Januens. 7. April. 1583. in Camerinen. 12. Januarii 1588. in Sarzanen. 21. Novembr. 1623. in Recanatens. 10. Februar. 1645. in Narniens. Terræ Carbii 8. Maii 1693. et Sacr. Congr. Rit. in Vintimilien. 10. Decembr. 1694. in Fundana 5. Octobr. 1697. et in Verulana 9. Septembr. 1698. (8. Ex tolerantia tamen, vel licentia Episcopi, seu Rectoris Ecclesiæ possunt laici acquirere Jus retinendi sedilia, seu scdendi in Ecclesia, non quoad Dominium, vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum Rectoris, et Episcopi, ut in terminis hujusmodi sedilium tradunt Ugolin. *Potest. Epis.* c. 17. n. 7. Pignatell. tom. 9. consult. 147. num. 12. Antonell. *de Loco legali* lib. 1. cap. 3. num. 54. Monacell. part. 1. tit. 5. formul. 8. num. 4. Fusc. *de Visitat.* lib. 1. c. 26. Moron. tom. 1. respons. 51. num. 33. ac plene Odofred. in responso de hac re edito, quod refert, et sequitur Diana part. 10. tract. 10. resolut. 64. et Passerin. *de Homin. Statu* tom. 2. q. 187. art. 5. cap. 6. n. 379. ac declaravit Sacr. Congreg. Episcop. 28. Junii 1583. in hæc verba: « Non si dee permettere quella proprietà de'luoghi, che alcuni si persuadono di avere nelle Chiese, quasichè loro fossero Ereditari, come sono le Case, e le possessioni, che si comprano. » Et idem resolutum fuit in Anagnina 5. Septemb. 1665. (9. Hinc non possunt Laici prædicta sedilia, seu scamna, aut eorum partem, sive eorumdem usum, locum, aut situm aliis cedere, donare, aut quoquomodo concedere, nisi Episcopi consensus accedat; Sacra Congreg. Con. 5. Septemb. 1665.

(10. Consensus Episcopi non requiritur expressus, sed sufficit tacitus; Vivian. *de Jure patronatus* lib. 3. c. 2. num. 55. Antonell. *de loco legali* lib. 1. cap. 3. num. 56. Rota decis. 787. part. 1. divers. (11. Unde non potest Episcopus, sicut nec Rector Ecclesiæ laicis auferre hujusmodi Jus, si ab initio passus est eos habere, seu retinere sedile in aliquo Ecclesiæ loco; *arg. quod semel* 21. *de Regul. juris* in 6. ibi: « quod semel placuit amplius displicere non potest; » Giovagnon. consil. 8. n. 22. lib. 2. Gratian. discept. forens. cap. 210. num. 46. et sequent, Ciarlin. contr. forens. cap. 210. num. 16. 18. et 25. Antonell. loc. cit. num. 68. Sacr. Congreg. Episc. in Assisiens. 22. Martii 1604. in Acheruntina 4. Junii 1608. in Tarentina 8. Decembr. 1645. (12. Nisi sic exposceret servitium, vel commodum Ecclesiæ, vel laicus prætenderet habere illud Jus quoad proprietatem, quia tunc non censetur acquisitum Jus irrevocabile, cum usus sedilium, quem laici habent in Ecclesia, proveniat ex benignitate, tolerantia, et ex gratia revocabili ejusdem, non autem Jure, ex quo valeant, ipsa Ecclesia nolente, servitutem seu quasi possessionem manutenibilem acquirere, ut fuit ponderatum a Sacra Congregatione Rit. in Fundana 5. Octobr. 1697. et in Verulana 6. Septembris 1698. et bene distinguit, et probat Passerin. *de Statu homin.* t. 2. q. 187. art. 5. c. 6. n. 379. Giovagnon. d. consil. 8. n. 19. et seqq. Ciarlin. loc. cit. n. 37. et seq. Paris. consil. 149. n. 25. lib. 4. Monacell. part. 1. tit. 5. form. 8. n. 5.

(13. Quando lis est inter privatos super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione absque novitate, Sacra Congr. Episc. in Imol. 6. Martii 1692. (14. Locus autem in Ecclesia possessus videntibus, et patientibus Rectore, toto Clero, et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita præscribitur per

Digitized by Google

immemorabilem; Rota part. 18, tom. 2, recent. decis. 781, n. 7. (15. Adeoque nemini permittitur in præjudicium hujusmodi Juris quæsiti ponere novam sedem ante veterem; Rota ibid. n. 9. Paris. de consil. 149, n. 8, et alii Sac. Congr. Episcopor. in Acheruntina 4 Junii 1608, in Tarentina 8 Decembr. 1645. Quinimo pro manutentione sedis veteris cum sua antiqua præeminentia competit possidenti interdictum *Uti possidetis;* Rota ibidem numer. 10. Giovagnon. d. consil. 8, num. 12, lib. 2. Gratian. discept. 110, num. 26. Ciarlin. contr. 119, num. 54, atque etiam alia remedia magis executiva, et violenta, ut notat Bald. in l. *Observ.* § *Antequam* in princip. ff. *de Offic. procur.* Menoch. consil. 51, num. 41. Gratian. mox. cit. discept. 110, num. 16. Rota ib. n. 11.

(16. Nec potest poni nova sedes ante veterem, etiamsi sedes vetus non amoveatur a suo antiquo situ, sed, ea intacta, assignetur locus alteri ante illam. Et ratio est clara, quia cum tota vis in sola præeminentia consistat, nihil refert ad solvendum præjudicium primi, quod ejus sedes non fuerit amota, quia paria sunt, vel quod fuerit mutata, et posita infra aliam, vel quod ea firma manente alia fuerit collocata supra ipsam, juxta communem hominum æstimationem, quia secundus sedendo inter personas ejusdem ordinis, inferior primo in eodem ordine semper reputatur ad Text. in cap. *solitæ. de Majorit. et obed.* Add. ad Greg. decis. 411, sub num. 5. § *Verum*, vers. *Et potissimum*, Rota part. 1, recent. dec. 3, num. 2 et 3, et bene ponderavit eadem Rota p. 18, t. 2, decis. 781, num. 19 et 20. (17. Neque hoc casu prævalet oblatio facta per assignatarium Ecclesiæ pauperi, quia licet ejus indigentia sit causa sufficiens, ut in ea assignetur Laico locus pro sede, et sepultura, ut tradit Adden. *ad Greg.* præcit. decis. 145, num. 10, cum tamen Ecclesia sit cultrix justitiæ, hujusmodi assignationes non permittit cum alterius præjudicio, ut declarat Rot. ibid., allegata in Calaguritana Sepulturæ coram Manzanedo inter recent. decis. 561, part. 4, to. 1, recent. et part. 18, tom. 2, d. dec. 781, num. 21 et 22. Jus enim sedendi in certo loco Ecclesiæ alicui quæsitum, eidem per supervenientem oblationem alterius tolli non potest; Bald. cons. 91, num. 3, in fin. lib. 4, dec. in cap. ult. sub num. 13, de constit. cum aliis apud Gratian. discept. 465, num. 17. Rota coram Bich. decis. 33, et p. 19, tom. 2, recent. decis. 474, num. 20, per supradictam rationem, quod Ecclesia tamquam justitiæ cultrix jus alicui quæsitum auferre non debet.

(18. Ex consuetudine sedendi in certo loco ratione præeminentiæ interdicta censetur situatio cujuscumque alterius sedis, ex qua præjudicium præeminentiæ primi inferatur. Rota part. 19, tom. 2, recent. dec. 474, n. 11. (19. Dummodo tamen locus primus assignatus in communi hominum æstimatione reputetur aliorum omnium primus, ita ut consuetudo inibi sedendi suum operari non possit effectum præeminentiæ, si alteri designetur locus, qui reputari possit honorificentior, juxta dec. 863, num. 7, part. 4, divers. et d. part. 19, t. 2, recent. decis. 474, num. 12. (20. Et dummodo primus assignatarius cum jure sedendi in certo loco acquisiverit etiam jus prohibendi, ne alius locus superior alteri assignari possit, prout requiritur in quocumque actu tendente ad impediendum exercitium libertatis; Rip. in cap. *Cum Ecclesia Sutrina* num. 68 et 151, *de Caus. possess. et prop.* Rolan. cons. 22, num. 27, lib. 2. Postius *de Manuten.* observ. 40, num. 30, in fin. Rota dict. dec. 474, num. 13. (21. Jus autem sic prohibendi ut acquiratur, requiritur quod Ecclesia, vel quilibet alius interesse habens acquieverit prohibitioni, juxta tradita per Rotam coram Buratt. decis. 312, num. 9, et dict. dec. 474, num. 15. (22. Ex simplici enim consuetudine sedendi in certo loco non infertur id jus prohibendi, ne alteri in diverso, et etiam præstantiori concedatur sedes et sepultura, ut in proposito dixit Rota decis. 127, num. 5, in fin. coram Dunoz. sen. et dict. decis. 474, nu. 16. (23. Neque hoc modo præjudicatur habenti certum locum in Ecclesia, prout esset si a loco jam quæsito amoveretur; Rota par. 19, to. 2, rec. d. dec. 474, n. 17, 18 et 19.

(24. Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, etiamsi amovens esset administrator Ecclesiæ; Postius in tract. *de Manut. obser.* 73, num. 62, et obs. 18, num. 25, Antonell. *de Loco legali* lib. 1, cap. 3, n. 6. (25. Si antiqua forma Ecclesiæ immutetur in aliam structuram, sedilia seu scamna Laicorum in illa existentia reponi debent eodem ordine, quo reperiebantur ante immutationem fabricæ, vel in loco æque digno; Card. Petra tom. 2. *Comment. in Constit.* 3. *Cœlest. III*, num. 11. Ursaya tom. 7, part. 1, discept. 18, per tot. ...ata in *Pampilonen. Juris sedendi* dec. 117; ...st Posth. *de Manut.* et decis. 378, p. 2, recent. (26. Jus habendi talia sedilia, vel sepulcra in Ecclesia concessum alicui familiæ, vel descendentibus, extincta familia, transit ad hæredes extraneos, sicut et Juspatronatus gentilitium in tali casu ad extraneos hæredes transiret, nisi taxative concessum fuisset illis de familia dumtaxat, vel solis descendentibus; Ancharan. cons. 81. Calderin. cons. 4, *de Jurepatron.* Vivian. in prax. Jurispatr. lib. 4, cap. 9, num. 1, et seq. Antonell. *de Loc. legali* lib. 1, c. 3, n. 69. Card. Seraphin. decis. 364, num. 2 et seq. et dec. 378, per tot. (27. Sedilia non possunt in Ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora oriantur; S. Pius V, in Const. inc. *Cum primum Apostolatus officium.*

(28. Strata ad Ecclesias sibi deferri facere, nemini sub gravibus pœnis licere declaratur, exceptis dumtaxat personis Regalibus; Clemens XI, part. 3, sui *Bullarii* decr. 1. Congreg. Cæremon. ibi : « Proposito in Sacra Congregatione Cæremoniali quodam abusu inter alios, qui de recenti in Urbe irrepserunt, eadem Sacra Congregatio ad eum omnino tollendum die 30 currentis anni 1701, decrevit : Non licere cuiouumque personæ quovis gradu, conditione, ac dignitate insi

Digitized by Google

gnitæ (ipsis personis regalibus tantum exceptis) ad Ecclesias strata sibi deferri facere; et si secus actum fuerit, immediate cessandum fore a divinis. Quod nisi servetur, Rectores, cæterosque Ecclesiarum ministros, ipso facto excommunicationis pœnam, aliasque arbitrio Sacræ Congregationis incurrere, eamque Ecclesiam, in qua talis abusus permissus fuerit, habendam esse pro interdicta. »

« Et facta per me Prosecretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua decretum præfatum approbavit; nec non promulgari, ac executioni tradi, et in omnibus Urbis sacrariis affigi mandavit die 3 Octob. 1701. »

(29. Affertur decretum generale Sac. Rit. Congregationis prohibens Laicis osculum Evangeliorum intra Missam, usum Baldachini in Ecclesiis, et assistentiam in Presbyteriis. Cum pluries Sacra Rituum Congregatio inhærendo decretis alias editis, et signanter in Lucerina die 22 Novembr. 1664, 28 Septemb. 1675, et 13 Mart. 1688, declaraverit, « nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum sæcularibus, etiam Præsidi in celebratione Missarum; necnon eis prohibuerit usum Baldachini in Baren. 5. Mart. 1667, et 17 Jun. 1684. Marsicen. Pelignanen. et Militen. 5 Mart. 1667. Hieracen. die 2 Octob. 1683, et Bitecten. 23 Septembr. 1684. Ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio, et specialiter in Materanen. 24 Januar. 1665. Melphitana 15 Jun. 1665. et Baren. 29 Novembris 1677 et 22 Februar. 1687. Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales eidem Sacræ Congreg. præpositi, mandarunt ut prædicta decreta prohibentia personis sæcularibus osculum Evangelii, usum Baldachini, et assistentiam in Presbyterio, renoventur, et copia eorum transmittantur Archiepiscopis, et Episcopis, eisdem injungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Ecclesiarum suæ Diœcesis tam sæcularibus, quam Regularibus, et in casu transgressionis procedant etiam contra Regulares, auctoritate ejusdem Sacræ Congregationis, ad pœnam interdicti. Et ita decreverunt etc. »

Die 13 Martii 1688.

(30. Aliud decretum generale Sac. Rituum Congreg. die 22 Aprilis, referente Eminentissimo, et Reverendissimo D. Cardinali Columna Ponente, stetit in decisis die 13 Mart. 1688. et quoad Baldachina, non tantum illorum usum, verum etiam retentionem, tam in Presbyterio, quam extra, in eodem decreto comprehendi declaravit. Et ad effectum, ut memoria pereat similis abusus, mandavit ut injungatur Archiepiscopis, et Episcopis Regni Neapolitani, quod hastas, gradus, suppedanea, et quæcumque alia signa Baldachini ab Ecclesiis suarum Diœcesum, tam sæcularium, quam regularium removere faciant, et quoad Ecclesias Regularium procedant ad interdicta, et contra inobedientes ad Censuras auctoritate Sac. Con. ead. die 22 April. 1690. quod et confirmavit Sanctissimus eodem die, et anno 1690.

(31. Hinc ead. Sac. Congr. Rit. in una Amerina sedilium 16 Mart. 1697. confirmata 12 Sept. 1699. mandavit aptandum esse locum Magistratui extra Presbyterium juxta designationem porrectam a Magistro Cæremoniarum, non obstante quod Magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. (32. Et Magistratum Laicum non posse in Ecclesia habere retentionem sive usum tapeti, aut stratus declaravit d. Sac. Congreg. Rit. in Baren. 2 Septemb. 1690. in qua respondit *Concedendum esse Magistratui Baren.* « scamnum, sive sedile ligneum sine suppedaneo, panno coopertum, tam in Ecclesia Cathedrali, quam in omnibus aliis Ecclesiis sæcularium, et regularium extra Presbyterium, » quod decretum iterum approbavit in Aprutina 6 Octobris 1696. in respons. ad 8. in qua fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia.

(33. 1. « An, et quotuplici ductu sit thurificandus D Præses Regius Provinciæ Aprutinæ dum assistit Missæ cantatæ, quæ solemniter celebratur?

2. « An sit thurificandus eodem tempore, quo thurificatur Episcopus, et quatenus post, an ante, vel post Canonicos?

3. « An eidem Præsidi dandum sit osculum Evangelii, et quatenus affirmative, an eodem tempore, quo Evangelium osculandum datur Episcopo, et a quo sit dandum?

4. « An eidem Præsidi sit dandum osculum pacis eodem tempore, quo datur Episcopo, et quo instrumento, atque an ante, vel post Canonicos?

5. « An Domini Regii Auditores Regiæ Audientiæ Terami possint, dum assistunt Officiis divinis, sedere in sedibus coraminis cum brachiorum appodiis, et habere stratum cum pulvinari, stante quod prius tempore quo alia vice aderat in Civitate Tribunal Regiæ Audientiæ, sedebat in scamno ligneo nucis cum postergali, et suppedaneo, quod quidem scamnum adhuc extat in Ecclesia?

6. « An Magistratui Terami debeatur thurificatio duplici, vel unico ductu, et a quo sit thurificandus?

7. « An Episcopus possit concedere Magistratui inferiori, quod thurificetur duplici ductu contra formam Cæremonialis?

8. « An possit Magistratus Terami habere, et tenere scamnum in Ecclesia cum postergali, suppedaneo, genuflexorio, et brachiorum appodio? »

Quibus dubiis relatis Sac. Congr. Rit respondit:

Ad 1. *Duplici ductu.*

Ad 2. *Negative*, quoad primam partem, et, quoad secundam servetur *Cæremoniale* lib. 1. cap. 23. in fin.

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Post Episcopum dandum esse osculum pacis juxta Cæremoniale* lib. 5. cap. 24.

Ad 5. *Dilata, et videatur de solito.*

Ad 6. *Servetur solitum.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Detur decretum in Baren. 2 Septembris* 1690.

(34. Et in alia Camerin. subortis inter Episcopum et Magistratum controversiis de as-

Digitized by Google

sociatione in solemnitatibus, de appositione stratus, de manuum lotione, de Gubernatoris sede et accessu, sub die 21 Februar. 1699. mandavit servari sequentia.

I. « Magistratus in solemnioribus festivitatibus a Cæremoniali præscriptis, absente Gubernatore, habita hora a Magistro Cæremoniarum seu ab alio Ministro, ad Palatium Episcopi usque ad Portam cubiculi, quod dicitur Anticamera, accedere debet, et Episcopum Cappa indutum ad Ecclesiam comitabitur : peractis functionibus ad portam majorem ejusdem Palatii pariter comitabitur, et Episcopus monitus de adventu Magistratus statim ei obviam procedet, et ad Ecclesiam perget.

II. « Præsente vero Gubernatore obviam procedet Episcopo egredienti usque ad Portam Palatii ipsius Episcopi, et in accessu ad Ecclesiam Gubernator erit ad sinistram Episcopi, et idem in recessu servabitur.

III. « E conspectu Altaris SS. Sacramenti factis inter se debitis salutationibus, Episcopus ad genuflexorium strato, et pulvinari ornatum preces effundet, et hinc inde ad latera Canonici, Gubernator vero, et Magistratus ad consueta eorum Sedilia pergent, ibique genuflexi versus Altare Sanctissimi Sacramenti orabunt, et quando Episcopus ad Chorum perget, stantes ipsum transeuntem salutabunt, et idem ordo servandus erit, etiam absente Gubernatore.

IV. « Si vero Episcopus ad Ecclesiam per parvam portam perget, Magistratus ad eamdem portam accedere, et comitare debebit.

V. « Magistratus non debet genuflectere supra pannuculum, quod omnino prohibuit Sacr. Congreg. die 9 Novemb. 1669.

VI. « Nulla Canonicorum assistentia debetur Episcopo, quando ad Ecclesiam accedit, et per eam incedit, dum est cappa indutus; secus vero quando est cum paramentis Sacris, et tunc Gubernator, et Magistratus erunt post Episcopum.

VII. « Gubernator genuflectere non debet in eodem genuflexorio insimul cum Episcopo, quando est cum cappa indutus.

VIII. « Magistratus prout in Cæremoniali, tam absente, tum præsente Gubernatore, in lotione manuum inservire valeat.

IX. « Quando Episcopus Conciones audit, nulla Canonicorum assistentia ei debetur, et tunc Gubernator sedere debet prope Episcopum extra tamen Baldachinum in Sede Camerali consimili in æquali linea, eo modo quo sedere solent Episcopi non Cardinales, et neutra sedes sit coloris rubei.

X. « Accedente Gubernatore in habitu ad Ecclesiam, aliquis Ecclesiæ Minister Cotta indutus porriget eidem aquam benedictam manus, absente tamen Episcopo. »

(35. Quæ decreta cum fuissent per modum concordiæ proposita ab Eminentissimis DD. Cardinalibus Carpineo et Petruccio ad hunc effectum deputatis, et partes noluissent acquiescere reproposita causa sub die 19 Aprilis 1698. Sacr. Congreg. declaravit, esse omnino servanda, et adhuc partibus reclamantibus sub die 21 Februar. 1699. stetit in decretis, et silentium imposuit.

Qualis honor debeatur Prælato Præsidi Provinciæ, declaravit S. Congregatio Rit. in Maceraten. 5. Augusti 1662. modo sequenti.

1. « Gubernatori Maceraten. Præsidi Provinciæ, non habenti facultatem Legati de Latere non competere Sedem sub Baldachino, sed sine solio supra scamnum Magistratus, nempe cameralem decentem, et disjunctam a scamno Magistratus, eidemque unico gradu, vulgo prædella, tapete obducto, nedum Divinis juxta Presbyterium, sed etiam alibi concionibus audiendis, pariter supra scamnum Magistratus perpetuo detinendam.

2. « Episcopum tamen, Præside prædicto præsente, nullibi Diœcesis debere a Benedictionibus populi tum privatis, tum solemnibus abstinere, sed neque ullum humanitatis actum antequam benedicat erga Gubernatorem Præsidem exhibere.

3. « Nullam deberi præcedentiam Gubernatori Præsidi Provinciæ supra Episcopum, etiam extra Diœcesim degentem, quamvis Præses in sua provincia existat.

4. « Episcopum non debere obviam ire Gubernatori Præsidi Provinciæ advenienti ad Cathedralem, neque illum ab ea discedentem associare.

5. « Gubernatorem, seu Præsidem prædictum teneri accedere ad Episcopum, ut ab eo accipiat candelam, et Palmam benedictam, etiam cum osculo manus Episcopi; idemque servandum in distributione cinerum, numquam tamen teneri Episcopo genuflectere.

6. « Canonicos teneri præstare Gubernatori Civitatis Præsidi Provinciæ consueta obsequia, quapropter saltem per duos Canonicos idem excipiatur, et ad Portam Ecclesiæ in discessu associetur.

7. « Magistratum teneri præstare Episcopo, et Cathedrali Ecclesiæ consueta obsequia, tum præsente, tum absente Gubernatore, et quatenus renuat, compelli posse. At si Magistratus sponte velit ad Cathedralem accedere, et divinis inibi juxta solitum interesse, aut antequam de ejus contumacia per actus positivos Episcopo non constet, nulla ei vis inferatur, vel in eum Episcopus nullum coactionis remedium exsequi permittat.

8. « Ad supplendum Magistratui absenti in lotione manuum Episcopi, posse subrogari alios nobiles viros, quibus tamen locus in Scamno Magistratus minime assignetur, sed qualibet vice in ipso solemnitatis peragendæ actu, seligendos, et vocandos, et quoad fieri potest variandos, nulla tamen prævia in scriptis eorum deputatione.

9. « Præterea eadem Sac. Congr. declaravit Gubernatorem Præsidem Provinciæ non Episcopum, non posse sumere paramenta de Altari, ex quo id vetitum sit Prælatis Episcopis inferioribus, etiam usu Pontificalium gaudentibus, præterquam in Missis Pontificalibus. »

(36. Quod Decretum habuisse apud se authenticum testatur Monacelli part. 2, tit. 13, formul. 2, num. 13, a quo referuntur etiam alia adducta n. 29.

Digitized by Google

(37. Dedicationis Ecclesiæ Festum potest ab Episcopo ex justa causa transferri in alium diem magis congruum ad evitandam concurrentiam aliorum officiorum. Speculat. cons. 4, par. 3, rubr. 52. Monacell. part. tit. 6, formul. 10, num. 29, et part. 2, tit. 13, formul. 2, sub num. 17. Sac. Congr. Episc. in responsion. ad primum dubium propositum a suffraganeo Brixien. sub die 4 Febr. 1585, præcisis his verbis : « Episcopus ex juxta causa potest transferre Dedicationis Ecclesiæ Festum in alium diem magis congruum. » Sanctis antiqui Testamenti possunt dedicari Ecclesiæ. (38. Cum enim aperitioni Ecclesiolæ in honorem Sancti Job in Civitate Albani impedimenta opposuisset Suffraganeus ejusdem Civitatis, proposita causa in Sacra Rituum Congreg. die 22 Junii 1680, prodiit Rescriptum, *Removenda esse impedimenta*. Cumque tali resolutioni non acquiesceret idem Suffraganeus, reproposita causa die 31 Aug. ejusdem anni, rescriptum fuit : *In decisis, et amplius causa non proponatur*. Ursaya *Institut. Criminal.* lib. 4, tit. 10, n. 65, et seq. (1)

(39. Musica est de jure permissa in Ecclesia textu expresso in *Extravagant. Docta, de Vita et honest. Clericor.* et multis adductis tradit Pignatell. tom. 3, consult. 41, per tot. (40. Episcopus potest prohibere quod in Ecclesia non canantur in Musica, nisi verba Sacra, Devota, et Ecclesiastica, prout jussit Alexander VII, in sua Constitutione publicata 23 April. 1657, et innovavit Innocentius XII, 20 Augusti 1692. (41. Episcopus vigore Decreti Concilii Tridentini cap. 8, sess. 22, de *Celebrat. Miss.* potest prohibere, non obstante quacumque contraria consuetudine, ne in Ecclesiis, et Oratoriis publicis canatur Musica [illegible]ngua vernacula, quantumvis cantiunculæ [illegible]et verba spiritualia sint : Sacr. Cong. Rit. in Hispalen. 3 Septemb. 1695, et 24 Novem. 1696, referente Eminentissimo Colloredo. (42. Episcopus non potest prohibere Musicis, neque Officialibus Ecclesiarum, quod Musicam non canant, nisi vocato Magistro Capellæ Cathedralis. Sac. Congreg. Episcopor. et Regular. 11 Mart. 1648, et in Aquilana. 2 Decembr. 1695, referente Eminent. Cardinali Petruccio. (43. Est decretum generale Sac. Cong. esse tolerandam Musicam in Ecclesia exteriori Monialium, præsertim in quibusdam Festis principalibus, ubi est talis consuetudo; ubi vero consuetudo non adest, non esse de novo concedendam. Sacra Congregatio Episcoporum in Neapolitana 10 Novemb. 1582, apud Nicol. in Floscul. verb. Musica n. 8.

(44. Propter Ecclesiæ reverentiam possunt expelli artifices prope illam obstrepentes, ac personæ infames, et sordidæ ejus divina officia perturbantes; arg. c. *Pridem* 7, caus. 18, quæst. 2, et sic censuit Sac. Cong. Episcop. et Regul. in Interamnensi 21 Mart. 1589, nimirum quod in nulla domo Ecclesiæ contigua habitare debeant caupones, hospitio recipientes, gladiatores, comœdi, similesve personæ. Et de meretrice habitante apud, vel prope Ecclesiam vel Monasterium Monialium, quod possit expelli, indistincte et absolute probat textus in *Authent. de læno*n, § *Quosdam vero*, ibi : « Et quod deterius est, juxta sacratissima loca et venerabiles domos sunt tales habitationes ; » et in leg. 4, c. de *Spectat. publ.* lib. 11, et resolvit pluries Sac. Congr. Episc. etiamsi habitet in viis, quæ ducunt ad Ecclesiam, ut in Maceraten. 22 April. 1596, et 14 Nov. 1601, et 13 Maii 1603, et in Tudertina 16 Septemb. 1598, in S. Severini 19 Aug. 1605. præcipue prope Conventus Regul. ut in Marsicensi 14 Junii 1588, in Viterbiensi 6 Sept. 1593, vel juxta Monasteria Monialium, ut in Interamnes. 6 Martii 1618. (45. Hinc stabulum prope Ecclesiam construi prohibetur l. *Basilicam* 21. c. *de Oper. publ.* quia ratione fœtoris, strepitus equorum, aliorumque animalium, et irreverentiæ Divinus cultus detrimentum pateretur, leg. *Ædiles* in fin. ff. *de Via publ.* leg. 2, § *idem ait si odore* cum Glos. ff. *Ne quid in loc. public.* et firmat Capella, quem sequitur Sperell. decis. 55, n. 59. Rot. part. 18. tom. 2, recent. decis. 819, et 820, ubrobique n. 1, et 2. (46. Unde competit Ecclesiæ privilegium removendi stabulum, aliave loca sordida, tam ratione fœtoris, quam indecentiæ propter sordes, ac immunditias, quas arceri oportet a limitibus sacrarum ædium, leg. *Si quando*, § fin. ff. *Si servit. vindic.* l. *Fistulam* in princip. ff. *de Servit. Urban.* (47. Et præcipue, si supra stabulum sit etiam ædificatum fœnile, quod sit contiguum, vel annexum Ecclesiæ, vel monasterio, est removendum ob irreparabile præjudicium, ac periculum futuri incendii, adeo ut ne isto quidem casu admitti possit cautio de damno infecto; sic expresse Pignat. tom. 4. consult. 77, ubi late, et egregie per tot.

(48. Pro complemento datur hic Epistola Encyclica ad universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, et alios Italiæ, Insularumque adjacentium Ordinarios jussu Summi Pontificis Clementis XI conscripta, qua illis veneratio, ac reverentia Ecclesiis debita impensissime commendatur.

Premendo alla santità di Nostro Signore di soddisfare alle parti del suo Apostolico Ministerio, con andare estirpando, per quanto è possibile, dal Popolo Cristiano le offese, che si fanno al Signore Dio, e quelle particolarmente che cagionando pubblico scandalo, portano più irreparabile rovina spirituale alle anime, e provocano maggiormente l'ira Divina sopra di noi, ha posto l'occhio sino dal principio del suo Pontificato in primo luogo sopra l'abuso ormai troppo universale del poco rispetto, che si usa nelle Chiese, le quali, dovendo esser Case di Orazione, pajono per la irreligiosità di molti mali Cristiani quasi ridotte a case di libertà, e di peccati.

Mi ha comandato espressamente la Santità Sua d'incaricare a suo nome a V. S. siccome

(1) Venetiis certe eidem S. Jobo Ecclesia dedicata est, uti et alia S. Moysi. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

a tutti gli altri Ordinarî d'Italia, e dell'Isole adjacenti, che con ogni studio e diligenza procurino di porgere rimedio all'inconveniente predetto, e di restituire alla Casa di Dio la riverenza, ed il rispetto, che l'è dovuto. Ed a tal effetto la Santità sua rinnovando con la presente tutte le disposizioni de' Sagri Canoni, Costituzioni, e Decreti Apostolici altre volte fatti, e promulgati da' Sommi Pontefici suoi prodecessori intorno all'istessa materia, vuole che V. S.

I. Per mezzo di Prediche, e Sermoni, o con Editti, e Lettere Circolari istruisca e faccia ben ponderare a' suoi Popoli quanto dispiaccia alla Maestà di Dio l'irriverenza nelle Chiese, insinuando le minaccie della Sagra Scrittura, ed i castighi pubblici, come di peste, fame, guerra, terremoti, e simili, che per commune sentimento dei Santi suole Dio specialmente mandare per vendicare gli affronti, che i mali Cristiani vanno a fargli nella propria sua Casa. *Quoniam ultio Domini est ultio Templi sui.* In segno di che, come notano i medesimi Santi, non si trova che Cristo nostro Signore castigasse colle proprie sue mani altro peccato, che questo, mentre con i flagelli scacciò i Profanatori del Tempio.

II. Prescriva alli Confessori, che ammoniscano seriamente sopra di ciò i Penitenti.

III. Faccia specialmente avvertire le Donne, che vengano alle Chiese colla dovuta modestia, ed umiltà; non con pompe, gale, vanità, ed ornamenti indecenti, nè con alterigia, e fasto più confacevole ai luoghi di libertà, e di feste profane, che al Santuario di Dio, ricordandosi, che alla Chiesa deve andarsi per placare l'ira Divina, non per irritarla, e non per commettere, e cagionare nuovi peccati, ma per cancellare i commessi: Non potendosi udire senza orrore, che a cagione dell'immodestia feminile si siano in alcuni luoghi le cose ridotte a segno che invece di andare alle Chiese per trovarvi la divozione, convenga tal' ora fuggirne per non la perdere.

IV. Dove potrà farsi commodamente, si destini, ed assegni alli Uomini luogo distinto e separato da quello delle Donne, nè si permetta, che gli uni si fermino, e stiano in quello delle altre, di maniera che resti tolta tra di loro ogni indecente communicazione.

V. Insista onninamente, che nelle Chiese non si facciano colloqui profani, circoli, o strepiti, nè si trattino negozi, e molto meno si amoreggi. Riprendendo con santo zelo i trasgressori, e castigandoli severamente con implorare anche in caso di bisogno l'ajuto del braccio secolare.

VI. Specialmente invigili che al Santo Sagrificio della Messa assistano tutti coll'attenzione, e religiosità che conviene ad un mistero sì venerabile, e mostrino anche esternamente di starvi presenti non pure col corpo, ma eziandio colla mente, e con divoto affetto del cuore.

VII. Ordini altresì agli Ecclesiastici, che nella divozione, modestia, e decoro in celebrare i Divini Uffizî, ed esercitare le altre Sagre Funzioni si portino in guisa, che non abbiano a soggiacere alla maledizione intimata da Dio a chi fa l'opera sua negligentemente, e si tolga alli Secolari ogni occasione di scandalo, e di mal esempio.

VIII. Provveda parimente, che la stessa modestia, e divozione si osservi dal Clero, e dal Popolo nelle Processioni Ecclesiastiche, le quali essendo istituite per implorare grazie, e misericordie dal Signore, e per ringraziamento de' Benefizî da sua Divina maestà ricevuti, devono essere accompagnate non da discorsi vani, e portamenti indecenti, che pur troppo si vedono, come se si andasse a diporto, ma da orazioni, ed altri atti di Cristiana divozione, che possono essere graditi dal Signore Iddio, secondo l'intenzione di Santa Chiesa.

IX. Molto più si faccia ciò osservare quando nelle dette processioni si porta il Sñio Sagramento, o nelle Feste solenni, o il santo Viatico agli infermi. Nella quale occasione sarà molto lodevole, che per quando potrà procuri d'introdurre nella sua Diocesi l'osservanza della regole, ed istruzioni sopra di ciò promulgate in quest'alma Città di Roma l'anno 1695, per ordine della Santa Memoria d'Innocenzo Papa XII, eccitando li Fedeli a rendere in quella sagra azione ogni più divoto ossequio al venerabilissimo Sagramento dell'Altare, anche per conseguire li tesori spirituali delle sante indulgenze a tal'effetto conceduti dai Sommi Pontefici, e specialmente dalla San. Mem. di Papa Innocenzo XI, e susseguentemente dall'istesso Innocenzo XII.

X. Procuri, che le feste, e solennità si celebrino con modestia, e divozione, e senza spettacoli, convitti smoderati, e profanità vietate dai Sagri Canoni, e che nelle musiche si osservi il decoro ecclesiastico, senza mescolanza di parole non usate dalla Chiesa. In tal solennità, ancorchè maggiori, li Divini Offizî, e Messe cantate si celebrino secondo gli approvati Sag. Riti, ed all'ore prescritte dalle Rubriche, in modo che le Messe cantate non si prolunghino più che al mezzo giorno, ed i Vesperi, e le Compiete, oltre il tramontar del Sole: avvertendo, che alle 24 ore terminati siano tutti i divini Offizî, ed ogni altra funzione, e nella medesima ora siano serrate tutte le Chiese. E questa regola debba anco esattamente praticarsi nelle vestizioni, e velazioni delle Monache.

XI. In caso di transgressione circa le predette cose minacci con publici editti, o in altre maniere, che stimerà più proprie, gravi pene, ed anco di proibire le sopradette funzioni e Feste, e di sottoporre in caso di bisogno all'interdetto Ecclesiastico le medesime Chiese.

XII. Proibisca onninamente, e sotto gravi pene alli poveri, ed alli mendicanti l'andar cercando limosina per le Chiese, nascendo da ciò un gran disturbo alli Divini Uffici, ed alle orazioni de' Fedeli.

XIII. Ordini alli Parochi invigilare e correggere li delinquenti circa tutte le cose sud

Digitized by Google

dette, e bisognando, di denunciarli al suo Tribunale, e castighi li stessi Parochi, quando in ciò manchino.

XIV. Intimi la medesima vigilanza, ed attenzione alli Superiori Regolari per le Chiese loro, ed in caso di contravenzione, o negligenza, oltre gli altri remedî, prescritti da' Sacri Canoni, ne dia parte a questa Sacra Congregazione, che punirà i medesimi Superiori, anco con la privazione dei loro uffizî, ed altre pene più gravi.

Confida la Santità di Nostro Signore, che basterà questo simplice eccitamento al zelo di V. S. per animarla a compire esattamente in questa parte al suo debito Pastorale, per non essere incolpata al tribunale di Dio di aver taciuto, quando conveniva alzar la voce, e la mano contro i profanatori del Santuario, e che però sarà ella per impiegare ogni studio a fine di provvedere ad un disordine si importante, e si scandaloso, che in realtà ferisce il paterno cuore della Santità sua, la quale è risoluta di fare quanto è possibile dal canto suo, acciocchè si tolga questa abbominazione dal Luogo sacro, e che la nostra Italia, in cui risiede il capo visibile della Chiesa, ed è posta come sotto i suoi occhi, possa anco in questa materia del rispetto alle Chiese servire di esempio a tutte l'altre Nazioni del Cristianesimo, ed in tal maniera preservarsi da que' flagelli, che per castigo delle nostre colpe pur troppo ci vengono presentemente minacciati dalla Divina Giustizia.

Roma 26 *Luglio* 1701.

G. CARDINAL DI CARPEGNA PREFETTO.

G. D. Parracciani Prosegretario.

(49. Ludi theatrales etiam prætextu consuetudinis in Ecclesiis, vel per Clericos fieri non debent; cap. *Cum decorem* 12. *de Vita et honestate Clericorum*, Conc. Toletan. 22. cap 19.

(50. Nec in Ecclesiis fieri possunt Repræsentationes, seu Comœdiæ, quæcumque illæ sint, profanæ, vel sacræ, et permittentes puniendi sunt. Sic expresse cit. Conc. Toletan. 22. cap. 19. et concordat cit. cap. *Cum decorem*. Et tenent Marian. *Specul.* cap. 7. Zerola in *Prax. Episc.* p. 1. verb. *Repræsentationes*, et alii citati et secuti ab Ursaya *Institut. Criminal.* lib. 3. tit. 4. num. 29. Nicolius *Lucubrat. Canonic.* lib. 3, tit. 1, n. 27. Monacell. tom. 4. supplem. ad tom. 2, num. 207. et alii passim.

(51. An autem in Ecclesiis fieri possint Repræsentationes devotæ, et rerum piarum, puta solemnitatum Mysteriorum Fidei, Passionis Domini, Vitæ alicujus Sancti, etc? Affirmant Barbosa in cap. *Cum decorem* num. 6. Bellet. *Disquisit. Cleric.* part. 1. § 23, num. 10. Cohell. ad *Bull. bon. reg.* cap. 40, num. 8. Ursaya loc. cit. num. 29. per text. in cit. Concil. Toletano 22. cap. 19, ibi: « Per hoc tamen honestas Repræsentationes, et devotas, quæ populum ad devotionem movent, tam in præfatis diebus, quam in aliis non intendimus prohibere. » Sicque tales Repræsentationes, dicunt ipsi, conducunt homines potius ad compunctionem, quam ad lasciviam, seu voluptatem. Negant autem Monacell. loc. cit. n. 207. Romaguer. ad *Synod. Gerund.* lib. 3. tit. 14. cap. 8, num. 9. Nicolius loc. citat. num. 27. verb. *Amplia*, ubi sic expresse habet: « Ut neque piæ Repræsentationes, puta Passionis Domini, vel Sanctorum, permittendæ sint in Ecclesiis. Unde Sacra Congr. similes licentias concedere solet cum infrascriptis conditionibus, I. Quod fiant extra Ecclesiam. II. A Sacerdotibus, vel Clericis, aut aliis piis Viris III. De die, non de nocte. IV. Opus autem revisum, et approbatum fuerit ab Ordinario, qui non permittat ibi apocrypha misceri. V. Totumque fiat sine scandalo, et cum ædificatione populorum. Sacra Congregat. in Reatina 20 Januar. 1579. in Nolana 28 Aprilis, in Assisiensi 18 Martii 1603. Quare, cum scandala timentur, debent prohiberi. Sac. Congreg. in Viterbiensi 3 Aprilis 1582. Et nullibi fieri sine licentia Episcopi; Sacra Congregatio Concilii in una Bracharen. Hactenus ille. (50. Unde ad conciliandas prædictas opiniones concludendum est, quod Repræsentationes piæ ac devotæ possint quidem fieri in Ecclesiis, sed cum licentia, et approbatione Episcopi. Secus autem, non. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(52. Agere hic non esset incongruum de juribus honorificis, quæ in Ecclesia Laicis præstari solent. At longiores sane essemus, quam patiuntur limites additionum. Satis sit indicare, qui de ipsis disserunt Auctores. Vide itaque Franciscum de Roye *de Juribus Honorificis in Ecclesia.* Clausit Auctor hic totam tractationem duobus libris. Primi libri tredecim sunt capita. Caput I ita conceptum est: *Quid sit honor, in quibus consistat. Quid sint jura honorifica. Eorum divisio. Methodus istius tractatus.* Cap. II. *In quibus Locis reddantur illi Honores.* Cap. III. *A quibus petantur illi honores. An Laicis deberi possint.* Cap. IV. *Honor præsentationis, et alimentorum ex bonis Ecclesiæ.* Cap. V. *Honor Thuris, aut suffitus.* Cap. VI. *Honor precum.* Cap. VII. *Honor processionis.* Cap. VIII. *Honor Listræ.* Cap. IX. *Honor sepulturæ.* Cap. X. *Honor Sedis.* Cap. XI. *De Ordine Sedilium, et qui ea disponant.* Cap. XII. *Honor panis benedicti.* Cap. XIII. *Osculum Pacis, et Aqua benedicta.* Quindecim vero sunt capita secundi libri. Cap. I. *Ex quibus rationibus aut principiis Honores in Ecclesia deferuntur: Quædam Catholica ad hunc tractatum.* Cap. II. *Principibus omnes illi Honores debentur.* Cap. III. *Fundatoribus debentur omnes illi Honores.* Cap. IV. *De Senioribus Locorum, qui omnimodam jurisdictionem habent, et in ea positam Ecclesiam. Quinam iis Honores in ea debeantur.* Cap. V. *De iis Senioribus, qui mediam habent justitiam.* Cap. VI. *De iis, qui bassam seu inferiorem justitiam habent, et fundum in quo constructa sit Ecclesia.* Cap VII. *De Benefactoribus.* Cap. VIII. *De Magistratibus Regiis ejus Territorii, in quo posita sit Eccle-*

Digitized by Google

sia. Cap. IX. *De nobilibus, qui manent in eadem Parœcia.* Cap. X. *An simplices Nobiles in iis honoribus Ecclesiæ præferantur Judicibus Seniorum Parœciæ.* Cap. XI. *De Plebeis, qui vel Juspatronatus, vel Senioratum, vel aliquod Feudum habent.* Cap. XII. *De Successoribus.* Cap. XIII. *An singularis successor possit tollere Authorum suorum listras, et suas reponere.* Cap. XIV. *De Mulieribus.* Cap. XV. *Ubi, et quomodo de iis honoribus agendum.*

(53. 55. Confer itidem Hericourt in *Legibus Ecclesiasticis suo ordini restitutis* part 3, c. 9, per tot. tum et maxime Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia Canonica* verb. *Jura Honorifica.* Quod si specialem de juribus honorificis Patronorum desideres tractatum, adi et Michaelem de Perroy *de Juribus honorificis, tum utilibus Patronorum.*

ARTICULUS VI.

EX EDITIONE ROMANA.

Ecclesia quoad ejus naturam, status varios, Prærogativas ac regiminis formam.

(1. Ecclesia a græca voce ἐκκαλέω originem trahit; quæ vox latine idem sonat ac *evoco, congrego.* Itaque juxta grammaticalem significationem idem Ecclesia est, ac evocatio. (2. In generali hac acceptione passim Ecclesiæ vocabulum usurpatur in Scripturis ad significandam civilem ac politicam hominum congregationem : quo quidem in sensu *Psal.* 25, verb. 5, legitur ; *Odivi Ecclesiam malignantium*; et *Ps.* 106. vers. 32. *Exaltent eum in Ecclesia plebis* (3. Quandoque Ecclesia cum in veteri, cum in novo Testamento locum designat, in quem homines divini cultus causa conveniant ; *Ita Judith.* 6. v. 21, et 1. *ad Corint.* v. 18 et 22. (4. Proprie vero atque usu ecclesiastico Ecclesia usurpatur ad fidelium societatem designandam. Quo sensu Apostolus Paulus *ad Rom.* 16, v. 16. ait: *Salutant vos Ecclesiæ Christi* : et versu 23. *Salutat vos Cajus hospes meus, et universa Ecclesia.* (5. Atque hæc postrema, stricta, et propria significatio est vocabuli *Ecclesia*, quod societatem seu cœtum vocatorum exprimit ; cum nemo ad hunc populum se adjungat, per se et suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt a Dei vocatione prævenientur. (6. Hinc Hieronymus *Comment. in cap.* 5. *Proverb.* et Augustinus *in Psal.* 81. observant, Ecclesiæ nomen apte designare societatem fidelium novi Testamenti, atque hanc a cœtu fidelium veteris Testamenti secernere, qui Synagoga dicebatur. En Hieronymi verba : « Ecclesia et Synagoga, inquit, græca nomina sunt et unam eamdemque rem latine significant; id est, conventum plurimorum ad invicem. Si autem subtilius distinguantur, Ecclesia convocatio, et Synagoga congregatio interpretatur ; et vetus quidem Dei populus utroque nomine vocabatur : nunc autem gratia distinctionis, ille Synagoga, noster Ecclesia dicitur, merito scilicet fidei et scientiæ majoris : quia et irrationabilis creatura potest congregari. »

(7. Duplici autem modo Deus hominem vocat, scilicet interius per gratiam, et exterius per verbum, sive per revelationem, qua verum ac gratum ipsi cultum demonstrat, qua viam salutis ostendit, et necessaria media suggerit ad lapsum hominem reparandum, et ad æternam salutem obtinendam. (8. Cum Ecclesia congregatio hominum sit, qui recta fide, ac demonstrata a Deo ratione Deum colunt, ac tuta via ad æternam salutem pervenire contendunt, manifestum est non sufficire interiorem vocationem, sed exteriorem quoque necessariam esse, ut ea fidelium societas habeatur quæ Ecclesia dicitur : nam vocatorum societas a fide incipit, quæ sine auditu non habetur ; auditus autem deest, ubi verbum Dei non adsit exterius promulgatum, uti docet Apostolus Paulus. (9. Rursus hæc societas convenire debet in exhibendo Deo verum, ipsique acceptum cultum, et in adhibende præscripta a Deo remedia pro lapsus reparatione, ac pro æterna salute comparanda. Id vero fieri nequit nisi per externam fidei professionem, per externum cultum, ac per externum Sacramentorum usum, ut consideranti patet.

(10. Itaque solus Deus auctor et causa princeps est Ecclesiæ ; quia solius Dei est homines ordinare ad finem sanctificationis per gratiam, et salutis per gloriam ; et solius Dei est præscribere Ecclesiæ media necessaria, tum ad gratiam cum ad gloriam obtinendam. (11. Homines vero causæ meræ ministeriales esse possunt, dum scilicet eorum Deus utatur ministerio ad ostendendum hominibus, quæ manifestare ipse voluerit, ad media proponenda necessaria ad gratiam et gloriam comparandam, atque ad alia explicanda et inculcanda, quibus Ecclesiam regi voluerit.

(12. Hæc de Ecclesia militante generatim sumpta (de aliis siquidem Ecclesiis satis dictum arbitror ab Auctore.) Venio nunc ad Ecclesiam Cfiristi. (13. Hæc duplici ratione considerari potest, scilicet secundum latam, et secundum strictam significationem. (14. Priori modo societatem designat Fidelium, qui in Christum crediderint, præscindendo ab explicata vel implicita fide, a Christo sive nascituro vel nato, morituro vel mortuo : Posteriori modo societas est hominum, qui fidem habent in Christum jam natum, et passum, consummatis omnibus redemptionis humanæ Sacramentis, et mysteriis.

(15. Ecclesia Christi priori modo accepta non tantum natalem Christi antecessit, sed etiam ita floruit tempore legis naturæ et scriptæ, ut tunc temporis veros exstitisse Christi cultores merito asseri possit. Audiatur Augustinus Epistola 190, quæ est ad Optatum cap. 2, num. 8. « Profecto, inquit, quod scriptum est, non esse aliud nomen sub Cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, quia sicut in regno mortis, nemo sine Adam; ita et in regno vitæ, nemo sine Christo. » Atque alibi passim tradit idem Sanctus Do-

Digitized by Google

ctor, neminem post Adami peccatum salvari potuisse, nisi per fidem in Christum ; et concione 6, *in Psalm.* 36, quotquot fuerunt justi caput Christum habere scripsiti « Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos, ut esset et ipse totius caput civitatis Hierusalem. » Itaque qui fidem in Christum professi sunt, et per hanc fidem salutem sunt consecuti, hi ad Ecclesiam Christianam pertinuere, atque Christianæ religionis cultores asseri merito possunt; quotquot vero fuere justi cum in lege Moysis, tum in statu legis naturæ, per fidem in Christum venturum salvi facti sunt, atque hac unice ratione justitiam et sanctitatem consequi potuerunt; fuere ergo omnes Christianæ Religionis cultores. Nec sola id Augustini auctoritate evincitur, sed etiam argumento illo theologico ex sacris litteris petito, quo ostenditur, per solam fidem in Christum mediatorem Deum inter et hominem, salvos fieri potuisse homines post Adami lapsum: Auctoritate Tertulliani lib. *de Resurrectione carnis* cap. 6, asserentis, ab ipsa hominis formatione Christum primum ac maximum fuisse fidei, et Religionis subjectum ; autoritate Eusebii Cæsariensis, qui lib. 1, *Demonstrat. Evang.* c. 5, ait, Christum notum fuisse Moysi, et antiquis Patriarchis, atque hos non Judaico, sed Christiano more vixisse, ut scribit lib. 6 ; autoritate denique Gregorii Magni, qui *Homilia* 19, *in Evangelia* sub vineæ parabola universalem exprimens Ecclesiam, hanc ab Abel justo cœpisse ait, usque ad ultimum electum duraturam, qui in fine mundi nasciturus sit.

(16. Ad initium vero quod spectat hujus Ecclesiæ, facile intelligere est, statim post Adami lapsum repetendum esse. Tunc enim Deus revelatione, sive verbo suo, humano generi demonstravit sola fide venturi Redemptoris, ac gratia ex ipsius mediatione expectanda, potuisse homines a peccato surgere, ac æternam salutem obtinere. (17. Non est autem qui non videat in hujusmodi revelatione generalem illam vocationem, qua homines per fidem in Christum ad societatem ineundam, et Ecclesiam constituendam, invitabantur. Quamobrem dubitari non posse videtur, quin hoc in sensu Christi Ecclesia statim post Adami lapsum inceperit.

(18. Augustino tamen enarratione *in Psal.* 141, Gregorio Magno loco supra a nobis citato, et quamplurimis Theologis placuit, Christianæ Ecclesiæ exordium ab ipso Abel repetere ; tum quia Scriptura primum Abel excelluisse asserat in publica fidei protestatione, sine qua visibilis Ecclesia non consistit ; tum quia conveniens ac consentaneum videtur, ut Ecclesia quam sanctam in Symbolo profitemur ab eo inciperet, in quo primum inter homines sanctitas, et innocentia sine interruptione perseveravit, in signum sanctitatis, quæ numquam in Ecclesia Christi defectura esset ; tum demum, quia tunc Dei Ecclesia palam a societate malignantium secerni cœpit ; sacrificii scilicet oblatione, in qua fidei illa protestatio enituit, quæ in Caini sacrificio desiderabatur.

(19. Antequam exponam quid sit Christi Ecclesia stricte sumpta, et quænam ipsius notæ atque prærogativæ, paucis investigandum censeo, quænam fuerit divinæ providentiæ cura in regenda Ecclesia in statu legis naturæ, et in statu legis scriptæ. Neque enim dubitari potest de divinæ providentiæ cura in servanda, atque regenda Ecclesia a se constituta ; Deus enim sapientissimus cum sit, atque optimus, opus quod perfecit, providentia sua conservare, custodire, ac regere debet. Itaque qui Ecclesiam fundavit, quæ ad finem usque Mundi sit duratura, necesse est, ut eamdem Ecclesiam providentia sua rexerit semper, atque nunc regat. (20. In lege autem naturæ eadem, qua revelatam religionem docendo Ecclesiam fundaverat, providentia, eamdem conservavit et rexit. Nam quæ credenda, quæque agenda hominibus essent, ut recta fide ac puro cultu viam salutis homines sectarentur, vel per se ipsum visibiliter apparendo, vel per Angelos, quos sui administros adhibuerit, vel per homines spiritu prophetico, ac divinæ legationis characteribus donatos, demonstravit. Iis enim modis supernam religionem Deus hominibus revelavit, eosque in illam vocavit societatem, quæ Ecclesia dicitur, ut de revelationis necessitate, adversus Deistas disputaturi fusius disseremus. (21. Quis vero ignorat, hac Deum ratione Ecclesiam rexisse suam statu legis naturæ ? Ab Adamo enim ad Mosem usque, vix unam percurrere est generationem, in qua Deus Patriarchis non apparuerit, aut cœlestes suos administros Angelos ad eosdem non miserit, ut legenti Geneseos librum manifestum est. (22. Plures deinde fuere viri spiritu prophetico insigniti, atque ea morum probitate, iisque signis muniti, quibus divinam suam legationem populo demonstrarent. Vivo enim adhuc Adamo, prophetavit Enoc, qui divinitus raptus fuit ne videret mortem ; prophetavit quoque fuit Nohemus, atque, ut alios omittam, eumdem habuere spiritum Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus. Quorsum vero Deus Patriarchis illis apparuit, Angelos ad eosdem misit, ac Prophetarum ad homines legatione usus est, nisi ut in Ecclesia sua fidem, quam necessariam demonstraverat, in futurum Reparatorem divinum quem præscripserat cultum ac reliqua ad salutem necessaria opera, foveret, atque inculcaret ? (23. Itaque in lege naturæ Deus Ecclesiam suam per se, vel per ministros a se missos regulavit non solum eam fidem inculcando, quæ Religionem regeret, sed alia quoque præcipiendo, vetando, aut instituendo, quæ ad eumdem finem spectarent. Nam Nohemo, Abrahamo, Jacobo, aliisque sacrificare jussit, ac Sacrificii genus præscripsit. Per Nohemum abstinentiam a sanguine et suffocato imperavit, quo facilius homines ab homicidiis avocaret ; et per Abrahamum Circumcisionem instituit in signum initi fœderis, in memoriam promissionum, quas Abrahamo ejusque posteris fecerat, et ut gens, ex qua promissus humani

Digitized by Google

generis Reparator nasciturus erat, ab aliis secerneretur.

(24. In statu quoque legis scriptæ eadem providentia enituit, etsi novam quoque curam in stabilienda, et regenda Hebræorum Republica adhibuit. Nam per Mosem, quem legatum adhibuit, dum legem dedit, iis caracteribus, ac tanto prodigiorum apparatu munitum, ut nemo de divina istius legatione dubitare possit, legem promulgavit, in qua Reipublicæ Judaicæ forma, ac civiles leges præscribuntur; Sacrificia, et cæremoniæ designantur, quæ cum figuræ essent futuri Messiæ, et eorum, quæ ad ipsum pertinerent, in memoriam revocando divinas promissiones, fovebant ac fortius excitabant futuri Reparatoris fidem; ac tribunalia stabilivit, in quibus ortæ circa præcepta, cæremonias, et legem controversiæ finirentur. (25. Ut autem constet, qua ratione juxta Dei providentiam finirentur in Hebræorum Republica controversiæ Religionis, placet hic verba recensere, quibus Deus tribunal majus, quod Sanedrim vel Concilium seniorum vocabatur, instituendum præcepit, ac munia hujus Concilii circa controversiarum definitionem explicare. Num. 11, v. 16 et seq. dixit Dominus ad Moysen : « Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri, et duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi : et auferam de spiritu tuo, tradamque eis : ut sustentent tecum onus populi, et non ut solus graveris. » (26. Constat autem ex l. 2. *Paralip.* c. 19, v. 10, delatas ad hujusmodi Judices fuisse causas *De Lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus.* Porro manifestum est mandata et justificationis fidem in venturum Messiam inclusisse : et cum ibidem v. 11, dicatur : *Amarias autem Sacerdos Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit*, palam est, in illo Tribunali ubi summus Sacerdos, et Pontifex præsidebat controversias de religione definitas fuisse, cum certum sit has ad Deum pertinere. (27. Hujusmodi autem definitionibus acquiescere populum debuisse, tum ex eo constat, quod Deus spiritum suum Judicibus illis pollicitus esset, ut Numer. verba superius indicata designant; tum etiam ex iis, quæ habentur *Deuter.* 17, v. 8 : *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris... surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leritici generis, et ad Judicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus : sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto Judicis, morietur homo ille.*

(28. Vides ergo, id peculiare fuisse in Dei erga Ecclesiam legis scriptæ providentia, ut per sacrificia et cæremonias fidem in venturum Messiam excitaret, et ut Judices instituti essent, qui divino assistente Spiritu exortas de revelatione controversias definirent. (29. At in ea quoque perseveravit, atque ad Christi usque adventum perduravit singularis illa cura, qua per viros prophetas divino spiritu incitatos necessariam fidem inculcaret, ac monita salutis exhiberet. (30. Constat enim cum ex sacris libris tum ex traditione ipsa floruisse semper in Hebræorum republica prophetas, quorum nonnulli literis aliquot opera consignavere, alii vero ore tantum monita et prophetias tradidere. Misso vero horum catalogo, ne nimis longi simus, sat est innuere, paulo ante Christi nativitatem Zachariam floruisse Joannis Baptistæ Patrem, ac nato Christo prophetasse Simeonem, atque ejusdem Christi Præcursorem Joannem Baptistam. Hanc Dei erga suam Ecclesiam œconomiam paucis descripsit Paulus in ea, quæ est ad Hebræos, epistola, dum ait : *Multifariam multisque modis olim Deum loquutum fuisse Patribus in Prophetis.* Dum vero subdit, *Novissime vero diebus istis loquutus est nobis in Filio*, perfectam, et fundatam a Christo Ecclesiam designat. (31. Atque hæc Ecclesia est quæ per strictam significationem proprie Christi Ecclesia nuncupatur. De hac autem dicturi, primum Novatorum circa illius definitionem hæreses designabimus; notas deinde indicabimus, quibus perspicua fit; ac demum regiminis formam, ejusque jura, et prærogativas tuebimur.

(32. Ad Novatores quod spectat, Nestoriani, Monophysitæ, sive Syri, sive Copti, sive Armeni, ac Græci Photii Schismati adhærentes, Ecclesiam Christi visibilem adstruunt, sacros ministros ex divina ordinatione in eadem agnoscunt a plebe distinctos, atque Hierarchiam inter hos reperiri fatentur, in qua Episcopos Presbyteris superiores agnoscunt. At negant Romanum Pontificem Petri successorem divino jure caput ac Principem constitutum esse totius Ecclesiæ. Hoc scilicet errore eludere contendunt latas in ipsos, eorumque hæreses, per Apostolicam Sedem sententias, atque Schismatis notam declinare.

(33. Reliqui vero Novatores, quo facilius possent Ecclesiæ judicium contemnere, atque a Schismate sese purgare, invisibilem esse veram Christi Ecclesiam tradidere, cujus scilicet caput Christus sit, membra vero, vel ii homines, qui perfectione virtutum Christum imitarentur, ut Pelagiani; vel qui probi essent et a graviore saltem crimine alieni, ut Donatistæ; vel qui essent a Deo prædestinati, ac per prædestinationem Christo conjuncti, ut Wiclefus, et Johannes Hus, Bucerus, et ex Calvinianis quamplures : vel qui per fidem et charitatem Christo uniantur, ut Lutherus, Melanchton, Brentius, et Claudius, apud Calvini discipulos Parisienses olim Minister, ac Protestantes fere omnes, de vera Christi Ecclesia loquentes. Nam eorum plerique distinguentes inter veram et internam, atque externam et apparentem Ecclesiam, illam invisibilem modo

Digitized by Google

explicato, hanc vero visibilem adstruunt. (34. Sed turpissime errant in notis designandis, quibus æterna hæc et invisibilis Ecclesia discernitur. Etenim per Dei Ecclesiæ notam veram doctrinam, et Sacramentorum usum designant, ita ut ad externam Ecclesiam omnino pertineant ii omnes, qui in vera doctrina profitenda, et in iisdem Sacramentis participandis conveniant; distinguentes vero inter articulos fundamentales, et non fundamentales, omnes illas sectas ad Ecclesiam pertinere contendunt, quæ in adstruendis articulis fundamentalibus conveniant: (35. Quo argumento ductus Jurieus Calvinianæ sectæ Minister, eo devenit in tractatu, quem scripsit de unitate Ecclesiæ, ut contenderet omnes Christiani nominis sectas ad Christi Ecclesiam pertinere. (36. Ac fuere Novatores nonnulli, qui veriti non sunt affirmare, eorum sectas ab antiquis hæreticis, qui Apostolico sæculo vixerunt, originem trahere, ut eorum in Christi Ecclesia a primis exordiis successionem ostenderent. (37. Hæc autem deliria sunt, quæ vel ipsa narratio refellit. Quem enim Christianum hominem non pudeat in propriæ causæ præsidium Gnosticos, et Ebionitas afferre, ac horum se successorem prædicare, qui ab Apostolis veluti ethnici, et Publicani ex Ecclesiæ sinu fuere dejecti? Vel Cerdonis, Valentini, Marcionis, aliorumque hujus furfuris Nebulonum se successorem esse, cum constet hos ab Apostolicis viris ab Ecclesiæ communione avulsos fuisse, ac veluti Diaboli ministros damnatos; ut legere est apud Irenæum, Eusebium, Augustinum, aliosque Patres, qui de hæresibus scripserunt.

(38. Samuel Puffendorfius in opere inscripto *de Habitu religionis christianæ ad vitam Civilem*, quem sequuntur Bohemerus, Pfaffius, et Lutheranorum ac protestantium plerique, contendit, Ecclesiam non esse Statum, aut Rempublicam, sed societatem in Statu ex Doctoribus, et Auditoribus conflatam, et veluti Collegium in Republica. Quod Collegium jus deputandi personas particulares habet ad sacrum ministerium, et præscribendi per conventiones et pacta regulas divini cultus. Quamobrem omnes christianos ex Christi institutione æqualis auctoritatis esse contendit; Pastores vero atque Ecclesiæ ministros, ex sola plebis deputatione constitui, atque hos non majorem habere auctoritatem, quam quæ per pacta ab ipso Fidelium Collegio eisdem concessa sit. Atque hanc auctoritatem imperio Principum sæcularium subjectam esse, qui ut reliquis Collegiis, ita Christi Ecclesiæ suprema potestate præsunt et dominantur. (39. Addere iis possumus Edmundi Richerii circa Christi Ecclesiam errores, qui toti Ecclesiæ sive Cœtui Fidelium clavium potestatem a Christo collatam finxit, Petro vero, Apostolis, et Episcopis instrumentaliter et ministerialiter tantum, seu quoad executionem. Quamobrem Episcopos non Christi, sed Christianæ plebis ministros efficit, ac non superiores, sed subditos ejusdem. (40. Suspectus quoque est Launoius, qui in Epistola ad Nicolaum Gatinæum Catholicorum de Ecclesia definitionem reprehendit, quod mentio in ea occurrat Pastorum, quibus Ecclesia regitur, et præsertim Romani Pontificis.

(41. Hactenus hæreses recensuimus, quæ orthodoxo de Christi Ecclesia systemati adversantur. Has vero hæreses confutavere ex professo, ac solidis argumentis Benignus Bossuet, tum in historia variationum Ecclesiarum Protestantium, tum in operibus adversus Claudium exaratis, Honoratus Tournely in prælect. Theolog. de Ecclesia Christi, aliique Theolog. (1). (42. Cui adde Chartasium *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*. De auctoritate vero Romani Pontificis consuli poterunt opera Eminentissimi Augustini Orsi, typis Congregationis de Prop. Fide sub Clem. XII evulgata (2).

(43. Nos vero recensitas hæreses paucis confutaturi, ostendemus: Primo veram Christi Ecclesiam esse visibilem; Secundo veras et perspicuas notas habere, quibus dignoscitur, et non solum ab iis, qui Christiani non sint, sed etiam ab Hæreticorum, sive a falsis Christianorum sectis, secernitur: Tertio hanc sinu suo complecti non solum prædestinatos et justos, sed etiam peccatores, excludere vero a sua communione hæreticos, schismaticos, atque excommunicatos vitandos: Quarto esse indefectibilem, et in definiendis morum et fidei controversiis infallibilem: Quinto constare ex plebe, et Ecclesiæ ministris, qui ex divina institutione a plebe secernuntur, atque inter hos reperiri Episcopos jure divino Presbyteris Superiores, et Romanum Pontificem eodem jure totius Ecclesiæ caput et Principem: Sexto denique, potestatem regendi Ecclesiam, ac finiendi controversias circa religionem infallibili judicio concessam esse pastoribus sive Episcopis, ac præsertim Romano Pontifici, cui inerrantiæ privilegium in Petri persona promissum a Christo Domino fuit. Atque his positis, veram Christi Ecclesiæ definitionem exponemus.

(44. I. *Ecclesia Christi visibilis est.* Principio autem cum Novatoribus statuo, Ecclesiam Christi esse societatem illam, cui concredita sunt eloquia Dei, sive depositum divinæ revelationis, quo media necessaria ad salutem, et quid credendum, quidve agen-

(1) Richerium potissimum, post Duvallium et Petavium, strenue refellerunt cl. Mamachius in epistolis adversus J. Febronium et Laurentius Veith Augustani Lycei ornamentum in egregio libello Augustæ Vindelicorum 1783 excuso, cui titulus: *Edmundi Richerii Doctoris Parisini systema de Ecclesiastica, et Politica potestate singulari dissertatione confutatum.* Pro Ecclesiæ vero potestate tuenda egregie scripsit Pater Jo. Ant. Bianchi Ord. Minorum in opere Italice scripto, cujus titulus est: *La Polizia della Chiesa contro le nuove massime di Pietro Giannone.* (EDIT. BARBIELL.)

(2) Ac postea recusa: Franciscum Antonium de Simeonibus in præclaro adversus Dupinium opere *de judiciaria Romani Pontificis potestate*, Ballerinium *de vi Primatus*, Zaccariam in utroque Antifebronio cum italico, tum latino, aliosque, qui Febronium confutarunt. (EDIT. BARB.)

Digitized by Google

dum sit, demonstratur, ut certo nobis pateat via salutis. (45. Statuo secundo cum iisdem Novatoribus, extra hujusmodi societatem nullam esse spem æternæ salutis. Cum res ita se habeat, quis non videt Ecclesiam Christi perspicuam, ac visibilem esse oportere? Si Deus dum hominibus per suos Legatos, Prophetas, et Apostolos, necessaria ad salutem revelavit, perspicuis ac manifestis signis divinam legationem demonstravit, ac notissimis characteribus humano generi ostendit, per illos suam doctrinam fuisse promulgatam; quis credat invisibilem esse voluisse societatem illam, cui divinum revelationis depositum custodiendum, atque ad finem usque mundi sartum tectum servandum concredidit? Non enim minor esse debuit Dei sapientissimi providentia in proponenda sua hominibus revelatione, quam in eadem conservanda, et custodienda. Si ergo eam visibilibus et notissimis characteribus conspicuam reddidit in promulgatione, necesse est, per conspicuas, atque visibiles notas eamdem conservare, cum non minus tunc necessaria fuerit ad humanæ salutis consecutionem, quam deinceps futura sit. (46. Deinde tenentur omnes homines sub periculo æternæ damnationis adjungere se veræ Christi Ecclesiæ, et in eadem ad finem usque vitæ perseverare. Qua vero ratione id fieri posset, nisi per certos, visibiles, ac notissimos characteres, quæ vera sit Christi Ecclesia hominibus demonstraretur? (47. Dicent fortasse, invisibili divinæ gratiæ vocatione ad veram Christi Ecclesiam homines trahi. (48. At si Deus ita Ecclesiam fundavit suam, ut contentus non fuerit interna hac vocatione, sed exterius revelare necessaria ad salutem, et visibilibus signis revelationem suam demonstrare, manifestum est voluisse etiam ut visibilibus notis manifesta esset ipsius Ecclesia. Si per fidem se adjungere tenentur homines Christi Ecclesiæ, fides autem sine auditu non est, et auditus sine prædicatione illius, qui a Deo missus fuerit, ut ex Apostolo constat, quis non videt, interiori non obstante vocatione, qua excitatur fides, externas quoque ac visibiles Ecclesiæ notas necessarias esse ut veræ Fidelium societati se adjungere homines possint? (49. Præterea voluit Christus, ut in hanc societatem homines cooptarentur per visibilem baptismi ablutionem; ergo visibilem ac conspicuam hanc societatem esse voluit. (50. Denique ex ipsa Christi Ecclesiæ constitutione id manifestum sit; nam instituta est ad modum montis, ad quem omnes gentes undequaque confluere debent, ut prædixerat Isaias cap. 2. Instituta est societas constans ex Pastoribus, et Doctoribus, qui alios doceant, juxta verba Apostoli Pauli *ad Ephesios* 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi.* Pastores vero *Act.* 20 Episcopi vocantur, quos in grege Christi posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei. Et ad Hebræos 13. præcipitur Fidelibus, ut obediant Pastoribus, atque ejusdem subjecti sint; Matthæi denique 18 Ecclesiæ tribunal describitur, ad quod contumacium crimina deferri debeant, qui si Ecclesiam non audierint, habendi dicuntur veluti Ethnici, et Publicani. (51. Quis vero non videt ex supra recitatis testibus manifestum fieri, voluisse Christum ut Ecclesiæ suæ societas visibilis esset, quæ constaret ex Pastoribus, et Ovibus, hoc est ex superioribus, et subditis, mutuis invicem officiis colligatis, in eadem professione, ac Sacramentorum susceptione convenientibus? (52. Accedunt demum parabolæ ipsæ, quibus Christus Dominus Ecclesiam suam designavit, Areæ scilicet, Agri, et Sagenæ; allegoriæ, quibus Pastores expressit, dum eos sal terræ, vel lux mundi dixit, atque ea qua significavit se supra Petrum, veluti supra firmissimam petram, Ecclesiam fundaturum. Hæc enim omnia palam faciunt, Christum visibilem Ecclesiam fundasse, atque conspicuas in ea posuisse notas, per quas vera ipsius Ecclesia a falsis sectis secerneretur.

(53. Præsto autem nobis sunt hujusmodi notæ, quæ sensibiles sunt, omnibus obviæ, et cognitu faciles, non solum domesticis fidei, sed etiam extraneis, ut omnes ad Ecclesiam et fidem adducantur. (54. Non posse vero notas hujusmodi stabiliri, in vera doctrina, et legitimo Sacramentorum usu, ut novatores prætendunt, facile patet. Nam nullus unquam fuit hæreticorum, qui veram in sua Ecclesia doctrinam esse non contenderet, quæ ipse reciperet. Ita Gnostici, Ebionitæ, Marcionitæ, Manichæi, Hæretici denique omnes, ne iis quidem exceptis, qui in fundamentalibus stabilitis a Nostris Novatoribus articulis erraverint. (55. Ad alias ergo notas confugere necesse est, quæ perspicue ostendant fidelium societatem esse Ecclesiam a Christo institutam. Possemus hic in medium afferre miracula, quæ in sola Romana Ecclesia passim occurrent ad demonstrandam veram in nonnullis hujus societatis hominibus sanctitatem, et veram, quæ in eadem viget, fidem. Nam hujusmodi miracula per Sanctorum hominum fidem contingere plerumque videmus, atque in horum canonizatione, instituto rigoroso examine, vere comprobantur. Hæc sane ostendunt, Deum iisdem signis, quibus Ecclesiam a se fundatam fuisse demonstravit, ostendere eamdem se peculiari providentiæ suæ cura conservare atque regere. Sed iis missis, et aliis motivis, quibus evidenter credibilis fit Catholica Ecclesia, quatuor tantum indicasse sufficiat notas, quæ in symbolo Constantinopolitano designantur, videlicet *Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam.*

(56. Porro Christi Ecclesiam unam esse, ac unam invariatam consistere debere, facile patet. Voluit enim Christus, ut in Ecclesia sua *unum ovile foret, et unus Pastor. Joannis* 10. Paulus 1, ad *Cor.* cap. 10, omnes fideles unum mysticum Corpus efficere scribit; et *ad Ephes.* 4, explicans qua ratione invicem uniti fideles unum Corpus efficiant, ait, *Unum Corpus* (esse scilicet debetis, licet plura membra sitis) *et unus spiritus, sicuti*

Digitized by Google

vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus Pater omnium. Omnes itaque fideles membra sunt Ecclesiæ Christi, unum vero Morale Corpus efficiunt unitate Spiritus, quo Christo conjuncti sunt per fidem, unitate baptismi, quo Christiani designantur, et fiunt, unitate sacramentorum, quæ participant, et præceptorum tum divinorum, tum Ecclesiasticorum, ac unitate subjectionis legitimis Pastoribus, et visibili a Christo constituto Capiti, per quam unitatem Ovile unum, et unum Ecclesiæ Pastorem agnoscimus. Ita sane antiqui Ecclesiæ Patres Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, et qui hos deinceps subsecuti sunt Ecclesiæ unitatem explicavere, ut nos infra ostendemus.

(57. Sancta quoque est Ecclesia Christi, ut tum in citato, tum in Apostolico Symbolo antiqua quoque Ecclesia professa est. Hinc Sanctus Petrus *Epist.* 3, *cap.* 2, vocat Ecclesiam *Genus electum.... Gentem Sanctam*, etc., atque eamdem a Christo sanctificatam, scribit Paulus *ad Ephes.* et *ad Tit.* 2. Sancta vero dicitur propter invisibile Caput Christum; propter fidei sinceritatem, quæ in omnibus verissima est; propter Sanctitatem doctrinæ, quæ vitia, et peccata omnia damnat, et virtutes commendat, nempe Fidem, Spem, Caritatem, etc., quibus exornata Christi Ecclesia est, et quæ extra ipsam non reperiuntur, propter Sanctitatem finis, et mediorum; propter Sacramenta, quæ veram gratiam non ponentibus obicem conferunt, ac demum propter Justos, qui numquam in ea desunt, qui scilicet rite Sacramentis utuntur, præceptis obtemperant, et Ecclesiæ doctrinæ mores suos conformant.

(58. Est etiam Catholica Ecclesia Christi, hoc est Universalis, ac per totum notum orbem sensim diffusa. Liquet id ex Malachiæ prophetia cap. 1, et ex Matt. cap. ultimo, et ex ultimo capite Marci, in quo Christus præcepit Apostolis, ut *docerent omnes Gentes, et prædicarent Evangelium omni creaturæ.* Hujus Ecclesiæ tenendam fidem tradidere Cyprianus lib. *de Unitate Eccles.* Cyrill. *Catechesi* 18. Augustinus lib. *de Ver. Rel.* cap. 7, et Patres reliqui; atque hæc vera est et fundata per Christum Ecclesia. Hac de causa in antiquo Symbolo vera Ecclesia *Catholicæ Ecclesiæ* nomine designata est.

(59. Apostolica denique est vera Christi Ecclesia fundata *super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum;* propter depositum divinæ revelationis Apostolis concreditum, quod sartum tectum custodivit; propter Apostolorum prædicationem, qua per universum orbem propagata est; propter legitimam Pastorum, qui Custodes sunt divinæ revelationis depositi, ex Apostolis successionem; et præsertim propter non interruptam Romanorum Pontificum ex Petro successionem, ad quam veluti ad præcipuam Ecclesiæ tesseram semper provocaverunt Patres. Placuit autem hic Patrum Auctoritates afferre, quo clarius res tanti momenti aperiatur; Irenæus lib. 3 *adv. hæreses* cap. 3, ibi: « Maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles. » Deinde Romanorum Pontificum a S. Petro usque ad Eleutherium, qui tunc in Petri Cathedra sedebat, catalogum texit; Tertullianus, lib. *de præscript.* c. 32. « Edant (hæretici) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerint auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum edit. » S. Cypr. *epist.* 27, *ad lapsos* : « Dominus noster Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, et dicit Petro : Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam, etc. Inde per temporum et successionum vices, Episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit. » Optatus Milevitanus lib. 2, *contra Parmenionem*, sic eum alloquitur : « Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus : in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. » Deinde recenset omnes Romanos Pontifices a S. Petro usque ad Siricium, qui tunc Ecclesiam regebat, ut probet non esse veram Ecclesiam apud Donatistas, qui per similem successionem ad Apostolos usque ascendere non poterant, et quos sic alloquitur : « Vos vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare. » S. Augustinus lib. *contra Epistolam fundamenti* cap. 4. « In Ecclesiæ gremio me tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. » Et vero ipse Christus Ecclesiam suam supra Petrum primum Ecclesiæ Romanæ Episcopum et ejus successores fundavit, et promisit fore ut numquam illi Ecclesiæ prævalerent portæ inferi. Hinc illum S. Cypriani lib. *de Unitate Ecclesiæ* : « Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, non deserit, in Ecclesia se esse confidit. »

(60. Stabilito, Christi Ecclesiam ex scripturis, ac antiquæ Ecclesiæ consensione esse *Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam,*

Digitized by Google

facile ostendere est, per quatuor has notas conspicuam fieri, ac perspicuis characteribus veram omnibus demonstrare. Fac enim Ecclesiam ita nobis exhiberi, ut liquido constet, esse hominum multitudinem per totum universum diffusam, quæ ab Apostolis vel eorum legitimis successoribus in Christi fidelium societatem cooptata, ac Christo per baptismum consecrata sit; quæ per hujusmodi homines a Deo Episcopos constitutos ad regendam Ecclesiam regulata semper sit; quæ per fidei professionem, sacramentorum susceptionem, ac debitam obedientiam semper, et ubique cum hujusmodi Pastoribus conjuncta fuerit, eisque ac visibili Capiti Romano Pontifici subjecta; quæ fidem invariata ubique, ac semper servaverit, quam ii prædicarunt, quos Deus misit, et quibus depositum divinæ revelationis concredidit, ac peculiarem assistentiam in eo dispensando, et explicando promisit; quæ denique sanctitatem illam servet, et foveat, quam supra explicavimus: fac, inquam, ita nobis Ecclesiam exhiberi, an non illico constat, eam esse, quam Christus fundavit, quæ per constitutos a Christo Ministros regitur, quæ fidem, sacramenta, sanctitatem, ac reliqua pro salute hominum ordinata, intacta conservat? Ita sane! Nec alia nobis ratione constare potest vera Christi Ecclesia. Sunt ergo quatuor in Symbolo illo recensitæ veræ Ecclesiæ notæ.

(61. Ubinam vero in societatibus Hæreticorum, quæ modo vigent, sunt recensitæ notæ? Omnes enim separatæ sunt a communione Romani Pontificis, qui Petri Cathedram tenet, quæ centrum est unitatis, ut cum Cypriano omnes fere antiqui Patres loquuntur; et qui locum tenens Petri fundamentum illud est quod universam Ecclesiam sustentat, hoc est, Princeps, et caput Ecclesiæ Christi, cui firmum ac stabile illud præsidium promissum est, adversus quod portæ inferi prævalere non possunt. (62. Deinde Catholicæ, id est universales non sunt, cum non sint per universum diffusæ, certis conclusæ regionibus, ut discurrenti per Nestorianos, Monophysitas, sive Jacobitas, Photianos, Lutheranos, Calvinianos, aliosque Novatores facile patet. Nec semper fuere, sed initia sua habent in viris nonnullis, qui ab Apostolorum successoribus, ac legitimis Custodibus divinæ revelationis, veluti contemptores verbi Dei, atque fidei, ac veluti Christi Ecclesiæ contumaces perduelles damnati fuere, et a communione separati. Nestorius nempe in Ephesina Synodo, Monophytæ in Chalcedonensi, Photiani denique, Lutherani, Calvinianique in aliis Conciliis, vel ab Apostolica Sede. (63. Ubi ergo Catholica est eorum Ecclesia? Ubi Apostolica, cum ab iis stabilita sit, qui obtemperare recusarunt Apostolorum legitimis successoribus, ac traditam per ipsos fidem rejecerunt? (64. Ubi denique in sectis illis sancti homines sunt, qui ad normam doctrinæ Ecclesiæ mores exigendo suos, ea fide ac virtutum sanctitate eluceant, quam Deus dono prophetiæ et miraculis comprobet? Scimus enim, Deum in quocumque statu iis signis ad conservandam revelatam doctrinam, ac Ecclesiam suam demonstrandam, usum esse, quæ in eadem fundanda adhibuerat, ut nos supra innuimus. In sola vero Rom. Ecclesia sancti homines passim occurrunt dono prophetiæ illustres, ac miraculorum gloria conspicui: ut expendenti canonizatorum hominum acta manifestum fit. In iis enim post rigorosum examen heroicæ virtutes, prophetiæ eventu comprobatæ, et miracula adeo aperta, quæ in controversiam vocari nequeunt, demonstrantur. In sola ergo Romana Ecclesia Divina illa providentia apparet, qua Deus factam a se revelationem, ac fundatam Ecclesiam, divinæ suæ potentiæ auxilio regi, et conservari demonstrat.

(65. In eadem Romana Ecclesia quatuor illæ notæ facile conspiciuntur. Hæc enim una et invariata ostenditur per legitimam Pastorum ex Apostolis successionem, ac per divinam horum Pastorum missionem, quam ex ipsa ordinatione probant, et per non interruptam subjectionem Fidelium hujusmodi Pastoribus, qui eamdem Fidei professionem semper emiserint, eadem Sacramenta receperint, etc., qui denique una cum Pastoribus Petro, ejusque Successoribus, veluti Ecclesiæ fundamento, atque Capiti adhæserunt. Quamobrem veluti unum Corpus morale continuatum, ac proprio conjunctum Capiti exhibetur. Est ergo una. (66. Fuit præterea quocumque tempore, ac semper per Universum societas hæc diffusa, quæ cum antedictis Pastoribus, et Romano Pontifice communionem servat; quamobrem ab omnibus Patribus Catholica habita, et nuncupata est. (67. Apostolica quoque jure meritoque appellata fuit semper, ac revera est; nam per non interruptam Successionem, ac per legitimam Romanorum Pontificum, aliorumque Episcoporum Ordinationem, Ecclesia hæc ex Apostolis descendit; depositum Divinæ revelationis a Spiritu Sancto per Apostolos eidem Ecclesiæ concreditum sancte custodivit, data occasione cum assistentia illa, quam Christus Pastoribus promisit dicendo: *Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, eamdem revelationem inculcavit, et explicavit; eos vero, qui obstinate propositam, et explicatam ab ipsis revelationem, et dogmata per hanc demonstrata, recipere, venerari, et credere nolunt, veluti Ethnicos, et Publicanos, ab Ecclesia omnino avulsos, omni Communione privavit. Primo sæculo ejecti ex Ecclesia leguntur Ebionitæ, atque Gnostici: Secundo Cerinthiani, Marcionitæ, Valentiniani, Patripassiani, aliique, ut apud Irenæum l. *de Hæres.* et apud Tertullianum l. *de Præscript.* legere est: « Tertio Montanistæ, Manichæi, ac præter alios Pauliani a Paulo Samosateno ita nuncupati: Quarto, Ariani, Pelagiani, Macedoniani, atque alii: Quinto Sæculo avulsi, atque ejecti ab Ecclesia fuere Nestoriani, et Euthychiani, ac paulo post etiam Monothelitæ, atque ita sequentibus sæculis aliæ hæ-

Digitized by Google

reticorum Sectæ pulsæ ex Ecclesiæ communione fuere. »

(68. Venio nunc ad eos, qui ad Ecclesiam pertineant, atque ad eos, qui extra Ecclesiam sine spe salutis dejecti sint. (69. Ac primo quidem facile patet, non solum prædestinatos, perfectos, et justos, sed etiam reprobos, et peccatores Ecclesiam Christi complecti. Tum quia hæc comparatur areæ, quæ triticum et paleas contineat, sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, *Matthæi* scilicet 3, et 23, et. 1, *ad Timotheum* 2, magnæ domui, in qua non solum sunt vasa aurea et argentea, sed lignea quoque et fictilia, ac *quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Porro paleæ, mali pisces, et fictilia vasa, quæ in contumeliam sint posita, reprobos homines designant. Ecclesia ergo reprobos complectitur. (70. Deinde Ecclesia Christi visibilis est, atque hominibus conspicua, ut ad eam pro salute obtinenda venire possint, et ut etiam Pastores oves suas cognoscere valeant, atque oves Pastoribus obtemperare. Si vero solis prædestinatis constaret, qui soli Dei cogniti sunt, visibilis profecto hac ratione non esset; quamobrem jure meritoque Constantiensis Synodus Wicleffi proscripsit errorem, quo solos prædestinatos Ecclesiæ adjudicabat; et Augustinus *tract.* 45, *in Joann.* dixit : « Secundum præscientiam Dei et prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus ! » scilicet Deus videt salvos futuros esse nonnullos, qui modo extra Ecclesiam, deinde Ecclesiæ membra futuri sunt, ac reprobos esse multos, qui intra Ecclesiam sunt. (71. Hic vero notare juvat, ovium Christi nomine aliquando venire solos electos dum scilicet speciali modo, nempe secundum prædestinationem, Christi oves appellantur, per quem infallibiliter fiet, ut in æternum cum Christo unitæ permansuræ sint. Aliquando vero ovium nomine tum boni, tum mali designantur, qui in Ecclesia sunt : Sic *Joannis* ultimo Christus dixit : *Pasce oves meas* : Ita *Psal.* 73 : *Iratus est furor tuus super oves pascuæ* : et *Ezechiel.* cap. 32, describuntur oves, quæ misere pereunt, de quibus judicium exquiritur a Pastoribus.

(72. Reperiri etiam in Ecclesia peccatores, sive occultos, sive manifestos, ex ipsa Scriptura constat : nam *Matthæi* 15, dum modus præscribitur corrigendi ac puniendi peccatores per illa verba : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*, etc., perspicue ostenditur, in Ecclesia non solum occultos, sed etiam manifestos peccatores esse, cum peccator adhuc fidelis et frater, adeoque Ecclesiæ membrum dicatur. Fratres enim sumus, quia Ecclesiam pro Matre habemus, et Christum pro Patre. Ostendi id quoque potest ex parabolis convivii, in quo etiam erant non habentes vestem nuptialem, id est gratiam sanctificantem; et Virginum, inter quas quinque fatuæ erant, charitate videlicet destitutæ. Nota autem res est, parabolas illas Ecclesiam exprimere. Rursus Apostolus, 1 *ad Corinthios* 6, satis declarat, incestuosum Corinthium in Ecclesia fuisse, antequam ipsius Pauli, et Ecclesiæ sententia Satanæ traderetur. Vide Augustinum lib. 3, *contra Epistolas Petiliani* lib. 7, *de Baptismo*, et alibi passim hanc assertionem variis Scripturæ phrasibus comprobantem, et Hieronym. *contra Luciferianos* ita aientem : « Arca Noe Ecclesiæ typus fuit... ut ibi pardus, et hædi, et lupus, et agni; ita et hic (in Ecclesia) justi et peccatores, id est vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commarantur. »

(73. Dicendum nunc paucis est de iis, quos Ecclesia Christi e sinu suo excludit, et extra ipsam sine spe æternæ salutis sunt positi. (74. Inter hos primo loco occurrunt hæretici, quin nullo modo iis suffragetur excogitata a Novatoribus distinctio de Articulis fundamentalibus, et non fundamentalibus. Primo enim id liquet ex Patribus, qui Ecclesiæ nomine unicam communionem venire docuerunt, ac extra Ecclesiam positos esse, qui ab hac sint communione separati. Ita Irenæus lib. 3, *adv. Hær.* cap. 4. Tertullianus *de Præscr.* cap. 4. Clemens Alexand. lib. 7. *Strom.* Origenes lib. 1, *in Job.* Hieronym. *Dial. contra Luciferianos* circa finem, Hilarius lib. 7, *de Trinit.* et alii. In omnibus quoque antiquis Conciliis eadem doctrina exposita, et inculcata reperitur, ut videre est in Canonibus 6 et 10 Concil. Laodiceni, in quibus preces in oratoriis Hæreticorum offerre, et filias cum hæreticis matrimonio conjungere prohibentur fideles; in Can. 1 Concilii Constantinop. I, in quo hæretici vocantur *qui ab Ecclesia abdicati sunt, et anathematizati;* et in Can. 7, Concilii Carthaginensis IV, in quo nomen Ecclesiæ dari prohibetur *Conventiculis hæreticorum.* Accedunt etiam Patres, et Concilia, quæ unam hanc Ecclesiam Catholicam dixere, a qua hæretici omnes anathematizantur, ut videre est apud Tournelyum *de Ecclesia* quæst. 2, art. 1. Hæc vero omittenda duximus, quod Jurieus fateatur, hanc Ecclesiæ unitatem statuisse, ac sibi effinxisse antiquos Ecclesiæ Patres. At si Patres priorum sæculorum, qui ab Apostolicis viris depositum divinæ revelationis susceperunt, unam tantum Ecclesiam esse docuere, in qua spes insit salutis, atque hanc Catholicam esse, quæ hæreticos excludat, quis non videat, ita revera fuisse a Christo institutam societatem credentium ? Nam Christus Dominus unum in ea futurum dixit Ovile, et Pastorem unum; unumque Corpus esse voluit ex variis membris invicem, et cum capite unitis, ut tradidit Paulus; et eos, qui Ecclesiam non audierint, tamquam Ethnicos, et Publicanos, quibus spes deest æternæ salutis, habendos docuit *Matth.* 16, atque Paulus *ad Tit.* hæreticos devitandos jubet. Itaque Patres, qui Ecclesiam unam esse docuerunt, quæ Sectas hæreticorum excludat, Christi Domini doctrinam, et divinam revelationem inculcarunt, quæ hæreticos homines devitare nos jubet, et ita ab uno Ecclesiæ Corpore eos avulsos, et separatos ob perduellionem, et contumaciam, ejusdem Ecclesiæ sententia, exhibet, ut inter Ethnicos et Pu-

Digitized by Google

blicanos reconseri debeant. Patrum ergo de unitate Ecclesiæ doctrina ea est quam Christus, et Spiritus Sanctus per Apostolos promulgarunt.

(75. Neque ullibi apud veteres Patres occurrit articulorum fundamentalium, et non fundamentalium distinctio. Distinxit utique semper Ecclesia, inter ea quæ expresse cuique Christiano tenenda, et credenda sint, atque ea quæ generatim et implicite credere sufficiat, ut alibi ab ipso quoque Auctore expositum est : at pro hæreticis habuit eos omnes, qui quemcumque ab Ecclesia definitum et ad credendum propositum articulum pertinaci voluntate negassent. Ita, Hieronymo teste, ii qui adversus Ecclesiæ definitionem Mosaicas cæremonias cum Evangelio servandas tradidere, ut salutem homines consequerentur, hæretici, atque de societate Diaboli habiti sunt, vel ipsa Apostolorum ætate, etsi id ad fundamentalem fidei articulum, juxta Novatores, non pertineret. Atque ita deinceps, qui Ecclesiam loquentem atque docentem eadem obstinatione audire recusarunt, pro hæreticis habiti sunt, ut discurrenti per singulas Novatorum Sectas ab Apostolorum ætate ad Tridentinam usque Synodum, exploratum est. Et sane qui Ecclesiam non audit per legitimos Pastores loquentem, Christum non audit, et tamquam Ethnicus, et publicanus habendus est ex illo *Matthæi* 16, pluries citato. (76. Porro hæreticorum nomine homines intelligimus qui Ecclesiam audire nolint, atque obstinata pertinacia ipsius decreta respuant. Itaque ex ipsa Christi sententia ab Ecclesiæ societate separati habendi sunt. De his vero, et excommunicatis quod attinet, sufficiant ea quæ ab Auctore Bibliothecæ sunt disputata : Nam quæ de iis disserunt, obvia sunt apud Bellarminum aliosque Theologos.

(77. Visibilis Christi Ecclesia numquam defuit, aut defectura est. Ita Catholici contra Novatores illos sentiunt, qui solam invisibilem omnino indefectibilem prædicant, visibilem vero ita obscuram ac fere exstinctam fuisse, ut visibilis amplius non fuerit. Consideranti Dei in fundanda et regenda Ecclesia sua providentiam, palam illico fit nec defecisse, nec deficere posse visibilem Christi Ecclesiam. Nam hæc societas est, extra quam nulla est spes salutis : In hac societate fundanda Deus usus est visibilibus signis, ac perspicuis characteribus, quibus cognita et notissima esset hominibus, veluti ea, cui concredita sunt monita et præcepta, atque media necessaria ad æternam salutem, ut nos clare ostendimus de notis et characteribus divinæ revelationis disputantes (1).

(78. Si Deus omnibus conspicuam esse voluit suam revelationem per notissimos characteres, ac notam itidem societatem, cui revelationis suæ depositum concredidit, quis dubitet quin providentia sua, visibilem et conspicuam conservare voluerit semper illam eamdem societatem, ad quam necesse sit hominibus accedere, ut consequi salutem possint? Scimus enim, divinam providentiam eadem qua perfecit opera cura, eadem conservare. (79. Si ergo divinæ providentiæ cura fuit, ut omnibus conspicua esset Ecclesia, quam ipse fundaret, eadem cura visibilem atque omnibus conspicuam semper servabit. Atque huc spectant Veteris Testamenti prophetiæ, quibus perpetuo duraturam prædictum est Ecclesiam Christi. Vide hujusmodi prophetias relatas a Tournel. art. 8. concl. unica. Hinc Christus *Matth.* ultimo n. 20. inquit : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* et *Matthæi* Ecclesiæ suæ stabilitatem designans inquit : *Et adversus eam portæ Inferi prævalere non poterunt :* Atque *ad Ephesios* habetur : *Ipse (Christus) dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei.* Vides ergo, Christum stabilisse in Ecclesia sua Pastores, qui ad Mundi finem usque oves suas pascerent, quique in Actibus Apostolorum Episcopi dicuntur, positi a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei ; atque hujusmodi Pastoribus promisisse, se cum iisdem mansurum ad consummationem usque sæculi, hoc est, divinæ virtutis suæ præsidio atque assistentia se iisdem semper adfuturum; ac denique pollicitum fuisse numquam portas inferi, hoc est Spiritum erroris atque nequitiæ, adversus Ecclesiam illam prævalituras, quam Christus per Pastores a se constitutos regeret. Si Ecclesia, quæ numquam defectura est, ea est, quæ Pastoribus subest, est profecto visibilis, atque est Catholica Romana Ecclesia per notas illas conspicua, quas nos supra exposuimus.

(80. Huic Ecclesiæ infallibilis in decernendis fidei et morum controversiis auctoritas concessa est. Nam iis, per quos Ecclesiam fundavit, infallibilem in proponenda et explicanda doctrina auctoritatem contulit; Apostolis enim et Prophetis, quorum ministerio usus est in fundanda Ecclesia, infallibilem in proponenda et explicanda doctrina auctoritatem contulit; Apostolis enim et Prophetis, quorum ministerio usus est in fundanda Ecclesia, infallibilem divini Spiritus assistentiam præbuit, ut novatores quoque fatentur. Ergo iis quoque quorum ministerio utitur pro conservanda Ecclesia, quam indefectibilem esse voluit, eam assistentiam tribuat necesse est, per quam illibatum servetur depositum divinæ revelationis eorum curæ, et ministerio concreditum, alioquin cura in Dei providentia deesset, pro conservanda religione quam revelaverat. (81. Tradidit vero divinæ revelationis depositum iis, quos ipse misit dum dixit : *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos,* quibus pascendi oves onus imposuit, dum dixit : *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos,* quibus pascendi

(1) Consulatur Liber cui titulus : I Caratteri della Vera Religione — opera dell' Emo Gerdil, Roma per il Barbiellini 1785. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

oves onus imposuit, dum dixit: *Pasce oves meas*: quibus docendi munus indidit dicendo: *Euntes docete omnes Gentes*, quos denique *posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam suam*. Iis ergo eam assistentiam præbet, quæ necessaria est ad intactam conservandam revelationem ideoque Ecclesiam sine errore. Sine hac enim assistentia rite consultum non esset conservationi Ecclesiæ; eo vel magis, quod Christus hujusmodi Pastores audire, eisque obtemperare nos jubet: *Lucæ* enim 10. v. 16. ait Christus Apostolis, ac Pastoribus eorum successoribus: *Qui vos audit, me audit*; et *ad Hebræos XIII.* v. 13. habetur: *Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis.* Quis vero credat, voluisse Christum fideles suos astringere ad obtemperandum Pastoribus, qui credenda, et agenda pro munere pastoritio traderent, et inculcarent, quin hos ea voluerit assistentia fovere, quæ necessaria sit ne concreditas sibi oves decipiant! At hanc promisit per verba supra a nobis relata: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, et portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam;* et per ea quæ leguntur *Ephes.* 4. v. 11. *Dedit Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*, hoc est Ecclesiæ, *ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni verbo doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Hac de causa *ad Timoth.* 3. v. 5. Ecclesia dicitur *Columna et firmamentum veritatis*, firma scilicet, et stabilis, quæ errare, et a fide deficere nequeat. Accedit etiam unanimis Patrum et Conciliorum consensus, qui hanc semper, et ubique traditam Ecclesiæ prærogativam affirmarunt, ut videre est apud supra citatos Auctores.

(82. Atque hinc facile patet, inerrantiæ donum Ecclesiæ Pastoribus fuisse concessum. Iis enim necessarium est, qui pascere, qui docere, qui regere fideles debeant, et quibus fideles fidem habere, et obedire jubentur. (83. Ii autem Pastores sunt, ut ex dictis liquet. Pastorum autem nomine veniunt Episcopi, ut constat tum ex illo Actorum loco, in quo Episcoporum fit mentio, qui positi sunt ad regendam Ecclesiam; tum ex perpetua, et constanti Ecclesiæ traditione; tum ex praxi Ecclesiæ, in qua semper Episcopi tum seorsim, tum in Conciliis congregati, controversias fidei, atque morum definiere, ut ex actis, et historia Conciliorum constat. Episcopos vero jure divino presbyteris superiores esse, ac Presbyteros eodem jure a plebe secerni, contra Novatores ostendemus de Ecclesiastica Hierarchia, e de Presbyteris disputantes.

(84. Privilegium vero inerrantiæ non singulis Episcopis seorsim sumptis, sed eorum cœtui, qui cum Ecclesiæ Capite Romano Pontifice uniti sunt, atque ab eodem pendent, co ncessum est; nam non solum retroactis temporibus plures Episcopi ab orthodoxa fide defecerunt, sed occurrunt etiam hac nostra ætate ex Photianis, Nestorianis, et Monophysitis Episcopi bene multi, qui in manifestis ab Ecclesia damnatis erroribus versantur. Hoc itaque privilegium iis competit, qui in vera Christi Ecclesia sunt per notas superius a nobis descriptas manifestata. Sunt autem in hac Ecclesia ii tantum Episcopi, qui cum Romano Pontifice communicant, atque ab ejus auctoritate, jurisdictione atque regimine pendent. Neque enim ad unam Christi Ecclesiam pertinere possunt, nisi cum illius potestate sustententur, nisi auctoritate illius regantur. Quamobrem de fide est, inerrantiæ privilegium Ecclesiæ illi concessum esse, in qua Plebs cum suis Pastoribus uni Romano Pontifici subsit, cujus suprema auctoritate omnes regantur. Neque ab hac sententia Gallorum Theologi dissident, qui, ut exponit Tournely de Ecclesia qu. 5. art. 2. aiunt, Ecclesiæ claves, ad quas hujusmodi quoque privilegium refertur, « uni Petro, et unitati simul concessas esse, » hoc est Ecclesiæ capiti una cum Episcopis cum eodem conjunctis, atque ab eodem pendentibus. Neque enim jure divino primatum honoris, et jurisdictionis haberet in tota Ecclesia supra alios quoque Episcopos, nisi ii ab eodem Pontifice penderent. Hinc « Leges, inquit citatus Auctor, ac Decreta Pontificis Romani in causis fidei, et morum ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, ac Christianos omnes ex conscientia teneri ipsis obtemperare. Quamquam enim infallibilis non supponatur Romanus Pontifex, provisorie tamen ipsius Decretis, quæ apud omnes bonos maximi ponderis ac momenti esse debent, obsequendum est, saltem, ut ait Gerso, *ad non dogmatizandum contrarium* quamdiu Ecclesia non reclamat, nec contradicit. Non ita est de privatis Episcoporum Decretis, quibus ii tantummodo sunt obstricti, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur. In controversiis fidei, ac Religionis præcipuas esse Summi Pontificis partes; nec quidquam in Ecclesia magni momenti definiri debere, quod ad ipsum non referatur. Quamquam enim non sit solus Judex controversiarum, est tamen inter judices primus dignitate, et auctoritate, ad quem majores, ut vocant, Ecclesiæ causæ referendæ sunt. Majores autem appellantur causæ, vel ex rei gravitate, ac magnitudine, quales sunt, quæ fidem, religionem, ac generalem spectant morum disciplinam; vel ex magnitudine subortæ difficultatis, aut dignitate personæ, ver. gr. cum agitur de Episcopis. » Ita ab anno 1682, in quo Galli per Cleri Conventum statuere quatuor de Romano Pontifice propositiones, de quibus aliis in Bibliothecæ locis agemus, de Romani Pontificis auctoritate, et infallibilitate sentiunt. Illorum itaque sententia Decreta Romani Pontificis ad fidem pertinentia etsi maxima cum veneratione sunt in universa Ecclesia suscipienda, tamen dogma fidei ab omnibus credendum non constituunt, nisi expressus vel saltem tacitus Episcoporum consensus accedat: posita autem inter Episcopos dissensione, meliorem, ac saniorem partem eam existimari oportere, ac Ecclesiam sufficienter repræsentare, quæ Romano Pontifici con-

Digitized by Google

juncta sit, qui certum est unitatis, et Ecclesiasticæ communionis caput.

Itali vero, Hispani, ac Theologi reliqui affirmant Romanum Pontificem non solum primatum honoris et Jurisdictionis habere in Ecclesia, sed etiam infallibilem sibi vindicare in finiendis Religionis controversiis auctoritatem. Etsi hac de re disserendum ex professo est verb. *Romanus Pontifex*, tamen hic unum, vel alterum momentum, quo res ostendi queat, proferemus. Primum vero de primatu adversus Novatores et Schismaticos orientales, deinde vero de inerrantiæ privilegio eidem concesso dicemus. Conveniens fuit, ut Ecclesia, quæ ab Unigenito Dei Filio homine facto stabilita est, et in qua veluti supremus invisibilis Rex ipse præest, tanquam in Regno, *cujus non erit finis*, unus supremus Pastor esset, qui illius vice eamdem regeret et administraret, et cui pro hac perpetuo servanda illius assistentia concederetur; præsertim cum Christus eam formatam exhibuerit, velut unum ovile, quod unius Pastoris auctoritate regeretur. At ad ita nobis exhibendam Christi Ecclesiam, conveniens fuit, ut inter ministros Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei unus esset, qui Christi vices gereret, et qui supremus loco Christi Pastor visibilis esset; alioquin qua ratione visibilis ac conspicua Christi Ecclesia, unum ovile sub uno supremo Pastore exhiberetur? Sed non sola convenientia est, ex qua supremum in Ecclesia visibilem Principem atque Pastorem constitutum deducimus; Christus enim ipse hanc prærogativam Petro ejusque Successoribus contulit, ut constat I. ex Christi verbis; II. ex aliis eidem Petro concessis prærogativis; III. ex iis, quæ Petrus ipse gessit. IV. denique ex perpetua ac constanti Patrum omnium sæculorum traditione. Christus enim Matthæi 16. clare se Ecclesiam suam supra Petrum fundaturum promisit, eique claves Regni Cœlorum concessurum; et Joannis 21. agnorum, oviumque suarum curam eidem commisit: *Ego*, inquit Christus apud Matthæum, *dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves Regni Cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in Cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in Cœlis.* Apud *Joannem* vero semel atque iterum dixit: *Pasce agnos meos*, tertium vero: *Pasce oves meas.* Ex iis vero facile constat, Petrum designatum et constitutum a Christo fuisse totius Ecclesiæ suæ Caput, Principem, atque Rectorem. Nam is, qui Ecclesiam sustentat, cui claves traduntur, atque ligandi solvendique potestas, et cui agnorum oviumque Christi cura concredita sit, Ecclesiæ Caput, Princeps, ac supremus Pastor constitutus est. Non alia enim ratione Ecclesiam sustentare dicitur, quam instar capitis et Principis regendo; et aliunde ex ipsa Scripturarum phrasi potestas clavium supremam potestatem exprimit, ut videre est *Isaiæ* 22. eamdemque potestatem exprimit allegoria Pastoris, ovium agnorumque curam habentis, ut videre est 2. *Reg.* 5. et *Paralip. v.* 11. At si Petrus is est, supra quem Christus Ecclesiam suam fundatam voluit, est procul dubio Ecclesiæ fundamentum; si Ecclesiæ fundamentum est, eam ergo sustentat ac regit. Cum vero pro regenda Ecclesia, clavium, atque ligandi solvendique potestas concessa eidem fuerit, quæ supremi Principis auctoritatem designat in Scripturis sanctis; et cum Pastor omnium Christi ovium designetur, qua etiam allegoria suprema illa potestas exprimitur, manifestum est, Petrum a Christo Domino Ecclesiæ suæ Caput, Principem, atque Rectorem supremum constitutum fuisse.

Neque reponant Novatores atque Schismatici, petræ nomine Christum, non Petri personam, sed vel semetipsum, vel factam per Petrum professionem designasse. Nam Matthæus non Græca, sed Hebraica, aut Chaldaica, aut Syriaca lingua scripsit, quibus in linguis ista generis differentia, quæ in Græca et Latina est inter Petrum et petram, non reperitur, sed uno nomine sive Hebraico, sive Syriaco Christus dixit: *Tu es Cephas*, id est, *petra*, *et super hanc petram*, etc., quemadmodum si latine Petrus, non Petrus, sed petra diceretur. Si vero quæras, cur Latinus Interpres non vertit: *Tu es petra, et super hanc petram*, etc., facilis est responsio: quia Græcum Codicem sequutus est. Non enim vertit ex Syriaco, sed ex Græco, in quo legitur σὺ εἶ Πέτρος, *Tu es Petrus.* Cum vero Græcus non verterit σὺ εἶ πέτρα, *Tu es petra*, sed *Tu es Petrus*, in causa est, ait hic Bellarminus quoniam, cum apud Græcos, tam πέτρος, quam πέτρα significet lapidem, visum est interpreti commodius homini nomen masculinum, quam fœmininum tribuere. Rursus postquam Christus dixit *super hanc petram*, etc., statim subnectit; *et tibi dabo claves*, etc. Hic vero de Petri persona loqui nemo dubitat; quis vero dubitabit, num de Petro locutus sit dum dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc.? Deinde licet nonnulli Patres per *petram* intellexerint vel confessionem Petri, vel ipsum Christum, vel etiam alios Apostolos et fideles; tamen nullus Petri personam exclusit. Imo eam expresse designari tradiderunt Tertul. lib. *de Præscript.* c. 21. Orig. homil. 5. *in Exod.* S. Cypr. *Epist. ad Jubaianum*, et lib. *de Unitat. Eccles.* Firmil. *Epist. ad Cypr.* S. Epiph. *in Ancorato*, Greg. Nazian. orat. *de Moderat.*, *in disputat. de moderat. servanda;* S. Basilius homil. *de Pœnit.* Ambr. serm. 57. *de fide Petri*, Hilar. cap. 16. *Matth.* Hieron. *Epist.* 57. *ad Damas.* Accedit etiam, Patres illos, qui *petræ* nomine vel Christum vel confessionem, etc., designari tradiderunt, non exclusisse personam Petri, quæ caput Ecclesiæ per illa verba constitueretur; sed indicare voluisse vel princeps Ecclesiæ fundamentum quod est Christus, vel causam meritoriam istius Petri primatus, quæ fuit facta a Petro confesso, vel denique partes, ex quibus coalesceret, et constructa esset Ecclesia, ut allegorice exposuit Origenes, quam ob rem ex hujusmodi Petrum

Digitized by Google

interpretationibus nihil adversus Petri primatum eruitur.

Præterea ex constanti omnium Patrum traditione constat, Petrum fuisse Ecclesiæ Principem constitutum. Nam Origenes homil. 2. *de Diversis* eum vocat « summum Apostolorum verticem, » et in cap. 6. *Epist. ad Rom.* ait : « Summam rerum de pascendis ovibus Petro traditam fuisse, et super ipsum Ecclesiam fundatam; » Eusebius lib. 2. *Hist.* cap. 14. eum « reliquorum omnium Principem et Patronum; » atque ita eum vocat Cyrillus *Cathec.* 2 et 11. A Basilio « omnibus discipulis Prælatus; » a Greg. Naz. « Petra supra quam fundata est Ecclesia, » a Cyrillo Alexand. « Caput et Princeps cæterorum, » a Chrysost. « Ecclesiæ Pastor et caput, ac princeps ac vertex Apostolorum » dicitur, ex latinis Patribus, similia habent Tertul. Cyprian. Optatus Milevitanus lib. 2. *contra Parmenianum*, Ambr. Augustin. et alii, qui legi possunt apud Bellarminum, Coccium, Tournely, Orsi, atque alios.

Cum Christus Ecclesiam suam perpetuam esse voluerit, manifestum est, collata Petro privilegia ad ipsius quoque successores pertinere voluisse. Sunt vero Successores Petri Romani Pontifices, qui Cathedram tenent, in qua ipse mortuus est. Ii enim vere ipsius successores dicuntur, atque eodem jure, quo Petro concessa fuit regendæ universæ Ecclesiæ, auctoritatem habent : Quod quidem non solum ex ipsa successione, sed etiam ex perpetua, atque constanti Ecclesiarum omnium traditione constat. Nam in omnibus Conciliis, et ab omnibus Patribus cum Græcis, tum Latinis Romani Pontifices habiti semper sunt veluti legitimi Petri successores, atque iis donati prærogativis, quæ pro universa regenda Ecclesia, a Christo Petro concessæ fuerant. Conciliorum et Patrum auctoritates videri possunt apud supra citatos Auctores, atque horum nonnullæ afferentur etiam in hac Bibliotheca verb. *Romanus Pontifex*.

Inter has vero prærogativas inerrantiæ donum, sive infallibilitatem reperiri, hic indicabimus, cum fusius tractandum id sit proprio in loco. Si Petri successores locum Christi tenent in terris, ac veluti ipsius Vicarii Ecclesiam regere debent, habeant necesse est quidquid ad rite regendam Ecclesiam, et ad intactam servandam Religionem necessarium est. Neque enim Deus vult finem quin media ad hunc necessaria suppeditet. Ad rite vero regendam Ecclesiam, atque ad sartum tectum servandum depositum divinæ revelationis, necessaria assistentia illa divina est, qua ab errore immunis redderetur; alioquin decipere Christi oves posset Romanus Pontifex, quæ ipsum audire, ejusque sententiam sequi jubentur. At hæc assistentia in Petri persona ejus successoribus promissa revera a Christo fuit. Nullus enim Gallorum Theologorum est, qui non agnoscat, per illa Christi verba : *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, hoc est adversus Ecclesiam, inerrantiæ donum designari Ecclesiæ Christi concessum. Donum vero hujusmodi Petro collatum fuit, ut ex Christi verbis liquet : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Deinde quid expressius ad significandum inerrantiæ donum, quam verba illa Christi Domini : *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos?* Hæc enim aperte significant promissam Petro veluti Christi Ecclesiæ Rectori assistentiam illam, ob quam deficere in fide non posset; Nam Petro pro quo rogaverat Christus præcipitur ut fratres, hoc est, Episcopos confirmet. Id vero innuit, non veluti privatæ personæ, sed tamquam totius Ecclesiæ Rectori obtentum fuisse Petro a Christo privilegium illud (1). (101. Reliqua ad perfectum Ecclesiæ systema pertinentia, atque ad ipsius regiminis formam exponuntur in aliis articulis. Definitionem Ecclesiæ vide *in art.* 1.

(1) Quæ ad Gallicanam a. 1682 declarationem spectant, jure expendit Zaccaria in utroque Antifebronio : quocum tamen conferendum omnino velim Cl. Soardi insigne opus Avenione 1747, Tomis duobus editum, inscriptumque : *De suprema R. P. auctoritate hodiernæ Ecclesiæ Gallicanæ doctrina*, uti et posthumum Galli Anonymi libellum, a 1768 vulgatum hoc titulo : *Examen du quatrième article de la déclaration du Clergé de France.* (Edit. Barbiell.)

ARTICULUS VII.

Ecclesia materialis quoad ejus antiquitatem

Ex editione Cassinensi.

(1. Licet Ecclesiæ nomine conventus seu cœtus fidelium proprie venit, tamen omnium consensu traductum est ad significandum locum ipsum materialem ubi Christiani conventus suos agunt. De origine Ecclesiarum materialium paululum investigare nobis est animus. Quærimus autem duo : primum est quo tempore cœperunt Christiani loca ad cultum divinum destinata habere? alterum est : quando Ecclesiæ publicæ esse cœperunt penes Christi fideles?

(2. Quamvis affirmari non possumus Apostolos initio habuisse Ecclesias, sicut eorum discipuli postea erexerunt, pro certo et explorato tamen habemus jam inde ab Apostolorum ætate Christianis certa et determinata fuisse loca, ad quæ conveniebant ad res sacras et divinas agendas. Quæ quidem loca postea Ecclesiæ primum appellata sunt. Re sane vera narrat Sanctus Lucas, libro *Actorum* (Cap. 1. v. 13.) Apostolos de Monte Oliveti in Jerusalem reversos cum aliis bene multis in locum superiorem (in versione græca ὑπερῷον in latina vulgata versione Cœnaculum dictus) ubi erant in oratione perseverantes. Porro iste locus superior esse debuit omnibus notus; aliter nomine generali non vocaretur a S. Luca. Insuper quomodo sciri potuit quo in loco fieret conventus nisi locus esset determinatus et fixus? Item *S. Lucas* (cap. 2, 1.) ibidem refert : « Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter in *eodem loco* » Ergo ab ini-

Digitized by Google

tio Christianis locus fuit determinatus ad divinum cultum peragendum. Idem confirmari potest ex S. Paulo, qui *ad Corinthios* scribens ait: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Quo in loco apprime distinguit inter Domus particulares et locum ubi conventus fiebant. Ergo loca ubi Christiani conventus agebant, erant ab omnibus aliis locis distincta; et per consequens Christianis initio loca, ubi convenientes res divinas agerent, fuisse distincta.

Hinc inferri licet quanto a veritate aberrant ii qui dicunt « Christianos tribus prioribus sæculis istiusmodi distincta cultus divini loca non habuisse. »

Ex secundo sæculo testem pro Ecclesiis appello Ignatium Apostolicum ad Magnesianos scribentem: « Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite » Simpliciter, non dicit Ignatius, templum, quia tunc temporis *templi* nomine, veniret templum gentilium; sed dicit Dei templum, non Deorum templum. Accedit testimonium Clement. Alexandrini de Ecclesia loquentis, « Non jam, ait, *Strom.* VII. locum sed Congregationem electorum Ecclesiam voco » Ex quibus apparet sæculo Ecclesiæ secundo, nomine Ecclesiæ venire etiam loca ubi conventus agebant Christiani.

Ex tertio sæculo testem appello Tertullianum (*de Idol.* cap. 7): « Ingemens Christianum ab idolis in *Ecclesiam* venire. » Et de Coron. Milit. cap. 3. idem Tertullianus distinguit Ecclesiam inter et Baptisterium: « Aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in *Ecclesia* sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare Diabolo et pompæ et angelis ejus » Accedit Lampridii in Vita Alexandri Severi auctoritas scribentis « Cum Christiani quemdam locum, qui *publicus* erat, occupassent, et contra popinarii dicerent, sibi eum deberi; rescripsit imperator, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur cap. 49. »

(3. Ex hoc Lampridii loco non solum Ecclesias habuisse Christianos eo tempore, verum etiam eas fuisse publicas, certum et exploratum est. Namque Lampridius loquitur de templo vel loco publico ad colendum verum Deum destinatum, de loco non solum Christianis sed paganis quoque cognito. Sed utrum fuerat publica prima Ecclesia quam habuerunt Christiani an non, affirmare non auderem. Ita quidem putat Cardinalis Orsius Hist. Eccl. lib. 6. § 23.

Hinc falsum est Christianos non habuisse Ecclesias publicas ante Constantinum Magnum. Sane Origenes in *Matth. Tract.* 28. « Scimus, inquit, et apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, et factas fuisse quasdam ruinas, ita ut qui erant impii extra fidem causam terræ motus dicerent Christianos, propter quod et persequutiones passæ sunt Ecclesiæ et incensæ sunt » Quomodo incendi potuere Ecclesiæ, nisi notæ et publicæ essent? Idemque Arnobius (lib. 4. *Adversus Gentes:*) « Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter conventicula dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus...? » Lactantius quoque supponit suo tempore Christianis fuisse publicas Ecclesias: « Ego, inquit, (lib. 5.) cum in Bithynia oratorias litteras docerem, contigissetque, ut eodem tempore Dei templum everteretur. » Et de Phrygia loquens idem Lactantius, hæc scribit: « Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum et cum ipso pariter conventicula concremavit. » Et Auctor libri de *Mort. Persecut.* cap. 13. « Constantius, ait, ne dissentire videretur a majoribus præceptis, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit. »

Optatus Milevitanus lib. 2. affirmat Romæ extare quadraginta Basilicas ante persecutionem Diocletianam. Eusebius vero lib. 8. cap. 2. de eadem loquens persecutione ait, proposita fuisse ubique imperialia edicta, quibus Ecclesiæ quidem ad solum usque dirui, sacri vero codices flammis absumi jubebantur. Et lib. 7. cap. 13. refert Imperatoris Gallieni edictum quo præcipitur « ut cuncti a religiosis locis (id est Ecclesiis) abscedant. » De tempore vero loquens quod a Valeriana ad Diocletianam effluxit persecutionem, « Quis, inquit, innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum Ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris cumulate possit describere? factum est ut priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias » Idem testatur Theodoretus lib. 5. cap. 15. quem vide.

Nisi me mea fallit opinio, talia sunt allata documenta, ut probent Christianos per totum imperium Romanum habuisse Ecclesias et quidem *publicas* ante ultimam persecutionem; et per consequens ante Constantinum.

(4. Sed veniamus modo ad ea quæ contra hactenus dicta afferuntur tum ex Origene, Minucio, Arnobio, tum ex Lactantio. Origenes enim disputans contra Celsum lib. 8. n. 17. videtur negare Christianos ullas habere Ecclesias; sed ita res non se habet, uti ex verbis Origenis patet: « Post hæc, ait Celsus, nos ab altaribus, statuis, templis erigendis abstinere.., » Quibus reponit Origenes, nulla esse templa penes Christianos, in quibus Divinitas concluderetur, ubi animalia immolarentur, et thus simulacris adolerent. Porro nos attulimus alia loca Origenis ubi pro certo dicit Christianos habere Ecclesias.

Cæcilius apud Minucium idem objicit quod Celsus: « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? » cui Octavius: « Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei extruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit?... Nonne melius in nostra

Digitized by Google

dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore? » Arnobius lib. 6. *adversus Gentes* in eodem sensu dicit « Numquid Deum delubris aut templorum constructionibus honoramus? » Et Lactantius *lib.* 2. *cap.* 2. « Quid sibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium simulacra sunt? »

Ex hisce ergo criminationibus Gentilium et Christianorum responsionibus solum colligere licet, tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Christianos nulla habere templa more Gentilium. Minime vero inferri potest non habuisse ecclesias eo modo quo semper catholici habuerunt tempore persecutionis.

Consule Jo. A. Assemani *de Ecclesiis.* Manhart. *de Antiq. Christ.* Pellicia *de Christian. Eccles. politia* T. 1. lib. 2. Mamachi *De Costumi...* T. 1. Bingham lib. 8. Ciampini *de Sacris ædificiis a Const. constructis.*

(5. Cætera Ecclesiæ ornamenta ad peculiares articulos remittendo hic de luminaribus et vasis pretiosis agam.

De luminis usu penes primitivæ ecclesiæ Christianos nobis est testis Epiphanius in epistola ad Jo. Hierosol. data: « Quum venissem in villam quæ dicitur Arablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam » Item Hieronymus adversus Vigilantium stylum acuens: « Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris..... Per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Evangelium accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad

fugandas tenebras sed ad signum lætitiæ. »

De Vasis aureis in Ecclesia nobis est auctor, qui dicit: Laurentius dispersit, deditque pauperibus vasorum aureorum thesauros, ne ad tyranni manus pervenirent. Nobis est auctor Prudentius qui canit per ea tempora auro libare antistites, auroque nocturnis sacris adstare fixos cereos. Et apud Theod. lib. 5. cap. 11. Julianus Apostata exclamat Ecclesiæ Antiochenæ videns thesauros: « Quam pretiosis vasis filio Mariæ ministratur! » Gregorius Turonensis testatur pretiosissimam suppellectilem vasorum aureorum inventam fuisse in arenariis persecutionum tempore obstructis, deinde apertis, in quibus Christiani sacra peragere conventusque habere consueverant. Lucianus apostata et religionis omnis illusor in Ecclesiis Christianorum laquearia auro fulgentia se vidisse testatur. Paulinus lib. 8. *Epist.* 2. Ecclesiarum januas, ebore et argento interductas describit; altaria gemmis ornata commemorat. In mysteriis sacris vasis gemmis coronatis usus est Basilius Magnus, uti ex Amphilochio in ejus vita accepimus. Scribit Cedrenus Justinianum Imperatorem mensam altaris fieri curavisse, in qua omnia metallorum genera, omnes gemmorum species, omneque lignum pretiosum includebantur. De tempore recentiori nil dicam, allata documenta sufficienter demonstrant antiquissimum usum tum luminarium cum etiam vasorum pretiosorum penes primitivæ Ecclesiæ Christianos, etiam illis temporibus quibus Christiani circuibant in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.

EDICTA LAICALIA.

ARTICULUS UNICUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Edicta Laicalia etiam ab Ecclesiasticis condi possunt. — 2. 5. Quid si ab Ecclesiasticis condantur. — 6. Distinctio inter Edicta *Prohibitiva* et *Privilegiativa*. 7. 10. Quid si hujusmodi Edicta circa SS. Canonum observantiam versentur. — 11. 14. Quid si ab Ecclesiasticis etiam debeant amplecti.

(1. Edicta laicalia non modo a laicis, sed etiam ab Ecclesiasticis personis possunt condi. Quoad edicta a laicis personis promulgata conveniunt omnes, Ecclesiasticos iisdem non subesse. Cap. *Non minus*, de immunitate Ecclesiar. « Non minus pro peccato illorum, qui faciunt, quam pro illorum detrimento, qui sustinent, grave nimis esse dignoscitur, quod in diversis mundi partibus Consules Civitatum, et Rectores, necnon et alii, qui potestatem habere videntur tot onera frequenter imponunt Ecclesiasticis, ut inferioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat..... Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus, nisi Episcopus, et Clerum tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules, aut alii de cætero ista commiserint et commoniti desistere noluerint, tam ipsi quam fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere, nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem. » Idem ab Imperatoribus definitum legimus in leg. 12. § 1. et *Auth. Cassa* Cod. *de Sacrosanct. Eccles.* Rot. in recent. part. 9. decis. 412. n. 1. cor. Lancet. dec. 561. et dec. 1125. a n. 10. ad n. 17.

(2. Quid vero si non a laico, sed a persona Ecclesiastica hujusmodi edicta prodierint? Hoc casu distinguendum est inter jurisdictionem ordinariam et jurisdictionem delegatam. (3. Si auctor Edicti delegata tantum jurisdictione polleat, tunc Edictum Ecclesiasticas personas non afficit. Ut enim lex obliget, necessario requiritur, ut legislatoris jurisdictione subsit, qui legi obtemperare debet, quod non verificatur in Ecclesiasticis respectu legislatorum Ecclesiasticorum delegatam tantum jurisdictionem habentium. (4. Si vero legislator Ecclesiasticus ordinaria

Digitized by Google

munitus sit jurisdictione, tunc jure obligat subditos. (5. Ideoque in his casibus inspiciendum non est, an edicta ex justa et legitima causa procedant, sed an ex persona habente jurisdictionem in personam ecclesiasticam, alias ex defectu jurisdictionis numquam executionem merentur, ut distinguit Panormit. in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* de constit. n. 4. et sub num. 25, vers. *Unde nullo modo*. Rot. in Nuper. tom. 6, decis. 280, num. 26 et 27. cor. Crisp. dec. 221, num. 6. (6. Inopportuna etiam non est distinctio inter edicta *prohibitiva*, *et privilegiativa*. *Prohibitiva* a jurisdictionem non habentibus emissa, indistincte Ecclesiasticos numquam ligant, secus vero interdum *Privilegiativa Gramatic.* decis. 100. num. 16. Sperell. *decis. for. Eccles.* 12, num. 29. junct. num. 32, et seq. Pignatell. tom. 3, consult. 59. a num. 18. ad fin. Rot. cor. Falconer. tit. *de Vita, et honestate Cleric.* dec. 2, num. 22. (7. Quod si edicta hujusmodi circa Sacrorum Canonum observantiam versentur, tunc Sacra Congregatio Immunitatis solet ordinariis injungere, non ut edicta approbent, sed ut novam super eadem controversia legem condant, ut observatum legitur in una Tarentina 12 Decembris 1651. quam enuntiat, Fatolill. in *praxi Immunit. Eccles.* part. 5, tract. 5, sect. 154. num. 8.

(8. Nec obstat, quod Ecclesiasticus sit auctor edicti. Ubi enim non uti Ecclesiasticus, sed uti princeps sæcularis legem constituit, et jurisdictione delegata tantum potitur, numquam potest Ecclesiasticos ad observantiam adigere, in quos soli ordinarii jurisdictionem ordinariam exercent. Fatolill. *in prax Immunitat. Eccles.* p. 5, tract. 5, sect. 133. n. 8. Rot. cor. Falconer. l. c. et cor. Crisp. decis. 352. *n.* 8, et seq. et ita de Cardinali Legato Ravennatensi definivit eadem Sacra Immunitatis Congregatio cor. Scotto 27 Martii 1696. et de Legato Ferrarien. aliam idem Fatolill. loc. c. sect. 53, num. 1. affert Sac. Congregat. Immunit. resolutionem in una Ferrarien. 18 Octobris 1633. lib. 2, decret. Paul. Secret. (9. Neque satis est, ut edicti auctor sit Ecclesiasticus, et ordinaria jurisdictione præditus, sed insuper requiritur, ut personæ, a quibus Edicti observantia exigitur, sint ejusdem jurisdictioni subjectæ Rot. cor. Falconer. tit. *de Offic. Ordinar.* decis. 5, n. 2, et num. 14. (10. Quamvis enim Episcopus ordinariam in Ecclesiasticos omnes habeat jurisdictionem, sibi tamen arrogare non valet jus, ut ipsius edicta extra propriam Diœcesim observentur. Piton. *Controv. Patronor.*, allegat. 100, num. 592.

(11. Esse tamen potest, ut in aliquibus casibus edicta etiam laicorum ab Ecclesiasticis debeant amplecti, ut si publicam respiciant utilitatem, dummodo a Summo Pontifice sint confirmata. (12. Cum enim præcipue Ecclesiastici publicæ teneantur consulere utilitati, et Summus Pontifex in omnes Ecclesiasticos jurisdictionem habeat, ita æquum est, ut et ipsi hujusmodi edicta servent, Summusque Pontifex ad id jure potest eosdem adigere. Sperell. *dec. Jur. Eccl.* 13, n. 14. Oter. *de Pascuis.* quæst. 8, n. 7, et seq. Rot. cor. Emerix jun. decis. 1154. num. 1. et decis. 1222. num. 1 et 5. (13. Præsertim si per exemptionem Ecclesiasticorum inutilia prorsus redderentur, et ita facilis omnibus præberetur occasio eludendi edicti, et publica vota, bonumque fraudandi. Gratian. *Discept. forens.* 80, n. 1. Card, de Luc. *de Jurisdict.* disc. 66. per tot. præsertim num. 6. (14. Quin unius dissensus valeat talium edictorum observantiam impedire, adeo ut si quis vectigalium defraudator repertus sit, coram Judice Ecclesiastico conveniendus, et pœna ab ipso expensa non Fisco, sed Lociis Piis applicatur. Rot. cor. Emerix jun. dict. decis. 1154. num. 4, et 21.

Reliqua, vid. in verb. *Frumentum* et verb. *Lex*, art. 3, num. 14, ad 78.

EDUCANDÆ.

Educandarum puellarum admissio in monasterium fieri nequit sine apostolica licentia, et ordinariorum examine. Bened. XIV, *tom.* 2, *constit.* 26, *incip.* Per binas.

Pro matrimonio et sepultura educandarum : Vide verb. Matrimonium, *art.* 2, *n.* 115, *ad* 121 *alia ad rem ; vide verb.* Monialis, *art.* 1, *num.* 1, *ad* 63.

EJICERE, EJECTI A RELIGIONE.

SUMMARIUM.

1. Religiosi professi vere incorrigibiles possunt licite ejici a Religione. — 2. Afferuntur ad hoc Decreta Sac. Congreg. Concil. Urbani VIII. jussu edita de Regularibus Apostatis et Ejectis. — 3. Adducitur Decretum ejusdem Sacræ Congregationis Innocentii XII. jussu editum moderatorium, et Incbrrigibilium respective innovatorium. — 4. Ad expulsionem incorrigibilium quinque prærequiruntur, et enumerantur. — 5. Recidivatio in ordine ad expulsionem non requiritur quod fiat in idem crimen specie, sed sufficit quod fiat in alia delicta, quamvis specie diversa. — 6. Monitio, seu punitio debet esse trina. — 7. Processus debet esse instructus juxta cujusque Religionis stylum, et constitutiones, et per ipsum debent plene probari causæ expulsionis. — 8. Carceratio formalis licet alias debuisset per integrum annum, nunc sufficit ad sex menses. — 9. Tempus carcerationis debet esse continuum, et completum. — 10. Hinc si reus e carceribus intra tempus præfixum aufugiat, nequit incorrigiblis declarari, et expelli. — 11. Unde in tali casu optimum expediens est petere dispensationem a Sacra Congregatione Concilii. — 12. Carceratio non debet esse ad solam custodiam, sed debet esse qualificata arctatione et pœnitentia in carcere formali. — 13. Vere incorrigibilis dicitur ille, qui ter convictus, et punitus de tribus gravibus, et atrocibus criminibus, et probatus per sex menses in carceribus in jejunio, et pœnitentia non fuit emendatus, sed animo adhuc perseverat in sua pertinacia. — 14. Ad probandam incorrigibilitatem pro expulsione non potest carcerari, nisi qui post tertium delictum, et tertiam punitionem iterum delinquit. — 15. Affertur, et solvitur instantia. — 16. Incorrigibilis expleto carceris tempore, non est statim expel-

Digitized by Google

lendus, sed adhuc post carcerem probatorium debet durare, et apparere incorrigibilitas pro expulsione. — 17. Quod adhuc duret incorrigibilitas post carcerem probatorium duobus modis cognosci potest, signis scilicet, vel factis. — 18. Non adest obligatio ipsum expellendi, quamvis incorrigibilis in expressa sua obstinatione persistat, sed facultativum est Superiori, seu Judici, vel in carcere adhuc eum detinere, vel ad expulsionem procedere. — 19. Facultas expellendi incorrigibiles in Decretis jussu Urban. VIII. editis erat restricta ad solum Generalem cum consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis. — 20. In Decretis autem editis jussu Innocentii XII. extenditur ad provinciales accedente approbatione Generalis. — 21. Non potest tamen hæc facultas expellendi alteri delegari, nec a Generali, nec a Provinciali. — 22. Electio sex graviorum Patrum potest modo fieri in Capitulo, vel Congregatione Provinciali, et debet per generalem confirmari.— 23. Talis sufficit quod fiat per vota totius Definitorii. — 24. Si nec a Religione, et nec a Provincia hujusmodi sex Patres fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione, debet haberi recursus ad Sac. Congr. Concilii in singulis casibus. — 25. Si tamen fuerint electi a Religione in Capitulo, vel Congr. Generali pro toto Ordine, et non fuerint electi in aliqua Provincia, poterit ipsa Provincia uti electis pro toto Ordine. — 26. Sic si aliquis electus in provincia decedat, poterit suppleri defectus substituendo aliquem ex his, qui fuerunt electi pro toto Ordine. — 27. Sex Patres graviores eligendi, debent intelligi graviores gravitate virtutis, et non graviores gravitate molis, aut præcise gravitate ætatis, vel graduationis. — 28. — Pro ferenda sententia definitiva expulsionis non requiritur quod omnes sex Patres concordent, sed sufficit quod major pars conveniat. — 29. Si vota sint paria, non potest definitive procedi ad ejectionem. — 30. Nec in casu paritatis votorum potest Generalis, vel Provincialis votum decisivum præbere. — 31. Sententia definitiva expulsionis non potest ferri nisi prius instructo secundum cujusque Religionis stylum et Constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. — 32. Constructo processu et copia exhibita reo, etc., debet provincialis vota sex Patrum cum Summario processus, et defensionum notitia, cum responsione ad ipsos facta ab Advocato Fisci Religionis, transmittere ad Generalem, a quo habita approbatione, poterit, si reum expellendum judicaverit, ad definitivam sententiam expulsionis procedere. — 33. Lata sententia debet intimari reo, qui si intra debitum tempus ad S. Sedem, et Sacram Congregationem Concilii appellaverit, ad eam devolvitur causa, ipso interim in carceribus persistente. — 34. Tempus ad appellationem concessum sunt decem dies numerandi a die latæ, et intimatæ sententiæ. — 35. Si vero non appellaverit, debet transactis ipsis decem diebus ab intimata sententia e carcere educi, et coram Religiosorum communitate corona Clericali, et Regulari privari, et per superiorem forma habitus Regulari exui, etc. — 36. Sententia expulsionis est statim significanda a Superiore Ordinario Loci. — 37. Adducitur formula, secundum quam est significanda. — 38. Ordinarius nequit sententiam expulsionis examinare, et inquirere an Regularibus sit juste, vel injuste ejectus. — 39. Traditur formula consignandi Ejecto litteras expulsionis, si ipsas a Superiore petat. — 40. Ejectus debet se præsentare illi Ordinario, in cujus Diœcesi est Conventus a quo ejicitur, et tenetur incedere in habitu Clericali.—41. Nequit tamen Ejectus nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad alios ascendere. — 42. Et si exerceat Ordines quos habet, fit irregularis. — 43. Ejectus nedum nequit exercere ministerium Ordinum, sed neque officium concionandi, et docendi. — 44. Expulsus laborat infamia juris, et facti. — 45. Juste Ejectus non potest prætendere alimenta a Religione. — 46. Sic nec Religiosi Societatis Jesu, qui post vota simplicia ante solemnem Professionem a dicta Societate dimittuntur, nulla ab eadem Societate prætendere possunt alimenta, aut congruam sustentationem, licet dum in ea viverent, titulo Religiosæ paupertatis, ad SS. Ord. promoti fuerint. — 47. Regularis injuste ejectus potest compellere Monasterium ad alimenta futura, et etiam præterita, si illa mutuo accepit. — 48. Sic etiam lite pendente pro validitate expulsionis, Ejectus debet ali ex bonis Monasterii, donec sit lata sententia de justitia, vel injustitia illius. — 49. Ejecti stantes in sæculo tenentur ad vota essentialia Religionis. — 50. Advertendum tamen est, quod licet in Ejectis perseveraret plena obligatio castitatis, obligatio tamen Paupertatis, et obedientiæ suspenditur quoad executionem, et observantiam multorum juxta capacitatem sui status. — 51. Similiter obligatio aliorum votorum supra tria essentialia in aliquibus Religionibus emitti solitorum, aliorumque Regularium observantiarum proprii Instituti etiam sub mortali præceptarum suspenditur quoad illa, quæ pugnant cum statu, in quo reperiuntur, et perseverat quoad ea, quæ compatiuntur cum eorum statu. — 52. Etiam contraria opinio quod hæc est probabilis. — 53. Ejectus juste tenetur se corrigere, et humiliter petere, ut iterum admittatur. — 54. Juste Ejectus potest cogere Religionem, ut se iterum recipiat, dummodo saltem ex litteris testimonialibus Ordinarii constet esse plene emendatum. — 55. Neque in hoc admitti debet excusatio aliqua post declarationem Sac. Congr. Conc. sub Urbano VIII. editam. — 56. Ejectus rediens ad Religionem non tenetur de novo Novitiatum obire, et professionem emittere. — 57. Ejectus rediens præscindendo a statutis, et Constitutionibus uniuscujusque Religionis non est statim restituendus ad gradus, et præcedentias. — 58. Secundum Donatum et alios, Ejecti redeuntes numquam debent restitui ad eumdem locum, gradus, et honores, quibus antea fruebantur. — 59. Ejectus a Religione ob crimina falsa, quæ ipse sibi ad hunc finem imposuit, non est securus in conscientia extra illam, sed est verus Apostata. — 60. Et hoc etiam est dicendum de sic expulsis post Vota biennii a Societate Jesu. — 61. Ejectus juste, si emendatus ad Claustra rediens, non admittatur, potest tuta conscientia remanere in sæculo. — 62. Ejectus in sæculo remanens, si in Ordinibus etiam Minoribus constitutus sit, tenetur incedere in habitu Clericali. — 63. Laici seu Conversi expulsi an teneantur incedere in habitu Clericali. — 64. Ejectus deponens habitum Clericalem animo numquam reassumendi habitum, neque Clericalem neque Regularem, immo sæculari militiæ se adscribens, si sit Clericus, est vere Apostata. — 65. Quid si sit Laicus, seu Conversus; *ad n.* 66. — 67. Ejectus acquirit adhuc bona Monasterio, vel Religioni unde est ejectus. — 68. Acquirit tamen ejectus usum facti, et jus disponendi de acquisitis prout ejus status exigit, et indiget quoad vitæ necessaria. — 69. Non potest tamen Ejectus facere expensas magnas superfluas, nec Donationes illicitas, aut rerum magni valoris; et accipientes ab illo, tenentur ad restitutionem. — 70. Ejectus non potest testari in bonis acquisitis in sæculo. — 71. Si Ejectus decedat extra Claustra, ex Decreto Gregorii XIII. omnia bona sua fiunt Cameræ Apostolicæ. — 72. Hoc Decretum ex Passerino non est intelligendum de omnibus bonis Religiosorum, sed de illis, quæ acquisierunt extra Claustra. — 73. Hinc a fortiori manent Religioni, et illi debentur bona illorum, qui casu fortuito decedunt extra Claustra. — 74. Ejectus si extra Claustra decedat est sepeliendus in sepulcro a se electo; si vero decedat nulla facta electione, sepeliendus est in Ecclesia Parochiali, et non in Regulari.—75. 76. Quæ de Ejectis in genere attulit Auctor etiam respiciunt Ejectos a Societ. Jesu post emissa vota solemnia, non vero post emissa vota simplicia.

Digitized by Google

(1. Religiosi professi vere incorrigibiles possunt, servatis servandis, licite ejici a Religione cap. *Impudicos* 11. et cap. *Si quis sacro* 17. caus. 27. q. 1. cap. *Cum in Ecclesiis* 10. *de Majorit. et Obed.* cap. *Cum non ab homine* 10. *de Judiciis*; cap. *Ne religiosi* 24. *de Regularibus*; cap. *Cum ad Monasterium* 6. et cap. *Ea quæ* 8. *de statu Monachorum*, cap. *Relatum* 7. *Ne Clerici, vel Monachi*, cap. *Ut formæ* 30. et cap. *Contingit* 45. *de Sentent. excommunic.* Et habetur expresse in Decretis de Regularibus Apostatis et Ejectis a Sacra Congr. Conc. jussu Urbani VIII. editis, et de mandato Innoc. XII. moderatis et innovatis, quæ cum sint regula, et norma observanda circa ipsos incorrigibiles ejiciendos, et ejectos, hic ad litteram subnectuntur.

(2. Sacra Congreg. Cardinalium Concilii Trident. interpretum Regularium Ejectorum, et fugitivorum statui consulere, illorumque scandala submovere, et succrescentem numerum frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissime perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, infrascripta decreta edidit.

§ 1. Ac primo, ut infecta semina, e quibus pravi ejusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innovandas, et Sanctissimi auctoritate innovat Constitutiones, et Decreta generalia S. M. Clementis VIII ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia; districteque præcepit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exacte observent, atque ut observentur efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in Conventibus, seu Monasteriis ad Novitios recipiendos hactenus designatis et approbatis, seu in posterum designandis et approbandis, Novitii ad habitum ullatenus recipi possint, nisi prius a Cong. Reformationis Apostolicæ, vel a propriis locorum Ordinariis expresse, et nominatim approbati fuerint, a cujus quidem Decreti observatione Sacra Congreg. justis de causis censuit Regulares esse absolvendos, prout auctoritate Sanctissimi Domini Nostri absolvit, atque eximit.

§ 2. Deinde ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit, eum Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit; tuncque Regularis recta se transferat ad arctiorem; quod ut re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia invigilet.

§ 3. Rursus statuit, ut fugitivi et apostatæ sive habitum Regularem deferant, sive non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus consignari secundum Regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa ex Decreto Concilii *cap.* 3. *sess.* 6. Quod si apostatæ hujusmodi, citra montes infra quatuor, ultra montes vero infra octo menses a præsentis Decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tunc pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur; ita tamen, ut debeant a Superiore absolutionem humiliter petere, et coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior vero e contra benigne illos teneatur excipere, ab hujusmodi pœnis absolvere, et paterna charitate complecti.

§ 4. Ad hæc, ut in posterum e Religionibus nullus legitime professus ejici possit nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, et constitutionibus cujusque Religionis, et Ordinis etiam a Sede Apostolica approbatis, et confirmatis; verum etiam, unius anni spatio, in jejunio, et pœnitentia probetur in carceribus, proindeque unaquæque Religio privatos habeat carceres, in qualibet saltem Provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre, ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum, et constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen usque ad primum Generale Capitulum, seu Congregationem proximo celebrandam, si quempiam ex justis, et necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit a Generali cum consilio, et assensu sex Patrum, ut supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses a præsentis Decreti publicatione, servata tamen in reliquis forma superius præscripta. Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, et obedientiæ subsint; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterum Sacra Congreg. Religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ Charitatis, et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur; idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, et sui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, D. N. J. Christus in supremo Dei judicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Digitized by Google

§ 5. Præterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

§ 6. Item ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

§ 7. Ac postremo censuit esse innovandam, et Suæ Beatitudinis auctoritate innovat Constitut. fel. record. Gregorii IX. relatam in cap. fin. extr. *de Reg.* Ac propterea declarat, eam Constitut. in iis quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui juste, definitiveque, ac juris ordine servato, expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio serio oneravit.

§ 8. Ne qua vero difficultas in suprascriptis decretis, et ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congreg. S. D. N. annuente, atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, et quibuscumque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregat. Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium, ubique locorum existentium injungit, serioque mandat, ut illa diligenter observent, atque observari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium ubique locorum existentibus, efficiantque, ut tam decreta supradicta fel. record. Clementis VIII. quam presentes ordinationes in singulis ejusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

§ 9. Si quis vero ipsorum adversus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus etiam Generalibus, et Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, et nihilominus sit irritum, et inane quidquid secus a quoquam actum extiterit.

§ 10. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac Locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, et privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, et formis, specialis, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea quæ supradictis quomodolibet adversantur, illis alias in suo robore permansuris specialiter, et expresse Sanctitatis Suæ auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ die 21 Septembris 1624.

COSMUS CARD. DE TORRES.

Prosper Fagnanus Sacræ Congr. Secr.

(3. Decretum ejusdem Sacræ Congregationis Innoc. XII, jussu editum moderatorium, et incorrigibilium respective innovatorium.

Instantibus Procuratoribus Generalibus Religiosorum Ordinum pro moderatione Decretorum de Apostatis, et ejectis, editorum a Sacra Congregatione Conc. et Sanctæ mem. Urbano Papa VIII, anno 1624, confirmatorum, ut facilior modus incorrigibiles ejiciendi præscribatur, Sacra Congregatio a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa XII, super præmissis particulariter deputata, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanate, Mariscotti, Norfolcia, de Lauræa, de Aguirre, et Colloredi, perpensis eorumdem Procuratorum Generalium votis, ne consortio morbidarum pecudum cæteræ corrumpantur, et remedio hucusque ad sanitatem oblata male affectis officiant magis quam prosint, maturo examine, zelo regularis disciplinæ conservandæ censuit, statuit, et auctoritate ejusdem Sanctis. Domini Nostri sibi specialiter attributa, hæc in posterum servanda decrevit.

1. Quod firmis, ac in suo robore semper manentibus prædictis decretis de Apostatis etiam secundum eam partem, ubi agitur de ejectis, et ejiciendis, tamquam Sacris Canonibus, et communiori SS. Patrum menti conformibus quoad ejectos, eamdem serventur, quæ in alio simili decreto hac præsenti die emanato de Apostatis, et Fugitivis statuta sunt, et indulta; quodque ad præscriptam legem sanctæ mem. Gregor. IX, in cap. final. de reg. annuatim fugitivi requirantur, et respective cogantur ad claustra reverti.

2. Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624, præscribitur in pœnitentia, et jejunio ad ejiciendos incorrigibiles,

Digitized by Google

ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur, et restringatur.

3. Quod facultas Generalibus Ordinum de consilio, et assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, et Congregat. Generalibus ad causas ejiciendorum eligendis attributa, extendatur etiam ad quoscumque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravioribus de propria provincia Religiosis, a Generali confirmandis, de illorum consilio et assensu causas hujusmodi cognoscant, et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis definiant, salva semper Sanctæ Sedis, et Sacræ Congr. in causa recursus, et appellationis auctoritate.

4. Quod in posterum processus conficiatur juxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes, et Stylum cujusque Ordinis, et Religionis, donec aliter fuerit a Sac. Congr. provisum.

5. At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscunque Religionis ingressum petentes, et a Religione forsan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem e Claustris ejiciendi, ne hujusmodi semina, quæ a principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas, eadem Sacr. Congreg. annuente Sanctissimo Domino nostro sub interminatione Divini judicii, nec non privationis vocis activæ, et passivæ, ac dignitatum et officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscumque prædictorum Ordinum Superioribus districte præcipit et mandat, omnia, et singula Decreta San. memor. Clementis VIII, registrata post Decretum san. memor, Urbani VIII, de Apostatis, et ejectis incipien. *Regularis, Sanctissimus, et Nullus*, una cum aliis subsequentibus Decretis, provisionibus, Ordinationibus et respective moderationibus bis in anno legi, eadem ad unguem servari, pœnas in eisdem contentas innovari, et Capitibus Ordinum intimari, ne hujusmodi Decretorum transgressores, qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorent, et ne militiæ Christi adscripti tam de facili fiant desertores, ac profugi.

Datum Romæ die 24. Jul. 1694.

C. CARD. MARISCOTTUS PRO-PRÆFECTUS.

(4. Ex quibus Decretis colligitur quinque prærequiri ad expulsionem incorrigibilis. Primum est recidivatio expellendi in grave crimen. Secundum est monitio, seu pœna reiterata, Reo incussa ad ejus correctionem. Tertium est processus institutus juxta Ordinum Constitutiones in ordine ad expulsionem. Quartum est formalis carceratio expellendi in jejunio et pœnitentia. (5. Et quintum est incorrigibilitas in eodem. Recidivatio in ordine ad expulsionem non requiritur quod fiat in idem crimen specie, sed sufficit quod fiat in alia delicta quamvis specie diversa. Unde si quis primo punitus de fornicatione, secundo de percussione, tertio de furto, denuo delinquit alio crimine, videlicet proprietatis, Apostasiæ, et hujusmodi, potest ab Ordine ejici non minus, ac si ter de eodem specie delicto fuisset punitus; Navarr. in *Lucern. Reg.* verb. *Incorrigibilis*, Passerin. *de Statu homin.* tom. 3, quæst. 289, artic. 8, n. 563. Ricc. part. 4, decis. 102. Rodric. tom. 1, qu. 30, art. 14. Anton. a Spiritu S. consult. 74, num. 3. Portell. verb. *Ejicere* num. 2, et alii passim. (6. Monitio seu punitio debet esse trina; argum. cap. *Contingit* 45, *de Sentent. excomm.* ibi : « Tertio a te commonito » cap. *Ea quæ* 8, *de Statu Monachor.* Donat. *Praxis Reg.* tom, 1, tract. 8, *de Ejectis* qu. 10, num. 2. Portell. verb. *Ejicere* num. 1, § *secundo* nota Matthæucc. *Official. cur.* c. 25, n. 16. Ameno *Pract.* tit. 5, § 6, num. 26. (7. Processus debet esse instructus juxta cujusque Religionis Stylum, et Constitutiones, et per ipsum debent plene probari causæ expulsionis, nempe quod Reus de delictis gravibus juxta jus commune, aut proprii ordinis constitutiones antea fuerit ter punitus, aut canonice, et judicialiter monitus, et his non obstantibus nihilo melior factus adhuc conversationem, et vitam relaxatam continuet sine ulla spe emendationis; cit. decret. Urban. VIII, § 4, et cit. decret. Innoc. XII, § 4, et communis Doctorum.

(8. Carceratio formalis licet ex cit. decr. Urb. VIII, § 4, debuisset continuare per annum integrum, ibi : « Unius anni spatio in jejunio, et pœnitentia probetur in carceribus, » ex cit. tamen decret. Innocent. XII, § 2, restringitur ad solos sex menses, ibi : « Quod annus integer, qui in prædictis decretis anni 1624, præscribitur in pœnitentia, et jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur, et restringatur. » (9. Tempus carcerationis taxatum ad sex menses a Sacra Congr. Conc. in cit. decret. jussu Innoc. XII, edit. debet esse continuum, et completum; sic habetur ex declaratione Sacræ Congreg. Concil. ad dubia proposita a Procuratore Generali Ordin. S. Mariæ de Mercede, ubi ad secundum dubium conceptum his verbis: « Secundo, an Regularis pluribus interpolatis vicibus pro reiteratis delictis in diversis temporibus commissis in carceribus detentus, possit uno carcerationis anno, ut supra, interpolate expleto, tamquam incorrigibilis a religione ejicii, si post dictum annum carcerationis interpolatum, animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, iterum delinquat? » sic præcise respondit die 21. Junii 1653 Sacr. Congregat. Eminentissim. Cardinalium Concil. Tridentin. interpretum, omnibus mature perpensis.... Ad secundum respondit. *Non sufficere annum carcerationis interpolate expletum, sed requiri spatium unius anni continuum, et integrum.* Unde censendum est de carceratione ad sex menses ex Decretis ejusdem Sac. Congr. sub Innoc. XII restricta.

(10. Hinc si reus e carceribus intra tempus præfixum aufugiat, nequit incorrigibilis declarari et expelli, quia continua carceratio

Digitized by Google

ad sex menses est de substantia incorrigibilitatis, sicuti erat continua carceratio ad annum ante decreta edita jussu Innocent. XII, ut patet ex dicta declaratione Sac. Congregat. Concil. ad dubia, etc., ubi ad primum dubium conceptum his verbis : « Primo, an Regularis constitutus in carceribus spatio unius anni in jejunio, et pœnitentia, ad finem, ut tamquam incorrigibilis a Religiogione ejiciatur, si e carceribus fugiat, (dicto carcerationis anno nondum expleto) et inde sit captus, possit tunc, ut incorrigibilis ejici, an vero, quid aliud faciendum sit? » sic præcise respondit : Ad primum respondit : *Regulares derelinquentes uti incorrigibiles a Religione ejici non posse, anno carcerationis nondum expleto.* (11. Unde in tali casu optimum expediens est petere dispensationem a Sac. Cong. Concil. quæ ex tali fuga cognoscens evidenter ejus incorrigibilitatem, dispensare poterit, prout in facti contingentia alias dispensavit, ut referunt Donatus *Prax. Regul.* tom. 1, part. 1, tract. 8, *de Ejectis* quæst. 11, n. 9. Pirr. Corrad. *Prax dispens. Apostol.* lib. 5, cap. 14, num. 31. Ameno *Practic. crim.* tit. 5, § 6, n. 40. (12. Carceratio non debet esse ad solam custodiam, sed debet esse qualificata arctatione, et pœnitentia in carcere formali, seris et vectibus munito, sine caputio et chorda, seu hujusmodi, et in pane, et aqua simul cum flagellatione in publico Refectorio saltem aliquibus hebdomadæ diebus, vel saltem qualibet feria sexta, ut colligitur ex cit. decret. jussu Urbani VIII, edit. § 4, ibi : « Verum etiam unius anni (*modo sex mensium ex moderatoria sub Innocent. XII,*) spatio in jejunio et pœnitentia probetur in carceribus, » et tenent Bord. tom. 4, p. 3, res. 109, n. 44. Ameno *de incorrigibilium Expulsione* p. 1, quæst. 13, n. 115. Matthæucc. *Official. Cur.* cap. 25, num. 17 et 18, et alii.

(13. Incorrigibilitas est in eodem, qui vere dicitur incorrigibilis, si ter convictus et punitus de tribus gravibus, et atrocibus criminibus, et probatus per sex menses in carceribus in jejunio, et pœnitentia, non fuit emendatus, sed animo indurato adhuc perseverat in sua pertinacia, ut colligitur ex cap. *Cum non ab homine* 10, *de Judiciis*, cap. *Cum ad Monasterium* 6, et cap. *Ea quæ* 8, *de Statu Monachor.* cap. *Ut famæ* 35, et cap. *Contingit.* 45, *de Sentent. excommunic.* et ex cit. decret. jussu Urbani VIII, edit. § 4, et tenent Pasqualig. *ad Lauret. de Franchis* p. 1, num. 1058. Matthæucc. loc. cit. num. 15. Portell. in dub. Regul. verb. *Ejicere*, num. 1, vers. *Secundo nota*, ubi sic subjungit : « Unde colligo non sufficere, quod Religiosus committat tria crimina atrocia ex una quasi vice morali, unum post aliud, vel simul, ut dicatur incorrigibilis, si non sit ter punitus cum distinctis intervallis, et distinctis punitionibus, sed opus est, ut per intervalla fiant crimina, et cuilibet adhibeatur punitio, et Monachus non resipiscat, alias non diceretur incorrigibilis, quia pertinacia proprie consistit in resistentia per distinctas objurgationes, non vero satis colligitur ex una sòlum resistentia, et ipsum nomen incorrigibilis proprie non denotat continuationem ad crimina sed respectum ad correctionem vel punitionem ter contemptam. »

(14. Ad probandam incorrigibilitatem pro expulsione non potest carcerari, nisi qui post tertium delictum, et tertiam punitionem, iterum delinquit; Passerin. *de hominum Stat.* qu. 189. Bordon. tom. 4. part. 3. resol. 108. Pellizar. tract. 9. cap. 4. n. 232. Barbosa in cap. *Cum non ab homine* 10. *de Judic.* num. 10. Sanctorus *de Pœn.* cap. 19. q. 2. contra Amenum *de incorrigibilium Expulsione* p. 1. quæst. 11. per tot. Et ratio est, quia, ut recte dicunt citati Doctores, carceratio sive *annualis* ex decretis jussu Urbani VIII. editis, sive *semestris* ex moderatoria sub Innoc. XII. statuta ad experimentum incorrigibilitatis, fuit inducta ad effectum removendi incorrigibilem a sua pertinacia et obstinatione in peccatis; sed tertio punitus, et (ut supponitur) emendatus, non habet a quo per carcerationem removeatur : ergo ad hoc ut habeatur fundamentum talis carcerationis non potest carcerari, nisi postquam compleverit pœnitentiam de tertio delicto, adhuc quarto delinquat; aliter talis carceratio esset injusta, cum jam pro tribus patratis delictis, trinam sibi impositam pœnitentiam compleverit, et jura improbent binam punitionem in idem crimen. (15. Nec valet quod dicit Amenus loco citat. numer. 106. nempe quod data nostra sententia, oporteret, quod ante expulsionem quinquies deliquisset expellendus, nempe ter ante carcerationem; semel pro carceratione ineunda, et illa peracta, iterum pro effectu expulsionis; quod secundum ipsum inauditum est, nec apud ullum auctorem invenitur necessaria patratio quinque criminum successivorum. Non valet, inquam, quia licet hoc non explicite, dixerunt tamen implicite citati pro nostra sententia Doctores. Et hoc est maxime consentaneum citat. Decretis sub Urbano VIII. editis, ubi § 4. sic expresse habetur : « Cæterum Sac. Congr. Religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut nemores paternæ Charitatis, et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. » Et consonat textus in cap. *Contingit* 45. *de Sentent. excommunic.*, ubi sic expresse statuitur : « Mandamus ut tales, si tertio a te commoniti, seipsos contempserint emendare, illius afficiantur immunitatis exterres; quæ pro Clericorum tutela, et laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta; » ubi nota illa verba : « Si tertio a te commoniti, seipsos contempserint emendare, » per quæ evidenter demonstratur non posse deveniri ad ulteriorem pœnam, nisi trinæ monitioni, seu punitioni superveniat contemptus, seu relapsus; et quamvis ibi, ut alias recte observat Amenus l. c. n. 104. sit sermo de sententia definitiva, et non de interlocutoria, ut in

Digitized by Google

nostro casu; tamen adhuc facit pro nobis per rationem adductam sub num. 14. et ne alias innocens injuste vexetur, cum punitus, et emendatus pro innocente habeatur. Quam ob rem statuta Salmaticensia in Ordine Minorum cap. 7. vers. *Quicumque Frater Ord. Seraphic.* tom. 3. fol. 32. col. 1. redarguunt, et puniunt veluti infamatores et calumniatores objicientes alicui delictum, de quo punitus et emendatus fuit.

(16. Incorrigibilis, completo carceris tempore, non est statim expellendus, sed adhuc post carcerem probatorium debet durare, et apparere incorrigibilitas pro expulsione; sic colligitur ex verbis cit. decr. edit. sub Urbano VIII. § 4. ibi: « Elapso autem anno (nunc sex mensibus ex dict. moderatoria sub Innocent. XII. § 2.) si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit... ejici tandem possit; » Passerin. *de Homin. Stat.* tom. 3 q. 189. n. 8. art. 585. Ameno loc. c. qu. 14. n. 1. Donat. l. c. q. 19. Pasqualig. l. c. num. 1070. (17. Quod autem adhuc duret incorrigibilitas post carcerem probatorium, duobus modis cognosci potest, signis scilicet, vel factis. Signis cognoscitur, si reus minime se humiliatum ostendat, ac de præteritis delictis non pœnitens, immo potius pervicax et obduratus appareat, in blasphemias, imprecationes, et minas erumpendo ob talem incarcerationem, dicendo se velle de suis æmulis ulcisci, et hujusmodi. Factis autem cognoscitur, si se simulans emendatum, eductus de carcere, redit ad pristinum vomitum alia facinora perpetrando. Unde si post carcerem probatorium uno ex his duobus modis appareat adhuc durare incorrigibilitatem, ea redacta ad formam judicii per claras probationes, potest tunc, servatis aliis servandis, expelli; sic cit. Doctores. (18. Non adest tamen obligatio ipsum expellendi, quamvis incorrigibilis in expressa sua obligatione persistat, sed facultativum est Superiori, seu Judici, vel in carcere eum adhuc detinere, vel ad expulsionem procedere, ut apparet ex cit. decretis jussu Urbani VIII. editis, ibi: « Ejici tandem possit, » quibus verbis denotatur facultas, non autem obligatio ejiciendi; Sanctor. *de Pœnit.* quæst. 3. cap. 19. fol. 155. Mattheuc. loc. cit. num. 22. Ameno loc. cit. n. 122.

(19. Facultas expellendi incorrigibiles in Decretis jussu Urbani VIII. editis § 4. erat restricta ad Generalem tantum cum consilio, et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis, ibi: « Ab ipsomet Generali tantum de consilio, et assensu sex Patrum ex gravioribus eligendis in singulis Capitulis, vel Congr. Generalibus. » (20. In decretis autem editis jussu Innoc. XII. § 3. extenditur ad Provinciales, accedente approbatione Generalis, ibi: « Quod facultas Generalibus Ordinum de consilio, et assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, et Congregationibus Generalibus ad causas ejiciendorum eligendis attributa, extendatur etiam ad quoscumque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravioribus e propria Provincia Religiosis a Generali confirmandis, de illorum consilio, et assensu causas hujusmodi cognoscant, et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis, definiant. Salva semper Sanctæ Sedis, et Sacræ Congregationis Concilii in causa recursus, et appellationis auctoritate. » (21. Non potest tamen nec a Generali, nec a Provinciali, hæc potestas expellendi alteri delegari, ut habetur ex responsione Sacræ Congregat. Concil. data die 21. Junii 1653. antequam fuisset extensa ad Provinciales per d. Decreta sub Innoc. XII. edita 24. Julii 1694. Interrogata enim tunc per varia proposita dubia a Procuratore Generali Ordinis S. Mariæ de Mercede, ad tertium dubium propositum sub his verbis: « Tertio: An Generalis Ordinis possit delegare facultatem ejiciendi a Religione Provincialibus pro eorum Provinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus; et an delegatio sit a Generali facienda in quolibet casu, an vero indefinite in omnibus casibus? » Respondit: *Generalem Ordinis non posse delegare facultatem ejiciendi a Religione Provincialibus per eorum Provincias, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus.*

(22. Electio sex graviorum Patrum a dictis Decretis statuta, licet per prima edita sub Urbano debuisset fieri in singulis Capitulis, vel Congreg. Generalibus, ut patet ex § 4. ibi: « De consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; » per secunda tamen decreta edita sub Innocentio potest fieri in Capitulo, vel Congregat. Provinciali, et debet per Generalem confirmari, ut patet ex § 3. ibi: « Electis pariter in Congregat. Provincialibus sex gravioribus e Provincia Religiosis, a Generali confirmandis. » (23. Talis electio non est necesse quod fiat per vota totius Capituli, sed sufficit quod fiat per vota totius Diffinitorii Generalis pro toto Ordine, et per vota totius Diffinitorii Provincialis pro Provincia; sic colligitur ex verbis ipsorummet Decretorum, quæ tribuunt facultatem eligendi illos sex Patres in Capitulis, ac in Congregat. Generalibus, ut patet in primis editis sub Urbano § 4. ibi: « Eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus; » et in secundis editis sub Innocentio d. § 3. ibi: « Electis pariter in Congregationibus Provincialibus; » atqui ad Congregationes sive Generales, sive Provinciales soli respective Definitores accedunt ergo, etc. Sic Ameno *de incorrigibilium Expulsione* part. 1. ubi in Summario decret. edit. sub Innocent. XII. sub num. 33. sic habet: « Talis electio fieri debet in Capitulo, vel Congr. et per Generalem confirmari, » et ibid. quæst. 16. n. 136. in fine sic concludit: « Ergo cum solum Diffinitorium corpus Congreg. Capitularis constituat, ipsi incumbit annuatim hos sex Patres eligere, quorum approbatio (ut habet citatum Decretum) a Generali est attendenda. »

(24. Si nec a Religione, et nec a Provincia

Digitized by Google

hujusmodi sex Patres fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione, debet haberi recursus ad Sacram Congregationem Concilii in singulis casibus, ut habetur ex responsione ejusdem Sacræ Congregationis ad dubia ei proposita a d. Procuratore Generali Ordinis S. M. de Mercede, inter quæ cum quintum esset conceptum his verbis : « Quinto : Quod si a Religione hujusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione Generali, quid faciendum sit usque ad primum Capitulum Generale? Ad quintum respondit, recurrendum ad Sacram Congregationem in singulis casibus. » (25. Si tamen fuerint electi a Religione in Capitulo, vel Congregatione Generali pro toto Ordine, et non fuerint electi in aliqua Provincia, poterit ipsa Provincia uti electis pro toto Ordine ; sicuti fiebat ante decretum ab Innoc. PP. XII. editum extensivum hujusmodi facultatis ad Provinciales. (26. Et sic si aliquis ex electis in Provincia decedat, poterit suppleri defectus substituendo aliquem ex eis qui fuerunt pro toto Ordine electi, cum possit eorum votum etiam per Epistolas mitti, et haberi, ut patet ex responsione Sacræ Congregationis ad sextum dubium d. Procuratoris Generalis S. M. de Mercede, ibi : « Sexto : An sufficiat ut Prælatus Conventualis, seu Provincialis conficiat processum stylo Religionis servato, et illius summarium transmittat Generali Ordinis, seu illius Delegato, qui adhibitis sex Patribus, quilibet eorum videat eumdem processum, et transmittat votum suum per litteras eidem Generali, seu Delegato? » Ad sextum respondit : « Processus esse conficiendos juxta stylum, et consuetudines Religionis, et illorum transumptum authenticum esse transmittendum ad singulos ex sex Patribus electis, qui per litteras possunt votum dare. » Ameno loc. cit. q. 16. num. 139. (27. Sex Patres graviores eligendi, debent intelligi graviores gravitate virtutis, scilicet peritiores in Sacris Canonibus, rebus Criminalibus, et statutis Religionis ; non autem graviores gravitate molis, aut præcise gravitate ætatis, vel graduationis. Unde Provinciales, Custodes, et Diffinitores, aliique graduati, qua præcise tales, non censentur ex gravioribus Patribus intentis, et volitis a citatis Decretis, cum non semel isti Sacros Canones, res Criminales, et statutorias leges nesciant cum non didicerint, ut docet experientia, et recte observant Ameno loc. cit. 16. num. 137. Mattheuc. loc. cit. num. 24. et alii passim.

(28. Pro ferenda sententia Diffinitiva super expulsione incorrigibilis non requiritur, quod singula sex Patrum vota concordent, sed sufficit ut major pars consentiat ; sic habetur expresse ex responsione Sacræ Congregationis Concilii ad dubium septimum ex propositis a d. Procuratore Generali Ordinis S. M. de Mercede, ibi : « Septimo : An Generalis, seu delegatus possit ferre sententiam ejectionis a Religione, quando a tribus ex sex Patribus electis, seu ab illorum majori parte dicta sententia approbetur : An potius sit necessarium ut omnes sex dent votum, ita ut ex defectu voti etiam unius, non possit sententia valide ferri? » Ad septimum respondit : *Sententiam ejectionis a Religione fieri debere, saltem de voto majoris partis sex Patrum electorum.* (29. Unde ex hoc decreto aperte sequitur, quod si vota sint paria, tria nempe stent pro expulsione, et tria dissentiant, tunc non potest definitive procedi ad ejectionem, quia, ut expresse dicit Decretum, sententia ejectionis debet ferri *saltem de voto majoris partis sex Patrum electorum ;* et quando requiritur consensus majoris partis Collegii ad hoc quod Superior possit aliquid facere, non sufficit æqualitas votorum Collegii, ut recte docet Glossa communiter recepta in cap. *Si ab Episcopo*, § *Cum vero* in verb. *Assensu; ne sede vacante* in 6. (30. Nec in casu paritatis votorum potest Generalis, vel Provincialis votum decisivum præbere sub prætextu concessionis factæ talibus Superioribus Ordinis Minorum de Observantia ab Urbano VIII. 10. Novembr. 1642. Constitut. incipient. Religiosos viros, et a Sacra Congreg. Episcopor. et Regular. 13. Mart. 1653. Decreto incipient. Sacra Congregatio. Quia tales concessiones loquuntur expresse de electionibus faciendis a Vocalibus, aliisque negotiis decidendis per Definitoria Provincialia, cujus generis non est illud ejectionis incorrigibilium, super quos Vocales, et Definitores, qua tales, votum non habent, cum ex citatis decretis sub Urbano VIII, et Innocentio XII editis sint pro hoc specialiter eligendi sex ex gravioribus Patribus.

(31. Sententia Definitiva expulsionis incorrigibilium non potest fieri nisi prius instructo secundum cujusque Religionis stylum, et Constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum ; cit. decret. edit. sub Urbano VIII. § 4. ibi : « Tumque non nisi instructo secundum eorum stylum, et Constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. » (32. Constructo et absoluto processu, est actorum copia exhibendo Reo, eique assignandus benevisus Advocatus cum congruis terminis ad defensiones necessariis. Completis exinde ab assignato Advocato defensionibus, eisque præsentatis Patribus electis, et ab ipsis una cum causis expulsionis ad unguem libratis, et suo voto in scriptis tradito, debet Provincialis vota sex Patrum cum Summario processus, et defensionum notitia cum responsione ad ipsos facta ab Advocato Fisci Religionis transmittere ad Generalem, a quo habita approbatione, si reum expellendum judicaverit, poterit ad definitivam sententiam expulsionis procedere ; ita habetur ex § 3. decr. edit. sub Innocentio XII. ibi : « De illorum consilio, et assensu causas hujusmodi cognoscant, et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, et ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, definiant. »

(33. Lata sententia debet intimari Reo, qui si intra debitum tempus ad S. Sedem et Sacram Congregationem Concilii apellaverit,

Digitized by Google

ad eam devolvitur causa, ipso interim in carceribus persistente. Quod enim ipse possit sic appellare, habetur expresse ex cit. § 3. decret. edit. sub Innocentio XII. ibi : « Salva semper Sanctæ Sedis, et Sacræ Congregationis Concilii in causa recursus, et appellationis auctoritate. » (34. Tempus ad appellandum concessum, sunt decem dies a die latæ, et intimatæ sententiæ, seu scientiæ numerandi, ut expresse habetur in *Authent.* hodie, juncta Glossa ibid. *Cod. de Appellat.* et cap. *Anteriorum* 28. caus. 2. quæst. 6. ubi sic expresse statuitur : « Sancimus omnes appellationes, sive per se, sive per Procuratores, per defensores, vel Curatores, et Tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiæ numerandum Judicibus ab his, quorum interest, offerri. » Et expresse etiam habetur in cap. *Quod ad consultationem* 15. *de Sentent. et re judicat.* ibi : « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit. » Et etiam textu expresso habetur in cap. *Carcerationi* 8. de *Appellat.* in 6. ibi: « Quisquis ex eis gravatum se reputans per appellationis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, infra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellet. Post decennium vero eidem aditus non pateat appellandi. » (35. Si vero non appellaverit, debet transactis ipsis decem diebus ab intimata sententia e carcere educi, et coram tota Religiosorum communitate corona Clericali, et Regulari privari, et per Superiorem forma habitus Regularis exui, et confusibiliter ejici in habitu Clericali sub jurisdictione et obedientia Ordinarii loci victurus, ut præscribitur in cit. § 4. decret. edit. sub Urbano VIII. ibi : « Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, et obedientiæ subsint. »

(36. Sententia expulsionis est statim significanda a Superiore Ordinario loci, cit. § 4. ibi : « Proindeque Generalis, (seu Provincialis, si ipse in vim decreti sub Innocentio XII. sententiam pronuntiaverit). » Formula autem, secundum quam est significanda, datur per extensum a Perino formul. *Prælat.* lit. E. cap. 39. ab Ameno loc. cit. p. 2. n. 97. a Mattheuc. loc. c. num. 30. fere ut sequitur.

F. N. Provincialis Provinciæ N. Ord. S. N. Ill. ac Reverend. D. Episc. N. salutem in Domino.

(37. « Illustrissimæ, et Reverendissimæ

(1) Quamvis non prohibeatur ejecto ab ejectionis sententia appellare infra terminum a lege præfinitum, sua tamen extra carceres nequit jura experiri; sed si eadem proponere velit, omnino debet se in carceribus constituere, et interea Episcopus in cujus Diœcesi versatur de hoc unice sollicitus esse debet, ut illum studiose observet, et custodiat, quod cum antea non fuisset definitum Benedic. XIV. *de Synod. Diœcesan.* lib. 13, cap. 11, in fin. ideo super his sequens prodiit *resolutio a Sac. Congreg. Conc.* excerpta ex lib. 98. *Decretorum* pag. 524.

Dominationi vestræ notum sit, quatenus nos ad Canonum, et Apostolicarum Constitutionum formam, ac Decretorum Sacræ Congregationis Concilii de Apostatis et Ejectis sub die 21. Septembr. 1624. et die 24. Julii 1694. respective emanatorum, procedentes per nostram definitivam sententiam, quam in scriptis tulimus, hoc anno 1737. die 6. Februarii a nostra Religione tamquam incorrigibilem P. F. N. Religionis præfatæ expresse professum, et ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promotum (si fuerit Sacerdos; et si fuerit Clericus exprimatur Ordo; si vero Laicus, id notetur) dimisimus, et ejecimus, habitu religionis nudatum. Quod Illustrissimæ, et Reverendissimæ Dominationi vestræ (de cujus Diœcesi ipse est) significandum esse censuimus, ut et nos Apostolicis obtemperemus mandatis, et pecoris sui vultum possit Dominatio Vestra cognoscere, eaque etiam circa præfatum N. exequi valeat, quæ in præfato decreto anni 1624. die 21. Septembr. peragenda jussit dicta Sacra Congregatio Concilii; Et Dominus sit Illustrissimæ, et Reverendissimæ Dominationi vestræ propitius. In quorum fidem præsentes litteras jussu nostro conscriptas, sigilloque munitas dedimus ex Conventu N. Anno..... Mense..... Die....

« F. N. Provincialis. »

(38. Ordinarius nequit sententiam expulsionis examinare, et inquirere an Regularis sit juste, vel injuste ejectus. Ameno loc. cit. p. 3. qu. 1. n. 4. Pasqual. *ad Lauret. de Franchis* p. 1. num. 974. Donat. *Prax. Regul.* tom. 1. tr. 8. *de Ejectis* qu. 55. n. 3. Mattheuc. loc. cit. n. 32. et alii. Et colligitur ex cit. § 4. decret. Sacræ Congreg. Concil. sub Urbano VIII. edit. ubi Regulares ad nihil aliud tenentur, nisi Episcopo loci expulsionis sententiam notificare. Tum quia recognoscere causam ab alio Judice actitatam est actus jurisdictionis, quæ non potest ab Ordinario exerceri in Regulares, qui sunt ab ipso exempti, cap. *Nimis iniqua* 16. etc. *Nimis prava* 17. *de Excessibus Prælator.* c. *Ne aliqui* 5. *de Privileg.* Nec in hoc casu Ordinarius se habet ut Judex appellationis, cum in causis expulsionis sit facienda appellatio ad S. Sedem, et Sacram Congregationem Concilii, ut colligitur ex cit. § 3. decret. Sacr. Congr. Concil. sub Innocentio XII. edit. ibi: « Salva semper Sanctæ Sedis, et Sacræ Congregationis Concilii in causa recursus et appellationis auctoritate (1). »

(39. Si Ejectus petat a Superiore litteras testimoniales expulsionis, poterint ei concedi sub hac formula tradita ab Ameno loco cit. p.

Lycien. Ejectionis a Religione.

« Pater. N. N. ob plura crimina per eum, ut prætenditur in Religione patrata, et de quibus licet pluries punitus adhuc non resipuerat, fuit de mense Septembris superioris anni per sententiam P. Generalis incorrigibilis declaratus, et uti talis a Religione ejectus. Appellavit orator ab hujusmodi sententia ad hanc Sacram Congregationem sub prætextu notoriæ nullitatis, et injustitiæ præsertim ob non servatam formam decretorum ejusdem Sacræ Con-

Digitized by Google

2. n. 99. et Mattheuc, l. c. n. 31. et ab aliis passim.

F. N. Provincialis Provinciæ N. Ordinis S. N. omnibus præsentes litteras inspecturis, pariter ac lecturis pacem veram, et salutem in Domino.

Noveritis qualiter justis de causis animum nostrum moventibus, considerantes causam, et causas, de quibus in processu per nos anno Domini 1737. a die 6. Februar. contra P. F. N. ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem promotum (si fuerit Sacerdos; et si fuerit Clericus exprimatur suus Ordo; et si Conversus id notetur) « Nostræ Provinciæ N. Ordinis S. N. expresse professum in Sæculo nominatum N. N. de consilio, et assensu eorum, ad quos spectat, ad præscriptum decretorum de Apostatis, et ejectis de anno 1624. 12. Septembris, et de anno 1664. 24. Jul. constructo, maximo animi nostri mœrore, ac necessitate fere compulsi, omnibus de jure requisitis tentatis, et juris ordine servato peractis, prædictum N. N. a nostra Religione expulimus, ac habitu Religioso nudatum dimisimus, expulsumque, et dimissum his litteris declaramus. In quorum fidem præsentes litteras jussu nostro conscriptas, sigilloque Provinciæ munitas præfato N. N. pro suæ conscientiæ securitate tradidimus, et concessimus. »

Datum in Conventu nostro N. Die.... Mense... Anno....

F. N. Provincialis. »

(40. Ejectus debet se præsentari illi Ordinario, in cujus Diœcesi est Conventus a quo ejicitur, et tenetur incedere in habitu Clericali citat. §4, decret. edit. sub Urbano VIII. ibi : « Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, et obedientiæ subsint. » (41. Nequit tamen ejectus nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad alios ascendere, cit. decr. edit. sub Urbano VIII. § 6, ibi : « Item ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi. » (42. Et si exerceat Ordines quos habet, fit Irregularis, quia violat suspensionem, qua *ex cit. decret.* est perpetuo ligatus; Donat. *Prax. Regul.* tom. 1, tract. 8, quæst. 38, Pasqual. *ad Lauret. de Franch.* n. 1005, Ameno loc. cit. part. 3, q. 5, num. 26. (43. Ejectus nedum nequit exercere ministerium Ordinum, sed neque officium concionandi, et docendi, ut habetur *in Mari Magno Ordinis Prædicatorum* § 24, in *Mari Magno Minorum* § 24, in *Mari Magno Carmelitarum* § 93, et 94, in *Mari Magno Minimorum* § 36, et 45, in *Mari Magno Servitar.* § 49, ubi datur facultas Superioribus Religionum hujusmodi ejectos excommunicandi, si intra limites suarum Provinciarum, vel districtum, ausi fuerint concionari, Confessiones audire, et docere, quæ concessiones adhuc vigent, ut tradit Passerinus *de homin. Stat.* quæst. 189, art. 8, num. 640. Ameno l. c. n. 35. (44. Accedit ratio, quia expulsus laborat infamia juris, et facti, ut solide probat Ameno l. c. n. 51. Infamis autem est incapax officiorum spiritualium, nequit esse Judex Ordinarius, Delegatus, Procurator accusans, aut Testis, aut Tabellio nisi rogatus a partibus, c. *Infamis persona* 1, et cap. *Infames* 2, caus. 3, q. 7, cap. *Sciscitatus* 3, *de Rescriptis* : Unde a fortiori nequibit assumi ad Apostolicum Evangelizandi ministerium; Rodriq. tom. 1, q. 30, n. 21. Mirand. tom. 1, qu. 50, art. 5, Peyrin. *de Religios.* subd. q. 1, c. 25, § 1, Ameno l. c. n. 35.

(45. Juste, et legitime ejectus non potest prætendere alimenta a Religione. Cum enim sua culpa sit expulsus, sibi imputet, si sibi ipsi relinquitur, et providentia paterna privatur, quia hæc est pœna suæ culpæ proportionata; Donat. l. c. q. 31, Pasqualig. l. c. n. 991, Passer. l. c. n. 657. et alii. (46. Sic nec Religiosi Societatis Jesu, qui post vota simplicia, ante solemnem Professionem, a dicta Societate ab ejusdem Præposito Generali juxta facultatem sibi a Sede Apostolica concessam, dimittuntur, ulla ab eadem Societate prætendere possunt alimenta, aut congruam sustentationem, licet dum in ea viverent, titulo Religiosæ paupertatis ad Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoti fuerint, ut novissime statuit, ac declaravit Benedictus XIII hac sua Constitutione, quæ hic ad litteram datur.

BENEDICTUS XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Injuncti Nobis Divinitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut in his Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes libenter interponamus, per quæ Religiosorum Virorum in Vinea Domini excolenda strenue laborantium, propriæque, et alienæ animarum saluti jugiter incumbentium quieti, atque tranquillitati opportune consulitur. Cum itaque, sicuti accepimus, Societatem Jesu multoties ante hac molestari, ac in judicium trahi contigerit ab eis, qui post exactum probationis biennium, ac vota simplicia in eadem Societate emissa, ante tamen solemnem professionem per illius Præpositum Generalem justis, ac rationabilibus de causis juxta facultates sibi a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris attributas, ex ipsa Societate dimitte-

gregationis relatorum in Constitut. 28, an. mem. Urbani VIII, et in novissima constitutione Sanctissimi Domini Nostri edita 1. Martii 1693, actisque transportatis, ac Religione audita, et informante diguabuntur EE. VV. declarare.

« I. An constet de asserta incorrigibilitate oratoris, et quatenus negative.

« II. An idem orator veniat Religioni restituendus in casu.

« Die 15 Novembris 1698. Sac. Congregatio Concilii rescripsit orator se constituat in carceribus formalibus Religionis, et postea providebitur. »

(Edit. Barbell.)

Digitized by Google

bantur, alimenta scilicet, seu congruam substentationem sibi a dicta Societate deberi, et consequi prætendentes, propterea quod, dum in illa degebant, ad Sacros Ordines absque Beneficio Ecclesiastico, et Patrimonio, sed Religiosæ paupertatis titulo promoti fuissent; licet autem satis perspectum, exploratumque sit, æqui bonique rationi nusquam consentaneum esse, quod Societas præfata, quæ in illis emendandis jure suo utitur, alimenta, seu substentationem hujusmodi suppeditandi oneri obnoxia remaneat, minusque, quod ipsi ex sua culpa, quæ dimissioni causam præbet, utilitatem, et commodum reportent, atque ita pluries a Congregatione pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum re accurate discussa decretum, ac resolutum fuerit: Nihilominus facile evenire possit similes quæstiones in posterum quoque, non sine prædictæ Societatis perturbatione, ac stipendio, moveri, seu instaurari, nisi ejus aditus præcludatur; hinc est quod Nos eamdem Societatem Jesu, quam ob singularia sua in hanc Sanctam Sedem merita peculiari Apostolicæ dilectionis prosequimur affectu a quacumque lite, et molestia, quæ exinde deinceps oriri posset, eximere, ac omnem desuper controversiæ occasionem submovere cupientes, ipsamque Societatem specialis favore gratiæ prosequi volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, ac declaramus, memoratam Societatem Jesu non teneri, nec obligatam esse ad ullam subministrationem sive congruæ substentationis, sive alimentorum, sive alio quocumque titulo, et causa illis faciendam, qui post biennium probationis, et emissionis Votorum simplicium extra dictam Societatem a suis Superioribus ejiciuntur, tametsi dum in ea permanebant ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines sine Beneficio Ecclesiastico, ac Patrimonio, et ad titulum religiosæ paupertatis promoti fuerint. Sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos, etc.

Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, etc.

Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, etc.

Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etc.

Dat. Rom. apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die 14 Jun. 1728. Pontificatus nostri Anno quinto.

F. Card. Oliverius.

(1) Etenim injuste ejectus habetur ac si ejectus non fuisset, ideoque remanet in quasi possessione percipiendi a Monasterio alimenta et expensas, quas ob injustam expulsionem tulit, repetendi Barbosa in cap. *Ne Religiosi* 24, *de Regularibus*. (Edit. Barbiell.)

(2) Regularibus suo Ordine ejectis licita haud esse videtur negotiatio, contra ac sentit Auctor hoc eodem in loco. Etenim adeo certum est, Ecclesiasticis viris interdictam esse a Sacris Canonibus negotiationem,

(47. Regularis injuste ejectus potest compellere Monasterium ad alimenta futura, et etiam præterita, si illa mutuo accepit. Sic communis Doctor. cum Passerino *de homin. Stat.* tom. 3, quæst. 189, art. 8, num. 649. Vide verb. *Alimenta* num. 41. (48. Sic etiam lite pendente pro validitate expulsionis Ejectus debet ali ex bonis Monasterii, donec sit lata sententia de justitia, aut injustitia illius; Imola in *Clementin.* 1, *de Statu Monachor.* num. 37. Cardinal. qu. 4, num. 7, §. *Quia vero*, Surdus, *de Aliment.* tit. 1, qu. 126, num. 10. Velascus conf. 7, num. 3, fol. 1. Menoch. *de præsumpt.* lib. 1, quæst. 35, num. 21. Bartol. tract. *de Aliment.* numer. 43. Sanchez. lib. 6, in *Decalog.* capit. 9, numer. 8. Passerin *de homin. Stat.* tom. 3, quæst. 189, art. 8, num. 649, qui addit Monasterium non solum obligari pro eo tempore ad alimenta, sed etiam ad illi subministrandas expensas pro lite, allegatque Velascum loc. cit. et Palaum tract. 16, disput. 4, part. 10, n. 11, quibus consensit Sanch. loc. cit. et Ameno locis citatis num. 21. (1)

(49. Ejecti stantes in sæculo tenentur ad vota essentialia Religionis. Est communis cum Molina tom. 1, *de Justitia*, dec. 140, et tom. 2, disput. 276, Sanchez. lib. 6. Moral. cap. 9, num. 27. Lezana tom. 1, cap. 23, et colligitur ex cap. *Ne Religiosi* 24, *de Regul.* innovato in cit. decret. sub Urbano *VIII.* § 7, ubi statuitur hos ejectos (licet juste, et perpetuo) censuris Ecclesiasticis cogendos esse redire ad Religionem, ergo signum est eos adhuc obligari vinculo suæ Professionis, alias ad reditum astringi non possent, cum nemo possit cogi ad amplectendum Religionis institutum, a quo liber est. (50. Est tamen advertendum, quod licet in ejectis perseveret rigorosa, et omnimoda obligatio castitatis, taliter quod si contrahant Matrimonium, sit ipso facto nullum, et incidant in excommunicationem, ex Clementin. unica *De consanguinitat. et affinit.* tamen obligatio paupertatis, et obedientiæ suspenditur quoad executionem, et observantiam multorum juxta capacitatem sui status; cum enim sint privati providentia Religionis, acquirunt administrationem rerum temporalium, possunt negotiari, civiliter se obligare, de acquisitis disponere ad finem procurandi sibi alimenta, quæ remanendo in Claustris per votum paupertatis erant sibi interdicta. Item non obtenta facultate Superioris possunt pro suo libito mutare domicilium, et libere agere, quæ ad suum statum occurrunt, quæ in Claustris nequibant facere ratione voti obedientiæ, nisi ad placitum Superioris (2).

(51. Similiter obligatio aliorum votorum supra tria essentialia in aliquibus Religioni-

ut nulla id probatione egere videatur; atqui vero nullus inficiari potest, ejectos remanere Ecclesiasticos, atque adeo ad ea omnia servanda teneri, quibus Ecclesiastici subjiciuntur. Accedit, quod ejecti ex aliquo Religiosorum Ordine in habitu clericali incedere tenentur, ut habetur § 4. Decreti Sacræ Congregationis Concilii sub Urbano VIII anno 1624. *Sic vero ejectis, quandiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant:* atque ipsemet Auctor hu

Digitized by Google

bus emitti solitorum, aliarumque Regularium observantiarum proprii Instituti etiam sub mortalis præceptarum suspenditur quoad illa, quæ pugnant cum statu in quo reperiuntur, et perseverat quo ad ea quæ compatiuntur cum eorum statu, et possunt commode observare; S. Antonin. part. 3, tit. 16, cap. 5, § 8, Silvester verb. *Religio* 6, qu. 17, Cordub. in Regul. S. Francis. cap. 2, quæst. 21, punct 3, Rodriq. tom. 1, quæst. 30. art. 20, cum suo comp. resol. 57, n. 6; Mirand. tom. 1, *Manual. Prætor.* qu. 52, art. 5. concl. 1; Portel. in dub. Regular. verb. *Ejicere* num. 5; Peyrin, tom. 1, *de subdito* qu. 1, cap. 25, § 1, vers. *Dico quarto;* Villalobos part. 2, tract. 35, difficult. 39, num. 5; Passerin. *de Hom.* stat. tom, 3, qu. 189, n. 620, et seq.; Donat. l. cit. qu. 52, per tot. ubi sub n. 9, expresse dicit « quod hæc est vera sententia, et verior, ac tutior in praxi pro conscientia ommino amplectenda. » Colligitur ex cit. cap. *Ne Religiosi* 24, *de Regularib.* cit Decret. sub Urban. VIII, § 7, per rationem adductam supra num. 49. Tum quia Ejecti per expulsionem a Religione non fiunt melioris conditionis, quam alii, alias, ex propria iniquitate commodum reportarent, contra Jura, quibus expresse dicitur, quod malitiæ non sit indulgendum, et quod fraus, et dolus nemini debeant patrocinari, et signanter leg. *In fundo* ff. *de Rei vindic.* ibi : « Neque malitiis indulgendum est. » l. *Cum hi*, ff. *de Transact.* ibi : « Non debet via aperiri malitiis; » leg. *Si legatarius*, Cod. *de Legatis*, ibi: « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis; » c. *Sedes* 15, *de Rescript.* ibi : « Quia fraus, et dolus ei patrocinari non debent; » ibi : cap. *Tua* 12, *de Clericis non resident.* ibi : « Cum fraus, et dolus nemini debent patrocinium impertiri, » cum Concordantiis. Tum etiam quia ex communi Doctorum Regulares assumpti ad Episcopatum tenentur ad observanda Vota, et Regulam sui Instituti in iis, quæ sunt compatibilia cum eorum dignitate : ergo a fortiori erunt obligati ejecti ad observanda vota, et Regulam sui Instituti in iis, quæ compatiuntur cum eorum statu, ne dicatur quod Regulares ejecti sint melioris sortis, quam Regulares Episcopi, et ex sua culpa hoc magnum commodum reportent, quod quia rebelles idcirco sint immunes ab obligatione servandi leges contra *Jura adducta*. Tum tandem quia, si Regularis incidat in Turcas, et captivus fiat, obligatur ad Vota, et observantias Regulares, prout potest, et suus status permittit, ergo

si ad illa obligatur, licet extra Claustra, latis Religiosus innocens, a fortiori obligatur (52. Ejectus qui est reus. Fateor tamen quod contraria opinio sit probabilis, ex quo illam non spernendis rationibus defendant plurimi magni nominis Doctores cum Sanchez lib. 6, in Decalog. cap. 9, quæst. 3, num. 52. Diana part. 3, tract. 2, resol. 116. Barbosa in cap. Final. *de Regularibus* num. 12. Layman lib. 4, tract. 5, cap. 13, qu. 2, n. 5. Lezana part. 1, c. 23. n. 17, Navar. comment. 3, *de Regularib.* n. 26, et consil. 78, n. 2, *de Regular* (1).

(53. Ejectus juste tenetur se corrigere, et similiter petere ut iterum admittatur. Sic tenent Barbosa ad cap. final. *de Regularib.* num. 7. Fagnan. ibid. num. 9. Donat. loc. cit. quæst. 25, per tot. lib. 6, *Moral* cap. 9, numer. 25. Tamburin. tract. 3, disput. 8, quæst. 8, n. 1. Lessius lib. 2, cap. 41, num. 111. Layman. lib. 4, tr. 5, cap. 13, num. 6. Lauret de Franchis *de Regularibus ejectis* qu. 2. Vasquez part. 2, disp. 165, num. 87. Pordon. par. 2, resol. 108, num. 20. Cordub. in Regul. S. Francisci cap. 2, quæst. 21. Lezana tom. 1, cap. 23. Pasqual. ad Lauret de Franch. num. 972. Silvester. verb. *Religio* 6, quæst. 11, et alii passim. Et ratio est, quia sicuti habens votum simplex Religionis tenetur ex parte sua non ponere obicem, et curare quantum potest ut admittatur in Religione quam vovit; ita a fortiori qui religiosam vitam professus est, tenetur ex vi voti se idoneum reddere, mores suos corrigere, et instare, ut iterum recipiatur. Tum quia ejectus non debet ex sua malitia reportare commodum libere manendi in sæculo, alias fieret melior conditionis quam alii Religiosi, et via aperiretur delictis, dolis et fraudibus contra *Jura adducta* sub n. 51.

(54. Juste Ejectus potest cogere Religionem, ut se iterum recipiat, dummodo saltem ex litteris testimonialibus Ordinarii constet esse plene emendatum, habetur expresse ex § 7, cit. Decr. sub Urbano VIII, ibi : « Ac postremo censuit esse innovandam, et suæ Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem felic. record. Gregor. IX. relatum in cap. fin. de Regularibus. Ac præterea eam Constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui juste diffinitiveque, ac juris ordine servato, expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris conceden-

jus articuli num. 62, id ipsum defendit. Atqui vel hoc ipso illicita censeri debet ejectis negotiatio, quia inde maximo scandalo afficerentur fideles. Excipiendus est tamen necessitatis veræ, non quæsitæ casus, in quo certe negotiari possunt. Quantum vero ad obligationem votorum, dicimus sententiam illorum Auctorum, quos infra *num.* 51, laudat Auctor noster, minime probabilem esse; Nam nisi afferantur rationes, quæ eidem probabilitatem aliquam valeant conciliare, nudam auctorum illorum auctoritatem nulla probabilitate gaudere existimamus.

(Nota Rom. Theol.)

(1) Ejectus ex Ordine regulari non liberatur a solemni obligatione, quam in professione contraxit non cum Regularibus, sed cum Deo. Privatur quidem sua culpa bonis, quibus fruebatur, Communitatis, sed obligatio in eo manet servandi vota, et alia, quæ Deo pollicitus sit. Et si illa obligatio manet in eo qui captivus apud Turcas maneat, ut Auctor innuit *num.* 51, cum hoc manere obligatio non debebit, qui propria culpa a Regularibus e propria sit societate dejectus? Numquid culpa prodesse ei poterit ad exuendas obligationes, quas cum Deo contraxit? Jure enim naturæ vota servare adstringimur. Itaque improbabilis omnino est Sanchezii, aliorumque opinio.

(Nota Rom. Theol.)

Digitized by Google

dis Sacra Congregatio serio oneravit; » Lezana tom. 1, cap. 23, num. 9. Navarr. lib. 3, consil. tit. *de Regular.* consil. 18. Molina tom. 1, *de Justit.* disput. 14. Matthæuc. loc. cit. num. 33. Ameno *de incorrigibilium Expulsione* part. 3, quæst. 16, num. 69, et seq. Donat. loc. cit. quæst. 26, et passim alii, qui scripserunt post. cit. Decret, edit. sub Urbano VIII. Et ratio est quia ex d. Decret. sola incorrigibilitas justificat expulsionem, ergo et illa solum poterit impedire regressum; sed in emendato, et correcto non subsistit incorrigibilitas, ergo nec causa legitima rejiciendi, et impediendi regressum.

(55. Neque in hoc admitti debet excusatio aliqua post dictam declarationem Sacræ Congregationis Concilii sub Urbano VIII, nam per ipsam innovatur cap. final. *de Regularibus*, ubi sic præcise statuitur. « Abbates, seu Priores eorum monitione prævia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Regulæ disciplina; quod si hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. » Ex quibus patet, quod si aliquo rationabili motivo ut evitentur scandala, et salvetur Regulæ disciplina, et hujusmodi, non conveniat ipsum recipere intra eumdem Conventum ad consortium eorumdem aliorumque Religiosorum, debeat recipi alibi, ac si non fuisset ejectus, et debet Religio talem illius curam habere, qualem debet habere de non ejecto, salva sola differentia innocentis, et pœnitentis, ut recte dicit Passerin. *de Homin. stat.* tom. 3, quæst. 189, art. 8, num. 656. Et Sacra Congregatio de mandato Sanctissimi vult sic exacte observari dic. cap. fin. *de Regularib.* et omnia disposita in cit. decret. quod contra transgressores imponit pœnam ipso facto incurrendam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, vel passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ibi § 9. « Si quis vero ipsorum adversus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquomodo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, vel passivæ ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda; pœnaque hujusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus etiam Generalibus, et Protectoribus, illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta; et nihilominus sit irritum, et inane, quidquid secus a quoquam actum extiterit (1).

(56. Ejectus rediens ad Religionem non tenetur de novo Novitiatum obire, et professionem emittere, quia quantum ad experimentum morum supplet spes evidens emendationis, et quantum ad professionem non fuit prior extincta, sed solum ejus obligatio ad tempus, quo ille extra Religionem mansit, fuit quod aliqua suspensa; Rodriquez tom. 1, *qq. Regular.* qu. 30, art. 28. Sanchez lib. 6 *in Decalog.* cap. 9, num. 33. Lezana tom. 2, cap. 23, n. 9. Donat. l. cit. qu. 17, num. 1. Ameno l. cit. part. 3, quæst. 16, num. 101. Matthæucc. loc. cit. num. 34, et alii passim. (57. Ejectus rediens, præscindendo a statutis, et Constitutionibus uniuscujusque Religionis, non est statim restituendus ad gradus, et præcedentias, sed prius probandus est, et expectandus quod exemplo bonorum operum, et exercitio actuum virtutis se dignum ostendat; Ameno l. cit. part. 3, qu. 19, num. 113, citans alios, Matthæucc. loc. cit. num. 35. (58. Immo Donatus loc. cit. quæst. 27, n. 3, citans Sanchez, et Rodriquez dicit expresse, quod Ejecti redeuntes non debent restitui ad eumdem locum, gradus et honores, quibus antea fruebantur; non enim decet recedentes a Religione veteranos præcedere Religiosos, qui quotidie portaverunt pondus diei, et æstus, et semper in amore fraternitatis, et jugo obedientiæ famulatum præstiterunt; et sic tenent etiam Lezana l. cit. num. 9. Suarez tom. 4, *de Relig.* tract. 8, lib. 3, cap. 5, n. 17, et alii.

(59. Ejectus a Religione ob crimina falsa, quæ ipse sibi ad hunc finem imposuit, non est securus in conscientia, extra illam, sed est verus Apostata; quia talis ejectio est involuntaria, et fraudulenta, utpote fraudibus et falsitatibus extorta, et propterea nihil ipsi suffragatur; arg. cap. *Sedes* 15, *de Rescriptis*, ibi : *Quia fraus, et dolus ei patrocinari non debent*, c. *Tuæ* 12, de Clericis non resid. cum aliis Juribus adductis sub num. 51. Unde tenetur detegere fraudes, et redire ad Religionem; Anton. a Spiritu Sancto *Direct Regular.* tract. 4, dist. 3, sect. 12, num. 495. Sanchez l. 6. *in Decalog.* cap. 9, num. 67. Bonacina *D. claus.* quæst. 2, punct. 12, § 1, num. 13. Lezana verb. *Ejicere*, num. 10. Donat. loc. cit. quæst. 56, n. 1, et alii. (69. Et hoc etiam est dicendum de sic expulsis post Vota biennii a Societate Jesu. Si quis enim ex istis falsa crimina sibi imponat, vel

(1) Quin immo eum Religiosi omnes Regularium Superiorum curæ sint commissi, isti nihil omittere debent, quo ejectos ad primæva officia revocent, ne eosdem more mercenariorum deserere videantur, quos ideo recte monuit Sac. Concil. Trid. cap. 1, in fin. sess. 24, de reformat. *Quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, et seu officii immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus*, et Fagn. *in Decretal.* lib. 3, in cap. *ne Religiosi*, sub num. 6 et plur. seq. Juste vero expulsum, si ad Religionem revocatus ad eam redire detrectet jure posse compelli tenent Sanchez in *præcep. Decalog.* tom. 2, lib. 6, cap. 9, num. 30. Suar. tom. 5, *disput.* 27, sect. 5, n. 20. Quid nomine ejectionis intelligendum sit, non satis liquet. Alii tenent de expulsione a Religione intelligendum esse, de quibus supra, alii vero relati a Fragnan. l. c. an. 36, ad 44 et seq. contrariam tuentur opinionem, intelligendum nempe esse de ejectione ab aliorum Monachorum consortio, quæ æquior, et magis rationi consona videtur, ideo laudatum Auctorem, si libet, consule. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

etiam eo fine delinquat, ut a Societate expellatur, non remanet tutus in conscientia, quamvis sua vota biennii fuerint conditione emissa, scilicet pro tempore quo eum Societas alit, et retinet. Nam non liberatur ab obligatione Voti conditionalis qui nititur conditionem non impleri, ut liber evadat, et qui vovit Religionem, votum non implet, si delinquat eo fine, ut non admittatur; sicque in proposito non liberatur, et solvitur a Votis biennii Jesuita, nisi quando ex parte Societatis ejectio est voluntaria, qualis non est in casu, sed per malitiam exorta, et ita ejusdem Societatis Congregatio Generalis *Decreto* 18, § 4, cum protestatione decrevit; sic Sanchez lib. 6, *in Decal.* cap. 9, quæst. ult. num. 96.

(61. Ejectus juste, si emendatus ad claustra rediens non admittatur, potest tuta conscientia remanere in sæculo, et instar Clericorum Sacramenta recipere. Per ipsum enim non stat quominus in pristinam Religionem admittatur, maxime si repetitis vicibus accesserit ad Patres Religionis, a qua fuit expulsus, et ab eisdem semel, bis, et ter fuerit repulsus; sic enim fecit quantum potuit, et quod in se fuit, unde quod foris maneat, non est ei imputandum, quia ad impossibile moraliter nemo tenetur; Grassius lib. 3. *de Regul.* consil. 3. num. 9. Layman lib. 4 tract. 4. cap. 13. *de Ejectis* q. 5. n. 8. Navarr. in *Commentar.* 2. *de Regul.* num. 36. Rodriq. tom. 1. quæst. 30. art. 21. Barbosa cum multis allegatis in c. final. *de Regularib.* num. 9. q. 4. et alii. (62. Ejectus in sæculo remanens si in Ordinibus etiam minoribus constitutus sit, tenetur incedere in habitu Clericali; sic declaravit Sacra Congregatio 1 Aprilis 1628. ut refert Novarius in *Lucerna Regular.* verb. *Ejecti* num. 7. et ex ipso Lezana eodem verb. *Ejecti*, numer. 8. (63. Ubi ex tali declaratione colligit, Laicos seu Conversos ab Ordine expulsos non teneri incedere in habitu Clericali, cum nec in Minoribus sint constituti, et posse uti Laico, ut tenet etiam Suarez tom. 4. *de Relig.* tract. 8. lib. 3. cap. 6. num. 14. Novarius l. cit. num. 7. Ameno l. cit. part. 3. qu. 3. num. 16. et q. 18. num. 109. Et ratio istorum est, quia hujusmodi Ejectus non tenetur esse Clericus, si non vult; et sufficit, si cælibatum servet in vita, et consequenter in habitu laicali, subditque Suarez l. cit. Episcopum non posse hujusmodi ejectum cogere ad habitum Clericalem, cum illum non voverit. Oppositum tamen tenent Donatus l. c. q. 41. num. 2. Peyrin. *Formul.* litt. *E.* cap. 39. n. 3. Pellizar. *Manual.* tract. 8. cap. 7. num. 18. Pasqualig. ad Lauret de Franch. num. 987. quia in cit. § 4. decret. edit. sub Urbano VIII. non distinguitur inter Clericum et Laicum, sed indefinite dicitur : « Sic vero ejecti quandiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant. »

(64. Ejectus deponens habitum Clericalem animo nunquam reassumendi habitum neque Clericalem, neque Regularem, immo sæculari Militiæ se scribens si sit Clericus, est vere Apostata; quia ejectus habet obligationem corrigendi mores suos, vivendo morigerate, et religiose in habitu Clericali; immo et in habitu Religioso si revocetur ad claustra; adeoque deponens habitum Clericalem eo animo perpetuandi in rebellione a statu Clericali, et Regulari, immo se adscribens militiæ sæculari, vere est Apostata; Donat. loc. cit. quæst. 42. per tot. Pasqualig. ad Lauret. de Franch. num. 108. Maranta tom. 3. *Controvers.* respons. 18. n. 31. et sequ. Passerin. *de Statu homin.* to. 3. q. 189. n. 677. et alii. (65. Si vero deponens habitum Clericalem sit Laicus, seu Conversus, et deponat animo nunquam reassumendi habitum, neque Clericalem, neque Regularem, immo sæculari militiæ se adscribat, in sententia illorum qui dicunt Laicum ejectum teneri incedere habitu Clericali, censendus est vere Apostata propter rationem allatam de Clerico. (66. Si vero Laicus ejectus deponat habitum Clericalem, ut possit in habitu laicali facilius victum sibi procurare, et morigerate vivat, habens animum reassumendi habitum regularem quoties ad claustra revocetur, vel admittatur, etiamsi habitum Clericalem nunquam reassumat, in sententia illorum, qui dicunt Laicum ejectum non teneri incedere in habitu Clericali, non est censendus Apostata, cum juxta illos in nihilo deficiat.

(67. Ejectus acquirit adhuc bona Monasterio, vel Religioni unde est ejectus. Non enim per expulsionem est a Religione omnino præcisus, nec desinit esse Monachus, seu Religiosus, cum si se corrigat et emendet, teneatur Monasterium eum recipere. Immo tenetur Monasterium, seu Religio annuatim illum requirere ut redeat, et ejectus vocatus tenetur redire, aliter potest per Censuras compelli, ut expresse statuitur in cap. fin. *Regularibus*, innovato in dict. § 7. decret. edit. sub Urbano VIII. adeoque tamquam adhuc Monachus, vel Religiosus acquirit non sibi, sed Monasterio, vel Religioni; cap. *Monachi* 2. cap. *Super quodam* 4. et cap. *Cum ad Monasterium* 6. *de Statu Monachorum*, cap. *Non dicatis aliquid proprium* 11. caus. 12. q. 1. Conc. Trident. sess. 25. cap. 2. (68. Acquirit tamen Ejectus usum facti, et Jus disponendi de acquisitis prout ejus status exigit, et indiget quoad victum, vestitum, et habitationem, et vitæ necessaria, quia hoc non est contra votum paupertatis, nec professi possunt, carere his rebus : unde si a Religione non concedantur, eo ipso datur licentia quærendi, et habendi illas; Lessius lib. 2. *de Justit.* cap. 41. dub. 15. num. 112. Lezana, tom. 1. cap. 23. num. 14. alia enim competunt ei de Jure naturæ, et casus necessitatis semper censentur exempti; tum quia in ipsomet actu ejectionis ab Ordine censetur ei facta facultas saltem tacite de his omnibus nomine Religionis disponere; Barbosa in cap. final. *de Regularib.* quæst. 7. num. 5. Rodriquez, tom. 2. quæst. 30. art. 29. Donat. loc. cit. quæst. 46. num. 7. et alii passim. (69. Non potest autem Ejectus facere expensas magnas superfluas, nec donationes illicitas, aut rerum pretiosarum, et

Digitized by Google

magni valoris, et accipientes ab illo tenentur ad restitutionem, quia Ejectus non est Dominus eorum, quæ possidet, sed solum administrator nomine Religionis in ordine ad supradictos usus necessarios; quamvis tamen possit expendere, et donare res minus pretiosas, et parvi valoris absque eo quod accipientes teneantur ad restitutionem, quia quoad ista censetur habere facultatem tacitam a Superioribus Religionis, a qua est expulsus; Lessius lib. 2. *de Justitia* cap. 41. dub. 15. num. 113. Molina tom. 2. *de Justit.* disp. 276. et 120. Lezana l. c. n. 14. Donat. l. c. q. 50. n. 16. et 17. et alii.

(70. Ejectus non potest testari de bonis acquisitis in sæculo, quia potestas testandi pugnat cum Voto paupertatis; nec Ejectus est Dominus illorum bonorum, cum ex dictis habeat simplicem usum facti, et facultatem disponendi de iis solummodo quo ad dictos usus sibi necessarios dum vivit; Sic Lessius l. c. numer. 113. *Clavis Regia* lib. 6. cap. 9. num. 28. Donat. loc. cit. quæst. 49. num. 1. Lezana loc. cit. num. 14. et communis aliorum. (71. Unde si ejectus decedat extra Claustra, omnia sua bona fiunt Cameræ Apostolicæ, prout expresse statuit Gregorius XIII. Constitut. incip. *Officii nostri partes sedulo* (1). (72. Advertit tamen Passerinus *de Statu homin.* tom. 3. quæst. 189. artic. 8. num. 529. hoc decretum non habere locum de omnibus bonis Religiosorum, sed de illis quæ acquisierunt extra Claustra degentes. De his enim bonis loquitur Constitutio Pauli IV. *incip. Postquam*; et patet etiam ex cit. Constitut. Gregorii XIII. ubi dicitur, « tempore, quo extra Claustra hujusmodi fuissent acquisita; » et tandem § 3. statuit ut bona omnia per Regulares degentes extra Claustra acquisita, spectent ad Cameram Apostolicam, ideo quæ Religiosus acquisivit antequam egrederetur de claustro, concludit dictus Passerinus, Religioni manent, nam fuerunt jam illi acquisita. (73. Hic a fortiori manent Religioni, et illi debentur bona illorum Religiosorum, qui cum legitima facultate suorum Superiorum itinera arripientes, vel apud Parentes, Amicos, Benefactores Religiosas vacationes obeuntes, per accidens ibi decedunt; et ita censuit Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in Vercellens. 11 April. 1604. et 30 Junii 1604. (74. Ejectus si extra Claustra decedat, debet sepeliri in sepulcro a se electo, cum sit sui juris quoad electionem sepulcri; si vero decedat nulla facta electione, sepeliri debet in Ecclesia Parochiali, non autem in Regulari, quia Ejectus a Religione statuitur sub Jurisdictione Episcopi, eo modo quo cæteri Clerici illi subduntur; cit. § 4. decret. edit. sub Urbano

(1) Bulla Pauli V. de qua meminit Auctor numero sequenti de Apostatis loquitur, et de iis, qui aliquo sub prætextu extra Claustra commorantur, ut in *Bullar. Rom.* Typis Mainard. to. 4. p. 1. pag. 345. Bull. 21. Constit. vero Greg. XIII. inter suas ex eodem Bullar. 64. tom. 4. part. 3. pag. 330. nec de Apostatis, nec de Ejectis mentionem facit, sed de eorum tantum bonis, qui extra claustra commorantur etiam cum superiorum licentia. (Edit. Barbiell.)

VIII. ibi : « Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, et obedientiæ subsint : » ergo instar eorum in Ecclesia Parochiali tumulantur; Anton. a Spiritu S. director. *Regular.* disput. 3. sect. 12. num. 493. tract. 8. cap. 8. num. 38. Ameno loc. cit. part. 3. quæst. ultim. et alii.

(75. Affertur supplex libellus SS. D. N. Benedicto XIII. porrectus ad Ordinem Fratrum Minorum, cum ejusdem Pontificis favorab. rescripto pro moderatione Bullarum circa expulsionem incorrigibilium; et est tenoris sequentis.

BEATISSIMO PADRE.

Intus.

Nel prossimo passato Capitolo Generale dell' Ordine de' Frati Minori celebrato in Milano, tra gli altri Statuti fatti, e stabiliti di comune consenso di tutta la Religione, e di già stampati coll' approvazione della Santità Vostra, si legge al numero 4. « Supplicetur Sanctissimus ab Officialibus Curiæ, etc., pro moderatione Bullæ expulsionis incorrigibilium ad normam Statutorum antiquorum. » Supplica per tanto Vostra Beatitudine a nome di tutto l' Ordine Fra Giuseppe Maria d' Evora Commissario Generale di Curia del medesimo, acciò derogando alle Costituzioni della Santa Memoria de' Papi Urbano VIII. ed Innocenzo XII. circa questa materia, come quelle, che secondo la esperienza ha dimostrato, non possono mai ridursi in pratica, si compiaccia permettere il servarsi l'ordine delli Statuti antichi a tenore del foglio ingiunto, e qui sotto trascritto in un Congresso generale dopo matura riflessione, ed esame conchiuso, ordinando, che basti alli medesimi Statuti aggiugnersi con rescritto della Santità Vostra, senz' altra ulteriore spedizione di Decreto, Bolla, o Breve. Che della Grazia ec.

In expulsione Incorrigibilium universo Ordini nostro maxime salubri, et necessaria, nedum ad Religiosam pacem confovendam, atque candorem Ordinis conservandum; ejectis perturbatoribus, et scandalosis Fratribus suo malo exemplo, et conversatione alios pervertentibus, et propterea a Seraphico P. N. Francisco in suo testamento maledictis; verum etiam ad ipsam Regularem disciplinam, ubi viget, augendam, et ubi deficit, instaurandam, ob timorem exinde inquietis, et discolis inculiendum; Servato jure communi, Reus post tria delicta gravia ejusdem (2) vel diversæ speciei (3) intra vel extra claustra commissa, si aliquando de iis (4) monitus, et punitus juridice, vel pa-

(2) Cum aliqui requirant identitatem specificam delictorum.

(3) Videtur aliquibus nonnisi delicta extra claustra commissa, expulsione puniri posse, perinde ac ea, quæ in claustris patrantur, corruptelam, ac perniciem Ordini nullam afferant.

(4) Ne excludantur privatæ monitiones quæque ad juris apices probari nequeant.

Digitized by Google

ternaliter (1) fuerit, et constet per juridica acta, vel (2) per Provinciæ Regesta; in carceribus per aliquod (3) tempus detineatur, et examinatis actis alias factis, seu (4) sententiis contra Reum ipsum alias latis, (5) vel novis actis denuo confectis, si juridice tria gravia delicta, ut supra dictum est, probata sint, a suo Ministro Provinciali cum Provinciæ Definitorio incorrigibilis declarari possit, non tamen expelli, nisi prius a Superiori Generali, cui acta hujusmodi mittenda sunt, de consilio sex graviorum Patrum, et cum voto Domini Consultoris sæcularis, ejectionis sententia approbata, et confirmata sit. Si Sanctissimo Domino Nostro placuerit.

RESCRIPTUM.

Ex audientia Sanctissimi 6. Decembris 1729. Sanctissimus annuit, dummodo non adversetur Constitutioni *Universalis*, etc.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. CARD. LERCARI.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(76. Quod habet Auctor n. 42, et plur. seq. Ejectos uti infamia laborantes nec exercere suos Ordines, neque concionari, nec assequi beneficia posse, id locum etiam sibi vindicat quoad ejectos e Societate Jesu post emissa vota solemnia, (77. non item quoad eosdem ejectos e Societate Jesu post emissa vota dumtaxat simplicia, ut probe monet sanct. memor. Benedict. XIV. *de Synodo diœcesan.* lib. 13, cap. 11, n. 2, ubi in hanc rem affert Resolutionem Sac. Congreg. Conc. et P. Giraldi in addit. ad Maschat. *Institut. Canon.* lib. 3, titul. 32, num. 39 (6).

ELECTIO.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Electio quoad ejus esse, divisionem, et formam.*

1. Electio generatim sumpta quid sit. — 2. Electio Canonica dupliciter sumitur. Prima generaliter, et latissime, sub quo nomine venit etiam Postulatio, Præsentatio, Nominatio, Petitio, et Collatio: secundo proprie, et stricte, et prout contra distinguitur a supradictis. — 3. Electio porprie, et stricte sumpta (de qua solum est sermo) est personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, vel Prælaturam per eos, quibus eligendi Jus competit, Canonica vocatio. — 4. Assignatur differentia Electionis a Postulatione. — 5. Postulatio quid sit. — 6. Assignatur differentia Electionis a Præsentatione. — 7. Præsentatio quid sit. — 8. Assignatur differentia Electionis a Nominatione. — 9. Nominatio solemnis quid sit. — 10. Nominatio est triplex, et assignantur quælibet. — 11. Assignatur differentia Electionis a Petitione. — 12. Simplex petitio quid sit. — 13. Assignatur differentia Electionis a Collatione. — 14. Collatio libera quid sit. — 15. Collatio est duplex libera et necessaria. — 16. Collatio libera, seclusa speciali concessione, et potest fieri per Vicarium Generalem Episcopi. — 17. Neque ipsa transit ad Capitulum, Sede vacante. — 18. Collatio necessaria quid sit. — 19. Collatio necessaria potest fieri etiam per Capitulum Sede vacante. — 20. Forma Electionis est triplex, scilicet Forma Scrutinii, Compromissi, et Inspirationis. — 21. Electio per sortes non valet. — 22. Electio per scrutinium quid sit. — 23. Octodecim substantialia formæ electionis per scrutinium assignantur. — 24. Electio per Compromissum quid sit. — 25. Ad faciendum Compromissum pro electione requiritur consensus omnium Vocalium. — 26. Compromissum pro electione potest fieri etiam in unum solum, quamvis ipse non sit de Collegio. — 27. Compromissum pro electione non potest fieri in Laicum. — 28. Unus Compromissarius nequit eligere seipsum. — 29. Si compromissarii sint plures, possunt aliquem ex seipsis eligere. — 30. Compromittentes tenentur recipere electum a Compromissariis. — 31. Dummodo tamen servata fuerit forma Compromissi. — 32. Electio per Inspirationem quæ sit. — 33. Et quæ sit Electio per quasi Inspirationem. — 34. Ad hoc ut sit Electio per quasi Inspirationem debet esse sine omni fraude, et vitio. — 35. Hinc Electio ad clamorem populi non est confirmanda. — 36, 37. De forma electionis. — 38. 46. Nonnulla observanda in electione, quæ fit, servata forma cap. *Quia propter.*

ARTICULUS II. — *Electio quoad illos, qui possunt, vel non, eligere, et eligi.*

1. De jure communi Jus eligendi Prælatum spectat ad Capitulum, seu Collegium, cujus Prælatus est eligendus. — 2. Hoc Jus diu in Ecclesia duravit, et etiam nunc in plerisque Ecclesiis perseverat. At in multis aliis nominant, et presentant Reges ex privilegio Pontificio, et in variis aliis nominat, et instituit ipsemet Summus Pontifex. — 3. Jus eligendi Prælatum, quamvis de jure communi spectet ad Capitulum, seu Collegium, cujus Prælatus est eligendus, potest tamen ex privilegio, vel præscripta consuetudine acquiri etiam ab aliis Clericis extraneis. — 4. Immo possunt ipsimet Capitulares, vel Collegiales Electores de communi omnium consensu communicare Clericis extraneis facultatem eligendi, seu secum coeligendi. — 5. Si unus solus de Capitulo, seu Collegio remaneat, aliis mortuis, privatis, suspensis, interdictis, excommunicatis, aut a Societate voluntarie recedentibus, ille solus poterit eligere alium in Prælatum totius Collegii. — 6. Non potest tamen ille eligere seipsum. — 7. Eligere non possunt: Primo, Pupilli, vel impuberes. — 8. Secundo, eligere non possunt Furiosi et mente capti, quamdiu durat amentia. — 9. Tertio, eligere non possunt Excommunicati Excommunicatione majori — 10. Quarto eligere non possunt Suspensi ab Officio, et Beneficio simul

(1) Quandoque a Sacra Pœnitentiaria absoluti, sive ab ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ, sive ab Ordinis Foro moneri delinquentes, ac puniri paternaliter solent.

(2) Ne excludantur Apostasiæ, quæ cum ob indultam Sacra Pœnitentiaria absolutionem, vel aliam ob causam formali processu judicatæ non fuerint, in aliquem relatæ sint Provinciæ librum, qui utique in Foro ea saltem fide gaudere debet, quæ negotiatorum codicibus adhiberetur, etc.

(3) Cum Urbani VIII. Constitutio annuam Innocent. XII. semestrem carcerationem requirat; Ex decreto autem Sac. Congreg. memoratum tempus, vel continuari debeat, vel interruptum redintegrari.

(4) Juxta enim Ordinis Constitutiones, elapso semestri ab executione sententiæ, solo pœnali judicio retento, cuncta reliqua comburi debent.

(5) Ut carcerationis tempore delicta juridice probari possint.

(6) Confer eumdem P. Giraldi in Expositione Juris Pontificii part. 1: sect. 643. pag. 474. seqq. ubi multa habet, quæ ad traditam in hoc Artic. ab Auctore nostro doctrinam confirmandam, vel illustrandam pertinent. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

vel etiam ab Officio tantum. — 11. Non prohibentur tamen eligere suspensi a Beneficio tantum — 12. Quinto, eligere non possunt personaliter Interdicti. — 13. Sexto, eligere non possunt Irregulares. — 14. Requiritur tamen, quod isti Irregulares, sicuti Excommunicati, Suspensi, et Interdicti sint nominatim denuntiati. — 15. Septimo, eligere prohibentur infames infamia Juris. — 16. Octavo, eligere non possunt Laici sæculares. — 17. Nono, eligere non possunt in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, qui nondum sunt constituti in Ordine Subdiaconatus. — 18. Decimo, qui scienter elegerunt indignum, pro ea vice eligendi potestate privantur. — 19. Undecimo, qui per abusum sæcularis potestatis elegerunt, ipso Jure privati sunt potestate eligendi. — 20. Duodecimo, eligere pro illa vice non possunt, qui intra tempus statutum eligere neglexerunt. — 21. Eligi solum possunt, qui habent qualitates a Jure requisitas, et præcipue litterarum scientiam, ætatis maturitatem, et morum honestatem. — 22. Scientia est triplex, scilicet eminens, mediocris, et sufficiens, et assignatur quælibet. — 23. Scientia sufficiens mensuranda est juxta qualitatem loci, Officii, et Ecclesiæ. — 24. In eligendis ad Prælaturas, atque Officia Ecclesiastica, quamvis desideranda sit scientia eminens, adhuc tamen mediocris, immo et sufficiens toleratur. — 25. Quoad ætatis maturitatem *Vid.* verb. *Ætatis:* et quoad morum honestatem patebit ex mox adducendis. — 26. Eligi non possunt: Primo, infames, tam infamia Juris, quam infamia Facti. — 27. Hoc tamen procedit solum de Infamibus sententiatis, sive declaratis. — 28. Secundo eligi non possunt Excommunicati Excommunicatione majori. — 29. Item neque excommunicati excommunicatione minori; aliter licet Electio non sit ipso Jure irrita, est tamen irritanda. — 30. Tertio, eligi non possunt Suspensi sive a Jure, sive ab homine. — 31. Quarto, eligi non possunt personaliter Interdicti. — 32. Quinto, eligi non possunt Irregulares. — 33. Qui semel ob vitium personæ sunt rejecti, non possunt amplius eligi, nisi sint specialiter restituti. — 34. Septimo, eligi non possunt ad Prælaturas, et Dignitates Regulares pœnitentiali a S. Officio, quamvis pœnitentias compleverint. — 35. Hinc nequit eligi ad Prælaturas Regulares ille qui abjuravit in S. Officio, etiam de levi. — 36. Octavo, eligi non possunt Hæretici. — 37. Sic nec etiam Schismatici. — 38. Nono, eligi non possunt in Episcopos Neophyti. — 39. Decimo, eligi non possunt Spurii, et Illegitimi. — 40. Undecimo, eligi non possunt Laici. — 41. Duodecimo, eligi non possunt bigami, et hujusmodi. — 42. Canonici non aliter jus eligendi habent, quam si in sacris sint constituti. — 43. 44. Sufficit quod sint in sacris tempore electionis. — 45. 46. Utrum jus eligendi habeat Canonicus proprietarius an possessor. — 47. 48. An Interdicti et Irregulares possint eligere. — 49. An excommunicatus admissus ad eligendum irritam reddat electionem.

ARTICULUS III. — *Electio quoad ea, quæ concernunt Electores.*

1. Electores habentes legitimum jus ad suffragandum, sive sint absentes, sive præsentes, vocandi sunt ad Electionem novi Prælati. — 2. Si tamen sint nimis distantes, non sunt de necesse vocandi. — 3. Quænam autem requiratur distantia sufficiens pro ipsis non vocandis, standum est specialibus consuetudinibus, et Constitutionibus. — 4. Electores vocati non possunt cogi ad interessendum, nisi agatur de magno præjudicio Ecclesiæ. — 5. Electores absentes, et impediti possunt eligere per Procuratorem. — 6. Si nemo velit hanc Procurationem recipere, non potest Elector absens eligere per Epistolam. — 7. Electores tenentur sub gravi investigare de idoneitate personæ eligendæ. — 8. Electores eligentes indignum, id est cui desunt qualitates ad sic promovendos requisitæ, ultra peccatum mortale quod incurrunt, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi. — 9. Hæc autem pœna privationis potestatis eligendi non incurritur nisi sequatur communis electio indigni, quamvis semper peccetur mortaliter dando scienter suffragium indigno. — 10. Eligens indignum, et asserens se id ignoranter fecisse, cogitur probare ignorantiam. — 11. Eligens scienter indignum peccat graviter, etiamsi sciat se nihil profuturum per denegationem sui suffragii, etc. — 12. Non debent, nec possunt Electores denegare suum suffragium ei, quem per solam Sacramentalem Confessionem noverunt indignum. — 13. Electores tenentur sub mortali eligere eos, quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles esse judicaverint. — 14. Obligatio sub gravi eligendi digniorem non solum procedit de Episcopis et Cardinalibus, sed etiam procedit de omnibus aliis habentibus Jurisdictionem quasi Episcopalem. — 15. Obligatio sub gravi eligendi meliorem procedit etiam de promovendis ad Ecclesias Parochiales. — 16. Electio digni, prætermisso digniore, est valida, quamvis illicita. — 17. Immo electio digni, prætermisso digniore, potest aliquando esse, nedum valida, sed etiam licita; Possunt enim Electores sine culpa eligere dignum, omisso digniore, in variis casibus, qui enumerantur. — 18. Et assignatur ratio. — 19. Elector renuntians electioni, si pœniteat, et se retractet, re adhuc integra, debet admitti cum cæteris Electoribus ad eligendum in Capitulo. — 20. Secus autem, re non amplius integra. — 21. Res quando dicatur adhuc integra, vel non. — 22. Elector potest ante publicatum scrutinium variare vocem suam, secus post publicatum scrutinium, et a fortiori si jam miserit schedulam suam in Urnam in communi loco præparatam ad finem eligendi. — 23. Electores, quamvis sine vera, et justa causa nequeant interponere appellationem, seu oppositionem, ne procedatur ad electionem, possunt tamen ex justa, et vera causa. — 24. Electores postquam aliquem unanimi consensu elegerunt, non possunt deinde illi electioni opponere, nisi ex causis de novo emergentibus, vel nisi eis improbitas morum Electi de novo fiat manifesta, quæ tempore electionis erat illis totaliter incognita. — 25. Talis oppositio fieri potest triplici modo, scilicet contra formam electionis, contra electum seu eligendum, et contra Electores, dummodo tamen fiat in scriptis cum juramento et causa rationabili exprimenda in litteris oppositionem, et appellationem continentibus. — 26. Electoribus est interdictus abusus illicitarum Capitulationum, quas, occurente vacatione Ecclesiarum, seu Monasteriorum, interdum fieri contingit, et ad hoc datur Constitutio Innoc. XII. — 27. 32. De juramento ad quod tenentur appellantes ab electione. — 33. An Constitutio Innocentii XII. afficiat Collegia quæ ex viris et mulieribus composita, unius Præpositæ regimini sunt subjecta. — 34. An nomine pactionum et conventionum electionem præcedentium ab hac Constitutione damnatarum etiam, justæ et honestæ intelligantur.

ARTICULUS IV. — *Electio quomodo, quando, et ubi fieri possit et debeat, ut sit Canonica, præsertim inter Regulares.*

1. Pro electione Canonica facienda, sunt in primis vocandi omnes, qui de jure aut legitima consuetudine habent jus in ea suffragandi, et sunt in pacifica possessione eligendi. — 2. Alias etiamsi unus solus contemnatur, seu non vocetur, potest ipse agere de contemptu, et electionem irritare. — 3. Si vero Vocalis contemptus velit pro bono pacis, vel alio fine ratam habere electionem, et non contradicere, electio valide subsistit. — 4. Sic etiam electio valide subsistit, si Vocalis contemptus sciens electionem factam, et potens contradicere, nihil opponit. — 5. Vocalibus vocatis, et in unum conventis sunt ante electionem

Digitized by Google

habendi tractatus consultorii, in quibus discutiuntur qualitates, et merita eligendorum. — 6. Ante Electionem tenentur Vocales Regulares præstare juramentum de eligendo meliorem, seu digniorem. — 7. Tale juramentum secundum multos est de conditionibus essentialibus electionis, et ejus omissio reddit electionem nullam ipso facto. Et quoad hoc crescit argumentum pro electionibus, quæ fiunt in Ordine Fratrum Minorum de Observantia, *ad n.* 9. — 10. Adhuc tamen defenditur præcisam omissionem Juramenti non obesse validitati Electionis. — 11. Et ad hoc adducitur Decretum Sacræ Congregationis Regularium. — 12. Ante electionem canenda est Missa, et facienda est invocatio Spiritus Sancti pro eligendis dignioribus. — 13. Talis Missa de Spiritu Sancto non est de essentia, et validitate electionis, nisi existat specialis Constitutio cum clausula irritante actum contrarium. — 14. Electio debet celebrari omnibus electoribus in unum collegialiter, seu capitulariter congregatis, et non singulariter tantum. — 15. Capitulares debito, et consueto modo vocati, si electioni interesse nolint, adhuc electio remanet Canonica sine ipsis. — 16. Pro Ordine Fr. Minorum habetur expressum Decretum, quod si aliquis Diffinitor præsens nolit convenire in Diffinitorio sub aliquo prætextu, non debeat fieri subrogatio, sicuti fit pro Diffinitore legitime impedito. — 17. Et sic fuit novissime decisum in causa Provinciæ Reformatæ Papiæ. — 18. Si cœpto electionis tractatu aliqui Vocales egrediantur, et redire nolint, possunt alii sine ipsis procedere ad electionem, dummodo adhuc major pars Capitularium remaneat in Capitulo. — 19. Et talis electio tenet, quamvis electores redeuntes protestationem, et appellationem interponant. — 20. Et hoc etiam procedit, quando aliqui Vocales remanent quidem in Capitulo, sed votare nolunt. — 21. Immo hoc etiam procedit, quando una cum aliquibus Vocalibus, vel nollet votare ipsemet Præses, aut nollet ad electionem indictam procedere. — 22. Nec obstat validitati talis electionis defectus Præsidis. 23. Quinimmo etiamsi omnes electores de Capitulo exeant, si instet terminus ad electionem faciendam a jure præfixus, et unus solus remaneat, hic satis erit, et servatis cæteris servandis valide poterit eligere. — 24. Similiter si uno excepto, omnes alii de Capitulo moriantur, vel delinquant, ita ut remaneant privati jure eligendi, vel suis abrenuntient votis, iste unus qui non obiit, nec deliquit, nec suo renuntiavit voto, poterit absque dubio extraneum eligere non vero seipsum. — 25. Et a fortiori poterit procedere ad electionem minor pars innocens Capitularium, si major pars delinquat, ita ut privata remaneat jure eligendi, vel temere, et sine justa causa recedat. — 26. Si aliquis Vocalium schedulam vacuam miserit in communem votorum Urnam, adhuc electio erit valida. — 27. Sic si in aperitione scrutinii reperiantur plures schedulæ quam sint vocales, adhuc electio erit valida, si demptis superfluis remaneat major pars. — 28. Electio Superiorum Regularium debet fieri omnino per vota secreta. — 29. Et ita debet fieri per vota secreta, ut non possit fieri per viam compromissi, aut inspirationis. — 30. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui dicunt Conc. Trid. habere locum solum in electionibus Regularium per scrutinium, non autem in iis, quæ fiunt per compromissum, aut per quasi inspirationem. — 31. Electio non desinit esse secreta propter puram, et simplicem ostensionem schedulæ secreto factam alicui ab aliquo ex Electoribus ad effectum, ut videat, quem ipse eligat, dummodo hujusmodi ostensio non sit vera, et realis, nec rationabiliter præsumpta causa, cur potius unus, quam alter electus sit. — 32. Sic non desinit esse secreta electio, si quis Electorum, sive per malitiam, sive per errorem ostenderit alteri votum suum inscio, et non consentiente Capitulo, dummodo tamen non causet effectum, de quo num. antecedenti. — 33. Desineret tamen esse secreta, et sic non subsisteret electio, etiamsi unus solus votum suum publicaret permittente Capitulo. — 34. Sic desineret esse secreta, et nulla esset electio, si eligentes uterentur schedula aliquo patenti signo signata, ut innotescat scrutatoribus, vel uni ex illis, quod tales eligentes elegerunt illum nominatum in schedula; ac proinde sic electus factus de hoc certus tenetur resignare Prælaturam, vel petere a Sanctissimo confirmationem cum dispensatione. — 35. Item desineret esse secreta, et nulla esset electio, si Præses, vel alter de Capitulo alicui vel aliquibus ex Vocalibus traderet schedulas, in quibus notetur nomen illius qui eligitur. — 36. Sic a fortiori desineret esse secreta, et nulla esset electio, si aliquis Pater prædominans traderet alicui Vocali schedulam cum nomine eligendi, ostendendam omnibus aliis Vocalibus a suo prædominio dependentibus, ut ex ipsa copiam faciant, et sic scriptum in Urnam electionis exponant. — 37. Ad electionem Regularium debent vocari omnes, etiam infirmi, qui decumbunt in Conventu electionis, et si nequeant electioni interesse, debent duo disquisitores ad eos ire, et ab illis schedulas in vas ad id præparatum accipere; et si infirmi nequeant scribere, debent schedulas, pro ipsis scribere duo disquisitores, et patenter ponere in vase reliquarum schedularum. — 38. Et ad talem electionem vocandi sunt etiam Religiosi sacris non initiati in illis Religionibus, quarum Constitutiones ipsis expresse concedunt, ut habeant votum in Capitulis; non sic autem in aliis Religionibus. — 39. Regulares tenentur sub mortali eligere digniorem. — 40. Hinc gravissime peccarent, et ad damna tenerentur, et indignus electus teneretur renuntiare, si ne dum non eligerent digniorem, sed potius eligerent indignum, id est quem sacri Canones, Constitutiones Pontificiæ, et Statuta Ordinis inhabilem declarant. — 41. Quid disponant quoad hoc Minoribus de Observantia Statuta Ordinis, et Constitutiones Pontificiæ, *ad n.* 43. — 44. Ut electio sit valida requiritur, ut in ipsam occurrat saltem major pars Capituli. — 45. Ubi vota essent paria, Præses Capituli nequit dare votum decisivum; loquendo de electionibus a toto Capitulo faciendis. — 46. Loquendo tamen de electionibus, quæ fiunt a solo Definitorio, Præses in paritate votorum, votum decisivum habet. — 47. Sic etiam deficiente Præside in electionibus, et negotiis in Definitorio peragendis, tale votum decisivum habent ministri Provinciales, dummodo ipso non utantur, nisi per tres vices vota fuerint æqualia. — 48. Commissarii Provinciales qui tempore Capituli Generalis relinquuntur ad gubernandas Provincias, eligendi sunt a definitoriis Provincialibus per ballotationes. — 49. Sic etiam per ballotationes, et vota secreta debent fieri omnes et singulæ electiones quæ fiunt in Definitoriis, tam Prominstrorum Provincialium, et Custodum, quam Guardianorum. — 50. Electiones quæ fiunt in Capitulis tum Generalibus tum Provincialibus, debent fieri non per secretas ballotationes, sed per secretam schedulam suffragia, ita obsignata, etc. — 51. Electio ut sit canonica debet esse omnino libera, ita ut aliter facta sit ipso jure nulla. — 52. Unde nulla est electio sine auctoritate Apostolica limitata, et restricta ad aliquos cæteris exclusis, et maxime si fiat per abusum sæcularis Potestatis. — 53. Non est tamen contra libertatem electionis, quod Electores coarctentur ad eligendum aliquod genus personarum v. gr. Magistrorum, Lectorum, etc. vel talis Nationis, et hujusmodi. — 54. Libertatem electionis tollit, et ipsam irritat subornatio, quæ fit importunis precibus, comminationibus, vituperationibus, etc. — 55. Hinc in Ordine Minorum de Observantia subornatores pro se, vel pro alio incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, et privationem vocis activæ, et passivæ. — 56. Quæ tamen excommunicatio modo potest absolvi a Ministro, et Commissario Generalibus, ubi agitur de electione Su-

Digitized by Google

periorum. — 57. Dispositio Generalis pro omnibus Regularibus illicitis modis pro se vel pro aliis dignitates procurantibus, *ad n.* 58. — 59. Electio evadit Simoniaca, et consequenter nulla, cum pro consequenda aliqua Prælatura, seu Dignitate v. g. Prioratus, Guardianatus, Definitoriatus, Provincialatus, et Generalatus datur aliquod temporale munus, vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio. — 60. Et talis electio de Jure Ecclesiastico est nulla etiam ante Judicis sententiam. — 61. Talis electio est nulla, etiamsi Simonia sit occulta. 62. — Immo est nulla electio, etiamsi electus penitus ignoret Simoniam commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem, nisi in hujus præjudicium fraudulenter fiat ab aliquo inimico. — 63. Hinc simoniace electus tenetur in conscientia sub peccato mortali renuntiare Prioratum, Rectoratum, Guardianatum, Definitoriatum, Provincialatum, Generalatum, nec absolvi potest priusquam renuntiet; et hoc etiamsi simonia sit occulta, sive commissa sit ab eodem, qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis ipso quoque nesciente. — 64. Assignantur variæ electiones simoniacæ, et nullæ propter illicitas pactiones Electorum. — 65. Electio celebrari debet in loco publico, et tolito, ut in Ecclesia, Sacristia, Choro vel Capitulo, seu Refectorio, et hujusmodi. — 66. In casu autem necessitatis celebrari potest extra Ecclesiam, seu Monasterium, et extra locum solitum. — 67. Immo in casu necessitatis potest electio celebrari etiam in loco interdicto. — 68. Extra tamen casum necessitatis male facerent Electores eligendo in loco interdicto. — 69. Electio vero adhuc esset valida. — 70. Sic etiam valida esset electio, quamvis non esset facta in loco consueto, dummodo reliqua omnia fuerint servata. — 71. Electio de jure communi est facienda, quando Ecclesia est viduata, et vacat legitimo suo Pastore. — 72. Vacatio autem, et Viduatio potest fieri multipliciter, nempe per mortem, renuntiationem, translationem, et proprii Prælati remotionem. — 73. Viduata seu vacante Ecclesia, debet ab Electoribus, cessante legitimo impedimento, fieri electio infra tres menses; alioquin devolvitur ad proximum Superiorem. — 74. Et si ipse proximus Superior infra idem tempus non eligerit, devolvitur ad alium Superiorem, et sic successive usque ad Papam. — 75. Dicti tres menses non sunt computandi a die vacationis, sed a die habitæ scientiæ talis vacationis. — 76. Regulares non tenentur stare huic tempori a jure communi præfixo, sed debent servare tempus, et modum a suis specialibus Constitutionibus statutum. — 77. Si electio non fuerit celebrata statuta et præscripta die in Ordine Minorum, si electio sit Provincialis devolvitur ad Generalem, si Generalis, devolvitur ad Papam. — 78. Electio celebrata post elapsum tempus a jure communi, vel speciali præfixum, est nulla. — 79. Electio regulariter loquendo non est facienda de nocte. — 80. Ob gravem autem, et urgentem causam potest electio licite, et valide celebrari de nocte, dummodo tamen adsint ad munus tria luminaria ad evitandos dolos et errores; qui in dandis suffragiis, et conscribendis schedulis possent oriri. — 81. Assignantur causæ sufficientes pro celebranda electione de nocte. — 82. Per noctem intelligitur illud tempus, quod incipit post datum signum ad salutationem Angelicam usque ad illud tempus, quo jam albescit. — 83. Electio potest celebrari etiam de Festo. — 84. Electio est nulla, si ante celebrationem Capituli, vel Congregationis non exhibeantur attestationes de adimplemento oneris Missarum. — 85. Adducuntur ad hoc resolutiones Sacræ Congregationis in facti contingentia. — 86. Vicarius Provincialis electus a solo Definitorio post mortem Provincialis potest ex justa causa obtinere titulum Ministri Provincialis, ut pluries concessit Sacra Congregatio, *usque ad num.* 87. — 88. Uno casu excepto. — 89. Electio facta a Regularibus, et de Regularibus nec dum in eadem Religione professi, est nulla. — 90. Ut quis possit eligere, sufficit tacita Professio; ut vero possit eligi, necessario requiritur Professio expressa. Et hoc procedit etiam in Monialibus. — 91. Eligendus debet esse Professus in eadem Religione in qua eligitur. — 92. Sententiæ privationis vocis activæ, et passivæ debent a Superioribus Regularibus pronuntiari per mensem ante Capitulum, aliter non tenet. — 93. Nec potest Præses Capituli Religiosos voce activa, et passiva privare ipsis non citatis, nec eisdem data actorum copia, ut se possint via juris defendere, quamvis a Superiore Generali haberet in mandatis, ut procederet sine strepitu, et figura Judicii et quod posset Religiosos voce activa et passiva privare. — 94. Si tamen citato Capitulo, et Vocalibus jam congregatis emergeret casus propter quem Vocalis aliquis sit voce activa, vel passiva privandus, tunc ipso summarie audito, an aliquam excusationem adducere possit, aut velit, posset sententia pronuntiari, vel declarari incurrisse talem privationem. — 95. Electio Canonice celebrata est confirmanda ab immediato, et proximo Superiore. — 96. Si electus ante confirmationem se immisceat administrationi, est ipso facto privatus jure acquisito per electionem. — 97. Excipiuntur autem electiones Generalium Ordinum, qui ex variis privilegiis a Sede Apostolica ipsis concessis eo ipso quod sunt electi, sunt a Sede Apostolica confirmati. — 98. In Ordine Minorum, Generalis statim ac Canonice est electus, potest plenam, et liberam administrationem exercere ex concessione Clementis IV. — 99. Abbatissæ quamvis debeant ab Episcopo, vel suo respective Superiore confirmari, adhuc possunt ante confirmationem administrare. — 100. Quoad electionem Abbatissarum afferuntur observanda Decreta novissime edita a Sacra Congregatione Concilii. — 101. 103. Quoad aliqua, circa electionem in Ordine Fratrum Minorum de Observantia, attendenda est novissima Constitutio Clementis XII. — 104. 109. De coarctando termino Electioni præfixo. — 110. 112. Quid si in electione, in qua plures sunt electi, suffragia excedunt eligentium numerum. — 113. Alia quoad Electionem Abbatissarum. — 114. 118. In materia Electionis incertum jus. — 119. Exemplum de quo actum fuit in S. Rota.

ARTICULUS I.

Electio quoad ejus esse, divisionem, differentiam, et Formam.

(1. Electio generatim sumpta, est multarum placentium in ordine ad finem unius præacceptio. Sic ex Aristot. 5, *Ethicor.* et D. Thoma 1, 2, q. 13, art. 3, in corp. Unde si ad iter obeundum occurant simul duo media, videlicet equus, et biga, ut commodius fiat iter, in tali casu biga dicitur eligi, et ad hoc B. Albertus Magnus cap. 23 Top. dicit, « quod eligere est duorum vel plurium, quæ sunt proposita alterum vel alterum præoptare. » (2. Electio autem Canonica dupliciter sumitur; Primo generaliter, seu latissime, et sub hoc nomine Electionis venit etiam Postulatio, Præsentatio, Nominatio, Petitio, et Collatio. Secundo sumitur Electio proprie, seu stricte, et prout contra distinguitur a Postulatione, Præsentatione, Nominatione, Petitione, et Collatione; et de Electione in hoc stricto et proprio sensu in præsenti est sermo.

(3. Electio igitur proprie et stricte accepta, est personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, vel Prælaturam per eos, quibus eligendi Jus competit, Canonica vocatio. Est in re com-

Digitized by Google

mun. (4. Electio differt a Postulatione, quia electio innititur Juri, et postulatio innititur gratiæ. Sic Glossa communiter recepta in cap. unico, *De Postulat. Prælator.* in 6, verb. *Eligo postulando.* Electio enim est personæ habilis, et idoneæ ad dignitatem, et si Canonice sit celebrata, atque ab Electione acceptata, confert huic Jus ad Prælaturam, ita ut absque injuria rejici non possit, et si suæ electionis confirmatio sibi denegetur, potest eam Electus actione instituta petere, eo quod de Jure debeatur, ut cap. *Postquam* 3, *de Election.* et docet amplius Glossa ad Rubricam tituli *de postulat. Prælator.* in 6. (5. Postulatio vero est personæ aliquo defectu, vel impedimento laborantis, ob quod non est eligibilis, ac propterea dispensatione opus habet, ut si quis non sit procreatus de legitimo Matrimonio; cap. *Innotuit* 20. *de Election.* vel quia non habet legitimam ætatem, aut similem defectum patiatur, quem Superior non tenetur dispensative admittere ex justitia, sed solum ad dispensandum cum eo, atque ad ejus admissionem concedendam, quandoque movetur ex gratia, cap. *Bonæ memoriæ* 3, *de Postulation. Prælator.* et Glossa ibi verb. *Gratia.* Unde Postulatio describitur, quod sit alicujus personæ ad Prælaturam, seu dignitatem, Ecclesiasticam erga Superiorem directa petitio, ut eam dispensative admittere dignetur. Est in re communis.

(6. Electio differt a Præsentatione, quia Præsentatio ab uno solo fieri potest, et etiam per litteras, et Electio non nisi a pluribus, et capitulariter congregatis fieri potest; cap. *Nullius* 1, et cap. *Quia propter* 52, *de Election.* Insuper Jus eligendi ad Beneficium Ecclesiasticum non competit Laicis; cap. *Sacrosancta* 51, et cap. *Massana* 56, *de Elect.* bene tamen jus præsentandi, cap. *Quod autem* 5, et cap. *Pastoralis* 29, *de Jurepatronat.* Deinde Electioni correspondet confirmatio. Præsentationi autem institutio per Superiorem facienda, nam Electionem ad Ecclesiam, vel prælaturam de aliquo idoneo canonice, factam tenetur Superior de jure confirmare et Clericum idoneum legitime a Patrono præsentatum tenetur instituere. (7. Unde Præsentatio describitur, quod sit Personæ idoneæ ad Episcopum, vel alium, cui competit institutio, per Patronum legitime facta exhibitio, ut ei de Beneficio vacante provideat. Est in re communis.

(8. Electio differt a nominatione, quia Nominatio fit de pluribus, et Electio de uno solum, ut colligitur ex cap. *Quod sicut* 28, *de Elect.* ibi: « Cum ex prima Electione, quæ facta de tribus dicenda videtur potius Nominatio, nihil juris acquisitum sit Nominatis: » deinde per Electionem, postquam est acceptata, acquiritur jus Electo, non sic autem acquiritur jus Nominato per Nominationem. cit. cap. *Quod sicut* 28, *de Election.* ibi: « Nihil juris acquisitum sit Nominatis: » Insuper Nominatio potest fieri, et fit alternative, Electio autem determinative: Electio quippe fit de uno solum determinate, Nominatio autem solemnis fit de pluribus alternative, ut ex illis Superior, vel hunc, vel illum promoveat; Fagn. in cap. *Bonæ memoriæ* 3, *de Postulat. Prælator.* num. 68. (9. Unde Nominatio solemnis describitur, quot sit illa, per quam duo, vel plures excellentiores nominantur, seu proponuntur Superiori ad hoc, ut unum ex illis admittat, eique de Beneficio providere dignetur; est in re communis. Dicitur autem notanter « Nominatio solemnis, » quia ut advertunt Abbas in cap. *Quod sicut* 28, *de Election.* num. 1. Fagnan. in cap. *Bonæ memoriæ* 3, *de Postulat.* num. 79. Barbosa lib. 1. *Jur. Eccles. univers.* cap. 19, num. 17, et alii passim. (10. Nominatio est triplex, prima est Nominatio consultoria, quæ præcedit Scrutinium, et fit in Collegio aliquos proponendo, ut si digni judicati fuerint, per scrutinium eligantur; et per hanc nullum jus acquiritur Nominatis; cit cap. *Quod sicut* 28, *de Election.* cum per talem Nominationem exprimatur solum consensus de futuro, et tali nominatione non obstante, possint Capitulares eligere alium, ut observant citati Doctores, et docet in dies experientia. Secunda est Nominatio, quæ fit in Scrutinio, quando Electores secreto aliquem in Chartula nominant, juxta cap. *Si quis juste* 46, *de Election.* in 6, et hæc coincidit cum votatione privata singulorum Eligentium, atque exprimit consensum de præsenti, et licet, antequam publicetur talis Nominatio, possit variari, publicato tamen scrutinio, non potest amplius per Electores variari, textu expresso in cap. *Publicato* 28, *de Election.* ibi: « Publicato scrutinio, variare nequeunt Electores. » Tertia est Nominatio illa solemnis, per quam duo, vel tres digniores nominantur Superiori, ut ex illis unum promovere dignetur.

(11. Electio differt a Petitione, quia Electio tribuit Electo ipsam acceptanti jus ad confirmationem, quæ si sibi injuste denegetur, potest eam, actione instituta petere, eo quod ex justitia ei debeatur, ut colligitur ex cap. *Postquam* 3, *de Election.* ac notat Abbas ibid. num. 1, dicens quod confirmatio sit necessitatis, licet Electio a principio fuerit voluntatis. Simplex vero Petitio nullum tribuit jus Petito cum non obstante, quod Plebs, seu populus aliquem petat sibi dari in Prælatum, possit Superior ipsum non concedere. (12. Unde simplex Petitio describitur, quod sit supplicatio, qua Plebs ipsa, seu populus aliquem sibi dari in Prælatum deposcit. Est in re communis, et colligitur ex cap. *Nulla ratio* 1, dist. 62, ibi: « Nec a Plebibus sunt expediti, » etc. Quod Dei timorem 5, *de Statu monachor.* ibi: « Quod jam dicti Parochiani a nobis ratum haberi suppliciter postularunt. »

(13. Electio differt a Collatione, quia per Electionem acceptam acquiritur solum jus ad rem respectu Beneficii, seu Prælaturæ, cum electus ante confirmationem non possit dicere Beneficium esse jam suum, sed solum sibi debitum. Layman lib. 1. *Decretal.* titul. 6, num. 4. Pirhing. ibid. num. 2. Reiffenstuel. ibid. num. 31. Passerin. cap. 33, *de Election.* n. 7, testans hanc de communi;

Digitized by Google

argum. cap. *Super his* 16, *de Accusationibus*. Per Collationem vero Beneficii, quam quis ratam habuit, acquiritur jus in re, et quasi dominium in ipso, licet possessio ipsius nondum acquisita fuerit, ut notat Layman. l. c. n. 4. Garcias cum multis aliis part. 4, *de Beneficiis* cap. 2, num. 1. Reiffenstuel, loc. cit. n. 25, arg. cap. *Si tibi absenti* 17, *de Præbend.* in 6. (14. Unde Collatio libera describitur, quod sit gratuita Beneficii Ecclesiastici vacantis concessio facta ab Episcopo, vel alio habente facultatem. Est in re communis. Dicitur autem notanter « Collatio libera » ad exclusionem Collationis necessariæ. Collatio enim dividitur in liberam, et necessariam. (15. Collatio libera est mox descripta, et dicitur libera, quia licet habens jus conferendi libere Beneficia teneatur hæc intra tempus a Jure præfixum conferre personis idoneis, libere tamen confert cui voluerit ex idoneis. (16. Et hæc collatio libera, seclusa speciali concessione, non potest fieri per Vicarium Generalem Episcopi, cap. final. *de Officio Vicarii* in 6. (17. Neque ipsa transit ad Capitulum, Sede vacante; cap. unic. *de Institut.* in 6. (18. Collatio autem necessaria est ea, quæ fit ex necessitate Juris, videlicet ad præsentationem, nominationem, electionem alicujus, vel ad mandatum Superioris, aut ex causa permutationis Beneficiorum. Glossa in Clement. Unic. *de rerum Permutat.* verb. *Conferantur;* Barbosa tract. *de Appellativa* verbor. Juris significat. appellat. 54. et alii passim. Et dicitur *necessaria*, quia Superior de necessedebet conferre Beneficium ipsimet præsentato, nominato, electo, permutanti, aut provideri mandato, si sit idoneus. (19. Et hæc Collatio potest fieri etiam per Capitulum, Sede vacante, c. *Olim* 14, *de Major. et Obedient*, et c. unic. *de Inst.* in 6.

(20. Forma Electionis est triplex, scilicet Forma Scrutinii, Forma Compromissi, et Forma Inspirationis, textu expresso in c. *Quia propter* 42, *de Elect.* ibi : « Quia propter diversas Electionum formas, quas quidem invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt, et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus, ut, cum Electio fuerit celebranda præsentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio, et fide digni, qui secrete, et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, vel senior pars Capituli consentit; vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore, aliter electio facta non valeat; nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem, absque vitio celebrata. Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverit, eligendi ea vice potestate privetur. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in Electionis negotio Procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debet advocari, justoque impedimento detentus venire non possit, super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento, et tunc, si voluerit, uni committat de ipso Collegio vicem suam. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur. » Ubi vides, quod generaliter reprobantur omnes aliæ diversæ a tribus dictis Electionum formæ, decernendo, quod « aliter facta Electio non valeat. » (21. Hinc Electio per sortes est nulla, utpote facta contra dispositionem irritantem hujus Capitis. *Quia propter*, et talis Electio per sortes in specie reprobatur, et fieri prohibetur etiam in cap. *Ecclesia vestra* 3, *de Sortilegiis*.

(22. Electio per scrutinium est illa, quæ præsentibus omnibus qui debent, volunt, et possunt interesse, fit per Collectionem suffragiorum circa eum in quem major, et senior pars Capituli consentit. Est in re communis, et habetur clare ex citat. cap. *Quia propter*, 42 *de Election.* (23. Ex quo Capite, seu Canone secundum Joann. Andr. ibid. n. 28, quem Doctores communiter sequuntur, teste Fagnano ib. n. 36, colliguntur octodecim substantialia formæ Electionis per Scrutinium. Primum igitur Substantiale est, ut fiat per congregatos in unum. Secundum, ut Scrutatores assumantur a Collegio. Tertium, ut Scrutatores sint tres. Quartum, ut Scrutatores sint de Collegio. Quintum, ut vota singulorum exquirantur secreto. Sextum, ut exquirantur singillatim. Septimum, ut exquirantur vota cunctorum. Octavum, ut vota in scriptis redigantur. Nonum, ut vota in communi publicentur. Decimum, ut publicentur mox. Undecimum, ut fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, et zeli ad zelum. Duodecimum, ut collatio fiat incontinenti post publicationem. Tertiumdecimum, ut fiat communis Electio. Quartumdecimum, ut eadem Electio fiat statim post collationem. Quintumdecimum, ut electio fiat de illo, in quem major, et senior pars Capituli consentit. Sextumdecimum, ut Electio fiat verbalis. Decimumseptimum, ut Electio non sit clandestina. Decimumoctavum, ut prædictorum omnium Ordo servetur. Hæc apud Fagnan. in d. cap. *Quia propter*, ubi late a n. 37, usque ad n. 66, inclusive. Vide etiam Reiffenstuel. lib. 1, *Decret.* tit. 6, n. 146, ubi docet quod non valet Electio celebrata a saniori parte Capituli, nisi ea etiam sit major; cap. *Cumana* 50, *de Elect.* et ibi Communis Doctorum.

(24. Electio per Compromissum illa est, quæ fit, quando Capitulares præsentes facultatem eligendi in unum vel plures idoneos viros conferunt, qui vice omnium eligant. Est in re communis; et habetur clare ex d. c. *Quia propter*, et concordat c. *In causis* 30, *de Elect.* (25. Ad faciendum Compromissum pro Electione requiritur consensus omnium Vocalium, ita ut unius dissensus Compromissum impediat, et Electio aliter facta non valeat; cit. cap. *Quia propter*, ibi : « Qui vicem omnium... Aliter Electio facta non valeat. » Ita Glossa ibid. verb. *Vice*

Digitized by Google

omnium, et Doctores communiter, teste Abbate ib. § *Vel saltem* n. 2 et 6. (26. Compromissum pro Electione potest fieri etiam in unum solum, quamvis ipse non sit de Collegio, arg. cap. *Causam* 8, *de Election.* ubi Moniales compromiserunt pro Electione Abbatissæ in Episcopum, qui erat solus, et non de Collegio. Glossa ib. verb. *Contulerint*, et Glossa communiter recepta in cit. c. *Quia propter*, verb. *Viris*. (27. Compromissum non potest fieri in Laicum; cap. *Contingit* 8, *de Arbitris*, cap. *Decernimus* 2 *de Judiciis*. (28. Unus compromissarius nequit eligere seipsum; arg. cap. *Cum ad nostram* 7, *de Instit.* ubi statuitur, quod nemo potest instituere semetipsum in Beneficium, addita ratione, « Cum inter dantem, et accipientem debeat distinctio personalis, » cap. *Per nostras*. 26, *de Jure patronat.* ubi statuitur, quod nemo potest præsentare seipsum ad Ecclesiam, etiam de suo Jure patronatus, ibi: « Nullus se potest ad Personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcumque idoneus sit. » Sic Glossa communiter recepta in cap. *Cum in Jure* 33, *de Election.* verb. *Ex se, vel aliis*. « Quia, dicit ipsa, Nemo debet oriri a se ipso, » cap. *In scripturis* 9, caus. 8, q. 1, cum similibus: (29. Si Compromissarii sint plures, possunt ii aliquem ex se ipsis eligere, quamvis in Compromisso id non sit expressum, dummodo non fuerit expresse prohibitum; sic Abbas cit. cap. *Cum in jure*, n. 4, ubi pro hac sententia allegat Innocent. Hostiens. et quasi communem aliorum, et hanc tenent novissime Pirhing. lib. 1. *Decretal.* tit. 6, n. 22. Reiffenstuel. ib. num. 99. Engel. num. 21. Sanigh. cap. 4, n. 24. Passer. cap. 22, *de Elect.* n. 4, et alii. (30. Compromittentes tenentur recipere electum a Compromissariis, c. *Causam* 8, *de Elect.* et communis Doctorum. (31. Dummodo tamen servata fuerit forma Compromissi, quia, si Compromissarii terminos potestatis sibi traditæ non servaverint, non valet electio inde secuta, cap. *Cum dilectus* 23. et cap. *Cum in veteri* 52, *de Elect.* (32. Electio per Inspirationem est illa, quæ fit per veram Dei revelationem, qualis inter alias fuit electio S. Nicolai, S. Ambrosii, et S. Severi, de quibus fit mentio in cap. *Statuimus* 8, dist. 61, ibi: « Beatus Nicolaus ex Laico electus est in Episcopum. Beatus Severus ex Lanificio assumptus est in Archiepiscopum. Beatus Ambrosius, cum nondum esset baptizatus, in Archiepiscopum est electus. » (33. Electio autem per quasi Inspirationem est illa, qua Electores omnes quasi per Inspirationem Spiritus Sancti concorditer moti, nullo præcedente tractatu, communiter uno corde, et ore in eumdem consentiunt. Est in re communis, et habetur clare in c. cap. *Quia propter* 42, *de Electio.* ibi: « Aliter Electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per Inspirationem absque vitio celebrata. (34 Ubi adverte, quod notanter ibi dicitur « absque vitio celebrata, » quia requiritur, ut talis Electio sine ullo vitio Simoniæ, requisitionis, subornationis, et consensus extra Capitulum ante Electionem dati, atque ab omnibus, et singulis libere, et concorditer uno corde, et ore consentientibus fiat, aliter non esset Electio quasi per Inspirationem celebrata, arg. cap. *Per inquisitionem* 26, et cap. *Post petitam* 46, *de Elect.* (35. Hinc electus ac clamorem populi non debet per Superiorem confirmari, ut statuitur in cap. *Osius* 2, *de Election.* ibi: « Cum sit manifestum potuisse plures eorum, qui sinceram fidem non habent, præmio, et mercede corrumpi, ut clamarent in Ecclesia, et ipsum petere viderentur, omnino fraudes has damnandas esse arbitror. » Unde, ubi subest suspicio fraudis, non est censenda Electio facta per quasi Inspirationem

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(36. Formam electionis a notissimo cap. *Quia propter*, *de Elect.* præscriptam, de qua agit Auctor a n. 20, locum non habere nisi quod Beneficia, ex quorum vacatione propriis Pastoribus viduatæ remanet Ecclesiæ, post alios firmavit Rousseud de la Combe in sua *Jurisprud. Canonica* verb. *Electio*, n. 10, et respondit Rota coram Caprar. decis. 558, n. 1, et dec. 593, pariter n. 1. (37. Quod vero concernit cætera Beneficia, nisi forma electionis determinata sit statuto, vel consuetudine Ecclesiæ, de qua agitur, *sufficit*, ut inquit Rota cor. Caprar. dict. dec. 558, n. 2, « Consensus naturalis, sive verbis, sive factis explicatus, » et adamussim convenit cum mox dicta decis. 593, n. 2

(38. In electione autem facienda servata forma dict. cap. *Quia propter*, is, qui a medietate capitularium electus est, nequit accedere electioni sui ipsius ad constituendam pluralitatem ipsorum capitularium; (39. potest vero accedere in impropria illa electione, in qua non est servanda forma, dict. c, *Quia propter*; Cardin. de Luc. *de Canonic.* discurs. 26, n. 6, et seq. Optime Louvrex *Dissert. canonic.* 7, n. 44, et plur. sequent. ubi n. 45. « Ratio est (ait) quia vota secreta danda sunt, et ante publicatum scrutinium, et consequenter accessio publicato scrutinio facta nihil operari potest, non solum quia in formam, cap. *Quia propter* peccatum est, sed etiam quia se ipsum eligere videtur, qui dum ignorat, an alii ipsum electuri sunt, sibi ipsi votum dat, quod omnino prohibitum est, prout in terminis decisum reperitur in c. *Cum* 5, *de Elect.* quod tamen limitat Tondut. qu. *Benefic.* part. 1, c. 82, n. 7, nisi duo tantum supersint Canonici, quia quum forma cap. *Quia propter* non possit tunc servari, alter electioni per alterum de se factæ accedere posset. Sed in electionibus, in quibus scrutinium formalitatesque illæ non requiruntur, seu in quibus vota publice dantur, electus a medietate capituli electioni de se factæ accedere non prohibetur. »

(40. Pariter in electione, in qua locum sibi vindicat forma c. *Quia propter*, post publicationem nequit major pars capituli accedere minori parti capituli, ut accedere indubie valet in electione, in qua non est necessaria forma cap. *Quia propter*. Louvrex dict. *dissertat. Canon.* 7, num. 49, et duob. sequent. Rot. car. Caprar. dict. dec. 557, a num. 3, ad

Digitized by Google

fin. ubi n. 7, et duob. sequent. « Non obstat (inquit) quod electio a principio nulla non possit convalidari etc. tum quia procedit hæc regula in electione facienda ad formam cap. *Quia propter* secus vero in electione impropria, quia quum ista perficiatur ex simplici consensu naturali, satis est quod iste capitulariter superveniat sive ex verbis, sive ex factis etc. tum etiam quia posito quod electio reconvalidetur vigore novi consensus, et nunc non confirmatur quod nullum est, sed potius inducitur novus consensus electionis: » et d. decis. 593, pariter a n. 3, ad finem.

(41. Præterea in electione, in qua locum habet forma cap. *Quia propter*, nequit extraneus de consensu capituli admitti ad eligendum, potest tamen in alia electione: Louvrex *Dissert. Can.* 6, num. 25.

(42. Ad hæc in electione, quæ fieri debet juxta cap. *Quia propter*, locum esse nequit compromisso limitato, potest vero esse locus in alia electione; Louvrex *Dissert. Canon.* 6, num. 16. Rot. in recent. decis. 312, num. 53, et sequent. part. 4, tom. 2. Limitatum autem compromissum dicitur, si (ut ait Louvrex loco citat. num. 16.) « ita compromissum sit, ut compromissarii vota singulorum scrutentur, et exquirant, illumque eligant, in quem major, et sanior pars capituli censerit. »

(43. Usum denique sortis in electione facienda ad formam cap. *Quia propter*, prohibitum esse, non est quod dubitari possit, quum non alia admittatur forma, quam illa quæ fit, vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem. (44. Accedit quod Honorius III, in hac electione facienda ad formam, c. *Quia propter*, expressum veluit usum sortis, ut perspicuum est ex c. *Ecclesia*, *de Sortileg.* Quæstionis vero est, an idem obtineat in aliis electionibus. (45. Quoad electiones, quæ fieri dicuntur a Patronis laicis ubi jure Collegii præsentant, scissi inter se sunt Doctores. Negant usum sortis esse prohibitum Piton. *Controvers. Patronor.* allegat. 10, a num. 4, ad plur. sequent. ubi n. 22. quod præsertim procedere debeat negativa hæc opinio, in casu in quo per suffragia duo fuerunt electi, sed neutrius electio conclusa remansit ob reiteratam paritatem votorum. Rota in recent. dec. 459, n. 25, part. 19, tom. 2. Prohibitum vero esse usum sortis affirmant Fagnan. in c. *Quia propter* n. 2, *de Elect.* Passerin. *de Elect.* cap 18, n. 8. Rot. cor. Ansald. decis. 95, n. 10, cor. Herrer. decis, 94, num. 4. (46. At novissime idem sacrum Tribunal Rotæ in Pampilonen. Abbatiæ de Turre 22. Martii 1748, cor. Illustrissimo Clemente impress. Romæ 1781, apud Barbiellini quæstionem in genere definire nequit, ut patet ex sequentibus verbis § 9. *Ut autem de hac quæstione sit;* sed ex peculiaribus ejus circumstantiis improbavit electionem a Patronis laicis per sortes factam.

ARTICULUS II.

Electio quoad illos, qui possunt, vel non, eligere et eligi.

(1. De Jure communi Jus eligendi Prælatum spectat ad Capitulum, seu Collegium cujus Prælatus est eligendus; cap. *Nullus* 1, cap. *Cum terra* 14, *de Election.* cap. ult. caus. 16, quæst. 7, cum similibus. (2. Et hoc Jus diu in Ecclesia duravit, et etiam nunc in plerisque Ecclesiis, præsertim in Germania, ubi Collegium Canonicorum Cathedralium Episcopos, vel Archiepiscopos eligit, et electi a Romano Pontifice confirmantur. In aliis vero Regnis, ut in Gallia, Hispania, Lusitania, Polonia, etc., ipsi Reges ex privilegio Apostolico Episcopos nominant, et præsentant ab ipso Summo Pontifice instituendos: et in multis locis Italiæ ipsemet Summus Pontifex nominat, et instituit, ex quo sibi reservaverit provisiones omnium Ecclesiarum Patriarchalium Archiepiscopalium, et Episcopalium in *Extravagant. Ad regimen*, *de Præbend.* et generaliter, et simpliciter soleat quilibet Summus Pontifex in initio sui Pontificatus talem reservationem facere quoad omnes Ecclesias vacantes, vel vacaturas, tam apud Sedem Apostolicam, quam extra Curiam, ut patet in 2 et 3, *Regula Cancellariæ*, exceptis tamen supradictis Regnis, aliisque Privilegiatis per specialia concordata.

(3. Jus eligendi Prælatum, quamvis ex dictis de Jure communi competat ad Capitulum, seu Collegium, cujus Prælatus est eligendus, potest tamen, tum ex privilegio, tum ex consuetudine legitime præscripta, acquiri etiam ab aliis Clericis extraneis, cap. *Cum Dilectus* 8, *de Consuetudine*, et cap. *Cumana* 30, *de Election.* et Communis Doctorum. (4. Immo possunt ipsimet Capitulares, seu Collegiales Electores de communi omnium consensu communicare Clericis extraneis facultatem eligendi, sive secum coeligendi. Possunt enim Electores totam potestatem eligendi transferre in Compromissarios, etiam extraneos, ut cap. *Causam* 8, cap. *In causis* 30, et cap. *Quia propter* 42, *de Election.* ergo a fortiori poterunt de communi omnium consensu communicare potestatem aliquibus Clericis idoneis, ut secum eligant, ut factum fuisse pro electione Patriarchæ Constantinopolitani habetur in cap. *Scriptum est* 40. *de Election.* (5. Si unus solus de Capitulo, seu Collegio remaneat, et aliis mortuis, privatis, suspensis, interdictis, vel excommunicatis, aut a Societate recedentibus, ille solus poterit eligere alium in Prælatum totius Collegii. Glossa in cap. *Gratum* 2, *de Postulat. Prælat.* Pirhing. lib. 1, tit. 6, num. 12. Donatus *Præx. Regular.* tom. 2, tract. 2, quæst. 10. cum aliis pluribus, quos allegat, et sequitur Passerin. *de Election.* cap. 10, quæst. 1, num. 6. Collegii enim, seu Universitatis Jus propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una persona. Glossa in l. *Neratius*, ff. *de verborum significat.* et l. sicut ad fin. ff. *Quod cujusque univers. non.* et Glossa in cit. cap. *Gratum* 2. *de Postulat. Prælatorum*, verb. *Pauciores.* Pirhing loc. cit. et alii passim cum Barbosa lib. 1. *Juris Ecclesiast. univers.* cap. 19. num. 46. (6. Non posset tamen ille eligere seipsum, arg. cap. *In Scripturis*

Digitized by Google

9, caus. 8, quæst. 1, cap. *Cum ad nostram* 7, *de Institut.* c. *Per nostras* 26, *de Jurepatr.* et Glossa communiter recepta in c. *Cum in jure* 33, *de Elect.* verb. *Ex se, vel aliis.* Vide *art. antecedent.* num 28, etc. (7. Eligere non possunt, quamvis sint de numero Eligentium : Primo Pupilli, et impuberes, hoc est Minores 14. annis, si sint masculi, vel 12. annis, si sint feminæ, quia pleno usu rationis, seu discretione carent, textu expresso in cap. *Ex eo* 32, *de Election.* in 6. (8. Secundo, ob eamdem rationem prohibentur eligere Furiosi, et mente capti, quamdiu durat amentia. Glossa in cit. c. *Ex eo*, verb. *Discretione.* Tholosan. *de Election.* cap. 8, n. 2. Pirhing. loc. cit. n. 26, et alii passim (1). (9. Tertio, prohibentur eligere Excommunicati excommunicatione majori; c. *Constitutis* 23, *de appell.* et Glossa ibid. verb. *Majoris.* (10. Quarto, eligere non possunt suspensi ab Officio, et Beneficio simul, vel etiam ab Officio tantum; cap. *Cum dilectus* 8, *de Consuetudine*, et Glossa ibid. verb. *A suspensis*, et cap. *Cum inter* 16. § fin. *de Election.* (11. Non prohibentur tamen eligere suspensi a Beneficio tantum; quia isti adhuc possunt exercere omnia negotia, tam spiritualia, quam temporalia, cum sint suspensi tantum a Jure percipiendi fructus Beneficiales. Glossa in cap. *Cum Vintoniensis*, 25, *de Election.* verb. *Admiserant*, et Abbas ibid. num. 10. Suarez tom. 5, *de Censuris* disp. 27, sect. 2, num. 34. Passerin. loc. cit. num. 91, et sequent. Pirhing loc. cit. num. 30. Reiffenstuel lib. 1, *Decretal.* tit. 6, num. 170, et alii contra Navarrum, et alios. (12. Quinto, eligere non possunt personaliter Interdicti; cit. cap. *Cum inter* 16, *de Elect.* et Communis Doctorum. (13. Sexto, eligere non possunt Irregulares; cap. *Is*, qui 18, § final. *de Sentent. excom.* in 6, ibi : « Qui nec ad eligendum cum aliis debebit admitti » et ibi Ancharanus, Silvester verb. *Electio* 1, § 4. Angelus verb. *Electio* num. 8. Azor. *Instit. moral.* part. 2, lib. 6, cap. 5, § 3. num. 48. Reiffenstuel loc. cit. num. 172, et alii. (14. Requiritur tamen, quod isti Irregulares, sicuti et excommunicati, suspensi, et interdicti sint nominatim denuntiati, alioquin eligere poterunt juxta *Extravag. ad evitanda* in Conc. Constantiensi a Martino V. editam (1).

(1) Dubitari posset an unus excommunicatus aliorum electionem irritam reddat? Regula generalis est, quod utile per inutile non vitiatur cap. 37. *de Reg. jur* in 6. Nihilominus distinguendum est aut certus est eligentium numerus, et tunc cum omnium requiratur consensus, per unius excommunicationem, cum ipsius deficiat consensus, irrita videtur remanere electio : aut nullus præfinitus est eligentium numerus, tunc indistincte valet. Prima tamen distinctionis pars intelligenda est nisi pro parte stet sufficiens eligentium numerus, adeo ut demptis etiam excommunicatis, major numerus ex una parte remaneat. Zoes. in *Decretal.* lib. 1. tit. 6. n. 8. Quod si voluntarie admissi sint excommunicati, tunc nullo modo subsistit. Innocen. in cap. *Illa de electione Abbas* ibid. n. 7. et in cap. fin. n. 6. *de Procurator.* Quid si excommunicatus sit toleratus? Hoc casu probabilior eorum videtur opinio, qui tenent, neminem cum ipso communicare prohiberi, ideoque ejus acta, et electionem sustineri. Navar. in sum. cap. 27. n. 7. Lovar. in cap. *Alma mater de excommunicat.* p. 2. § 7. n. 9. et idem dicendum potiori jure de excommunicato occulto, cum nemo ab errore detrimentum ferre non debeat per l. Barbarinus 3. *ff. de offic. Prætor.* Hoc tamen in Cardinalibus speciale est, ut licet sint excommunicati, nequeant tamen a Summi Pontificis electione repelli. Clementin. lib. 1. tit. 3. cap. 2. § *Cæterum* 4. Quæ sententia anno 1621. fuit a Gregorio XV. confirmata per novam constitutionem. *Æterni Patris*, inter suas juxta Bullar. Typis Mainard. t. 5. part. 4. p. 402. coll. 2. Bulla 41. § 22. usque ad fin. (Edit. Barbiell.)

(2) Ut nihil desiderari possit ad cumulatissimam hujusce argumenti, quod hic eruditissime versat Auctor noster, tractationem, ob oculos quoque habenda erit celebris illa Decretalis : *Si celebrat*, quæ auctorem habet Gregorium IX. Pontificem, relata in Cap. final. *de Cleric. Excommunic. ministrante*, ubi minoris excommunicationis laqueo irretiti, a jure eligendi haud decidere declarantur. « Si celebret (verba sunt laud. Cap.) ligatus minori Excommunicatione, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione jurisdictionis sibi competunt exercere. » Quamvis enim minoris excommunicationis censura privet participatione Sacramentorum, quæ in sola perceptione consistit, et omni eo, quod ad ipsam pervenitur; uti esset passiva electio ad beneficium, quæ si in personam hujusmodi excommunicatam minori excommunicatione incidet, erit irritanda; ut in *laud. Cap.* decernitur; jus tamen eligendi, omniaque alia quæ meræ jurisdictionis sunt, quæque ratione ipsius iisdem competunt, hujusmodi excommunicatis non aufert. Vide Suaresium *de Censur. disputat*, 24. sect. 2. numer. 4. Cl. Gonzalez. in Notis ad laud. Cap. *Si celebret*, et Pontas verb. *Electio* cas. 5.

Atque hic profecto, pro data opportunitate explicandum nobis occurrit Cap. *Illa quotidiana* 39. *de Elect.* etc. quod Innocentii III Responsum est, quodque propositæ nostræ doctrinæ refragari videtur. Cuidam electioni quidam interfuerant minori excommunicatione innodati, quam quidem electionem confirmavit auctoritate Apostolica Innocentius III. postquam suæ potestatis plenitudine suppleverat defectum in illa electione enatum ex interventu eorum, qui hujusmodi censura minoris excommunicationis tenebantur; uti patet ex illis verbis : « Supplentes de plenitudine potestatis, si quis in ea ex eo fuisset defectus, quod quidam interfuerunt electioni eidem, qui ex sola participatione in simplicis excommunicationis laqueum inciderunt. » Ejusmodi igitur electio jure non subsistebat. At si recte perpendantur verba laud. Cap. nihil hujusmodi inde consequetur, quod propositam nostram doctrinam vel leviter labefactare possit; siquidem id præstat *ex superabundantia, non ex necessitate;* ut qui de illius electionis validitate subdubitare videbantur, cujusvis dubitationis caligine abstersa, eidem suum accommodare consensum nihil penitus formidarent; quando quidem, nihil obstante prædicto defectu, fuerat auctoritate Apostolica confirmata. Quod quidem ex ipsis verbis sat aperte colligitur. Cæterum ipse idem Pontifex testatus est memoratam *electionem canonicam extitisse*, atque juxta Canonum præscripta peractam fuisse. Lege Eximium Suaresium *de Censur. laud.* disput. 24. sect. 2. n. 13. et Gonzalez *Comment. in laud.* Cap. *Illa Quotidiana.* Secus vero dicendum de iis, qui majoris excommunicationis vinculo sunt irretiti, uti recte docet Cl. Auctor noster; excepta tamen Romani Pontificis electione, de qua peculiariter sancitum occurrit : ut nullus Cardinalium cujuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti prætextu a dicta valeat electione repelli. Clementin. Ne

Digitized by Google

(15. Septimo, eligere prohibentur infames infamia juris. Glossa in c. *Ut circa* 4, *de Election.* in 6, verb. *Eligentium*, Suarez *de Censuris* disp. 48, sect. 3, num. 2. Reiffenstuel loc. cit. num. 173, et alii; dummodo tamen sint infames sententiati, sive declarati, ut notant Donatus in *Prax. Regular.* tom. 2, tract. 5, quæst. 20, num. 5, Passerin. l. cit. cap. 10, num. 145, et alii. (16. Octavo, eligere non possunt ad Dignitates, et Prælaturas Ecclesiasticas Laici sæculares; cap. *Nullus* 1, cap. *Non est* 6, cap. *Non licet* 8, et cap. *Nosse* 12, dist. 63, cap. *Contingit* 8, *de Arbitris*, c. *Decernimus* 2, *de Judiciis*, cap. *Sacrosancta* 15, *de Election.* Et Electio Episcopi per Laicos, etiam cum Canonicis facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela; textu expresso in c. *Massana* 16, *de Election.* (17. Nono, eligere non possunt in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, qui nondum sunt constituti in Ordine Subdiaconatus. Clement. *Ut is*, qui 2, *de Ætat. et qualit. præficiend.* Concil. Trident. sess. 22, cap. 4, *de Reform.* (18. Decimo, qui scienter elegerunt indignum, pro ea vice eligendi potestate privantur, et eorum electio cassatur ipso Jure; cap. *Cum in cunctis* 7, § *Clerici*, cap. *Cum Vintoniensis* 25, c. *Scriptura* 40, *de Election.* et cap. *Perpetuo* 7, eodem in 6 (1). (19. Undecimo, qui per abusum Potestatis sæcularis elegerunt, ipso Jure privati sunt potestate eligendi; cap. *Quisquis* 43, *de Election.* (20. Duodecimo, eligere pro illa vice non possunt, qui intra tempus statutum eligere neglexerunt; cap. *Ne pro defectu* 41. *de Election.* cap. *Quamquam* 18, eod. in 6.

(21. Eligi solum possunt, qui habent qualitates a Jure requisitas, et præcipue litterarum scientiam, ætatis maturitatem, et morum honestatem; c. *Cum in cunctis* 7, § 1, *de Election.* (22. Scientia est triplex, scilicet eminens, mediocris, et sufficiens. Scientia eminens est illa, per quam quis statim, et prompte absque revolutione librorum scit casus etiam difficiles, et subtiles resolvere. Scientia mediocris est illa, per quam quis resolvit quidem casus etiam difficiles, at non statim, et prompte, sed cum tempore, et revolutione librorum. Scientia sufficiens est illa, per quam quis sufficienter explere potest ea, quæ suo muneri incumbunt. (23. Et hæc scientia sufficiens mensuranda est juxta qualitatem loci, ubi eligendus habet vivere et juxta qualitatem Officii, et Ecclesiæ ad quam debet quis eligi; arg. c. in causis 30, § fin. *de Elect.* (24. In eligendis ad Prælaturas, atque Officia Ecclesiastica quamvis desideranda sit scientia eminens, adhuc tamen mediocris, immo et sufficiens toleratur: cap. *Cum nobis* 19, *de Elect* et cap. *Nisi cum pridem* 10, § *Pro defectu, de Renuntiatione*, ubi sic expresse habetur: « Quamquam etsi desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen sit competens toleranda, quia secundum Apostolum scientia instat Caritas autem ædificat, et ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio Caritatis. » (25. Quoad ætatis maturitatem; *Vide* verb. *Ætas*: et quo ad morum honestatem patebit ex mox adducendis, qui defectu morum, et honestatis, aliarumque qualitatum non possunt eligi.

(26. Eligi non possunt: Primo, Infames tam Infamia juris, quam Infamia facti; cap. *Qui in aliquo crimine* 5. dist. 51. c. *Infames* 17. caus. 6. q. 1. ubi postquam dictum fuit, fures, sacrilegos, incestuosos, homicidas, perjurios, raptores, maleficos, adulteros, et alios ibidem enumeratos de jure infames esse, subjungit textus: « Hi omnes, inquam, nec ad sacros Gradus debent provehi; » et cap. *Infamibus* 87. *de Regulis Juris* in 6. ibi « Infamibus portæ non pateant dignitatum. » (27. Hoc tamen procedit solum de infamibus sententiatis, sive declaratis, ut advertunt Donatus in *Praxi rerum Regul.* tom. 2. tract. 5. quæst. 10. num. 3. Passer. loc. cit. c. 10. num. 145. Reiffenstuel loc. cit. num. 227. arg. cap. *Ex tenore* 4. et cap. *Quæsitum* 17. *de temporib. Ordinat.* et arg. cap. *Licet Episcopus* 23, *de Præbend.* in 6. et cap. *Cum secundum* 19. *de Hæretic.* in 6. (28. Secundo, eligi non possunt Excommunicati Excommunicatione majori; c. *Postulastis* 7, *de Cleric. Excommunic. ministr.* et concordat c. *Si celeb.* 10, eod. tit. et c. *Cum. dilectus* 8, *de Consuet.* (29. Nullus quoque minori Excommunicatione ligatus est eligendus, et quamvis electio de tali scienter facta, non sit ipso jure irrita, est tamen per sententiam Judicis irritanda, textu expresso in cit. cap. *Si celebrat.* 10, *de Cleric. Excommun. ministr.* ibi: « Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda. » (30. Tertio, eligi non possunt suspensi, sive a Jure, sive ab homine; c. *Cum Dilectus* 8, *de Consuetud.* c. *Cum inter* 16, *de Election.* (31. Quarto, eligi non possunt personaliter Interdicti, c. *Ad hoc* 1, *de Postulat. prælat.* cap. *Inter* 16, *de Elect.* c. *Is qui* 19, *de Sentent. excom.* in 6. (32. Quinto, eligi non possunt Irregulares, cit. cap. *Is qui* 18, *de sent. excommun.* in 6, et concordat c. *Præcipimus* 10, dist. 34, et c. *Non confidat* 59, dist. 50.

(33. Sexto, qui semel ob vitium personæ sunt rejecti, non possunt amplius eligi, nisi sint specialiter restituti; c. *Super eo* 12. *de Election.* (34. Septimo, eligi non possunt ad Dignitates, et Prælaturas Regulares pœnitentiati a S. Officio, quamvis pœnitentias compleverint, ut constat ex sequenti Decreto

Romani 5. § *Cæterum. De elect. Vide* laud. Suarez. loc. cit. n. 19. et Gonzalez *Comment. in laud.* Cap. *Illa quotidiana.*

(1) Quin ignorantiam allegare valeant ubi enim quis indignus ab aliquo detegitur electus, ab eodem id scienter factum præsumitur Zoes, in *Decretal.* lib. 1. tit. 6. n. 19. licet contrarium sentire in alio casu videatur. Moline. *de Primogenit.* lib. 2. cap. 4. num. 48. eo quia nemo præsumendus sit in dolo esse.

Ulterius taliter indignum eligentes iis privantur per triennium beneficiis in ea Ecclesia, quam tali electione offenderunt cap. *Eum in cunctis* 7. § *Clerici* 3. *de Electione*, et *Elect. potest.* « Clerici sanes in contra formam istam quemquam elegerint et eligendi tunc potestate privatos, et ab Ecclesiasticis beneficiis noverint triennio se suspensos. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

edito 1 oct. 1626. « in Generali Congr. S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII. et Illustrissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a S. Sede specialiter deputatis, Sanctissimus D. N. justis de causis animum suum moventibus decrevit, et statuit, ut in posterum Regulares omnes cujuscumque Ordinis, Religionis, Societatis, et instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, et officia inhabiles censeantur, et deinceps (etiamsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a S. D. N. vel ab hac Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda, speciali et expressa rehabilitatione; alias promotio quælibet nulla sit, et promoventes ipsi privationem suorum Officiorum, ac præterea vocis activæ, et passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sac. Congr. coram Sanctitate sua habenda non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandavit idem S. D. N. »

THOMAS de FEDERICIS, *S. R. ac Universalis Inquisitionis Notarius substitutus*.

(35. Hinc nequit eligi ad Prælaturas Regularis ille, qui abjuravit in Sancto Officio, etiamsi de levi; Regulares enim, quibus aliqua pœna imposita est a Sancto Officio, salutaribus tamen pœnitentiis exceptis, ex cit. Decr. Urb. VIII. redduntur inhabiles ad omnes gradus et Officia; abjuratio autem, etiamsi sit de levi, est pœna, quæ per sententiam debet fieri, ut constat ex stylo Generalis et Universalis Sanctissimæ Inquisitionis Urbis, ut testantur Carena, tract. *de Officio SS. Inquisitionis* part. 3. tract. 12. *de Abjurat*, § 4. num. 11. Pegna. *Com.* 41. 3. part. *Director. Inquisit.* sub tit. *de quinto modo terminandi processum* num. 166. lit. D. Diana par. 4. tract. *de Of. et potest. Inquisit.* resol. 64.

(36. Septimo, eligi non possunt Hæretici, textu expresso in cap. *Quicumque* 2 § *Hæretici, de Hæreticis* in 6. ibi: « Hæretici autem, Credentes, Receptatores, Defensores, et Fautores eorum, ipsorumque Filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium publicum admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, et inane. » (37. Sic nec etiam Schismatici; arg. c. *Quia diligentia* 5, *de Elect.* ubi electio Schismatici ad unionem Ecclesiæ redeuntis dispensative solum permittitur confirmari; Abbas ibid. n. 1. Barbosa ib. n. 2, et alii passim. (38. Octavo, eligi non possunt in Episcopos Neophiti; c. *Prohibentur* 2, dist. 48, ibi: « Prohibentur autem Neophyti in Episcopos ordinari, ut qui heri erat Cathecumenus, hodie non fiat Episcopus, qui heri erat in Theatro, hodie non sedeat in Ecclesia, qui vespere erat in Circo, hodie non ministret Altari; qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator Virginum. Causa autem hujus prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam, tamquam Religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam Diaboli. » (39. Nono eligi non possunt spurii, et illegitimi; c. *Cum in cunctis* 7, *de Elect.* et ibi Glossa communiter recepta verb. *Matrimonio*. (40. Decimo, eligi non possunt Laici, qui enim nec dum sunt Tonsurati, sunt inhabiles ad quodlibet Beneficium, ita ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; arg. c. *Ex literis* 6, *de Transaction.* et notat Glossa fin. et Abbas ibid. Aliter electio facta in personam Laici nondum Tonsurati, ipso jure est nulla, cum Laicus fit incapax omnis juris Ecclesiastici, c. *Causam* 7, *de Præscriptionib.* c. *Cum adeo* 17, *de Rescriptis*, c. *Contingit* 8, *de Arbitris*, c. *Decernimus* 2, *de Judiciis*, c. *In Ecclesia* 2, *de Institution.* (41. Undecimo, eligi non possunt Bigami, servi, et hujusmodi; arg. c. *Infames* 17, caus. 6, q. 1, ibi enim tales, aliique similes prohibentur promoveri ad sacros Ordines, unde a fortiori debent prohiberi promoveri ad Ecclesiasticas Dignitates, et Prælaturas (1).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(42. De materia hujus articuli late æque egregie disserit Louvrex *Dissert. Canon.* 5, per tot. Eum, ubi res postulat, consule. Hic vero non est prætereundum, quod Canonici tum Cathedralium, tum Collegiatarum, tametsi sint de capitulo, non aliter jus eligendi habent, quam si in sacris sint constituti, ut sancitum est in c. *Ex eo* § *An Ecclesiis, de Elect.* in 6, et in Clementina *Ut ii, de Ætat. et qualit.* et innovatum est a Concilio Trid. sess. 22, c. 4, *de Reform.*

(43. Nota vero, quod necesse haud est, ut de tempore vacationis Beneficii Canonici in sacris sint constituti, sed satis est, si de tempore electionis constituti sint in sacris. (44. Idque etiamsi ex dispensatione Pontificia ordinati sint ante ætatem ordinariam; Louvrex *Diss. Canon.* 5, n. 8, et seq. Barb. *de Canon.* c. 86, n. 3. Tambur. *de Jur. Abb.* tom. 1, disp. 5, quæst. 8.

(45. Utrum vero jus eligendi habeat Canonicus proprietarius, an vero Canonicus possessor; (46. tum an jus eligendi habeat Canonicus post Canonicatus resignationem, vel vacante Canonicatu per alterius incompatibilis assecutionem, expendit Louvrex dict. *Dissert. Canonic.* 5, a num. 10, ad plur. sequent.

(1) Controversum est inter Doctores an habens filios sive legitimos sive illegitimos possit ad Ecclesiasticas dignitates promoveri. Utramque opinionem expendit. Zoes. in *Decretal.* lib. 1. tit. 7. n. 38, et 39 et non efficere concludit. (EDIT. BARBEL.)

Digitized by Google

(47. Pacifica haud est opinio Auctoris n. 13, et seq. quod interdicti, et irregulares haud possint eligere. Consule inter alios Zoes. in *Decr.* lib. 1, tit. 6, n. 16, et seq. (48. Pro opinione vero Auctoris est Passer. *de Elect.* c. 10, n. 99, et plur. seq.

(49. Admissio excommunicati ad eligendum, an irritam reddat electionem, vide apud Zoes. *Decretal.* dict. lib. 1, tit. 6, n. 8, et seq.

ARTICULUS III.

Electio quoad ea quæ concernunt electores. (1. Electores habentes legitimum jus ad suffragandum, sive sint absentes, sive præsentes, vocandi sunt ad electionem novi Prælati : c. *Cum inter universas* 18, c. *Coram Dilecto* 35, et c. *Quia propter* 42, *de Election.* (2. Si tamen sint nimis distantes, non sunt de necesse vocandi; cap. *Cum inter universas*, ibi : (3. « Quamvis Ecclesiastica Constitutio non exigat, ut ad electionem Pastoris, Canonici tam remoti vocentur. » Quænam autem requiratur distantia sufficiens pro ipsis non vocandis standum est specialibus consuetudinibus, et Constitutionibus, ut colligitur ex cap. *Quod sicut* 28, *de Elect.* et sufficit ut commode vocari non possit, sive sit in Provincia, sive extra; ad finem enim citandi absentes sola commoditas attendenda est, juxta cit. cap. *Quod sicut*, et c. cit. *Quia propter*. Donat. in *Prax. rer. Regul.* tom. 2, tract. 4, q. 15, n. 1. (4. Electores vocati non possunt cogi ad interessendum, nisi agatur de magno præjudicio Ecclesiæ; cit. c. *Quod sicut;* et cit. c. *Quia propter* 42. *de Elect.* ibi : « Qui debent et volunt, et possunt commode interesse. » (5. Electores absentes, et legitime impediti possunt eligere per Procuratorem, textu expresso in cit. c. *Quia propter* 42. *de Elect.* ibi : « Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio Procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit; super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento, et tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. » Et clarius habetur in cap. *Si quis* 46, *de Elect.* in 6, ibi : « Si quis justo impedimento detentus in electionis negotio nequeat commode interesse, potest nedum uni, prout dicitur in Concilio Generali, » (idest in cit. cap. *Quia propter*) « sed et pluribus committere suas vices, dum tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem, et erit tunc melior conditio occupantis. Verum si ambo concurrant insimul, et postulent se admitti, audiri eos non expedit, quia possent vota sua dirigere in diversos, sicque res non haberet exitum, et quod ab eis hoc casu fieret, non valeret, sed is admittatur dumtaxat, quem Capitulum, vel pars major elegerit; vel si concordare nequeant, is qui primo in Instrumento, vel Litteris procurationis extiterit nominatus, etc. » (6. Si nemo velit hanc procurationem recipere, non potest Elector absens eligere per Epistolam, textu expresso in cit. c. *Si quis* 46, *de Elect.* in 6, § *Absens*, ibi. « Absens quoque (licet nullus de Collegio velit esse Procurator ejusdem, nec ipse, nolente Capitulo, extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenus per litteras exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secrete, et sigillatim tantummodo exprimendum. » Vide tamen quæ tradita sunt in verb. *Absens*, art. 1, n. 8, 9 (1).

(7. Electores tenentur sub gravi investigare de idoneitate personæ eligendæ; cap. *Cum in cunctis* 7, *de Elect.* Negligendo enim talem inquisitionem, seu investigationem in re gravi delinquunt; cap. *Ea quæ* 3, *de Officio Archidiac.* cap. *Nulli* 1, dist. 19, c. *Dictum* 18, dist. 8, dum ratione officii, contractus, vel quasi contractus tenentur præcavere ne eligantur indigni, aut minus idonei cum nimio præjudicio Ecclesiæ, et animarum ad cujus regimen assumuntur. (8. Hinc electores eligentes indignum, id est cui desunt qualitates ad sic promovendos de jure requisitas, ultra peccatum mortale quod incurrunt, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi, textu expresso in cit. c. *Cum in cunctis* 7, *de Elect.* § fin. ibi : « Eligendi tunc potestate privatos se noverint; » et concordat cap. *Cum Vintonienses* 25, et cap. *Scriptum est* 40, *de Election.* (9. Hæc autem pœna privationis potestatis eligendi non incurritur, nisi sequatur communis electio indigni, quamvis semper peccetur mortaliter dando scienter suffragium indigno, textu expresso in c. *Perpetuo* 3. *de Election.* in 6. ibi : « Declaramus quod scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio præstitum (nisi adeo in eo perstiterint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendi potestate priventur, licet pro eo, quod indignum nominando, scienter contra conscientias suas agunt, et divinam vindictam, et Apostolicæ ultionis metum, quem qualitas facti suaserit, possint non immerito formidare. »

(10. Eligens indignum, et asserens se id ignoranter fecisse, cogitur probare ignorantiam; arg. cap. *Innotuit* 20. *de Elect.* ubi Pontifex eligentibus indignum, solum ex gratia remisit, quod non cogerentur probare ignorantiam quam allegabant; et notat ibidem Glossa verbo *Ignorantiam.* et Abbas n. 7, Non enim potest præsumi rationabiliter ignorantiam de qualitatibus eligendi in Ele-

(1) Dum Auctor dicit, posse electores absentes, et legitime impeditos eligere per Procuratorem, id sic est intelligendum, ut possint quidem absentium suffragia per aliquos ab ipsis electoribus absentibus, vel ab ipso Capitulo destinatos suppleri, si id liceat per Constitutiones talis Ordinis a S. Sede approbatas; minime vero ut suppleri possint vel a Præside electionis vel a Capitulo propria auctoritate. Vetitum namque hoc esse aperte colligitur ex Sacræ Congregationis Decreto 3. Decembris 1644, quod ex Pignatell. refert Matthæuccius cap. 18, *Officialis* n. 19. Sacra Congregatio « censuit cavendum, ne deinceps Titulares constituantur ad effectum electionis faciendæ, aut voces et suffragia absentium suppleantur: » quod in sensu exposito intelligunt laudati Pignatell. et Matthæuc. (NOT. ROM. THEOL.)

Digitized by Google

ctore, qui tenetur ex officio eas inquirere, et investigare, et si non investigaverit, non potest excusari ignorantia, quia cum in tali casu ignorantia fuisset crassa, supina, affectata, et vincibilis, non est censenda causa, sed effectus negligentiæ, atque adeo non potest excusare Electorem, uti non excusabat Episcopum Antisiodorensem in non observato Interdicto, cap. *Ad hæc* 1. *de Postulat. Prælator.* et confert. cap. *Cum in tua* 6. *Qui Matrim. accusar. possent*, l. *Nec supinam* 6. ff. *de Jur. et facti ignor.* (11. Eo magis cum Elector et possit, et debeat talem negligentiam tollere, non tollendo autem impedimentum ignorantiæ, approbat impedimentum; argum. cap. *His quibus* 60. *de Election.* et Glossa ib. verb. *currit*. Eligens scienter indignum peccat graviter, etiamsi sciat se nihil profecturum per denegationem sui suffragii, ex quo omnes alii Electores velint eligere talem indignum; et ratio est, quia eligere indignum est ab intrinseco malum, adeoque nulla ratione potest esse licitum, unusquisque enim tenetur quantum in se est prospicere bono communi, quod semper præferendum est bono privatorum; et præstat mori quam mortaliter peccare, quia mors animæ magis quam corporis est timenda, ut recte observat doctissimus Donatus loc. c. q. 26, n. 7. Si autem alii parati sint eligere indignum, ipsi viderint; quilibet tamen tenetur conscientiæ suæ consulere, et quantum ex se est, non concurrere ad talem indigni electionem, et illi resistere, quia ex c. *Error.* 3. d. 83. « Error, cui non resistitur, approbatur. . . Neque caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. » Lezana part. 1, c. 15, n. 14. Vasquez. Opuscul. *de Benefic.* c. 2, § 3. dub. 3. Matthæucc. *Officialis Cur.* c. 18. sub n. 4. et c. 28. n. 2. et communiter Doctores apud Peyrin. *de Subdit.* q. 5, c. 31, q. 3, § 2. ubi disputat ad partes, et acriter reprehendi pusillanimes.

(12. Non debent tamen, nec possunt Electores denegare suum suffragium ei, quem per solam confessionem Sacramentalem noverunt indignum. Electores enim talem indignum per solam confessionem cognoscentes tenentur se gerere circa ipsum in foro externo, ac si nihil in foro Sacramentali novissent, adeoque tenentur ei suffragari, ne frangant sigillum Confessionis, et ne reddatur odiosa Confessio. Et sic tenent fere communiter Doctores contra paucos apud nitidissimum lumen Illustrissimæ Religionis Pradicatorum Hyacinthum Donatum l. c. qu. 29, n. 6. Et desumitur ex Constitutione Clementis VIII. edita pro casuum reservatione incipiente *Sanctissimus Dominus*, ibi: « Tam Superiores, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum assumpti fuerint, caveant diligentissime ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. » Ex quibus verbis clare patet contrariam opinionem, saltem respectu Regularium, hodie non posse sustineri, et violatores prædictæ Constitutionis peccare mortaliter contra præceptum formale obedientiæ importatum per illa verba, *Caveant diligentissime*, et fieri sacrilegos, et incidere in pœnas severissimas ad terminos c. *Sacerdos* 2. dist. 6. *de Pœnit.* et c. *Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœnit. et remiss.* prout ex multis ostendit Peyrin. tom 2. *de Prælat.* qu. 3. cap. 2, § 2, num. 46. Donat. loc. cit. num 20.

(13. Electores tenentur sub mortali eligere eos quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles esse judicaverint; sic Concil. Trid. sess. 24, cap. 1. *de Reformat.* ubi expresse definit: « Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint; » Unde Innocentius XI. contra aliter sentientes die 9 Maii 1679. damnavit sequentem propositionem 47. in ordine « Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus; » Et consonant Sacri Canones, et signanter cap. *Metropolitano* 19. dist. 63. ibi: « Optimus ordinetur; cap. *Licet* 15. caus. 8. quæst. 1. ibi: » Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad Sacerdotium, *et cap. unic.* ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, *ibi:* « Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare cum similibus. » Accedit ratio, quia violatio Justitiæ distributivæ, vel commutativæ per acceptionem personarum est de suo genere peccatum mortale, unde dicitur Jacobi 2: « Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi. » In electionibus autem, Provisionibus, et Collationibus præferre minus dignum digniori, est manifeste utramque justitiam violare, cum Prælaturæ, Dignitates, et Beneficia Ecclesiastica sint bona communia, meritorum præmia, et digniorum honores, ordinata in bonum Ecclesiæ, et bonum ipsius electi, ergo, etc. Hinc S. Hieronymus relatus in cap. *Moyses* 6, caus. 8, q. 1. sic dicit: « Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Deus, potuit utique successores Principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Jesu, id est Josue, ut sciremus Principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eas in Ecclesia columnas erigere, quas plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quas vel ipsi amant, vel quarum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus a majorum quispiam rogaverit, et ut

Digitized by Google

deteriora taceam, qui ut Clerici fierent muneribus impetrarunt; » et S. Augustinus *epist. 29 ad Hieronym.*, ait: « Quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris, contempto paupere instructiore et sanctiore? » et sic tenent D. Thomas 2. 2. q. 63, art. 2. Divus Antonin. part. 2, tit. 1, cap. 20. et alii communiter.

(14. Obligatio sub gravi eligendi digniorem non solum procedit de Episcopis, et S. R. E. Cardinalibus de quibus expresse loquitur Concil. Tridentinum cit. sess. 24. cap. 1. *de Reformation.*, sed etiam procedit de omnibus aliis, qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, uti sunt Abbates, Commendatarii, Archimandritæ, aliique hujusmodi Prælati nullius Diœcesis, ac Prælati Regulares: sic cum communi Joan. Cardenas in *Crisi Theologica* super Proposit. 47. Innocent XI, cap. 2. numer. 11. Lugo disp. 35. *de Justit.* n. 55. Diana p. 5, tr. 14, resolut. 12. Reiffenstuel loco citato num. 240. et alii passim. (15. Obligatio sub gravi eligendi meliorem procedit etiam de promovendis ad Ecclesias Parochiales, ut colligitur aperte ex Concil. Trident. sess. 24, cap. 18 *de Reformat.* ubi præcipit Episcopis, ut ex nominatis ab Examinatoribus tamquam dignis, eligant, et exquirant digniores, ibi: « Episcopus eum eligat quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, et non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, » et infra ibi: « Tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, » et habetur ex Constitutione S. Pii V, incipient. *In conferendis*, et sic communis Doctorum, teste Passerin. cap. 30. *de Electione*, num. 1. et Cardenas loc. cit. cap. 4, numer. 40. et Joann. Maria Nogar. in *Theologia Radicali* tract. 15, num. 10. cum aliis dicunt aliter sentientes incurrere damnationem cit. Propositionis 47, ab Innocentio XI proscriptæ.

(16. Electio digni, prætermisso digniore, est valida, quamvis ex dictis sit illicita; colligitur ex cap. *Cum Nobis*, § *His igitur* 19. et cap. *Cum Dilectus* 32. *de Election.* et tenet communis Doctorum cum Glossa magna circa fin. in cap. *Nullus*. dist. 61. S. Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 2, ad 3. Garcias *de Benefic.* part. 7. capit. 16, num. 2. et alii passim. Et ratio est, quia si electio impugnari posset in foro externo seu Judiciali, ex solo motivo, quod non fuerit electus dignior, omnes propemodum electiones possent impugnari, et sic aperiretur via infinitis litibus, quod esset maximum absurdum et incommodum. (17. Immo electio digni, prætermisso digniore, potest aliquando esse nedum valida, sed etiam licita; possunt enim Electores sine culpa eligere dignum, omisso digniore, in variis casibus. Et primo sic possunt, quando id exigit necessitas Ecclesiæ, ut si conferenda sint duo Beneficia, alterum Parochiale, quod tenues redditus, et alterum simplex pinguius, et non concurrant nisi duo oppositores, tunc non est eligendus dignior in Beneficium pinguius, sed in Parochiale, licet sit tenue, quia bonum commune debet præferri bono particulari, et Ecclesia Parochialis exigit prudentiorem, ac doctiorem, nullo habito respectu ad introitus. Sotus lib. 3. *de Justitia*, quæst. 6, art. 3. ad secundum argumentum; Bannes 2. 2. dub. 3. conclus. 3. Serra 2. 2. qu. 63, art. 2. Donat. loco citat. quæst. 27, num. 2. Viva in proposition. 47 Innocentii XI, num. 17. et alii. Secundo, potest eligi minus dignus omisso digniore, quando major pars Electorum vult excludere digniorem, et nisi eligatur dignus, vult eligere indignum; tunc enim licite potest eligi dignus, omisso digniore, cum sit hoc magis utile Ecclesiæ, ex quo sic repellatur ab ipsa indignus, qui a majori parte fuisset electus, nisi minor pars concurrisset ad electionem minus digni. Donat. loc. cit. num. 8. loc. cit. num. 17, § *Loquitur secundo*, et alii. Tertio, potest eligi minus dignus, relicto digniore, quando major pars Electorum ita firmiter decrevit eligere minus dignum, ut moraliter sit certum quod talis evadat electus, tunc enim minor pars poterit licite se illi conformare pro conservando bono pacis, quia in tali casu est impossibile eligere digniorem stante malitia cæterorum Electorum, et aliunde Electio digni, relicto digniore, non est intrinsece mala, sicuti electio indigni, quæ ex dictis supra n. 11, nulla ratione potest fieri licita. Cajetan. 2. 2. qu. 63, art. 2. Sotus loc. cit. Bannes loc. cit. numer. 14. Lezana part. 1, cap. 15, num. 14. Donat. loc. cit. num. 6. Quarto, potest eligi minus dignus, omisso digniore, quando minus dignus est magis utilis, vel quia est magis potens ad tuenda Jura Ecclesiæ, vel quia est magis sedulus, vel quia est magis expertus, vel quia est magis acceptus populo, vel quia est indigena, vel quia minus detinetur extraneis curis, vel aliis de causis, quas varias enumerat Barbos. in *Collect.* ad sess. 24. *de Reform.* c. 18. a n. 129.

(18. Et ratio supradictorum est, quia major dignitas ad Prælaturas, et Beneficia Ecclesiastica non est præcise mensuranda ex majori scientia, vel majori vitæ probitate, sed etiam ex prudentia, solertia, dexteritate ad regendum, nobilitate, et potentia Familiæ ad Ecclesiam defendendam ab inimicis Christi, ejusque jura tuenda, et ex variis aliis circumstantiis externis; adeo ut omnibus insimul consideratis, Ecclesiæ, sive prælaturæ, cui præficitur, cæteris utilior fore credatur. Hinc S. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 2. in resp. ad tertium, notanter sic inquit: « Sed quantum ad conscientiam Eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparationem ad bonum commune; quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, et alius præferatur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam, quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc, erit ille qui eligitur magis idoneus; si vero non pertinet ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personæ. » Et ibidem quæst. 185. art. 3. *In corpore*, ait: « Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem, sed meliorem quo ad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere, et

Digitized by Google

defendere, et pacifice gubernare; » et *in quodlibet* 6. art. 9. dicit : « Aliquis potest dici melior dupliciter; uno modo simpliciter qui est sanctior plus habens de caritate, alio modo dicitur aliquis melior quo ad aliquid. Contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, ut Prælaturam suscipiat, quia forte potest Religionem magis juvare vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, etc. Non ergo semper est eligendus melior simpliciter, sed quo ad aliquid. » Hæc D. Thom.

(19. Elector renuntians electioni, si pœniteat, et se retractet, re adhuc integra, debet admitti cum cæteris Electoribus ad eligendum in Capitulum, argum. cap. *Lectæ* 14. *de Renunt.* Glossa ibidem, et Donatus loco citato qu. 18. 1. (20. Secus autem, re non amplius integra; cap. *In causis* 30. *de Election.* et Glossa ibid. verb. *Cum res non esset integra.* Remittentibus enim actiones suas, non est amplius regressus ad eas, ff. de *Ædilit. edict.* leg. *Quæritur* : § *Si venditor*, et cap. *Quod semel* 21. *de Regul. Juris* in 6. ibi : « Quod semel placuit, amplius displicere non potest. » (21. Res autem tunc dicitur integra, quando non fuit exsecuta, neque cœpta; colligitur ex cap. final. § *Officium autem, de offic. Judic. deleg.* in 6. c. *Quicumque* 11. *de Sententia Excom.* eod. in 6. et ibi Glossa verb. *Re integra*, leg. *Et quia* 6. ff. *de jurisd. omn. jud.* E contra tamen res desinit esse integra quando incipit aliquo modo exsequi, etiam per solam citationem, et in præsenti casu per solam renuntiationis spontaneæ acceptationem a Prælato per scripturam, vel coram testibus formiter recepta. Sanchez *de Matrimon.* lib. 8. disp. 32. ubi ex multis ostendit rem non esse integram, ubi prælatus acceptaverit. (22. Elector quamvis ante publicatum scrutinium possit vocem suam variare, non potest tamen publicato scrutinio; et a fortiori si jam miserit schedulam suam in urnam in communi loco præparatam in finem eligendi, c. *Publicato* § 58. *de Elect.* et Gloss. ib. verb. *Variare*, et Glossa in c. *Quia propter* 42. *de Elect.* verb. *Publicent.* Et ratio est, quia si ponens schedulam in urnam posset illam reassumere, et votum mutare, daretur locus dolis, fraudibus, jurgiis, et litibus innumeris, cum sic posset quilibet ex malitia electionem impedire, communitatem inquietare, quod est contra dispositionem cap. *Cum inter universas* 18. *de Electione.*

(23. Electores quamvis sine vera, et justa causa nequeant interponere appellationem, seu oppositionem, ne procedatur ad electionem, possunt tamen ex justa, et vera causa, ut v. g. si Electores sint inhabiles propter suspensionem, Interdictum, Excommunicationem, vel ob aliquod simile; cap. *Consideravimus* 10. *de Election.* et Glossa ib. verb. *Post appellationem.* (24. Electores postquam aliquem unanimi consensu elegerunt, non possunt deinde illi electioni opponere, nisi ex causis de novo emergentibus, vel nisi eis improbitas morum electi de novo fiat manifesta, quæ tempore electionis erat illis totaliter secreta, vel incognita, textu expresso in cap. *Nulli* 8. *de Election.* in 6. ibi : « Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverit aliquem, et electio fuerit subsecuta, vel postquam præstiterit electioni de ipso ab aliis celebratæ consensum, illum super electione ipsa, nisi ex causis postea emergentibus, impugnare, vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, vel alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, quæ verosimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur, » et ibi Glossa verb. *Latentis*, et verb. *Defectus.* (25. Talis oppositio fieri potest triplici modo; scilicet contra formam electionis, contra electum, seu eligendum, et contra Electores, dummodo tamen fiat in scriptis cum juramento, et causa rationabili exprimenda in litteris oppositionem et appellationem continentibus, textu expresso in c. *Ut circa* 4. *de Elect.* in 6. ibi : « Edicto perpetuo providemus, ut si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel provisionibus se opponunt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seu provisionis formam; aut personas eligentium, vel Electi, sive illius, cui erat provisio facienda, sive facta, et propter hoc contigerit appellari; appellantes instrumento publico, seu litteris super appellatione confectis, omnia, et singula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel personas coram personis authenticis, aut personæ, quæ super hoc testimonium perhibeant veritati, corporali præstito juramento, quod credunt ea, quæ sic exprimunt esse vera, et se posse probare, » et ibid. Gloss. verb. *Formam* et verb. *Eligentium.*

(26. Electoribus est interdictus abusus illicitarum Capitulationum, quas, occurrente vacatione Ecclesiarum, seu Monasteriorum, interdum fieri contingit, et ad hoc datur hic Innocentii XII Constitutio, qua, ad tollendum abusum illicitarum Capitulationum, quas, occurrente vacatione Ecclesiarum, seu Monasteriorum, ab iis, ad quos Electio personarum illis præficiendarum spectat, interdum fieri contingit, innovantur Constitutiones Nicolai III, Pii V, et Gregorii XIII, in similibus editæ, cum additione pœnarum, ac prohibitione dictarum Capitulationum sub eisdem pœnis.

INNOCENTIUS PAPA XII,

AD FUTURAM REI, ETC.

Ecclesiæ Catholicæ per universum orbem diffuse regimini, meritis licet imparibus, Divina dispositione præsidentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, sive ad illicitorum, ac præsertim Ecclesiasticæ libertati adversantium juramentorum abusum tollendum, sive ad quamcumque avaritiæ labem a personis in sortem Domini vocatis, quas non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere maxime convenit, excludendam prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, zelo constituta, et ordinata esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter robo-

Digitized by Google

ramus, novisque præsidiis, ut serventur exactius, constabilimus, ac alias desuper concessæ nobis a Domino potestatis partes studiosa caritate interponimus, sicuti Ecclesiarum omnium, quam gerimus, sollicitudo postulat, Nosque omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, rectam, et felicem Ecclesiasticarum rerum directionem, nec non animarum pretioso Unigeniti Dei Filii D. N. J. C. sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Dudum siquidem, postquam fel. rec. Nicolaus Papa III, Prædecessor noster, accepto in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, ut cum earum Prælati ad Ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis Canonicis ageretur, nec Prælatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in eisdem Ecclesiis, nisi jurassent statuta, et consuetudines ipsarum Ecclesiarum scriptas, et non scriptas inviolabiliter observare; inter Laicos quoque multarum Civitatum, Castrorum et Terrarum eum consuetudinis morbum in suis Potestatib. Rectorib. vel Officialib. assumendis irrepsisse, ut ipsi Potestates, Rectores et Officiales ad ejusmodi Potestarias, Rectorias, et Officia nullatenus admitterentur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausula servaturos similiter jurassent : In statutis vero, ac consuetudinibus supra dictis interdum aliqua reperiri illicita, sive impossibilia, vel Ecclesiasticæ libertati obviantia, ne sub tali generalitate jurandi sic jurantibus peccandi occasio præberetur, animarum periculis obsistere cupiens, salubri sua, ac generali Constitutione præceperat a quibuscumque scientibus contineri in prædictis Constitutionibus, et statutis illicita, impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi nullo modo præstari; Ac præterea decreverat talia juramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impossibilia, seu Ecclesiasticæ libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possent absque Divinæ Majestatis offensa in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus non servanda : quin potius pro animarum salute, si sub forma præfata, vel simili, aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia, et libertati Ecclesiasticæ non obviantia Jurantium intentionem referri debere; Declarans super juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercumque, et sub quacumque verborum forma præstita, vel præstanda, ad licita, possibilia, ac Ecclesiasticæ libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque Jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri.

§ 2. Rec. mem. Gregorius Papa XIII, etiam Prædecessor noster per quasdam suas desuper sub plumbo expeditas literas, quarum initium, *Inter Apostolicas*, etc., prædictam Nicolai Prædecessoris Constitutionem, itidemque alias omnes Canonicas sanctiones de abusu, et reprobatione juramentorum hujusmodi promulgatas innovavit, voluitque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita, inviolabiliter observari. Præterea præcepit, et interdixit Prælatis, Canonicis, et aliis supradictis, nec non Ecclesiarum Capitulis, et Monasteriorum cæterisque Conventibus, Civitatum quoque Castrorum, et Terrarum Communitatibus et personis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ aut Decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante, sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus ubicumque, ac quocumque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quantocumque tempore observatæ, quæ potius corruptela esset censenda, sive in genere, sive in specie præstare, reddere, vel exigere, neve super præstitis, redditis, vel exactis eo usque quempiam in judicio, vel extra illud inquietare auderent quoquomodo, vel turbare.

§ 3. Ac illos, qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticæ libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, Episcopos quidem, et alios quoscumque Pontificali dignitate præditos a Divinis suspendit : Capitula vero, Conventus, eorumque Ecclesias, et loca omnia Interdicto Ecclesiastico supposuit, ac singulares personas excommunicationis sententia innodavit, inhabilesque fecit ad obtenta, et alia obtinenda eo ipso, sibique, et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, et interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservavit. Decernens eos, qui talia juramenta scienter præstitissent, usu, et commodo rei, ac gratiæ, cujus causa jurassent, eo ipso privatos esse, alios vero ignorantes ad præstitorum juramentorum hujusmodi observationem minime teneri, et alias prout in Præfatis Gregorii Prædecessoris litteris, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 4. Porro antequam litteræ hujusmodi emanassent, similis mem. Pius Papa V, etiam Prædecessor noster, ejusmodi Concil. Trident. Decretis, quibus, ne quidquam, quod in usus pios non convertatur in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ac possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas quoquomodo persolvi possit, strictissime prohibetur, inhærens, suam hac in re Constitutionem ediderat tenoris, qui sequitur, videlicet. « Pius Episcopus Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Durum nimis, et incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum Ministri in iis, quæ ad ipsorum

Digitized by Google

sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiæ pravitatem, editas antehac sanctiones minime satis esse intelligimus, novæ Constitutionis subsidio cogimur providere. Cum itaque alias ex plurium Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligeretur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad professionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur, Turnorum lucra, interponerentur, licet Sancta Synodus hæc detestata, mandaverit Episcopis, ut quæcumque hujusmodi, quæ in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscerent, et illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas et scandalosas rejicerent; eos vero, qui adversus prædicta quavis ratione commisissent, pœnis contra Simoniacos editi teneri decreverit. Multorum tamen indomita cupiditate tam prædicta, quam alia ad Beneficium et commodum ipsorum Ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare Nos pro Divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum auxilio plenius, evidentiusque consulendum fore rati, revocamus, et abolemus omnia, et quæcumque privilegia, consuetudines, et statuta quarumcumque Ecclesiarum Cathedralium, et Metropolitanarum, ac majorum, nec non Collegiatarum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, aut alio quovis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoria, et longissimo, et quantocumque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus, maximis, et urgentissimis causis concessa, et approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa, et moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, portionibus, Beneficiis, et Officiis, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breviore tempore proventuri, mensæ Episcopali, seu Capitulari, aliove loco integre, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, se inter alios Canonicos, et personas Ecclesiæ, seu Capituli dividantur. Quandoque nullus etiam Apostolica auctoritate provisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, Beneficium, vel Officium admitti, vel alias in ejus possessionem induci possit, nisi prius de observandis hujusmodi privilegiis, consuetudinibus, et statutis juramentum præstiterit, et obtentæ illorum derogationis, ac fructuum, et distributionum perceptioni renuntiaverit, seu Capitulo, et personis prædictis cesserit, seu (ut appellant) Dulciaria, aut quid aliud præstiterit; quorum omnium tenores, causas, et effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, nec non irritantibus, et aliis Decretis roborata, volentes ea omnia vires, et effectum de cætero non habere. Præcipimus igitur, et interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis, et personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renuntiationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam sive ordinaria, sive Apostolica auctoritate provisum, ad præstandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediant, vel remorentur. Quicumque contrafecerit, si Ecclesiarum Antistites, tamdiu a Pontificalis Officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione prævia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero, et Collegia quæcumque Ecclesiastico subjaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constitutæ ab alio, quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere, decernentes hujusmodi præstita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimo jurantes in hujusmodi censuram incidere, nec non irritum, et inane quidquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus, et distributiones Fabricæ, vel Sacristiæ aut alterius pii loci usibus ultra semestres tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero Beneficiati prædicti integre percipiant. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, decreto prædictæ Synodi, ac etiam Constitutione fel. rec. Joannis Papæ XXII, quæ incipit: *Suscepti*, et aliis Juribus hac de re disponentibus, nihilominus alias in suo robore duraturis Cæterum per prædicta non intendimus illis præjudicare Capitulis, Collegiis, Mensis, aut personis fructus, et distributiones inter vacationem Beneficiorum, et eorum collationem, sive possessionis apprehensionem provenientes ex statuto, consuetudine, vel privilegio hujusmodi percipientibus, vel retinentibus; quominus ipsi illos interim, ut antea, exigere valeant, et habere. Postremo volumus

Digitized by Google

ut præsentium exempla etiam impressa, Notarii publici manu, et Prælati Ecclesiastici ejusve Curiæ Sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem ubique locorum in Judicio, et extra illud faciant, quam facerent ipsæmet præsentes si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo, Pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno quinto. »

§ 5. Cum autem, sicut non sine gravi animi nostri dolore, ex quamplurium, ac præsertim nonnullorum Venerab. Fratrum Archiepiscoporum ad Apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeo decreverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui sive avaritiæ, quæ est idolorum servitus, improbo affectu, sive ambitioso Ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepide paciscentibus fidem habentes, et tamen Deo veraciter promittenti minime credentes, sacras ipsas electiones, quas Sanctissimi Ecclesiæ Canones omni prava pactione submota peragi tam districte præcipiunt, illicitis, injustis, ac per tot Apostolicas sanctiones reprobatis conventionibus per Electos, quicumque illi sint, observandis, quibus Canonica Præsulum jurisdictio ut plurimum circumscribitur, vacantium Ecclesiarum jura læduntur, ac ipsius etiam Apost. Sedis auctoritas interdum violatur temere inquinare satagant, atque abominationem desolationis in Sanctuarium invehere, sacrasque Ecclesiæ Dignitates, ad quas olim nonnisi ex persecutionis tolerantia ascendebatur, in turpem quæstum, ac tenebrarum negotiationem commutare minime vereantur, non sine gravissima Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione, fidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento.

§ 6. Hinc est, quod Nos, qui libertatis jurisdictionis, aliorumque jurium Ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque Christi fidelium curam superna dispositione gerimus, abusus quoscumque circa præmissa introductos e medio tollere, illisque in futurum omnem ansam præcidere, nec non animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habita super iisdem præmissis cum particulari Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui rem mature discusserunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio pariter et assensu, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, et singula præmissa a præfatis Nicolao, Pio, et Gregorio Prædecessoribus constituta, ordinata, interdicta, decreta, et respective declarata, ut præfertur, expeditasque desuper illorum Constitutiones, seu litteras supradictas tenore præsentium perpetuo approbamus, confirmamus, et innovamus, illisque perpetuæ, atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, et præsidium adjicimus.

§ 7. Præterea, ut eadem præmissa firmius, atque inviolabilius de cætero observentur, ultra omnes, et singulas pœnas in iisdem Constitutionibus, seu litteris impositas privationis Dignitatum Canonicatuum, et Præbendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, et quoad Regulares, etiam vocis activæ, et passivæ, ac graduum, munerum, et officiorum quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis, ad illa, et alia similia, vel dissimilia, quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda, pœnas per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrendas adjungimus.

§ 8. Porro ad penitus extirpandum, atque evellendum abusum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum, seu statutorum quorumcumque, quæ perperam, ac adversus Sacrorum Canonum, et Constitutionum Apostolicarum dispositionem, occurrente Ecclesiarum quarumlibet præsertim Cathedralium, et Metropolitanarum, seu Monasteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio personarum idonearum ipsis Ecclesiis, seu Monasteriis ad electionem hujusmodi respective præficiendarum juxta privilegia, et indulta Apostolica eis desuper concessa, aut alias legitime spectat, sive ante, sive post electionem prædictam interdum iniri, condi, aut fieri consueverunt, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore præsentium omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, sub eisdem omnino pœnis superius expressis, quarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus, districte prohibemus, et interdicimus, ne capitulationes, pactiones, conventiones, concordata, seu statuta hujusmodi ante ipsam quidem electionem, seu etiam postulationem de cætero inire, concedere, aut facere audeant quovis modo, seu præsumant.

§ 9. Illaque proinde, quatenus de facto contra præsentis nostræ prohibitionis formam inita condita, seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque et effectu penitus et omnino vacua, ac nullius roboris et momenti esse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, aut obligatum existere, vel fore decernimus et declaramus.

§ 10. Quæ vero, electione, seu postulatione hujusmodi secuta, quomodolibet iniri, condi, seu fieri contigerit, ad Nos, seu cum-

Digitized by Google

dem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri, atque ita nostro, et Sedis Apostolicæ judicio subjici præcipimus, suspensa interim eorum omnium et singulorum executione, donec, et quousque ab eadem Sede, sine cujus auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, Apostolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperint.

§ 11. Cæterum per præsentes non intendimus ea, quæ antehac contra supradictarum Nicolai, Pii, et Gregorii Prædecessorum, seu forsan aliarum Apostolicarum Constitutionum, seu litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec pœnas ea de causa per transgressores incursas remittere, vel condonare.

§ 12. Decernentes pariter easdem præsentes litteras, etc.

§ 13. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, etc.

§ 14. Aut si præfatis, vel aliis quibuslibet communiter, etc.

§ 15. Ut eædem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, etc.

§ 16. Utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 22 Septembris 1695, Pontificatus anno V.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. Disposuit Gregorius X, in cap. *Ut circa, de Elect.* in 6, ut appellantes ab electione jurent se credere vera esse quæ opponunt, ut innuit Auctor num. 2. Verum sciendum est, quod ex Doctorum sententia tunc appellantes ab electione tenentur juxta hanc sanctionem jurare vera se credere, quæ opponunt, quum appellant ab electione *certæ alicujus personæ*, non item quando ab electione in genere appellant. (28. Ita Decretalem hanc interpretantur Glossa ibidem, verb. *Faciendo*, et rursus in cap. *Qui contra*, verb. *Certam*, eodem tit. *de Election.* in 6. Pirhing, in *Decretal.* libr. 1, tit. 6, num. 284. Passerin., *de Elect.*, cap. 33, numer. 55. Leuren., *For. Benefic.*, part. 2, sect. 2, cap. 3, § 5, q. 508, num. 2, aliique. (29. Quinimmo in ipsa appellatione ab electione *certæ personæ* debent appellantes jurare vera esse quæ opponunt, si crimina vel defectus contra electum vel electionem opponant, idque prudenti consilio, ne crimine temere opponantur, non item si nihil tale opponant, quum cesset præfatum inconveniens; Lupus, in dict. cap. *Ut circa*, numer. 3, *de Elect.*, in 6. Vanaxel., in *Decretal.*, lib. 1, tit. 6, numer. 18. egregie Passerin., *de Election.*, cap. 32, nu. 69. Leuren., *For. Benefic.*, part. 2, sect. 2, cap. 3, § 5, quæst. 509, numer. 2. Rot., in novis. decis. 36, per totum *de Appellat.*

(30. Quod eo vel maxime procedit, si Appellantes causæ innitantur, quæ principaliter jus proprium respiciat, adeoque nonnisi indirecte impugnent jus electi, Barbos., in cap. *Ut circa*, num. 3. *de Election.*, in 6. Vanaxel., in *Decretal.*, lib. 1, tit. 6, nu. 18. Passerin., *de Election.*, cap. 32, num. 68. Rot., in novis dict. decis. 36, n. 2.

(31. Pœna vero Appellantis ab electione, qui jurare omisit ad formam dict. cap. *Ut circa*, non est quod appellatio nullius sit momenti, sed quod Appellans non audiatur in non expressis in libello appellationis; Lupus, in d. c. *Ut circa*, n. 4, *de Elect.*, in 6, ubique, Geminian., n. 4. Franc., n. 2. Passerin., *de Elect.*, c. 33, n. 69. Leuren., *For. Benefic.*, p. 2, sect. 2, c. 3, § 5, q. 509, n. 2.

(32. Hic autem non est omittendum, quod agitata novissime fuit in Rota quæstio hæc de appellatione ab electione, non præstito ab Appellantibus juramento, quod vera credebant, quæ opponebant. Licetque ad sustinendam dictam appellationem deducta fuissent quæ hactenus ex Doctorum sententia fuerunt allata, nihilo tamen minus placuit supremo illi Tribunali nullo in numero habere ipsam appellationem, ut patet ex decisionibus in Colonien. Decanatus 4 Julii 1755, § 9, et 14 Maii 1756, § 8, cor. bo. m. Borull.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(33. Animadverte, an. 1727, in Congregatione rebus Consistorialibus præposita duo fuisse proposita dubia. 1. An hæc Innocentii XII constitutio ea etiam afficeret Capitula, seu Collegia, quæ ex viris, mulieribusque composita, et unius Abbatissæ, seu Præpositæ regimini subjecta sunt? (34. 2. An huic Constitutioni, quatenus pacta electionem præcedentia interdicit, et irritat, obnoxiæ essent quæcumque pactiones, sive conventiones, honestæ licet et justæ. Utrique dubio Congregatio respondit affirmative, Benedictus XIII 16 Augusti litteras Apostolicas expediri jussit, quibus Congregationis responsa confirmabantur. Id tamen sub eo Pontifice præstitum non fuit; sed quod tunc fuit prætermissum, implevit Benedictus XIV, 15 Julii 1774. Vide eumdem Benedictum XIV, *de Synod. Diœces.* lib. 13, cap. 13, num. 23.

ARTICULUS IV.

Electio, quomodo, quando, et ubi fieri possit et debeat ut sit canonica, præsertim inter regulares.

(1. (1) Pro electione Canonica facienda, sunt in primis vocandi omnes, qui de Jure, aut legitima consuetudine habent Jus in ea suffragandi, et sunt in pacifica possessione eligendi; c. *Cum inter universas* 18, c. *Coram dilecto* 35, et c. *Quia propter* 42, *de Elect.*, et ibi Glossa communiter recepta in verb. *Qui debent.* (2. Alias etiamsi unus solus contemnatur, seu non vocetur, potest ipse agere de contemptu, et electionem irritare; quamvis enim non sit de substantia electionis, ut vocentur absentes, ut defen-

(1) Illud ipsum quod notat Rom. Theologus in Nota Artic. III, subjecta jam ego tradideram in verb. *Absens quoad Electionem*, num. 8 et 9. Vide ibi. (Not. Rom. Theol.)

Digitized by Google

dunt Glossa in c. *Nulli* 8, *de Elect.*, in 6. Tabiena, verb. *Electio*, n. 19. Donatus, loc. cit. q. 18, n. 9. Fagnanus, in cit. cap. *Quia propter* 42, *de Elect.*, n. 38. Peyrin., *de Subdit.*, q. 1, c. 31, not. 1. Reiffenstuel, loc. cit. n. 115, et alii; est tamen per ipsos citatos et alios, de Justitia; adeoque licet electio non sit ipso Jure irrita, ad ipsius tamen contempti instantiam erit irritanda juxta c. *Quod sicut* 28, *de Elect.*, quia plus obsistit electioni contemptus unius, quam contradictio multorum, ut habetur in cap. *Venerabilem* 24, et cap. *Bonæ memoriæ* 36, *de Elect.* (3. Si vero vocalis contemptus velit pro bono pacis, vel alio fine ratihabere electionem, et non contradicere, electio valide subsistit; c. *Quod sicut* 28, *de Elect.*, § 1, in fine. (4. Sic etiam electio valide subsistit, si vocalis contemptus, sciens electionem factam, et potens contradicere nihil opponit, quia in tali casu censetur tacite ratihabere electionem, et juri suo renuntiare, adeo ut non sit postea amplius audiendus, ut docent Sperell., decis. 181, n. 43. Passerin., *de Elect.*, c. 11, n. 119, et alii passim.

(5. Vocalibus vocatis, et in unum conventis, sunt ante electionem habendi tractatus consultorii, in quibus discutiuntur qualitates, habilitates, et merita eligendorum; c. *Cum terra* 13, *de Elect.*, ibi. « Personam nominent, quod si in persona fuerit peccatum, » etc. c. *Inter Canonicos*, 21, eod. tit., ibi : « In Capitulum se receperunt, de futura electione Pontificis tractaturi; » c. *In causis* 30, eod. tit., ibi : « Cum Capitulum Ecclesiæ ad tractandum de electione Episcopi convenisset; » c. *Cum in veteri lege* 52, eod. tit., ubi irritatur electio ob defectum debiti tractatus, ubi Glossa verb. *In tractatu* ait : « Hinc patet, quod tractatus debet haberi ante electionem et collationem ad invicem, alias quomodo eligerent, nisi primo de aliquo eligendo tractarent? » et cap. *In Genesi* 56, eod. tit., ubi electio declaratur irrita, ex quo tractatus debitus non fuit habitus, ibi : « Non tractatum, neque discussum. » Ex quibus textibus Donatus, loc. cit., q. 11, n. 2. Matthæucci, loc. cit., c. 18, n. 43, et alii deducunt electionem esse nullam, vel saltem annullandam, si ante eam non habeantur tractatus consultorii, per quos possint vocales dignoscere quinam sit dignior, ad cujus electionem sub mortali tenentur, ut fuit dictum sub nu. 13, art. anteced.

(6. Ante electionem tenentur vocales Regul. præstare juramentum de eligendo meliorem, seu digniorem secundum veritatem cujusque conscientiæ; habetur expresse in Decretis Clementis VII, editis pro reformatione Regularium tam Monachorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, et Instituti, § 53, ibi : « Jurentque Electores secundum veritatem cujusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros. » Quæ decreta fuerunt innovata, corroborata, et revalidata ab Urbano VIII, in decreto de Apostatis, et Ejectis, cum decreto irritante, et cum amplissimis derogatoriis, ut patet in § 12, in fin. et 13, ibi : « Nihilominus sit irritum, et inane quidquid secus a quoquam actum exstiterit, » et § 14, ibi : « Non obstantibus Constitutionibus quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium. » Ratione cujus decreti irritantis Tamburin. tom. 1, *de jure Abbat.* disp. 5, q. 6, n. 29. (7. Megala in *Promptuar.* verb. *Elect.*, num. 37, et alii dicunt, quod tale Juramentum est de conditionibus essentialibus electionis, et ejus omissio reddit electionem nullam ipso facto. Quidquid sit de hoc circa electiones quæ fiunt in aliis Ordinibus propter posteriores Apostolicas dispositiones; quas forsan habuerint, crescit argumentum pro electionibus, quæ fiunt in ordine Minorum de Observantia, vigore Constitutionis Innocentii XI, incipient. *Militantis Ecclesiæ*, ubi præcipitur Electoribus sub pœna non suffragandi, quod præstent tale juramentum coram Venerabili Crucifixi imagine, præsente Præside, ibi : « Item, ut majori circumspectione electiones Prælatorum fiant, præcipitur electoribus sub pœna non suffragandi, ut antequam ad electionem Ministri, Custodes, Diffinitorum, et Guardianorum procedant, sigillatim juramentum præstent coram Venerabili Crucifixi Imagine, præsente Præside, se eum electuros in quolibet prædictorum officiorum respective, quem in conscientia, et omnibus æqua lance libratis, digniorem judicabunt. »

(8. Et hoc sub clausula decreti irritantis, ibi : « Decernentes easdem præsentes litteras et statuta præinserta, semper et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari... ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, » etc. Vide in Chronologia. P. Julii de Venetiis, in septuagesimo quinto Capitulo Generali, fol. 124, usque ad 146. (9. Et tale juramentum de eligendo digniore fuit ipsis iterum novissime præceptum sub clausula decreti irritantis a Benedicto XIII Constitut. incipient. *Universalis Ecclesiæ regimini*. Quæ Constitutio licet a Clemente XII, Constitut. incipient. *Circumspecta*, fuerit in aliquibus moderata, tamen quoad obligationem præstandi tale juramentum, remanet firma, et valida, immo confirmata; cum d. Clemens XII, in tali sua Constitutione, § *Hinc est*, expresse præcipiat exactam observantiam d. Constitutionis Benedicti XIII, ad formam statutorum, seu Constitutionum generalium ejusdem Ordinis, ibi : « Præinsertas Benedicti Prædecessoris litteras, ac in eis sancita, ordinata, et disposita quæcumque ad formam statutorum, seu Constitutionum generalium ejusdem Ordinis quo ad utramque illius familiam prædictam servari harum serie præcipimus, et mandamus. » Unde cum ex statutis conditis in septuagesimo quinto Capitulo Generali, confirmatis expresse ab Innocentio XI, in d. Constitution. incipiente

Digitized by Google

Militantis Ecclesiæ, præcipiatur sub clausula decreti irritantis tale Juramentum ; stat clarum remanere firmum, et validum, immo confirmatum per d. Constitutionem, Clem. XII, incipientem *Circumspecta*.

(10. Quamvis autem in dicta Constitutione Innocentii XI, sicuti etiam in dd. Constitutionibus Benedicti XIII, et Clementis XII, sit oppositum decretum irritans, adhuc tamen Matthæucci, loc. cit., cap. 18, numer. 46 et 47, cum aliis defendit electionis validitati non obesse præcisam, et puram omissionem juramenti ; et ratio est, quia, ut ipse observat ex Fagnano, in cap. *Cum accessissent* 8, *de Constitutionib.* num 33, advertendum est an decretum irritans sit adjectum alicui particulari ordinationi, vel prohibitioni, et tunc indistincte importat nullitatem actus in contrarium attentati juxta textum, in cap. *Quia propter* 42, *de Election*, et in c. *Si cui* 25, eod. in 6, an vero apponatur in clausulis executivis, ut fieri solet ex stylo, et tunc referri debet ad Judices, ut verba ipsa sonant ; apponitur enim ad finem removendi obstacula impedientia executionem actus, super quo Constitutio decernit ; c. *Si eo tempore* 45, *de Election.*, in 6, et notat Geminian., cons. 143. *Ex narratis*, n. 1, et ex eo tollitur jurisdictio aliter judicandi ex notatis per Cardinal., in c. *Quia diligentia*, in 3, q. *de Elect.* Seraphin., decis. 351, n. 1. Rota, part. 7, recent., dec. 174, n. 13.

(11. Decretum autem irritans in dictis Constitutionibus Innocentii XI, Benedicti XIII et Clementis XII, non primo, sed secundo modo adjectum consideratur. Et ad hoc facit decretum Sacræ Congregationis Regularium, in qua cum dubitatum fuisset de validitate electionis Provincialis Mediolanensis Ordinis Minorum Conventualium celebratæ non prævio juramento de eligendo digniore, contra prohibitionem Constitutionis Ordinis, et opponeretur quod esset nulla propter decretum irritans appositum in Bulla Confirmationis Constitutionum ejusdem Ordinis : « Sacra Congregatio hoc non obstante resolvit pro validitate electionis, cum Constitutio illa de juramento præstando non haberet in specie clausulam annullativam actus contrarii ; » sic refert Fagn., loc. cit. n. 32.

(12. Ante electionem canenda est Missa, et facienda est invocatio Spiritus Sancti pro eligendis dignioribus : cap. *Cum Terra* 14, *de Electionibus*, ibi : « Electores in unum locum, in quo fuerit electio celebranda, conveniant, et invocata Spiritus Sancti gratia, personam nominent : » cap. *Cum inter* 18, eod. tit. ibi : « Mandamus quatenus, invocata gratia Spiritus Sancti, personam idoneam per electionem Canonicam concorditer assumatis ad Regimen Capuanæ Ecclesiæ, » et sic mandant Constitutiones cujusque Ordinis, et Instituti. (13. Talis autem missa de Spiritu Sancto, quamvis aliqui apud Barbosam in cit. cap. *Cum Terra* 14. *de Elect.* n. 5. et 6, velint, quod requiratur ad validitatem electionis, tamen revera non est de ejus essentia, et validitate, sed solum de solemnitate, et decentia, nisi existat specialis Constitutio cum clausula irritante actum contrarium ; arg. cap. *Quia propter* 42. *de Election.* ac notat Abbas in cap. *Cum Ecclesia* n. 1. *de Causa possess.* Barbosa loc. cit. n. 6 Tabiena verb. *Electio* 2. num. 29. in fin. Sigismundus a Bononia *de Elect.* dub. 19. num. 5. Lavor. variar. lucubrat. tit. 4. c. 19. n. 43. Tambur. *de Jure Abbat.* tom. 1 disp. 5. quæst. 6. n. 28. Peyrin. tom. 1. *de Subdit.* q. 1. c. 13. verb. *Not.* quarto Donatus loc. cit. q. 18. num. 8. Reiffenstuel loc. cit. n. 50. et alii passim. Nec obstat Concilium Basileense, in quo sub clausula irritante statutum fuit, ut ante electionem Prælati audiatur Missa de Spiritu Sancto, et sumatur Corpus Domini Nostri Jesu Christi, et præstetur juramentum, et similia, quia Concilium Basileense fuit reprobatum in concilio Lateranensi, sess. 11, sub Leone X, ubi Conciliabulum schismaticum seditiosum, et nullius prorsus auctoritatis dicitur. Megala 2, q. *Promptuar.*, verb. *Election.* num. 57, et alii (1).

(14. Electio debet celebrari omnibus Elec-

(1) Judicium, quod protulit de hujusmodi Basileensi Concilio Synodus Lateranensis V Œcumenica, uti plures docent, in hunc modum sese habet. Cum in hac itaque Lateranensi Synodo abroganda esset pragmatica Sanctio et substituenda Pacta Bononiæ concordata inter Leonem X, et Franciscum I. Regem Christianissimum (qua de re legendus Natal. Alexander *Histor. Eccles. Sæcul.* XV et XVI, dissert. 10. *de Synod. Lateran. V. Pragmat. Sanct.* etc.) quæ quidem Pragmatica Sanctio in Concilio Basileensi edita fuerat, ita in hanc rem eloquitur laud. Synodus Lateranensis sive Pontifex. « Nec illud movere debet, quod Sanctio ipsa, et in ea contenta in Basileensi Concilio edita.... fuerint, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per Eugenium Papam IV, prædecessorem nostrum factam, a Basileensi Conciliabulo, seu potius conventiculo, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta exstiterint ; ac propterea, etc. » Sess. XI. Unde colligere cuivis facile licebit, quam recte de eodem Basileensi Concilio pronuntiaverit doctissimus Purpuratus Bellarminus : quod nempe Concilium istud « fuit legitime inchoatum, sed illegitime terminatum. »

Cap. 19. *de Concilior. auctorit.* lib. II. Illud enim fuisse legitime convocatum nemini profecto erit subdubitandum ; cum id meridiana luce clarius constet ex litteris, seu Diplomate Pontificio Martini V, quo et Concilii indictionem confirmat, et Julianum Cardinal. Diaconum S. Angeli a Latere legatum, ejusdem Concilii Basileensis Præsidem cum amplissima potestate creat : quæ et litteris datis confirmavit Eugenius IV, qui Martino V, e vivis erepto, in Petri Cathedra successerat. Vide Natal. Alexandr. *Histor. Eccles. Sæcul.* XV et XVI. Dissert. VIII, art. 2. Immo per aliquot Sessiones legitime continuatum fuisse, atque etiam legitimum mansisse ad translationem usque ejusdem Concilii Ferrariam factam ab ipso Eugenio IV, docet ac probare nititur idem Natal. Alexander laud. Diss. VIII, art. 3, n. 64. ex ipsis literis Eugenii IV, quibus ipsam Synodum Basileensem ad translationem usque se suscipere, amplecti, ac venerari profitetur. Post translationem porro ejusdem Ferrariam factam mansit acephalum, vanum, et inutile Conciliabulum evasit, veri et œcumenici Concilii prærogativa exutum. Etenim publica Ecclesiæ utilitate, ac necessitate postulante, translatio ejusdem Concilii ad Ferrariensem Urbem facta fue

Digitized by Google

toribus in unum collegialiter, seu Capitulariter Congregatis, et non singulariter tantum, quia non sufficit, quod electores dent votum suum singulariter in camera sua, seu alio modo sigillatim præstent suum consensum, sed in communi debent convenire, et consentire, et suffragia ferre; cap. *Quia propter* 42, *de Election.*, ibi: « præsentibus omnibus, » et concordat, cap. *In Genesi* 55, eod. tit. et Glossa communiter recepta in c. 1 *de Rebus Eccles. non alienand.* in 6. Est enim de substantia, et essentia electionis ut Capitulum congregetur, ut recte docet Fagnanus, in c. *Quia propter* 42, *de Elect.* n. 37, cum communi aliorum (15. Capitulares debito, et consueto modo vocati, si electioni interesse nolint, adhuc electio remanet Canonica sine ipsis; c. *Cum nobis* 19. *de Elect.* ubi Capitulares vocati, et electioni interesse nolentes, vel a loco ipsius recedentes, dicuntur *se fecisse alienos*, et sic ibi notant, et tenent Doctores communiter; concordat cap. *Quod sicut*. 28. eod. titul. ubi expresse statuitur, quod absentia illorum Vocalium, qui rite vocati ad electionem celebrandam accedere vel nequiverunt, vel noluerunt, illam minime impediat. (16. Et pro Ordine FF. Minorum habetur expressum decretum quod si aliquis Deffinitor præsens nolit convenire in Deffinitorio sub aliquo prætextu, non debeat fieri subrogatio, sicuti fit pro Deffinitore legitime impedito, et est ut sequitur.

MEDIOLANENS.

Eminentissimi e Reverendissimi Signori.

Il Ministro Provinciale de' Minori Osservanti Riformati di Milano, desiderando che le elezioni de' Superiori nella sua Religione si facciano sempre in conformità delle proprie Costituzioni, e Decreti di questa Sacra Congregazione, supplica umilmente l'EE. VV. a degnarsi dichiarare, se ne' casi, che alcuni Definitori presenti ancorchè intimati a concorrere all' elezioni, ricusino d' intervenirvi, si debbano allora in lor vece sostituire degli altri Padri della Provincia, conforme le Costituzioni Riformate ordinano (c. 8. n. 51.) che si facci quando manca altro de' Definitori, che non si possi avere per lo spazio di tre giorni.

Che il tutto, etc.

« Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, audito Commissario Generali Ordinis, et referente Eminentissimo Franciotto, censuit casum propositum non comprehendi sub dispositione cap. 8. n. 51, Constitutionum quoad prætensam subrogationem. Romæ, 6 Augusti 1655.

« M. CARDINALIS GINETTUS.

« Loco ✠ Sigilli.

« *H. Archiep. Patrac. Secret.* »

(17. Et sic fuit novissime decisum in causa Provinciæ Reformatæ Papiæ. Ubi cum Pater Provincialis citasset formiter Deffinitorium pro celebranda Congr. intermedia, et Pater Joseph Hyeronimus a Burgosessia Custos, et Pater Joseph Franciscus a Papia Deffinitor noluissent intervenire, immo appellationem interposuissent: hoc non obstante, Pater provincialis, et tres alii Deffinitores congregationem celebrarunt, et posita causa in Sacra Cong. utraque parte informante, *Sacra Cong. Episcoporum et Regularium*, Ponente Eminentissimo Casino die 8 Februarii 1715. rescripsit, Congreg. intermediam sustineri, et ad mentem Eminentissimi Ponentis, qui post prandium ejusdem diei 8 Februarii 1715, in præsentia Patris Francisci a Brendelio Procuratoris Generalis Reformatorum et præsente D. Dominico Ursaya in executionem mentis Sacr. Congregationis comburere fecit duas scripturas injuriosas ex adverso divulgatas. Sic dictus D. Dominicus Ursaya tom. 1. p. 1. discept. 13. n. 163. qui ibid. n. 16. refert in punctualissimis terminis duarum aliarum Congr. intermediarum dictæ Provinciæ, re matura perpensa, et partibus acerrime informantibus, se ipso scribente pro illarum validitate, bis respondisse eamdem Sacram Congreg. in Papien. Congregationis intermediæ, nempe, die 21 Januarii 1707, Ponente clar. memor. Cardinal. Gabriello, et die 19 Julii 1709, Ponente Eminentiss. D. Cardinali de Abdua.

(18. Si cœpto electionis tractatu, aliqui Vocales egrediantur, et redire nolint, possunt alii sine ipsis procedere ad electionem, dummodo adhuc major pars Capitularium remaneat in Capitulo; c. *Cum nobis* 19. *de Elect.* et concordat c. *Bon. mem.* 23. eod. tit. c. *Quod sicut* 28. eod. tit. et c. *Cum in cunctis* 1. *de His quæ fiunt a majori parte Capituli*, et tenet communis Doctorum cum Glossa in c. *Cum inter Canonicos* 21. *de Elect.* verb. *Capituli;* ubi sic expresse dicit: « Licet dissensio sit inter Canonicos, et quidam agant contra alios, ibi dicitur esse Capitulum, ubi est major pars. » (19. Et talis electio tenet, quamvis electores recedentes protestationem, et appellationem interponant, quia recedendo faciunt se a Capitulo, et jure eligendi alienos; textu ex-

rat; nempe ad procurandam unionem Græcorum cum Latinis; quod Basileæ perfici prorsus non poterat, cum Græci illuc accedere nollent, cum locus nimis distaret. Injuste ergo Basileenses PP. decreto translationis Concilii obstitere, ac Basileæ ad continuandum Concilium permanendum contendebant. Deinde Basileense Concilium post ejusdem translationem teterrimum Schisma in Ecclesiam induxit, atque Eugenio IV Pontifici legitime creato, quem omnes fideles, ut verum Pontificem, et Christi Domini in terris Vicarium agnoscebant, et colebant, opposuit Felicem V Antipapam, qui tamen veritate tandem aliquando agnita, Pontificatu sese abdicavit, seque Nicolao IV, Eugenii successori subjecit. Quapropter huic Basileensi Concilio merito illud Horatii in *Arte Poetic.*:

Turpem
Desinit in piscem mulier formosa superne,

aptari potest. (EDIT. NEAP.)

Digitized by Google

presso in cit. c. *Cum nobis* 19. *de Elect.* ibi : « Cum post appellationem emissam Archidiaconus cum suis fautoribus Chorum exisset, et vos illos, ut interessent electioni faciendæ, vobiscum curassetis sollicite revocare (quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt) alienos se fecisse videntur, propter quod electioni a vobis juxta formam mandati Apostolici concorditer celebratæ de Jure non posse contradicere, videbantur, » et sic Rota part. 19. recent. decis. 313. n. 13. Card. de Luca disc. 27. *de Canonicis* n. 9. Passerin. c. 11. *de Elect. quæst.* 11. n. 101. Pirhing. lib. 1. *Decret.* tit. 6. n. 135 et sequent. Et alii passim. (20. Et sic expresse censuit Sacr. Congr. Episcopor. et Regular. in Ordinis Cisterc. Capitul. General. 19 Januar. 1720. Ponente Cardinali Spinola, ut refert Ursaya tom. 4. part. 3. discept. 9. Et hoc etiam procedit, quando aliqui Vocales remanent quidem in Capitulo, sed Votare nolunt; Glossa in Clement. quod circa 6. *de Elect.* verb. *Quæ in facto*, Card. de Luca disc. 53. *de Regularibus* n. 8. Fermosin. *de potest. Capitul.* tr. 3. qu. 5. n. 15. Barb. lib. 1. *Juris Eccles. univ.* cap. 19. n. 224. Reiffenstuel. loc. cit. n. 201. Rota in Cæsaraugustana electionis 23 Martii 1623. coram Coccino, et dec. 591. n. 3. coram Merlino, et in una Leodiensi dec. 208. n. 4.

(21. Immo hoc etiam procedit quando una cum aliquibus vocalibus, vel solus sine justa causa exiret de loco Capituli, vel nollet votare ipsemet Præses, aut nollet ad electionem indictam procedere; quia eo ipso quod Capitulum fuerit legitime congregatum pro habenda electione, et illam inchoaverit, fuit jus quæsitum remanentibus pro ea complenda, et Præses, et alii Capitulares recedendo, seu nolendo ad indictam electionem procedere : censentur se fecisse alienos, ex cit. c. *Cum Nobis* 19. *de Elect.* et in terminis tenuit Rota part. 19. tom. 1. recent. decis. 313. n. 13. Hostiens. in d. cap. *Cum nobis* a num. 17. Abbas ibid. num. 10. Roman. *Consil.* 352. num. 15. et 16. Fermosin. *de Electione.* qu. 3. num. 19. et pluribus adductis Ursaya tom. 3. part. 1. discept. 14. a n. 24. ad 44 (1).

(22. Nec obstat validitati talis electionis defectus Præsidis, quia Præses non pertinet ad substantiam electionis, ut solide probat Fagnanus cum aliis in cap. *Quia propter* 42. *de Election.* n. 72 et 73. In d. enim capite, in quo substantialia electionis perstringuntur, de Præside nihil disponitur; sicut nec in decreto Trident. sess. 25. c. 6. *de Regularib.* nec alicubi, ut dicit Fagnanus l. c. reperitur in Jure, quod ex defectu Præsidis aliqua electio fuerit cassata, vel reprobata; nec ullus Doctor id exigit ad electionis validitatem. Unde nisi aliud disponant litteræ Apostolicæ, vel Ordinis constituta, et in tali casu actus Capitulares possent dirigi ab antiquiore, vel digniore in defectum ejus, qui

(1) Facti species, de qua hic agit Cl. Auctor proponitur nobis in cap. Congregato 53, *de Electione*, ac simul resolvitur juxta doctrinam ab eodem Cl. Auctore indicatam. Ecclesia Nivernensis in Gallis viduata Pastore, ejusdem Capitulum convenerat, ut de futuri Pastoris electione ageretur. Cum ad electionis negotium procedi cœpit, tredecim ipsorum in Decanum, octodecim vero in Cantorem ipsius Ecclesiæ convenerunt; quapropter idem Cantor, in quem major pars Capituli consenserat, in Pastorem Ecclesiæ Nivernensis extitit electus. Postea factum est, ut illi, qui in Decanum consensionis suæ vota contulerant, cum ipsis visum esset partem oppositam, quæ steterat pro eligendo Cantore, multum deliquisse, quod personam elegissent scientiæ litteralis expertem, unde facultate eligendi ipso jure excidissent, ac privati essent, juxta statutum Concilii Lateranensis III, relatum in cap. *Cum in cunctis*, § *Clerici* sane *de Elec ion.* atque eligendi potestas translata esset ad partem, quæ Decano eligendo in Episcopum prius suffragata fuerat, eumdem Decanum in suum Episcopum elegerunt. Utraque porro parte ad Sedem Apostolicam recurrente, atque appellationis remedio contra partem adversam pro validitate suæ electionis invicem sese tueri connitente, aliis alia afferentibus; Gregorius IX ratione controversiam istiusmodi componendam decrevit, Episcopo Sylvanectensi hac Decretali rescribens: ut si ipsi Cantori nullus litteraturæ obsisteret defectus, ipsius electio confirmaretur. « Alioquin ipsius Cantoris electione irrita nuntiata, prænominatum Decanum (si nihil ei de canonicis obsistat statutis), eadem auctoritate præficias Ecclesiæ » licet ipse, uti constat, a pauciori-bus de Capitulo fuisset electus.

At numquid ipsa electione indigni, maneat electus alter, qui alioquin dignus a minori, vel æquali parte fuerat electus? Facti species in hunc modum fingi poterit majoris claritatis gratia : Duodecim de Capitulo Canonicis concurrentibus ad electionem Decani, sex ipsorum personam manifesto indignam in Decanum elegerunt; reliqui vero sex in alium convenerant, suaque suffragia direxerant, qui pro certo dignus habebatur: num in persona digni facta electio, licet non a majori parte Capituli, sed tantum æquali, jure subsistat.

Ita quidem sentire videtur Pontas verb. *Electio* : cas. 1. quod probat ex memoratu cap. Congregato. At, ut verum fateamur, alia nobis videtur sententia laud. cap. Etenim tredecim illi Canonici, de quibus agitur in cap. laud. quæ erat minor pars Capituli, nonnisi post electionem indigni a majori parte Capituli factam, ut ipsis autumabant, « Decanum ipsum, in quem prius sua vota direxerant, in suum Episcopum elegerunt. » Non ergo ipsa electione indigni, per priora, ac pauciora suffragia in ipsum collata mansit electus Decanus, sed novo actu, postquam major pars per electionem indigni suffragandi jure privata fuisset, in Decanum consenserunt, atque ipsum in Episcopum elegerunt. Præterea cum eligendi potestas ad minorem illam partem Capituli devoluta non esset, nisi post electionem indigni a majori parte Capituli factam, unde exciderunt a jure eligendi ac eodem privati fuere, cumque in hanc pœnam non incurrere censentur Electores, nisi secuta sit communis electio personæ indignæ, uti decrevit Bonifacius VIII, cap. Perpetua 7. *de Elect.* in 6. inde sequitur electionem Decani a minori Capituli parte factam per priora suffragia, quando simul omnes de Capitulo convenerant, et suffragandi jure omnes adhuc potiebantur, nullam fuisse futuram, nisi novo actu post electionem indigni, in Decanum consensissent, qui prius pro ipso suffragium tulerant, ac in suum Episcopum elegissent. Hæc profecto videtur germana interpretatio allatæ Decretalis *Congregato*, quam sequi atque amplexari oportet, quisquis nolit pro arbitrio, sed jure potius de rebus decernere. (Edit. Neap.)

Digitized by Google

juxta legem præesse deberet, et nollet; Innocent. Joann; Andreas, Abbas. Felin. et alii in cap. 1. *de Majoritat. et obed.* et Fagnanus cum aliis l. c. n. 75. Matthæuc. l. c. cap. 18. n. 54. et alii, et late Ursaya l. c.

(23. Quinimmo etiamsi omnes Electores de Capitulo exeant, si instet terminus ad electionem faciendam a jure præfixus, et unus solus remaneat, hic satis erit; et servatis cæteris servandis, valide poterit eligere, quia iste unus, qui remansit, non debet suo jure privari sine propria culpa; Glossa in cap. *Gratum* 2 *de Postulat; Prælator.* Donatus tom. 2. *Prax. rer. Regular.* tract. 2. q. 10. n. 9. cum aliis ibi citatis; Pirhing lib. 1. *Decretal.* tit. 6. num. 12. Passer. *de Elect.* cap. 10. qu. 1. n. 8. cum aliis plurimis ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. n. 202. arg. *Si forte* 9. dist. 65. *Vide supra* art. 2. sub n. 5. (24. Similiter si uno excepto omnes alii de Capitulo moriantur, vel delinquant, ita ut remaneant privati jure eligendi, vel suis obrenuntient votis, iste unus qui non obiit, nec delinquit, nec suo renuntiavit voto, poterit absque dubio extraneum eligere, quia in tali casu, in isto uno solo conservatur jus totius Capituli, seu Universitatis; Glossa in cit. cap. *Gratum* 2. *de Postulat. Prælator.* Glossa in l. *Neratius*, ff. *de Verbor. significat.* et l. *Sicut.* ad fin. *quod cujusque universit. nomin.* Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univ.* cap. 19. n. 56. et alii supracitati; dicitur autem notanter, quod poterit extraneum eligere, quia non posset eligere seipsum, ex adductis supra art. 2. n. 6. (25. Et a fortiori poterit procedere ad electionem minor pars innocens Capitularium si major pars delinquat, ita ut privata remaneat jure eligendi, vel temere, et sine justa causa recedat; cap. *Gratum* 2. *de Postulat prælat.* c. *Cum nobis* 19. et c. *Bonæ memoriæ* 23. *de Elect.* et docent Doctores communiter.

(26. Si aliquis Vocalium schedulam vacuam miserit in communem votorum Urnam, adhuc electio erit valida, quia talis, qui dedit schedulam vacuam censetur juri suo renuntiasse; arg. c. *Cum nobis* 19. *de Elect.* et notat Glossa magna in Clementin. quod circa 6. *de Elect.* Navarrus consil. 7. *de Elect.* n. 1. Rodericus tom. 2. qq. *Regul.* q. 52. art. 13. Layman. in cit. cap. *Cum nobis* n. 3. et alii passim. (27. Sic si in aperitione scrutinii reperiantur plures schedulæ, quam sint Vocales, adhuc electio erit valida, si demptis superfluis remanet major pars; Sac. Congr. Episc. et Regul. 17 Novembris 1628. et Sacr. Congreg. Concil. in Aquinatens. 23 Augusti 1692.

(28. Electio Superiorum Regularium debet fieri omnino per vota secreta; Conc. Trident. sess. 25. c. 6. *de Regularib.* ibi : « In primis Sancta Synodus districte præcipit omnes supradictos » (scilicet Abbates temporales, aliosque Superiores locales Provinciales, Generales, et Abbatissas) « eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. » (29. Et ita debet fieri per vota secreta, ut non possit fieri per viam compromissi, aut inspirationis. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum l. c. non solum præcipit electionem Superiorum Regularium esse faciendam per vota secreta, sed etiam omnem electionem aliter factam decernit nullam, ibi : « Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis Electus fuerit, Electio irrita sit. » Atqui electiones, quæ fiunt per viam compromissi, aut quasi inspirationis possunt, ac solent fieri per voces publicas non vero per vota secreta, ergo non possunt sic fieri sub pœna nullitatis, et sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Garcias part. 5. *de Beneficiis* cap. 4. n. 204. et Fagnan. in cap. *Quia propter* 42. *de Elect.* n. 30. ubi dicit, quod proposito a Carthusianis dubio : « An in Electione Superiorum possit procedi, nedum per viam scrutinii, sed etiam inspirationis, vel compromissi? » Sacra Congreg. Concilii « censuit electionem horum Prælatorum Regularium debere fieri tantum per vota secreta » ut se habent verba propria Concilii d. cap. 6. Et sic tenet Passerinus cap. 1. *de Elect.* n. 56. et 79. plures alias dictæ Sacræ Congregationis declarationes, et quamplures Doctores allegans, Barbosa in Concil. Trident. dict. sess. 25. cap. 6. *de Regularibus* n. 15, cum variis aliis. (30. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui dicunt Concilium Tridentinum habere locum solum in electionibus Regularium per scrutinium, qui inter ipsos est forma usitatior; non autem in iis, quæ fiunt per compromissum, aut per quasi inspirationem, quæ possunt, et solent fieri palam per voces publicas; Sic Miranda t. 2. *Manual. Prælat.* q. 23. art. 3. in fin. Rodericus tom. 2. qq. *Regular.* q. 92. num. 9. Tamburin. t. 1. *de Jure Abbat.* disp. 5. q. 5. n. 9. Azorius part. 2. lib. 6. c. 14. Pirhing l. c. n. 397. et alii plures.

(31. Electio non desinit esse secreta propter puram et simplicem ostensionem schedulæ secreto factam alicui ab aliquo ex Electoribus ad effectum, ut videat, quam ipse eligat; Dummodo hujusmodi ostensio, seu manifestatio non sit vera, et realis, nec rationabiliter præsumpta causa, cur potius unus, quam alter electus sit, uti esset, si ille, cui facta est talis ostensio, ratione talis ostensionis mutaret suum votum, et faceret inclusivam electionis pro tali sibi ostenso, qui alias sine suo voto non fuisset electus; Castellin. in tract. *de Elect.* c. 4. n. 5. Fr. Emmanuel in *Summ.* p. 1. c. 102. n. 4. Navar. consil. 7. in antiq. alias. 4. in nov. *de Elect.* Barbosa in *Trid. sess.* 25. c. 6. *de Regul.* n. 4. et alii passim. (32. Sic non desinit esse secreta electio, si quis Electorum, sive per malitiam, sive per errorem, ostenderit alteri votum suum, inscio, et non consentiente Capitulo, dummodo tamen non causet affectum, de quo n. antecedenti; Rodericus tom. 2. qq. *Regul.* quæst. 52. art. 9. Navar. *Concil.* 9. *de Elect.* Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* c. 19. n. 209. et in Tridentin. loc. cit. n. 5. Garcias *de Benefic.* part. 5. c. 4. n. 183. Molphes. in summ.

Digitized by Google

part. 1. tract. 6. c. 16. n. 153. Pirhing loc. cit. n. 397. Reiffenstuel. l. c. n. 346. alias enim quilibet Elector posset ex propria malitia omnes electiones irritare, expresse aliis ostendendo votum suum, ut electio non subsisteret.

(33. Desineret tamen esse secreta, et sic non subsisteret electio etiamsi unus solum votum suum publicaret permittente Capitulo, quia sic per totum Capitulum contraveniretur dispositioni Concilii præcipientis sub decreto irritante, quod electiones fiant per vota secreta, et nomina eligentium numquam publicentur; Barbosa lib. 1. *Juris Eccl. univ.* cap. 19. n. 205. Garcias part. 5. *de Benefic.* c. 4. n. 183. et 184. Reiffenstuel l. c. n. 345. Sigismund. a Bononia *de Elect.* dub. 13. n. 4. et alii cum Rota in una Trevirensi Abbatiæ S. Maximini 20 Novembris 1624, coram Coccino Decano. (34. Sic desineret esse secreta, et nulla esset electio, si eligentes uterentur schedula aliquo patenti signo signata, ut innotescat scrutatoribus, vel uni ex illis, quod tales eligentes elegerunt illum nominatum in schedula; ac proinde sic electus factus de hoc certus tenetur resignare Prælaturam, sive officium, vel petere a Sanctissimo confirmationem eum dispensatione. Sic decisum fuisse a Sac. Congregatione Concil. referunt Peyrin. tom. 1. *de Religios. subd. et Prælator.* q. 1. *de Obedient.* c. 21. Castellin. tract. *de Elect.* cap. 3. n. 6. Barbosa in *summa Apostolic.* dec. verb. *Electio, Elector.* n. 19. et in Trident. l. c. n. 9. (35. Item desineret esse secreta, et nulla esset electio, si Præses vel alter de Capitulo alicui vel aliquibus ex Vocalibus traderet schedulas, in quibus notetur nomen illius, qui eligitur ex non servata forma præscripta sub decreto irritante a Tridentino in d. sess. 25. c. 6. *de Regularibus*, prout in simili casu censuit Sacra Congreg. Concil. ut refert Fagnan. l. c. num. 23. Matthæucc. l. c. n. 9. (36. Sic a fortiori desineret esse secreta, et nulla esset electio, si aliquis Pater prædominans traderet alicui Vocali schedulam cum nomine eligendi, ostendendam omnibus aliis Vocalibus a suo prædominio dependentibus, ut ex ipsa copiam faciant, et sic rescriptam in Urnam Electionis reponant; Electoribus enim nullo modo licet ante vel post scrutinium cui suum votum dederint, publicare. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Concil. referunt Garcias loc. c. p. 5. c. 4. n. 197. Barbosa in *Summa Apostolic. dec.* verb. *Electio, Elector.* n. 10. et alii; et clare patet ex ipso Tridentino l. c. ubi expresse præcipit sub decreto irritante Prælatos Regulares « eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. »

(37. Ad Electionem etiam Regularium, ut sit Canonica, debent vocari omnes, qui de jure, vel de legitima consuetudine jus habent suffragandi; cap. *Cum inter universos* 18. cap. *Coram dilecto* 35. et cap. *Quia propter* 42. *de Election. cum similibus*, et docent Doctores communiter. Unde etiam vota infirmorum, qui decumbunt in Conventu electionis, et ob eorum infirmitatem nequeunt electioni interesse, debent exquiri; Innocent. in cap. *Quia propter* 42. *de Election.* n. 2. Silvester verb. *Electio* num. 17. Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univ.* cap. 19. num. 108. Pirhing loc. cit. num. 146. Reiff. loc. cit. n. 191. Donat. loc. cit. tract. 1. quæst. 17. num 15. et alii, et ratio est, quia vota omnium præsentium sunt inquirenda. Infirmi autem, qui decumbunt in eodem Conventu electionis, censentur præsentes; argum. a fortiori l. 5. et 6. ff. *de Procuratoribus*, ubi sic dicitur : « Præsens habetur, et qui in hortis est, et qui in foro; et qui in Urbe, et qui in continentibus ædificiis. » Unde in tali casu debent scrutatores, seu disquisitores ad eos ire, et ab illis schedulas in vas ad id præparatum accipere. Donatus loc. citat. num. 15. testatur sic practicari in sua Illustrissima Religione Ordinis Prædicatorum, et de facto sic practicatur in nostra Religione Minorum, et aliis; et si Infirmi nequeant scribere, debent schedulas pro ipsis scribere duo disquisitores, et eas deferre, et patenter ponere in vase reliquarum schedularum; Lantusca verb. *Electio* num. 8. et alii. (38. Et ad talem electionem vocandi sunt etiam Religiosi sacris non initiati in illis Religionibus, quarum Constitutiones ipsis expresse concedunt, ut habeant votum in Capitulis; sic teste Pignatello tom. 10. consult. 86. num. 13. declaravit Sacra Congreg. Concil. 22 Maii 1577, his verbis : « Quoniam decretum Concilii non comprehendit Monasterium Regularium, sed Ecclesias Sæculares ibi : de quibus ibi est sermo. » In illis tamen Religionibus, quarum Constitutiones non concedunt ipsis tale votum, Religiosi in sacris nondum constituti non sunt vocandi ad electionem : Pignatel. tom. 1. consult. 224. ubi refert, quod Sacra Congregatio Concil. 1. Februar. 1659. in una Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ, censuit c. 4. sess. 22. « comprehendere etiam Regulares Mendicantes, qui non sunt in Ordine Subdiaconatus, vocem habere non possint in Capitulis, et actibus Capitularibus, si in Constitutionibus ejusdem Religionis aliter expresse non caveatur. »

(39. Regulares tenentur sub mortali eligere digniorem, sicuti teneri omnes alios Electores jam diximus supra art. 3. n. 13. Eo vel maxime, quod ipsi ante electionem tenentur præstare juramentum de eligendo talem digniorem ex citatis decretis supra sub numer. 6. et tanto magis ad hoc tenentur Minores de observantia, qui adhuc specialiter obligantur ad præstandum tale juramentum coram Venerabili Christi Imagine, præsente Præside ex Constitutione Innocentii XI, incip. *Militantis Ecclesiæ*, et ex Constitutione Benedicti XIII, incip. *Universalis Ecclesiæ regimini*, confirmata quoad hoc a Clemente XII Constitutione incip. *Circumspecta*, ex adductis supra sub n. 7. 8. et 9. (40. Hinc gravissime peccarent, et ad damna tenerentur, et indignus electus teneretur

Digitized by Google

renuntiare, si nedum non eligerent digniorem, id est qui comparatione aliorum majora merita, majorem sufficientiam, aptitudinemque ad regendum habere dignoscitur, sed potius eligerent indignum, id est quem sacri Canones, Constitutiones Pontificiæ, et statuta Ordinis inhabilem declarant, ut notat Sanctorius in compendio, verb. *Electio* num. 15. (41. Statuta autem Ordinis condita in septuagesimo quinto Capitulo Generali celebrato Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ de Aracœli die 23 Maii 1676, et specialiter confirmata ab Innocentio XI Constitutione incip. *Militantis Ecclesiæ*, quod ad hoc disponunt ut sequitur : « Item statuitur, quod nullus eligi possit in Prælatum, qui vitam communem non sequatur; hoc est qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione peditandi excusetur, habeat, qui camisiis, aut lineis utatur, vel apud se, vel in lecto; qui calceatus incedat, qui jejunia Ecclesiæ, et Regulæ non observet, qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter sit defectuosus in assistendo Communitatibus Chori, et Refectorii, ac aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Electio autem illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda sit a Prælato Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia sine strepitu Judicii; cum consilio tantum, et assensu trium Patrum, qui Provinciales, vel ad minus Deffinitores Provinciæ sint, vel fuerint, super quo eorum conscientias oneramus, ne, aut ille expellatur, qui vitam communem sequitur, aut illo confirmetur, qui illam non observat.

(42. Et similiter fere litteraliter habetur statutum ab Innocentio XI, Constitut. incip. *Sollicitudo Pastoralis officii* § 8. ibi : « Quia vero efficacius prædicta observandi medium est exemplum Prælatorum, sive Superiorum, ideo statuimus pariter neminem eligi posse in Prælatum, sive Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem observantiæ non sequatur; hoc est qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excusetur, habeat, qui indusiis, seu camisiis, aut lineis utatur apud se, vel in lecto; qui calceatus incedat; qui jejunia Ecclesiæ, et Regulæ non observet; qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter defectuosus sit in assistendo Communitatibus Chori, Refectorii, et aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Porro electio illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda sit a Prælato, sive Superiori Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia sine strepitu Judicii, cum consilio tamen, et assensu trium Fratrum, qui Ministri Provinciales, vel saltem Diffinitores Provinciæ sint, vel fuerint : ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequatur, aut illo confirmetur qui eam non observet, oneramus. »

(43. Et clarius, et strictius solvit dubium ortum super habilitate, vel inhabilitate ad posse eligi ad Prælaturas Minorum de Observantia Innocentius XII, Constitutione incip. *Alias a felicis recordationis Innocentio Papa XI*, ubi post insertas ejusdem Pontificis Litteras, statim subjungit : « Cum autem sicut dilectus Filius Bonaventura Poerius Minister Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit; nonnulli Visitatores ex utraque Familia ejusdem Ordinis, tam de Observantia, quam Reformati, dubium ei proposuerint : An eorum Religiosorum, qui vitam communem, in victu, vestitu, Chori frequentia, iter pedibus agendo, aliisque similibus a Regula præscriptis rigoribus non observant, idque ex infirmitatis, sive alterius impotentiæ causa quæ eos, juxta Textum Regulæ, et Constitutionum dicti Ordinis excusat, adeoque a transgressionis culpa eximit, electio in Prælatos, sive Superiores in eodem Ordine valida sit; Eaque si alias Canonice facta reperiatur, et illi officiorum ad quæ fuerint electi cæteroquin sint capaces, ab ipsis Visitatoribus confirmari possit, et debeat. Ipse vero Bonaventura Minister Generalis tametsi existimet Religiosos, qui propter infirmitatem aut aliam quamvis necessitatem, vitam communem, aliaque in præinsertis Innocentii Prædecessoris litteris præscripta exacte observare nequeunt, ab officiis, et gradibus Superioritatis excludi debere, seque, ac pro tempore existentem Ministrum Generalem Ordinis supradicti, eos etiam alias canonice electos, juxta earumdem litterarum formam excludere posse, illos autem qui culpabiliter dictam vitam communem non observant, et ex malitia delinquunt, non solum ab officiis, et gradibus excludi, sed etiam pœnis contra transgressores statutis puniri debere : Nihilominus dubium præfatum declarari, ac alias desuper opportune a Nobis provideri plurimum desideret. Nos ejusdem Bonaventuræ Ministri Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Bonaventuræ Ministri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. Rom. Eccles. Cardinalium, et dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari specialiter a Nobis deputatorum, qui rem mature discusserunt, consilio, Religiosos, omnes præfati Ordinis, qui vitam communem observantiæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris litteris præscriptam vere, et cum effectu sequi non solent, etiamsi id ex infirmitate, seu alia quavis necessitate, et absque ipsorum cum accidat, in Prælatos, seu Superiores ejusdem Ordinis eligi non posse, eorumque electionem, si quando fiat, tametsi alias

Digitized by Google

canonica foret, a Prælato sive Superiore Generali dicti Ordinis, servata quoad hoc earum litterarum forma, irritandam esse. Illos vero, qui in prædictis observantiæ communibus exercitiis, seu in eorum aliquo culpabiliter deficere consueverunt, non modo ut supra ineligibiles esse, sed insuper pœnis Constitutionum ipsius Ordinis subjacere auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus, et ordinamus, decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, etc.

« Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus, etc.

« Volumus autem, etc.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2 Jul. 1693, Pontificatus Nostri Anno quarto.

« J.-F. CARD. ALBANUS. »

(44. Ut electio sit valida requiritur, ut in ipsam concurrat saltem major pars Capituli, ita ut si sint 35 Vocales, requiritur, ut electus habeat ad minus vota 18. cap. Cumsna 50. *de Elect.* et cap. *Sicut* 23. eodem in 6. Major enim pars numero præsumitur sanior, ut habetur expresse ex cap. *Ecclesia vestra* 57. *de Electione*, ibi : « Cum ubi major numerus est, zelus melior præsumatur, » cum similibus; et tenet communis Doctorum cum Fagnano in c. *Cum in cunctis* 1. n. 4. *de his quæ fiunt a majori parte Capituli*. Unde jam hodie non inquiritur amplius an major pars sit etiam sanior. Cum enim ex investigatione quænam esset major, et sanior pars, plura orirentur inconvenientia, jure merito hisce nostris temporibus, et maxime stante dispositione citati Canonis *Ecclesia vestra*, et Concilii Tridentini sess. 25. *de Regularibus* cap. 6. recessit ab aula dicta inquisitio quænam suffragiorum pars sit sanior, sed solum respicitur, et attenditur major, seu minor ipsorum Capitularium numerus; cum in hunc sensum major pars ipsius Capituli sanior præsumatur, si persona electa non sit indignior; Sic Rota in Nullius, seu Pampilonensi Canonicatus de Roncyvalles 12 Maii 1628. coram Dunozetto, Sigismund. a Bononia *de Elect.* dub. 38. n. 8. Lavorius *Variarum Lucubrat.* tom. 1. tit. 4. cap. 19. num. 89. Surd. tom. 4. *de Relig.* tract. 8. lib. 2. c. 5. n. 13. Franc. Marc. Delphyn. dec. 782. n. 3. lib. 1. Tamburin. *de jur. Abbat.* tom. 1. disp. 5. quæst. 6. n. 21. Barbosa *de Canonicis* cap. 38. n. 8. Reiffenstuel lib. 1. *Decret.* tit. 6. n. 150. et alii passim. *Vide* verb. *Abbatissa* a n. 43 ad 52. ubi multa ad rem, quæ hic non repetuntur ne jam scripta rescribantur. (45. Ubi autem vota essent paria, Præses Capituli nequit dare votum decisivum, cum nec Jus Canonicum, nec constitutio particularis, immo nec ullus Auctor quem viderim, illud ipsi concedat. Unde Vocalibus in paritate votorum persistentibus, transacto tempore ad electionem præfixo, devolvitur electio ad immediatum Superiorem, ut ultra jus commune, disponunt fere omnium Regularium Constitutiones loquendo de electionibus, a toto Capitulo faciendis. (46. Loquendo tamen de electionibus, quæ fiunt a solo Diffinitorio, Præses in paritate votorum habet votum decisivum ex Constitutione Urbani VIII, incip. *Religiosos viros*, et ex Constitution. Alexand. VII. incip. *Credita Nobis*. (47. Deficiente autem Præside in paritate votorum, decisivum in electionibus, et negotiis in Diffinitorio peragendis concessit etiam Ministris Provincialibus Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium 13 Martii 1653. Dummodo tamen in ipsis electionibus, quæ per ballotationes fiunt, voto decisivo non utantur, nisi per tres vices fuerint æqualia, ut declaravit eadem Sacra Congregatio Episcopor. et Regularium 15 Martii 1663.

(48. Commissarii Provinciales, qui tempore Capituli Generalis relinquuntur ad gubernandas Provincias, eligendi sunt a Diffinitoriis Provincialibus per ballotationes; Statut. General. Vallisoletan. de anno 1670. t. pro Ultramontan. Famil. num. 6. Ordin. Seraphic. tom. 4. et Statuta Generalia de anno 1700. (49. Sic etiam per ballotationes, et vota secreta debent fieri omnes, et singulæ electiones quæ fiunt in Diffinitoriis tam Prominstrorum Provincialium, et Custodum, quam Guardianorum. *Compilatio statutor. Sambuc.* cap. 8. § 36. num. 7. et citat. Constitut. Urbani VIII. incipiens *Religiosos viros*, ibi : « Ut de cætero omnes, et singulæ Electiones tam Prominstrorum, et Custodum, quam Guardianorum dicti Ordinis per suffragia secreta, et ballotationes fiant. » (50. Electiones autem quæ fiunt in Capitulis tum Generalibus, tum Provincialibus, debent fieri non per secretas ballotationes, sed per secreta schedularum suffragia ita obsignata, ut eligentium, nomina sint secreta et occulta, et nunquam publicentur, ac peracto scrutinio schedulæ coram omnibus Vocalibus illico comburantur, ut expresse statuit Sixtus V, Constitut. incipiente *Et communis cura*.

(51. Electio ut sit Canonica debet esse omnino libera, ita ut aliter facta sit ipso Jure nulla; c. *Cum terra* 14. *de Elect.* cap. *Ubi periculum* 3. *de Elect.* in 6. § *Cæterum*, ibi : « Cessat Electio dum libertas adimitur eligendi. » (52. Unde nulla est Electio, sine auctoritate Apostolica limitata, et restricta ad aliquos, cæteris exclusis, ut habetur ex Sacræ Cong. Concil. responso ad sequens dubium : « An stante libertate electionis liceat Prælato Regulari proponere duos, vel tres, ex quibus eligatur unus? » Sacra Congregatio censuit non licere. Sic ex aliis refert Donat. loc. cit. tract. 1. quæst. 19. num. 7. et teste Fagn. in cap. *Cum dilectus* 8. *de Consuetudin.* num. 21. eadem Sacra Congregatio consulta a Generali Ordin. S. Augustini : « An liceat in Electione Provincialium, Priorum, aliorumque Officialium facienda aliquos nominatim proponere; ex quibus unus canonice per secreta suffragia ad officium eligatur? » Respondit *Negative*. Et quod Capitulum celebratum cum restrictiva Personarum eligendarum, et cum impressione sæcularis Potestatis sit nullum expresse declaravit Congreg. particularis in

Digitized by Google

Taurinen. Nullitatis Capitulis 2 Septembris 1708, de qua Ursaya tom. 1. par. 1. discept. 17. per. tot. Hinc in Ordine Minorum de Observantia Generalis, vel Præses Capituli coarctans Electores ne libere agant, privatur Officio, ex Constitutione Sancti Pii V, incipiente *Pastoralis;* et Constitut. Francisc. cap. 8. (53. Non est tamen contra libertatem electionis quod Electores coarctentur ad eligendum aliquod genus personarum v. g. Magistrorum, Lectorum, etc., vel talis Nationis, et hujusmodi. Patet hoc ex praxi multarum Religionum, in quibus sunt legitime institutæ alternativæ, ut electio Superioris aliorumque Officialium semel fiat de una, et semel de alia Natione, et non nisi de personis habentibus tales vel tales qualitates, et valere tales electiones tenet Fagnanus in cit. cap. *Cum dilectus* 8. *de Consuetudine* a num. 25. ad num. 39. Panormitan. communiter receptus in cap. *Cum terra* 14. *de Elect.* num. 4. Navarr. lib. 1. *de Constit.* cons. 5. num. 1. in prima editione. Silvester verb. *Electio* 1. quæst. 23. Donatus loc. cit. quæst. 10. num. 1. et seq. et communis aliorum.

(54. Libertatem electionis tollit, et ipsam irritat subornatio, quæ fit importunis precibus, comminationibus, vituperationibus, donis, promissis, aliisque mediis, artibus, et modis illicitis sufficientibus ad commovendum, seu moraliter cogendum ad dandum suffragium illi determinato, pro quo, cæteris aliis exclusis, a subornatore talibus illicitis mediis inducitur; si quis enim ad extorquendum suffragium pro se, vel amico comminetur alicui Electori expulsionem a Provincia, aut a tali sibi grato Conventu, aut impedimentum a consecutione justi gradus, vel ad terrorem objiciat falsa crimina, vel etiam vera, sed penitus occulta, vel alias similes vexationes, clarum est ipsum Electorem non libere, sed justo metu motum, tali suffragium suum præbere, adeoque nulliter, cum nulla declaretur Electio ex metu, et terrore facta per cap. *Ad aures* 3. *de iis quæ vi metusve causa fiunt;* sicuti nulla declaretur electio facta importunis precibus ex cap. *Per inquisitionem* 26. *de Election.* (55. Hinc in Ordine Minor. de Observantia subornatores pro se, vel pro alio ex Constitution. Sancti Pii V, incipien. *Pastoralis Officii*, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, et privationem vocis activæ, et passivæ, ibi : « Qui vero in Electionibus ipsis, vel ante eas per sex menses pro se, vel alio subornaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua absolvi non possit, nisi a Pontifice pro tempore existente, ac voce activa, et passiva perpetuo careat. » (56. Quæ tamen excommunicatio modo potest absolvi a ministro, et Commissario Generalibus, ubi agitur de electione Superiorum inferiorum, uti concessit, et moderavit Pianam Constitutionem quoad talem reservationem Gregor. XIII. Const. incipien. *Consuevit;* et statuta Ordinis de anno 1663. cap. 7. § 6. num. 43. ita habent: « Subornatores declaramus, qui donis, et promissis, comminationibus, et obsecrationibus, importunis laudibus, aut vituperationibus falsis, aliquem inducere conantur, ut sibi, vel alteri suffragium in electionibus ferat, quive colligationes, aut inductiones fecerint, non autem illi qui conferendo, vel consulendo talem dignum, vel indignum ad officium dixerint, ut ad illud eligatur vel non eligatur. » Et num. 44. « Qui in Electionibus, vel ante per sex menses pro se, vel pro alio, per se, vel alios subornaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat Ministro, aut Commissario Generali reservatam. Si vero Generales ipsi in eadem damnatione fuerint, a solo Summo Pontifice absolvi poterunt juxta Constitutionem Gregorii XIII, et insuper eosdem Subornatores actibus legitimis ipso facto privamus. »

(57. Et generaliter pro omnibus Regularibus illicitis modis pro se, vel pro aliis Dignitates procurantibus a Clemente VIII, in Constitutione incip. *Nullus omnino*, edita 20 Martii pro reformation. Regularium, tam Monachorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, et Instituti sub § 35. Ita fuit statutum : « ut omnis Officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes a directa, vel in indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, et Censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensare a nemine possit, nisi a Nobis, vel successoribus nostris, et pro qualitate culparum, gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, et non revelantes, extendimus. » (58. Quæ Constitutio fuit innovata jussu Urbani VIII, a Sacra Congregatione Concilii die 21 Septembris 1624, in decret *de Apostatis, et ejectis*, incipiente *Sacra Congregatio*, sub § 1. ibi : « Ac primo ut infecta semina e quibus pravi ejusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innovandas, Sanctissimi auctoritate innovat Constitutiones, et Decreta generalia S. M. Clementis VIII, ad Regularium reformationem ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districteque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exacte observent, atque ut observentur efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. »

(59. Electio evadit Simoniaca, et consequenter nulla, cum pro consequenda aliqua Prælatura, seu Dignitate v. g. Prioratus, Guardianatus, Diffinitoriatus, Provincialatus, et Generalatus, et hujusmodi datur aliquod temporale munus, vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio; dare enim aliquod temporale pro spirituali est semper simoniacum;

Digitized by Google

cap. *Quam pio* 2. caus. 1. quæst. 2. cap. *Non satis* 8. et cap. *Mandato* 45. *de Simonia* cap. *Monachi* 2. *de statu Monachorum cum similibus.* (60. Et talis electio de Jure Ecclesiastico est nulla etiam ante Judicis sententiam; cap. *Ea quæ a Sanctis.* 6. caus. 1. quæst. 3. ibi : « Quidquid ergo in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, et nullas umquam vires habere censemus; » cap. *Cum Clerici* 6. *de Pactis*, ibi : appellatione cessante, eos aliter adeptis Ecclesiis spoliatis, » cap. *Matthæus* 23. et cap. *Sicut tuis* 33. *de Simonia*, ubi habetur obtinentem bona fide per Simoniam ab alio commissam, teneri beneficium deponere, ergo Pontifex ibi supponit adeptionem Beneficii invalidam esse; secus renuntiationem debere fieri non præciperet. Et in Extravagant. *Cum detestabile* 2. *de Simonia, inter Communes*, sic expresse habetur : « Per electiones, seu quasvis alias dispositiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, et quæ viribus omnino careant in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, et quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus, statuentes præterea, quod universi, et singuli etiam præmissis dignitatibus prædicti, qui quomodolibet dando, vel recepiendo, simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolvi, præterquam in mortis articulo constituti. »

(61. Talis electio est nulla, etiamsi Simonia sit occulta; citat *Extravagant.* ibi : « Et eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum, » etc. Matthæus 23. et cap. *Nobis* 29. *de Simonia.* (62. Immo est nulla electio, etiamsi electus penitus ignoret simoniam commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem : nisi in hujus præjudicium fraudulenter fiat ab aliquo inimico, textu expresso in cit. cap. *Nobis* 25. *de Simonia*, ubi propositum casum, « Quod cum quatuor essent a Capitulo constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum, amici ejus de cujus electione spes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiserunt, pecuniam se soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus, » etc. Ita respondit Pontifex : « Quod nisi constaret, illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tamquam Simoniaca pravitate præsumpta est penitus reprobanda. » Licet enim Electus non peccaverit, electio tamen est vitiosa propter eligentes, quia peccant Electores in forma, licet Electus non sit in culpa, uti recte advertit Glossa ibid. verb. *Reprobanda*, arg. cap. *Cumana* 50. et cap. *Ecclesia vestra* 57. *de Election.* (63. Hinc simoniace Electus tenetur in conscientia sub peccato mortali renuntiare Prioratum, Rectoratum, Guardianatum, Diffinitoriatum, Provincialatum, Generalatum, et hujusmodi; nec absolvi potest priusquam renuntiet; et hoc etiamsi Simonia sit occulta, sive commissa sit ab eodem qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis, ipso quoque nesciente, cap. *Quicumque* 1. caus. 1. quæst. 5. ibi : « Quicumque sane cupiditate parentum, cum adhuc parvuli essent, Ecclesias, vel Ecclesiarum partes per pecuniam adepti sunt, postquam eas omnino dimiserunt, » etc. cap. *Eos* 2. ead. caus. et quæst. ibi : « Ex hac itaque auctoritate colligitur, quod ignorantia tales excusat a reatu criminis, ut supra dictum est, non a fructu emptionis, cum in Ecclesiis, quas parentum pecunia adepti sunt, non nisi postquam eas omnino dimiserint, et ex misericordia ibidem eis esse conceditur, in quo patet, quod et si illis ignorantibus simoniæ peccatum esset admissum, fructum tamen paternæ emptionis reportare non possunt; » cap. *Sicut tuis* 33. *de Simonia.* ibi : « Secundum Canonum statuta etiam parvuli qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur » et concordat capit. *Matthæus* 23. capit. *Nobis* 27. *de Election.* cit. Extravagant. *Cum detestabile* 2. *de Simonia inter communes*, c. *Si alicujus* 59. *de Election.* cum similibus. Donatus loc. cit. tract. 1. q. 20 n. 4. Reiffenstuel lib. 5. *Decretal.* tit. 3. n. 174. et ipso teste, unanimis, ac certa aliorum ob claram dispositionem Canonum adductorum.

(64. Simoniaca, et nulla est electio, in qua electores ita paciscuntur : si tu eliges me in Provincialem, ego te eligam in Definitorem, in Guardianum, et hujusmodi; si tu dederis mihi, vel meo amico tuum votum, ego dabo tibi meum, vel amico tuo; si tu in hac electione suffragatus fueris pro meis dependentibus, ego in alia suffragium feram pro tuis. Omnes enim istæ, et similes pactiones semper continent labem simoniacam, cum jus spirituale detur cum onere, ut aliquid fiat, quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa mediata illam habendi; cap. *Quam pio* 2. caus. 1. quæst. 2. ibi : « Dum tamen omnis absit pactio, et omnis cesset conventio; » cap. *Plerique* 7. *de Pactis*, ibi : « Pactum hujusmodi penitus reprobamus, » c. *Pactiones* 8. eod. tit. ibi : « Pactiones factæ a vobis (ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti; » cap. *Quæsitum* 5. *de rerum Permutatione*, ibi : « Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ, » et concordat c. *Præterea* 9. *de Transactionibus* c. *De hoc* 11. etc. *Tua nos* 34. *de Simonia*, cum similibus. Et sic communis Doctorum cum D. Thoma quodlibet 8. art. 11. Cajetan. in suum verb. *Simonia*, § circa tertium, Silvestr. verb. eodem quæst. 13. dist. 4. Navarr. in *Summa* cap. 23. num. 116. Reginald. in *Praxi* lib. 23.

Digitized by Google

23. num. 244. Donat. loc. cit. tract. 1. quæst. 22. num. 1. et alii passim. Hinc caveant Factionarii, et Præpotentiarii, ne per suas illicitas colligationes, et iniquas pactiones, plures solemnizent Nullitates, quam celebrent Electiones, et in laqueos æternæ perditionis, se, suosque sic colligatos misere injiciant. Alia ad rem, vide verb. *Simonia*.

(65. Electio celebrari debet in loco publico, et solito, ut in Ecclesia, Choro, Sacristia, vel Capitulo, seu hujusmodi, dummodo non sit locus clandestinus; leg. *Observare*, Cod. *de Decurionibus* lib. 10. cap. *In causis* 30. *de Elect.* ibi: « Mandantes eis, ut redirent ad Capitulum, et pariter cum aliis Fratribus de electione tractarent. » (66. In casu autem necessitatis celebrari potest extra Ecclesiam, seu Monasterium, et extra locum solitum; cap. *In nomine Domini* 1. dist. 23. circa med. ibi: « Quod si pravorum, atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in Urbe non possit Electio, Cardinales, Episcopi cum Religiosis Clericis, Catholicisque Laicis, licet paucis, jus potestatis obtineant eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint. » (67. Immo in casu necessitatis potest Electio celebrari etiam in loco interdicto, quia per Interdictum solum suspenduntur Divina, et Ecclesiastica Sacramenta; cap. final. *de Sentent. excomm.* in 6. Electio autem non est Sacramentum; nec est de illis Divinis; Tum quia ita colligitur ex cap. *Ad hæc* 1. *de Postulatione prælator.* ubi in fine Pontifex concedit, et admittit postulationem, et electionem posse fieri in loco Interdicto. (68. Extra tamen casum necessitatis male facerent Electores eligendo in loco Interdicto, Silvester verb. *Electio* 1. quæst. 8. num. 9. Miranda tom. 2. *Manual. Prælator.* quæst. 23. art. 9. Donat. loc. cit. tr. 2. quæst. 2. num. 1. (69. Electio vero adhuc esset valida; Perez. leg. 2. verb. *Quæri etiam posset* tit. 6. lib. 1. ordin. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 17. Lavor. *Variar. lucubrat.* tom. 1. tit. 4. cap. 18. num. 6. Barbosa lib. 1. *Jur. Ecclesiast. univers.* cap. 19. numer. 177. (70. Sic etiam valida esset electio, quamvis non esset facta in loco consueto, dummodo reliqua omnia fuerint servata. Locus enim non est de substantia electionis, nec usquam reperitur jus proditum, quod propter locum electio debeat annullari, quamvis Glossa in cap. *in Nomine Domini* 1. dist. 23. verb. *Fieri in Urbe*, dicat electionem esse nullam si fiat alibi, quam in loco ad hoc determinato per c. *Venerabilem* 34. *de Election.* hæc enim Decretalis non probat id quod dicit Glossa, sed factum recitat prout contigit, ut notat Archidiaconus in d. cap. *In nomine Domini* num. 16. et 17. dist 23. ubi num. 18. dicit opinionem Glossæ communiter non teneri. Et sic Abbas in cap. *Cum terra* 14. *de Election.* Barbosa loc. cit. 117. Lavor. l. c. cap. 18. n. 7. Fagnan. in c. *Quia propter* 41. *de Electione* n. 68. et in c. *Cum ex injuncto* 2. *de Novi operis nuntiation.* n. 20. et alii cum Rota part. 6. recent. dec. 36. n. 7.

(71. Electio de jure communi est facienda, quando Ecclesia est viduata, et vacat legitimo suo pastore; cap. *Quia propter* 42. *de Election.* ibi: « Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore. » (72. Vacatio autem, et Viduatio potest fieri multipliciter, nempe per mortem, renunciationem, translationem, et proprii Prælati remotionem, ut habetur in cap. *Inter corporalia* 2. *de Translation. Episcop.* ibi: « Cum per translationem, depositionem, aut cessionem, » et notat Glossa ibid. verb. *Fortius.* (73. Viduata, seu vacante Ecclesia, debet ab Electoribus, cessante legitimo impedimento, fieri electio infra tres menses, alioquin devolvitur ad proximum Superiorem, textu expresso in cap. *Ne pro defectu* 41. *de Election.* ibi: « Ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur; volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, et Ecclesiarum indemnitatibus providere, statuimus ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Prælato non vacet, intra quos (justo impedimento cessante) si Electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi potestate careant ea vice. Ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo præesse dignoscitur, devolvatur. » (74. Et si ipse proximus Superior infra idem tempus non elegerit, devolvitur ad alium Superiorem, et sic successive usque ad Papam; Silvester verb. *Electio* 1. quæst. 6. nu. 7. Miranda tom. 2. *Manual. Præl.* quæst. 23. art. 12. Donat. loc. cit. tract. 3, num, 3. et alii passim. (75. Dicti tres menses non sunt computandi a die vacationis, sed a die habitæ scientiæ talis vacationis; cap. *Licet* 3. *de supplend. negligent. Prælat.* cap. *Quia diversitatem* 5. § final. *de Concess. Præbend.* Tempus enim non currit ignoranti, l. 2. cap. *Qui admitti*, sicuti nec currit legitime impedito, ex ipsomet cit. c. *Ne pro defectu*, ibi: « Justo impedimento cessante. »

(76. Regulares autem non tenentur stare huic tempori a Jure communi præfixo, sed debent servare tempus, et modum a suis specialibus Constitutionibus statutum, Clemens enim IV. ut refert Casarub. in *Compend. privilegior.* verb. *Electio* § 4. concessit expresse Fratribus Minoribus, « quod in electionibus tempus super hoc a jure statutum ipsis non currat, nec in hac parte Juris hujusmodi Regulis coarctentur, » et idem fuit concessum Ordini Prædicatorum ab Alexand. IV. Constitut. incipien. *Cum hi*, et a Sixto IV. *in Mari magno*; et quod electiones Regularium cujuscumque Ordinis celebrandæ sint secundum proprias, et speciales suas legitimas Constitutiones, colligitur ex Clementin. *Exivi*, de verb. *Significat.* et constat ex Decretis editis a Clemente VIII. *de reformat. Regular.* § 36. et ex variis aliis Bullis specialibus, per quas Juri communi derogatur. (77. Si electio non fuerit celebrata statuta, et præscripta die in Ordine Minorum, si electio sit Provincialis, devolvitur ad Generalem; Clem. IV. Constitut. incipiente *Virtute conspicuos*; si sit Gene-

Digitized by Google

ralis, devolvitur ad Papam, *Constit. Ordin.* stat. 8. cap. 9. in textu, et in hoc fere omnes Religiones concordant; sed quælibet stet suis specialibus Constitutionibus a Sede Apostolica approbatis. (78. Electio celebrata post elapsum tempus a Jure communi, vel speciali præfixum est nulla; cap. *Ne pro defectu* 41. *de Elect.*, c. *Licet* 3. *de supplend. negligen. Prælator.*

(79. Electio regulariter loquendo non est facienda de nocte. Navarr. consil. 2. *de Electio.* in prima edition. alias. consil. 8. Rodriquez tom. 2. quæst. 61. art. 15. Mirand. tom. 2. *Manual Prælator.* quæst. 23. art. 12. conclus. 1. Sayrus in florib. *decis de Election.* decis. 2. Molfesius in *Summ. Moralis Theolog.* tract. *de Benefic.* cap. 16. num. 129. Castellin. *de Election.* in addit. ad cap. 6. pag. 498. Portell. in dub. Regul. verb. *Electio* num. 6. Donat. loc. cit. tract. 3. quæst. 7. num. 2. Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 19. num. 170. et alii passim. (80. Dicitur *Regulariter loquendo*, quia ob gravem, et urgentem causam potest Electio licite, ac valida celebrari de nocte, dummodo tamen adsint ad minus tria luminaria, ad evitandos dolos, et errores, qui in dandis suffragiis, et conscribendis schedulis possint oriri. Rodriq. tom. 2. qq. Regul. quæst. 51. art. 5. Portell. in *Dub. Regular.* verb. *Electionum.* 5. Mirand. loc. cit. conclus. 1. Barbosa loco citato num. 170. Donat. loc. cit. num. 4. et alii. (81. Causa autem gravis, et urgens pro celebranda electione de nocte, esset si in tota die non potuerint Electores concordari, et sequenti die periret facultas eligendi; vel si immineret periculum ut Congregatio dissolveretur; vel si timerentur obventuræ Magnatum litteræ, quæ possent Electorum libertati præjudicare, et hujusmodi. Samuel. tract. 1. disp. 1. controvers. 19. *de Elect.* Donat. loc. cit. num. 5. Barbosa loc. cit. n. 170. Portell. loc. cit. et alii. (82. Per noctem intelligitur illud tempus, quod incipit post datum signum ad salutationem Angelicam usque ad illud tempus, quod jam albescit. Barbosa loc. cit. num. 171. Donat. loco cit. num. 3. Navar. loc. cit. et alii passim. (83. Electio potest celebrari etiam die Festo. Donat. l. c. q. 10. n. 1. et alii communiter.

(84. Si debito tempore ante celebrationem Capituli vel Congregat. non exhibeantur attestationes de adimplemento onerum Missarum, electio est nulla: ita habetur ex Constitutione Innocent. XII. incipien *Nuper* § 33. ibi: « Teneantur omnes, et singuli Superiores Locales, in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam, et juratam, quod omnibus, et singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, et tenorem præsentium decretorum, tempore eorum reiminis fuerit omnino, et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali impedimento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, et omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem, quicumque Superiores Locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant. » (85. Et sic defectu observantiæ dictæ Constitut. pro nullitate Capituli Provincialis, Partibus acriter informantibus respondit Sac. Congr. Episcop. et Regul. Ponente Emo. Corsino in Baren. Provinciæ S. Nicolai Capituli Provincial. 18. Febr. 1712. dubio: « An Electio Provincialis etc. sustineatur? » *Negative;* et die 3. Julii ejusdem anni persistendo in resolutis, respondit cum addito, *Ut causa amplius non proponeretur.* Et idem etiam resolvit in Provincia S. Bernardini 19. Maii 1713. referente Eminentissimo Casino, cum rescripto, « suspenso Capitulo, Superiores procedant ad declarationem incursus pœnarum prout de jure. » Recurrentibus autem Superioribus Generalibus ejusdem Religionis, atque ante oculos EE. PP. ponentibus magna incommoda Provinciæ, et moraliter impossibilitatem convocandi aliud Capitulum cum diversis Vocalibus, nonnisi gratiam rehabilitationis quoad vocem activam tantum obtinere poterunt, die 2. Junii 1713. cum rescripto: « Pro gratia rehabilitationis quo ad vocem activam tantum, imposita pœnitentia salutari. » Cum quibus pro punctuali executione ejusdem Innocentii Constitutionis processit etiam Sac. Congregat. Concilii in Ord. Minor. Observ. 17. Junii 1713. quoad 2. dubium. Sic expresse refert Ursaya tom. 2. part. 2. discept. 29. num. 4. 5. 6. et 7.

(86. Vicarius Provincialis electus a solo Diffinitorio post mortem Provincialis potest ex justa causa obtinere titulum Ministri Provincialis, ut de facto enixe supplicantibus omnibus vocalibus Provinciæ Neapolitanæ Reformatæ, et concurrente consensu nedum omnium omnino Vocalium, sed etiam omnium Exprovincialium non Vocalium illius Provinciæ, et Superioris Generalis, concessit Patri Petro de Neapoli Sacra Congreg. Episcopor. et Regul. Ponente Eminentiss. Casino 22. Maii 1714. (87. Sic in Provincia Romana anno 1673, fuit electus Vicarius Provincialis P. Joseph Mediolanensis, qui paulo post titulo et prærogativis Ministri Provincialis decoratus fuit, prævio voto Sacræ Congreg. Episcop. et Regul. mediante Breve S. M. Clement. X. referente P. V. C. Generali in ejus voto. Item in Provincia S. Thomæ anno 1699, ex gratia Sacr. Congreg. Episcopor. et Regul. remissis arbitrio P. Matthæi a S. Stephano tunc temporis Superioris Generalis precibus P. Petri Francisci de Solere, idem ex Vicario Provinciali declaratus fuit Minister Provincialis; sic refert Ursaya tom. 1, part. 2, discept. 22. (88 Qui tamen in Miscellaneo Sacro, et Profano verb. *Vicarius Provincialis* refert talem gratiam fuisse denegatam ab eadem Sacra Congr. Episcop. et Reg. in Januens. 24 Septembris 1717.

(89. Electio facta a Regularibus, et de Re

Digitized by Google

gularibus necdum in eadem Religione professis, est nulla; Regulares enim qui tacite, vel expresse professionem non emiserint, sunt incapaces eligendi, textu expresso in c. *ex Eo* 32, *de Elect.* in 6, § *in Ecclesiis*, ibi: « In Ecclesiis quoque Regularibus, vel Monasteriis, hi qui non sunt tacite vel expresse professi, non debent cum professis, vel Conversi Laici cum Clericis, electionibus interesse » Navar. in *Lucern. Regul. vel Electores, sive Eligentes* n. 1, Silvester verb. *Electio* 4, n. 5, Barbosa loc. cit. c. 19, n. 50, et communis aliorum. Et Regulares qui non sunt expresse professi; nequeunt omnino eligi in Prælatos, textu expresso in cap. *Lullus* 28, *de election.* in 6, ibi: « Nullus Religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam suæ, vel alterius Religionis de cetero eligatur, nisi antea fuerit Ordinem Regularem expresse professus. Quod si secus actum fuerit; eo ipso irritum habeatur. » (90. Ex quibus textibus clare patet, quod ad hoc, ut quis possit eligere, sufficit tacita professio, « tacite vel expresse professi. » Ut vero possit eligi, necessario requiritur expresse, « nisi fuerit Ordinem Regularem expresse professus, » ut recte observant Sigismund. a Bononia *de Election.* dub. 90, nu. 3, Suarez *de Religion.* tom. 4, tract. 8, lib. 2, cap. 4, n. 2. Barbos. loc. cit. num. 50, et alii passim, et hoc procedit etiam in Monialibus, textu expresso in cap. *Indemnitatibus* 43, *de Elect.* in 6. (91. Et eligendus in Prælatum debet esse professus in eadem Religione, in qua eligitur, textu expresso in Clement. 1. *de Election.* ibi: « Cum rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in eisdem Monasteriis socientur, prohibemus ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel Habitus de cætero eligatur; Quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum; et inane. » Et per hanc decretalem correctum videtur illud verbum in cit. cap. *Nullus* 28. *de Election.* nempe « Vel alterius Religionis de cætero eligatur, » ut ubi notat Glossa in verb. eod. et clare de se patet propter congruentem rationem in d. Clementina adductam.

(92. Sententiæ privationis vocis activæ, et passivæ debent a Superioribus Regularibus pronunciari per mensem ante Capitulum, aliter non tenent, ex visitationis Apostolicæ decreto edito 14 Octob. 1601. a Clement. VIII. approbato sub his verbis: « Privatio vocis activæ, et passivæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæque ab eisdem Superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque eæ promulgatæ vocales minime afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatæ, prout Sanctitas sua omnino vetuit. » Quod decretum nominatim observari præcepit jussu Pauli V. Card. Verallus Ord. Minor. Protector 27 Maii 1616. ut refert Lontusca in *Theatr. Regul.* verb, *Causa, seu lis*, n. 2. Hoc enim fundatur in jure communi, secundum quod omnes mutationes, et sententiæ prolatæ in limine Capituli præsumuntur factæ ad fraudandam futuram electionem, ut advertunt Castellinus *de Elect.* c. 13 n. 14. Pellizar in *Manual. Regul.* tract. 9. c. 2, sect. 2. num. 8. Pignatell. tom. 10. consult. 18. num. 10. (93. Non enim potest præses Capituli Religiosos voce activa et passiva privare, ipsis non citatis, nec eisdem data actorum copia, ut se possint via Juris defendere, quamvis a Superiore Generali haberet in mandatis, ut procederet sine strepitu, et figura Judicii, et quod posset Religiosos voce activa, et passiva privare, quia id debet intelligi, *Juris ordine servato*, scilicet citato reo, et in suis exceptionibus audito. Clementin. cap. *Pastoralis* 2. § *Ceterum. de Sentent. et re judicat.* Rodriq. qq. Regul. part. 2. q. 52. art. 12. Miranda in *Manual. Prælator.* tom. 2. qu. 23. art. 22. conclus. 3. Castellin. *de Elect.* cap. 13. tit. direct. pacific. election. Lezana tom. 1. qq. Regul. cap. 15. n. 34. Peyrin. tom. 1. *de Subdito* qu. 1. *de Obedient.* c. 31. § 10. Pignatel. tom. 10. d. consult. 18. num. 9. cum aliis adductis a Passerin. *de Elect.* cap. 2. quæst. 4. num. 71. (94. Si tamen citato Capitulo, et Vocalibus jam congregatis emergeret casus, propter quem Vocalis aliquis sit voce activa, vel passiva privandus, tunc ipso summarie audito, an aliquam excusationem pro se adducere possit, aut velit, posset sententia pronunciari, vel declarari incurrisse excommunicationem, et consequenter privationem vocis activæ, si esset notorius Clerici percussor, ex cap. *Si quis suadente* 29. caus. 17. quæst. 4. vel privationem vocis activæ, vel passivæ incurrisse, ex quo non detulerit ad Capitulum attestationem juratam a Sacerdotibus sui Conventus super celebrationem Missarum ad præscriptum Constitutionis Innocentii XII. incipien. *Nuper*, sub talis privationis pœna id præcipientis, ut patet ex propriis suis verbis relatis supra *sub num.* 84.

(95. Electio Canonice celebrata, est confirmanda ab immediato, et proximo Superiore; cap. *Nihil* 44. *de Elect.* § *Ceterum.* (96. Si electus ante confirmationem se immisceat administrationi, seu exercitio Prælaturæ, est ipso facto privatus jure acquisito per electionem; cap. *Qualiter* 17. *de Election.* et cap. *Avaritiæ* 5. eod. tit. in 6. (97. Excipiuntur tamen electiones Generalium Ordinum, qui ex variis privilegiis a Sede Apostolica ipsis concessis, eo ipso quod sunt electi, sunt a Sede Apostolica confirmati, vid. Constitut. Sixti IV. incipien. *Dum attenta.* (98. In Ordine Minorum, Generalis statim ac Canonice est electus potest plenam et liberam administrationem, et jurisdictionem exercere, ex concessione Clementis IV. Constitut. incipient. *Virtute conspicuos.* Provinciales vero ex eadem Constitutione confirmantur a Generali, vel ab ejus delegato Visitatore, et Præside; Guardiani autem eodem actu eliguntur, et confirmantur; ut cum aliis notat Hasbensis summ. 99. verb. *Electio* num. 193. et docet praxis. (99. Abbatissæ quamvis debeant ab Episcopo, vel suo respective Superiore confirmari, adhuc possunt ante confirmationem administrare juxta

Digitized by Google

dispositionem textus in cap. *Indemnitatibus* 43. *de Electione*, et declaravit Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Mazarien. 18 Martii 1700. referente Eminentissimo Colloredo.

(100. Quoad electionem Abbatissarum notanda sunt sequentia novissime proposita, et resoluta dubia (1).

I. An in Electionibus Abbatissarum in Monasteriis sub disciplina Regularium Minorum de Observantia, possit Episcopus secum conducere Cancellarium; et quatenus affirmative.

II. An liceat eidem Cancellario interesse, et assistere scrutiniis, et Electionibus Abbatissarum, quæ fiunt in Monasteriis Ord. Minor. de Observantia Tiburis; et quatenus negative?

III. An saltem dictus Cancellarius durante scrutinio permanere possit intra Ecclesiam in casu, etc.

Sac. Congregat. Concil. in Tiburtina 26 Aprilis 1727, respondit ad I. *Affirmative.* Ad II. *Negative.* Ad III. *Nec Cancellarium, nec Fratres, exceptis, Superiore, et Scrutatoribus, permanere posse intra Ecclesiam.*

Insuper attendenda est sequens alia ejusdem Sac. Congregat. Concil. resolutio sub die 4 Maii 1675, in Neapolitana Electionis Abbatissæ lib. 29, *Decr.* pag. 65, a tergo: ibi: Post editam Constitutionem *Inscrutabili* a Gregorio XV. consuevit Archiepiscopus Neapolis pro tempore, ut narrat Eminentiss. Caracciolus, interesse Electionibus Abbatissarum Monasteriorum Regularibus subjectorum, adhibito ultra seipsum, vel Vicarium, etiam Notario, qui gesta adnotaret, ac fidem de his faceret, ne res alioquin remaneret sub dispositione Superiorum Regularium, si controversia super electione, et nullitas occurrisset, atque ne Ordinarii interessentia frustratoria redderetur: Hoc non obstante Superior Monasterii Reginæ Cœli ex Canonicis Regularibus, in Electione nuper facta noluit admittere Notarium, et non obstante, quod Vicarius Generalis de Nullitate protestaretur, ad electionem processit allegans pro se declarationem hujus Sacræ Congregat. tenoris sequentis: *Urbaniæ* 10 Septembr. 1639, Sac., etc. « Censuit Episcopum in electione Abbatissæ Monasterii Monialium Regularibus subjectarum non posse exquirere, seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri, et recipi debere a Superiore Regulari, sciente tamen, et audiente eodem Episcopo. » His stantibus, Eminentiss. Archiepiscopus, citato P. Procuratore Generali in Curia, instat declarari, primo, an in electionibus Abbatissarum, una cum Vicario Generali interesse possit etiam Notarius Archiepiscopalis; secundo, an dicta electio facta absque interessentia Vicarii, et Notarii sit contra Constitutionem prædictam, ac propterea nulla? Sac. Cong. Conc. ad utrumque respondit, *Negative.*

(101. Circa aliqua concernentia electionem Officialium Curiæ Ordinis Minorum de Observantia attendenda est novissima Constitutio Clementis XII. incipiens *Cum sicut*, edita 10 April. 1733, in qua decrevit, quod juxta Statutum Capituli Generalis Mediolanensis Ordinis Minorum de Observantia, secuta electione Officialium Curiæ, Minister Generalis pro tempore existens sex saltem Religiosos debitis qualitatibus præditos illius nationis, ex qua fuerit Officialis electus, fratribus Definitorii Generalis proponere debeat, ut ex his tres ab ipso Definitorio seligantur, e quibus in eventum vacationis ejus Officii, idem Minister Generalis unum ad sui libitum deputare teneatur; et si contingerit alterum ex tribus Religiosis sic a Definitorio delectis decedere, aut inhabilem fore, facultas Ministri Generalis deputandi dictum Officialem ad duos reliquos, quatenus vero duo mortui, aut inhabiles fuerint, ad unicum superstitem limitata sit, et esse intelligatur; sin autem omnes tres obierint, aut inhabiles reperiantur, tunc deputetur Religiosus dignior illius Nationis, de qua erit Officialis electus in Capitulo Generali; demandato in casu absentiæ Religiosi ita deputati exercitio Officii Secretario Officialis cedentis, vel decedentis: quodque delectus trium Religiosorum prædictorum pro Fratribus de Observantia, Reformatis, Excalceatis, et Recollectis Franciæ nuncupatis dicti Ordinis, ab eorum respective Definitorio Generali perficiatur.

(102. Correctores tam Generales, quam Provinciales Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula facultatem habent decidendi de electionibus, aliisque negotiis, quæ ob paria post trinum scrutinium suffragia, ad Generale vel Provinciale Tribunal devolvuntur; Benedicto XIV, Constit. incip. *Injuncti Nobis* t. 4, *Bull.* numer. 30.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(103. Plura sunt quæ hic cumulavit Auctor. De convocatione absentium ad Electio-

(1) Circa Electionem Abbatissarum Benedicti XIV. de Synodo Diœces, lib. 5. cap. 12. § 4. censuit, Episcopum una cum Prælatis Regularibus interesse, eidemque ab ipsis denunciandam esse futuram electionem. « Præterea juxta Constitutionem 18. San. Mem. Gregorii XV. Episcopus una cum Prælatis Regularibus interesse, et præsidere potest electioni Abbatissarum, quæ præliciendæ sunt in Monasteriis iisdem Regularibus subjectis, in cujus constitutionis sequelam a Sacris Urbis Congregationibus decisum est, debere Regulares futuram electionem Abbatissæ Episcopo denunciare, et si Episcopus dixerit, se velle per se, vel per alium eidem electioni interesse, teneri Episcopi adventum usque ad præfinitam tempus expectare. Jam vero ne Episcopus gravetur onere suam voluntatem singulis vicibus manifestandi eidem consulunt Doctores, ut semel in Synodo generatim declaret se uti velle facultate a Gregorio XV. sibi facta, et quarumcumque Abbatissarum quantumvis exemptarum electionibus semper, et quandocumque interesse. Hac enim declaratione semel in Synodo emissa ligari Regulares, ne Episcopo inconsulto Abbatissarum Electionibus præsidere valeant perinde ac si in singulis specialibus casibus fuisset Episcopi voluntas expresse iisdem significata, recte probat » Monacell. in *Formul. legal.* tom. 3. pag. 187.

EDIT. BARBIELL.

Digitized by Google

nem maximus in Addit. ad verb. *Absens* quoad Electionem. Cetera illustrare haud patiuntur arcti limites Additionum. Satis sit de hisce duobus verba facere.

(104. Verum est (ut de primo disseram) quod regulariter ad coarctandum terminum Electioni præfixum non sufficiat major pars Capituli, sed requirantur duæ ex tribus partibus ejusdem capituli. (105. At gravis quæstio est, num id locum sibi vindicet ubi Capitulum jam sit legitime coactum ad Electionem faciendam?

(106. Affirmant Cardinal Petra in *Comment. ad Constit. Apostol.* Constit. 1. Divi Leonis Magni sect. 2, num. 33. Piton. discept. Eccl. 100, n. 69. Lotter. *de Re Benefic.* lib. 2, quæst. 20, n. 7. (107. Negant Ricciardell. in *Lyc. Eccl.* cap. 4, sect. 1, n. 1. Passer. *de Elect.* c. 11, n. 101. Ansald. in *Adnot. ad decis.* 86, n. 84.

(108. Sacrum Tribunal Rotæ opinioni affirmative adhæsit coram Lancett. decis. 182, num. 16, et plur. sequent. et in Placentina Provinciæ Compostellanæ Simultaneæ 26 Junii 1743, § 10, coram Illustrissimo de Thunn. Licetque hanc revocaverit decisionem die 4 Februar. 1744, coram eodem nihilo tamen minus in decisione revocatoria articulum hunc in medio reliquit, ut patet ex § 6 et sequent. (109. Recentius vero negativam sententiam tenuit, ut in Leodien. Vicariæ 9 Decembr. 1754, § 15, coram Illustrissimo Molin. et in Colonien. Decanatus 4 Julii 1755, § final. cor. bo. me. Borull. et 15 Maii 1756, § 7 et sequent.

(110. Ubi in electione (an alterum de quo disserere proposui) in qua plures sunt Electi, suffragia excedunt eligentium numerum, potest renunciari legitime Electus, quum nemo possit majorem numerum sibi tribuere. Immo sola ambiguitas apta est infirmare electionem hanc. (111. Et quamvis in Electionibus possit quandoque subduci redundans suffragiorum numerus, ut in reliquis veluti legitimis consistat Electio, ne utile per inutile vitietur; (112. id tamen procedit vel si unus tantum sit, qui sui periculum faciat in suffragatione ad certum assequendum suffragiorum numerum ex iis qui electioni præsunt, atque ea habeat suffragia, quæ sublatis redundantibus attingunt numerum ad actus firmitatem præstitutum; vel etiamsi is in aliorum concursum tot enumeret vota, ut quæcumque contra ipsum deductio fiat, adhuc cæteris antecellere videatur; secus e contra. (113. Vide hæc et alia ad hanc Electionis materiam pertinentia apud Rot. in Nullius seu Firmana Canonicatus 3 Jul. 1748, cor. Illustriss. Clemente Impress, Romæ per Barbiellini 1785.

NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(114. Nulla in materia magis *incerto jure* vivimus, quam in hac electionis. Quæ a jure Canonico enim sancita sunt circa electionem propriam, ea a Doctoribus modo admittuntur, modo rejiciuntur in electione impropria. Infinita afferre possemus exempla, si otium esset. At libet aliud afferre, de quo novissime actum est in Sacra Rota in *Comen Canonicatus Theologalis.*

(115. Pertinet Juspatronatus hujus Canonicatus ad Capitulum. Ex octo vero Canonicis, qui Capitulum componunt, quinque elegerunt inhabilem *sub conditione dispensationis*, tres vero habilem elegerunt. Obtenta intra terminum juris minime fuit dispensatio. Quæstio ideo fuit orta, num electio habilis facta a tribus illis Canonicis, valida sit, necne?

(116. Pro invaliditate hujus electionis adducebatur, quod de jure Canonico electio facta a minori parte minime valida est, ubi major pars inhabilem citra ullam culpam elegit, ut si *ignoranter* elegit. Culpa autem vacare contendebatur electio inhabilis a majori parte sub conditione dispensationis facta.

(117. Contra vero valida ex eo prætendebatur, et quidem jure meritoque, hæc electio habilis facta a minori parte, quod electio inhabilis a majori parte facta sub conditione dispensationis, non obtenta ipsa dispensatione *vel* referenda est ad casum non factæ electionis, *vel* ad casum electionis inhabilis voluntarie, et culpose factæ. Aut enim eligentes Inhabilem sub conditione dispensationis intendunt non eligere, non obstante quod dispensatio non obtineatur, et in hoc disparato casu referri electio debet ad casum Electionis Inhabilis voluntarie, et culpose factæ. At sive ad unum, sive ad alterum casum referatur, totum jus Capitulis consolidatur in minori parte eligente Habilem, et sic electio Habilis ab ipsa minori parte facta valida est dijudicanda.

(118. Dispositio vero illa juris Canonici, quod eligente majori parte sine culpa Inhabilem, nequeat valere electio Habilis facta a minori parte, trahi nequit ad casum hunc, idque quia qui absque culpa eligunt Inhabilem, quantum in ipsis est, eligere intendunt. Lex vero est, quæ Electioni illi denegat effectum.

(119. Adeo vero hic articulus implexus visus est, ut supremum Rotæ Auditorium semel atque iterum scissum ex æquo fuerit, nullamque cœperit resolutionem, ut die 30 April. et die 21 Junii anno 1762. Sed cum deinceps die 28 Januarii 1763, in eam iverit sententiam, ut totum Jus Capituli consolidetur in minori parte habilem eligente, ut ex § 16 ad finem; hinc libet pro gravitate articuli, tum novitate ejus resolutionis ipsissima verba Decisionis hic exscribere.

« Hactenus dicta luculenter commonstrant, nullum Jus Ignatio comparari ex præsentatione a quinque Capitularibus in idipsum collata. Nam irrita prorsus, et inanis fuit nominatio incapacis intuitu ætatis, totumque Jus Capituli coaluit in aliis tribus Canonicis Joannem Antonium Nicolina Sacerdotem habilem eligentibus. Impediturque propterea devolutio ad Sanctam Sedem, nec Ignatio prosunt Litteræ Provisionis Apostolicæ, perinde expeditæ, ac si ageretur de Canonicatu devoluto. Nam si major Pars Collegii in eodem Actu, proque eadem vacatione eligat

Digitized by Google

inhabilem, aut incapacem, et minor habilem, Jus majoris consolidatur in minori, quia non decet, ut minor eligens habilem, nec ullam in re deficiens privetur Jure eligendi per hoc, quod major Pars inhabilem præsentaverit, per Text. in cap. *Dudum* 22 *de Election.* et *Elect. potestat.* c. *Gratam* 2 *de postul. Prælat.* Piton. *de controv. Patron.* allegat. 100, num. 2. Fontanell. *Jurepatron.* lib. 2, quæst. 10, num. 7. Montal. *de Jur. Superveniet*, tom. 1, q. 23, num. 118. Rota coram Herrer. decis. 94, n. 1 et 19.

« Nec interest, nominationem majoris Partis, quinque nempe Vocalium Ignatio Suffragantium, prodiisse sub conditione obtinendi, quatenus opus, Pontificiam dispensationem super ætate intra tempus a Jure præfinitum, quod erat tempus quadrimestris, ideoque conditione intra hujusmodi tempus minime superventa, inutile evasisse Jus majoris Partis, eoque dempto cessasse quoque Jus minoris quum per electionem collegialiter factam in minori consistere haud possit virtus Capitularis, quæ consumitur a majori; Abbas in cap. *Quia propter* n. 9, et in c. *In Genesi* n. 4, ibique Hostien. n. 14. Cardinal. num. 3, *de Election.* Lotter, *de Re benefic.* lib. 3, quæst. 17, num. 128. Rot in recent. decis. 269, num 2, part. 1, et decis. 210, num. 16, part. 9.

« Quandoquidem ad eliminandum objectum perpendere oportet, majorem Partem Capituli, et quinque Canonicos nominantes Inhabilem, nondumque perventum ad justam ætatem sub conditione obtinendæ dispensationis, dispensatione non obtenta, et conditione non extante intra tempus quadrimestris perinde haberi, ac si nunquam nominassent. Jam vero in casu nominationis non factæ a majori Parte, nemo nescit, integram, universamque potestatem Capitularem ad minorem percurrere, vel in illis coalescere, qui dignum, et habilem nominaverint, Card. de Luc. *de Regular.* discurs. 53, num. 8, Lavor. *Variar. lucubrat. Canonic.* lib. 4, cap. 6, n. 26. Leuren. *For. Benefic.* part. 2, sect. 3, cap. 2, § 7, quæst. 571, per tot. Ceccoper. *Lucubr. Canon.* lib. 4, tit. 6, n. 45 et 46. Rot. in Leodien. Vicariæ 1 Julii 1754. § 8, cor : Eminentiss. Molino.

« Plane qui præsentat sub certa conditione impetrandi a Summo Pontifice veniam ætatis, sub contraria conditione removet consensum ab Actu, et quodammodo profitetur, se negare electionem, quum hæc, et non alia sit voluntas ita eligentis, Card. de Luc. *de Jurepatronat.* discurs. 64, num. 27, et *de Benefic.* discurs. 28, n. 18. Piton. *de Controv. Patron.* allegat. 1, sub. n. 24, versic. modus autem in fin. et rursus allegat. 2, num. 4. Garz. *de Benefic.* part. 8, cap. 2, n. 3. Corrad. in *Prax. Beneficiar.* lib. 4. cap. 6, num. 26, Vivian. *de Jurepatronat.* part. 2, lib. 8, cap. 8, n. 10 et 24. Gagliard. *de Benefic.* cap. 9, num. 10. Idem *de Jurepatronat.* cap 16, num. 13. Rot. in *Parmen. Beneficii* 26 Junii 1750. § 18, et 5 Decembris 1751, § 12. coram bon. mem. Canilliac. Præsertim ob clausulam *Et non aliter*, qua quidem major Pars ita consensit Inhabilis electioni, ut non adito Summo Pontifice, nec impetrata dispensatione, quinimo prætergresso tempore ad id præstituto, nihil ipsa egisse videatur, et ideo totum Jus, et vox Capitularis coerceatur in Parte minori quæ capacem, habilemque elegit. Nec electio majoris Partis consumit Jus Capituli, quod per minorem conservatur, si majoris Partis electio cassatur, interciditque. Alias absurdum esset Capitulo, et minori Parti perniciem creari : Capitulo quod fraudaretur Jure eligendi : Minori etiam Parti, si sine culpa illius, et ex facto majoris Partis ad Superiorem fieret devolutio. Quod fit, ut si pars tantum, et non totum capitulum, in culpa versetur inhabilem eligendi, tunc Jus electionis pervolvatur, ac transeat ad aliam partem, et ad reliquos, licet numero pauciores, vocales, quum pœna non debeat insontes afficere, Barbos, *de Jur. Ecclesiast. univ.* lib. 1, c. 19, n. 86. Louvrex *Dissert. Canon.* 8, annot. 50, ad nonnullos seq. Leured. in for. *Benefic.* part. 2. cap. 2, quæst. 250, n. 2. Montalb. *de Jur. superven.* tom. 2. in addit. ad quæst. 23, n. 24.

« Traducique ad hanc speciem non possunt Authoritates, quæ de majori Parte ignoranter indignum eligente afferuntur. Qui enim ignoranter eligit indignum, aut inhabilem, nullius culpæ notatur, et pro se cupit electionem impleri; Lex autem est, quæ illi subtrahit effectum, et ideo vetat Jus majoris accrescere minori, et in minori, coacervari, cum ad id requiratur, majorem Partem vel non eligere, vel culpose saltem eligere. At vero quisquis eligit incapacem sub conditione dispensationis, et consequenter ex perspecta Canonica indole requirente legitimam ætatem, scienter eligit, nec excusatur a conditione, nisi removeatur obstaculum nominationis in Incapacem collatæ. Obstaculo vero vigente ob non impletam Conditionem, res absolvitur secundum regulam culposæ nominationis, qualis est illa, quæ proponit Indignum, privans ex post facto eligenter Jure suffragii, et hoc ea vice transferens in alios, qui habilem elegerunt, quive ex consolidatione acquirunt vocem Capitularem, ut de culpose eligentibus statuunt Louvrex *Dissert. Canonic.* 8. num. 56. Passerin. *de Elect.* c. 31. n. 1. Fontanell. *de Jurepatron.* lib. 2. c. 10. num. 2. Rot. coram Ansald. decis. 95. num. 19. et in Colonien. Abbatissatus 25. Aprilis 1759. § 11. cor. bon. mem. Frangipane.

« Et quamquam alicui mirum videatur, consolidationem majoris in minori fieri ex post facto, semel ac Collegialitas actus nihil initio tribuit minori Parti, perpendere tamen oportet, id fieri per quamdam retroactionem, et reditum ad initium. Conditio dispensationis ejus est naturæ, ut si impleatur, redeat ad initium actus, actumque convalidet ab illo tempore; sin autem deficiat, etiam defectus ad idem tempus revertatur, actumque deleat tam quoad eligentes, quam quoad Electum usque ab exordio, quum paria sint nihil fieri, vel fieri sub condi-

Digitized by Google

tione, quæ non extet, ut probant Rolant. consil. 58. n. 16. et sequ. lib. 3. Antonin. *Var. resol.* lib. 1. *resol.* 56. n. 3. et alii collecti per August. Barbos. *de Axiom. Jur.* lib. 3. c. 43. de *Condit.* § 16. Paris. *de resignan. Benef.* lib. primo quæst. 14. num. 10. Clericat. *de Benefic. discord.* 62. num. 26. Rota coram Molin. decis. 1161. n. 17. Esto igitur in Patronatibus Laicalibus (Cujusmodi est illud, de quo disseritur, si consideretur cessio per Communitatem Burmi facta Capitulo sub lege non immutandi naturam Patronalem) esto inquam a Jure Canonico permittatur actus nominationis Incapacis sub conditione purgandæ incapacitatis intra terminum, ut pluribus collectis firmavit Rota in Melevitana Beneficiorum 10 Junii 1712. § *Pro remotione* cor. clar. mem. Card. Aldovrando apud Fargn. de Jurepatr. part. 1. can. 5. cas. 11. n. 28, tamen a conditionis eventu pendet nullitas, aut firmitas ejusdem actus, itaut extante conditione, actus valeat retrocedendo, conditione defecta retrocedendo pariter corruat. Hac vi retrotractationis inspecta, nemo miretur defectum Pontificiæ dispensationis numquam obtente super ætate, ministerio Juris redire ad initium actus, et ad momentum, quo major Pars Ignatium præsentavit sub conditione dispensationem obtinendi. Sequiturque propterea ex eo momento a majori Parte negatum extimari consensum nominationis incapacis e medio sublatæ; semper enim evanescit, et a principio tollitur ac si non facta, præsentatio, cui deest conditionis eventus; Rota in recent. dec. 474. num. 10. et seq. part. 5. tom. 2. et in Romana Locorum Montium, seu Evictionis 9 Feb. 1756, § 6. cor. Illustriss. Stadion.

« Quamobrem vox Incapaci, et Inhabili eatenus profutura, quatenus intra præscriptum tempus evasisset Capax, et habilis, resolvitur quidem nulla deinceps acquisita capacitate, sed nihil detrahit nominationi minoris Partis, quam immo in suspenso stare jubet, quousque non impleatur conditio capacitatis acquirendæ; Piton. *de Controv.* alleg, prima. n. 24. Gagliar. *de Jurepatron.* cap. 16. n. 12. Conditioneque desiderata, nec intra tempus superventa, quemadmodum fas est credere, majorem Partem noluisse eligere, sic Legis operatione resurgit quodammodo consopitum Jus electionis minoris Partis, nec amplius consideratur major, aut minor Pars, quum in minori totum Jus, ac summa Capituli reperiatur, actusque minoris Partis, qui manet in suspenso, non prohibetur, quin ex post facto vires consequatur, uti monent Nid. in *Comment. ad regul.* 18. n. 44. *de Regul. Jur.* in 6. Montalb. *de Jur. superven.* tom. 1. quæst. 1. num. 37. Et hinc etiam actui collegialiter perficiendo respondetur. Hæc enim quoad Patronos Jure Collegii, non autem uti singulos eligentes regula traditur, ut si nulla divisio Suffragiorum contigerit, sed universum, quantum est, Collegium inhabilem elegerit, tota vox irritetur, et ad superiorem devolvatur. At si eligentes sese diviserint, et Pars major, ut hic, secesserit ad præsentandum non idoneum, Pars vero minor ad Idoneum declinaverit in eodem actu Collegiali, quo jus electis conquiritur : plane vox a qua cadit major Pars scienter eligens Inhabilem, accrescit, et additur minori Parti quæ dignum, et habilem præsentavit, quoniam ut ait Gloss. in cap. *Gratum de Postulator.* in verb. *Pauciores*, Jus omnium, et universitas etiam in unum recidere potest, consonatque Leg. *Sicut Municipium* 7. in fin. ff. *Quod cujusque universitat. nomine*, magisque Jus omnium recidit in tres eligentes, qui Collegium faciunt; cap. 1. *de Election.* Leg. *Neratius* 85. ibique Gothofred. litt. *K.* ff. *de verbor. Signific.* Idque in solo limitatur casu, si nempe non eodem contextu prodierit nominatio minoris Partis, sed forte prius, et spatio dato, atque intervallo, quia tunc virtus Capitularis constitui nequit in minori parte ob consolidationem majoris nondum privatæ Jure electionis, ut hæc perstringens non ad opportunitatem, sed pro animi sui Sententia perbelle declarat, Piton. *de Controv. Patronor.* alleg. 100. n. 2 et 3.

« Contrariis forte urgentibus in electione canonica Prælatorum, ut vocant *propria*, ad formam. cap. *Quia propter de Elect.* in qua quidem recepta est sanctio *Textus* ex Jure Civili in leg. 30 ff. *de regul. Jur.* et ex Jure Canonic. in cap. *Quum auditis* 29. *de Election.* et cap. *Dudum cum gloss.* in verb. *Electionis tempore* eodem tit. utroque Jure negante, tractu temporis convalescere, quæ ab initio nulla sunt; Quia in electione propria non admittuntur verba conditionalia; non enim Eligentes in incerto fluctuare debent, quinimmo in electione propria constitutum est, ut majori Parte seligente Inhabilem sub conditione quærendæ capacitatis, minore vero capacem, et habilem absolute nuncupante, statim, et ipso Jure proscribatur vox Eligentium conditionaliter, non expectato conditionis eventu, quia placet vota conditionalia pro non adjectis haberi, et ex puris celebrari electionem, in illos, qui pure nominarunt habilem, ea vice transeunte Jure cæterorum, ad Text. in cap. 2. *de Elect.* in 6. Ripa resp. 2. per tot. *de Elect.* Garz. *de Benefic.* part. 8. cap. 2. n. 11. et 13. Lott. *de Benefic.* lib. 2. quæst. 16. num. 7. Passerin. *de Elect.* cap. 18. num. 22. Nid. *de Regul. jur. regul.* 50. sub num, 11. Piton. *discept. Eccles.* 106. n. 115. Rota coram Millin. decis. 420. num. 7.

« At longe aliter se res habet in impropria nominatione Patronorum, quos inter recensetur Collegiata Burmii potita Jure eligendi ex cessione Communitatis; nam hic quemadmodum nuncupatio Inhabilis, quæ fit a majori Parte sub conditione dispensationis, non habetur tamquam infirma, et infecta (toleratur enim, et permittitur) ita etiam Habilis nominatio pure facta per minorem Partem pro infecta, et infirma, non est quoad actum usque ab exordio, sed utraque manet in suspenso quoad effectum, vel saltem est in implicito statu validitatis quoad usque deficiat conditio dicta a majori Parte

Digitized by Google

Inhabilem eligente, eaque defecta, consistit usque ab initio electio minoris Partis, ut secernentes propriam ab impropria nominatione considerant, Piton. *Discept. Eccless.* 24. a n. 13. ad plur. seq. Rota in recent. decis. 210. n. 16. et seq. part. 9. tom. 1. coram Cerro decis. 26. n. 43. et seq. et cor. Caprar. dec, 558. num. 7.

« Idque conficitur tum a Jure, tum ab Homine. *A Jure*, quia eligens inhabilem sub conditione dispensationis, non videtur a principio eligere, et ideo non attrahit, et absorbet Jus minoris, sed contra ad minorem transfertur etiam Jus majoris, perinde ac si major Pars abstinuisset ab electione. *Ab Homine*, quia non accedente conditione, ut erat in facultate majoris Partis pœnitere electionis Inhabilis, et etiam intra terminum cumulare electionem, Piton. *de Controv. Patron.* alleg. 2. num. 4. Carol. Anton. de Luca *de Linea legal.* part. 1. art. 24. num. 10 sic nova electione prætermissa, si major Pars intra tempus quadrimestris noluit Habilem eligere, videtur tacite abivisse in electionem Habilis jam a minori Parte nominati. Quoniam conflictus majoris Partis cum minori, a qua illa se subtraxit, solum durat, quousque impleatur conditio; non impleta vero conditione cessat, et major Pars censetur potius fictione legis cessisse Juri suo, vel nominato a minori consensum quodammodo præbuisse; Montalb. *de Jur. superven.* tom. 1. quæst. 23. n. 125. et seq. Rota in recent. decis. 136. num. 14. cum duobus seq. part. 10.

« In hunc sensum autem eo pronius Domini iverunt, quo certius est ex duabus devolutionibus, quarum altera fiat per consolidationem Juris majoris Partis in minori, altera per transitum ad superiorem, uti advertunt Card. de Luca *de Jurepatron.* disc. 31. num. 3. et disc. 35. num. 10. Piton. *de Controv. Patron.* alleg. 34. num. 7. et seq. et alleg. 16. num. 23. Vivian. de *Jurepatr.* lib. 12. cap. 1. n. 1. et seq. favorabiliorem esse primam, quam secundam, et quantopere vitandam hanc, tantopere adjuvandam illam putarunt, sectantes Judicium explicatum a Rota in Gerunden. Beneficii 1. Julii 1726. § *Opposito*, et 19 Aprilis 1728. § *Quæ quidem*, coram clar. mem. Card. Calcagnino.

« Privat equidem devolutio in vacatione illa Patronos Jure præsentandi. Odium igitur incurrit, et tamquam pœna, vel modis omnibus effugienda est, ad Text. in cap. 5. *de concess. Præbendar.* et in cap. 18. *de Elect.* in 6. Leuren. in *For. Beneficial.* part. 2. sect. 3. cap. 2. § 7. quæst. 739. Rota in Colonien. Canonicatus 16 Maii 1729. § *Quandoquidem* cor. clar. nem. Corio. vel non aliter admitti solet, nisi quando perspicue constet ei locum esse, quum in qualibet dubietate pro exclusione pœnæ devolutionis respondendum videatur, Rota in *Imolem. Cappellaniæ* 1. Aprilis 1743. § *His autem* coram bon. mem. Canilliac. et 14 Aprilis 1752. § 2. coram Eminentissimo Bussio. » Hactenus Rota: Nos Additionem istam in Edit. Romana anni 1767. ad calcem tom. 3. et in Venet. anni 1772. post verbum *Examen.* per oblivionem impressam; in propria sede collocavimus.

ELEEMOSYNA.

SUMMARIUM.

1. Eleemosyna quid sit? — 2. Eleemosyna est opus summe meritorium, satisfactorium, et impetratorium. — 3. Datur præceptum obligans sub gravi ad dandam quandoque eleemosynam juxta rationem necessitatis alienæ, et facultatis propriæ. — 4. Unde obligatio dandi eleemosynam pendet, et metienda est a facultate propria, id est ex parte dantis, ut habeat bona aliqua superflua, et a necessitate aliena, id est ex parte accipientis, ut habeat veram aliquam necessitatem. — 5. Bona ex parte dantis possunt esse superflua, vel necessaria tripliciter, scilicet superflua vel necessaria vitæ, superflua vel necessaria statui, et superflua vel necessaria decentiæ status. — 6. Bona superflua, vel necessaria vitæ quæ sint. — 7. Bona superflua, vel necessaria statui quæ sint. — 8. Bona superflua, vel necessaria decentiæ status quæ sint. — 9. Necessitas ex parte accipientis consideratur tripliciter, scilicet necessitas extrema, necessitas gravis, et necessitas communis. — 10. Necessitas extrema quæ sit. — 11. Necessitas gravis quæ sit. — 12. Necessitas communis quæ sit. — 13. Homo sub mortali tenetur facere eleemosynam ex bonis superfluis vitæ (quamvis sint aliquo modo necessaria suo statui) illis pauperibus, qui laborant necessitate extrema. — 14. Hinc pauper extremam necessitatem patiens jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem a quolibet similem necessitatem non patiente, nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens tenetur restituere quidquam. — 15. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum solutum; immo quod antea furatus fuerat. — 16. Immo homo tenetur subvenire pauperi in gravi necessitate etiam ex bonis aliquibus suo statui necessariis, sed non valde necessariis. — 17. Pauper tamen in gravi necessitate constitutus nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem gravem necessitatem. — 18. Homo sub mortali tenetur facere quandoque eleemosynam ex bonis simpliciter superfluis vitæ, et statui, et a fortiori ex superfluis decentiæ status illis pauperibus qui laborant solum necessitate communi. — 19. Tales autem pauperes laborantes solum necessitate communi nequeunt licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem necessitatem communem. — 20. Eleemosyna est elargienda omnibus vere indigentibus, sive sint infideles, sive fideles, sive alienigenæ, sive indigenæ, et ut sit magis meritoria, debet distribui secundum ordinem Charitatis, itaut magis indigens præferatur minus indigenti, senex juveni, nobilis ignobili, invalidus sano, dignior digno, bonus malo, et hujusmodi. — 21. In extrema, et gravi necessitate Pater est præferendus Filio, et matri, parentes præferendi sunt uxori, uxor propinquis, propinqui extraneis, et hujusmodi: in communi tamen necessitate debet quis potius prolibus, quam parentibus subvenire; et maritus in communi necessitate debet uxorem præferre parentibus et prolibus. — 22. Eleemosyna non est danda pauperibus otiosis nolentibus laborare. — 23. Eleemosyna potest denegari pauperibus forensibus, imo possunt juste a Civitate expelli, quando adest justa causa. — 24. Pauperes ficti graviter peccant, et tenentur ad restitutionem Eleemosynarum, quas se fingendo pauperes receperunt. — 25. Restitutio autem potest fieri, sive

Digitized by Google

danti sive pauperibus. — 26. Quamvis quis actu non egeat ad victum, si tamen immineat necessitas proxima, potest nunc petere, et acceptare eleemosynas. — 27. Sic etiam poterit eleemosynas petere qui Filias habet nubiles, quas commode dotare non potest, etiamsi non desint necessaria ad vitam suam, et Filiarum sustentandam. — 28. Sic pariter poterit eleemosynas petere puella, quæ non habet congruam Dotem ad sui status conditionem, quamvis habeat necessaria ad victum. — 29. Idem etiam est dicendum de Filiis habentibus sibi necessaria, qui si habeant parentes necessario alendos, et ad id non habeant, possunt petere, et suscipere eleemosynas. — 30. Idem pariter est dicendum de iis, qui habent fratres, aut sorores, quibus alimenta præbere tenentur. — 31. Religiosi Mendicantes possunt eleemosynas ostiatim petere, et eos impedientes incurrunt excommunicationem ipso facto. — 32. Non possunt tamen quæstuare extra districtus consuetos, et assignatos propriis Conventibus. — 33. Et sic novissime statuit iterum Sacr. Congregat. Episcopor. et Regular. in Causa Capuccinorum cum Reformatis. — 34. Regulares vere Mendicantes non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cujus Diœcesi situm est eorum Monasterium. — 35. Nec tenentur Regulares vere Mendicantes ostendere Ordinariis licentiam suorum Superiorum, dum eleemosynas quærunt in locis ubi existunt Conventus, sed solum si eas velint colligere extra ipsa. — 36. Si tamen extra Diœcesim, in qua erecti sunt Conventus, quæritare voluerint, debent obtinere consensum ab Ordinario illius Diœcesis. — 37. Fratres Mendicantes eleemosynas quærere nequeunt per alios, quam per sui Ordinis Religiosos, vel oblatos. — 38. Sic sine licentia in scriptis Ordinarii loci nulli quantumvis privilegiati possunt eleemosynas quærere pro aliquo opere pio, etiamsi, essent patentati, seu Commissarii Abbatiæ S. Antonii Viennensis. — 39. Nec talis licentia eleemosynas quærendi potest concedi a Gubernatoribus, Judicibus, Magistratibus, vel Principibus sæcularibus. — 40. Confraternitatibus, et aliis locis piis quæ hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quæstuandi. — 41. Ordinarii prohibere non possunt Regularibus ne quæstuent ante Confraternitates, nisi probetur consuetudo in individuo. — 42. Eleemosynas et oblationes ab offerentibus recipere non est prohibitum Regularibus inter Missarum solemnia, vertendo se ad populum, et generalem confessionem pro eo faciendo, non autem eis licet ab Altari discedere, et per Ecclesiam circumire. — 43. Ex eleemosynis Missarum, nec minima pars retineri potest ratione expensarum quæ fiunt in celebratione, nisi cum Ecclesiæ alias non habent redditus quos in usus earumdem expensarum erogare licite possint, quæ portio nullatenus excedere debet valorem dictarum expensarum. — 44. Sacerdos qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, non potest eamdem Missam alteri celebrandam committere, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta. Et id faciens, quam pœnam incurrat. — 45. Eleemosynæ pro Missis celebrandis recipi non possunt ab Ecclesiis, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant nisi de consensu illorum, qui eleemosynas tribuerunt. — 46. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. — 47. Eleemosynas petere per Ecclesiam, dum divina celebrantur officia, prohibitum. — 48. Adducuntur aliæ confirmationes talis prohibitionis. — 49. Eleemosyna est facienda solum ex bonis propriis, et quorum quis liberam habet administrationem. — 50. Potest tamen fieri ex bonis alienis, quando pauper est in extrema necessitate. — 51. Non potest licite fieri eleemosyna ex bonis injustis, et obnoxiis restitutioni faciendæ certæ personæ. — 52. Licet tamen fieri eleemosyna ex bonis acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia. — 53. Uxor de quibus, et quando possit facere eleemosynam. — 54. Filiusfamilias de quibus, et quando possit, vel non facere eleemosynam. — 55. Servus, vel Ancilla quando possit, vel non facere eleemosynam. — 56. Religiosus quando possit, vel non facere eleemosynam. — 57. Pupillus nequit eleemosynas facere sine licentia Tutoris, nec prodigus cui a Prætore interdicta est administratio. — 58. Administratores, Tutores, et Curatores possunt facere illas eleemosynas, quas recte facerent Minores, si adulti essent, et possunt concedere licentiam Pupillis faciendi eleemosynas minutas. — 59. Administratores Reipublicæ possunt facere eleemosynas consuetas Hospitalibus, et aliis locis piis. — 60. Eremita petens eleemosynas pro sacello, cujus cura et custodia est ipsi demandata, potest ex ipsis licite, et honeste vivere, et reliqua expendere in servitium illius Sacelli: quod si aliqua supersint, poterit dare pauperibus tam cognatis, quam extraneis, nisi tamen tales eleemosynæ essent datæ ex speciali devotione ad tale Sacellum. — 61. Eleemosynarum distributor potest illas sibi pauperi vel suis consanguineis pauperibus appropriare. — 62. Distributio eleemosynarum, quæ colliguntur occasione alicujus Jubilæi, et aliarum oblationum, quæ fiunt in Ecclesiis, etiam Cathedralibus, spectat ad Episcopum, et non ad Canonicos. — 63. Affertur novissima dispositio Benedicti XIV, quoad facientes celebrari ab aliis Missas minori eleemosyna quam ipsi receperint, et pro se ejusdem parte retenta. — 64. Pro unaquaque Missa manuali non potest tradi eleemosyna minor uno Julio; et ab Episcopo prohiberi possunt Sacerdotes, ne quid minus recipiant. — 65. Fratres Minores de Observantia speciale habent indultum eleemosynas colligendi pro locis Terræ Sanctæ, et Ordinarii tenentur illos commendare in tota Diœcesi ad minus duabus vicibus quolibet anno. Immo Benedictus XIV, statuit id faciendum ad minus quatuor vicibus quolibet anno. — 66. 71. Subnectuntur Supplementa Auctoris. — 72. 74. An jus colligendi eleemosynas per sacculum sonantem spectet ad actus Parochiales. — 75. 77. An qui quotannis certam eleemosynam erogare consuevit, compelli possit, ut et in futurum eam præstet.

(1. Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione propter Deum; Est in re comm. cum S. Thoma 2, 2, q. 32, art. 1. (2. Eleemosyna est opus summe meritorium, satisfactorium, et impetratorium, ut clare habetur ex pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis, et signanter Tobiæ 4: *Quoniam Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras.* Ibidem 12: *Quoniam Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam æternam.* Eccles. 3: *Eleemosyna resistit peccato.* Daniel. 4: *Peccata tua Eleemosynis redime.* Lucæ 3: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas similiter faciat.* Luc. 12: *Quod superest date Eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Matth. 25: *Venite, benedicti,* etc. *Esurivi, et dedistis mihi manducare,* etc. 1 ad Timoth. 6: *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere,* et alibi sæpissime.

(3. Datur præceptum obligans sub gravi ad dandam quandoque eleemosynam, juxta rationem necessitatis alienæ et facultatis propriæ; *Est communis,* et colligitur clare ex 4 Ecclesiastic. ubi dicitur: *Declina pauperi sine tristitia animam tuam, et redde debitum tuum,*

Digitized by Google

sed debitum cadit sub stricto, et rigoroso præcepto, ergo, etc. Et de facto transgressores hujus præcepti tanquam rei gravissimi criminis damnantur ad ignem æternum. Matth. 25. *Discedite, maledicti, in ignem æternum*, etc. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. Unde in cap. *Sicut* 7, dist. 47, ex verbis S. Ambrosii, sic expresse dicitur: « Neque enim minus est crimen habenti tollere, quam cum possis, et abundes, indigentibus denegare. » (4. Dicitur autem notanter « juxta rationem necessitatis alienæ, et facultatis propriæ, » quia obligatio dandi eleemosynam pendet, et metienda est a facultate propria, id est ex parte dantis, ut habeat bona aliqua superflua, et a necessitate aliena, id est ex parte accipientis, ut hab at veram aliquam necessitatem.

(5. Hinc ad clariorem, et faciliorem intelligentiam, advertendum est quod bona ex parte dantis possunt esse superflua, vel necessaria tripliciter, scilicet, superflua vel necessaria vitæ, superflua vel necessaria statui, superflua vel necessaria decentiæ status. (6. Bona superflua vitæ sunt illa, sine quibus potest quis suam, familiæque suæ vitam congrue alere et conservare; et e contra bona necessaria vitæ sunt illa, quæ requiruntur necessario ad alendam et conservandam suam, familiæque suæ vitam. (7. Bona superflua statui, sunt illa, sine quibus potest quis suum, familiæque suæ statum sufficienter conservare; et e contra bona necessaria statui sunt illa, quæ requiruntur ad conservandum suum familiæque suæ statum. (8. Bona superflua decentiæ status sunt illa, sine quibus potest quis suum, familiæque suæ statum adhuc decenter et splendide conservare; et e contra bona necessaria decentiæ status sunt illa, quæ requiruntur necessario ad conservandum suum, familiæque suæ statum cum tali decentia et splendore.

(9. Sic ex parte accipientis tripliciter consideratur necessitas, scilicet, necessitas extrema, necessitas gravis, et necessitas communis. (10. Necessitas *extrema* est illa, quam patiuntur illi, quibus defectu cibi, potus, vestitus, aut alterius rei imminet hic et nunc vitæ, infirmitatis incurabilis, membri, aut sensus corporis amittendi periculum, aut imminet illis periculum incurrendi durissimam ipsaque morte graviorem verb. gr. Turcicam captivitatem, et hujusmodi, nisi ope congrua adjuventur. (11. Necessitas *gravis* est illa, propter, quam imminet alicui periculum gravis mali, ut carcerationis ob debita, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, vel status, ita ut ad se sustentandum cogatur, quamvis nobilis, alteri famulari, vel similiter laborare, aut quamvis honestus civis cogatur mendicare. (12. Necessitas *communis* est illa, quam patiuntur communiter pauperes triviales ostiatim mendicando.

(13. Ex istis colliges primo, quod homo sub mortali tenetur facere eleemosynam ex bonis superfluis vitæ, quamvis sint aliquo modo necessaria suo statui, illis pauperibus, qui laborant necessitate extrema. *Est communis*. Et ratio est, quia quamvis bona superflua vitæ sint necessaria statui, ordo tamen caritatis postulat, ut cæteris paribus gravissimum vitæ, aut quasi vitæ bonum præferamus bono proprii status longe inferiori, unde cap. *Pasce* 21, dist. 86, ex verbis divi Ambrosii dicitur: « Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non paveris, fame occidisti: » (14. Hinc pauper extremam necessitatem patiens juræ naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem, a quolibet similem necessitatem, non patiente, nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens, tenetur restituere quidquam; accepit enim id quod ratione talis necessitatis erat jure naturæ suum. *Sic communissima omnium Doctorum*. (15. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id, quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum solutum, immo quod antea furatus fuerat. Sic ex communi, Lessius, et aliis citatis; Diana part. 5, tract. 8, resolut. 8. Sporer tom. 1, tract. 3, in 4. Præcept. Decalog. c. 6, n. 53.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Male citatur hic Sporer, qui potius contrarium sentit; ait enim, quod si facultas, et melior fortuna supervenerit, debeat id restituere, quod antea furatus fuerat, et hanc voluntatem restituendi debere semper in ipso manere, etiam dum in extrema necessitate versatur. Tom. 2, tract. 4, pag. 66. Alii quoque quamplures gravissimi Theologi, explosa Dianæ ac Tamburini talem hominem ab onere restituendi eximentium sententia, docent reipsa ad restitutionem teneri, quia delictum perpetratum contra justitiam semper remanet compensandum, licet tempore necessitatis obligatio restituendi suspendatur. Necessitas non tollit debitum, sed facit tantum, ut solutio licite differatur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Et tamen Sporer loco a me citato, loquitur præcisis verbis ibi a me relatis; Insuper tom. 2, tract. 5, in VII et X, præceptum Decalogi, cap. 5, sect. 4, postquam dixerat sub num. 101, qui rem accepit ante extremam necessitatem, sive furto, sive contractu, et dein in extrema necessitate absumpsit, ea peracta probabiliter restituere tenetur, et probata sententia, concluserat dicens: « pia ac probabilis sententia; » statim subjungit sub immediato num. 102, sed æque probabilis est opposita jam communior sententia DD. negans, rem quandocumque acceptam, sive ex delicto, sive ex contractu non transferente dominium, utpote vel furto ablatam, vel depositam, impignoratam, commodatam, locatam, etc., et postea in extrema necessitate absumptam unquam debere restitui; sic Angel. Silvester, verb. *Furtum* Jul. Clar. Lib. 1, § Furti, Petr. Navarrus, aliique cit. a Layman cap. 1, n. 7. Ratio est, quia qui rem alienam bona fide absumpsit, liberatur a restitutione secundum omnes; sed talis in dicta necessitate bona fide rem alienam, quinimmo tamquam Dominus ejus factus, absumpsit;

Digitized by Google

ergo numquam tenetur pro ea restitutione; neque enim patrocinatur iniquitas, si rem antea furatus fuit, sed superveniens extrema necessitas. Hæc ille, adeoque non male citatus (1).

(16. Colliges secundo, quod homo sub mortali tenetur facere eleemosynam ex bonis superfluis vitæ et statui quamvis sint aliquo modo necessaria ad decentiam, et splendorem sui status, illis pauperibus qui laborant necessitate gravi. *Est communis.* Et ratio est quia lex Christianæ caritatis, immo et humanitatis postulat, ut status splendorem aliqualiter negligamus, et quasi extremo, seu vere gravi proximi malo occurramus, cum neglectus ille, scilicet splendoris status, fere nihil sit in comparatione tanti mali passi ab inope gravi necessitate laborante. (17. Immo Laym, l. 2, tract. 3, c. 6, n. 4, cum S. Thoma, aliisque ibi citatis, et Tamb. l. 5, Decal. c. 1, § 1, et alii plures recte docent, quod homo teneatur subvenire pauperi in gravi necessitate, etiam ex bonis aliquibus suo statui necessariis, sed non valde necessariis, quia homo parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. Pauper tamen in gravi necessitate constitutus nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem gravem necessitatem, ut colligitur ex c. *Si quis* 3, *de Furtis* ubi sic dicitur. « Si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres, » hæc pœnitentia non imponeretur, si liceret in necessitate gravi furari, aut si necessitas illa fuisset extrema, ut notavit S. Thomas 1, 2, quæst. 66, artic. 7, ad 1, dicens : « Decretalis illa loquitur in casu, quo non erat urgens necessitas, » et modo habetur hoc definitum ab Innocentio XI, qui die 2 Martii 1679, inter alias propositiones damnavit sequentem 35, in ordine : « Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. »

(18. Colliges tertio, quod homo sub mortali tenetur facere quandoque eleemosynam ex bonis simpliciter superfluis vitæ et statui; et a fortiori ex superfluis decentiæ status, illis pauperibus, qui laborant solum necessitate communi; sic divus Thomas 2, 2, quæst. 32, art. 5. Navarr. cap. 24, num. 5. Layman lib. 2, tract. 3, cap. 7, n. 5, Tannerus tom. 3, disp. 2, quæst. 5, dub. 2. Richard, Bannes, Cavarruvias, Valentia, Arogamius, Azorius, Filiucius, quos citat, et sequitur Sporer loc. cit. num. 60. Bellarminus lib. 2, *de bonis Operibus* cap. 7, cum aliis ibi relatis, et alii contra plerosque modernos; et ratio est, quia cum erogatio eleemosynæ de se sit ardua, nisi daretur obligatio sub gravi erogandi illam quandoque etiam pauperibus qui laborant solum necessitate communi, facile contingere posset, quod hujusmodi pauperibus nemo subveniret, et sic de communi necessitate in gravem, et de gravi in extremam adigerentur. Tum quia etiam in necessitate communi reperitur esuries, sitis nuditas, et hujusmodi; sed ista sublevare denegantes damnantur in ignem æternum, Matthæi 25. *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*, etc. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; nudus fui, et non cooperuistis me*, etc.; ergo si pro tali defectu damnantur ad tam gravem pœnam, stat clarum quod talis defectus imputatur eis ad gravem culpam. Et facit pro nostra sententia propositio 12, ex damnatis ab Innocentio XI. « Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui; Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui, » sic recte notat Viva super dicta propositione n. 10. Sporer loc. cit. n. 65. Damnatur enim ibi sententia asserens, « Vix aliquem teneri ad eleemosynam ex superfluo statui; » ergo a fortiori damnata videtur sententia asserens, *teneri nunquam.* Omittuntur brevitatis gratia plurimi textus Sacræ Scripturæ, plurimi Sacri Canones, et plurimæ Sanctorum Patrum auctoritates clarissime sententiam nostram corroborantes et contrariam infirmantes. Quidquid igitur dixerint alii, est in praxi tenenda tamquam certissima nostra conclusio, quod nempe homo teneatur sub mortali facere quandoque eleemosynam ex bonis simpliciter superfluis vitæ et statui, et a fortiori superfluis decentiæ status, illis etiam pauperibus qui laborant solum necessitate communi. (19. Tales autem pauperes laborantes solum necessitate communi, nequeunt licite auferre ab aliis sibi necessaria ad su-

(1) Non equidem nego P. Sporer in ea, quam ipsi Auctor noster tribuit, opinione versatum esse. Cæterum ratio, quam Layman loco citato affert, ut ostendat eum, de quo loquitur, ad restitutionem non teneri, *si melior fortuna* supervenerit, in illum, qui rem alienam occulte acceperit, invito domino, antequam extrema necessitate laboraret, non cadit. Est namque hujusmodi : « Cum enim rem auferendo non peccaverit, non tenetur ratione injustæ acceptionis : et cum rem ablatam ob necessitatem, bona fide, imo tamquam dominus ejus factus absumpserit non tenetur ratione rei acceptæ. » At vero qui rem alienam occulte accepit, invito domino, antequam in statum extremæ necessitatis prolaberetur, profecto peccavit. Sylvester quoque loc. cit. a Layman, nempe verb. *Furtum* quæst. V. de illo, qui in extrema necessitate rem alienam capit, disputat. « Licet, inquit, Supp. cum Pan., ut illi imponitur a Ros. teneat, quod is, qui in extrema necessitate furatur, restituere teneatur, si venerit ad pinguiorem fortunam, habito tamen respectu, ne egeat, nihilominus verius sensit Sum. Ang.; et Ros., cum Dir. quod non tenetur, maxime si res sit consumpta. » Quoniam tamen hic homini, qui in extrema necessitate rem alienam acceperit, illud tribuere videtur, ut rem eamdem et si consumpta non sit, retinere possit, restituere teneatur, subjicere placet, quæ habet P. Cuniliati *Tract. 4. de 1. Decal. Præcepto* cap. 8. § 7. num. 11. ubi « Notandum, inquit, quod quando extreme indigens utitur re proximi sui, si de eadem, post evasionem ab illa necessitate, aliquid supersit, vel tota etiam persistat, quippe quæ usu non consumptibilis, ut v. g. equus ad fugiendum a morte, vel a captivitate, restituenda est domino; quia necessitas illa non confert indigenti dominium in rem, sed dumtaxat in usum illius; unde si totam usu consumat, puta panes, triticum, etc., ad nihil tenetur de eo quod necessario consumpsit, quia circa illud habebat dominium usus; si vero quidquam supersit, patet quod remanet domino suo. » (Edit. Barbell.)

Digitized by Google

blevandam talem communem necessitatem, quia si hoc fuit damnatum in pauperibus laborantibus gravi necessitate, ut patet ex propositione damnata, adducta supra sub. n. 18, a fortiori erit damnatum in pauperibus laborantibus solum necessitate communi.

(20. Eleemosyna est elargienda omnibus vere indigentibus, sive fideles, sive infideles sint, sive indigenæ, sive alienigenæ; et ut magis sit meritoria, debet distribui secundum Ordinem Caritatis itaut magis indigens præferatur minus indigenti. Glossa in c. *Si quis* 10, dist. 90. Sic senex debilis debet præferri juveni, pauper nobilis ignobili, invalidus sano, dignior digno, fidelis infideli, bonus malo. Surd. *de Aliment.* tit. 1, q. 93. Gratian. discept. c. 22, num. 25. Trullench. in *Decalog.* lib. 1, c. 5, dub. 11, num. 2. Valdes *de Eleemosyn.* 3, p. fol. 72, vers. « si autem omnibus. » Bellarmin. *de bonis Operibus* lib. 3, c. 12, litt. B. Sic sunt præferendi indigenæ alienigenis, amici, et domestici benemeriti aliis pauperibus. (21. Si Pater et Filius sint in extrema, vel gravi necessitate, præferendus est Pater; si Mater et Pater, præferendus est Pater; Parentes præferendi sunt uxori, Uxor propinquis, propinqui extraneis, et hujusmodi. Trellench l. c. dub. 11, num. 2. Villalobos 1, part. tract. 22, difficul. 7, n. 1. Becamus *de extern. act. Caritat.* c. 21, n. 22. Barbosa in *Repertor. posthum.* verb. *Eleemosyna*, et alii communiter. In communi tamen necessitate debet quis potius prolibus subvenire quam parentibus, quia proles sunt sub cura parentum, et ab illis etiam extra gravem necessitatem jure postulant alimenta, non item parentes. Tamburin. et alii cum Diana in *Compend.* verb. *Debitum num.* 12. La Croix lib. 3, part. 1, num. 723. Sic maritus in communi necessitate debet uxorem præferre parentibus, et prolibus; ita Tamburin. et la Croix loc. cit. n. 724, contra Castropal. qui dicit uxorem esse quidem præferendam prolibus sed non parentibus : et ratio nostræ opinionis est, quia vir, et uxor civiliter sunt quid unum, adeoque extra necessitatem extremam, vel gravem, ubi lex naturæ non dicat aliud, uxor censeri debet conjunctior, et sic in necessitate communi debet præferri; et ad hoc alluditur Genes. 2, vers. 24, ibi : *Propter hoc relinquet homo Patrem, et Matrem, et adhærebit uxori suæ. Vide* verb. *Filius*, et verb. *Necessitas.*

(22. Eleemosyna non est danda otiosis pauperibus nolentibus laborare, quia ultra quam quod isti sunt fures eleemosynarum aliis vere indigentibus debitarum, id esset eorum ruinam, et vitia alere quia ex otio ad maxima vitia prolabuntur; ut enim dicitur *Ecclesiastici* 33 : *Multam malitiam docuit otiositas*, et ut scripsit Seneca epistol. 86. « Otium est sentina omnium malorum, noverca virtutum, et cujusvis hominis sepultura, » et istis otiosis, ex acceptis eleemosynis nutriunt vitia, videtur eleemosynam fieri prohibere *Ecclesiast.* cap. 12, ibi : *Da bono, et non receperis peccatorem. Benefac humili, et non dederis impio : Prohibe panes illi dare.* Vasquez. *de Eleemosyna* c. 3. dub. 1. Turrian. disp. 85, dub. 1. Trullench. loc. cit. cap. 5, dub. 10, n. 8. Amostraz *de Causis piis* tom. 2, lib. 7, cap. 12, n. 10, et alii passim. (23. Eleemosyna potest denegari pauperibus forensibus, immo possunt juste a Civitate expelli, quando adest justa causa, ut si Civitas fame laboret, nec possit simul forensibus, seu alienigenis, et domesticis, seu indigenis subvenire, vel si forenses pauperes morbos afferant, aut quando in otio putrescunt, unde ad vitia perveniunt, et hujusmodi; tunc enim recte expelluntur. Layman lib. 2, tr. 3, c. 6, num. 3. Valdes *de Eleemosyn.* 3, part. fol. 80, vers. quarto quæritur. Trullench. loc. cit. dup. 10, n. 8. Diana p. 5, tract. 8, resol. 36. Bonacina *de Caritate* disp. 3, q. 4, punct. 6, proposit. 3, n. 19. Amostraz. loc. cit. c. 32 et alii passim, et ad hoc facit Concil. Turonens. 11, cap. 4, ubi statutum est, ut quælibet Civitas, aut Oppidum suos alat pauperes, et ad id Presbyteri, et Laici concurrant.

(24. Pauperes ficti graviter peccant, et tenentur ad restitutionem eleemosynarum, quas se fingendo pauperes receperunt, et ratio est, quia sic injuste auferunt eleemosynas aliis pauperibus, vere indigentibus, et per dolum, et deceptionem extorquent pecuniam ab iis, qui seclusa deceptione, nullo modo darent eis ejusmodi eleemosynas; Causa enim finalis eleemosynæ, est pauperi succurrere ad sublevandam ejus necessitatem, quæ si non adsit, quia pauper est fictus, donatio illa non sustinetur, adeoque suscipiens ad restitutionem tenetur Vasquez *de Eleemosyna* cap. 3. dub. ult. Villalobos 1 part. tract. 22. difficult. 9. num. 2. Navarrus in *Manual.* cap. 17. n. 107. Navarra *de Restitut.* lib. 3. cap. 1. a n. 267. De Lugo tom. 7. lib. 6. dub. 17. Trullench. loc. cit. dub. 10 num. 9. Tapia *de Caritat.* lib. 3. quæst. 4. art. 8. Palao tom. 1. punct. 14. num 5. et alii passim. (25. Restitutio autem fieri potest sive danti, sive pauperibus. Vasquez loc. cit. dub. ult. num. 24. Diana part. 5. tract. 8 resolut. 22. Palao loc. cit. punct. 14. n. 7. Petschacher *de Restit.* p. 613. Tamb. et alii (26. Quamvis autem quis actu non egeat ad victum, si tamen imminеat necessitas proxima, potest nunc petere, et acceptare eleemosynas, quia quod de proximo expectatur, præsens censetur, l. 2. C. de *transactione*, ubi Barbosa n. 5. et alii De Lugo l. cit. dub. 17. n. 4. Amostraz loc. cit. n. 29. Diana part. 2. tract, 1. resolut. 8 et alii passim. (27. Sic etiam poterit eleemosynas petere, qui Filias habet nubiles quas commode dotare non potest, etiamsi non desint necessaria ad vitam suam, et Filiarum sustentandam. Mandell. cons. 69. num. 7. Vivius decis. 454. n. 5. Diana part. 2. tract. 1. resolut. 6. De Lugo tom. 7, in *Respons. moral.* cit. c. 17. n. 5. Amostraz loc. cit. n. 29. (28. Sic pariter poterit eleemosynas petere puella, quæ non habet congruam dotem sui status conditionem; quamvis habeat necessaria ad victum; sic cum Bertol. et aliis tra-

Digitized by Google

dit Velasco *de Privileg. pauper.* 1. part. q. 4. n. 43. Amostraz. loc. cit. n. 29. (29. Idem est dicendum de Filiis habentibus sibi necessaria, qui si habeant Parentes necessario alendos, et ad id non habeant, possunt petere, et suscipere eleemosynas. De Lugo loc. cit. in *Respons. moral.* dub. 19. num. 5. Amostraz. loc. cit. n. 30. Diana, et alii. (30. Idem pariter est dicendum de iis, qui habent Fratres aut Sorores, quibus alimenta præbere tenentur, De Lugo loc. cit. num. 5. Amostraz. loc. cit. n. 30. Velasco loc. c. q. 4. num. 50. et alii.

(31. Religiosi Mendicantes possunt eleemosynas ostiatim quærere; nec prohiberi possunt fideles ne eas ipsis conferant, textu expresso in cap. *Nimis prava* 17. *de Excessib. prælat.* Unde si aliqui Ordinariorum, vel alii impediant per vim, vel dolum, aut consulant, ne eleemosynæ dentur Regularibus Mendicantibus; tunc ipso facto excommunicationem incurrunt, ut ex Bullis ostendit la Crux *de statu Religios.* lib. 1. cap. 7. conclus. 2. Trullench. loc. cit. cap. 5. dub. 8. num. 22. Casarub. in comp. Privileg. verb. Eleemosyna num. 7, 8, 9 et 13. et signanter hoc statuit Sixtus IV. Constitution. incipiente *Sacri* (1). (32. Non possunt tamen quæstuare extra districtus consuetos, et assignatos propriis Conventibus, ut censuit Sacra Congreg. Episcop. et Regul. 22 Junii 1674. dum partibus auditis, « declaravit, et decrevit ne in posterum præfatorum Ordinum Conventus (scilicet Observ. et Cappuccin. in Regno Corsicæ) proprios sui districtus ad quæstuandum egrediantur, sed inter suos limites se quisque contineat, ut ab his quibus serviunt sustentari facilius possint; Nec non, ut ubi plures inveniuntur Conventus in eodem districtu, inter eosdem ratio antiquitatis, ac fundationis rationabiliter habeatur, sicque omnino observari mandavit. » (33. Et quod non possint quæstuare Cappuccini in locis in quibus id faciunt Patres Reformati, statuit novissime, auditis partibus, Sac. Congreg. Episc. in Vintimilien. quæstuationis 2. Augusti 1715. Ponent. Cardinal. S. Clementis, et 16 Septemb. 1718. Pon. Cardinal. Corsino, ut ad longum variis notatis, et discussis refert Ursaya tom. 1. part. 2. disceptat. 9. et tom. 3. part 1. disceptat. 17. et jam emanaverat prohibitio quæstuandi per quatuor milliaria prope Conventus Mendicantes anteriores; ead. Sacra. Congreg. 15. Novembris 1647.

(34. Regulares vere Mendicantes non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cujus Diœcesi situm est ipsorum Monasterium, cum eis in erectione concessa tacite videatur, et concessit Leo X. Fratribus Minoribus in sua Constitutione quæ refertur in *Compend. privileg. Mendicantium*, verb. *Eleemosyna* n. 13. Unde Sacra Congregat. Episcop. et Regul. 6 Octob. 1597. ita rescripsit Episcopo Casalensi : « Non tenentur Regulares, qui ex institutione, aut facultate Sedis Apostolicæ eleemosynas quæritare, aut mendicare possunt, petere ab Ordinariis licentiam Eleemosynas per Diœcesim quærendi, cum in erectione Monasteriorum hæc licentia eis tacite ab Ordinariis impertita censeatur. » Et eadem Sacra Congr. 2 Augusti 1594. ita rescripsit Collectori Portugalliæ : « I Vescovi per la licenza di cercar la limosina non devono aver cosa alcuna, ancorchè menoma, e cosi i loro Officiali. I Mendicanti non han bisogno di simil licenza, la quale si presume data loro per sempre, quando fu loro permesso che avessero Monastero nella diocesi. » Id ipsum declaravit eadem Sacra Congregatio in Ostunen, 15 Februarii 1577. in Papiensi 22 Augusti 1581. et 3 Decembr. 1602. in una Observantium 17 Novembris 1620. in una Capuccinorum 5 Octobr. 1646. et in alia Observantium 21 Maii 1640. et sic alibi sæpissime (2).

(35. Nec tenentur Regulares vere Mendicantes ostendere Ordinariis licentiam suorum Superiorum, dum eleemosynas quærunt in locis ubi existunt Conventus; sed solum si eas velint colligere extra ipsa; sic declarasse Sacram Congregationem Concilii refert Piasecius, in Praxi Episcop. part. 2. cap. 3. art. 6, n. 50, his verbis : « An ut quæstores arceantur, possint Ordinarii facultatum a Superioribus Regularium Eleemosynæ quærendæ concessarum, aliquam cognitionem, et qualem habere? Congregatio censuit ex Concilio non prohiberi Regulares quominus eleemosynas quærant, non tamen alios eorum nomine, et auctoritate quoquomodo posse quæritare; illos tamen extra locum, ubi sita sunt Monasteria, eleemosynas per eamdem Diœcesim corrogantes, teneri ad ostendendam Ordinario licentiam suorum Superiorum. » Consimilem declarationem ejusdem Sacræ Congregationis de anno 1621, referunt Sperell. dec. 38, num. 27, et Lantusca : verb. *Eleemosyna* num. 1 tenoris sequentis : Sacra Congregatio Cardinal. Concil. Trid. « Interpretum censuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant; sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri Superiorum licentiam Ordinario ostendere. » (36. Si tamen extra Diœcesim, in qua erecti sunt Conventus, quæritare voluerint, debent obtinere consensum ab Ordinario illius Diœcesis, ut declarasse Sacram Congregationem Concilii referunt Fagnan. in *Capit. Tuarum* 11, *de Privil.* num. 3, et Pignatell. tom. 8, consult. 12, num. 19, his verbis : *Sacra*, etc. « censuit Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per seipsos in Diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas

(1) *Vide* Addit. ad Verb. *Quæstuare*, *Quæstuarii* num. 29. et Responsionem Auctoris. ibid. num. 30.

(2) Huc pertinet Decretum S. Congreg. an. 1586. die 10 Octobris editum, *Bullarii Ord. Prædic.* Tom. 7. pag. 205. seq. in quo hæc habentur : Secundo. Fratres Mendicantes nullatenus a quæstuatione, quæ « de licentia suorum Superiorum fit, et in dies fieri continget, prohibeantur. »

Digitized by Google

quærant, sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere; at si extra Diœcesim, teneri etiam illius consensum obtinere; Cæterum nullatenus esse permittendum, ut eleemosynas quærant per alios, quam per sui Ordinis Fratres. »

(37. Et quod non sit permittendum, quod Fratres etiam Mendicantes eleemosynas quærant per alios, quam per sui Ordinis Religiosos, vel Oblatos, statuit Sacr. Congreg. Concil. in Polinianensi 24 Septembr. 1622, ex can. *Tuarum* 11 *de Privileg.* et novissime cum PP. Augustiniani Terræ Mondulphi Senogallien. Diœcesis, opponente Capitulo Collegiatæ dicti loci, proponi curassent in Sacra Congregatione Episcop. et Regular. Dubium: « An ipsis PP. competeret jus quæstuandi in Terra, et Territorio Mondulphi? » die 17 Januarii 1692, ad Relationem Eminentissimi Card. de Abdua prodiit rescriptum: « Posse Regulares Mendicantes quæstuare per seipsos, et ad suam utilitatem; Per sæculares autem non posse, nisi de licentia Episcopi. » (38. Sic sine licentia in scriptis Ordinarii loci nulli quantumvis privilegiati possunt eleemosynas quærere pro aliquo opere pio, etiamsi essent Patentati, seu Commissarii Abbatiæ S. Antonii Viennensis, nam nec isti quæstuant sine licentia Ordinarii, non obstantibus eorum privilegiis; Sacr. Congr. Conc. in Theanen. 30 April. 1678, in qua, utraque parte informante, censuit non posse a prædictis Commissariis quæstuari, nisi ad formam Sacri Concilii cap. 9, sess. 21 *de Reformat.* et Bullæ Gregorianæ incipientis *Romanum*, lib. *Decret.* fol. 262. Et iterum in Cajacen. 28 Augusti 1683, in qua censuit danda, et servanda esse decreta edita in dicta Theanen. (39. Nec talis licentia eleemosynas quærendi potest concedi a Gubernatoribus, Judicibus, seu Magistratibus, vel Principibus sæcularibus, ut respondit Sacra Congr. Episcopor. et Regul. in Papien. 8 Novembr. 1619, et declaravit Sacr. Congr. Concil. in Regiensi 9 Januarii 1582, et in Aversana 22 Februar. 1620.

(40. Confraternitatibus, et aliis locis piis, qui hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quæstuandi; Sac. Congreg. Episcopor. et Regular. in Lauden. 28 Augusti 1584, et in Panormitana 17 Februarii 1601. Unde Sacr. Congreg. Concil. in Maceraten. sub die 17. Novembris 1607, censuit Ecclesiam, quæ non habet Hospitale, non posse mittere quæstuarium tempore vindemiarum, et messium. Secus si exerceant hospitalitatem, ut in Nucerina 15 Novemb. 1577, et in Theanensi 4 Julii 1589, vel pro fabrica Ecclesiæ præsertim incœpta, ut in Civitatis Pleb s 29 Novembris 1610, dummodo rationem reddant Ordinario, ut in Nucerina 19 Augusti 1579, et Concil. Trident. ses. 22, cap. 9. *de Reformat.* Eleemosynas autem sponte oblatas recipere possunt, dummodo similiter rationem reddant, ut censuit ead. Sac. Congregat. 14 Novembr. 1642. (41. Ordinarii prohibere non possunt Regularibus, ne quæstuent ante Confraternitates, nisi probetur consuetudo in individuo; Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in una Carmelitarum 4, Augusti 1603. (42. Eleemosynas, et oblationes ab offerentibus recipere non est prohibitum Regularibus inter Missarum solemnia, vertendo se ad populum, et generalem confessionem pro eo faciendo; non autem ei licet ab Altari discedere, et per Ecclesiam circumire; Sacra Congregation. Concilii in Nullius Provinciæ Ravennaten. 15 Septembris 1619.

(43. Ex eleemosynis Missarum nec minima pars retineri potest ratione expensarum, quæ fiunt in celebratione; nisi cum Ecclesiæ alios non habent redditus, quos in usu earumdem expensarum erogare licite possint; quæ portio nullatenus excedere debet valorem prædictarum expensarum. Sic expresse fuit statutum in decret. *de Celebrat. Missarum* in responsion. ad septimum, ubi subjungitur, quod « nihilominus absolute tot Missæ celebrentur, quod præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. » (44. Sacerdos, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, non potest eamdem Missam alteri celebrandam committere, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta; cit. Decret. § 4. (45. Et id faciens quam pœnam incurrat? Vide infra num. 64. eleemosynæ pro Missis celebrandis recipi non possunt ab Ecclesiis, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, nisi de consensu illorum, qui eleemosynas tribuerunt; cit. decret. in responsione ad decimum quartum. (46. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ; Sacra Congregat. Rit. 28 Jan. 1606. Et Sac. Congreg. Concil. 5 Septembris 1616, 19 Novembris 1729, 13 Januarii 1732, et 12 Maii 1736.

(47. Eleemosynas peti per Ecclesiam, dum Divina celebrantur officia, prohibuit. S. Pius V. constitut. 5, § 5, et Clemens XI in junxit prius Prædicatoribus in Quadragesima anni 1703, ut populo annunciarent majoris esse meriti, sibique gratius non dare eisdem eleemosynas in Ecclesiis, sed vel in Januis earumdem, vel alibi. Deinde vero intelligens adhuc continuari talem abusum, *die* 11 Julii 1703, fecit promulgari, et affigi in solitis locis Urbis, et in omnibus Ecclesiis tam sæcularibus, quam Regularibus sequens edictum: « Riconoscendosi, che tutto ciò non sia stato bastante ad impedire le suddette questuazioni, la Santità di Nostro Signore, ec. espressamente proibisce a tutti i fedeli dell' uno, e dell' altro sesso di qualsivoglia stato, grado, e condizione il dare limosina di qualsivoglia somma, benchè tenuissima, a' Mendicanti in qualunque tempo dentro le Chiese, avvertendo che quelli che in esse faranno a' poveri la limosina, non solamente per cagione delle sopra expresse circostanze, non faranno atto meritorio, ma saranno positivamente colpevoli, per avere benchè in-

Digitized by Google

direttamente cooperato all' irriverenza delle Chiese, ed ai disturbi, e distrazioni delle preghiere, ed orazioni de' divoti, ed anche per aver trasgredito li premurosi comandamenti di Sua Santità, che hanno per unico oggetto la riverenza, il decoro, e la quiete, che per divin precetto sono dovuti ai Sacri tempi. » (48. Quod fuit confirmatum in edicto Cardinal. Carpinei Urbis Vicarii 20, Januarii 1705, § 18, in fine, ut refert per extensum Monacell, tom. 2, tit. 13, fol. 34, primæ impress. Romæ ibi : « Siccome anche è l' intenzione di N. S. dichiarata nell'ultimo editto, in cui si proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese limosine a' poveri. » Et iterum confirmatum fuit die 13 Augusti 1716, a Cardinali Caracciolo Pro Vicario; nec non a Cardinali Paracciano Vicario die 23 Septemb. 1718, quando fuit etiam idem Edictum ampliatum multipliciter.

(49. Eleemosyna est facienda solum ex bonis propriis, et quorum quis liberam habet administrationem. (50. *Sic communis Doctorum.* Potest tamen fieri ex bonis alienis, quando pauper est in extrema necessitate, tunc enim omnia sunt communia. *Omnes.* (51. Non potest licite fieri eleemosyna ex bonis injustis, et obnoxiis restitutioni faciendæ certæ personæ. *Communissima.* (52. Licet tamen fieri ex bonis acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia v. g. ex lucro meretricum, histrionum, et hujusmodi, quia tale lucrum licet turpiter, et illicite acquiratur, patrato tamen scelere, licite acceptatur, et possidetur ut vere proprium; *Doctores communiter.* (53. Uxor potest facere eleemosynam de bonis suis paraphernalibus et acquisitis etiam constante Matrimonio ex hereditate, Donatione, et propria industria familiæ non debita; item cum ipsa familiam gubernat, vel consentiente marito, vel marito absente, ægroto, aliaque causa impedito, dummodo eam non faciat in majori quantitate, quam vir, si gubernaret, faceret, vel facere deberet. Item potest uxor licite facere eleemosynam pro salute corporali Mariti, prout fecit discreta Abigail lib. 1, *Regum* cap. 25, et a fortiori pro ipsius salute spirituali. Item potest uxor dare eleemosynas dari solitas a mulieribus sui status et conditionis, dummodo non constet nolle maritum, quod illas præstet. Item quando a marito assignatur uxori certa summa pro sua substentatione, et convenientia, tunc quantum ei superest parce vivendo potest licite, et sancte erogare in eleemosynas; *omnium communissima.*

(54. Filiusfamilias nequit facere eleemosynas de bonis profectitiis, et adventitiis, quia usufructus talium bonorum spectat ad patrem; potest tamen facere eleemosynam de bonis castrensibus, et quasi castrensibus, quia horum est Dominus. Item potest facere eleemosynas tenues de bonis parentum ex interpretativa, et præsumpta eorum voluntate. Item quando peregrinatur, aut residet in scholis exteris, potest facere eleemosynas de sumptibus paternis, quas faciunt alii suæ conditionis, et status. Item quando a parentibus habet assignatam certam summam pro sua substentatione, et convenientia, quod superest, vel subtrahit, potest licite, et sancte erogare in eleemosynam; *Sic communis Doctorum.* (55. Servus et Ancilla nequeunt facere eleemosynam de bonis Domini sui : nisi de expresso vel tacito ejus consensu, quia hoc facile præsumi debet de rebus parvis; quæ alias inutiliter perirent, et maxime de iis, quæ sibi de victu concesso subtrahunt; *Communis.* (56. Religiosus nequit sine expressa vel præsumpta Superioris facultate facere ullam eleemosynam, quia non habet dominium in rebus ab eo acquisitis, nec in bonis Monasterii; cap. *Non dicatis* 11, caus. 12, q. 1, c. *Cum ad Monasterium* 6, *de Statu Monachor. Authent. Ingressi*, C. *de Sacrosanctis Ecclesiis.* Potest tamen Religiosus facere eleemosynam de bonis Monasterii, cum administrationem habet juxta cujuslibet Ordinis, vel Monasterii morem; Item cum licentia Superioris etiam præsumpta, ut si occurrente casu, vel necessitate, Superior nequit adiri, aut quid exiguum est erogandum, tunc rationabiliter præsumitur licentia Superioris. Item cum peregrinatur extra Monasterium studiorum, vel aliorum negotiorum causa, tunc ex assignata sibi pro sua sustentatione summa poterit aliquas moderatas eleemosynas facere, et maxime si parce vivat, et aliquid subtrahat (1). Item in casu extremæ necessitatis alicujus pauperis, etiamsi in tali casu Superior injuste contradicat, quia Superior nequit rem justam, et necessariam contradicere, et tunc potius obediendum est Deo, quam hominibus : *Exod.* c. 1, vers. 17, ibi. *Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum Regis*, et *Act. Apostolor.* c. 5, v. 29. S. Petrus ait : *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Communis.* (57. Pupillus nequit eleemosynas facere, quia non habet administrationem; nec prodigus, cui a Prætore interdicta est administratio. (58. Administratores, Tutores, vel Curatores possunt facere illas eleemosynas, quas recte facerent minores, si jam adulti fuerint, et possunt concedere pupillis licentiam faciendi eleemosynas minutas; *communis.* (59. Administratores Reipublicæ possunt facere eleemosynas consuetas Hospitalibus, et aliis locis piis; *Communis.* (60. Eremita petens eleemo-

(1) Opinio Auctoris convenit cum opinione P. Antoine, quando enim Religiosus peregrinatur studiorum causa, tunc censetur habere sui Superioris licentiam saltem tacitam, vel, ut ait D. Thomas, probabiliter præsumptam; vide Antoine tract. *de Virtutibus theolog.* cap. 4. quæst. 4. Consentit et Natalis Alexander t. 2. *Theolog. moralis* l. 4. de *Decalogo*, *regula* 34. cujus hæc sunt verba : « Ex congiario, aut viatico, seu pensione ad victum, et vestitum sibi concessa, si quid residuum fuerit, ex hoc parcimoniæ suæ residuo pauperes potest recreare; », et apte citat in suæ propositionis præsidium D. Thomam quodlib. 3. qu. 6. art. 1. Nam hoc in casu tacita Superioris licentia præsumitur. (Not. Rom. Theol.)

Digitized by Google

synps pro Sacello, cujus cura et custodia est ipsi demandata, potest ex ipsis licite, et honeste vivere, quia inter necessaria illi Sacello est etiam victus talis Eremitæ, qui in sacello assistat, et curam ejus habeat. Reliqua vero expendenda sunt in servitium, et bonum illius Sacelli, cum ad talem finem petantur et dentur. Quod si aliqua supersint, poterit dare pauperibus tam cognatis, quam extraneis, nam non indigens potest mendicata dare aliis pauperibus, adooque etiam talis Eremita ex superfluis sibi, et Eremitorio; nisi tamen tales eleemosynæ essent datæ ex speciali devotione ad tale Sacellum (1) Cardinal. de Lugo in *Respons. moral.* lib. 6. dub. 17. num. 7. La Croix lib. 3. part. 2. num. 163. et alii. (61. Eleemosynarum distributor relictus ex aliqua testamentaria dispositione, ut testatoris substantias distribuat in pauperes, et pia opera, potest illas sibi pauperi vel suis consanguineis pauperibus appropriare; sic Religiosi et Religiosæ in tali casu, quod ipsis esset demandata aliquarum eleemosynarum distributio, possunt distribuere suis Monasteriis, ut ex communi notat, et late probat Ursaya tom. 5. p. 2. disceptat. 4. per tot. et Fagnan. lib. 1. *Decretal.* in cap. *Dilectus* 18. *de Offic. Ordinar.* n. 16. (62. Distributio Eleemosynarum, quæ colliguntur occasione alicujus Jubilæi, et aliarum oblationum, quæ fiunt in Ecclesiis etiam Cathedralibus, spectat ad Episcopum et non ad Canonicos, ut decrevit Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Januens. Distributionis Eleemosyn. die 5. Martii 1722. in qua proposita causa per Cardinalem Corsinum, responsum fuit: « Competisse et competere distributionem eleemosynarum Eminentissimo Archiepiscopo in Capsulis expositis occasione Jubilæi etiam in Ecclesia Metropolitana cum addito, ut causa amplius non proponeretur. »

(63. Facientes celebrari ab aliis Missas minori eleemosyna, quam ipsi receperint, parte ejusdem pro se retenta, si sint Laici, incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam, et si sint Sacerdotes, incurrunt suspensionem item Papæ reservatam, quamvis Sacerdos, qui eas tali minori eleemosyna celebrandas suscipit, expresse ad id consentiat. Sic novissime declaravit Benedictus XIV. Constit. incip. *Quanta cura.*

(64. Eleemosyna pro unaquaque Missa manuali non potest tradi minor uno Julio; sic expresse statutum est de mandato Clementis XI. die 23 Decembris 1706. ut patet in ejus Bullario, Edicto XII. et sic etiam statuit Sacra Congregat. Concil. 13 April. 1726. Unde Episcopus statuere potest, ne Sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata. Sacra Congregat. Concil. in S. Severini Eleemosynæ Missarum 16 Jul. 1697. et in Alexandr. 26 Januar. 1743. Et id habetur etiam in Notificatione super Eleemosyna Missæ, quæ inter Institutiones Ecclesiasticas ejusdem est 66. num. 11. edita ab Eminentissimo Card. Lambertino, postea Summo Pontifice Benedicto XIV.

(65. Eleemosynas colligendi pro subsidio locorum Terræ Sanctæ speciale indultum habent PP. Minores de Observantia; et sic Ordinarii locorum tenentur illos suis subditis commendare in tota Diœcesi ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ temporibus, tam per Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in aliis actionibus, et functionibus publicis, ut patet ex Constitutione 197. Urbani VIII. incip. *Salvatoris*, Constitutione 11. Innocentii X. incip. etiam *Salvatoris*, et Constitutione 39. Clementis X. incip. pariter *Salvatoris*, ac Constitutione Innocentii XII. incip. *Salvatoris, et Domini Nostri*, edita 21 Novemb. 1721. in qua confirmantur Literæ Urbani VIII. confirmatæ jam ab Innocentio X. Clemente etiam X. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. ac Clemente XI. in quibus mandatur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, et singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, et Institutorum Regularium Generalibus, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ temporibus, tam per Verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, et functionibus publicis, necessitates Locorum Terræ Sanctæ populo proponi, et commendari curent, et faciant. Et idem statuit Bened. XIII. Constit. incip. *Loca Sancta Palestinæ*, edita 3 Martii 1727. in qua confirmat Constitutiones 63. diversorum Pontificum, quibus gratiæ, privilegia, ac Indulgentiæ Locis Terræ Sanctæ, ac Minoribus de Observantiva inibi commorantibus concessa fuere. Et idem fuit statutum etiam a Clemente XII. Constit. incip. *Salvatoris* edita 12 Septem. 1731.

ADDITIONES EX AUCTORE.

(66. Eleemosynæ pro celebratione Missarum oblatæ, integræ, et fideliter sunt in id erogandæ. Unde mercimonia exercentes super eleemosynis Missarum, Laici excommunicationem, Clerici vero, et Sacerdotes suspensionem Papæ reservatam incurrunt. Bened. XIV. tom. 1. Constit. 22. incip. *Quanta cura* § 3 *et* 5. Vide supra numer. 64. verb. *Missa* art. 2. n. 16. ubi integra affertur dicta Constitutio. (67. Pedemontanæ Provinciæ Episcopi excitantur ad evellendos abusus circa eleemosynas Missarum invectos. Idem Constitut. 23. incip. *Pro eximia.*

(68. Eleemosynæ pro expeditione adversus infideles collatæ, ne in aliam quamlibet causam impendantur, prohibetur ab eodem Pontifice, Constit. 86. incip. *Quoniam* § 16. (69. Eleemosynæ a Regularibus fieri, et distribui possunt, opportunis facultatibus obtentis. Idem tom. 2. Constitut. 25. incip. *Ex quo.*

(1) Hoc animo conferri eleemosynas, ut in Eremitorii bonum cedant, semper est existimandum. Itaque, si qua ex illis, quæ Eremitæ Sacelli custodia Fidelibus conferuntur, supersint, Eremita Ordinarium consulat, nec de ipsis eo inconsulto decernat. (NOT. ROM. THEOL.)

Digitized by Google

(71. Quoad eleemosynam pro subsidio locorum Terræ Sanctæ, attendenda est sequens novissima Constitutio Benedict. XIV.

BENEDICTUS PAPA XIV

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Emanarunt nuper a Nobis quædam Literæ in simili forma Brevis expeditæ tenoris sequentis videlicet: Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriam. Salvatoris, et Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in Terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in eam præcipue Pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, et tam salubris Mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur. Cum itaque, alias fel. rec. Urbano PP. VIII. Prædecessori Nostro exposito, quod Ecclesiæ, et alia loca in Civitate Hierusalem, et aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, et quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno, ob impiam Turcarum, Hæreticorum, et Schismaticorum tyrannidem, et pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, et singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, et institutorum Regularium Generalibus commiserit, et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ Temporibus, tam per Verbi Domini Prædicatores, in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, et functionibus publicis, necessitates eorumdem Sanctorum Monumentorum Populo proponi, et commendari curarent, et facerent; et alias, prout in ipsius Urbani Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 3 Februarii 1634 expeditis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilecti filii moderni Commissarii Generalis Terræ Sanctæ Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo præfatæ Urbani Prædecessoris Literæ, quæ a fel. mem. Innocentio X. Clemente X. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. Innocentio XIII. et Clemente XII. Romanis Pontificibus, pariter Prædecessoribus Nostris confirmatæ fuerunt, exactius observentur, illas per nos etiam confirmari, et innovari desideret; Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, et manutentioni consulere volentes prædictas Urbani Prædecessoris Literas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, et approbamus; illasque innovamus, et observari mandamus. Volumus autem ut Patriarchæ, Archiepiscopi, et Episcopi prædicti in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant se prædictis Urbani Prædecessoris Literis paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque: volumus insuper, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10 Januarii 1741. Pontificatus nostri Anno primo. D. Cardinalis Passionеus. Loco ✠ Annuli Piscatoris. Cum autem sicut dilecti filii moderni Procurator, et commissarius Generalis Terræ Sanctæ hujusmodi Nobis nuper exponi fecerunt, licet necessitates Terræ Sanctæ prædictæ propositæ et commendatæ sint, nihilominus Eleemosynæ pluribus ab hinc annis ob præsentium temporum calamitates, ita tenues sint, ut exponentes prædicti necessitatibus hujusmodi præsto esse nequeant, ac propterea opportuno sibi in præmissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, et singulis quorumvis Ordinum Congregationum, et institutorum Regularium Generalibus per præsentes committimus, et mandamus, *ut ad minus quatuor vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ Temporibus*, tam per verbi Dei Prædicatores, in suis Sacris Concionibus, quam in quibusvis aliis actionibus, et functionibus publicis, necessitates ejusdem Terræ Sanctæ proponi, et commendari curent, et faciant. Ac insuper, ut Parochialium Rectores, aliarumque Ecclesiarum Administratores unum, seu plures, viros probos ad colligendas Eleemosynas hujusmodi in earum Ecclesiis statutis diebus deputent, qui statim ac Eleemosynas collectas in eorum manibus consignari debeant, et faciant, qui elapsis Adventus, et Quadragesimæ Temporibus ad proprios Ordinarios pecuniam sibi consignatam transmitti debeant, dictique Ordinarii eam Syndicis in earum respective Diœcesibus ad hoc deputatis consignari curent, et faciant, servata in reliquis prædictarum Litterarum forma, et dispositione, auctoritate Apostolica tenore præsentium, volumus, præcipimus, et ordinamus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus insuper, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20 Augusti 1743. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Pro domino card. Passioneo.
Cajetanus Amatus.

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Non importune hic quæri potest, num jus colligendi eleemosynas per sacculum sonantem spectet ad actus Parochiales, ut Ecclesia Parochialis hoc jus tantum sibi adscribere, et alias Ecclesias non Parochiales ab usu ejusdem excludere vigore juris bannarii recte possit?

(73. Argumenta opinionis tum affirmantis, tum negantis referunt Vildovogel *de Oblat. quæ fiunt in Eccles. per saccul. sonant.* et Bohem. in *Jur. paroch.* sect. 4. cap. 1. § 31. sed ambo negantem amplectuntur opinionem. (74. « Ex his (ait Bohemer. loc. cit. § 32.) in utramque partem adductis rationibus patet, rationem decidendi unice in eo positam esse, quidnam proprie dicatur actus parochialis. Hoc vero non rectius dijudicari potest, quam si in subsidium sumamus attributa Parochiarum, et exinde actus dijudicemus. Hinc breviter hanc Regulam constituo. Omnis actus, qui Ecclesiæ parochiali qua tali competit ex jure perfecto cum jure prohibendi, excludendi, et cogendi, ille potest dici parochialis. Hanc Regulam uno ore confirmant Canonistæ, etc. Hoc posito fundamento, quilibet facile judicabit, rationes eorum qui negant jus colligendi eleemosynas esse actum parochialem, fortiores esse, ut secundum has merito pronunciandum sit. »

(75. De eo etiam non inutilis est disputatio, an qui quotannis certam eleemosynam erogare consuevit, compelli possit, ut et in futurum eam præstet, (76. Negant communiter Covarr. in c. *Possessor.* p. 2. § 4. num. 6. *de Regul. Jur.* Besold. consil 118. num. 78. part. 3. Strykius *Jurid. dissert.* tom. 2. disput. 6. cap. 4. num. 15.

(77. Limitat vero Menoch. *de Arbit.* cas. 160. num. 17. in fin. ut non procedat favore piæ causæ, sed quod hic potius ex voluntaria etiam solutione necessitas in futurum inducatur, dissentiente tamen Strykio ubi supra, qui : « quum nulla (ait) obligatio in specie sic dicta hic præcedat, non imponenda videtur necessitas etiam ad favorem piæ causæ. »

Vide tamen quæ dicemus in addition. ad verb. *Oblationes.*

EMPHYTEUSIS.

Vide verb. CONTRACTUS EMPHYTEUSIS, *tom. II.*

EMPTIO ET VENDITIO

Vide verb. CONTRACTUS, EMPTIO ET VENDITIO, *tom. II.*

EPISCOPATUS.

SUMMARIUM.

1. Episcopatus probabilius est Ordo Sacramentalis realiter distinctus ab Ordine Presbyterali. — 2. Hæc nostra sententia deducitur ex pluribus Sacris Canonibus. Primo ex cap. *Requisivit* 1. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui.* — 3. Secundo ex cap. *Episcopus non ordinatur* 7. *cum aliis sequentibus dist.* 23. — 4. Tertio ex cap. *Clericus* 1. dist. 21. cap. *Perlectis* 1. dist. 25. cap. *Omnium Sacerdotum* 1. dist. 31. cap. *Quia Sanctitas* 16. dist. 50, etc. — 5. Colligitur etiam ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 4. et Can. 6. ejusdem Sessionis, etc. — 6. Probabilius est, materiam Episcopatus adæquatam esse manuum impositionem : Formam vero hæc verba; *Accipe Spiritum Sanctum.* Et ostenditur prima pars. — 7. Ostenditur secunda pars. — 8. Episcopatus secundum aliquos fuit institutus quando *cap.* 21. Joannis Christus dixit Petro : *Pasce oves meas.* Alii autem probabiliter dicunt institutum fuisse cum Sacerdotio. — 9. Episcopatus probabilius conferri non potest eodem die cum Presbyteratu. — 10. Ordo Episcopatus debet conferri die Dominico. — 11. Episcopatus cum Cardinalatus officio compatibilis. — 12. Episcopatus titulares Ecclesiarum in partibus Infidelium laudabiliter conferuntur. — 13. Episcopatus non extinguitur per extinctionem Capituli. — 14. Episcopi jure divino Presbyteris præstant.

(1. Episcopatus probabilius est Ordo Sacramentalis realiter distinctus ab Ordine Presbyterali. Sic Hostiensis in cap. *Cum contingat* n. 6. *de Ætat. et qualitat.* quem ibi sequuntur Joann. Andr. Butr. Card. Ancharan. Abbas, et ceteri omnes Canonistæ; Glossa in *Proemin. sexti Decret.* verb. *Episcopus*, Glossa unic. in cap. *Solicitudo*, et ibi etiam Præposit. num. 4. dist. 12. Glossa in Clementin. *In plerisque*, verb. *Aliquid. de Election.* Abbas in cap. *Aqua, de consecration. Eccl. vel Altar.* Butr. in cap. unic. *de Cleric.* per saltum promot. Præposit. in cap. *Cler.* 9. dist. 21. Fagn. in cap. *Requisivit* 1. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, et ibi Canonistæ communiter, teste Card. ibid. num. 1. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part. 2. allegat. 1. num. 18. ubi pro hac sententia citat plusquam 18. etiam ex Theologis, quos sequuntur alii moderniores cum La Croix lib. 6. part. 2. num. 2209. Henno tom. 2. tract. 7. *de Sacramento Ordinis* quæst. 3. concl. 1. Aversa quæst. 2. sect. 7. Ilsung num. 18. aliique plures contra torrentem aliorum Theologorum (1). Et ratio est, quia Episcopatus, ut a Presbyteratu distinctus, habet omnia requisita ad verum Ordinem, verumque Sacramentum novæ legis; est enim cæremonia sensibilis, cum Episcopatus physice constet ex impositione manuum, et verbis, quibus utitur Minister, dum Sacerdotem consecrat in Episcopum. Et talis cæremonia fuit instituta a Christo, cum hujus non legatur in

(1) Quos inter Navarrus in *Manuali* cap. 23. n. 16. Bellarminus *de Sacram*; ordin. c. 5. Estius in 4. dist. 24. § 28. Sylvius in 3. p. d. Th. q. 40. art. 5. concl. 2. Isambertus *de Sacr. ord.* disp. 4. art. 3. Tournely *de Majorib. et sacris ordinib.* art. 1. immo Petrus Soto hanc sententiam certa fide tenendam affirmat lect. 4. *de Sac. ord.* (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Ecclesia initium, semper enim, et ubique gentium servata fuit in Episcoporum consecratione manuum impositio etiam ab ipsismet Apostolis, ut patet ex utraque Epistola mox citanda D. Pauli Apostoli ad Timotheum; quod signum est a Christo descendere. Et per talem sensibilem cæremoniam confertur gratia sanctificans, ut expresse asserit Apostolus in prima Epistola ad Timoth. cap. 4. ibi : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyteri; et* Epist. 2. ad eumdem c. 1. ibi : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum;* quem duplicem locum Chrysostomus, Theophylactus, et passim alii Patres intelligunt de manuum impositione, quam Paulus adhibuit, cum Timotheum ordinavit Episcopum; et Tridentina Synodus session. 23. cap. 3. iisdem Pauli verbis utitur, ut probet ordinationem esse Sacramentum; adeoque cum ea verba Paulus de Episcopali Ordinatione intellexerit; manifeste probant ipsum Episcopatum esse vere, ac proprie novæ legis Sacramentum distinctum a Presbyteratu. Tum quia per Episcopatum, ut Episcopatum, confertur specialis potestas spiritualis, nempe confirmandi, conficiendi Chrisma, ordinandi Sacerdotes, Diaconos, etc., quæ potestas non confertur per Presbyteratum; unde cum talis potestas valide conficiendi dicta Sacramenta neque per Summum Pontificem possit ab Episcopis auferri, ex quo Episcopalis Ordinatio tamquam characteristica sit irrepetibilis, et indelebilis, stat evidenter quod non sit potestas solius jurisdictionis, sed potestas Ordinis.

(2. Hæc nostra sententia deducitur ex pluribus sacris Canon. Primo ex c. *Req.* 1. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, ubi declaratur, quod ordinati scienter ad S. Ord. ab Episcopo, qui renunciavit loco, et dignitati, ordinem accipiunt, licet officii executionem non habeant, quod non esset nisi Episcopus indelebilem characterem haberet impressum, ut clare sensit Glossa communiter recepta in cit. cap. *Requisivit*, verb. *Execution.* (3. Secundo, in Concilio Carthaginensi IV. ubi præscribitur ritus observandus in singulis Ordinibus conferendis, et incipitur ab Ordinatione Episcopi, ut patet in cap. *Episcopus cum ordinatur* 7. in cap. *Presbyter cum ordinatur* 8. cap. *Diaconus cum ordinatur* 11. c. *Subdiaconus cum ordinatur* 15. cap. *Acolythus cum ordinatur* 16. cap. *Exorcista cum ordinatur* 17. cap. *Lector cum ordinatur* 18. cap. *Ostiarius cum ordinatur*. 19. dist. 23. Qui Canones sicut intelliguntur de Ordinatione Presbyteri, Diaconi, et aliorum, prout sunt Sacramentum eodem modo intelligendi sunt de Ordinatione Episcopi, cum per eademmet verba loquantur de Presbytero cum ordinatur, ac de Episcopo cum ordinatur. (4. Et eo magis, quia si egissent de Ordinibus, prout sunt Officia, et gradus Ecclesiastici, eodem modo debuissent præscribere ritum observandum in ordinatione Abbatis, Archiepiscopi, Primati, et Patriarchæ, ut recte notat ad literam Fagnan. loc. cit. num. 43. Tertio, ex cap. *Cleros* 1. dist. 21. c. *Perlectis* 1. dist. 25. c. *Omnium Sacerdotum* 1. dist. 31. c. *Quia Sanctitas* 16. dist. 50. c. *Illud.* 1. dist. 77. c. *Diaconus* 13. dist. 93. c. *Veritatis* 4. *de Dolo et Contumac.* cap. *Quorumdam* 1. *de Testamentis*, cap. *Aqua* 9. *de Consecrat. Eccles.* qui omnes Canones cum aliis recte expenduntur pro nostra sententia a Fagnano loc. cit. a num. 34 ad 49 inclusive.

(5. Colligitur etiam hæc nostra sententia ex Conc. Trident. sess. 23, c. 4, adeo ut oppositum tenere, ut recte dicit Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 11, n. 26, sit periculosum, siquidem Concilium Trident. ibi Episcopatum expresse inter Ordines connumerat, dum ait : « Docet insuper Sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et cæterorum Ordinum, » etc. quæ verba satis clare innuunt Ordinem Episcopalem non solum esse distinctum ab Ordine Sacerdotali, sed etiam esse Sacramentum, sicuti est Presbyteratus, et cæteri Ordines, ponderando illam dictionem *Cæterorum*, quæ ex propria significatione est implicativa similium. Glossa in cap. *Deinde* 3, dist. 26, et ibi Geminian, et Præposit. Glossa in c. *Et si illa* 23, caus. 1, q. 7, verb. *Scienda sunt.* Præsertim vero, quia in Canone 6, ejusdem sess. Sancta Synodus definit Sacram Ordinationem vere, et proprie esse Sacramentum a Christo Domino institutum : et pro sacra ordinatione intelligenda est ordinatio illa, de qua prius mentionem fecerat in d. cap. 4. videlicet *Episcoporum, Sacerdotum, et cæterorum Ordinum.* Sic egregie Fagnan. loc. cit. n. 47 et 48, qui a num. 68 ad 71 inclusive varia adducens, et Trident. latius expendens concludit, constare ex Divina institutione, seu Jure Divino Ordinem Episcopalem esse prorsus distinctum ab Ordine Presbyterali, adeoque dicendum esse, quod non tantum partialiter, sed etiam integre distinguantur tamquam duo integri Ordines Sacramentales.

(6. Probabilius est materiam Episcopatus adæquatam esse manuum impositionem, Formam vero hæc verba *Accipe Spiritum Sanctum.* Prima pars conclusionis patet ex continua praxi Ecclesiæ, tum latinæ, tum græcæ semper, et ubique adhibendi manuum impositionem in conferendo Episcopatu, ut fecit Apostolus ordinando Episcopum Timotheum, et alios ex citatis suis Epistolis prima, et secunda ad Timotheum, et non semper, et ubique adhibendi traditionem annuli, et baculi Pastoralis, impositionem libri Evangeliorum super caput Ordinandi, et unctionem ipsius, uti fit nunc apud Latinos; Annulus enim, et baculus Pastoralis, non traditur apud Græcos; immo nec tradebatur apud Latinos Sæculo IV, quia Concilium IV Carthaginense exponens ritum hujus ordinationis in c. *Episcopus cum ordinatur* 7, dist. 23, nullam de illis mentionem facit. Sic impositio libri Evangeliorum licet observata fuerit in Ecclesia Africana Sæculo quarto, cum illam referat dictum

Digitized by Google

Conc. Carthaginense IV. l. c. primo tamen, secundo, et tertio Sæculo nondum adhibebatur, nullum enim est monumentum, quo id possit probari (1); Immo Alcuinus in lib. *de Divinis Offic.* scripto de anno 760, asserit cæremoniam illam non fuisse adhibitam ab Ecclesia Romana, sicuti nec fuit adhibita a Germanis initio sæculi IX, ut scribit Amalarius l. 2, ad *Officiis ecclesiasticis* cap. 14 (2). Sic etiam unctio Episcopi, licet sit antiquissima, utpote recensita a S. Leone serm. 8, *de Passione Domini*, et a S. Gregorio Magno in cap. decimo primi libri *Regum;* non fuit tamen semper, et ubique in usu, utpote non memorata a supradicto Concil. Carthaginensi IV, in cit. c. *Episcopus cum ordinatur* 7, dist. 23, nec a Conciliis Hispanicis celebratis ante septimum Sæculum, nec illam adhibent Græci. Practice tamen non est tenendum materiam Episcopatus esse solam manuum impositionem; Fagnan. loc. cit. num. 57. La Croix loc. cit. n. 2148, et alii. (7. Secunda pars conclusionis deducitur ex majori congruentia, quia nihil convenientius assignari potest pro forma Episcopatus, quam verba ipsa prolata tempore applicationis materiæ; tempore autem applicationis materiæ proferuntur *Accipe Spiritum Sanctum*, et non alia; Fagnan. loc. cit. n. 59, unde credibile est. D. Paulum ordinando Timotheum, illa verba adhibuisse, cum Concil. Trident. sess. 23, can. 4, sic dicat: « Per Sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proinde Episcopum non frustra dicere: *Accipe Spiritum Sanctum,* » et hoc præsertim colligat ex verbis Apostoli adhibitis in ordinatione Timothei in Episcopum.

(8. Episcopatus secundum aliquos fuit institutus quando, Joan. cap. 21, vers 18, Christus dixit Petro: *Pasce oves meas*, fuit enim Petrus primus Episcopus a Domino institutus, et quidem Episcopus universalis Ecclesiæ per dicta verba: *Pasce oves meas*, ut scribit Fagnan. loc. cit. num. 85, adducens cap. *Considerandum* 53, et cap. *Fidelior* 54, dist. 50, cap. *Significasti* 4, *de Election.* et Glossam in cap. *In novo testamento* 2, dist. 21. Aversa tamen quæst. 2, sect. 10, probabiliter dicit institutum fuisse cum Sacerdotio. Vide La Croix loc. cit. num. 2207. (9. Episcopatus probabilius conferri non potest eodem die cum presbyteratu. Campanil. in divers. juris Canon. rub. 6, cap. 4, num. 5. Innocent. S. Antonin, Saurez, Barbosa, Aversa quos citat, et sequitur La Croix loc. cit. num. 2296, dicens, quod cum tam novus Sacerdos, quam novus Episcopus debeat celebrare cum Ordinante, saltem ex hoc capite fieri non posse; sed nostra vera ratio desumitur ex Conc. Trid. prohibente conferri eidem duos sacros Ordines eodem die. Cum enim dixerimus, probabilius Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem realiter distinctum ab Ordine Presbyterali, consequenter tenemur dicere, probabilius non posse conferri eodem die cum Presbyteratu, cum Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 13, expresse prohibeat conferri eidem duos Sacros Ordines eodem die, ibi: « Duo Sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque. » (10. Ordo Episcopatus debet conferri die Dominica; c. *Qui in aliquo* 5, dist. 51, ibi: « Die Dominico consecrabitur, » et concordat c. *Ordinat.* 1, et c. *Quod die Dominico* 5. dist. 75.

(11. Episcopatus cum Cardinalatus officio incompatibilis olim censebatur, nec alii Episcopi inter Cardinales erant, præter septem prius, postea vero sex suburbicarii. Dein tamen usus invaluit, ut etiam Card. Cathedralibus Ecclesiis præficerentur; idque approbatum fuit a Conc. Tridentino, dummodo ipsi Cardinales apud suas Ecclesias residerent. Benedictus XIV, tom. 2. Constitution. 36, incip. *Cum a Nobis.*

(12. Episcopatus Titulares Ecclesiarum in partibus infidelium recte conferuntur, dummodo hujusmodi Episcoporum opera aliquam Ecclesiæ utilitatem afferat. Idem ibid. Episcopatus Titulares, posse conferri Cardinalibus fuse probat idem Pontifex ib. adducens ad id jura, congruentias, et exempla.

(13. Episcopatus non extinguitur per extinctionem Capituli. Idem tom. 2. Const. 35, incip. *Notum tibi.*

ADDITIONES CASINENSES.

(14. Sæculo Ecclesiæ quarto Aerius « dogma furiosum » ut illud vocat Epiphanius, in Ecclesiam invexit, hisce verbis scribens: « Quanam in re presbyteros episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum onus, ordo, par et idem honor, ac dignitas » Hanc Aerii hæresim renovarunt Wicleffitæ, Waldenses ac Presbyteriani. Cum vero Episcoporum præstantia super presbyteros vel circa Ordinis vel circa jurisdictionis potestatem considerari debet, hinc de Ordinis potestate prius agemus, deinde vero de jurisdictionis potestate.

(1) Quod ad alia spectat, Auctori nostro plurimi assentiuntur cum ex Canonistis, tum ex Theologis: sed quod ad impositionem pertinet codicis Evangelii super caput ordinandi, bene multi cum Tournelio repugnant. Dixi quod ad impositionem codicis Evangelii super caput ordinandi. Neque enim hæc confundenda est cum traditione ejusdem Codicis clausi, quam apud Latinos consecrator accepto illo de scapulis consecrati, et adjuvantibus Episcopis assistentibus facit consecrato. « Est quippe traditio hæc, ut ait Morinus Exercit. 2. c. 2. num. 5, res nupera quam nulli rituales ante quingentos annos scripti, nulli auctores ante idem tempus commemorant. » At impositio Codicis antiquo nititur, et conformi utriusque Ecclesiæ Græcæ, et Latinæ usui, atque consensui. (EDIT. BARBIELL.)

(2) « Alcuino, et Amalario, inquit idem Morinus Exercit. 2. c. 1. num. 6. contradicunt plures Rituales, quorum unus annis circiter centum Alcuino est antiquior, alii coevi. » Immo ipse Amalarius, licet ejusmodi impositionem non probet, mysticam tamen illius interpretationem non omittit. Vide etiam Menardum ad librum *Sacramentorum* San. Gregorii p. 304. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Tridentini Patres sess. XXIII, can. VII, definierunt : « Si quis dixerit, episcopos... non habere potestatem... ordinandi; vel eam, quam habent, illis cum presbyteris esse communem, anathema sit. » Ex qua quidem definitione duo colligimus; quorum alterum est episcopos habere potestatem ordinandi, alterum vero est, illam, quam habent potestatem, cum presbyteris non esse communem. Præstant ergo Episcopi Ordinis potestate presbyteros. Canon vero Tridentini Scriptura Sacra, traditione, perpetuaque Ecclesiæ praxi innititur : sane ex Scriptura, traditione et Ecclesiæ ritualibus patet nunquam a presbytero aut episcopos, presbyteros, aut diaconos fuisse initiatos.

Quod vero spectat ad episcoporum inter presbyteros præstantiam quæ consistit in jurisdictionis potestate, res quoque de fide est, ut patet ex Tridentina Synodo sess. XXIII, Can. VII, his verbis definiens. « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores... anathema sit. » Licet vero Tridentini Patres hanc præstantiam *jure divino* expresse definire noluerunt, quemadmodum nos docet Pallavicinus *Storia del Concilio di Trento* lib. 18, cap. 14, attamen penes omnes Catholicos certum atque ratum est, Episcopos presbyteris *jure etiam divino* præstare.

EPISCOPUS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Episcopus quoad ejus nomen, originem et dignitatem.*

1. Nomen Episcopi est nomen græcum idem importans ac latine speculator, vel superintendens. — 2. Episcopatus vocatur *Summus Sacerdos* ratione Ordinis ad differentiam simplicium Sacerdotum. — 3. Episcopatus dicitur *Præsul*, quia in Concilia præsidet. — 4. Dicitur *Antistes*, quia ante alios stans præeminet populo. — 5. Dicitur *Pontifex* a posse, et facere. — 6. Dicitur *Legatus Christi*, quia tanquam Christi Legatus destinatur ad regendas animas. — 7. Vocatur *Pastor* ab Officio, quod habet pascendi oves sibi commissas verbi Dei prædicatione, et Sacramentorum administratione. — 8. Vocatur *Præco*, quia annuntiat populo scelera eorum. — 9. Vocatur *Medicus*, ut sciat attemperare vinum oleo in curandis vulneribus. — 10. Appellatur *Lucerna* super candelabrum posita, ut omnibus luceat probitatis, et doctrinæ radiis. — 11. Appellatur *Sal terræ*, ut condiat aliorum mores sapientissimis institutis, ac præceptis. — 12. Appellatur *Angelus*, quia mittitur ut nuntius prædicaturus verbum Dei. — 13. Vocatur *Sanctissimus*, quia talis debet esse, ut alios ad sanctitatem alliciat. — 14. Hinc communiter tenetur, quod Status Episcopalis perfectior sit, quam status Religionis, et Episcopus debet esse sanctior Religioso. — 15. Ordo Episcopalis, quamvis quoad rem sit unus solus, tamen quoad nomen, et gradum est quadripartitus in Patriarchis, Metropolitis, Archiepiscopis, et Episcopis. — 16. Patriarcha est nomen græcum idem importans ac latine Summus, seu Princeps Patrum. — 17. Patriarchæ præcipui, et veri in principio fuerunt tantum quatuor. — 18. Præter dictos quatuor primarios reperiuntur etiam alii Patriarchæ non ita Principales. — 19. Patriarchæ, et Primates, late sumpto vocabulo idem sunt, licet differant nomine. — 20. Stricte tamen loquendo Primates non idem habent Officium, eamque auctoritatem, quam habent Patriarchæ. — 21. Unde Primates rigorose loquendo dicuntur nonnulli Metropolitani, qui primarias tenent Civitates, et majores regunt Metropoles. — 22. Enumerantur varii similes Primates. — 23. Metropolitanus sic dictus a *Mitra*, quod idem sonat quod *Mater*, et *Polis*, quod idem sonat quod *Civitas*, est ille, qui residet, et Episcopatum gerit in Metropoli, seu Civitate præcipua, quæ est veluti Mater, seu Matrix aliarum Ecclesiarum, seu Civitatem totius Provinciæ. — 24. Archiepiscopus sic dicitur tamquam Primus, seu Princeps omnium Episcoporum. — 25. Archiepiscopus sic captus idem est ac Metropolitanus. — 26. Non tamen omnis Archiepiscopus est semper Metropolitanus, sicuti omnis Metropolitanus est semper Archiepiscopus. — 27. Episcopus est nomen græcum idem importans ac latine speculator, vel superintendens. — 28. Sub nomine Episcopi Ecclesia semper eos intellexit, qui sunt Presbyteris superiores. — 29. Episcopi successerunt in locum Apostolorum, et Presbyteri in locum Discipulorum. — 30. Quamvis in primitiva Ecclesia Episcopi, et Presbyteri non distinguerentur quoad nomen; tamen quoad rem semper fuit distinctio inter ipsos, etiam tempore Apostolorum in primo exordio Ecclesiæ. — 31. Episcopos superiores esse Presbyteris expresse declarat Concilium Tridentinum, et subjicit anathemati contrarium sustinentes. — 32. Episcopus appellatur *Ordinarius*, quia ordinariam in sua Diœcesi habet jurisdictionem. — 33. Appellatur *Diœcesanus* respectu, et ratione suæ Diœcesis. — 34. Ecclesia Episcopalis dicitur Cathedralis, quia ibi Cathedra Episcopalis, et sedes sita est. — 35. Dicitur *Suffraganeus* respectu Metropolitani, cui subditur, et suffragatur in Officio Episcopali. — 36. Chorepiscopi non erant Episcopi, nec eorum Ecclesiæ erant Cathedrales. — 37. Chorepiscopi præficiebantur solum Villis, et Oppidis; Episcopi autem in Villis, Pagis, seu locis inferioribus collocati numquam fuerunt. — 38. Chorepiscopi erant Vicarii Episcoporum, et in Oppidis, et Villulis gerebant curam animarum vice ipsorum eodem fere modo, quo nunc Parochi. — 39. Conferebant Ordines minores. — 40. Aliqui eorum consecrabantur, et creabantur Episcopi, et isti non solum Ordines Minores, sed et Majores conferebant, et alia munia Episcopalia obibant, non ex vi Chorepiscopatus, sed virtute Ordinis Episcopalis, ad quem erant promoti, et consecrati, et sic vice ipsorum ministrant, sicuti faciunt hodie Episcopi Titulares seu Coadjutores. — 41. Chorepiscopi fuerunt aboliti, et ablati ab Ecclesia Dei ob illorum insolentiam, et ambitionem, qua Episcoporum officia sibi temere usurpabant, et ne tertius Ordo in Ecclesia poneretur. — 42. Quamvis Apostolos omnes a Christo Domino fuisse ordinatos Episcopos sit valde controversum : tamen communior opinio tenet, Sanctum Petrum solum fuisse immediate a Christo Domino Episcopum consecratum. — 43. Sanctus Petrus alios Apostolos in Episcopos consecravit, ex quibus primi fuerunt filii Zebedæi, Jacobus scilicet, et Joannes, quorum interventu facta fuit consecratio Jacobi Alphæi in Episcopum Hierosolymitanum. — 44. Alios item Apostolos tempore discessionis ad prædicandum Evangelium Episcopos ordinavit. — 45. Episcopi antiquiores sunt Cathedralibus. — 46. Episcopi positi sunt in Civitatibus loco Flaminum et Archiflaminum ad tollendum veterum Idolorum Cultum. — 47. Flamines antiquitus erant Sacerdotes, et ab illo Deo, cui Sacrificia faciebant, nomen accipiebant. — 48. Dicti sunt Flamines a filio lineo, quo caput tegebant, unde Flamines, quasi Filamines vocabantur. — 49. Sicut Flamines erant in magna veneratione, primumque locum post Regem sacrificulum in Conviviis tenebant, sic Episcopi præ cæte-

Digitized by Google

ris dignorem obtinent locum. — 50. Episcopus enim nomen est dignitatis, Presbyter vero nomen est ætatis. — 51. Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus attendi debet secundum tempus Ordinationis, non secundum dignitatem Ecclesiarum. — 52. 55. Ad quænam excitentur Episcopi. — 56. Episcopalis Ordo præstat dignitati Cardinalis. — 57. Episcopatus nihil superaddit Sacerdotio per relationem ad Corpus Domini verum. — 58. Titulus *Venerabilis Frater* est annexus characteri Episcopali. — 59. Quinam Episcopatu indignus. — 60. Epistola Encyclica Clementis XIII. — 61. 62. quomodo primitus Episcopi appellabantur. — 63. 66. Prima eorum sedium institutio. — 67. 69. De Episcopis *in partibus* Infidelium.

ARTICULUS II. — *Episcopus quoad ea, quæ concernunt ejus electionem, confirmationem et consecrationem.*

1. Episcopi olim eligebantur a toto Clero, accedente præsentia, et consensu populi. — 2. Plurimi tamen sustinent populos, et Principes intervenisse electionibus Episcoporum, nedum per præsentiam, acclamationem, et consensum, sed etiam per propria vota et suffragia. — 3. Quidquid observatum fuerit in primis Ecclesiæ temporibus, nunc certum est, Laicos non habere suffragia in talibus electionibus. — 4. Et Electio Episcopi per Laicos, etiam cum Canonicis facta, est nulla non obstante contraria consuetudine. — 5. Separatis progressu temporis Clericis a Religiosis, qui omnes ad electionem Episcoporum concurrebant, fuit exinde statutum, ut Religiosi suorum Abbatum, aliorumque Superiorum, Canonici vero Cathedralium suorum Episcoporum facerent electionem. — 6. Talis facultas eligendi Episcopos duravit in Capitulis, et Canonicis Cathedralium usque ad tempora Clementis V. et exinde cœpit reservari Sedi Apostolicæ. — 7. Exceptis tamen Regnis, et Principatibus privilegiatis, ubi Reges, et Principes per specialia concordata Episcopos nominant, et præsentant ab ipso Summo Pontifice instituendos. — 8. Et exceptis Cathedralibus Germaniæ, ubi servatur vetus consuetudo canonicæ electionis, ut Collegium Canonicorum Cathedralium Episcopos, et Archiepiscopos eligat, et electi a Romano Pontifice confirmantur. — 9. Electio Episcopi facienda non est ante diem tertium a morte Episcopi. — 10. Electus in Episcopum debet intra mensem a præsentatione electionis præstare consensum, alias mense elapso redditur nulla electio. — 11. Et intra tres menses a consensu præstito debet petere confirmationem, alias elapsis tribus mensibus electio eo ipso est nulla. — 12. Sufficeret tamen ad evadendam talem pœnam, quod electi amicus ejus nomine confirmationem peteret, quamvis sine mandato, dummodo tamen electus ratam haberet illam amici petitionem intra illos tres menses. — 13. Tres menses computari debent, prout in Kalendario occurrunt, incipiendo scilicet a die præstiti consensus, et dies, qui desunt ex uno mense, accipiuntur de sequenti. — 14. Confirmatio Episcoporum olim poterat fieri a suis respective Metropolitanis. — 15. Hodie tamen, non ab alio, quam a Romano Pontifice fieri potest. — 16. Assignatur praxis servari solita in Curia pro hujusmodi electione, et confirmatione facienda. — 17. Traditur forma instrumenti professionis Fidei factæ per Episcopum. — 18. Professione Fidei emissa subscribitur processus a Cardinali ponente, et a tribus Cardinalibus Ordinum capitibus. — 19. Præconizatio in primo Consistorio quomodo facienda ostenditur. — 20. Præconizatione in secundo Consistorio facta transmittitur fides provisionis Apostolicæ a Cardinali ponente ad Cardinalem Vicecancellarium. — 21. Electus, et canonice confirmatus tenetur intra tres menses e die confirmationis munus consecrationis suæ suscipere sub pœna amissionis fructuum, etiam sit Sanctæ R. E. Cardinalis, et si intra tres alios menses id non impleverit, Ecclesia et Episcopatu ipso jure privatur. — 22. Dictum trimestre tempus, infra quod Episcopus confirmatus debet munus consecrationis accipere, incipit currere a tempore habitæ notitiæ confirmationis de sua electione factæ. — 23. Consecratio Episcopi debet fieri die Dominica. — 24. Consecratio Episcopi non debet fieri a minori numero, quam trium Episcoporum saltem necessitate præcepti. — 25. Et si in Provincia non adsint tot Episcopi, accersendi sunt ex vicina Provincia. — 26. Valida tamen est consecratio Episcopi facta ab uno solo Episcopo ex dispensatione Apostolica assistentibus duobus Sacerdotibus. — 27. Fagnanus tamen locum pluribus aliis tenet, quod consecratio Episcopi necessario facienda sit a tribus Episcopis ex necessitate Sacramenti. — 28. Papa potest mutare formam traditam ab Apostolis pro consecratione Episcopi. — 29. Et Papa solus ordinando videtur dispensare super tali forma. — 30. Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse Sacerdos, adeo ut si Sacerdotium non præcesserit, invalida sit Ordinis Episcopalis collatio. — 31. Multi tamen tenent validam esse collationem Ordinis Episcopalis, licet ordinatus non sit Sacerdos. — 32. Ante consecrationem non potest Episcopus exercere ea, quæ sunt Ordinis, sed tantum ea, quæ sunt Jurisdictionis. — 33. Non consecratus Ordines conferre non potest. — 34. Potestatem conferendi Ordines accipiunt Episcopi in consecratione. — 35. Potestas, quæ confertur Episcopo per consecrationem, est indelebilis, nec potest ab Ecclesia auferri, unde remanet in Episcopo etiam excommunicato, hæretico, deposito, et degradato. — 36. Jurisdictionem accipit Episcopus in confirmatione, etiam ante consecrationem. — 37. Episcopus electus, et confirmatus etiam ante consecrationem potest concedere Indulgentias. — 38. Episcopi appellatione venit tantum consecratus in concernentibus exercitium, et decorem Ordinis Episcopalis. — 39. In concernentibus autem Jurisdictionem Episcopalem venit etiam electus, confirmatus, vel pronunciatus per Papam. — 40. Episcopi appellatione venit etiam non consecratus in materia proportionabili tam confirmato, quam consecrato. — 41. Provisio, seu Pronunciatio Papæ in Consistorio habet vim electionis, et confirmationis. — 42. Provisi, seu Pronunciati a Papa in Consistorio appellantur promoti etiamsi nondum fuerint consecrati. — 43. Provisi, quamvis consecrati, nequeunt accedere ad Ecclesias ante levatas Bullas, et contrafacientes subsunt gravissimis pœnis. — 44. Civitas interficiens suum Episcopum consecratum privatur Sede, et dignitate Episcopali. — 45. Non privatur tamen tali Episcopali dignitate Civitas interficiens Episcopum solum electum, et nondum consecratum. — 46. Cum consecratur Episcopus inungitur crismate in capite, et manibus, quod si fuerit omissum, per tres Episcopos est supplendum. — 47. Ungitur Episcopus in capite, ut declaretur eum esse caput, et Principem Ecclesiæ suæ. — 48. Reges quare non in capite, sed in humero ungantur? — 49. Ungitur Episcopus in manibus, ut sciat dignitatem non propter otium, sed propter negotium suscipere, et ut ostendatur accipere potestatem benedicendi, et consecrandi. — 50. Annulus Sacer traditur novo Episcopo, ut sanctam Ecclesiam sponsam suam intemerata fide custodiat. — 51. Mitra quid indicet, et quare ipsi imponatur. — 52. Baculus Pastoralis quare tradatur in manibus novi consecrati, et quare tali baculo Pastorali non utatur Summus Pontifex? *remiss.* — 53. Episcopus electus et confirmatus petere debet consecrationem intra tres menses. — 54. Numquam Diaconus in Episcopum electus. — 55. Episcopus eligi nequit, nisi saltem per sex menses in S. Ordine fuerit constitutus. — 56. Probabiliter unus Episcopus sufficit in consecratione Episcopi. — 57. Irritæ declarantur pactiones initæ a Capitulo electore et juratæ ab Episcopis electis in Germania. — 58. Alia de Con-

Digitized by Google

gregatione Episcopali *Remissive*. — 59. 74. Pauca de historia Electionis Episcoporum a primordio Ecclesiæ.

ARTICULUS III. — *Episcopus quoad ea, quæ concernunt ejus residentiam, translationem, et renunciationem.*

1. Episcopi etiam Cardinales tenentur de Jure Divino residere in suis Episcopatibus. — 2. Affertur, et solvitur instantia. — 3. Episcopus ob aliquas causas excusatur a vinculo necessariæ continuitatis residendi in Diœcesi, et tales causæ assignantur, et explicantur, *usque ad n.* 7. — 8. Episcopus pro evidenti utilitate suæ Civitatis, aut totius Regni potest esse Legatus ad Pontificem, aut ad Reges pro tractandis negotiis Fidei aut ad Reges pro pace componenda. — 9. Episcopus evidente Reipublicæ exigente utilitate potest etiam esse Legatus, seu Orator Principis sæcularis. — 10. Episcopus solum de licentia Summi Pontificis potest eximi a residentia sui Episcopatus, ut in Curia Regum fungatur munere, et Officio Regis Præsidis, Consiliarii, Proregis, Confessarii, et hujusmodi, si ad hæc munera alii satis idonei non inveniantur. — 11. Affertur Cardinalis a Turrecremata invectiva in Episcopos non residentes. — 12. Decretum factum pro Parochorum residentia, quod teneantur ministrare etiam tempore pestis, et cum periculo vitæ, saltem Sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ, multo magis debet procedere in Episcopis ob majorem eorum obligationem, qui tamen poterunt in locis tutioribus manere, et inde providere. — 13. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem, etiam tempore contagii. — 14. Potest Episcopus residere in qualibet parte Diœcesis, modo vadat ad Cathedralem temporibus præscriptis a Sacro Concilio Tridentino. Residens tamen in aliqua parte suæ Diœcesis propter intemperiem aeris Civitatis non debet removere Vicarium, et Tribunal a Civitate. — 15. Episcopus ex causa mali aeris, cui subjacet Civitas Episcopalis, non potest in aliqua anni parte degere extra Diœcesim ultra trimestre, etc. — 16. Super residentia Episcoporum edita est specialis Constitutio ab Urbano VIII, et summarie refertur. — 17. Primo igitur Sanctitas sua innovat Decreta Concilii Tridentini, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Consistorialia super residentia Episcoporum. — 18. Secundo jubet jam Præfectos Cathedralibus, et majoribus Ecclesiis, etiam S. R. E. Cardinales se itineri committere, et ad residentiam conferre infra unum mensem, si in Urbe existant, infra duos, si extra Urbem in Italia, si extra Italiam infra quatuor computandos a die publicationis Bullæ. Nondum autem Præfectos infra terminos superius expressos computandos a die eorum promotionis, et transgressores subjiciuntur gravibus pœnis. — 19. Variæ pœnæ contra Episcopos non residentes fuerunt statutæ a Pio IV. — 20. Tertio declarat contrafacientes non excusari a pœnis prætextus servitii Imperatoris, aliorumque Principum, aut Regum, defensionis litium etiam Ecclesiarum, ineundi fœderis, etc. — 21. Quarto excipit casum interessendi in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, quibus Ecclesiastici interesse solent ratione muneris, aut Reipublicæ officii Ecclesiis adjuncti. — 22. Quinto declarat S. R. E. Cardinales priores in Ordine habentes Episcopatus prope Urbem, etiamsi in illis, vel in Urbe in suis titulis residerent, non excusari a residentia in Cathedralibus, et Majoribus Ecclesiis, quibus præfecti sunt, nec ex eo quod Papa eos videat et toleret, etc. — 23. Sexto præcipit Auditori Cameræ, ut summarie procedat adversus non residentes usque ad sententiam diffinitivam exclusive, quam sibi reservavit in Consistorio. — 24. Septimo indulget, ut existentes ultra montes abesse possint ex causa visitationis Liminum per septem menses, et citra montes per quatuor, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant. — 25. Octavo indulget Cardinalibus præfectis Cathedralibus, et aliis majoribus Ecclesiis, ut vacante Sede Apostolica possint ad Conclave accedere, et in Urbe commorari usque ad peractam electionem, et per duos menses post Coronationem Pontificis, etc. — 26. Nemo declarat eos, qui pluribus Ecclesiis præsunt, excusari quidem a pœnis, dummodo resideant in earum altera, in qua tenentur de jure, non tamen propterea excusari Cardinales habentes aliquem ex sex Episcopatibus prope Urbem, qui teneantur residere in aliis, quibus præfecti sunt. — 27. Ultimo statuit, ut nemo possit prædictam Constitutionem interpretari, aut declarare præter Romanum Pontificem. — 28. Episcopus æqua ex causa potest abesse a sua Ecclesia, et Diœcesi singulis annis per duos, vel tres menses, sive continue, sive interrupte absque alia Superioris approbatione, dummodo tamen id non fiat temporibus Adventus, Quadragesimæ, et Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus. — 29. Episcopus abesse potest a sua Ecclesia, et Diœcesi per tres menses etiam causa animum relaxandi. — 30. Nec trimestre spatium, quo Episcopis æqua ex causa singulis annis a suis Ecclesiis abesse licet ex cit. Decret. Concil. Trident. fuit sublatum ab Urbano VIII, in cit. Constit. incipient. *Sancta Synodus*. — 31. Episcopi tempotribus a Tridentino præscriptis tenentur quidem apud suam Cathedralem Ecclesiam residere, ita ut aliter suæ obligationi non satisfaciant nisi munia Episcopalia in sua Diœcesi eos alio vocent; cæterum non incidunt in pœnas ab ipso Tridentino Episcopis non residentibus inflictas. Non licere tamen ipsis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa statuit novissime Benedictus XIV. — 32. Episcopus, dum residet non potest citari ad comparendum in Curia, nisi de Papæ commissione. — 33. Episcopus residens in sua Diœcesi liber est a residentia suarum Dignitatum, et Beneficiorum simplicium, quæ obtinet in alia Diœcesi. — 34. Episcopus absens non gaudet Beneficio Alternativæ, etiam quando abest ex causa a Concilio approbata. — 35. Episcopus absens a sua Diocesi ultra tempus a Jure statutum, qui commonitus non redit ad residentiam, videtur habere Ecclesiam pro derelicta, et potest exspoliari per Papam sine citatione, et sententia. — 36. Conditio Personæ excusat interdum Episcopum a personali residentia, etc. — 37. Episcopus nequit jungere trimestrem absentiam unius anni cum trimestri absentia anni sequentis. — 38. Episcopus, qui Beatorum Apostolorum limina visitavit in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde nec Visitationis titulo per octo continuos menses a sua Ecclesia abesse. — 39. Episcopo, qui antea per multum temporis V. G. per decem continuos annos in sua Ecclesia resedit, et vel ab ipsa vacatione per S. Concilium ex rationabili causa singulis annis permissa se abstinuit, nequit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, si non absit ulla causa ex approbatis ab eodem S. Concilio. — 40. Translatio Episcopi de una in aliam Ecclesiam sola auctoritate Papæ fieri potest. — 41. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua Ecclesia ad aliam, carere debet utraque. — 42. Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus, sive solummodo electus, et confirmatus. — 43. Metropolitanus, aut Patriarcha, si Episcopum sine mandato Papæ transferret, a confirmatione Episcoporum esset suspensus. — 44. Causæ justæ transferendi Episcopum generatim sunt duæ, scilicet necessitas, et utilitas. — 45. Translatio facta in favorem solius translati, et maxime propter ejus ambitionem, et avaritiam, improbatur expresse a sacris Canonibus. — 46. Episcopus transiens ad aliam Ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere. — 47. Translatio Episcopi regulariter fit a minore ad majorem Ecclesiam. —

Digitized by Google

48. Ob causas pecuniares potest interdum fieri translatio Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam, quamvis hæc non sit major altera, immo ab Ecclesia Archiepiscopali ad Episcopalem. — 49. Archiepiscopo, qui ex justa causa cessit Archiepiscopatui, licite de Episcopatu vacante provideri potest. — 50. Secus autem, si cessio facta fuerit in fraudem ad obtinendum Episcopatum Archiepiscopatu, seu priori Episcopatu, locupletiorem. — 51. Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus, non potest transferri invitus ad alium Episcopatum. — 52. Episcopus confirmatus, et nondum consecratus, si transferri recusat, satis est, quod omnino cedat dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in Episcopum. — 53. Character Sacramentalis non imprimitur præcise coacto. — 54. Episcopus consecratus ex rationabili, et justa causa potest a Papa tranferri invitus de una in aliam Ecclesiam. — 55. Affertur ratio. — 56. Quantum ad hoc Episcopus comparatur Monacho, qui superiori transferenti non potest resistere, cum velle, aut nolle non habeat. — 57. Papa in Beneficialibus habet plenariam potestatem disponendi. — 58. Varii gravissimi Doctores tenent, quod Episcopus nolens consentire translationi per Papam factæ, possit quidem auctoritate Papali a vinculo prioris Ecclesiæ absolvi; non tamen transferri. — 59. Affertur sua ratio. — 60. Quando Episcopus sciens, et volens transfertur, prior Sedes Episcopalis vacat illico a die factæ in Curia, seu Consistorio Papæ translationis. — 61. Affertur ad hoc decretum notabile Sacræ Congregationis Episcoporum. — 62. Si transfertur Episcopus absens, et ignorans, non vacat prior Ecclesia ante præstitum a translato consensum, nisi ejus exprimatur a Papa. — 63. Episcopus translatus potest secum deferre fructus jam perceptos. — 64. Episcopus translatus potest secure asportare etiam bona sua immobilia acquisita in priori Ecclesia, seu ex ejus fructibus comparata, dummodo hæc nondum sint Ecclesiæ dedicata. — 65. Fructus pendentes, et inexacti non pertinent ad Episcopum translatum pro rata temporis, sed debent in utilitatem Ecclesiæ expendi, aut futuro successori asservari. — 66. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui tenent quod fructus etiam pendentes propter spiritualia ministeria Ecclesiæ exhibita pertineant pro rata temporis ad Episcopum translatum. — 67. Renunciatio Episcopi non valet, nisi per Papam fuerit admissa. — 68. Causæ, ob quas Episcopus potest renunciare Episcopatui, et Papa solet admittere renunciationem, sunt sex, et enumerantur. — 69. Renunciato Episcopatus potest fieri dupliciter, scilicet renunciando loco tantum, et renunciando loco, et dignitati. — 70. Assignatur, quando fiat renunciatio Episcopatus renunciando loco tantum. — 71. Assignatur, quando fiat renunciatio Episcopatus renunciando loco, et dignitati simul. — 72. Episcopus similiter renuncians Episcopatui censetur in dubio renunciasse loco tantum, non autem loco, et Dignitati simul, nisi propter criminis conscientiam; seu ex metu Depositionis ita renunciaverit. — 73. Renunciatio non subtrahit Episcopo Ordinem, sed solum executionem Ordinis. — 74. Nequit Episcopatus renunciare Characteri Episcopali, neque ab Ecclesia potest ipse auferri: unde tamquam indelebilis remanet in Episcopo etiam Excommunicato, hæretico, deposito, et degradato. — 75. Episcopus qui renuntiavit Ordini, seu Dignitati, potest de licentia Papæ executionem reassumere sine nova consecratione. — 76. Episcopus, qui renunciavit Episcopatui quoad locum tantum, potest conferre Ordines etiam majores. — 77. Dummodo tamen sit rogatus ab aliquo Episcopo. — 78. Aliter si ordinaret sine proprii Episcopi licentia, ab eo Ordinati essent suspensi. — 79. Episcopus, qui renunciavit Episcopatui quoad locum, et dignitatem simul nequit licite Ordines Sacros conferre. — 80. Si autem de facto ordinaret, quamvis illicite, valide tamen ordinaret. — 81. Ordinati tamen ab ipso remanent suspensi ab exercitio, et usu Ordinum receptorum, donec cum eisdem fuerit legitime dispensatum. — 82. Cum ordinatis a tali Episcopo ignoranter ad Sacros Ordines dispensat Episcopus suus, cum Ordinatis vero scienter ad Sacros Ordines Episcopus non dispensat. — 83. Episcopus qui renunciavit Episcopatui quoad locum, et dignitatem simul, potest conferre Ordines minores, ne dum valide, sed etiam licite, si de consensu proprii Ordinandorum Episcopi id faciat. — 84. Si tamen sine consensu proprii Episcopi fuerint aliqui ab ipso ordinati, remanent suspensi ab executione susceptorum Ordinum; quandiu proprio Ordinario videbitur expedire; unde ab ipso sunt dispensati. — 85. 90. Nonnulla quoad Episcoporum absentiam. — 91. 94. Benedicti XIV sententia de non concedenda coacervatione plurium Episcopatuum in una persona. — 95. 96. An admittendæ Episcopatuum resignationes. — 97. Episcopus translatus frui potest redditibus Ecclesiæ, a qua discedit, usque dum non solvatur a Pontifice ejusdem vinculo. — 98. Post absolutionem non potest conferre vacantia Beneficia prioris Ecclesiæ. — 99. Antequam Episcopo innotuerit papalis absolutio, jurisdictione pollet quoad regimen, non vero quoad Beneficiorum provisionem. — 100. Si Episcopus incidat in captivitatem, administratio transit in Capitulum. — 101. 111. Alia quoad residentiam, translationem, et renunciationem Episcoporum.

ARTICULUS IV. — *Episcopus, quoad ea, quæ concernunt ejus Præcedentiam, Sedem, Celebrationem, et Pontificalia.*

1. Episcopi ubique gentium habent locum a Protonotariis Apostolicis, etiamsi solum electi, et confirmati. — 2. Episcopus, licet Titularis, qui retinet Canonicatum, vel Dignitatem in aliqua Cathedrali, debet præcedere omnibus aliis Dignitatibus, et Canonicis etiam ipso antiquioribus. — 3. Episcopus prius promotus, seu electus ad Episcopatum debet præcedere alteri Episcopo post ipsum promoto, et electo, etiamsi sit dignior, et illustrior. — 4. Circa præcedentiam inter suffraganeos Episcopos Latinorum, et Episcopos Græcos cæteris paribus nulla alia ratio habenda est, quam temporis, et promotionis ad Episcopatum. — 5. Episcopus Diœcesanus in sua Ecclesia, et Diœcesi in functionibus Episcopalibus præferendus est omnibus Archiepiscopis, et Episcopis, etiam ipso antiquioribus, et Dignioribus, Metropolitano suo tantum excepto. — 6. Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis, non autem secundum Dignitatem Ecclesiarum. — 7. Episcopus debet habere pacis osculum ante Præsidem, et Consiliarios Regios, et omnes alios. — 8. Et quod Episcopus præcedere debeat quoscumque, etiam Principes sæculares in sua Ecclesia, et Diœcesi, late, et solide probat Pignatelli pluribus adductis Juribus, et Conciliis. — 9. Episcopus in Ecclesia debet in sublimiori loco sedere. — 10. Episcopus in omnibus suæ Diœcesis Ecclesiis quamtumvis exemptis, et privilegiatis, est honorandus, eique in Choro, in Capitulo, et Processionibus, ac in aliis actibus publicis primus locus, ac prima Sedes, quam ipse elegerit, danda est. — 11. Episcopus debet habere Sedem pulchriorem, et majorem, quam Gubernator Civitatis, non tamen coloris rubei. — 12. Episcopi Sedes debet esse immobilis, et fixa. — 13. Episcopi Sedes semper est ornanda. — 14. Episcopi Sedes apud parietem contra Altare constituenda, et locanda est cum decenti ornamento, et apud Sedem Episcopi hinc inde sedes pro Dignitatibus, et Canonicis deponi debent. — 15. Potest tamen Episcopus sibi Sedem in Ecclesia extra Chorum, ubicumque voluerit parare, dummodo etiam pro Canonicis locus paretur. — 16. Episcopus ad matutinum in nocte Nativitatis potest sedere, vel in Sede Chori, vel in Sede Episcopali a

Digitized by Google

cornu Evangelii, prout melius sibi videbitur, et magis populo satisfecerit. — 17. Sedes Episcopi in Ecclesia exempta, ubi Abbas usum Mitræ habens etiam sedem tenet, est collocanda in cornu dextro uno gradu eminentiori. — 18. Episcopus tantum, et non alius, dum private celebrat, potest accipere paramenta in ipso Altari, et duos habere ministros superpelliceis indutos præter alium Ministrum communi veste indutum. — 19. Episcopus potest de jure in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis, quantumvis exemptis, et Privilegiatis Missas, et Divina Officia, cum assistentia suorum Canonicorum etiam in Pontificalibus, celebrare, sive ab aliis, sine tamen Pontificalibus celebrari facere, et in eis habere circulos, contradictores per censuras cogendo. — 20. Episcopus extra Cathedralem etiam in Ecclesiis exemptis, Sanctæ Sedi immediate subjectis, intra fines tamen suæ Diœcesis existentibus, dum ibi celebrat, seu Vesperis solemnibus quacumque ex causa interest, potest sibi assumere suos Canonicos, et ibi habere cum eis circulum ad Gloriam; ad ipsum pertinet confessionem facere cum Sacerdote, incensum ponere, et benedicere, ac Benedictionem post Vesperas, vel post Missam dare. — 21. Unde Regulares tenentur in propriis Ecclesiis erigere Baldachinum Episcopo volenti ibi Pontificales functiones exercere. — 22. Non possunt tamen Episcopi in Regularium Ecclesiis, invitis ipsis Regularibus, exercere illas functiones Episcopales quæ habent mixtam considerationem honoris, et jurisdictionis. — 23. Non desunt tamen, qui tenent contrarium. — 24. Si Ecclesia Regularis et exempta sit Parochialis, potest ibi Episcopus omnes functiones Episcopales exercere. — 25. Supradicta non debent extendi ad Vicarium Episcopi, etiam absente Episcopo. — 26. Nec etiam extendi debent ad Episcopum Titularem suffraganeum. — 27. Episcopus, qui celebrat tempore Quadragesimæ singulis diebus, quando non celebrat solemniter, debet uti Habitu quotidiano cum stola. — 28. Episcopum celebrantem non decet, ut Prælatos, Canonicos, et alios quoscumque thurificet, et aqua benedicta aspergat. — 29. Episcopo celebranti, sive faciat Ordinationes, sive non, tenentur assistere quinque Personæ juxta formam libri Pontificalis. — 30. Episcopo celebranti debet assistere prima Dignitas in Ordine Presbyterali constituta, quocumque nomine appelletur. — 31. Episcopus volens exercere Pontificalia extra Cathedralem, potest secum aliquos de Capitulo ducere, qui sibi assistant, et administrent. — 32. Episcopo Pontificaliter celebranti in Ecclesia Collegiata, vel Parochiali assistere spectat ad Canonicos Cathedralis, si adsint, et non ad Canonicos Collegiatæ. — 33. Episcopus debet habere assistentes Digniores, et honoratiores, et si aliquas functiones exerceat in Ecclesia non Cathedrali nec Collegiata, debent ei assistere Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ, etiamsi in illis Ecclesiis sufficiens sit alioquin numerus Presbyterorum. — 34. Episcopus si in die Palmarum, una cum Capitulo, et Clero personaliter ad Monasterium Regularium accedere teneatur, debet ipse benedicere palmas privative quoad Abbatem. — 35. Episcopus nos debet cum Cappa Vesperas celebrare. — 36. Episcopus assistens divinis Officiis cum Cappa non debet singulos Canonicos ante ipsum salutare detegendo caput, sed satis est illis manu benedicere. — 37. Episcopo assistenti divinis officiis cum Cappa non debent Canonici ponere, et deponere biretum in ejus capite, nec isto casu ei assistere. — 38. Episcopus, qui nullum habet Episcopatum, non potest in Ecclesia sua jurisdictionali veluti si esset Præpositus, Chrisma conferre, nec alia Pontificalia exercere, nisi de licentia expressa Episcopi. — 39. Episcopus non potest ministrare Chrisma sine licentia Ordinarii loci, etiam vocatus ab inferiore intra fines Diœcesis existente, etiamsi ille inferior prætenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit ad ministrandum Confirmationis Sacramentum; Si vero locus talis Exempti non sit intra fines Diœcesis, sed Nullius, tunc potest. — 40. Episcopus potest olea Sacra Catechumenorum, et Infirmorum, si a Cathedrali abfuerit, in alia Ecclesia consecrare, et benedicere. — 41. Episcopus ex causa necessitatis potest conficere olea sacra cum minori numero Ministrorum, quam præscribatur in libro Pontificali. — 42. Episcopus in publicis Processionibus cum Cappa et Bireto debet solus incedere. — 43. 47. De Episcoporum præcedentia.

ARTICULUS V. — *Episcopus, quoad absolutionem, et dispensationem.*

1. Episcopus non potest absolvere a casibus, et censuris publicis reservatis Summo Pontifici. — 2. Neque ab aliquibus casibus, et Censuris occultis, et maxime ab hæresi. — 3. Potest tamen Episcopus absolvere ab aliis casibus occultis reservatis Summo Pontifici. — 4. Episcopus secundum multos potest sive per se sive per alium specialiter delegatum absolvere a Censuris occultis incursis ob violatam clausuram. — 5. Contrarium tamen tenent alii cum Fagnano, qui adducit ad hoc responsa et decreta Sacræ Congregationis. — 6. Cum impeditis personaliter adire Pontificem, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, potest Episcopus directe absolvere ab hæresi, et aliis casibus reservatis. — 7. Affertur, et solvitur instantia. — 8. Si impedimentum sit perpetuum, absolvuntur sine onere comparendi. Si tamen impedimentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere adeundi Pontificem, cessante impedimento. — 9. Alias non comparendo, elapso impedimento, incidunt in aliam similem Excommunicationem. — 10. Impediti personaliter adire Pontificem, non tenentur mittere Procuratorem, vel scribere ad Sacram Pœnitentiariam pro obtinenda absolutione a casibus et censuris Papæ reservatis. — 11. Et si impediti adire Pontificem, sint etiam impediti adire Episcopum, probabilius non possunt a casibus publicis reservatis Papæ absolvi in foro conscientiæ a Parocho, aut ab alio Confessario. — 12. Sicuti etiam impediti adire Episcopum pro casibus Diœcesanis publicis non possunt absolvi ab inferiori extra casum necessitatis. — 13. Episcopus nequit absolvere Censuratos ratione violatæ immunitatis Ecclesiasticæ. — 14. Unde Episcopus absolvens Censuratos hujusmodi sine facultate Sedis Apostolicæ incidit in Excommunicationem eidem Sanctæ Sedi reservatam. — 15. Quare injungitur Archiepiscopo, qui sine dicta facultate absolvit Censuratos ex causa extractionis confugiti ab Ecclesia, ut reaffligat Cedulones contra ipsos. — 16. Quinimmo tenetur notificare sic a se absolutis non potuisse absolvere. — 17. Episcopus absolvere potest Excommunicatos ob percussionem Clerici, vel Monachi levem, etiam publicam. — 18. Excommunicatos autem ob percussionem mediocrem, et enormem potest Episcopus absolvere tantummodo si sit occulta. — 19. Et si fuerit publica, potest Episcopus ab ea absolvere, si personæ excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis. — 20. Si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine onere comparendi; si impedimentum est solum temporale, absolvuntur cum onere comparendi, cum primum commode poterunt, alias reincidunt in aliam excommunicationem. — 21. Quæ personæ censeantur impeditæ adire Pontificem. *Remissive.* — 22. Episcopus non potest concedere suo subdito, ut absolvatur in aliena Diœcesi a Sacerdote non habente jurisdictionem. — 23. Nec potest Episcopus prohibere quominus suus subditus absolvatur in aliena Diœcesi a Sacerdote jurisdictionem habente a suo Episcopo. — 24. Episcopus dispensare potest cum suis subditis, et in sua Diœcesi in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, et aliis deductis ad forum contentiosum. — 25. Hinc potest dispensare in

Digitized by Google

Irregularitate ex homicidio occulto patrato ex causa defensionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ. — 26. Potest etiam Episcopus dispensare in Irregularitate orta ex mutilatione membri occulta, quamvis voluntaria. — 27. Potest insuper Episcopus dispensare in Irregularitate orta ex homicidio casuali, modo delictum sit occultum. — 28. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate, quæ contrahitur ex reiteratione Baptismi occulta, etiamsi incurratur ab aliquo publico Baptizante, dummodo nesciatur, an qui baptizatur fuerit baptizatus. — 29. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate contracta ab eo, qui duos Sacros Ordines, vel Acolythatum cum Subdiaconatu eodem die suscepit, dummodo delictum sit occultum. — 30. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate occulta, proveniente ab administratione in Ordinibus male susceptis, dummodo Episcopus ipse non fuerit quoque scienter particeps ejusdem culpæ. — 31. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate, quam quis contraxit exercendo Ordines, quos non habebat, ut exerceat susceptos, ac alios suscipiat, dummodo delictum sit occultum. — 32. Item potest Episcopus dispensare in suspensione, et Irregularitate contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem Ordines suscepit, si jam ad legitimam ætatem pervenerit, et delictum sit occultum, licet celebratio fuerit publica. — 33. Episcopus dispensare potest cum Ordinato ad Ordines minores, vel ignoranter ad Sacros ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, et dignitati, aut Censura irretito, schismatico, hæretico, deposito vel degradato, dummodo sit occultum. — 34. Item potest Episcopus dispensare in suspensione, quam quis contraxit recipiendo Ordines sine litteris dimissoriis, dummodo sit occulta. — 35. Item potest Episcopus dispensare in suspensione contracta ab eo, qui furtive, id est nesciente Episcopo, neque probante, neque examinante, Ordines suscepit, si occulta sit. — 36. Item potest Episcopus dispensare cum eo qui per saltum promotus ad Ordines celebravit, ubi delictum fuerit occultum. — 37. Item potest Episcopus dispensare cum Simoniaco occulto, non tamen illum rehabilitare ad Beneficia in posterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam obtinuit. — 38. Episcopus non potest dispensare in Irregularitate orta ex hæresi occulta exteriori. — 39. Episcopus dispensare potest cum occulto excommunicato, qui publice celebravit; secus vero si publice sit excommunicatus, et celebravit occulte. — 40. Episcopus dispensare non potest cum inquisitis de delicto, quod non potuit probari, si nec diffinitive, nec alio modo fuerunt absoluti, sed dimissi cum cautione de se præsentando. — 41. Episcopus dispensare non potest in materia delicti ad forum contentiosum deducti, et jam finito officio puniri. — 42. Potest tamen Episcopus dispensare cum eo, qui finito judicio contentioso obtinuit absolutionem ab injecto crimine. — 43. Etiamsi mediis depravatis obtinuerit absolutionem, adhuc cum ipso poterit dispensare Episcopus. — 44. Immo etiamsi judicium non fuerit sententia absolutoria finitum, si accusator per annum tacuerit, poterit Episcopus, elapso anno, cum ipso dispensare. — 45. Quando Episcopus possit, vel non dispensare quoad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum Generalium. Quoad Bigamiam. Quoad observantiam Festorum. Quoad jejunia. Quoad impedimenta Matrimonii. Quoad Irregularitatem. Quoad juramenta, et vota. Quoad pœnas Simoniæ? *Remissive.* — 46. Episcopus quoad Ordines. Quoad prædicationem, et Prædicatores. Quoad professiones. Quoad Regulares. Quoad Visitationem? *Remissive.* — 47. 52. De Episcoporum facultate dispensandi a Legibus Ecclesiæ.

ARTICULUS VI. — *Quoad ea, quæ Episcopus potest, et debet, vel non.*

1. Episcopus prohibere potest ne in Ecclesiis etiam Regularium canantur Cantilenæ, vel laudes in idiomate italico. — 2. Immo non obstante quacumque contraria consuetudine poterit Episcopus prohibere, ne in Ecclesiis, et Oratoriis publicis canatur musica lingua vernacula, quantumvis conciunculæ, et verba spiritualia sint. — 3. Episcopus potest suo arbitrio moderari scamna, et loca laicorum. — 4. Episcopus potest prohibere, ne Sedes Laicorum, etiam Præfecti et Commendatarii locorum locentur in Presbyterio apud Altare, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. — 5. Episcopum potest removere indecentia, et scandalosa in Ecclesiis arbitrio suo. — 6. Episcopus potest prohibere Ludimagistris exercitium scholæ, quamvis fuerint nominati a Communitatibus Laicorum, nisi prius fuerint ab eodem approbati. — 7. Episcopus potest ordinare, ut Canonici sedeant in sedibus Chori, vel in scamnis apud Altare hinc inde juxta usum introductum, prout melius sibi videbitur. — 8. Episcopus potest decretum edere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius qua die, in qua defecerint. — 9. Episcopus potest reducere consuetudinem longioris vacationis Canonicorum a servitio Ecclesiæ ad tempus præscriptum a Sacro Concilio Tridentino. — 10. Episcopus potest auctoritate ordinaria, et Apostolica sibi delegata a Sacra Congregatione prohibere Decano, et aliis quibuscumque Dignitatibus, ne audeant quidquam statuere, vel determinare, quod ad Ecclesiæ commodum, vel incommodum pertineat, extra locum Capitularem, et non vocatis omnibus, et Capitulares. — 11. Episcopus potest Regularem exemptum, qui ob notorium delictum in Censuras incidit, denunciare pro publico excommunicato, ut tamquam talis evitetur ab omnibus. — 12. Contrarium tamen tenent plures alii. — 13. Episcopus potest rationem administrationis officii exigere a Vicario Capitulari tempore sedis vacantis constituto, et si reus reperiatur, punire. — 14. Immo Episcopus omittens scienter, et negligenter facere Syndicatum Vicario Capituli, secundum graves Doctores peccat mortaliter. — 15. Episcopus potest exigere juramentum de fideliter administrando ab administratoribus Locorum, et Legatorum priorum. — 16. Et potest Episcopus ab ipsis rationes, et computa administrationis exigere, tam in Visitatione, quam extra, etiam per suum Delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis. — 17. Immo Episcopus potest ab ipsis rationes, et computus administrationis exigere, etiamsi Defunctus disposuisset, quod Legatum esset nullum, quando se immisceret Episcopus, et rationem requireret ab Executore, et administratore, quem voluit, et vult a nemine posse cogi ad reddendam rationem. — 18. Episcopus potest ex aliqua rationabili causa convocationem Capituli Canonicorum habere, et suspendere. — 19. Episcopus potest intervenire in actibus Capitularibus, dummodo non agatur de interesse suo, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. — 20. Episcopus potest cogere Canonicos ad præstandum juramentum de fideliter punctando in Choro. — 21. Episcopus potest retinere penes se unum, vel duos Canonicos, qui fructus Præbendæ, non tamen quotidianas distributiones percipiant ac si Choro præsentes essent etiam stante consuetudine in Ecclesia Cathedrali quod Canonici non interessentes divinis, non percipiant proventus Præbendæ. — 22. Episcopus potest, et debet providere juxta formam *cap.* 12. *sess.* 24. *de Reformat.* ne una pars Chori aliquando vacua remaneat per absentiam Canonicorum, dum Canonici habentes assignatas sedes in alia parte, sedes suas egredi renuunt. — 23. Episcopus potest concedere, ut Canonici ob aeris intemperiem valeant horam Matutini protrahere. — 24. Episcopus de consensu Capituli erigere potest Dignitatem, etiam in Cathedrali. — 25. Episcopus potest diebus Festis

Digitized by Google

larvas prohibere, non obstante asserta contraria consuetudine. — 26. Item potest etiam Episcopus Meretricibus larvam prohibere, quamvis Gubernator eisdem illam deferendi permissionem, et facultatem dedisset. — 27. Episcopus potest prohibere, nedum Clericis sæcularibus, sed etiam Regularibus, ne incedant cum larva. — 28. Potest Episcopus carcerare Regulares offendentes suos Ministros, et Officiales. — 29. Episcopus potest coercere, et punire Militem Hierosolymitanum, et alios exemptos offendentes personam Officialium suæ Curiæ Episcopalis in actu exercendi suum Officium, aut alios suam jurisdictionem impedientes. — 30. Episcopus potest tenere familiam armatam, et Satellites. - 31. Et si non habeat familiam armatam, potest concedere licentiam Lectoribus Tribunalis Laici, ut capiant Clericos deferentes arma, modificatione a Sacra Congregatione statuta. — 32. Episcopus in sua Diœcesi utitur familia armata Tribunalis Laici absque Judicis licentia. — 33. Episcopus contra Clericos non deferentes Habitum, postquam ter monuit, potest illos privilegiis Clericalibus privare. — 34. Episcopus potest punire Clericum delinquentem, et requisita Concilii non habentem, et tamquam Laicum se habentem; etiamsi Judex Laicus prævenerit, a quo repedere potest, dummodum ille per declarationem, a jure, vel ab homine, servatis servandis, factam, non fuerit privilegiis Clericalibus denudatus. — 35. Episcopus potest procedere contra Clericum, qui Clericaturi renunciavit, et inquisitus de delicto in foro sæculari fuit absolutus. — 36. Episcopus punire potest contrahentes Matrimonia contra suam prohibitionem. — 37. Item punire potest, qui contrahunt coram Parocho dissentiente. — 38. Item punire potest eos, qui contrahunt omissis denunciationibus. — 39. Item punire potest testes intervenientes, si sint in dolo. — 40. Licet autem Episcopus prohibuerit Parocho assistere Matrimonio, adhuc Matrimonium contractum, servata forma Concilii, est validum, quamvis Parochus puniri valeat ob inobedientiam. — 41. Episcopus potest contra concubinarios, nullis præcedentibus monitionibus, procedere, quando non procedit ad Censuras. — 42. Episcopus absque Inquisitore potest cognoscere, decidere, et determinare causas illorum, apud quos reperiuntur libri prohibiti, non sapientes manifestam hæresim. — 43. Episcopus potest procedere contra Laicum, qui subrogare attentavit testes in causa pendente coram Judice Ecclesiastico. — 44. Episcopus potest delegare alicui Sacerdoti sibi beneviso Benedictionem Ecclesiæ, seu Cappellæ in agro existentis, si alias sit legitime constructa. — 45. Episcopus solus potest habere fenestram e domo respicientem in Ecclesia. — 46. Episcopus potest ex causa concedere Confraternitatibus Laicorum, ut in eorum Ecclesia conservent Sanctissimum Sacramentum. — 47. Episcopus potest pro contributione Seminarii taxare bona Confraternitatum quatenus sint Ecclesiastica. — 48. Episcopus debet esse vitæ irreprehensibilis. — 49. Episcopus debet esse hospitalis et eleemosynarius. — 50. Episcopus debet esse pudicus, et continens, unde debet fugere consortia mulierum. — 51. Episcopus debet esse sobrius, et non vinolentus, nec epulator. — 52. Episcopus debet esse modestus, mansuetus, et humilis. — 53. Episcopus debet avaritiam, et iracundiam fugere. — 54. Episcopus debet esse doctus, et prudens. - 55. Episcopus debet concordiam, pacem, et unitatem, non solum inter Ecclesiasticos, sed etiam inter Laicos fovere. — 56. Episcopus debet pupillis, viduis, aliisque pauperibus oppressis providere, tueri, et justitiam ministrare. — 57. Episcopus debet quotidie Missam celebrare, vel saltem audire. — 58. Episcopus debet mores in populo, disciplinam in Clero, nitorem et decorem in Ecclesiis totis viribus fovere, et promovere. — 59. Episcopus debet delicta Clericorum præsertim publica punire, et mores reformare. — 60. Episcopus debet per seipsum legitime non impeditum Diœcesim visitare singulis annis, et si propter ejus latitudinem non possit visitare totam quotannis, debet saltem toto biennio per se, vel per suos Visitatores totam Visitationem complere. — 61. Episcopus debet Officiales, et Ministros bonis moribus, bonaque fama præditos retinere, et improbos arcere. — 62. Episcopus debet Sacramentum Ordinis sine labe, et suspicione Simoniæ, aut spe munerum, et tantum dignis conferre. — 63. Episcopus debet mulctas, et pœnas pecuniarias locis, et usibus applicare. — 64. Unde debet constituere fidelem Depositarium, qui ipsa recipiat, et fideliter de suo mandato locis, et usibus piis applicet. — 65. Et debent applicari pauperibus, et locis piis propriæ Diœcesis ad arbitrium Episcopi. — 66. Nec potest Episcopus ipsas sibi applicare, quamvis sit pauper, et egenus, nisi sibi a Sed. Apost. fuerit hoc specialiter concessum. — 67. Nec Episcopus potest partem ipsarum pœnarum applicare suo Fiscali, vel alteri Officiali. — 68. Episcopus debet Beneficium Parochiale conferre per concursum, si conferat jure devoluto ob negligentiam Patroni Laici. — 69. Episcopus in collatione Beneficii debet servare formam a fundatore præscriptam, etiamsi conferat jure devoluto, et sic debet conferre uni ex vocatis. — 70. Episcopus in fundatione Beneficii debet admittere conditiones præscriptas a fundatore, quamvis juri communi contrarias, dummodo non sint turpes, impossibiles, et contra naturam Jurispatronatus. — 71. Episcopus debet in publicatione decretorum Synodi, Capituli consilium exquirere, aliter nulliter agit. — 72. In Beneficiorum unione Episcopus adhibere debet consilium, et assensum Capituli. — 73. Item debet Episcopus adhibere consilium, et assensum Capituli in erectione novæ Dignitatis, et novi Canonicatus. — 74. Quid possit, et debeat Episcopus quoad Regulares, et Moniales? *Remissive.* — 75. Episcopus non potest erigere Collegiatam neque in actu Visitationis. — 76. Neque potest Episcopus Curam supprimere, ut erigat Dignitatem. — 77. Neque potest Episcopus de novo concedere Almutiam Canonicis, neque Cappam sine privilegio, et expressa licentia Sedis Apostolicæ. — 78. Episcopus non potest statuere, quod Canonici, qui non sunt in Sacris, non lucrentur distributiones. — 79. Neque potest statuere, quod Canonicis Jubilatis vigore Indulti non debeantur distributiones. — 80. Neque potest statuere, quod distributiones, quæ amittuntur a Canonicis absentibus, et accrescunt inservientibus, applicentur Fabricæ Ecclesiæ, aliisque usibus piis. — 81. Episcopus sicuti et Capitulum non potest amissas distributiones ob non residentiam remittere, aut condonare illi ipsi, qui eas amisit. — 82. Episcopus non potest uti Oratorio privato extra domum propriæ habitationis, cum declaratione tamen data sub verb. piæ habitationis, cum declaratione tamen data sub verb. *Oratorium* n. 70. — 83. Episcopus non potest cogere, sed hortari Curatos, et Rectores Ecclesiarum, ut necessaria ministrent Presbyteris celebrare volentibus in eorum Ecclesiis. — 84. Episcopus non potest concedere licentiam, ut quis celebrare possit Missam cum Biretino, aut Pileolo in capite, sed spectat tantum ad Summum Pontificem eam dare. — 85. Immo neque ipse Episcopus potest eo uti sine Sedis Apostolicæ licentia. — 86. Episcopus non potest ultra duos menses uti opera Parochi. — 87. Episcopus non potest concedere licentiam Canonicis se a residentia absentandi ultra tres menses. — 88. Episcopus non potest dispensare, ut Dignitas in Ecclesia Cathedrali non habens Curam animarum possit conferri illi, qui non habuerit 22 annos completos. — 89. Episcopus non potest dispensare, ut habens duo Beneficia, etiam simplicia, et ad honestam Clerici sustentationem non sufficientia, possit obtinere, et retinere tertium Beneficium, etiamsi omnia simul ad Beneficiati sustentationem

Digitized by Google

non sufficiant. — 90. Immo neque potest Episcopus dispensare, ut quis retineat tertium Beneficium simplex, etiamsi esset de Jure patronatus. — 91. Episcopus non potest Beneficiatis reddere nova onera in fundatione non apposita, aut a Sacris Canonibus non imposita. — 92. Episcopus non potest primam Præbendam vacantem assignare pro Pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi Theologalis. — 93. Episcopus non potest conferre Canonicatus Pœnitentiariæ, et Theologales, nisi per viam concursus. — 94. Episcopus non potest sine consensu Capituli Canonicatum de novo erigere. — 95. Episcopus non potest transferre in Cathedralem Cappellanos habentes servitium Chori in Cappella prope Cathedralem existente, ob parvum numerum Cappellanorum, propter quod minus decenter ibidem Chorus retineatur.—96. Episcopus non potest ad privationem procedere ob non susceptos Ordines contra Canonicos suæ Ecclesiæ absque solemnitate a Concilio præscripta. — 97. Episcopus non potest cogere, sed hortationibus invitare Clericos, et Presbyteros non Confessarios ad interessendum conferentiis casuum conscientiæ. — 98. Episcopus, aliique Prælati, et Superiores Monasteriorum Monialium Clausuram ingredi non possunt, nisi in casu necessitatis, et nonnisi sociati a paucis, senioribus, et Ecclesiasticis viris. — 99. Unde non potest Episcopus secum ducere ullos Laicos tamquam comites, et socios. — 100. Adducitur, et solvitur instantia. — 101. Propter necessitatem tamen, et ad promovendam utilitatem Monasterii poterit Episcopus secum ducere aliquos peritos Laicos. — 102. Non potest Episcopus secum ducere in Clausuram plusquam octo personas. — 103. Affertur ratio — 104. Episcopus contrafaciens Dispositioni d. Constitutionis Gregorii XIII, pro prima vice incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda incurrit suspensionem a munere Pontificali et a Divinis, et tertia, ac deinceps incurrit excommunicationem ipso facto absque ulla declaratione. — 105. Absolutio ab istis Censuris est Papæ reservata.— 106. Episcopus nequit delegare simplici Sacerdoti facultatem benedicendi Sacra paramenta, nisi ad hoc habeat speciale privilegium Sedis Apostolicæ.— 107. Episcopus non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis Professionis Monialium. — 108. Episcopus, et quilibet alius Superior Ordinarius in his transgressor tenetur ad restitutionem, et si minus excedat summam decem Scutorum, nequit absolvi neque a Summo Pœnitentiario, nisi facta restitutione. — 109. Epjscopus, qui habet congruam pinguem excedentem taxam a Concilio præscriptam non potest exigere charitativum subsidium. — 110. Episcopus non potest prohibere, quod Judices Synodales, aut Capitulum non valeant uti opera alterius Notarii, quam Cancellarii Episcopalis præterquam in Visitatione. — 111. Immo nec etiam quoad Moniales pro instrumentis Depositorum. — 112. Quinimmo nec etiam pro conficiendis Censuum, et aliorum quorumcumque contractuum.—113. Episcopus, sive ejus Delegatus non potest pro revisione computorum locorum piorum mercedem, seu propriam exigere, sed gratis hoc munus tenetur implere, non obstante quacumque contraria consuetudine. — 114. Episcopus non potest pro administratione Sacramenti Confirmationis in locis Diœcesis procurationem exigere. — 115. Episcopus non potest taxare in pecunia id, quod pro victu necessario sibi contingeret visitando, sed victualia tantum recipere debet, neque alia utensilia, vecturas equorum, et expensas prætendere. — 116. Episcopus non potest permittere, nec concedere, ut Confessarii ingrediantur clausuram Monialium pro funere peragendo. — 117. Episcopus non potest permittere, quod Puellæ educandæ recipiantur in Monasterium sine licentia Sacræ Congregationis. — 118. Episcopus non debet auferre Monialibus jus, quod habent eligendi Officiales. — 119. Neque debet, et potest Episcopus tale jus auferre Laicis, qui illud habent. — 120. Episcopus non debet, nec potest cogere simplices Sacerdotes, qui non habent Officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, ut inserviant ibi in functionibus, seu munere Diaconi, et Subdiaconi, non obstante exiguo numero Canonicorum. — 121. Episcopus non debet Clericis permittere ludum alearum. — 122. Et a fortiori non debet Episcopus ipse alcis ludere. — 123. Quid non possit, nec debeat Episcopus quoad Regula es, et Moniales. *Remissive.* — 124. Episcopus nequit prohibere Clericis, ne conveniant Laicos in causis profanis coram Judice Laico. — 125. 173. Supplementa Auctoris e III Editione. — 174. 180. Novissimæ Additiones ex aliena manu.

ARTICULUS VII. — *Episcopus, quoad ea quæ concernunt Episcopum Regularem, Titularem, et Suffraganeum.*

1. Episcopus Regularis a die confirmationis, et assumptionis ad Episcopatum liberatur ab obligationibus suæ Regulæ. — 2. Non absolvitur tamen a Votis essentialibus, sed solum est exemptus quoad aliquos effectus Paupertatis, et Obedientiæ juxta decentiam status. — 3. Episcopi Regulares illarum Religionum, quæ ultra tria vota essentialia omnibus communia, emittunt aliud quartum Votum essentiale, ut est votum vitæ Quadragesimalis apud Minimos, tenentur etiam ad illud, nisi specialiter a Sede Apostolica dispensentur. — 4. Episcopus Regularis tenetur Habitum suæ Religionis deferre — 5. Retento tamen colore habitus suæ Religionis, potest se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma, seu figura. — 6. Canonici autem Regulares S. Augustini in Episcopos promoti possunt uti habitu, quo utuntur alii Clerici sæculares in Episcopos creati. — 7. Episcopus Regularis tenetur recitare Officium juxta ritum suæ Diœcesis, et non juxta ritum suæ Religionis. — 8. Episcopo tamen ex Ordine Fratrum Minorum de Observantia assumpto conceditur, ut possit recitare tuta conscientia Officia Sanctorum Ordinis S. Francisci, et celebrare eorum Missas, dum modo privatim celebret in sua Cappella dictis diebus Sanctorum Ordinis cum Missali Romano, et Officium pariter recitet cum Breviario Romano. — 9. Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suæ Religionis recitare Officium, et in propriis Cathedralibus Missam celebrare et Altare Beatis prædictis erigere. — 10. Episcopus Regularis recuperat Jus successionis ad hæreditatem sibi delatam post promotionem, non obstante renunciatione. — 11. Episcopus Regularis non acquirit Monasterio, cui fuit filius, sed propriæ Mensæ, seu Ecclesiæ quoad proprietatem; ad proprium tamen commodum quoad usumfructum. — 12. Episcopus Regularis post adeptum Episcopatum non recuperat bona ante Episcopatum jam tertio quæsita. — 13. Frater Minor factus Episcopus auctoritate Papæ recuperat Jus succedendi ab intestato, et ex testamento. — 14. Episcopo Ordinis Fratrum Reformatorum S. Francisci conceditur facultas disponendi de bonis intuitu suæ personæ acquisitis in quoscumque usus pios convertendis, et etiam ad favorem consanguineorum, et affinium, si Sanctissimo placuerit. — 15. Episcopus Regularis, si sit negligens in exigendo bona hæreditaria, vel eis renunciet, tunc succedit Ecclesia proprietaria, et pro ea Capitulum potest agere, dum tractatur de præjudicio Ecclesiæ, et Episcopatus. — 16. Episcopus Regularis adeundo hæreditatem sibi delatam potest sibi præjudicare quoad usumfructum, non autem quoad proprietatem, quæ fuit acquisita Ecclesiæ. — 17. Regularis factus Episcopus debet relinquere Religioni, vel Monasterio totum id, quod ante promotionem in Religione acquisivit, et habuit. — 18. Episcopus Regularis non subjicitur Bullæ de largi-

Digitized by Google

tione munerum. — 19. Episcopus Regularis, si ad suam Religionem redierit, dignitates, et officia illius obtinere prohibetur. — 20. Episcopus Regularis, si Episcopatum resignet, aut ob culpam deponatur, dummodo non degradetur, non tenetur ad Regularem observantiam redire, sed remanet in perpetuum exemptus, sicut prius. — 21. Episcopi Titulares antiquitus non creabantur. — 22. Modo tamen passim creantur. — 23. Episcoporum Titularium nulla origo reperitur ante decretum Concilii Lateranensis. — 24. Episcopi Titulares sunt veri Episcopi. — 25. Episcopus Titularis non potest exercere Pontificalia nisi in illa Diœcesi, cui datus est suffraganeus. — 26. Neque in locis exemptis, nisi de licentia Episcopi loci, intra cujus fines locus hujusmodi exemptus fuerit constitutus. — 27. Neque potest Episcopus Titularis in Ecclesia sua jurisdictionali, veluti si esset Præpositus, Chrisma conferre, nec alia Pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus Diœcesis fines Præpositura existit. — 28. Neque potest Episcopus Titularis familiarem suum etiam triennalem ordinare absque sui proprii Episcopi expresso consensu. — 29. Immo ordinati ab Episcopo Titulari sine consensu proprii Episcopi, ipso jure suspensi sunt, donec proprio Prælato visum fuerit. — 30. Et ipse Episcopus Titularis Ordines conferens seu Pontificalia exercens sine licentia Ordinarii Diœcesani est suspensus per annum ab usu Pontificalium. — 31. Episcopus Titularis non est creandus, nisi urgeat necessitas. — 32. Invectiva Glossæ in eos, qui anhelant ad Vicarias Episcoporum, et Ecclesias Titulares. — 33. Episcopus Titularis. — Canonicatum obtinens in Ecclesia Cathedrali, potest, et debet in ea uti habitu Ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rochetto supra subtanam, et Mantelletto violacei coloris. — 34. Et debet præcedere omnibus aliis Canonicis, et Dignitatibus tam quoad stallum, quam quoad functiones cantandi Missas et omnia alia. — 35. Episcopus Titularis, qui est Canonicus, subest Visitationi Ordinarii adinstar aliorum Canonicorum, et tenetur ad observantiam Legis Diœcesanæ, aliter subjicitur pœnæ etiam Excommunicationis in ea contentæ. — 36. Familiares, etiam Episcopi Titularis gaudere debent privilegio Fori, ita tamen ut conveniri debeant, et sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, et non ab Episcopo, seu Archiepiscopo Titulari. — 37. Beneficia, et Pensiones non vacant in eo, qui ad Titularem Episcopatum assumitur, cui etiam de novo conferri possunt præsertim simplicia. — 38. Episcopus Titularis est de Jure vocandus ad Concilia generalia. — 39. Episcopus Titularis administrator alterius Ecclesiæ, quas functiones in illa facere possit, et quomodo teneantur ei assistere Canonici Cathedralis? Dantur ad hoc decem dubia cum suis resolutionibus, ad n. 40. — 41. Pro Episcopo Titulari obtinente Canonicatum in Cathedrali dantur octo dubia cum suis resolutionibus. — 42. Episcopis Titularibus præcedunt Episcopi locales, etiamsi posteriores sint Consecratione. — 43. Episcopus, cui datus est Coadjutor, potest esse Coadjutor alterius. — 44. Episcopus suffraganeus datus Episcopo cum facultate exercendi Pontificalia Officia in civitate, et Diœcesi de expresso consensu Episcopi pro tempore existentis, mortuo Episcopo, et Sede vacante, non potest eadem Pontificalia exercere, Capitulo contradicente. — 45. Unde mortuo Episcopo illius suffraganeus Ordines conferre non potest. — 46. Alia de Episcopo suffraganeo. *Remissive.* — 47. 97. Additio Auctoris. — 98. 101. Supplementa Auctoris e II editione. — 102. 106. Alia e III editione. — 107. 114. Additiones novissimæ ex aliena manu.

ARTICULUS I.

Episcopus quoad ejus nomen, originem, et dignitatem.

(1. Nomen Episcopi est nomen græcum idem importans, ac latine *speculator;* cap. *Cleros* § *Episcopus* dist. 21. vel superintendens; cap. *Qui Episcopatum* 8 quæst 1. cap. *Legimus* dist. 93 (1). Præcipuum enim Episcopi munus est gregis sibi commissi mores, et vitam explorare, et inspicere. Unde S. Ambrosius *de Dignitate sacerdotum* cap. 6. Episcopatum dici censet, quasi perinspectorem, ideoque et in solio eum in Ecclesia editiori residere, ut et cunctos respiciat, et a cunctis respiciatur. (2. (2) Episcopus vocatur *Summus Sacerdos* ratione Ordinis, ad differentiam simplicium Sacerdotum; cap. *Deus ergo* 3. q. 1. cap. *Videntes* 12. q. 1. cap. 1. § *Per fontis, de Sacram. Unct.* (3) Episcopus enim congrue dicitur Sacerdos Summus, quia ultra suum Ordinem nullus est alius Ordo; cap. *De his* cap. *Munus, de Consec.* dist. 5. nam Episcopatus est maximus Ordinum, qui sint in Ecclesia Dei. *Gloss.* verb. *Episcopus* in procœmio lib. 9. *Decretal. Gloss.* verb. *de Episcopis* in cap. *Quia periculosum, de Sentent. Excomm.* in 6. (3. Episcopus dicitur *Præsul*, quia Concilio præsidet; cap. *Quod translationem, de Temporib. Ordin.* (4. Dicitur *Antistes*, quia ante alios stans, præminet populo, et est primus templi, et Diœcesis Sacerdos; § *Nos autem, Instit. de Attiliano Tutore*, leg. *Si quemquam*, et leg. *Decernimus* Cod. *de Episcopis, et Clericis*, Calvin. v. *Antistes.* (5. (4) Dicitur Pontifex cap. *Pontieis*, quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens. » In Psalmum quoque 126, eadem spectans, « altior, inquit, in Ecclesia locus positus est Episcopis, ut veluti in specula constituti, superintendant, et custodiant populum » (EDIT. BARBIELL.)

(1) Jam multis ante Christiana tempora *Episcopi* nomen et apud Græcos, et apud Latinos erat in usu: non tamen eadem vis apud omnes huic voci suberat, nec iisdem erat addicta muneribus. Is Romanis erat Episcopus, qui annonæ præerat; ille vero Atheniensibus, civitates Athenis subditas statis lustrabat mensibus, quo eas et in fide, et in officio contineret. Inde Episcopi appellatio invecta in Ecclesiam est, præeuntibus maxime sacris, Novi Testamenti Scriptoribus, iisque indita potissimum, qui et Clericis erant, et Presbyteris Præfecti, quod eorum esset oppida, urbes, regiones integras lustrare identidem; Fideles, Clericos, Presbyteros officii sui admonere; præcepta, leges, canones cuique pro suo vitæ genere præscribere; omnesque et verbis, et exemplo ad pietatem erudire. (EDIT. BARBIELL.)

(2) In eamdem sententiam S. Augustinus *de Civit. Dei* l. XIX, c. 19. aiebat, « Episcopatum nomen esse oneris, non honoris. Græcorum enim est, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur,

(3) Tertul. 1, *de Bapt.* c. 17. « Dandi quidem *Baptismi* habet jus *Summus Sacerdos*, qui est Episcopus. » Hieronymus eodem titulo Episcopos ornat *Dial. contra Lucifer*, ubi ait: « Ecclesiæ salus in *Summi Sacerdotis* dignitate pendet. » Hinc etiam *Principes Sacerdotum* Episcopos vocavit antiquitas. Vide Ambrosiastrum in *Epist. ad Eph.* c. 4, et Hieronymum ep. 28 et 99, *ad Asellam.* (EDIT. BARBIELL.)

(4) *Cyprianus Relig.* Antistes: ita Pontius Diaconus in ejus vita. Tertullianus quoque lib. *de Corona milit.* cap. 3. « Aquam adituri ibidem, sed et aliquando prius in Ecclesia sub *Antistitis* manu contestamur. » (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

fices 7, quæst. 1, cap. *Messana, de Elect.* cap. *Quia periculosum de Sentent. Excomm.* in 6. Pontifex enim, ut ait Scævola, relatus a Calvino verb. *Pontifex*, est sic dictus a *posse*, et *facere*, quia ut Alciatus arbitratur jus illi erat sacrificandi; facere enim apud veteres sacrificare est, et Episcopus potest sacrificare, et facere sacrificare per Sacerdotes, quos efficit, et ordinat. (6. Appellatur interdum *Legatus Christi*, ut in cap. *Accusatio* quoque in fin. 2. quæst. 7. et in Clement. 1. § *Nec super, de Pœnis*. Episcopus enim tamquam Christi Legatus destinatur ad regendas animas.

(7. Vocatur propriissime *Pastor* ab officio quod habet pascendi Oves sibi commissas verbi Dei prædicatione, ac Sacramentorum administratione, ut Pastoris Officii esse proprium docet, et monet et sæpius inculcat Concilium Trident. sess. 6. *de Reformat* cap. 1. et sess. 23. cap. 1. (8. Vocatur etiam *Præco*, quia annuntiat populo scelera eorum; cap. *Sit rector* 1. distinct. 43. (9. Vocatur item *Medicus*, ut sciat attemperare vinum oleo in curandis vulneribus; cap. *Disciplina* 9. dist. 44. (10. Vocatur *Lucerna* super Candelabrum posita, *Matth.* cap. 5. ut omnibus luceat probitatis, et doctrinæ radiis. (11. Vocatur *Sal terræ*, Matth. eodem cap. 5. ut condiat aliorum mores sapientissimis institutis, et præceptis. (12. Dicitur *Angelus*, Luc. 9. quia mittitur ut Nuncius prædicaturus verbum Dei. (13. Vocatur *Sanctissimus* in *Authentic. de Sanctissimis Episc.* coll. 5. et in Clement. num. 1. § *Nec super, de Pœnis*, quia cum Episcopus debeat alios sanctos efficere, oportet, ut sit prius Sanctissimus, et potius exemplis, quam verbis populum sibi commissum ad sanctitatem alliciat, et provocet : Unde recte *Eccles.* 2. dicitur : *Ab immundo, quis mundabitur?* cui concinit illud S. Gregorii lib. 7. *Moral.* « Manus sordida aliam non lavat, et oculus plenus pulvere maculam non considerat; ita mundus debet esse, qui vult aliena corrigere. » (14. Hinc communiter tenetur, quod status Episcopalis perfectior sit, quam status Religionis, et Episcopus debet esse Sanctior Religioso; nam, ut inquit S. Dionysius *de Eccles. Hierarch.* cap. 5. « Pontificum quidem Ordo consumativus est, et perfectivus : Sacerdotum autem illuminativus, et lucidativus; Ministrantium vero Purgativus, et discretivus; » Fagnan. lib. 1, in cap. *Nisi cum pridem* 10. *de Renunciatione* n. 6. et 7. (1)

(15. Ordo Episcopalis quamvis quoad rem, seu essentiam sit unus solus, ex Anacleto Papa *Episc.* 3 (2), etc. Novatianus 6, caus. 7, quæst. 1, tamen quoad nomen, et gradum est quadripartitus; textu expresso in cap. *Cleros* 1, dist. 21, §. *Ordo Episcoporum*, ibi : « Ordo vero Episcoporum quadripartitus est, id est in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitis, atque Episcopis. » Sic tenent Fagnan. lib. 1. *Decretal.* in c. *Requisivit de ordinatis ab Episcopo, qui* n. 1. Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* c. 6, num. 4. (16. Patriarcha est nomen græcum idem importans, ac latine Summus seu Princeps Patrum id est Episcoporum, cit. c. *Cleros*, verb. *Patriarchæ* dist. 21. (17. Patriarchæ præcipui, et veri in principio fuerunt tantum quatuor scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, cap. *Antiqua, de Privilegiis;* cap. *Renovantes;* cap. *Definimus* dist. 22, cap. *Grave nimis de Præbend. et Extravagant. Sacrosancta Romana Ecclesia, de election. inter Communes*, ubi Benedictus XI sic expresse scribit : « Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum a Deo, utpote Mater universorum Christi fidelium, et magistra, quatuor Patriarchales sedes instituit, inter quas post ipsam Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, et Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipsasque multis prærogativis, et honoribus, ac privilegiis decoravit. » (3) (18. Præter dictos quatuor primarios reperiuntur etiam alii Patriarchæ non ita principales, videlicet Gradensis, seu Venetus, Patriarcha Indiarum, et Patriarcha Æthiopiæ, cum aliis de quibus, Glossa in cit. c. *Cleros* 1, dist. 21, verb. *Archiepiscopi*, et novissime institutus est novus Patriarcha Ecclesiæ Ulissiponensis Occidentalis de anno 1716, a Clemente XI, Constitut. incipient. *In supremo Apostolatus solio.*

(19. Patriarchæ, et primates, late sumpto vocabulo, idem sunt, licet differant nomine, colligitur ex cap. *Provinciæ* 1, dist. 99, ibi : « Ipsis quoque in Civitatibus, vel locis nostros Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges Divinæ, et Ecclesiasticæ poni, et esse jusserunt; » et cap. *Nulli* 2, ead. dist. 99, ibi : « Nulli Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi, qui primas sedes tenent, quarum Episcopos Apostoli, eorumque Successores regulariter Patriarchas, vel Primates esse constituerunt; » et cap. *Duo simul* 9, *de Offic. Ordinar.* ibi : « Cum sit in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas nihil Juris præ cæteris habere, nisi quantum, » etc. Unde Glossa in cap. *Coram* 7, *de in integrum*

(1) De his, aliisque pluribus honorificis titulis, quibus Episcopi olim compellabantur, agunt copiose Viri eruditissimi Mamachius *Orig. et Ant. Christian.* Tom. 4, lib. 4, cap. 4, § 1, et Selvaggius *Ant. Christ.* lib. 1, cap. 12, § 4. Unum moneo, hos inter titulos illum sæpissime apud veteres occurrere, quo Episcopi *Successores Apostolorum* prædicantur. Atque in eo quidem præsidium sibi quærunt quicumque cum Febronio Romanis Pontificibus æquare Episcopos student; frustra tamen, si quonam legitimo sensu Apostolis succedant Episcopi, absque partium studio disquiratur. Qua de re præter antiquiores consuli poterit Zaccaria in *Antifebronio* Tom. 11, p. 134, sequ. atque in *Antifebronio vindicato* T. 1, p. 434, seq. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Isidoriana hæc sunt quæ reticere præstaret. (EDIT. BARBIELL.)

(3) In principio non quatuor, sed duo tantum fuerunt veri Patriarchæ, videlicet Alexandrinus, atque Antiochenus. Benedict. XIV. *De Synodo Diœcesana* lib. 2, cap. 4, § 7, et Dominicum Macri *in Hierolex.* verb. *Patriarcha.* (NOT. EX EDIT. ROM.)

Digitized by Google

restit. verb. *Super primaria*, auctoritate cit. cap. 1, et cap. 2, dist. 99, sic concludit : « Primatia, et Patriarchatus una tantum dignitas est, licet nomina sint diversa; » et Glossa in cit. c. *Duo simul* 9, *de Off. Ordinar.* verb. *Patriarcha*, sic etiam concludit : « Diversitas in nomine est, dignitas eadem. » (20. Stricte tamen loquendo Primates non idem habent Officium eamdemque auctoritatem, quam habent Patriarchæ : ut late ostendit Barbosa lib. 1. *Juris eccles. univ.* cap. 6, a n. 10, et sequentib. Et conclusio Glossæ ex citatis Canonibus, quod nulla detur realis differentia, sed solum verbalis, inter Primates, et Patriarchas est intelligenda de Patriarchis minoribus, et non de supradictis primariis qui vere et realiter distinguuntur, ut notat Gigas *de resignat. Episcop.* cap. 18, n. 5. Gonzal. ad regul. 8. *Cancellar. Gloss.* 41. num. 14. Frances *de Eccl. Cathedral.* c. 1, num. 81. (21. Unde primates rigorose loquendo dicuntur nonnulli Metropolitani, qui primarias tenent Civitates, et majores regunt Metropoles. Sic Bituricensis Archiepiscopus est primas in Burdigalensi Provincia, ut de ipso fit mentio in cap. *Conquestus* 9, qu. 3. (22. Archiepiscopus Pisanus vocatur Primas Sardiniæ, et Corsicæ, ut notat additio marginalis ad Glossam *in* c. *Definimus* dist. 22. Archiepiscopus Toletanus, et Archiepiscopus Bracharensis contendunt de Primatu Hispaniæ, ut fit mentio in. c. *Coram* 7, de *in integrum restit.* et pro utroque varii varia scripserunt, ut videre est apud Barbos. loc. cit. num. 48. Sic in Galliæ Provinciis ultra Archiepiscopum Bituricensem, se Primates appellant Archiepiscopus Rhemensis, Lugdunensis, Arelatensis, et Viennensis. Hiberniæ Primas est Archiepiscopus Armacanus; Angliæ Cantuariensis; Scotiæ Archiepiscopus S. Andreæ; Africæ Carthaginensis; Hungariæ Strigoniensis; Poloniæ Gnesnensis; Germaniæ olim Magdeburgensis, nunc vero Salisburgensis. (1)

(23. Metropolitanus sic dictus a *Metros*, quod idem sonat ac *Mater*, et Polis, quod idem sonat ac *Civitas*, est ille, qui residet, et Episcopatum gerit in Metropoli, seu Civitate præcipua, quæ est veluti Mater, seu Matrix aliarum Ecclesiarum, seu Civitatum totius Provinciæ : Metropolis enim caput Provinciæ appellatur; l. 4, § *Ingressus*, et l. 7, ff. *de Offic. procons.* l. 6, ff. *de Excus. tutor* l. unic. Cod. *Ut omnes inde.* Unde Provincia cui præest Metropolitanus decem, aut undecim Civitates, et totidem Episcopos suffraganeos olim sub se continere solebat; c. *Scitote* 2, caus. 6, qu. 3. *Glossa* in c. *Clericos* 1, dist. 21, v. *A mensura.* Nunc vero constitutio d. c. *Scitote*, abiit in desuetudinem, et numerus Episcoporum major vel minor decem aut undecim fuit constitutus in unaquaque Provincia sub Metropolitanis, prout singulis magis expedire in dies videbatur, ut recte observat Petrus Gregor. *Syntagm. Juris* lib. 15, c. 11, num. 3 (2).

(24. Archiepiscopus sic dicitur tanquam primus, seu Princeps omnium Episcoporum suæ Provinciæ; *Archos* enim est nomen græcum, quod latine significat *primum* vel *Principium;* c. *Cleros.* 1, dist. 21, verb. *Archiepiscopus*, (25. et Archiepiscopus sic captus idem est, ac Metropolitanus, ut innuit Ordo Romanus tit. *Qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur*, ut tradit Barbosa cum pluribus aliis loc. cit. cap. 7, n. 4, et deduci potest etiam ex c. *Pastoralis, de Offic. ordinat.* et Extravag. Salvator, *de Præbend. inter communes*, c. *Referente*, *de præbend.* ibi : « Ad Metropolitanum, videlicet Rhemensem Archiepiscopum. » (26. Non tamen omnis Archiepiscopus est semper Metropolitanus, sicuti omnis Metropolitanus est semper Archiepiscopus; Dantur enim varii Archiepiscopi, qui nullos suffraganeos habent ut inter alios sunt Rossanensis, et Lancianensis Archiepiscopi, ut notavit Barbosa loc. cit. cap. 7, num. 6, et de ipsis, et aliis patet in notitia supra adducta omnium Archiepiscopatuum, et Episcopatuum. Tales enim Archiepiscopi nullos habentes suffraganeos, licet sint vere, et realiter Archiepiscopi, non tamen vere sunt Metropolitani ut ex Barbosa et Azorio recte notat Frances *de Eccl. Cathedr.* c. 1, num. 114. (3) (27. Quid autem possit Metropolitanus,

(1) Vide supra V. *Exarchi, et Primates* (*a*).

(2) Conc. Antioch. Can. 9, « per singulas regiones Episcopos convenit nosse, *Metropolitanum* Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. » Cæterum ex consuetudine potius, quam ex aliquo Ecclesiastico canone factum est, ut sicuti Episcopi, qui primarias regerent metropoles, *Patriarchæ*, vel *Exarchi* dicerentur; ita qui uni tantum præerant Provinciæ, *Metropolitæ* nuncuparentur. (Edit. Barbiell.)

(3) Non hodie, aut nudius tertius ortum est hoc Archiepiscoporum genus nullos habentium suffraganeos. Fuit nempe, ut animadvertit vir doctus Cantelius in Metropolitanarum Urbium historia P. 1, diss. 1, cap. 4, duplex apud Græcos *Archiepiscopi* notio; prima usurpata sæpius prioribus sæculis, quibus qui multas suo nutu regebant provincias, ut ab aliis secernerentur, *Archiepiscopi* sæpe appellati sunt, sive Patriarchæ essent, sive Exarchi : altera posterioribus sæculis obtinuit. Inductus est enim novus Archiepiscoporum ordo, priori nomine quidem similis, re vero multo inferior, cum ii nec provincias haberent, nec suffraganeos Episcopos; sed nudo nomine, honoris causa, *Archiepiscopi* dicerentur. Causam invectæ hujus disciplinæ paucis exequor. Cum paulo ante Chalcedonense Concilium nonnullis Episcopis indulsisset Theodosius junior, ut Archiepiscoporum juribus deinceps uterentur, idque Metropolitani ægre ferentes ad synodum detulissent; Synodus jura illa ex consensu judicum rata esse vetuit : ne illud tamen ferrent acerbius, iis datum est, ut *Archiepiscopi* nomen, et *Presbyteratum* retinerent. Hinc labente sensim disciplina, in Provinciis plures et Metropolitani, et Archiepiscopi creati sunt, adeoque crevit eorum numerus, ut in Leonis sapientis *Diatyposi* Metropolitæ 81, Archiepiscopi 39, vel uni Patriarchæ Constantinopolitano imperium. Consulito Nicolaum Du Mortier in Opere inscripto *Etymologiæ sacræ Græco-Latinæ*, Verb. *Métropolis*, et Verb. *Archiepiscopus*. (Edit. Barbiell.)

(*a*) *Metropolis* græcum nomen a *meter*, sive *mitir*, *mater*, et *polis*, *civitas*. num. 24. *Archos* significat eum, qui imperium obtinet, ducem; *arche*, sive *Archi*, principium,

Digitized by Google

seu Archiepiscopus in suos suffraganeos vide verb. *Archiepiscopus* art. 1.

(28. Episcopus, ut jam fuit dictum *n.* 1, est nomen Græcum idem significans ac latine *Speculator*, cap. *Cleros.* § *Episcopus* dist. 22, *Superintendens*, c. *Qui Episcopatum* 8, quæst. 1. c. *Legimus* 24, dist. 93. Et sub nomine Episcopi Ecclesia semper eos intellexit, qui sunt Presbyteris superiores; cap. *Decretis* dist 21, ubi : « Simpliciter majorum, et minorum Sacerdotum discretio in novo Testamento ab ipso Christo sumpsit exordium qui duodecim Apostolos, tamquam majores Sacerdotes, et septuaginta duos discipulos, quasi minores Sacerdotes, instituit.» (29. In locum vero Apostolorum Episcopi, et in locum discipulorum Presbyteri successerunt, cap. *In novo* 2, dist. 21, etc. *Quorum vices* 6, dist. 68. (30. Et quamvis in primitiva Ecclesia Episcopi, et Presbyteri non distinguerentur quoad nomen; c. *Olim* 6, dict. 95, ibi : « Olim idem erat Presbyter, qui et Episcopus; » Tamen quoad rem semper fuit distinctio inter ipsos etiam tempore Apostolorum in primo exordio Ecclesiæ; Sic expresse S. Thomas in 2, 2, q. 184, art. 6, ad primum, ibi : « De Presbytero, et Episcopo dupliciter loqui possumus, uno modo quantum ad nomen, et sic olim non distinguebantur Episcopi, et Presbyteri; nam Episcopi dicuntur ex eo, quod superintendant » sicutdicit Augustinus 19, de Civit Dei; « Presbyteri autem in Græco dicuntur quasi seniores; » Unde et Apostolus communiter utitur nomine Presbyterorum, quantum ad utrosque, cum dicit 1 *ad Timoth.* 5 : *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*, et similiter etiam nomine Episcoporum, unde dicit *Actor.* 20, Presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ loquens : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed secundum rem semper inter eos fuit distinctio etiam tempore Apostolorum, ut patet per Dionys., c. 4. *Ecclesiast. Hierarch.* et *Lucæ* 10, super illud : « Post hæc autem designavit Dominus, » etc. Dicit *Glossa :* « Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic et in septuaginta duobus discipulis forma est Presbyterorum secundi Ordinis; Postmodum tamen ad schisma vitandum necessarium fuit, ut etiam nomina distinguerentur, ut scilicet majores dicerentur Episcopi, minores autem Presbyteri; » Dicere autem Presbyteros non differre ab Episcopis, inter dogmata hæretica numerat Augustinus in lib. *de Hæresibus*, « ubi quod Ariani dicebant Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni (1). » (31. Et Episcopos tam in potestate Jurisdictionis, quam in potestate Ordinis superiores esse Presbyteris expresse declarat Concilium Tridentinum, sess. 23, c. 4, et ibidem Canon. 6, subjicit anathemati contrarium dicentes ibi : « Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem, confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem... anathema sit.»

(32. Episcopus appellatur *Ordinarius;* c. *Pastoralis* 11, *de Offic. Ordinar.*, quia ordinariam in sua Diœcesi habet jurisdictionem. Barbosa, lib. 1, *Juris Ecclesiast. univers.* c. 8, num. 47. (33. Appellatur *Diœcesanus* respectu, et ratione suæ Diœcesis, id est Civitatis, et Territorii Episcopalis, cap. *Statuto* 2, § *Diœcesani*, *de Decimis* in 6. Clement. unic. *de supplenda Negligent. Prælator.* Clement. 1, *de Jurepatron.* (34. Ejus autem Ecclesia Episcopalis dicitur Cathedralis, quia ibi Cathedra Episcopalis, et Sedes sita est; Archidiacon., in cap. *Statutum*, col. 1, *de Rescript.* in 6, et quia ejus ratione Episcopus recipit Cathedraticum; cap. *Conquerente* 16, *de Offic. Ordinar.*, et cap. *Pastoralis* 7, *de Donationibus.* (35. Dicitur *Suffraganei* respectu Metropolitani, seu Archiepiscopi, cui subditur ; cap. *Suffraganeis* 11, *de Electione ;* c. *Pastoralis* 11, *de Offic. Ordinar.* c. *Romana Ecclesia* 1, *de foro compet.* in 6. Vel quia suffragium in ejus electione præstare consueverant Episcopi, vel quia suffragantur ipsi in Officio Episcopali, scilicet in consecrando alios Episcopos, in celebrando Concilia, et hujusmodi. Abbas, in c. *Suffraganeis* 11, *de Election.*, num. 1. Barbos., loc. cit., num. 46.

(36. Chorepiscopi non erant Episcopi, nec eorum Ecclesiæ erant Cathedrales; cap. *Ecclesiis* 3, dist. 68, ibi : « Inter Episcopos autem, et Chorepiscopos hæc est differentia, quod Episcopi non nisi in Civitatibus, Chorepiscopi et in Vicis ordinari possunt; Episcopi formatas tribuunt literas, et Chorepiscopi non nisi Commendatitias, et pacificas dare valent; Episcopi Jus consecrandi habent, Chorepiscopi tantum Minores tribuunt, Leviticam autem, et Sacerdotalem benedictionem non valent præstare; » cap. *Quamvis* 4, ead. dist. 68, ibi. « Quamvis Chorepiscopis, et Presbyteris plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispensatio; quædam tamen sibi prohibita noverint, sicut est Presbyterorum, Diaconorum, et Virginum consecratio, constitutio Altaris, ac benedictio, vel unctio, siquidem nec erigere Altaria, nec Ecclesias consecrare eis

subditi numerentur. Iis tamen Archiepiscopis nec major quam antea jurisdictio permissa, nec major potestas, nihilque omnino præter inanem Archiepiscopi titulum concessum est. Cautum immo erat, ut in omnibus, itidem ac meri Episcopi parerent Metropolitis; donec anno circiter 1080, ab Alexio Comneno sancitum est, ut Archiepiscopi deinceps, haud aliter ac Metropolitani a Patriarcha Constantinopolitano ordinarentur; sicque extitit in Græcia novus Archiepiscoporum ordo, qui Episcopis erat potestate par, superior dignitate, utraque inferior Metropolitis. (Edit. Barbiell.)

(1) Protestantes, demptis Episcopalibus Anglis, ac præsertim David Blondellus, Claudius Salmasius, Joannes Franciscus Buddeus hæreticum hoc dogma propugnarunt, atque propugnant, sed eos ex nostris plurimi refellerunt, Bellarminus, Petavius, Morinus, Natalis Alexander, Tournelius, Drouven *de re Sacrament.* T. II, lib. 8, sect. 6. Mamachius T. IV *Origin. et Antiquit. Christian.* cap. 4, § 2, p. 316. seq. et ne longior sim, Selvaggius lib. 1. *Ant. Christ.* cap. 12, § 1, 2 et 3. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

licitum est, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conversis hæreticis Paraclitum Spiritum Sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare; nec publice quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet Epistolas mittere. Hæc omnia illicita sunt Chorepiscopis..... *Quoniam quamvis consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent*, et concordat c. *Chorepiscopi* 5, ead. dist. 68. (37. Chorepiscopi præficiebantur solum Villis, et Oppidis; cit. c. *Ecclesiis* 3, dist. 68, idque vox illa græca *Chore*, quæ latine idem importat ac *Villanus*, seu ruralis, pagum item, seu Villam significat. Episcopi autem in Villis, pagis, seu locis inferioribus collocati nunquam fuerunt; c. 1, *de Privileg.* c. *Episcopi* 3, dist. 80, ibi: « Episcopi non in Castellis, nec in modicis Civitatibus debent constitui; » c. *Illud sane* 4. eadem dist. 80. ibi: « Illud sane quod ad Sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum statuta servari, ut non in quibus libet locis, neque Castellis, et ubi ante non fuerant, Episcopi consecrentur; » c. *Non debere* 5, ead. dist. 80 ibi: « Non debere in Vicis, et in Castellis Episcopos ordinari. » Et Zacharias 1, *Epist.* 9. *ad Bonifacium* sic ait: « Memineris quid in Sacris Canonibus præcipimur observare, ut minime in Villulas, vel modicas Civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi. »

(38. Chorepiscopi erant Vicarii Episcoporum, et in Oppidis, et in Villulis gerebant curam animarum vice ipsorum, eodem fere modo, quo nunc Parochi. Petrus Gregor. *Syntagm. Juris*, lib. 15, c. 12, a num. 44, usque in finem, Barbosa in *Collectan.*, ad text. in cap. *Quamvis* 4, dist. 68, num. 6. Antonius Ricciulus *Lucubrationum Ecclesiasticarum*, lib. 2, c. 2, n. 2. Bellarmin., in *Controvers.*, tit. *de Cleric.*, lib. 1, cap. 17, tom. 1. *Controv.* 5. Frances *de Eccles. Cathed.* c. 1, num. 131, et alii. (39. Conferebant Ordines minores, textu expresso in cit. c. *Ecclesiis* 3, dist. 68, § *Inter Episcopos, Chorepiscopi tantum Minores tribuunt, Leviticam autem, et Sacerdotalem benedictionem non valent præstare.* (40. Aliqui eorum consecrabantur, et creabantur Episcopi, et isti non solum Ordines minores, sed et majores conferebant, et alia munia Episcopalia obibant, non ex vi Chorepiscopatus, sed virtute Ordinis Episcopalis, ad quem erant promoti et consecrati, et sic vice Episcoporum ministrabant, sicuti faciunt hodie Episcopi Titulares, seu Coadjutores, et de istis solis Chorepiscopis in Episcopos consecratis loquuntur Canones Conciliorum, ut constat ex Antiocheno, *can.* 10, tom. 3. *Concil.*, pag. 1322, et intelligendi sunt Doctores asserentes Chorepiscopos fuisse olim eosdem ac sunt hodie Episcopi Titulares, seu Coadjutores, ut recte observant Bellarm., loc. cit., vers. *Respondeo quosdam fuisse*, Ricciulus, loc. cit., num. 8. Barbosa, loc. cit. num. 2. Frances, loc. cit., n. 133 (1). (41. Chorepiscopi fuerunt aboliti, et ablati ab Ecclesia Dei ob illorum insolentiam, et ambitionem qua Episcoporum officia sibi temere usurpabant, et ne tertius Ordo in Ecclesia poneretur, cum Christus Dominus duos tantum gradus in Ecclesia instituerit, Episcoporum videlicet, et Presbyterorum, et Chorepiscopi de primis, scilicet Episcopis, non fuerint; et secundi Ordinis, scilicet Presbyterorum, officium despicerent; c. *Quamvis* 4, dist. 68, ibi: « Hi vero, scilicet Chorepiscopi, propter insolentiam suam, qua officia Episcoporum sibi usurpabant, ab Ecclesia prohibiti sunt; » c. *Chorepiscopi* 5, ead. dist. 68, ibi: « Chorepiscopi tam ab Sacra Sede, quam ab Episcopis totius Orbis prohibiti sunt: nimis enim eorum institutio improbata est, et prava, quia etsi de summo Sacerdotii ministerio aliquid præsumant, omni tamen auctoritate carent. Nam non amplius quam duos Ordines inter discipulos Domini esse cognovimus, id est duodecim Apostolorum, et septuaginta duorum Discipulorum; unde iste tertius processerit ignoramus, et quod ratione caret, extirpare necesse est, » et sic Barbosa, loc. cit., num. 5 et 6. Frances, loc. cit., n. 54 et 142. Bertachin., tract. *de Episcop.* in præl., num. 4, et alii passim (2).

(42. Quamvis Apostolos omnes a Christo Domino fuisse ordinatos Episcopos sit valde controversum, ut patet ex pluribus traditis a Cardin. Bellarmin. *de Romano Pontifice*, lib. 4, c. 13. Soto, in 4, dist. 24, quæst. 2, art. 1, concl. 2. Diana, resol. *Moral.* part. 12, tract. 3, resol. 80, et id videatur inferri ex verbis Divi Augustini, in *lib. qq. Veter. et Nov. Testam.* 2, q. 97, ibi: « Nemo ignorat Episcopos Ecclesiis Salvatorem instituisse; Ipse enim priusquam Cœlos ascenderet, imponens manus Apostolis instituit eos Episcopos, et ordinavit. » Tamen communior opinio tenet solum Petrum fuisse immediate ab ipso Christo Domino Episcopum consecratum. Bellarm., lib. 1, *de Summo Pontifice*, c. 23. Turrecremata, lib. 2. *Summæ de Ecclesia*, c. 32. Barbosa, in *Collectan.*, ad textum in c. *In novo* 2, disp. 21, n. 5. Henriquez in *Summa de Sacram. Ordin*, l. 10, c. 4, § cum sequent. Frances *de Ecclesia Cathedral.*, c. 1, num. 13. Fagnanus, lib. 1, decr. in c. *Requisivit* 1, *de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit*, n. 18 et 85, et alii passim arg. c. *Porro* 2, dist. 68, ubi dicitur, Jacobum Alphæi fuisse ordinatum Episcopum ab Apostolis Petro, et Jacobo, et Joanne. (43. Sanctus Petrus alios Apostolos in Episcopos consecravit, ex quibus primi fuerunt Filii

(1) Quæ Auctor de Chorepiscopis illorumque origine, et gradu per sese minime Episcopali docet, si ea demas, quæ ad illorum munera spectant (cui enim Parocho, ve Vicario Foraneo ea unquam tributa potestas fuit, qua Chorepiscopos præstitisse constat) confirmat Selvaggius l. c. cap. 15. Recole tamen a me addita T. II. hujus *Bibliothecæ* p. 159. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Sicuti tamen in Occidente serius quam in Oriente Chorepiscopi instituti sunt, ita quoque serius in Occidente esse desierunt. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Zebedæi Jacobus, et Joannes, quorum interventu facta fuit consecratio Jacobi Alphæi in Episcopum Hierosolymitanum : cit. c. *Porro* 2, *dist.* 66, ibi : « Porro Hierosolymitanus primus Archiepiscopus B. Jacobus, qui Justus dicebatur, et secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo et Joanne Apostolis est ordinatus. » (44. Alios item Apostolos tempore discessionis ad prædicandum Evangelium Episcopos ordinavit, ut late probat Rodulphus Cupers. in c. *Oportebat* 3, dist. 79, fol. 139, n. 33 et fol. 206, num. 25 relatus, et sequutus a Frances loc. cit. cap. 2, num. 49. Sicuti consecratos de facto fuisse in Episcopos Paulum et Barnabam, quando missi fuerunt ad prædicandum Evangelium habetur expresse ex cap. *Quod die Dominico*. 5. dist. 75, ibi : « Cum Apostoli Paulum et Barnabam ex Spiritus Sancti præcepto ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes et orantes imposuerunt eis manus. » (45. Hinc patet Episcopos antiquiores esse Cathedralibus, ut observat Frances, loc. cit., c. 2. n. 43, ex c. *Omnes dist.* 22.

(46. Episcopi positi sunt in Civitatibus loco Flaminum, et Archiflaminum, ad tollendum veterum Idolorum cultum ; c. *Urbes* 1, c. *In illis Civitatibus* 2, dist. 80, c. *Beati Petrus, et Paulus* 36, caus. 2, qu. 7. Petrus Gregor. *Syntagm. Juris*, lib. 15, cap. 2, n. 8 et 9. Frances, loc. cit., cap. 1, num. 30. (47. Flamines autem antiquitus erant Sacerdotes, et ab illo Deo, cui sacra faciebant, nomen accipiebant. Hinc Sacerdos Martis Flamen Martialis vocabatur, et sic de aliis. (48. Dicti sunt Flamines a filo laneo, quo caput ligabant, unde Flamines quasi *Filamines* vocabantur, teste Plinio, lib. 18, cap. 11, et Calvin., in suo magno *Lexico*, verb. *Flamines;* Servius dicit, eos habuisse pileum, quem cum per æstum ferre non possent, nec capite intecto eos esse liceret, capita filo religare soliti erant, et habetur expresse in cap. *Cleros* 1, dist. 27, verb. *Sacerdotes*, ibi : « Sacerdotes autem gentilium Flamines dicebantur; hi in capite habebant pileum, in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid, quem cum propter æstum ferre non possent, filum tantum in capite religare cœperunt, nam nudis eos penitus capitibus incedere nefas erat; Unde et a filo, quo utebantur, Flamines dicti sunt, quasi Filamines. Verum in festis diebus filo deposito, pileum imponebant pro Sacerdotii eminentia. » (49. Flamines erant in magna veneratione, primumque locum post Regem sacrificulum in Conviviis tenebant. Calvinus in suo magno *Lexico*, verb. *Flamines*. (50. Sic Episcopi præ ceteris digniorem obtinent locum, cum ad differentiam Presbyterorum, quorum nomen est ætatis, nomen Episcoporum sit dignitatis, textu expresso in cap. *Legimus* 24, dist. 93, ibi : « Recordentur conditionis suæ Presbyter, et Episcopus : aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. » (51. Præcedentia Episcoporum in Conciliis provincialibus attendi debet secundum tempus Ordinationis, non secundum dignitatem Ecclesiarum. Sic decrevisse Sacr. Congreg., Concil. refert. Fagn., lib. 1, *Decretal.*, in cap. *Cum certum, de Majorit. et Obedient.* n. 13.

SUPPLEMENTA AUCTORIS.

(52. Episcopi excitantur ad exactum sui muneris implementum : Benedictus XIV, tom. 1. Constitut. 2, incip. *Ubi primum*. (53. Episcopis commendatur ministrorum delectus, nempe ut singulos curiarum suarum ministros et officiales pietatis, probitatis, doctrinæ, prudentiæ, aliarumque christianarum virtutum laude præstantiores, et diuturna experientia commendatos diligenter exquirant et seligant. Idem Constit. 85, incip. *Nimiam*, § 20. (54. Episcopi sacrorum ministrorum adjumenta petere debent pro recta suarum Diœcesum institutione. Idem tom. 1, Constitut. 180, incipien. *Gravissimum*, § 5. (55. Ipsi exemplo præire, Diœceses visitare, et in eis residere enixe monentur. Idem, ibid., § 18.

(56. Episcopalis Ordo ratione ipsius Ordinis præstat dignitati Cardinalis Presbyteri, aut Diaconi, quia multa facit Episcopus ratione Ordinis, quæ Cardinales facere non possunt. Idem, tom. 2 Constit. 36, incip *Cum a Nobis*.

(57. Episcopatus nihil superaddit Sacerdotio per relationem ad Corpus Domini verum, sed multo majorem jurisdictionem affert quo ad Corpus Domini mysticum, id est Ecclesiam; Benedict. XIV, in Append. ad tom. 4 sui Bullar., Constit. incip. *Ex tuis precibus*, § 9.

(58. Titulus *Venerabiles Fratres*, ita est annexus characteri Episcopali, ut Episcopis quoque schismaticis modo valide ordinatis, a Papa concedatur. Idem, tom. 4 Constit. 64, incip. *In postremo*, § 20.

(59. Episcopatu indignus est, qui illum petit, vel appetit; neque enim quispiam ignorare debet, a peccati labe immune non esse desiderium ipsum Episcopatus; Idem, tom. 4, Constit. 15, incip. *Inclytum*, § 6 et 7, ubi dicit hujusmodi desiderium esse semper vitiosum, juxta Angelici Doctoris doctrinam 2, 2, q. 183, art. 1, in corp. quodlib. 2, art. 11, in corp. in quodl. 3, artic. 9, in corp., et ad id affert verba S. Basilii in Constitutionibus Monasticis, cap. 9, tom. 2, ibi : « Cæterum nequaquam convenire, ut Asceta cupiat unquam ingredi in Clerum : (ecce Episcopatus desiderium) *aut fratribus præfici* (ecce desiderium Archimandriæ, seu Præposituræ) : nam diabolica hæc pestis est, labesque libidinis dominandi, quæ res summæ diaboli nequitiæ insigne est. » Ac etiam verba S. Bernardi, lib. 4, *de Consideratione*, cap. 5, ibi : « Alius pro alio, alius forte et pro se rogat. Pro quo rogaris fit suspectus. Qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. » Et insuper verba S. Thomæ 2, 2, quæst. 100, art. 5, ad tertium, ibi : « Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus. »

(60. Hic juvat adducere novissimam Clementis XIII. Epistolam Encyclicam Episcopis omnibus datam, qua eos ad rectum san-

Digitized by Google

ctumque regimen Ecclesiarum hortatur et informat, ut sequitur.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

A quo die Nobis, præter opinionem nostram, incredibile illud accidit, ut ad Sacram B. Petri Sedem, omnium Ecclesiarum Verticem, nostra divinitus tolleretur humilitas, in acerrima illa cogitatione, perpetuaque cura versati, nimio plus oneris quam quantum ferre possumus, esse nobis impositum, tristitiæ et lacrymis nos plane tradidissemus, nisi quiddam simile, quod Sanctissimo Prophetæ, Israelisque impigro Duci contigit, a nimio nos mœrore deterruisset. Inclamans enim Moyses Dominum (*Num. XI*, 11, 14): *Cur*, inquit, *afflixisti Servum tuum? Et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.* Quem, ne deliceret animo, quodque susceperat onus bene ut perferret, congregare sibi jussit Deus septuaginta Viros de Senibus Israel, quibus Moysis spiritum indidit, ut populi essent magistri, et sustentarent cum illo onus, nec solus Moyses gravaretur. Nunc igitur illa consolatio nos una sustentat, venerabiles Fratres, quod vos multo antea Deus ipse a reliqua Fidelium multitudine ad regendarum curam animarum adsciverit; socios Nobis, et adjutores dederit: ac suo ipsius spiritu, cum Episcopalibus Mysteriis initiati estis, abunde repleverit: ut Nos jam Dei ope primum, virtuteque confisi, singulari deinde, quo flagratis, vestri muneris obeundi studio, vestraque freti sapientia, plurimum de nostra tristitia, et sollicitudine ademptum esse arbitremur. Itaque tum *ut consolemur in nobis* (*Rom.* I, 12), per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque nostram; tum ut vestram (*II Petri* III, 1), excitemus in commonitione sinceram mentem, has literas ad vos scribimus; tum vero maxime, ut, quos adversus teterrimum humani generis hostem, veluti instructa acie, ardentes novimus, et erectos; tamen quo alacriores, erectioresque ascendatis ex adverso, stantesque (*Ezech.* XIII, 5), in prælio pro domo Israel dimicetis, ad rem bene gerendam vos adhortemur.

Quo quidem in bello tam multiplici, tamque periculoso spes victoriæ eo melior erit et exploratior, quo (*Ephes.* IV, 3), arctiore vinculo pacis unitatem servabimus. Eo igitur, Venerabiles Fratres, viribus omnibus incumbat charitas vestra ut funditus e Fidelium animis vel ipsa tollantur hujuscemodi certaminum semina. Vestrum est id sedulo præstare, ut omnes (*I Petri* III, 11) inquirant pacem (*Rom.* XIV, 19), omnes sectentur, quæ pacis sunt. Ipse enim Dominus Jesus, paulo antequam Passioni se dederet (*Joan.* XIV, 27): Pacem relinquo vobis, ait Apostolis, pacem meam do vobis. Nec Apostolis tantum, sed et nobis reliquit pacis hæreditatem (*Joan.* XVIII, 20, 21), non pro eis, inquit tantum; sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut Pater in me, et ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint. Hanc tantam hereditatem, tamquam præclaram a Christo Domino nobis traditam, videte quæso, Venerabiles Fratres, ut animorum dissensionibus exstinguendis constanter, et perpetuo retineamus. Hujus autem hereditatis pignus, ait Apostolus, esse Spiritum Sanctum. Cum autem in ipsius conspectu ipsi nos ponimus, eumque obsecramus, ut ad sanctificandum Ecclesiæ Sacrificium Spiritum sanctum de Cœlo dimittat, nihil aliud nobis postulare videmur, nisi ut per gratiam spiritualem in Ecclesia, charitatis unitas indisrupta servetur. Illud vero nos omnes commeminisse oportet, quod quærente Domino, quem dicerent homines esse Filium hominis, et quem ipsum Discipuli crederent; cum alias de eo respondissent aliorum esse opiniones, B. Petrus (*Matth.* XIV, 14, *et seq.*) ex omnium mente, Filium Dei vivi non carne et sanguine, sed Patre revelante confessus est. Quo quidem omnibus facile apparuit, inter filios lucis filiosque sæculi illud jam tum fuisse discrimen: ut hi variis inter se diversisque opinionibus discreparent, illi unitatis mysterio, per omnium Caput, unam omnium per os unius confessionem profiterentur.

Omnes igitur curas vestras, Venerabiles Fratres, in Fidelium coagmentanda pace defigite. Turbæ, (*II. Cor.* XII, 10) contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones consilescant; ut qui Catholici nominis sunt, omnes, in (*I. Cor.* I) eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, idem unanimes dicant, (*II. Cor.* XIII, 11) idem sapiant: illudque intelligant probe, atque animo imbibant, se, qui Christi membra esse velint, non posse concordiam habere cum capite, si discordes voluerint esse cum membris: nec Fratres a summo Patre in Filiis numerari, qui in fratrum charitate non fuerint.

Insignes vero notas, certissimaque caritatis indicia ne quis erraret in ea re, qua salus humani generis continetur, ostendit nobis Apostolus: *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est* (*I. Cor.* XIII, 4). Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur. Ex quo illud intelligi debet, unde charitas absit, illam ibi maxime vigere malignitatem, quam homines ab ipsa origine nostra contraximus. Inde, tamquam animorum faces, exardescunt arrogantia, superbumque fastidium, et contumacia, et avaritia, et intolerantia, et ambitio, et invidentia, et inanis gloriæ cupido, cæteræque animi pravitates, quæ omnes (*II. Petri* I, 4) ex ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptione gignuntur. Facessant igitur ab Episcopali regimine animi rumor et contumaces mores. Qui dicimus, nos manere in Christo (*I. Joan.* II, 6), debemus, sicut ille ambulavit, et ipsi ambulare; nec aliunde quam a Domino Jesu petendum, quod imi-

Digitized by Google

temur, exemplum. Ille enim, orta inter Discipulos contentione, quis eorum videretur esse major (*Luc.* xxii, 25) : Reges Gentium, inquit, dominantur eorum; vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est sicut ministrator. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Itaque cum Apostolis interdictus sit a Christo Jesu dominatus, non ad Ecclesiæ principatum, sed ad Ecclesiæ servitutem nos venisse existimemus : atque illuc omnes cogitationes, labores, et consilia nostra conferamus, ut quæ oves a Domino fidei nostræ commissæ sint, eas integras, et salvas in Ecclesia retineamus; nec quidquam tantopere voluisse videamur quam earum incolumitati consulere. Quapropter (*I. Petri* v, 1, 2) Seniores, Apostolorum Principis vos alloquar verbis obsecro consenior, et testis Christi passionum, qui et gloriæ communicator; pascite, qui in vobis est, Gregem Dei; providentes non coacte quemadmodum mercenarius (*Joan.* x, 12), qui videt lupum venientem, dimittit oves, et fugit; sed spontanee (*I. Petri*, ubi sup.) secundum Deum, quemadmodum Pastor, qui dat animam suam (*Joan.*, ubi sup., v. 11) pro Ovibus suis, neque (*I. Petri ibid.*) turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti Gregis ex animo. Nullum enim tetrius venenum, aut perniciosius dominandi libidine; qua si forte Episcopus corripiatur, Ecclesiam illi creditam, si non interire, vehementer certe labefactari necesse est. Non igitur præesse tantummodo velit Episcopus, sed potissimum prodesse; et forma Gregis factus ex animo, vitæ suæ innocentiam, morum integritatem, pietatem, religionem tamquam facem præferat; in quam populus intuendo, lætus et alacer in via Domini gradietur, cum viderit ducem sibi datum esse, non dominum.

Illud etiam charitatis est maxime proprium præcipua quadam lætitia perfundi, seu potius gaudio efferri, cum quis in Ecclesia Dei pietatis, doctrinæque floreat laude et salutis animarum vehementer cupidus, Sacerdotalis officii munus industria, labore, diligentia graviter exsequatur. Ejusmodi vero hominem (*Eccl.* iv. 4.) invidiæ patere proximi sæpiuscule animadvertimus, quem nemo sanus non videat invidorum obtrectationibus prosterni, atque obteri non oportere. Prophetantibus in (*Num.* xi. 27.) castris Eldad, et Medad, Moyses monenti se Josue filio Nun, ut eos prohiberet, se maxime velle, respondit, ut vel omnis populus prophetaret : Quid (ibid. v. 29.) inquit, æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum? Irritari vero; et ita incendi nefas sibi putat Episcopi charitas : abductum noxiis cupiditatibus hominem, illum quidem (*II. Thess.* iii. 15.) non quasi inimicum existimat, sed ut fratrem corripit; et blandiendo, cohortando, monendo, ab errore revocat, et in rectam reducit viam. Quod si quid acciderit, in quo graviore verborum castigatione oporteat uti, cavet ne quid sibi verbum excidat inclementius, et severitate adhibita ab omni abstinet contumelia.

Sed de inanis gloriæ cupiditate, quam quis Episcoporum scopulum recte appellaverit, sileri non potest. Ea profecto nihil charitati fortasse inimicius : quem enim Episcopum exitialis illa pestis corripuerit, et infecerit, adhuc obrepit adulatio; hujus nobilissimam partem, animam scilicet, adoritur; hunc venenatis assentationibus capit; huic perpetuo assidet; pravamque illam, qua quisque nostrum maxime decipimur, æstimationem sui nimiam immaniter augendo, eo miserum redigit, ut non amplius Dei, sed sui gloriam quærat; quam tamen vel ipse Christus Dominus negavit (*Joan.* viii. 50.) se quærere. Adulationem perniciosissimi veluti satellites, et ministri assectantur detractio et mendacium; ut, bonis egregiisque summotis viris, in Episcopi comitatu jam nihil sani, nihil integri reliquum sit. Propterea monet sapientissimus Salomon (*Eccl.* vii. 6.), melius esse a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi; Et (*Prov.* iv. 24.) : Remove a te os pravum; detrahentia labia sint procul a te; Et illud, quod in memoria semper esse debet Episcopis (*ibid.* xxix. 12.) : Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Ne (*Galat. v.* 26.) igitur efficiamur inanis gloriæ cupidi : ejusmodi (*Philip.* iii. 19.) gloria sit in eorum confusione, qui terrena sapiunt. Nos alte spectemus, cœlestem illam æternæ gloriæ domum contueamur, nec in ore hominum nostram arbitremur veram, solidam, gravem esse positam gloriam (*Rom.* iii, 23.). Omnes peccavimus; omnes egemus gloria Dei, omnes necesse habemus, ut (*I. Petri* ii. 24.) peccatis mortui, in nobis non ipsi glorificemur, sed (*Joan.* xiv. 13.) glorificetur Pater in Filio; utque (*Philip.* i. 11.) repleti simus fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam Dei, cui soli (*Judæ v.* 25.) gloria, magnificentia, et imperium.

Atque inter justitiæ quidem fructus misericordia in pauperes potissimum est numeranda. Justitia autem illa (*Philip.* iii. 9.), quæ ex fide est Christi Jesu. Verum (*Jacobi* ii. 15.) si frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex nobis illis : Ite in pace, calefacimini, et saturamini, non dederimus autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit nobis fides? Sic enim Christianos omnes interrogat Jacobus Apostolus. Et cujuslibet quidem Fidelis; ejus maxime, qui paulo ditior sit, opitulari debet pauperibus misericordia : ii tamen largitatem præcipuo quodam jure suo nostram requirunt, qui res Ecclesiæ, quæ sunt vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, non ut proprias, sed commendatas habemus; nec ea æquum est in usus nostros ita nos vindicare, ut nihil reliqui sit iis, quibus fas esset : Nostrum est quod expenditis clamitare. Etenim undenam plerique, nisi de bonis Ecclesiæ tanta abundamus affluentia rerum, et copia? De bonis igitur S[illegible]onsæ

Digitized by Google

tantum sumendum, quo præsto sint (*I. Timoth.* VI. 8.) alimenta, et quibus tegamur; hisque contenti simus (*ibid. v.* 6.) quæstum magnum existimantes pietatem cum sufficientia. Quæstus autem ille sane præclarus, cum nobis ea suppetunt abundantius, quibus opus est ad custodiendam Sponsam, nutriendam, ornandamque : omnium vero quæstus luculentissimus, quod eleemosynis a Deo gratiam impetramus qua cæca mens nostra illustratur; nosque ingenito languore fracti, et jacentes erigimur, et sustinemur. Nam cum esurienti effunderimus (*Isai.* LVIII. 10. 11.) animas nostras, et animam afflictam repleverimus, orietur in tenebris lux nostra, et tenebræ nostræ erunt sicut meridies, et implebit Dominus splendoribus animas nostras.

Profecto ad lumen a Deo menti impetrandum, obtinendamque devotionis gratiam, sine qua Episcopalia officia necesse est languescere, magna vis est eleemosynæ : sed oratione, et sacrosancto Missæ Sacrificio nihil efficax magis. Orare (*I. Thessal. v.* 17. 18.) sine intermissione nos jubet Apostolus, et in omnibus gratias agere; hanc enim esse voluntatem Dei, ne fidei, et charitatis spiritum velimus exstinguere : qui quidem spiritus (*Rom.* VIII. 26.) infirmitatem adjuvat nostram, et postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Equidem, si quis alius sapientia Episcopus indiget : quam propterea *Jacobi* I. 5.) postulet a Deo, et ipse dabit : postulet autem in fide nihil hæsitans : tantamque, si fieri posset, optandum ut in animo fidem suo excitaret, quanta fide fuit Moyses, qui Deum (*Hebr.* XI. 27.) invisibilem, tanquam videns sustinuit. Ad eam fidem humilitas accedat, oportet. Ego vero (*Psalm.* LIX. 6.), clamabat David, egenus et pauper sum : Deus, adjuva me. Quanti vero sit ponderis perseverantia in oratione, et assiduitas, declarant illa Christi Domini verba (*Lucæ* XVIII. 1.) : Oportet semper orare, et non deficere. Atque in ea assiduitate, et constantia Dei lumen (*Habacuc.* II. 3.), si moram fecerit, exspectemus; apparebit, et non mentietur : quia veniens veniet, et non tardabit. Cumque non nostras tantummodo curare debeamus infirmitates, sed etiam putare, aliorum mala ad nos pertinere, et ea æque habere ac nostra, vehementius, diutius intendenda nobis ad Dominum nostra est oratio; qua tanquam Ecclesiæ Fidelium interpretes, omnium fidem, spem, et charitatem ante oculos Domini statuentes, quod omnibus in universum, quodque cuique Fidelium opus est, a Domino impetremus. Dei autem exorandi viam nobis muniet, et quidvis adipiscendi etiam aperiet augustissimum Eucharistiæ Sacrificium. Idcirco vel maximis nostri muneris occupationibus etiam implicati, Sacrosanctum Jesu Christi Corpus, et Sanguinem non recusabimus, quominus frequenter Deo offeramus; nullumque majus putemus nobis datum esse negotium, quam crebro placationis hostiam pro nostris, populique peccatis Deo Patri immolare.

Cumque medii quodammodo simus Deum inter et homines : quemadmodum ad Deum vota hominum, ita Dei voluntatem ad populum perferamus. Hæc est autem (*I. Thessalon.* IV. 3.) voluntas Dei, sanctificatio nostra. Itaque nostrum est, Venerabiles Fratres, aperire (*Coloss.* IV. 3. 4.) ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, ut manifestemus illud ita ut oportet nos loqui. Illud potissimum docendi sunt populi, Christum carnem suam nostræ, excepto peccato, similem, illam quidem non modo factam, sed etiam sanctificantem; possibilem tamen, et morti obnoxiam, quæ omnium nostrum vicem repræsentaret, justitiæ divinæ, simulque (I. *Petri* III. 18) nos itidem obtulisse : eam item, et nos eodem tempore omnibus objecisse cruciatibus, quibus digna erant nostra crimina; damnatam fuisse mortis doloribus : maledictum adversus peccatores in lege pronunciatum subiisse : inter acerbissimos dolores mortuum : legi satisfactum : quidquid esset peccati simile, per Jesu Christi mortem et sepulturam abolitum. E sepulcro Dominum Jesum, cum eadem quidem carne, sed mortalitatis exuviis exuta, et immortalitatis honoribus exornata revixisse : Idcirco peccatoribus quo justificentur, opus esse mori cum Christo, qui pro illis, eorumque nomine mortuus est : cum Christo sepulcrum ingredi, ut ibi culpa temeratam carnem relinquat : veterem hominem iræ Dei, et mortis maledictioni tradendum, relinquendumque, ut per Baptismum novus in bonis homo, nova factus creatura, novumque figmentum, possit cum Christo ad immortalitatem, æternamque gloriam revivisscre. Propterea Christianis omnibus de illa perpetua, non de hac exigua vita cogitandum : tum abjiciendas voluptates, et divitiarum, quæ voluptatum sunt instrumenta, cupiditatem ex animo avellendam; tum etiam maxime, qua noxiæ omnes cupiditates continentur, exuendam esse superbiam (I. *Joan.* II. 17.) mundum transire ejusque concupiscentiam : qui autem facit voluntatem Dei manere in æternum.

Hæc vero, reliquamque doctrinam mysteriorum Dei, quanti negotii sit populum docere, ipsi vos, Venerabiles Fratres, pro sapientia vestra facile perspicitis. Propterea considerandum maxime est, quam multa in iis esse oporteat, quos ad Sacerdotale ministerium, instruendumque Christianis institutionibus populum, elegeritis; quanta vitæ innocentia, quanta morum integritas, quanta castitas, justitia, pietas, religio : Quam magnum sit, si quid pravum, si quid vitiosum, si quid improbum consuetudine mala inhæserit moribus, illud Parochos caute, et prudenter avellere : proximum quemque salutaribus monitis, consiliisque juvare, et instruere : animæ fideli denique pennas dare, quibus se homo tollat ad rerum divinarum contemplationem; eam mundo ereptam, Deo tradere, divinamque in illa imaginem in pristinum revocare. Contra quam non ferendum, a Fidelibus sibi commissis, eos Parochos rationem vitæ reposcere, qui reddere non possint suæ; et ita mores in altero reprehendere, ut quomi-

Digitized by Google

nus ipsi redarguantur, recusare non queant. Ad puros sanctosque mores accedat oportet digna Ecclesiastico homine ab iis percepta doctrina : Scripturas cognitas habeant : Omnis enim (*II. Tim.* III. 16.) Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Sacrum igitur utriusque Fœderis codicem, Ecclesiæ Traditiones, Sanctorumque Patrum scripta, veluti fontes adeant, unde pura, et incorrupta fidei, morumque doctrina profunditur : Romanum vero Catechismum, Catholicæ Doctrinæ Summam, assidue versent, et lectitent; unde sacras conciones ad populum habendas depromant. Non studiis igitur privatis, nec ex cujusquam commendatione, sed optimum quemque, illumque præsertim, cujus timida virtus ministerium defugiat, fidelem fore putetis ministrum, cui partem Gregis Dominici committatis. In universum manus cito nemini imposueritis : (*I. Timoth.* v. 22.) quod tunc cito fieri arbitramur, cum nonnisi semel aut iterum hominem expendimus, et probamus; quem contra accurate, exquisiteque exploratum, ac severe judicatum oportuit, ne alienis peccatis (*Ibid.*) communicantes inconsultæ temeritatis Deo pœnas demus. Neque vos tædeat, Venerabiles Fratres, si in ea re, quæ magnam cautionem habet, paulo diutius immoremur : Cujusmodi enim sunt Sacerdotes, ejusmodi plerumque esse solet et populus. In eos, præsertim si Parochi sint, tanquam in speculum omnes inspiciunt. Quapropter neminem perniciosius de Ecclesia mereri, quam vitiosos Clericos existimandum est, quia sua vitia infundunt in populum, eumque ita corrumpunt, ut plus exemplo suo quam peccato nocere videantur.

Adscitis autem in sacrum ministerium viris quamvis egregiis, non propterea evangelizandi munere nos esse defunctos arbitrabimur : sic enim in aliorum manus retia dimittere videremur, quæ tamen tradidit nobis Dominus, ut ipsi simus hominum (*Matth.* IV. 19.) piscatores. Præcipuum Episcoporum officium est Verbum Dei prædicare. Væ mihi, clamabat Apostolus (*I. Cor.* IV. 16.), si non evangelizavero! necessitas enim mihi incumbit : Nec præcipue ad baptizandi munus quamvis sanctum, sed potissimum ad (*Ib.* I. 17.) evangelizandum a Christo Domino se missum esse. Ipso autem Apostolorum judicio primos tenere novimus Verbi ministerium, quod (*Act.* VI. 2. 4.) non æquum derelinquere existimarunt sanctissimi viri; ac propterea reliqua opera, quæ ad misericordiam erga proximum pertinerent, Diaconis censuerunt oportere committi. Et Beatissimus Paulus ad Timotheum scribit (*I. Timoth.* IV. 13.) : Attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ. Si quis autem se carere sentiat facultate dicendi, nec ingenii sui esse dicat id munus exsequi, in reliquis saltem, quæ ad Verbum Dei quoquo modo pertinent, non patiatur officium suum requiri. Itaque, si mandaverit Clericis ut Christianæ Doctrinæ rudimenta pueris tradant, in eam rem det operam quoque suam. Parochis etiam in docendo socium se adjungat, ut suum annunciandi Verbi munus aliqua ex parte tueatur, quæ res alacritatem etiam summam omnibus afferet, qua suum quisque obeat officium. Quamobrem ne gravetur cum Consacerdotibus suis aliquoties Sacramenta Fidelibus ministrare; Chorum interdum adire, et Psalmos cum Canonicis canere; Collationibus, quas instituerit, coram præesse : ex quo fiet, ut non minimum sacri Ministri de illius spiritu, quemadmodum septuaginta viri de spiritu Moysis, accipiant. Huc accedit, quod populum, qui hæc viderit, summa de divini sanctitate cultus opplebit opinio; et ejusmodi augusto spectaculo homines maculosi deterriti, ad sacrum Ministerium ne aspirare quidem audebunt.

Quoniam vero Ecclesiæ procurationem, gregisque tutelam sui nullo pacto potest gerere, si absit, Episcopus : propterea suæ quisque vestrum Ecclesiæ nullo non tempore adsideatis oportet. Id et naturali lege, et sacris etiam Canonibus, et Tridentinis præsertim Decretis sancitum est. Universæ quoque Diœcesis loca adeunda, ut quarum legum vires deficere cœperint, eas vel a ministrorum indiligentia, vel a subditorum contumacia vindicetis. Quod si qua gravior et necessaria causa extiterit, quamobrem de vestra Diœcesi discedendum vobis sit, atque ab ea aliquandiu vos abesse oporteat, ne, quæso, patiamini Pastoris desiderio sui confici Ecclesiam, a cujus periculo numquam putetis absentiam vestram esse sejunctam.

Præterea verbis conjungatur exemplum : (*Tit.* II. 7.) in omnibus nosmetipsos præbeamus exemplum bonorum operum; ut is, qui (*Ibid. v.* 8.) ex adverso est vereatur, nihil habens dicere de nobis. Ne opera absque sermone sint tacita; neque dicta, factis deficientibus, erubescant : atque illud animo reputemus, perfectum Ecclesiæ Principem perfectis maximarum virtutum bonis ita esse instructum, ut et vita ejus dicendo, et doctrina vivendo exornetur. Domus autem cujusque nostrum sit pudoris, et modestiæ magistra; Ecclesiasticæ Disciplinæ officina, plena dignitatis atque concordiæ : quod tum assequemur, si nullius voluntati, aut gratiæ dediti, nihil animi nostri imbecillitati, et mollitiæ indulgeamus, neminemque habeamus eximium; quod in Ecclesia administranda magnas plerumque turbas creat, et offensionem habet gravem, et Episcopo invidiam et contemptum parit.

Quod ad nos attinet, vigilias (*Psal.* LXXVI. 5.) anticipaverunt oculi nostri, ut per Civitates constituamus Episcopos, qui ad Episcopatum afferant doctrinam sanam, vitam irreprehensibilem, mentem ad omnia paratam pro Christo; quippe id sibi munus obvenisse arbitrentur, cui qui præsit, non intumescat amplitudine dignitatis, sed humilitate decrescat. Et in exquirendis quidem explorandisque viris, quos tanto muneri præpositos esse velimus, sancta testimonii vestri

Digitized by Google

religione, et fide confisi, vobis testibus utemur, et auctoribus quos minime dubitamus, nullam carnis, et sanguinis rationem habituros, sed ejus tantummodo, qui vocavit vos (*Ephes.* IV. 12. 12.) in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.

Reliquum est, Venerabiles Fratres, ut vos de fortitudine moneamus, et animi robore; quo maxime est opus adversus ea, quæ vel orthodoxam Fidem oppugnant, vel pietatem lædunt, vel morum integritatem infringunt. Repleti (*Michææ* III. 8.) simus, obsecro, fortitudine Spiritus Domini, judicio, et virtute. Ne (*Isaiæ* LVI. 10.) tanquam canes muti, non valentes latrare, Greges nostros patiamur (*Ezech.* XXXIV. 8.) fieri in rapinam, et oves nostras in devorationem omnium bestiarum agri : neque nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsi objiciamus. Recogitemus (*Hebr.* XII. 3.) eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de Episcopatus vigore, et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac divina potestate; nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, aut insidias pertimescamus. Fidentes (*II. Cor.* 1. 9.) igitur non in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, alti, excelsi, humanas res despicientes, Dominum inclamemus : Spes (*Jerem.* XVII. 17.) mea tu in die afflictionis : nec unquam animis, aut corporibus defatigemur : Dei enim (*Cor.* III. 9.) adjutores sumus : Dominus autem Jesus nobiscum est (*Matth.* XXVIII. 20.) omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Itaque nullis scandalis, nullis persecutionibus infirmemur, ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam valida sunt adjutoria, quam vera promissa.

Denique, quoniam in æterno examine pro omnibus, et præ omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri sumus : vos obtestamur, Venerabiles Fratres, et obsecramus, ut si quæ scandala, et dissensiones oriantur, quibus sedandi impares sitis ad hanc Beatissimi Apostolorum Principis Sedem, tanquam ad caput, et Episcopatus apicem referatis, unde ipse Episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit. Hinc, veluti de natali suo fonte aquæ cunctæ procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ dimanant, Ecclesiæ omnes sumant quid præcipere, quos abluere, quos, veluti in cœno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda devitat. Nos quidem Dei primum virtute nixi, deinde B. Petri tutela confisi, cujus cura omnes habet præsentes, consilio, ope, auctoritate vos juvabimus. Parati sumus ipsi pro vobis (*II. Cor.* XII. 15.) impendere, et superimpendi, ut incolumes Ecclesias, incolumes Fratres tueamur. Cæterum sub ipsa suscepti oneris mole (*Thessal.* II. 2.) fiduciam habuimus Deo, qui, cum nobis oneris sit auctor, nobis fiet etiam adjutor; et ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmitas, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Interea misericordissimam Dei nostri clementiam supplices obsecrate, ut in diebus nostris expugnet impugnantes Nos; muniat fidem vestram; multiplicet devotionem, augeat pacem : meque servulum suum, quem ad ostendendas divitias gratiæ suæ, gubernaculis Ecclesiæ voluit præsidere, sufficientem tanto operi, et utilem vestræ defensioni dignetur efficere; et ad hæc tempora nostræ servitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus ætati. Gratia Domini Nostri Jesu Christi vobiscum, quibus benedicimus; vosque salutamus in osculo sancto : omnibusque itidem Consacerdotibus vestris, cæterisque Ecclesiarum vestrarum Fidelibus Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 14 Septembris. Anno 1758. Pontificatus Nostri Anno I.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(61. Episcopi olim de semetipsis loquentes *servos* semet hujus vel illius Ecclesiæ, sive *fideles et servos Dei* appellarunt, quam formulam retinet etiamnum Papa. (62. In Apostolorum locum successisse Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, convenit inter Catholicos. Apostolos Christus Dominus non ad certas regendas Ecclesias, sed misit ad universum mundum. (63. Quum autem singuli ubique Evangelium prædicare nequissent, varias divisim regiones ipsi peragrarunt, in quibus ordinarunt Episcopos cum potestate alios ordinandi, et Sedes Episcopales constituerunt.

(64. Primis nascentis Ecclesiæ Sæculis Episcopi communem habebant sollicitudinem ad fidem informandi non modo suas, sed et Ecclesias aliorum Episcopatuum.

(65. Moribus vero introducta sensim fuit divisio Parochiarum, Diœcesum, et provinciarum Episcopalium; Atque hinc factum fuit, ut intra suos quisque fines subditosque potestatem contineret Episcopalem, et injuriam aliis facere censeretur, si eam ultra extenderet; Canon. 15. 16. et 17. Concili Nicæni.

(66. Concilium Sardicense statuit ut in magnis tantum Urbibus starent Sedes Episcopales, ne Episcopi nomen et auctoritas vilesceret in Ecclesiis parvarum Urbium, Vicorumque, quarum regimini sufficit Presbyter. Vide Can. 6. citati Concilii Sardicensis.

(67. Dum Episcopi cogebantur derelinquere Urbes Christianorum jugo infidelium subactas, Sancta Sedes consuevit nonnullos eorum præficere aliis Ecclesiis inter Christianos vacantibus, ea lege ut captivitate cessante redirent quasi jure postliminii ad primas Sedes. (68. Illi vero qui alibi non obtinebant sedem permanentem, appellabantur Episcopi *vacantes*, vel *peregrini*, vel *scoti*, (69. istique titulum Episcopatus amissæ Sedis Civitatisque retinebant absque Plebe, ac exercitio muneris pastoralis. Quinimo ne memoria periret harum Ecclesiarum in partibus Infidelium, nec voluntas eas in

Digitized by Google

libertatem vindicandi, ordinari cœperunt Episcopi *Titulares*, et ordinantur in diem. Sed de hisce Titularibus Episcopis suo loco dicemus.

ARTICULUS II

Episcopus quoad ea quæ concernunt ejus electionem, confirmationem, et consecrationem.

(1. Episcopi olim eligebantur a toto Clero, accedente præsentia, acclamatione, seu consensu populi; cap. *Nosse* 12. dist. 63. ibi : « Sacerdotum quippe electio est, et fidelis populi consensus adhibendus, quia ducendus est populus, non sequendus; » cap. *Cum longe* 25. eod. dist. 63. ibi : « Sed quia populus aut princeps jubetur electioni interesse, non præcipitur advocari ad electionem faciendam, sed ad consensum electioni adhibendum. Sacerdotum enim (ut in fine superioris capituli Stephani Papæ legitur) est electio, et fidelis populi est humiliter consentire, » et concordat c. *Cleri* 27. eod. dist. 63. in cujus summario sic præcise dicitur : « Plebis non est eligere, sed electioni consentire. » (2. Plurimi tamen sustinent, Populos, Magistratus, et Principes intervenisse electionibus Episcoporum, nedum per præsentiam, acclamationem, et consensum, sed etiam per propria vota, seu suffragia, Barb. plurimis citatis lib. 1. *Jur. Eccles. univers.* cap. 8. a num. 64. *Et de offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. cap. 3. a n. 4. et alii passim variis suffulti sacris Canonibus, et signanter cap. *Qui aliquo* 5. dist. 51. ibi : « Sed nec ille deinceps Sacerdos (id est Episcopus) erit quem neque Clerus, nec Populus propriæ Civitatis elegit; » c. *Episcopos* 13. dist. 63. ibi : « Post electionem Cleri, et populi; » cap. *Electis* 18. ead. dist. 63. ibi : « Clerum, et Plebem ejusdem Ecclesiæ elegisse; » cap. *Factus* 5. caus. 7. quæst. 1. ibi : « De plebis, quæ tunc adfuit suffragio, » et concordat cap. 4. *Quanto* 10. cap. *Plebs* 11. c. *Nosse* 12. cap. *Episcopus* 13. cap. *Metropolitano* 10. distinct. 63. (3. Quidquid autem observatum fuerit in primis Ecclesiæ temporibus circa admissionem Laicorum in electionibus Episcoporum, et Pontificum, certum est, nunc Laicos non habere suffragia in talibus electionibus; cap. *Nullus laicorum Principum* 1. cap. *Adrianus Papa* 2. cap. *Valentinianus Imperator* 3. c. *Non est permittendum* 6. cap. *Omnis electio* 7. cap. *Non licet* 8. cap. *Nosse* 12. dist. 63. cap. *Contingit* 8. *de Arbitris*, c. *Decernimus* 2. *de Judiciis*, cap. *Sacrosancta* 51. *de Election.* (4. Et electio Episcopi per Laicos etiam cum canonicis facta est nulla non obstante contraria consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela textu expresso in c. *Massana* 56. *de Elect.*

(5. Separatis progressu temporis Clericis a Religiosis, qui omnes ad electionem Episcoporum concurrebant, ex claro, et expresso textu in cap. *Obeuntibus* 35. disp. 63. fuit exinde statutum, ut Religiosi suorum Abbatum, aliorumque Superiorum, Canonici vero Cathedralium suorum Episcoporum facerent electionem; cap. *Nullus* 1. cap. *Cum terra* 14. cap. *Congregato* 13. et per tot. *de Elect.* cap. *Congregatio* 43. caus. 16. quæst. 7. Et sic tota facultas eligendi Episcopos fuit redacta ad solos Cathedralium Canonicos. Bertachin. *de Episcop.* lib. 1. par. 3. a princip. Petrus Gregor. *de Elect.* cap. 6. num. 9. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. c. 3. num. 11. et lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 8. num. 68. (6. Talis facultas eligendi Episcopos duravit in Capitulis, et Canonicis Cathedralium usque ad tempora Clementis V. ut multis observat Barbosa *l. c.* Clemens enim V. cœpit reservare suæ dispositioni Cathedrales Ecclesias, quæ apud Romanam Curiam vacare contigisset, ut constat ex Extravag. *Et si temporalium, de præbend. inter commun.* Postea Benedictus XI. in *Extravag. Sancta Romana, de Election. inter commun.* statuit quatuor Patriarchalibus Ecclesiis vacantibus, illis non posse provideri Romano Pontifice inconsulto. Deinde Joannes XXIII. in *Extravagant. Ex debito, de Elect. inter commun.* provisioni suæ reservavit Episcopales, et earum Superiores Sedes, quæ apud Sedem Apostolicam illo vivente vacare contigissent. Et post Benedictus XII. in *Extravag. Ad regimen, de præbend. inter commun.* sibi reservavit provisiones omnium Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, tunc apud Sanctam Sedem Apostolicam quomodocumque vacantium, et vacaturarum. Exinde per sequentes Romanos Pontifices reservatio facta fuit simpliciter, et generaliter, quoad omnes Ecclesias Episcopales, tam apud Sedem Apostolicam, quam extra Curiam vacantes, seu vacaturas, ut patet in secunda, et tertia regula Cancellariæ, quas cum aliis quilibet Summus Pontifex in initio sui Pontificatus constituere solet. (7. Exceptis tamen Regnis, et Principatibus privilegiatis, ubi Reges, et Principes per specialia Concordata Episcopos nominant, et præsentant, ab ipso Summo Pontifice instituendos. (8. Et exceptis Cathedralibus Germaniæ, ubi servatur vetus consuetudo canonicæ electionis, ut Collegium Canonicorum Cathedralium Episcopos, vel Archiepiscopos eligat, et electi a Romano Pontifice confirmentur, ut clare ostendunt Concordata Germaniæ et cum pluribus aliis observat Barbosa l. c. (9. Electio Episcopi facienda non est ante diem tertium a morte Episcopi c. *Nullus*. 7. dist. 79.

(10. Electus in Episcopum debet intra mensem a præsentatione electionis præstare consensum, alias mense elapso, redditur nulla electio, textu expresso in c. *Quam sit de elect.* in 6. ibi : « Electus vero illum (scilicet consensum) adhibere infra mensem a tempore præsentationis hujusmodi teneatur, quem si electus ipse ultra præstare distulerit, jure si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum, ex tunc se noverit eo ipso privatum. » (11. Et intra tres menses a consensu præstito debet petere confirmationem, alias elapsis tribus mensibus electio eo ipso est nulla, textu expresso in cit. cap. *Quam sit*

Digitized by Google

de Elect, in 6. ibi : « Cæterum quivis electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratæ præstitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quod si justo impedimento cessante infra hujusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur. » (12. Sufficeret tamen ad evadendam talem pœnam, quod electi amicus ejus nomine confirmationem peteret quamvis sine mandato, dummodo tamen electus ratam haberet illam amici petitionem intra illos tres menses. Glossa in cit. cap. *Quam* cit. verb. *Petere*, Tiraquell. *de Pœnis tempor.* caus. 22. num. 37. Azor. pag. 2. c. 29. quæst. 11. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part. 1. cap. 4. n. 4. (13. Tres menses computari debent prout in Kalendario occurrunt, incipiendo scilicet a die præstiti consensus, et dies qui desunt ex uno mense accipiuntur de sequenti. Glossa in cit. cap. *Quam sit*, verb. *mensem*, Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar*, *gloss.* 11. n. 7. Garcias *de Benef.* part. 10. cap. 2, n. 42. et seq. Menoch. *de Arbitr. casu* 50. num. 21. Sanchez *de Matrim.* lib. 2. disp. 24. n. 15. Barb. l. 2. *Juris Eccl. univ.* c. 9. n. 4. et *de Offic. et potest. Episc.* loc. cit. n. 2.

(14. Confirmatio Episcoporum olim poterat fieri a suis respective Metropolitanis : cap. *Quoniam* 1. dist. 109. cap. *Cum dilectus* 32. *de Elect.* (15. Hodie tamen non ab alio, quam a Romano Pontifice fieri potest ex regul. 2. alias 3. Cancellariæ, quæ Sedi Apostolicæ reservat provisiones omnium Cathedralium. Et licet in Germania ex vi Concordati Episcopi adhuc eligantur a Collegiis Canonicorum Cathedralium, Romani tamen Pontificis auctoritate confirmantur. Sicuti etiam confirmantur, et instituuntur a Romano Pontifice Episcopi illi, qui vi privilegiorum Apostolicorum a Regibus, et Principibus nominantur et designantur. Azor. par. 2. c. 29. q. 1. et 2. Barb. l. 1. *Juris Eccl.* c. 6. n. 9. et *de Offic. et potest. Episcop.* tit. 1, cap. 4. n. 6. Pro hujusmodi electione, et confirmatione facienda servatur in Curia sequens praxis. (16. Formato processu de vita, et moribus promovendi, ac de statu Ecclesiæ juxta interrogatoria in particulari instructione tradita a Barbosa lib. 1. *Juris. Eccl. univers.* cap. 8. n. 141. et *de Offic. et potest. Episc.* par. 1. tit. 1. c. 5. a n. 4. fit ab ipso professio Fidei juxta formulam præscriptam a Pio IV. in sua Constitutione incip. *In Sacrosancta*, et deinde fit instrumentum dictæ professionis Fidei a Notario subscriptum in hunc modum, prout ad litteram tradit Barbosa *Distinction.* lib. 1. cap. 9. num. 11. et seq.

(17. « In nomine Domini. Amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, Quod a Nativitate Domini etc. coram Eminentissimo, et Reverendiss. D. N. S. Rom. Ecclesiæ Presbytero Card. etc. meque Notario publico infrascripto comparuit supradictus Adm. R. N. omni meliori modo etc. genibus flexis Professionem Sanctæ et Catholicæ Fidei juxta suprascriptam formam, tactis sanctis Scripturis ad Sancta Dei Evangelia in manibus D. S. Eminentissimæ de verbo ad verbum emisit. Quam Fidei professionem, idem Eminentiss. et Reverend. Dominus Cardinalis accepit, et admisit præmisso, et alias omni meliori modo. Super quibus etc. Actum Romæ in Offic. etc. Præsentibus idem N. et N. testibus ad præmissa vocatis, et habitis specialiter atque rogatis. Ego Adoardus Tibaldescus, Clericus Spoletanæ Diœcesis, Publicus Apostolica auctoritate Notarius, et ad scribendos, et rogandos processus Reverendissimorum D. D. Archiepiscoporum, et Monasteriorum Consistorialium privative quoad omnes alios specialiter a S. S. A. deputatus, de præmissis rogatus præsens instrumentum subscripsi, et publicavi requisitus. » Et subscribitur Cardinalis relator sic : « Ego N. S. R. E. Presbyter Cardinalis N. Fidei professionem a supradicto R. N. de verbo ad verbum in manibus meis emissum recepi, et ita testor. »

(18. Finito examine testium, et emissa professione subscribitur processus ab eodem Cardinali Ponente in hunc modum : « Ego N. R. S. E. Presbyter Cardinalis N. relationem facturus in proximo Consistorio de præmissis, censeo R. N. esse habilem, et idoneum, qui ad supradictam Ecclesiam N. promoveatur, illum ei præficiendo Episcopum, et Pastorem. Romæ ex nostro Palatio, die, etc. Ego N. Card. N. qui supra. » Et subscribitur idem processus a tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus, scilicet a primo Cardinali episcopo, a primo Cardinali Presbytero, a primo Cardinali Diacono.

(19. Hoc facto, præconizatio fit in primo Consistorio, quæ vicem electionis habet, cujus præconii formula pro Romano Pontifice, sic se habet : « Beatissime Pater, vacat Ecclesia N. per obitum N. etc. Ad jussum Sanctitatis Vestræ Ego N. Card. N. proponam R. N. etc. Civitatis etc. » Pro Cardinali autem ita fit : « Illustriss. et R. D. In proximo Consistorio, si S. D. N. placuerit, Ego N. Cardin. N. præconium faciam Ecclesiæ N. vacantis per obitum N. in personam Rever. N. etc. Civitatis etc. » et refertur status Ecclesiæ, et promovendi juxta formam Institutionis prædictæ.

(20. Fit positura in secundo Consistorio, et transmittitur schedula pro reassumptione posituræ, transmissa in prima præconizatione, et hæc secunda præconizatio habet vim confirmationis, et demum transmittitur fides provisionis Apostolicæ a Card. Ponente ad Card. Vicecancellarium facta in hunc modum : « Reverendiss. Domine. Hodie Sanctiss. in Christo Pater, et D. N. D. Urbanus Papa VIII, in suo Consistorio secreto, ut moris est, ad relationem meam Ecclesiæ N. cui N. dum viveret, præsidebat, et per obitum ejusdem Pastoris solatio destitutæ de Persona R. N. Diœcesis N. ex catholicis, ac honestis parentibus, et legitimo matrimonio nati, in utroque Jure Doctoris, in ætate legitima constituti, ac demum cæteris omnibus qualitatibus a Jure, et Conc. Trident. Decretis requisitis prædíti, qui professionem Fidei

Digitized by Google

juxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos in manibus meis solemniter emisit, de Reverendiss. D. D. meorum Cardinalium consilio, Apostolica auctoritate providit, ipsumque illi in Episcopum præfecit, et Pastoralem curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, absolvens eumdem R. N. electum a censuris ad effectum etc. In quorum fidem præsentem schedulam fieri, et mei parvi soliti sigilli impressione muniri jussi, eamque propria manu subscripsi. »

Datum Romæ in ædibus meæ solitæ residentiæ, sub anno etc. D. V. S. Humillimus Servus N. Cardinalis N.

(21. Electus, et canonice confirmatus tenetur intra tres menses a die confirmationis munus consecrationis suæ suscipere sub pœna amissionis fructuum, etiamsi sit S. R. E. Cardinalis, et si intra tres alios menses id non impleverit, Ecclesia, et Episcopatu ipso jure privatur, cap. *Quoniam* 2, dist. 75, capit. *Quoniam* 1, dist. 100, et Concil. Trident. sess. 7, *de Reformat.* c. 9, et sess. 23, etiam *de Reformat.* c. 2, ibi: « Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus, quocumque nomine, ac titulo præfecti, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; et si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati. » (22. Dictum trimestre tempus, infra quod Episcopus confirmatus debet munus consecrationis accipere, incipit currere a tempore habitæ notitiæ confirmationis de sua electione factæ. Glossa in cap. *Cum in cunctis* § *Cum vero*, verb. *Tempore de Elect.* Sanchez in *Opuscul. moral.* lib. 1, c. 1, dub. 15, n. 13. Flamin. *de Resignat.* lib. 7, q. 1, num. 92. Barbosa libr. 1, *Juris Eccles. univers.* c. 9, num. 34, et *de Offic. et potest. Episcop.* p. 1, tit. 1, c. 5, num. 2, et part. 2, alleg. 2, n. 40.

(23. Consecratio Episcopi debet fieri die Dominica; cap. *Qui in aliquo* 5, dist. 51, cap. *Ordinationes* 1, et cap. *Quod die Dominico* 5, dist. 75. (24. Consecratio Episcopi non debet a minori numero, quam trium Episcoporum saltem necessitate præcepti (1); c. *Episcopus cum ordinatur* 7, dist. 23, cap. *Episcopi* 1, c. *Comprovinciales* 4, cap. *Episcopum* 7, dist. 64, cap. *Porro* 2, dist. 66, cap. *Si Archiepiscopus* 6, et cap. *Nec Episcopi* 7, *de Temporibus ordinationum.* (25. Et si in Provincia non adsint tot Episcopi, accersendi sunt ex vicina Provincia, textu expresso in cap. *Si forti* 9, dist. 65. (26. Valida tamen est consecratio Episcopi facta ab uno solo Episcopo ex dispensatione Apostolica assistentibus duobus Sacerdotibus, uti constat ex praxi S. Greg. Magni, Greg. III et S. Pii V, quam confirmarunt Innoc. X et Alexander VII, uti referunt, ac docent Allatius *de concord. Eccles. Occid. et Orient.* lib. 5, cap. 7, § ultimo Schilderc. tom. 2, num. 117. Stephanus tom. 5, d. 7, n. 2. Cardan. in 2, *Crisi* dissert. 2, num. 502. Gormaz *de Sacram.* d. 5, num. 319, et late Pign. t. 1, consult. 182. Barbosa lib. 1, *Jur. Eccles. univ.* cap. 9, num. 51. Et de facto Fagnan. lib. 1, *Decretal.* in c. *Nec Episcopi* 7, *de Temporibus ordinationum* n. 10, in fine, refert, quod hodie in litteris pro consecratione Episcoporum in Indiis apponitur clausula infrascripta, videlicet: « Tibi presbytero, ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habente, accitis, et in hoc illi assistentibus duabus, vel tribus dignitatibus, munus consecrationis recipere valeas etc. »

(27. Ipse tamen Fagnanus loc. cit. n. 3 et 9, et in c. *Requisivit* 1 *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui* n. 86, tenet, quod consecratio Episcopi necessario facienda est a tribus Episcopis ex necessitate Sacramenti, et est ita de substantia, ut a paucioribus facta non teneat; et plures tum Canonistas, cum Theologos pro se adducit, et Sacros canones cumulat, et dicit quod non est Episcopus, qui minus quam a

(1) Jure meritoque Cl. Auctor noster sententiam de validitate consecrationis Episcopalis, ab uno, vel duobus Episcopis factæ, sat luculenter hic insinuat, et in *supplementis* n. 55, merito vocat probabiliorem, ea quippe tanto argumentorum pondere, atque gravissimorum Scriptorum auctoritate se se tuetur, ut nullis Adversariorum conatibus in dubium possit illa revocari. Si qui porro sint, qui cumulatiorem hujusce rei cognitionem exquirant, legere poterunt, quæ docet Cl. Van-Espen, Part. I, tit. 15, cap. 1. *de Consecrat. Episcop. In Scholiis In Canon. Nicænos* Can. IV, Tom. VI. Neapolitan. Editionis 1766. Et in Responsione Epistolari, quæ adjecta occurrit ad calcem Tom. IX, ejusdem Neapolit. Edition. Christianum Lupum Appendic. ad Can. IV. laud Concilii Nicæni. Pontas in suo *Dictionar. Cas. Conscientiæ* verb. *Episcopus.* Cas. 14, aliosque probatissimos, atque gravissimos Scriptores tum Theologos, tum Canonum Interpretes.

Ad recensitam porro sententiam magis confirmandam duo hic adjungimus. I. Haud recte posse inter se componi, quæ simul nobis obtrudunt contrariæ sententiæ Patrocinatores, nempe tres Episcopos exquiri ad consecrationem Episcopi ex necessitate Sacramenti, ita ut a paucioribus facta prorsus irrita ac invalida censenda sit; ac posse simul Romanum Pontificem dispensare in hoc definito numero trium Episcoporum, aut posse hanc formam immutare cum non sit juris Divini, sed tamquam tradita ab Apostolis. Etenim cum Episcopatus Sacramenti rationem habeat, ut unanimi fere consensu tradunt Canonum Interpretes, et præsertim Fagnanus; quomodo poterit Summus Pontifex formam hanc præscriptam ex necessitate Sacramenti immutare, aut in illa dispensare? Neque dici poterit ex ipsa Divina institutione hanc dispensandi facultatem in præfixo numero Summo competere Pontifici, cum hoc ipsum gratis adseratur, neque quidquam probationis ex universa Scriptura, ac Traditione produci poterit, quo id vel leviter firmari possit.

II. Incassum Adversarii suæ sententiæ patrocinium captare student, ex eo quod in antiquioribus Canonibus aliter factæ Ordinationes; h. e. non adhibito trium Episcoporum præfixo numero, *irritæ* decernantur. Neque enim vox isthæc in antiquis Canonibus idem designat, ac apud Scholasticos; sed tantum privationem exercitii illius Ordinis. Id quidem luculentissime patet ex Canon. *Neminem*, et ex Can. *Sanctorum* Dist. 70. ubi ordinationes factæ sine titulo *irritæ*, et *vacuæ* decernuntur.

Digitized by Google

tribus, auctoritate etiam Metropolitani, factus est Episcopus, afferens Epistolam Joannis III ad Episcopos Germaniæ et Galliæ, quæ habetur t. 2 *Conc.* part. 2, pag. 250, col. 2, litt. *D*, ubi sic legitur : « Omnia quoque maxima Concilia affirmant eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis auctoritate etiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, ideoque illos, quos Chorepiscopos vocatis, qui ab uno, ut audivimus, fiunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perspicuum est. » et cap. *Porro* 1, dist. 66, ibi : « Porro, et Hierosolymitanus primus Archiepiscopus Beatus Jacobus, qui Justus dicebatur, et secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo, et Joanne Apostolis est ordinatus successoribus suis formam dantibus, videlicet, ut minus, quam a tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, nullatenus Episcopus ordinetur. » (28. Potest autem Papa immutare hanc formam tamquam traditam ab Apostolis. Archid. in d. cap. *Porro*, Geminian. quia non est Juris divini forma; Card. præposit. in d. cap. *Porro*, et expensius in cap. *Archiepiscopatus* 1, dist. 66. (29. Et Papa solus ordinando videtur dispensare super tali forma. Card. Præposit. in dicto cap. *Porro*. Sic Fagnan. in cit. cap. *Neque Episcopi* 7, *de Temporibus ordinationum* 9 et 10, ubi dicit hæc reperisse in libris publicis Sacræ Congregationis Concilii adnotata manu bonæ mem. Card. Alciati illius Præfecti ad sess. 7, c. 9.

(30. Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse Sacerdos, adeo ut si Sacerdotium non præcesserit, invalida sit Ordinis Episcopalis collatio (1) arg. cap. *Ex litteris X de excessibus Prælator.* ibi : « Cum igitur Pontificale officium sine Altaris ministerio non valeat adimpleri. » cap. *Osius X*, dist. 61, ibi : « sed non eligitur aliquis *scilicet Episcopus* nisi in Sacris Ordinibus constitutus, » et tenent Glossa fin. in cap. unico, *de Clerico per saltum promoto*, S. Thomas in 4 sentent. dist. 24, quæst. 1, art. 2. Hugo et Archid. in cap. *Sollicitudo* 1, dist. 52. Raymund. in c. *Gratia* 2, q. 1, ubi dicit hujus opinionis esse fere omnes Doctores, ut refert Turrecremata eamdem opinionem sequutus in d. cap. *Sollicitudo* num. 4. Silvester verb. *Ordo* 2, num. 1. Borg. *de Irregular.* part. 5, rub. *de Clerico per saltum promoto*, num 5. Majol. *de Irregular.* lib. 4, cap. 12, num. 3. Henriq. *in Summa*, lib. 10, c. 7, § 1. Azor. part. 2, lib. 3, cap. 30, q. 9. Emanuel Sa, verb. *Ordo* num. 24. Suarez. tom. 5, *de Censuris* disp. 50, num. 57. Bonacin. *de Censur. extra Bullam* disp. 3, quæst. 1, punct. 2, num. 7. Aversa, quæst. 1, sect. 6. La Croix, lib. 6, p. 2, num. 2210. Fagnan. lib. 1, *Decretal.* in c. *Requisivit* 1, *de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit*, num 15 et 81, 82. Et ratio est, quia actus principalis Episcopi est ordinare Sacerdotes; cap. *Cleros* 1, dist. 21, cap. *Quamvis* 4, dist. 68, potestatem autem exercendi hujusmodi actum non potest Episcopus in sua consecratione accipere, nisi etiam sit Sacerdos, cum nequeat alteri conferre Ordinem Sacerdotalem, quem non habet, secundum Innocentium in cap. *Quanto, de Consuetudine;* Silvester in verb. *Ordo* 1, num. 1, vers. *Sed si sit Sacerdos.* Fagnan. loc. cit. n. 83, adeoque, etc. (31. Multi tamen tenent, validam esse collationem Ordinis Episcopalis, licet ordinatus non sit Sacerdos, ita Abbas in cap. unico, *de Clerico per saltum promoto* n. 5, vers. *Quod secundum*, Glossa, in cap. *Sollicitudo* 1, dist. 52, ubi dicit, quod si Laicus ordinetur Episcopus, bene recipere characterem; Joann. Andreas, Ancharan, Covarruvias, et alii, quos citat, et sequitur Barbosa *de Offic. et potest. Episcopor.* part. 2, alleg. 1, num. 38.

(32 Ante consecrationem non potest Episcopus exercere ea, quæ sunt Ordinis, sed tantum ea, quæ sunt Jurisdictionis, cap. *Transmissam* 15. *de Election.* Fagnan. lib. 3. *Decretal.* in cap. *Nullus*, *de Parochis* n. 5. (33. Non consecratus Ordines conferre non potest, cap. *Transmissam* 15. ubi Glossa in verb. *De talibus*, et cap. *Quod sicut* 78. *de Election.* Fagnan. l. 1. (34. *Decretal.* in c. *Quanto* 4. *de Consuetud. num.* 26. Potestatem enim conferendi Ordines accipiunt Episcopi in consecratione; cap. *Quamvis* 4. cap. *Chorepiscopi* 5. dist. 68. cap. *Transmissam* 25. et cap. *Quod sicut* 28. *de Election.* Fagnan. lib. 1. *Decretal.* in cap. *Statuimus* 1. *de supplend. negligent. Prælator.* num. 19. (35. Potestas, quæ confertur Episcopo per consecrationem, est indelebilis. nec potest ab Ecclesia auferri, unde remanet in Episcopo etiam Excommunicato, Hæretico, Deposito, et Degradato; cap. *Ordinationes* 9, quæst. 1. cap. *Quod quidem* 1, qu. 1. cap. *Ostenditur*, et ibi Archid. dist. 4. *de Consecr.* cap. unico, cum ibi notatis, de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, cap. 2. vers. *Sicut enim Episcopus, de translatione Episcop.* S. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 3. Silvester, verb. *Degradatio* num. 9. Fagn. in cit. c. *Statuimus* num. 8. et alii passim. (36. Jurisdictionem accipit Episcopus in confirmatione etiam ante consecrationem, unde Episcopus confirmatus, licet nondum consecratus, potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, synodum convocare, Beneficia conferre, Ecclesias minores conjungere, annectere, dividere, voti et jurisjurandi vincula solvere, quorumdam peccatorum absolutionem sibi reservare, et hujusmodi; cap. *Transmissam* 15. *de*

(1) In contrariam Sententiam declinavit clariss. Mabillonius in Commentario prævio ad *Ordinem Romanum* § 18, plures Romanos Pontifices asserens, qui a Diaconatu immediate in Episcopos fuerunt ordinati. Huic sententiæ subscribit Clariss. Franciscus Pagi *Breviar. Rom. Pontif.* in *Sabiniano* a num. II. ad VI. et in *Constantino Antip.* num. I. Cæterum Benedictus XIV, in Epistola ad Carolum electum Episc. Justinopolitanum *In postremo* 10 Octob. 1756, § 10, subscripsit Morino, et Juvenin asserentibus nullum exstare exemplum Episcopatus non presbytero collati. (Nota ex Editione Romana.)

Digitized by Google

Election. et Glossa ibid. verb. *De talibus*, et arg. c. *Nosti* 9. et cap. *Qualiter* 19. *de Election.* etc. *Inter corporalia* 2. *de Translation. Episc.* Barbos. *de Offic. et potest. Episc.* part. 1. tit. 5. cap. 4. num. 7. (37. Fagnan. in cit. c. *Statuimus* n. 21. et alii communiter. Episcopus electus, et confirmatus ante consecrationem potest concedere indulgentias. Sic communiter Doctores cum. S. Thoma in 4. dist. 20. art. 3. quæst. 2. ad primum, et ibid. art. 4. quæst. 2. *in corpore*, ibi : « Potestas concedendi idulgentias sequitur jurisdictionem, et quia Diaconi, et alii non Sacerdotes possunt habere jurisdictionem, vel commissam, sicut Legati, vel ordinariam, sicut electi, ideo possunt indulgentias concedere, etiam non Sacerdotes, quamvis non possint absolvere in foro pœnitentiali, quod est Ordinis, » quæ Divi Thomæ Doctrina communiter recipitur, teste Navarr. in tract. *de Indulgent.* in 31. notab. vers. *Possunt autem hi conferre etiam si non sint in Episcopos consecrati.* Fagn. l. 5. Decr. in c. *Accedentibus* 12. *de excessibus Prælator.* num. 10. et seq. Barbosa *de Offic. et potest Episc.* part. 3. alleg. 88. n. 7. cum plurimis aliis ibi citatis.

(38. Episcopi appellatione venit tantum consecratus in concernentibus exercitium, et decorem Ordinis Episcopalis, c. *Transmissam* 15. *de election.* cum ibi notatis, et tradit Butrius in consil. 19. *Quia hic agitur*, cum aliis congestis a Felino in c. *Eam te* 7. *de Rescriptis* n. 1. col. 3. in princip. vers. *Et ideo dicit* Butrius, et Fagnan. in d. c. *Eam te* n. 38. (39. In concernentibus autem Jurisdictionem Episcopalem venit etiam electus, confirmatus, vel provisus per Papam, quia cum hæc competat etiam electo confirmato ex c. *Transmissam* 15. *de Election.* et Glossa ibidem verb. *De talibus*, et ex adductis supra num. 15. ideo dispositio loquens de Episcopo, verificatur etiam in electo confirmato, seu proviso, licet non consecrato, ut notant Glossa in Clement 1. verb. *Episcopi*, et ibi Abbas num. 2. *de Foro competent.* Fagnan. loc. cit. num. 39. cum aliis ibi a se citatis. (40. Episcopi appellatione venit etiam nondum consecratus in materia proportionabili, tam confirmato, quam consecrato; Fagnan. [illegible]5. *Decretal.* c. *Quod nonnullis* 25. *de Privil.* num. 23. et aliis ibi citatis. (41. Provisio, seu pronunciatio Papæ in Consistorio habet vim electionis, et confirmationis; Innocent. in cap. *Cum olim. in princip. de caus. posses. et proprietat.* Glossa in cap. 1 verb. *Provisionem*, *de Election.* in 6. ubi quod Papa providendo eligit, et confirmat; Abbas in cap. *Tua, de his, quæ fiunt a Prælat.* num. 2. *et* in c. *Cum in cunctis*, *de Elect.* num. 2. Fagnan. *in* c. *Eam te* 7. *de Rescript.* n. 15. (42. Provisi, seu pronunciati a Papa in Consistorio appellantur promoti, etiamsi nondum fuerint consecrati; Extravagant. *Injunctæ* 1. *de Election inter Communes*, ibi : « Qui apud dictam Sedem promoventur; » et Concil. Trident. sess. 7. c. 9. ibi : « Ad majores Ecclesias promoti, munus consecrationis infra tempus a Jure statutum suscipiant, » Fagnan. loc. cit. num. 24 et 27 (43. Provisi quamvis consecrati accedentes ad Ecclesias ante levatas Bullas incidunt in pœnas de Extravagantis *Injunctæ* 1, *de Elect. inter commun.* Sic Doctores communiter. (44. Civitas interficiens suum Episcopum consecratum privatur Sede, et dignitate Episcopali, textu expresso in cap. *Ita nos* 24. caus. 25 quæst. 2. (45. Non privatur tamen tali Episcopali dignitate Civitas interficiens Episcopum solum electum, et nondum consecratum, Bald. in l. *Si nondum* : post. princip. C. *de Furt.* Felin. in d. cap. *Eam te* 7. *de Rescriptis* num. 1. vers. *Unde Baldus*, Fagnan. ibid. num. 17. Glossa in Clement. *Si quis suadente* 1. *de Pœnis* vers. *Quamvis Pontificem* dicens, quod in materia pœnali, uti est ista, appellatione Episcopi, vel Pontificis, non venit electus, et confirmatus, si nondum sit consecratus.

(46. Cum consecratur Episcopus, inungitur chrismate in capite, et manibus, quod si fuerit omissum, per tres Episcopos est supplendum, textu expresso in c. *Cum venisset* 1. *de sacra Unctione*, ibi : « Cum venisset ad Apostolicam Sedem Bracarensis Episcopus, qui in consecratione sua sacram non acceperat unctionem, quoniam apud vos (*Græcos*) non consueverunt Pontifices cum consecrantur, inungi; Nos, quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri, faciente caput ejus, et manus per Albanens. Episcopum (assistentibus ei duobus Episcopis secundum morem Ecclesiasticum) Sacro Chrisma deliniri. » (47. Ungitur autem Episcopus in capite, ut declaretur eum esse caput, et Principem Ecclesiæ suæ; c. *Cum venisset* 1. *de sacra Unctione*, Barb. *de Off. et potest. Episc.* par. 1. tit. 1. c. 5. n. 10. (48. Reges vero non in capite, sed in humero unguntur, primo, ut proprius honor sit illius, quem Deus constituit excelsum super omnes Reges terræ, et quem oleo lætitiæ excellentius, et augustius unxit præ consortibus suis. Deinde, ut ostendatur quod primo ante omnes Reges, et Principes persona capitis Pontificali officio repræsentetur. Ungitur tamen et Rex in humero, ut neque ipse plane excludatur a repræsentatione ejusdem capitis; nam et hujus Principatus, ut dicitur *Isaiæ* 9, factus fuit super humerum ejus, et ut sciat se esse ministrum ad portandam Crucem Jesu Christi ad laudem bonorum, vindictam autem malorum, *Apost. ad Roman.* 13. Sic ad literam Barbosa loc. cit. num. 11. ex cap. *Cum venisset* 1. *de sacra Unctione* § 2. (49. Ungitur Episcopus in manibus, ut sciat dignitatem non propter otium, sed propter negotium suscipere, et ut ostendatur accipere potestatem benedicendi, et consecrandi; cap. *Cum venisset* 1. *de sacra Unctione;* Barbosa loc. cit. num. 12. (50. Annulus sacer novo Episcopo traditur ut Sanctam Ecclesiam sponsam suam intemerata fide custodiat; Barbosa loc. cit. num. 15. (51. Mitra deinde tamquam bicorni galea armatur novus Episcopus, ut intelligat, duo illius cornua, duo designare testamenta, anterius novum, posterius vetus, quæ duo Episcopus debet memoriter scire, et illis tamquam duplici cornu

Digitized by Google

Fidei inimicos ferire; Barbosa loc. cit. num. 18. (52. Hieronymus Vielonius *de Episcopis Titularibus* part. 2. fol. 13. Traditur in manibus novi Episcopi baculus, quo non utitur Summus Pontifex; cit. c. *Cum venisset* 1. *de sacra Unctione* in fine Et quare hoc; Vide verb. *Baculus*. Alia de istis vide apud Barbosam *de Offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. cap. 5. et part. 2. allegat. 1. et Andream Du Saussay in sua *Panoplia Episcopali de Sacro Episcoporum ornatu* libros septem continente; in quorum primo agitur de Mitræ Episcopalis antiquitate, in secundo de virga Episcopali, vel Pastorali baculo, in tertio de annulo Episcopali, in quinto de Chirothecis Episcoporum, in sexto de Dalmatica, in septimo de compagis, et sandaliis Pontificum.

ADDITIONES AUCTORIS.

(53. Episcopus electus et confirmatus consecrationem petere debet intra tres menses, sub pœna amittendi fructus, atque etiam Ecclesiam. Benedictus XIV. tom. 2. Constit. 36. incip. *Cum a Nobis*.

(54. Episcopus an unquam factus fuerit diaconus, non collato ipsi antea Sacerdotali Ordine, disputant Doctores, in contrarias opiniones abeuntes. At non constat, nec probatur perspicue fuisse unquam Diaconum in Episcopum, vel Pontificem maximum consecratum, quin Ordinem Presbyteratus antea susceperit. Benedict. XIV. tom. 4. Constit. 64. incip. *In postremo* § 10. et seq.

(55. Episcopus eligi nequit, qui antea saltem sex mensium spatio non fuerit in Sacro Ordine constitutus. Idem ibid. § 13. ex Concilio Trident. sess. 22 cap. 2 *de Reformat.* sic præcise statuente: « Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, vita, ac aliis quæ a Sacris Canonibus requiruntur, plane sit præditus, verum etiam in Sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus. »

(56. Episcopi consecratio ab unone, vel a tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quanquam sit quæstio inter Theologos, cum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt Episcopi, ut ab uno tantum Episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere, hinc videtur probabilior sententia asserens unicum Episcopum sufficere. Solent tamen Pontifices præcipere, ut Episcopo consecranti adjungantur duo Abbates, vel duo Sacerdotes in dignitate Ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis, Benedictus XIV, *de Synod. Diœces.* l. 13, cap. 13, § 5, nov. edit. Ibi pariter decernitur, valere consecrationem Episcopi ab uno Antistite, uno tantum adjecto presbytero, confectam quin etsi nullus alius præter consecrantem assistat; ibid. lib. 7, cap. 3, § 9.

(57. Pactiones initæ a Capitulo electore, et juratæ ab Episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere, aut obsistere officialibus Capituli, si quid egerint, et decreverint: pactiones inquam illæ, si electionem præcedant, nullæ omnino et irritæ declarantu ab Innocen tio XII. Constit. incip. *Ecclesiæ Catholicæ*. Earum vero, quæ subsequuntur, exsecutionem suspendit, donec Sedes Apostolica judicium de illis ferat, ibid. § 17. Hæ vero pactiones vetitæ, et irritæ censentur, etiamsi fuerint honestæ, ut ex DD, ibid. § 19. Insuper adsunt ea de re literæ Apostolicæ Benedicti XIII, in forma Brevis legendæ, ibid. § 23.

(58. Alia de Episcopali Consecratione, vide verb. *Consecratio* a n. 1 ad 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. Libet hic paucis a primordio Ecclesiæ historiam afferre electionis Episcoporum, quod attinet ad eligentes.

Ipse Christus misit duodecim Apostolos in universum mundum, sicut eum miserat Pater suus. (60. Apostoli vero primum omnium S. Matthiam ad vacantem Episcopatum ex suspendio Judæ proditoris elegere in prima Synodo Hierosolymitana. (61. In electione hac turbam hominum fere 120 adfuisse eruitur ex Sacro Textu.

(62. Profecti Apostoli in diversas Regiones consueverunt ad Episcopale ministerium attollere primos cujusque urbis viros amplexos fidem evangelicam. (63. Ab Apostolis vero creati, eorumque Successores Episcopi alios similiter constituerunt. (64. Principio Plebs vix præsentiam ac testimonium præstabat, at postmodum paulatim præsentiam ac testimonium extendere tentavit ad suffragium.

(65. Prima Synodus Nicæna Episcopis Provinciæ ad minus tribus in unum Congregatis jus tribuit eligendi vacantis in ipsa Provincia Ecclesiæ Episcopum, confirmatione Metropolitis reservata, solumque testimonium, et consensum Populo reliquisse videtur.

(66. A sæculo IV ad sæculum nonum usque Synodus Provinciæ consuevit Episcopos ordinare, nonnisi a Clero, et Populo, vel postulatos, vel electos unanimiter. (67. Quod si in duas, pluresve personas eligentium suffragia scinderentur, præferebat Metropolitanus digniorem, et ornatum majoribus suffragiis ac meritis.

(68. Frequentia electionum dissidia in causa fuere, ut Populi jura a[illegible]rincipes tandem devolverentur. Hi vero [illegible] sæculo ad XII sæculum usque adorti sunt vetustum electionibus assentiendi jus in novam vertere formam investiendi per annulum, et virgam, (69. seu instituendi Episcopos auctoritate sua absque ullo decreto, Judicioque Synodorum Provincialium, et sine Metropolitarum confirmatione. (70. At eodemmet sæculo IX, octava Synodus œcumenica reprimere studuit recentem invasionem, sanxitque, ne qui Principum Laicorum et Potentium, se Episcoporum electioni ingereret. Gliscentibus autem in dies in oriente laicalibus, (71. Investituris Leo IX, Victor II, Stephanus X, Nicolaus II, Alexander II, B. Gregorius VII, aliique Successores Ecclesiasticam in ea re libertatem tueri novis Conciliorum sanctionibus satagerunt, nullus ut auderet Clericorum, aut Monachorum

Digitized by Google

accipere de manu Laici investituram Ecclesiæ vel Beneficii. (72. Sæculo demum XII, abolendis reapse Investituris consentire Principes orti sunt, pactis cum S. Sede conventis, quæ dicimus Concordata.

(73. Tunc itaque omnino desierunt suffragia Laicorum, relictæque Clero fuere Canonicæ electiones. (74. Cleri vero nomine venit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis.

Ineunte sæculo XIV, abrogatum est jus Capitulorum Cathedralium Pontificiis collationibus et reservationibus, idque ex frequentissimis discordiis ad supremum Judicium Sedis Apostolicæ deferri solitis, ac turbis Laicorum libertatem eligentium ut plurimum opprimentibus. In Germania vero Capitula retinuerunt jus eligendi Episcopos. Sunt et Reges, quibus jus nominandi Episcopos competit.

ARTICULUS III.

Episcopus quoad ea quæ concernunt ejus residentiam, translationem, et renunciationem.

(1. Episcopi, etiamsi Cardinales, tenentur de Jure Divino residere in suis Episcopatibus. Colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 23, *de Refor.*, c. 1, et tenent expresse Barbosa, *de Offic. et potest. Episcop.*, part. 3, alleg. 53, num. 2, ubi plusquam triginta Auctores adducit, Pignatell., tom. 4, consult. 17, num. 2, ubi plusquam quadraginta Doctores pro hac sententia adducit, et ex Turriano refert Romæ in quadam Congregatione habita omnes convenisse, residentiam esse de Jure Divino; Fagnan., lib. 1. *Decretal.*, in c. *Bonæ memoriæ* 3, *de Postulat. Prælat.*, n. 27, et lib. 3. *Decretal.*, in c. *Ex par.* 3, *de Clericis non residentibus*, num. 28 et sequentibus, ubi solide, et late id probat. (2. Nec obstat, quod Papa super tali residentia aliquando dispenset, quod judicet residentiam personalem non esse de jure Divino, cum super ipso Ecclesia nequeat dispensare, ex cap. *Sunt quidem* 25, qu. 1, cap. *Sicut*, cum ibi notat. dist. 15. D. Thom., in 1, 2, qu. 97, art. 4, ad. 3. Non obstat, inquam, quia ut Richardo de Mediavilla, in 4, sentent. dist. 28, q. 9, art. 1, et Cardin., in cap. *Cum ad Monasterium*, § *Abbas*, num. 16, *de Statu monachor.*, dispensatio potest capi dupliciter, primo modo pro Juris relaxatione, et secundo modo pro juris declaratione, et hoc secundo modo Papa dispensare potest super Jure Divino, videlicet illud declarando, et interpretando, ut factum fuisse constat ex cap. *In omni* 4, et cap. *Licet* 23, *de Testibus et attestationibus*, et notat Glossa unic. d. *Sunt quidam*, ubi expresse dicit, Papam dispensare in Evangelio interpretando ipsum. Papa igitur licet proprie et rigorose sumpta dispensatione pro Juris relaxatione non dispenset cum Episcopo super residentia, dispensat tamen dispensatione sumpta pro Juris declaratione, interpretando, et declarando Jus Divinum eo casu propter aliquam circumstantiam non obligare. Et sic respondent Covarr., *Variar. resolut.*, lib. 3, c. 13, num. 9, verb. *Fateor enim*, Sotus, *de Justit. et jur.*, lib. 10, q. 3, art. 1. Vasquez, in opusc. mor. in tract., *de Benefic.*, c. 4, § 2, dub. 1, num. 122, in fin. S. Thom., quodl. 6, art. 1. Fagnan., in cit. cap. *Ex parte*, n. 57, et sequent., et alii plures.

(3. Episcopus ob aliquas causas excusatur a vinculo necessariæ continuitatis residendi in Diœcesi; et tales causæ sunt Christiana Charitas, urgens necessitas, debita Obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas; Concil. Trident., sess. 23, *de Reformat.*, cap. 1. (4. Christiana Charitas intelligitur, quando urget proximorum utilitas, ut si aliqua Ecclesia versetur in magno periculo hæresis, et Episcopi prædicatione posset sucurri, vel ob pacem Magnatum componendam, dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra Ordinem Charitatis; Tolet., in *Instruct. Sacerdot.*, lib. 5, c. 4, num. 3. Marc. Anton. Genuens., in *Manual. Pastorum*, c. 31, n. 3. Barbosa, loc. cit., n. 6, et alii passim. (5. Urgens necessitas intelligitur, quando Episcopus residendo grave malum vitæ incurreret, vel propter morbum, curabilem tamen, et temporaneum, vel propter aeris intemperiem ad aliquod tempus, vel propter aliquam personalem persecutionem, vel ob inimicitias, aut ob Principis et populi furorem declinandum, dummodo tamen ex tali absentia Ecclesia sua nullum patiatur detrimentum spirituale, quia v. g. Tyrannus, vel Hæreticus studet nocere ovibus in spiritualibus: tunc debet potius mori, quam deserere gregem, quia bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, *Joan.* 10. S. Thom., 2, 2, qu. 185, art. 5. Toletus, d. c. 4, n. 3, vers. 3. Genuens., d. c. 31, n. 3. Caran., tract., *de Residentia Episcoporum*, cap. 12, vers. 2. Barbosa, loc. cit., num. 7. Munus enim Episcopale adeo stricte obligat, ut minus æstimare debeat bonus Pastor detrimentum propriæ vitæ, quam detrimentum in spiritualibus suarum ovium, quarum curam suscipit, ut egerunt S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis, et alii plures. (6. Debita Obedientia intelligitur, quando Papa propter aliquod negotium ad se vocat Episcopum. Sic Cardinales Romano Pontifici assistentes justam habent causam, ut absint ab Ecclesiis, quarum sunt Episcopi; Azorius, *Institut. moral.*, part. 2, l. 7, c. 4, q. 4 et 7. Barbosa, loc. cit., num. 13, cum pluribus ibi citatis.

(7. Evidens Ecclesiæ utilitas intelligitur, quando Episcopus abest ad defendenda jura suæ Ecclesiæ, vel vocatus accedit ad Concilium Generale, vel Provinciale, quamdiu scilicet durat Concilium; *Communis.* (8. Evidens Reipublicæ utilitas intelligitur, quando Episcopus abest pro utilitate suæ Civitatis, aut totius Regni, ut cum mittitur Legatus ad Pontificem, aut ad Reges pro tractandis negotiis Fidei, aut pro Pace componenda, ubi non facile invenitur alius, quam Episcopus, ita dextere ea negotia tra-

Digitized by Google

ctaturus; *Communis.* (9. Episcopus, evidenti Reipublicæ exigente utilitate, potest etiam esse Legatus, sive Orator Principis sæcularis, ut habetur in cap. *Cum parati, de Appellationibus*, et tenet expresse Glossa, ib. verb., *in Legatione*, arg., cap. *Si Episcopus* 13, dist. 18, et cap. *Salonitanæ* 24, dict. 63, et cum pluribus aliis Barbosa, loc. cit., num. 16. (10. Episcopus solum de licentia Summi Pontificis potest eximi a residentia sui Episcopatus, ut in Curia Regum fungatur munere et officio Regii Præsidis, Consiliarii, Proregis, Confessarii, et hujusmodi, si ea sit hominum penuria, ut alii satis idonei minime reperiantur, qui talia officia præstare possint; Azorius, *Instit. moral.*, part. 2, lib. 7, cap. 4, q. 6. Diana, part. 2, tract. 1, resolut. 5, in fine, et cum aliis Barbosa, loc. cit., num. 17. Unde ab Episcopis sunt attente consideranda verba undequaque Eminentissimi Cardinalis a Turrecremata in cap. *Si vobis* 23, qu. ultima, ibi: (11. « Turpe est, ut Episcopi se inferant ad servitia Imperatoris, vel alterius Principis sæcularis, ut deferant causam subditorum, et officia devotionis. Hoc non facerent, si mortem spiritualem timerent, et intelligerent se reddituros rationem de ovibus suis Deo summo Judici. Utinam etiam de Curia Romana hoc in parte observaretur, in quo plures Episcopi conveniunt, non devotionis gratia, sed ambitionis spiritu propulsati, ut altiora quærant, aut beneficia addant Beneficiis, aut honores honoribus, utque officia, et Legationes quærant, quæ Curæ animarum sibi commissarum afferunt plurimum impedimenti. Utinam Summi Pontifices considerarent quanta negligentia circa animas committitur ex absentia Prælatorum ab Ecclesiis suis! »

(12. Decretum factum pro Parochorum residentia quod teneantur ministrare, etiam tempore pestis et cum periculo vitæ, Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, et editum a Sacra Congregatione Concilii, 23 Septembris 1576, multo magis debet procedere in Episcopis ob majorem eorum obligationem, qui tamen poterunt in locis tutioribus manere, et inde providere. Sic declaravit Greg. XIII, die 18 ejusdem anni 1576, teste Fagnano, lib. 3, decret. in cap. *Clericos* 17, *de Clericis non residentibus*, num. 46 et 47. (13. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem, Sacra Congregat. Episcopor. in Neapolitana, 24 Martii 1597, et in Nicoteren., 7 Septemb. 1619, etiam tempore Contagii; ead. Sac. Congreg., in Murana, 23 Julii 1602. (14. Potest Episcopus residere in qualibet parte Diœcesis, modo vadat ad Cathedralem temporibus præscriptis a Sacro Conc. Trid., sess. 23, cap. 1. Sacr. Congreg. Episcoporum 17 Decemb. 1649. Episcopus propter aeris intemperiem residens in aliqua parte suæ Diœcesis, non tamen removere debet Vicarium, et Tribunal a Civitate, ut declaravit Sacr. Congr. Episcopor. 28 Januarii 1603, die 3 Octobris 1611, die 22 Februarii 1647, et die 17 Decembris 1649. Pignatell., consult. 64, tom. 7. (15. Episcopus ex causa mali aeris, cui subjacet Civitas Episcopalis, non potest in aliqua anni parte degere extra Diœcesim ultra trimestre, maxime cum intra fines Diœcesis adsunt loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo. Nec ei suffragatur prætensa consuetudo degendi extra residentiam; unde a Metropolitano cogi potest ad residentiam, juxta dispositionem Sacri Concil. Trident., ut declaravit Sacr. Congregat., Concil., sub die 18 Sept. 1683, in qua propositis dubiis.

« I. An Episcopus ex causa mali aeris, cui subjacet Civitas Episcopalis, possit in aliqua anni parte degere extra Diœcesim ultra trimestre, licet intra fines Diœcesis adsint loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo? Et quatenus negative?

« II. An Episcopo suffragetur prætensa consuetudo, ut supra, degendi extra residentiam? Et quatenus negative?

« III. An, et quibus mediis possit a Metropolitano cogi ad residendum?

« Sacra Congregatio respondit : Ad primum, et secundum *negative*. Ad tertium *servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini.* »

(16. Super residentia Episcoporum edita est die 12 Decemb. 1634. ab Urbano VIII. Constitutio incipiens : *Sancta Synodus*, in qua multa scitu digna statuuntur et hic, prout sunt a Fagnano in cap. *Qualiter* 9, *de Clericis non residentibus* a num. 11 ad 27, summarie transcripta, traduntur. (17. Primo igitur Sanctitas sua innovat decreta Conc. Trident. Constitutiones Apostolicas, et decreta Consistorialia super residentia Episcoporum. Multæ enim Constitut. super hoc ante prodierunt, ut Pii IV, et Pii V. Item multa decreta Consistorialia, et in specie Gregorius XIII declaravit decreta Concilii, et pœnas ejusdem habere locum etiam in S. R. E. Cardinalibus; et Clemens VIII. suo decreto Consistoriali addidit pœnam inhabilitatis Episcoporum non residentium ad majores Dignitates, et ecclesias obtinendas. (18. Secundo jubet jam Præfectos Cathedralibus, et majoribus Ecclesiis etiam S. R. E. Cardinales se itineri committere, et ad residentiam conferre infra unum mensem, si in Urbe existant, infra duos, si extra Urbem in Italia, si extra Italiam, infra quatuor computandos a die publicationis Bullæ. Nondum autem Præfectos, infra terminos superius expressos computandos a die eorum promotionis. Indeque nec supradictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per breve, vel literas missivas sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, amissionis fructuum, et facultatum testandi ipso jure incurrenda, necnon privationis a regimine, et administratione Ecclesiarum, aliisque pœnis arbitrio Sanctitatis suæ infligendis. (19. Quoad pœnas, Pius IV, in Constitutione, quæ incipit, *In suprema*, edita post Concilii publicationem similiter præcipit Episcopis, ut in suis Ecclesiis personaliter resideant sub pœna privationis a regimine, et administratione Ecclesiarum suarum, ac aliis suo arbitrio imponendis pœnis, et bona decedentium extra residentiam decernit tam-

Digitized by Google

quam spolia ad Cameram Apostolicam pertinere, etiamsi facultatem specialem de illis testandi obtinuerint; et pœnam Interdicti ab ingressu Ecclesiæ imponit in alia ejus Constitutione edita ante publicationem Concilii, quæ incipit: *De salute gregis.*

(20. Tertio declarat contrafacientes non excusari a pœnis prætextu servitii Imperatoris, aliorumque Principum, aut Regnorum, defensionis litium, etiam Ecclesiarum, ineundi fœderis, aut alterius negotii, etiam gravissimi, speciali nota digni, distantiæ locorum, brevitatis temporis exspectandi licentiam ab Urbe, vel alterius causæ, etiam publicæ, ac piæ utilitatis, vel necessitatis Ecclesiarum, vel personarum. (21. Quarto excipit causam interessentiæ in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, quibus Ecclesiastici interesse solent ratione muneris, aut Reipublicæ officii Ecclesiis adjuncti, quandiu tamen actu duraverint. Hanc ipsam causam excepit Tridentinum Concilium in cit. cap. 1, sess. 23, ibi: « Nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, cujus, quoniam causæ sunt notoriæ, et interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit. » (22. Quinto declarat, S. R. E. Cardinales priores in Ordine habentes Episcopatus prope Urbem, etiamsi in illis, vel in Urbe in suis titulis residerent, non excusari a residentia in Cathedralibus, et majoribus Ecclesiis, quibus Præfecti sunt, nec ex eo quod Papa eos videat, aut toleret, et ad functiones etiam Pontificales, et solemnes admittat. (23. Sexto præcipit Auditori Cameræ, ut summarie procedat adversus non residentes usque ad sententiam diffinitivam exclusive, quam sibi reservavit in Consistorio. Hoc ipsum ordinavit Pius IV. Constitutione incipiente: *Cum tam Sacrosanctum.*

(24. Septimo indulget, ut existentes ultra montes abesse possint ex causa Visitationis Liminum per septem menses, et citra montes per quatuor, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant. (25. Octavo indulget Cardinalibus, Præfectis Cathedralibus, et aliis majoribus Ecclesiis, ut ex causa vacationis Sedis Apostolicæ possint non solum ad locum Conclavis accedere, dummodo a Diœcesibus non discedant, nisi habita certa notitia mortis Pontificis, sed etiam in Urbe commorari usque ad peractam electionem, et per duos menses post Coronationem Pontificis, quo tamen tempore elapso, nisi præfati Cardinales illico, ut præfertur, ad Ecclesias præfatas, quibus præsidere eos contigerit, se contulerint, vult Pontifex quod subjaceant pœnis prædictis. (26. Nono declarat eos qui pluribus Ecclesiis præsunt, excusari quidem a pœnis dummodo resideant in earum altera, in qua tenentur de jure. Non tamen propterea excusari Cardinales habentes aliquem ex sex Episcopatibus prope Urbem, quin teneantur residere in aliis, quibus Præfecti sunt. (27. Ultimo statuit, ut nemo possit prædictam Constitutionem interpretari, aut declarare, præter Romanum Pontificem, et adjicit clausulas generales in formales amplissima.

(28. Episcopus æqua ex causa potest abesse a sua Ecclesia, et Diœcesi singulis annis per duos, vel tres menses, sive continue, sive interrupte, absque alia Superioris approbatione, dummodo tamen id non fiat temporibus Adventus, et Quadragesimæ, Nativitatis, et Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus; Concilium Tridentinum sess. 23, *de Reformat.* cap. 1, § *Quoniam*, et Communis Doctorum. (29. Episcopus abesse potest a sua Ecclesia, et Diœcesi per tres menses, etiam causa animum relaxandi; Barbosa *Collectan. in Concil. Trident.* dict. sess. 23, cap. 1, num. 16. Azorius, Sanctarell. ibi citati, et alii passim. (30. Nec trimestre spatium, quo Episcopis æqua ex causa singulis annis a suis Ecclesiis abesse licet, ex decreto Concilii Tridentini dict. c. 1, sess. 23, fuit sublatum ab Urbano VIII. in cit. Constitutione incipient. *Sancta Synodus*, ut Sacra Congregatio Concilii in hæc verba respondit: Die 3. Februarii 1635. requirentibus nonnullis Episcopis, Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, habito prius verbo cum Sanctissimo Domino nostro, respondit, per Constitutionem super Episcoporum, etiam S. R. E. Cardinalium residentia ab eodem S. D. N. nuper editam non fuisse sublatam facultatem ab eodem Sacro Concilio cap. 1, sess. 23, *de Ref.* concessam æqua ex causa abessendi aliquantisper a residentia, dummodo absentiæ spatium duos, vel ad summum tres menses non excedat. (31. Episcopi temporibus a Conc. Trid. præscriptis; scilicet Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, tenentur quidem apud suam Cathedralem Ecclesiam residere, ita ut aliter suæ obligationi non satisfaciant, nisi munia Episcopalia in sua Diœcesi eos alio vocent. Cæterum non incidunt in pœnas a Sancta Synodo c. 1, sess. 6, et cap. 1, sess. 23, *de Reformat.* Episcopis non residentibus inflictas. Sic decrevisse Sacr. Congr. Concil. refert Fagn. l. 3, decr. in c. *Qualiter* 9, *de Clericis non residentibus* n. 39. Non licere tamen ipsis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa, statuit novissime Bened. XIV. Const. incip. *Ubi primum.*

(32. Episcopus, dum residet, non potest citari ad comparendum in Curia, nisi de Papæ commissione. Pius IV. Constitut. incipient. *De salute Gregis.* Episcopus residens in sua Diœcesi liber est a residentia suarum Dignitatum, et beneficiorum simplicium, quæ obtinet in alia Diœcesi, nec aliud amittit, nisi quotidianas distributiones, et alia, si quæ sunt quæ absentes justa de causa non percipiunt. Sic decrevisse Sacr. Congreg. Concilii refert Armend. in addit. ad recap. Legum, Navarr. lib. 2, tit. 23, l. 2, sub Rubr. *Utrum Episcopi possint se absentare a suis Episcopatibus* num. 4, et ex ipso Barbosa *Collectan. Apostol car.* decis

Digitized by Google

verb. *Episcopus circa residentiam* num. 8. (34. Episcopus absens non gaudet beneficio alternativæ, etiam quando abest ex causa a Concilio approbata. Sic decrevisse Sacram Congregat. Concilii referunt Nicol. Garcias in addit, ad suum tract. *de Benefic.* part. 5, cap. 1, num. 463. Massobr. in sua *Praxi habendi concursum* prælud. 23, dub. 3, et ex ipsis. Barbosa loc. cit. num. 9. (35. Episcopus absens a sua Diœcesi ultra tempus a jure statutum, qui commonitus non redit ad residentiam, videtur habere Ecclesiam pro derelicta, et potest ea spoliari per Papam sine citatione, et sententia; cap. *Qualiter* 9, *de Clericis non residentibus*, ubi Papa Innocent. III, dedit licentiam Canonicis Ragusinis eligendi alium Archiepiscopum, absque eo quod præcesserit formalis citatio, vel sententia privationis, ut bene observat, et tenet abbas ibid. in tertio notabil. Fagnanus ibid. n. 4, et 6. (36. Conditio personæ excusat interdum Episcopum a personali residentia, ut cum Episcopus est talis conditionis, ut melius, aut saltem æque bene per ipsum absentem regatur Ecclesia, quam regeretur per alium Episcopum præsentem; S. Thom. quodlibet 9, art. 15, ibi : « Ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequii, et possit plus servire Ecclesiæ vel tantumdem absens, quam alius præsens, et si quæ adsunt hujusmodi. » Et sic videmus in Germania cum sublimibus personis non raro dispensari super retentione plurium Episcopatum, non quidem principaliter, ut ex illorum fructibus se alere possint, sed ut Catholicam Religionem, expulsis hæresibus, consilio, opibus, auctoritate, et potentia sartam tectam tueantur, ut observat Fagnanus lib. 1. decret. in cap. *Dudum* 22. *de Election.* num. 29. dicens, Principem Electorem Coloniensem suis temporibus obtinuisse simul Archiepiscopatum Coloniæ, et Episcopatum Leodiensem, Monasteriensem, Paderbonensem, et Hildesheimensem, et de facto de anni 1737. Clemens Augustus Frater Ducis Bavariæ erat Archiepiscopus, et Elector Coloniæ, et simul obtinebat Episcopatum Monasteriensem, et Paderbonensem, et Osnabrugensem, et hac ratione sex Episcopi Cardinales prope Urbem habent Romæ residentiam, ut docet praxis et observat Fagnanus lib. 1. in cap. *Bonæ memoriæ* 3. *de postul. Prælator.* num. 38. in c. *Ex parte* 8. *de Clericis non residentibus* num. 86.

(37. Episcopus nequit jungere trimestrem absentiam unius anni cum trimestri absentia anni sequentis v. g. nequit licite abesse a sua Ecclesia per menses Octobris, Novembris, et Decembris anni 1737 et continuare absentiam per menses Januarii, Februarii, et Martii 1738. Et ratio est, quia talis semestris absentia complectitur illius temporis spatium Dominici Adventus, et Quadragesimæ, quo nedum Episcopo non licet abesse a sua Diœcesi, sed ne quidem a sua Cathedrali, ut in Concil. Trident. dict. sect. 23. c. 1. vers. *Eosdem interim admonet.* Tum quia in eo, qui abest sex mensibus continuis, non verificatur illud verbum *Aliquantisper*, quo utitur Concilium d. cap. 1. dum ait : « Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, » Cum Concilium illud restringat ad duos, vel ad summum tres menses, et absentia Episcopi per sex continuos menses, ab eodem Concilio non reputetur brevis, ut patet sess. 6. c. 1. ibi : « Si quis sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso jure incurrat. » Sic Sacra Congregatio super residentia Episcoporum habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi die 17 Julii 1657. (38. Episcopus, qui Beatorum apostolorum Limina visitavit v. g. in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde nec Visitationis titulo per octo continuos menses a sua Ecclesia abesse. Sic eadem Sacra Congregatio. (39. Episcopo, qui antea per multum temporis v. g. per decem continuos annos in sua Ecclesia resedit, et vel ab ipsa vacatione per S. Concilium ex rationabili causa singulis annis permissa semper se abstinuit, nequit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, si non adsit ulla causa ex approbatis ab eodem Sacro Concilio Trident. Sic eadem Sacr. Congreg. Quam Congregationis sententiam S. D. N. ad se relatam in omnibus approbavit teste Fagnano lib. 3. *Decretal.* in cap. *Qualiter* 9. *de Cleric. non resident.* a n. 40. ad 48.

(40. Translatio Episcopi de una in aliam Ecclesiam sola auctoritate Papæ fieri potest; sic expresse habetur in cap. *Sicut alterius* 39. caus. 7. quæst. 1. cap. *Cum ex illo* 1. cap. *Inter corporalia* 2. et cap. *Licet in tantum* 4. *de Translatione Episcopi.* (41. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua Ecclesia ad aliam, carere debet utraque; cap. *Si quis Episcopus* 31. caus. 7 quæst. 1. cap. *Quanto* 3. *de Translatione Episcopi.* (42. Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus, sive solummodo electus, et confirmatus; cap. *Inter corporalia* 2. et cap. *Licet in tantum* 4. *de Translatione Episcopi.* (43. Metropolitanus, aut Patriarcha, si Episcopum sine mandato Papæ tranferret, a confirmatione Episcoporum esset suspensus, textu expresso in cap. *Cum ex illo* 1, *de Translatione Episcopi.* (44. Causæ justæ transferendi Episcopum generatim sunt duæ: scilicet necessitas, et utilitas Ecclesiæ; cap. *Mutationes* 34, caus. 7, qu. 1, ibi : « Mutationes Episcoporum, scitote, communi utilitate, atque necessitate fieri licere, » cap. *Scias frater* 35, caus. et quæst. eadem, ibi : « Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis, fieri posse, quoties communis utilitas, vel necessitas persuaserit; » cap. *Quanto de Translatione Episcopia*, ibi : « Ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata. » (45. Hinc translatio facta in favorem solius translati, et maxime propter ejus ambitionem, aut avaritiam improbatur expresse a Sacris Canonibus, cit. c. *Mutationes* 34, caus. 7, q. 1,

Digitized by Google

ibi : « Sed non propria cujusquam (voluntate, aut dominatione... non ambitu, nec propria voluntate ; cit. cap. *Scias frater*, ibi : « Non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ. » Cap. *Episcopus* 37, caus. 7, quæst. 1, ibi : « Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat. » (46. Episcopus enim transiens ad aliam Ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere, cap. *Sicut vir* 11, et cap. *Sicut alterius* 39, caus. 7, quæst. 1, et expresse Fagnan. in cit. cap. *Quanto* 3. *de Translatione Episcop.* num. 94 et 109.

(47. Translatio Episcopi regulariter fit a minore ad majorem Ecclesiam ; c. *Cum ex illo* 1, *de Translatione Episcop.* ubi Innocent. III, sic scribit Patriarchæ Antiocheno : « Miramur quod... novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, et magnum quodammodo minorasti episcopare Archiepiscopum, immo potius de archiepiscopare præsumens ; » et arg. cap. *Legimus dist.* 93, ibi : « Qui provehitur, de minore ad majus provehitur ; » etc. Licet in tantum 4, *de Translatione Episc.* ibi : « Quod si ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret assumere, » et ibi Glossa 2, et Brutius, Imola, et Fagn. in cit. c. *Cum ex illo* num. 9, nam gradatim conferuntur honores, l. *Ut gradatim*, ff. *de Muner. et honor.* (48. Dictum fuit notanter *regulariter*, quia ob causas peculiares potest interdum fieri translatio Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam Episcopalem, quamvis hæc non sit major altera, immo ab Ecclesia Archiepiscopali ad Episcopalem, et aliquando ob gravem causam ad subveniendum necessariæ sustentationi, etiam ab Ecclesia Episcopali fit translatio ad Parochialem, ut in c. *Pastoralis* 42, caus. 7, quæst. 1, et c. *Ad supplicationes* 9. *de Renunciation.* ubi Archiepiscopus, qui absque mortis periculo in sua Ecclesia morari non poterat, ex concessione Papæ ita descendisse legitur. (49. Archiepiscopo enim, qui ex justa causa cessit Archiepiscopatui, licite de Episcopatu vacante provideri potest, et sic fuisse judicatum per Clementem IV, refert Hostiensis in cit. c. *Cum ex illo* num. 6, et ibidem Fagnan. num. 20, quando Nelfrancus Archiepiscopus Salisburgensis cessit, et Dux Poloniæ ad eamdem Ecclesiam promotus extitit, et prædicto Archiepiscopo de Episcopatu Jesionensis Ecclesiæ etiam eidem Salisburgensi subjectæ provisum fuit. (50. Secus autem si cessio facta fuerit in fraudem ad obtinendum Episcopatum Archiepiscopatu, seu priori Episcopatu locupletiorem, quod est evitandum ; arg. c. *Quanto* 3, *de Translatione Episcopor.*, ibi : « Cum secundum traditiones Canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, a Cathedra repelli debet aliena, et carere propria, ut nec illis præsideat, quas per superbiam sprevit, nec illis, quas per avaritiam concupivit, » et concordat c. *Si quis Episcopus* 31, et c. *Si quis de Ordin.* 32, caus. 7, quæst. 1. Fagnanus cum multis aliis loc. cit. num. 22.

(51. Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus non potest transferri invitus ad alium Episcopatum. Sic Hostiensis in c. final. *de Postulat. Prælatorum* num. 1, vers. *Et hoc intelligat*, Joan. Andr. ibid. n. 2, vers. *Quod intelligit, de voluntarie consecrato*, Abbas ibid. num. 11, vers. *Et hoc verum*, Fagnan. in c. *Quanto* 3, *de Translation. Episc.* n. 12, et alii passim. (52. Et ratio est, quia nemo ab initio cogitur Episcopari, seu nemo potest invitus in Episcopum consecrari ; c. *Innotuit* 20, et c. *Cum inter Canonicos* 21, *de Election.* Unde satis est, quod episcopus confirmatus, et nondum consecratus, dum transferri recusat, omnino cedat, Dignitati, allegando se nolle umquam consecrari in Episcopum, ut in c. *Quoniam* 3, dist. 75, c. *Quoniam* 1, dist. 100, et c. *Inter corporalia* 2, § *Sed neque, de Translation. Episcop.* et concilio Trident. sess. 23, c. 2, *de Reformat.* ubi statuitur, quod Episcopus confirmatus ipso jure sit privatus sua Ecclesia, si intra sex menses munus consecrationis recipere neglexerit, quod satis indicat esse in sua libertate velle consecrari, vel non. Et idem docet S. Thomas in 4, dist. 25, quæst. 2, art. 1, ubi dicit, ad Episcopatum, ubi in corpus Christi mysticum accipitur potestas, requiri actum suscipientis curam Pastoralem. (53. Tum quia character Sacramentalis non imprimitur præcise coacto, c. *Majores* 3. *de Baptismo* § *fin.* ibi : « Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem. »

(54. Episcopus consecratus ex rationabili, et justa causa potest a Papa transferri invitus de una in aliam Ecclesiam, cap. *Scias frater* 35, caus. 7, q. 1, ubi Papa Pelagius sic scribit Benigno Archiepiscopo : « Scias, frater dilectissime, aliud causam necessitatis et utilitatis, aliud præsumptionis, ac propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ migrat de Civitate ad Civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis mutatur : nam plurimorum utilitas unius utilitati, vel voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, et aliud mutari ; nam aliud est sponte transire, aliud est coacte, aut necessitate venire ; unde non isti mutant Civitatem, sed mutantur, quia non sponte sed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel utilitatis fieri posse, quoties communis necessitas aut utilitas persuaserit. » Et sic expresse tenet Glossa in c. *Omnis qui gemebat* 7. qu. 1 verb. *Coacte*, ubi dicit, Papam posse absolute Episcopum cogere, ut transeat de una ad aliam Ecclesiam ; arg. c. *Per principalem* 9. quæst. 3. Idem tenet Ugo, et post eum Turrecremat. in c. *Scias frater*, vers. *Surgit hic quæstio*, ubi formaliter dicit, Papam ex toto vel simpliciter absolute posse cogere Episcopum, ut ad alium locum transeat, et abrenunciet primo. Calderin. *Concil.* 56. circa finem n. 4. vers. *Fateor* quod est

Digitized by Google

primum in tit. *de Translat. Prælator.* Baldus in l. *Rescripta* num. 8. C. *De precibus imperat. offerend.* vers. *Item omnia beneficia,* Abbas in c. ult. *de Postul. Prælat.* n. 13. et ibi Hostiensis n. 1. Joan. Andr. n. 2. Rhedoan *de Simonia* p. 2. c. 12. n. 6. Alexander cons. 74. n. 20. lib. 4. Decius cons. 124. Cephal. cons. 235. n. 2. Alciat. *Præsumpt.* regul. 3 præsumpt. 8. num. 3. Barbat. in tract. *de Præstant. Card.* in p. 1. sub n. 14. vers. *Et ideo.* Cined. *Canonicus* q. 2. sub n. 3. vers. *Et respectu Papæ,* et est communis opinio, prout testantur, et tenent Præpositus in cit. cap. *Omnis qui gemebat* n. 1. Roman. concil. 345. num. 3. et seq. Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* c. 19. n. 34. Flamin. Paris. *de Resignat. benefic.* lib. 3. q. 17. n. 14.

(55. Et ratio est quia licet ab initio nemo possit cogi invitus Episcopari, seu consecrari in Episcopum, ut dictum est supra sub num. 51 ex c. *Innotuit* 20. et c. *Cum inter Canonicos* 21. *de Elect.* tamen ex quo semel consensit, potest per Papam de una ad aliam Ecclesiam etiam invitus transferri; c. *Scias frater* 35. caus. 7. q. 1. Una enim est Ecclesia universalis per totum orbem terrarum diffusa; c. *Loquitur* 18. caus. 24. q. 1. adeoque qui semel consensit in hac Ecclesia universali Episcopari, non potest amplius resistere Papæ ipsum transferenti ex rationabili, et justa causa de una Ecclesia particulari ad aliam, siquidem hic solummodo mutatur locus, non autem dignitas Episcopalis respectu Ecclesiæ universalis; cit. c, *Scias frater,* ibi : « Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiæ causa, aut Dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ migrat de Civitate in Civitatem, sed causa necessitatis, et utilitatis mutatur. » (56. Vide totum Canonem supra num. 54. Tum quia quantum ad hoc Episcopus comparatur Monacho, qui Superiori transferenti non potest resistere, cum velle aut nolle non habeat; cap. *Nolo,* etc. *Non dicatis* 12. qu. 1. c. *Religiosus, de testamentis* in 6. et imputandum est illi, quod a principio consenserit se ita indissolubiliter alligari; arg. l. C. *de Action. et obligat.* (57. Tum etiam quia Papa in Beneficialibus habet plenariam potestatem disponendi; cap. *Licet* 2. *de Præbend.* in 6. et Clement. 1. § fin. *Ut lite pendente,* ubi dicitur quod ad Romanum Pontificem omnium Ecclesiarum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum « plena, et libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere, » adeoque etiam de plenitudine potestatis potest Episcopum invitum ex rationabili, et justa causa transferre de una ad aliam Ecclesiam, alioquin ipsi quo ad hos non competeret plena, et libera dispositio.

(58. Non pauci tamen magni nominis Doctores tenent, quod Episcopus nolens consentire translationi per Papam factæ, possit quidem auctoritate Papali a vinculo prioris Ecclesiæ absolvi, idque tum in pœnam suæ obstinationis, et inobedientiæ, arg. c. *Placuit* dist. 74. tum ob causam communis utilitatis, vel necessitatis. Non tamen possit omnino invitus, et coactus alteri alligari, seu ad aliam transferri. Ita expresse Glossa in c. *Episcopus* de loco 7. q. 1. Joan. Andr. in c. *Quod ob gratiam* num. 1. in fin. *de Regul. Juris* in 6. dicens quod Papa possit transferre Episcopum invitum, saltem, ut careat prima Ecclesia. Sannig. lib. 1. *Decretal.* c. 3. num. 2. asserens quod, si translatus nollet consentire, nullum sequeretur conjugium spirituale inter ipsum, et novam Ecclesiam; sic etiam Reiffenstuel ibid. num. 30. et 32. et late Fagn. in c. *Quanto* 3. *de Translatione Episcopi* num. 101. et seq. (59. Et ratio sua est, quia Episcopus translatus contrahit novum spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur; arg. cap. *Sicut vir* 11. et c. *Sicut alterius* 39. caus. 7. q. 1. c. *Inter corporalia* 2. et c. *Licet in tantum* 4. *de Translatione Episcopi.* Ad validitatem autem spiritualis conjugii, sicut et carnalis, necessarius est consensus contrahentium, c. *Cum inter Canonicos* 21. *de Elect.* ibi : « Ut per mutuum consensum eligentium, et electi, quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum; c. *Locum,* c. *Cum apud,* et c. *Tuæ, de Sponsalibus,* l. *Nuptias,* ff. *de Regul. Juris,* » adeoque talis consensus etiam requiritur ex parte Episcopi translati, et consequenter omnino invitus nequit transferri ad aliam Ecclesiam, ut inter ipsum, et Ecclesiam censeatur ortum vinculum conjugii spiritualis. (60. Quando Episcopus sciens, et volens transfertur, prior Sedes Episcopalis vacat illico a die factæ in Curia seu Consistorio Papæ translationis. *Communis,* ac certa cum Abbate Panorm. Consil. 101. num. 3. et 4. lib. 2. Rota part. 1. recent. decis. 475, num. 6. et sequent. ubi sub *num.* 16. ostendit opinionem illorum, qui dixerunt non inducí vacationem Episcopatus, nisi post adeptam possessionem secundi, esse erroneam veluti innixam auctoritati Glossæ in c. *Si quis jam translatus* 21. d. 2. quæ loquitur de translatione abusiva, Fagn. in cit. c. Quanto 3. *de Translat. Episcop.* num. 99. Barbosa in *Collectaneis* ad c. 1. n. 5 *de Translat. Episc.* et lib. 1. *Juris Eccles. univers.* c. 19. num. 37. ubi refert [illegible]em declarationem desuper emanatam [illegible]eo verba.

« Die 14. Decemb. 1624. (61. Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium negotiis Episcoporum præposita S. D. N. approbante, censuit Ecclesiam, a qua volens transfertur, seu quam admittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri Collegii, illico teneri eum abstineri exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum Sede vacante, et ita posse, et debere Capitulum statim ea jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Trident. Concilii præscriptum eligere, sedemque vacantem publicare. »

(62. Si transfertur Episcopus absens, et

Digitized by Google

ignorans, non vacat prior Ecclesia ante præstitum a translato consensum, nisi secus exprimatur a Papa. Ita abbas in cit. concil. 101. n. 4. lib. 2. Fagnan, in cit. c. *Quanto* num. 96. et sequent. citans alios, Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 7. num. 4. Et ratio est, quia, quando Papa transfert Episcopum absentem, et ignorantem de una ad aliam Ecclesiam, non aliter solet transferre (nisi secus exprimat) quam sub conditione, quod is consentiat, vel expresse, vel saltem tacite, acquiescendo videlicet translationi de se factæ? Ita Joan. Monachus in c. *Generali* num. 10. *de Electio.* in 6. asserens se hoc vidisse pluries in curia declarari. In ipsa enim beneficiorum Ecclesiasticorum collatione subintelligitur conditio illa : *Si provisus consenserit*, ut legitur in c. *Si tibi absenti* 17. *de Præbend.* in 6. (63. Episcopus translatus potest secum deferre fructus jam perceptos. Ita Rota decis. unic. *de translat. Episcop. in antiquis*, Card. Tuscus lit. *T.* conclus. 354. num. 10. Calderinus consil. 263. alias. 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* et alii passim; Redditus enim, seu fructus Beneficiorum dantur Clericis, ipsisque Episcopis ob ministerium, quod Ecclesiis exhibent in earum regimine, et cura, aliisque divinis obsequiis, c. *Cum secundum*, ibi de præbend. adeoque justum est, quod Episcopus translatus possit secum deferre tales fructus jam perceptos, et exactos. (64. Episcopus translatus potest etiam secum asportare bona sua immobilia acquisita in priori Ecclesia, seu ex ejus fructibus comparata, dummodo hæc nondum sint Ecclesiæ dedicata. Ita Cardin. Tuscus cit. conclus, 464. num. 10. Calderin. cit. consil. 264. alias 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* Reiffenstuel loc. cit. num. 48. Si enim episcopus translatus potest secum asportare fructus jam perceptos, poterit etiam secum deferre bona sua immobilia ex talibus fructibus comparata, quia res, quæ succedit in locum alterius, eodem jure censetur cum illa, c. *Ecclesia* 3. *Ut lite pendente*, junctis pluribus concordantiis, tum Canonicis, tum civilibus, ibidem verb. *Successerunt* a Glossa allegatis.

(65. Fructus pendentes, et inexacti non pertinent ad Episcopum translatum pro rata temporis, sed debent in utilitatem Ecclesiæ expendi, aut futuro successori asservari. Colligitur in c. *Cum vos* 4. *de offic. Ordinarii*, cap. *Præsenti* 9. eod. in 6. et tenet Glossa ibid. verb. *Reservari*, Petrus Barbosa in l. *Divortio* num. 56. ff. *Soluto Matrimonio*, citans Rotam decis. unic. *de Translatione Episcop. in antiquis*, Bartolum, Paulum Castrensem, et Calderinum consil. 2. *De pecul. Clericor.* qui asserit secundum Juris communis traditiones istud esse indubitatum; Navarr. consil. 7. num 7. *de Successionib. ab intestato* hanc appellans communem opinionem Rota in caus. Pharensi Pensionis 19 Junii 1573. relata per Garciam. part. 2. *de Beneficiis* cap. 1. n. 95, 108 et 109. hanc appellans communem opinionem, Hostiensis, Cardinal. Imola in cap. ultim. *de Pecul. Clericor.* Et ratio est, quia « fructus pendentes pars fundi esse videntur » ut loquitur textus in l. *Fructus pendentes*, ff. *de Rei vindicat.* unde donec fuerint collecti, seu a solo separati, una cum fundo spectant ad Ecclesiam, vel ad successorem in Beneficio ipso colligentem. l. *Si usufructuarius.* ff. *Quibus modis ususfructus amittit* et § *Is vero, Instit. de rerum* division. ubi sic legitur · « Is vero, ad quem ususfructus fundi pertinet, non aliter Dominus fructuum efficitur, quam si ipse eos perceperit. Et ideo si maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad hæredes ejus non pertinent, sed Domino proprietatis acquiruntur. » Accedit Constitutio Julii III. incipiens : *Cum sicut*, confirmata per Urbanum VIII. in sua Constit. incip. *Æternus rerum Conditor*, in qua expresse statuitur, quod fructus Beneficiorum tempore obitus, Beneficiorum, etiam Episcoporum, vel Cardinalium inexacti spectant ad successores in Beneficiis, ubi non debent Rev. Cameræ Apostolicæ persolvi, et consequenter Episcopus translatus, utpote quoad priorem Ecclesiam civiliter mortuus, c. *In apibus*, 41. cons. 7. quæst. 1. nequit eos prætendere, cum debeantur Successori. (66. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui tenent, quod fructus etiam pendentes, propter spiritualia ministeria Ecclesiæ exhibita, pertineant pro rata temporis ad Episcopum translatum. Sic Covarruvias lib. 1. *Variar. resol.* cap. 15. num. 12. Flamin. Paritius lib. 1. *de Resignat. Beneficior.* c. 6. num. 79. et 80. Nicolaus Garcias p. 2. *de Beneficiis* c. 1. n. 96. et seq. allegans alios, et Cardin de Luca *de Beneficiis* disc. 84. num. 4. et disc. 100. n. 10. Et quantum attinet ad dictam Constitutionem Julii III. incipient. *Cum sicut*, et allegatam pro opinione contraria, Navarr. con. sil. 4. num. 1. *de Successionibus ab intestato* arbitratur non esse ubique receptam in Galliis, nec etiam in Hispaniis; et concordat Nicolaus Garcias *de Beneficiis* p. 2. c, 1. n. 103. et 104. citans insuper Zec. *de Beneficiis et pensionibus* c. 13. n. 8. atque ulterius ostendens, ipsam in Provincia Mediolanensi nunquam usu fuisse receptam; unde quantum ad hoc, standum est locorum consuetudini.

(67. Renunciatio Episcopi non valet, nisi per Papam fuerit admissa, cap. *Inter corporalia* 2. et cap. *Licet in tantum* 4. *de Translation. Episc.* Fagnan. in capit. *Cum ex illo* 1. *de Translat. Episcop.* n. 11. et communis aliorum. (68. Causæ ob quas Episcopus potest renunciare Episcopatui, et Papa solet admittere renunciationem, sunt sex, quæ enumerantur in cap. *Nisi cum pridem* 10. *de Renuntiatione.* Prima est *conscientia criminis*, non quidem cujuslibet, sed illius dumtaxat, quod post actam pœnitentiam impedit executionem Officii. Secunda est *imbecillitas corporis*, per quam quis impotens redditur ad exequendum Officium Pastorale. Tertia *est defectus scientiæ* etiam competentis. Quarta est *malitia Plebis*, ob quam interdum cogitur Prælatus ab ipsius regimine declinare. Quinta est *grave scandalum*, quod aliter se-

Digitized by Google

dari non potest. Sexta est *irregularitas Personæ*. Et istæ sex causæ exprimuntur in duobus sequentibus vulgaribus versiculis allegatis in Summario cit. can. *Nisi cum pridem*.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala Plebs odit, dans scandala, cedere possit.

69. Renunciatio Episcopatus potest fieri dupliciter, scilicet renunciando loco tantum, et renunciando loco, et Dignitati simul, textu expresso in cap. *Requisivit* 1. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*. (70. Renunciatio Episcopatus renunciando loco tantum fit, quando Episcopus ob aeris intemperiem, vel ob persecutionem, et odium, sive male Plebis, sive Principis, Episcopatum in manus Papæ renunciat, dimittendo Diœcesim dumtaxat, titulum tamen Episcopalem, et auctoritatem retinendo. (71. Renunciatio autem Episcopatus renunciando loco, et Dignitati simul fit quando Episcopus ob zelum v. g. ingrediendæ Religionis, vel ut præveniat promeritam Depositionem, renunciat in manus Papæ nomen, et omne jus Episcopalis administrationis, atque Ordinis, executionem respectu cujuscumque loci, retinendo solum ea, quæ sunt Episcopalis Ordinis, seu Characteris. (72. Episcopus simpliciter renuncians Episcopatui censetur in dubio renunciasse loco tantum, non autem loco, et Dignitati simul, nisi propter criminis conscientiam, seu ex metu Depositionis ita renunciaverit. Ita Hostiensis in *Summa* tit. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit* §. *Sed quid si simpliciter*, Abbas, ibidem, n. 8. Reiffenstuel., ibid., num. 3. (73. Renunciatio non subtrahit Episcopo Ordinem, sed solum executionem Ordinis. Glossa, in cit, cap. *Requisivit* verb. *Executionem*, Hostiensis, ibid., numer. 3. Fagn., ibid., num. 4, et communis aliorum, arg. cit., cap. *Requisivit :* (74. Nequit enim Episcopus renunciare Characteri Episcopali, neque ab Ecclesia potest ipsi auferri, unde tamquam indelebilis remanet in Episcopo etiam excommunicato, hæretico, deposito, et degradato, cap. *Quod quidam* 1, *quæst* 1, verb. *Si forte militiæ*, c. *Ordinationes* 9, qu. 1, c. *Licite* 32, quæst. 7, c. *Ostenditur*, dist. 4, *de Consecrat.*, cum concordantiis. *Vid.* articul. antecedant., n. 35. (75. Unde Episcopus, qui renunciavit Ordini, seu dignitati, potest de licentia Papæ executionem reassumere sine nova consecratione, sic communis Doctorum teste Fagnano, in cit., cap. *Requisivit*, num. 6, ubi ex multis recte observat, quod idem sit renunciare Dignitati, et renunciare Ordini, cum renunciare Ordini sit renunciare executioni Ordinis, vel Dignitatis, ut communiter Doctores, in c. *Post translationem, de Renunciatione.*

(76. Episcopus, qui renunciavit Episcopatui, quoad locum tantum, potest conferre Ordines etiam majores, textu expresso, in cit., cap., *Requisivit* 1, *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*. (77. Dummodo tamen sit rogatus ab aliquo Episcopo, textu expresso in citat, cap. *Requisivit*, ibi : « Rogatus ab Episcopo aliquo poterit de ratione conferre. » (78. Aliter, si ordinaret sine proprii Episcopi licentia, ab eo ordinati essent suspensi, non quia sunt ordinati ab Episcopo post suam renunciationem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno sine proprii Episcopi licentia. Suarez, Disp. 31, *de Censuris*, sect. 1, num. 3 Pirhing., lib. 1. *Decretal.*, tit. 13, num. 3. Reiffenstuel, ibid., num. 5. (79. Episcopus qui renunciavit Episcopatui quoad locum, et Dignitatem simul, nequit licite Ordines Sacros conferre ; cit. c. *Requisivit*, et ibi Doctores communiter. (80. Si autem de facto ordinaret, quamvis illicite, valide tamen ordinaret ; cit. c. *Requisivit*, et ibi communis Doctorum. Et ratio est, quia Episcopus licet potuerit renunciare Episcopatui quoad locum et dignitatem simul, Characterem autem Ordinis Episcopalis indelebilem, sicque potestatem valide conferendi Ordines a se abdicare non potuit, cum Character animæ a Deo infixus, per ministerium hominis deleri, aut auferri non possit. c. *Quod quidem* 1, quæst. 1, c. *Ordinationes* 9, quæst. 1, arg. cit., c. *Requisivit*, et cap. *Quoda prædecessore nostro* 1, *de Schismaticis*, et ibi Glossa, et Doctores communiter, et patet ex dictis supra, num. 74, et art. antecedent., num. 35. (81. Ordinati tamen ab ipso remanent suspensi ab exercitio, et usu Ordinum receptorum, donec cum eisdem fuerit legitime dispensatum, cit. c. *Requisivit*, et communissima Doctorum sententia (1).

(82. Cum Ordinatis a tali Episcopo ignoranter ad Sacros ordines dispensat Episcopus suus, cum Ordinatis vero scienter ad Sacros Ordines Episcopus non dispensat, cit. cap. *Requisivit*, et ibi Fagnan., num. 1, testans hoc de communi. (83. Episcopus, qui renunciavit Episcopatui quoad locum, et Dignitatem simul, potest conferre Ordines Minores, nedum valide, sed etiam licite, si de consensu proprii Ordinandorum Episcopi id faciat ; textu expresso in cit. c. *Req.*, ibi : « Quia et hujusmodi Ordines a non Episcopis quandoque conferuntur. » (84. Si tamen sine consensu proprii Episcopi fuerint aliqui ab ipso ordinati, remanent suspensi ab executione susceptorum ordinum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, non

(1) Episcopi Sacræ Congregationi de Propaganda Fide subjecti munia Episcopalia extra districtus jurisdictionis sibi ab eadem Sacra Congregatione assignatos exercere nequeunt, etiamsi Ordinariorum licentia, et facultas accedat, sub pœna suspensionis Papæ reservata ; ex Decreto ejusdem Congreg. habitæ coram San. Mem. Innoc. PP. A. die 28 Martii 1651. Qui vero contra hujus Decreti formam Ordinibus fuerint initiati, suspensi declarantur a Sacr. Congr. Episcopor. et Regular. Decreto edito 23 April. 1655. Regest. 35. Ita Macri in Hierolex. verb. Episcopus. (NOTA EX EDITIONE ROMANA.)

Digitized by Google

quia sunt ordinati ab Episcopo post talem suam renunciationem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno; unde indigent dispensari a proprio Episcopo, c. *Eos qui* 2, *de temporibus Ordinationum*, in 6, in c. *Nullus alterius*, etc. *Nullus Episcoporum*, etc. Lugdun. 9, quæ 2 et Concil. Trident., sess. 23, c. 8 *de Reformat.*, ibi: « Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur..... Si secus fiat, Ordinans a Collatione Ordinum per annum, et Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus, » et sic novissime statuit Innocentius XII, in Constitutione incipien. *Speculatores Domus Israel*, et quod Ordinati ad Minores a tali Episcopo, debeant dispensari a proprio Diœcesano Episcopo colligunt ex ipsomet c. *Requisivit* 1, *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, Vincentius Goffredus, Tancredus, et Fagnanus qui exponunt literam ibi, *poterit*, id est *Dispensative*.

ADDITIONES AUCTORIS.

(85. Episcopi etiam Cardinales residere tenentur; Benedictus XIV, tom. 2, Constit. 36, incipien. *Cum a Nobis*.

(86. Episcopis non licet abesse ab Ecclesia per tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi, nisi forte Episcopalia munia in aliis Diœcesibus eos detineant; Idem Constit. 18, incipien. *Ad universæ*.

(87. Episcopi post suam promotionem transacto mense ad suam Diœcesim se conferre tenentur; Idem, ibidem.

(88. Episcopi ratione visitationis sacrorum Liminum, si præsint Ecclesiis citra montes, et citra mare positis, abesse possunt per quatuor menses. Si vero præsint Ecclesiis ultramarinis, et ultramontanis, abesse possunt per septem menses continuos; Idem, ibidem.

(89. Ubi insuper ad præcavendos abusus assignat quæ præcipiantur Episcopis postulantibus licentiam abessendi a propriis Ecclesiis causa insalubritatis aeris; et quæ petentibus dictam licentiam aliis de causis; et qua forma, et quibus cautelis concedi eis debeat talis licentia; mandans denique, quod Episcopi residentes denunciare teneantur alios Episcopos non residentes. Videatur dicta Constitut. incip. *Ad universæ*, merito legenda, et observanda.

(90. Hic juvat afferre, quæ tradit Bened. XIV, *de Synodo Diœcesana*, lib. 13, c. 8, a n. 7, ad 9, inclusive, circa moderationem adhibendam in concedenda plurium Episcopatuum in una persona coacervatione, inter quæ præstat delibare sequentia.

(91. Verum fel. record. Prædecessor noster Clemens Papa XII, cum sapienter animadvertisset, ex eo, quod uni eidemque personæ tot Episcopales Ecclesiæ permitterentur, eam ab Ecclesia Catholica, utilitatem, quæ sperabatur, minime percipi ex Pastoralis officii sui munere huic rei remedium aliquod censuit adhibendum. Itaque cum vidisset, plurium Episcopatuum consecutionem ex earum literarum concessione pendere, quibus eligibilitas indulgetur, cum scilicet hujusmodi Indultorum vigore, qui unicum habebat Episcopatum, et ad alium transire non poterat, nisi per ordinariam postulationis viam, faciliorem exinde semitam sibi aperiret ad aliam Ecclesiam assequendam; duo saluberrima Decreta edidit, quorum altero, tamquam regula, uteretur in posterum Congregatio Consistorialis, altero autem Brevium Secretaria. Hæc typis impressa, quantum scire potuimus, cum nondum fuerint, optimum esse ducimus hic ea inserere, ut perpetua eorum memoria servetur, et ut executioni opportune mandentur; cum ea plurimum conferre posse putemus, nisi ad tollendam pœnitus, ad saltem cohibendam in Germania immoderatam in una eademque persona Episcopatuum pluralitatem.

(92. Primum pro Congregatione consistoriali sic habet: Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XII, animadvertens, minime expedire, quod Episcopis in Germania, etiamsi sublimibus familiis orti sint, tam facile concedatur dispensatio ad effectum retinendi simul tres, vel quatuor ac etiam quinque Cathedrales Ecclesias, quarum Præsules temporali quoque dominatu potiuntur, præsertim cum experientia compertum sit, eas Diœceses ab hæreticorum erroribus magis esse immunes, quarum singulæ ab uno gubernantur Episcopo; hinc majorem deinceps circumspectionem in hoc adhiberi mandat, nec solum attendi exempla, sed peculiares perpendi singulorum casuum circumstantias, habita nimirum ratione temporum, personarum, et Ecclesiarum; ita quidem, ut dispensationum impertiendarum norma sumatur potissimum a majori Ecclesiarum ipsarum bono, ac utilitate. Quod si iis, qui alicui jam præsint Ecclesiæ, justis de causis a Sede Apostolica, aut jam fuerit concessum, aut deinceps concedi contigerit Indultum eligibilitatis ad aliam, declarat Sanctitas Sua, non per hoc censeri debere concessam dispensationem ad effectum simul retinendi prædictam quoque aliam Ecclesiam, postquam electio peracta fuerit; sed antequam electio ipsa a Sede Apostolica confirmetur, summa maturitate esse examinandum, an utilitas, vel necessitas talium Ecclesiarum, et Catholicæ Religionis tuendæ ratio postulet, impertiri hujusmodi dispensationem pro omnium retentione, vel potius in ejusdem electionis confirmatione poni oporteat decretum de alia Ecclesia dimittenda.

(93. Declarat itidem Sanctitas Sua non convenire ut indiscriminatim, nulloque delectu, et sine causæ cognitione, tribuatur Episcopis facultas retinendi simul plures Dignitates, aut Canonicatus Cathedralium, vel Collegiatarum Ecclesiarum, tam in Germania, quam in Poloniæ Regno: per hoc quippe Divino cultui non mediocre detrimentum affertur, Ecclesiæ debitis fraudantur obsequiis, et Ecclesiastica stipendia,

Digitized by Google

quæ congruæ plurium Ministrorum Dei sustentationi destinata sunt, in unam collata personam, incitamentum præbent ad luxum. Mandat itaque Sanctitas Sua, cautius quam hactenus forsan factum fuerit, hac etiam in re in posterum agi, et exemplis sepositis sectari in primis id, quod juxta locorum, Ecclesiarum, personarumque conditiones, ad ampliorem Dei gloriam expedire visum fuerit. Ne autem saluberrimi hujus moniti memoria obsolescat, vult Sanctissimus Pater præsens hoc Decretum asservari apud Acta Sacræ Congregationis rebus consistorialibus præpositæ, atque illud ab ejusdem Congregationis Secretario pro tempore, quotiescumque opportunum fuerit, in memoriam revocari eorum, qui his de rebus consilium Pontifici Maximo daturi sunt. Hæc die 6. Januarii anno 1731.

(94. Altero Decreto, quod pro Brevium Secretaria conditum est, ita cavetur: Quamquam invaluerit usus dispensandi præsertim cum sublimibus personis, ut plures Episcopatus in Germania simul retinere possint, ob eam quidem sit justam, et laudabilem rationem, ut adversus hæreticorum conatus Catholicam Religionem opibus, auctoritate, potentia sarta tecta tueantur; ex inconsulta tamen hujusmodi dispensationum frequentia, immoderatoque usu, gravissima in Christianam Rempublicam incommoda manare posse, exploratum satis est: vix enim, ac ne vix quidem sperari potest, ut qui tribus, vel quatuor, vel etiam quinque Cathedralibus Ecclesiis, magno locorum intervallo disjunctis, præsit, cum summa etiam in temporalibus potestate, eas omnes solerter, ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute regere valeat. Quo sane fit, ut ob Pastorum absentiam, et curarum, quæ ad temporales ditiones pertinent, copiam, neglecta spirituali Diœcesum cultura, nec Catholicorum mores, quia a veteri instituto deflexerint, corrigi, nec Ecclesiasticæ disciplinæ nitor redintegrari, nec dogmata a fide aliena extirpari, nec eorum veneno polluti homines ad Religionis Orthodoxæ veritatem reduci commode possint. Itaque ne plurium Episcopatuum in una persona coacervatio, sacris alioquin legibus adeo invisa, quæ ex Apostolica auctoritate in ædificationem recte aliquando permittitur, perniciose cedat in destructionem, de Consilio plurium Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decernimus, et mandamus, ut in posterum ei, qui uni jam præsit Ecclesiæ, non nisi causæ cognitione præmissa, concedatur Indultum eligibilitatis ad aliam: si vero hujusmodi Indultum justa pariter causa concedendum videatur ei, qui jam duas regat Ecclesias, semper eidem Indulto inseratur conditio, ut prædictam Ecclesiam, ad quam eum eligi contingat, non aliter possit obtinere, quam una, quam maluerit, ex prioribus dimissa. Tres denique obtinenti Ecclesias Indultum eligibilitatis ad aliam nullo modo tribuatur. Enixe autem rogamus, atque obsecramus in Domino Romanos Pontifices Successores nostros, ut ipsi quoque memores sapientissimi moniti Tridentinorum Patrum in cap. 18. sess. 25. de reformat. salubrem hanc moderationis normam in dispensationibus prædictis omnino servari curent.

Datum ex Palatio nostro Quirinali hac die 5 Januarii 1731.

(95. Episcopatuum resignationes, quas sibi permitti postulant Episcopi, non admittuntur a Congregatione Consistoriali, nisi ex Canonicis causis recensitis in c. *Cum pridem, de Renuntiat.*, quæ tamen omnes ad id referuntur, ut clare constet, ipsos plebis suæ saluti prodesse amplius non posse Bened. XIV. *de Synodo Diœces.* lib. 13. c. 16. § 3. nov. edit.

(96. Causæ resignationis non tam rigorose examinandæ sunt in ordine ad Cardinales Episcopatum resignantes, dum volunt se conferre Romam ut assistant Summo Pontifici; Ita ex Fagnan. ibid. § 5.

(97. Episcopus translatus ex uno in alium Episcopatum frui potest redditibus Ecclesiæ, a qua discedit, usque ad illum temporis articulum, quo a Summo Pontifice in Consistorio a vinculo Prioris Ecclesiæ absolvitur; ex tunc enim prior Ecclesiæ vacare censetur, ut ex definitione Congreg. Conc. per Urbanum VIII. approbata, ibid. § 7.

(98. Neque idem Episcopus post absolutionem a vinculo, jure potest conferre beneficia, quæ post idem tempus vacaverint, uti decisum est in Tribunalibus Romanis: ibid. § 9.

(99. Interim tamen post pronunciationem, scilicet Pontificis in Consistorio, quoadusque hæc pronunciatio innotuerit Episcopo, remanet in eodem Episcopo jurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad Diœcesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem decreto, seu in Brevi illud confirmante Urbani VIII. ibid. § 10.

(100. Si Episcopus in manus Paganorum, aut Schismaticorum incidat, et fiat captivus, Ecclesiæ administratio transit in Capitulum, quoadusque aliter disponat Sedes Apostolica Can. *si Episcopus de sup. neglig. Prælat.* in 6. quæ tamen vera sunt, si carcer Episcopi sit adeo arctus, ut Episcopum suum nequidem per literas adire Diœcesani valeant. Ibid. § 11.

ADDITIONES EX EDITIONE ROMANA.

De tribus hic Auctor, videlicet de residentia, de translatione, tum de Renunciatione Episcopi.

(101. Ad residentiam quod attinet, ea satis præcipitur *Actorum* xx. 28. *Attendite* (inquit Apostolus) *vobis et universo Gregi in quo Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (102. Quomodo enim attendere, quomodo regere poterit, qui præsens haud est? (103. Attendere non in absentem, sed in præsentem convenit. Non potest sibi attendere, nisi apud se sit, et secum habitet; sic neque Gregi nisi apud eum fuerit. (104. Pari modo nec absens poterit pascere, regere, et dirigere Gregem.

(105. Audiendi non sunt qui putant posse Episcopum Gregem pascere per Vicarium.

Digitized by Google

Teste Maldonato in summa quæst. 10. articul. 3. 5. et 6. nomen « *Pastoris* (ait) significat actionem pastoralem, sicut nomen Medici. Itaque sicuti nemo potest per alium curare, ita nemo potest per alium suas oves pascere. Nequicquam valet responsio communis, satis esse per Vicarium laborare; quia per eamdem Regulam satis esset manducare per alium, quia sit scriptum: qui non laborat, non manducat. »

(106. Nec residentiæ facit satis Episcopus si, pro lubitu non in sua Ecclesia Cathedrali, sed alibi in sua Diœcesi residet. Canon. 5. Concilii Carthaginensi V. prohibitum fuit « ne quis relicta principali Cathedra ad Ecclesiam aliam in sua Diœcesi constitutam se conferat. » Conformisque est Canon duodecimus Conc. Aquisgranensis II. quem Carolus Magnus *Capitular.* lib. c. 177. repetiit.

(107. Prohibitio translationis, si dicendum quod res est, fundata est in avaritia, et ambitione, quæ solet Episcopos impellere ad transeundum de una ad aliam Ecclesiam. (108. Non ignoro esse, qui eam fundent in vinculo matrimoniali Ecclesiam inter, et Episcopum, de quo loquuntur Epistolæ Decretales sub nomine Callixti, et Evaristi, quarum fragmenta extant apud Gratianum caus. 7. quæst. 1. Can. 11. et 39. (109. Sed epistolas hasce Decretales supposititias esse jamdudum monuerunt Viri eruditi; Vide Labæum in nota marginali ad Epistolam Callisti I. et Antonium Augustinum *Dial.* 4. lib. 2. *de Emendatione Gratiani.* (110. Innocentius vero III. non inficior in Cap. 4. *de Translation.* hoc ipsum vinculum matrimoniale urget, atque hinc infert in Cap. 2. et 3. eodem Titulo translationem soli summo Pontifici esse reservatam; sed confer hic Van-Espen. *Jur. Eccles. univers.* part. 1. tit. 15. cap. 4. § 18. et plur. sequent. caute tamen legendum.

(111. De renunciatione vide, qui ex priscis Ecclesiæ Canonibus recte de ea disserit. Bohemer. ad *Decret.* tit. *Hoc de renunciatione.*

ARTICULUS IV.

Episcopus quoad ea quæ concernunt ejus præcedentiam, sedem, celebrationem, et pontificalia.

(1. Episcopi ubique gentium habeat locum a Protonotariis Apostolicis, et quod in Episcopis sancitum est, ad Ecclesiarum Cathedralium auctoritate Apostolica electos pariter, et confirmatos extendit Pius II. Constit. incipien. *Cum servare.* (2. Episcopus licet Titularis, qui retinet Canonicatum, vel Dignitatem in aliqua Cathedrali, debet præcedere omnibus aliis Dignitatibus, et Canonicis etiam ipso antiquioribus; Sacr. Congregat. Rituum in Ragusina 22. Junii 1594. in Ruthenon. 24. Septembris 1605. in Compostellana 11. Julii 1617. et in Calaguritana in Sardinia 13 Novem. 1621. (3. Episcopus prius promotus, seu Electus ad Episcopatum debet præcedere alteri Episcopo post ipsum promoto, vel electo, etiam si sit ipso dignior, et illustrior; Sacr. Congregat. Rituum in Segobiens. 21. Martii 1609. (4. Circa præcedentiam inter Suffraganeos Episcopos Latinorum, et Episcopos Græcos, cæteris paribus, nulla alia ratio habenda est, quam temporis, seu promotionis ad Episcopatum; Sacr. Congreg. de Propaganda Fide pro Polonia 16. Februarii 1630. (5. Episcopus Diœcesanus in sua Ecclesia, et Diœcesi in functionibus Episcopalibus præferendus est omnibus Archiepiscopis, et Episcopis, etiam ipso antiquioribus, et dignioribus, Metropolitano suo tantum excepto; Sacr. Congregatio Rituum in Barchinonen. 10 Januarii 1609. sed ex urbanitate debet honorare in sua Diœcesi alios Episcopos advenas, et extraneos; Eadem Sacra Congregatio Rituum in dicta Barchionen. (6. Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis, non autem secundum Dignitatem Ecclesiarum; Sacra Congregatio Concilii 10. Aprilis 1596. (7. Episcopus debet habere pacis osculum ante Præsidem, et Consiliarios Regios, et omnes alios; Sacra Congregatio Rituum in Granaten. 9. Maii 1606. (8. Et quod Episcopus præcedere debeat quoscumque etiam Principes sæculares in sua Ecclesia, et Diœcesi, late, et solide probat Pignatell. tom. 1. consult. 7. per tot. adducens plura Jura, et Conc. et præsertim Conc. Trident. sess. 25. cap. 17. *de Reformat.* et varia Sacrarum Congreg. Decreta.

(9. Episcopus in Ecclesia debet in sublimiori loco sedere; cap. *Episcopus* 10. dist. 95. (10. Episcopus in Omnibus suæ Diœcesis Ecclesiis, quantumvis exemptis, et privilegiatis est honorandus, eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, ac in aliis actibus publicis primus locus, et prima sedes, quam ipse elegerit, danda est; Sac. Congreg. Rit. in Tullen. 7. Decembris 1613. (11. Episcopus debet habere sedem pulchriorem, et majorem, quam Gubernator Civitatis, non tamen coloris rubei; Sacr. Congreg. Rit. in. Perusina 3. Octob. 1615. (12. Episcopi sedes debet esse fixa, et immobilis; Sac. Congreg. Rit. in Colimbrien. 23. Maii 1603. (13. Episcopi sedes semper est ornanda; Sacr. Congreg. Rit. in d. Colimbrien. 23 Maii 1603. et in Elven. 10. Januarii 1605. (14. Episcopi sedes apud parietem contra Altare constituenda, et locanda est cum decenti ornamento, et apud sedem Episcopi hinc inde sedes, seu stalla pro Dignitatibus, et Canonicis deponi debent; Sacr. Congreg. Rit. in Trojana 9. Octobris 1610. (15. Potest tamen Episcopus sibi sedem in Ecclesia extra Chorum ubicumque voluerit parare, dummodo etiam pro Canonicis locus paretur; Sacr. Congr. Rit. in Granaten. 9. Maii 1606. (16. Episcopus ad Matutinum in nocte Nativitatis potest sedere vel in Sede Chori, vel in Sede Episcopali a cornu Evangelii, prout melius sibi videbitur, et magis populo satisfecerit; Sac. Congreg. Rit. in Alexandrina 25. Martii 1606. ad 15. (17. Sedes Episcopi in Ecclesia exempta, ubi Abbas usum Mitræ habens etiam sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextro Chori, sive Ecclesiæ

Digitized by Google

collocanda uno gradu eminentiori, cum ornatu congruo, et situ aliquatenus superiori respectu Sedis Abbatis, quæ in sinistro ponenda est uno gradu humilior absque ornatu, et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita Sedi Episcopali; Sacr. Congr. Rit. in Alexandrina S. Petri in Borgolio 7. Februarii 1603. et in Decreto generali circa usum Pontificalium in responsion. ad 15. edit. 27. Septembris 1659. et declaratur ab eadem Sac. Congreg. 20. Julii 1660. Vid. verb. *Abbas*, ubi refertur per extensum.

(18. Episcopus tantum, et non alius, dum private celebrat, potest accipere paramenta in ipso Altari, et duos habere ministros superpelliceis indutos, præter alium ministrum Clericum, sive Laicum communi veste indutum; Sacra Congreg. Rit. in Cremonen. 7 Julii 1608. (19. Episcopus potest de jure in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis quantumvis exemptis, et privilegiatis Missas, et Divina Officia cum assistentia suorum Canonicorum etiam in Pontificalibus celebrare, sive ab aliis, sine tamen Pontificalibus, celebrari facere, et in eis habere circulos, contradictores per censuras cogendo; Sacr. Congreg. Rit. in Ferrarien. 26 Jul. 1600, et in Tullen. 6 Decemb. 1613. (20. Episcopus extra suam Cathedralem etiam in Ecclesiis exemptis, et Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjectis, intra fines tamen suæ Diœcesis existentibus, dum ibi celebrat, aut Missæ, seu Vesperis solemnibus quacumque ex causa interest, potest sibi assumere suos Canonicos et ibi habere cum eis circulum ad Gloriam, et ad ipsum pertinet confessionem facere cum Sacerdote, incensum ponere, et benedicere, ac benedictionem post Vesperas, vel post Missam dare; Sacr. Congregat. Rit. in Alexandrina S. Petri in Borgolio 7, Februar. 1604, in d. Decreto generali circa usum Pontificalium *in respons. ad* 15. (21. Unde Regulares tenentur in propriis Ecclesiis erigere Baldachinum Episcopo volenti ibi Pontificales functiones exercere; Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. 10 Jun. 1603, et expresso mandato Clementis VIII, et pœnis, et Censuris ad id, vel statim ac impediant quin Episcopus ipse illud attollere faciat, compelli possunt, ut apparet ex verbis ipsius Decreti relati ad literam sub verb. *Baldachinum* num. 6, vid. ibi. (22. Non possunt tamen Episcopi in Regularium Ecclesiis invitis ipsis Regularibus, exercere illas functiones Episcopales, quæ habent mixtam considerationem honoris, et jurisdictionis, ut ordinare, degradare, chrismare, vel similia facere, quia hæc in literis non exprimuntur; Pignatell. tom. 10, consult. 106, num 21, ubi dicit: Immo nec fortasse prædicare; Diana part. 3, tract. 2, resolut. 109. Fagnan. lib. 1, *Decretal.* in c. *Quia nos* 7, *de auctoritat.* tom. 1, p. 2, tract. 13, *de Exemption.* Religios. quæst. 74, num. 9. Tamburin. *de Jure abbat.* tom. 1, Disp. 15, q. 15, n. 10. Matthæucci *Officialis Curiæ* cap. 19, n. 36, et alii.

(23. Monacelli tamen tom. 4, supplement. ad. 2, tom. n. 392, ex Ventriglia in *Praxi* part. 2, annotat 26, §unico, num. 6, vers. *His præmissis*, tenet tamquam verius, quod Episcopus possit etiam supradicta omnia facere in Ecclesiis Regularium, et exemptis, quia est in sua Diœcesi. (24. Hoc autem certum est, si Ecclesia Regularis, et exempta, sit Parochialis, quia ut refert Pignatell. loc. cit. num, 21. cum quæreretur in Sacra Congregatione Concilii: « An Eminentissimus Episcopus Brixiensis in Ecclesia Parochiali Monachorum exemptorum possit administrare Sacramentum Confirmationis invitis ipsis Regularibus, et quatenus possit, an contra eosdem Regulares impedientes dictam administrationem valeat censuris procedere: Sacra Congregatio, re pluries proposita, et mature examinata, utraque parte informante, affirmative ad utramque dubitationem respondit » 9. Junii 1657. arg. cap. *Responso* 43, *de Sentent. excomm.* Sicut enim Episcopus tamquam primus Parochus potest procul dubio baptizare in Ecclesiis Parochialibus Regularium, ita etiam ibi Chrisma conficere, illudque ministrare; arg. cap. *Quoniam, de Sentent. excommunic.* in 6. (25. Supradicta autem non debent extendi ad Vicarios Episcoporum, etiam absente Episcopo, ex declaratione Sacræ Rit. Congreg. die 10. Julii 1621. quæ declaravit « non posse hujusmodi Vicarios, invitis Regularibus, erigere Baldachinum in eorum Ecclesiis. » (26. Nec etiam supradicta extendi debent ad Episcopum Titularem suffraganeum; Si enim accederet ad Regularium Ecclesias Episcopus Titularis suffraganeus ad celebranda Pontificalia, non deberent ei erigere Baldachinum, nam talis usus, et honorificentia, nec in Ecclesiis suis, nec in exemptis Dioecesibus, nec extra Dioecesim illi competit, quamvis accederet de licentia Ordinariorum, ut respondit S. Cong. Rit. Episcopo Titulari suffraganeo Hildesimen. 5. Martii 1706.

(27. Episcopus, qui celebrat tempore Quadragesimæ singulis diebus, quando non celebrat solemniter, debet uti habitu quotidiano cum Stola; Sacr. Congr. Rit. in Spoletan. 28. Novembris 1612. (28. Episcopum celebrantem non decet, ut Prælatos, Canonicos, et alios quoscunque thurificet, et aqua benedicta aspergat; Sacr. Cong. Rit. in Uladislavien. 2. Martii 1613. (29. Episcopo celebranti, sive faciat ordinationes, sive non, tenentur assistere quinque Personae juxta formam libri Pontificalis; Sacr. Cong. Rit. in Jacen. 5. Januar. 1606. et in Barbastren. 17. Junii 1606. (30. Episcopo celebranti debet assistere prima Dignitas in Ordine Presbyterali constituta quocunque nomine appelletur; Sacr. Congreg. Rit. in Vercellen. 7. Augusti 1610. (31. Episcopus volens exercere Pontificalia extra Ecclesiam Cathedralem, potest secum aliquos de Capitulo ducere, qui sibi assistant, et administrent; Sacr. Congreg. Rit. in Egitanien. 3. Augusti 1602. in respons. ad dub. 4. (32. Episcopo Pontificaliter celebranti in Ecclesia Collegiata, vel Parochiali assistere spectat ad Canonicos Cathedralis, si adsint, non ad Canonicos Collegiatæ; Sacr. Congreg. Rit. in Brundusina 15

Digitized by Google

Julii 1617. (33. Episcopus debet habere assistentes digniores, et honoratiores, et si aliquas functiones exerceat in Ecclesia non Cathedrali nec Collegiata, debent ei assistere Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ, etiamsi in illis Ecclesiis sufficiens sit alioquin numerus Presbyterorum; Sacr. Congreg. Rit. in Calaguritana 1. Junii 1601. (34. Episcopus, si in die Palmarum, una cum Capitulo, et Clero personaliter ad Monasterium Regularium accedere teneatur, debet ipse benedicere Palmas privative quo ad Abbatem; Sacr. Congreg. Rit. in Faven. 11. Aprilis 1601.

(35. Episcopus non debet cum Cappa Vesperas celebrare; Sacr. Congreg. Rit. in Alexandrina 23. Martii 1608. in respons. ad dub. 8. (36. Episcopus assistens Divinis Officiis cum Cappa non debet singulos Canonicos ante ipsum salutare detegendo caput, sed satis est illis manu benedicere, Sacr. Congreg. Rit. in Elven. 10. Januarii 1604. in respons. ad dub. 5. (37. Episcopo assistenti Divinis Officiis cum Cappa non debent Canonici ponere, et deponere birretum in ejus capite, nec isto casu ei assistere; Sac. Congreg. Rit. in Thelesina 22. Decembris 1609. (38. Episcopus, qui nullum habet Episcopatum, non potest in Ecclesia sua Jurisdictionali, veluti si esset Praepositus, Chrisma conferre, nec alia pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus Diœcesis fines Præpositura existit; Sac. Congreg. Concil. quam refert Aldan. *in compend. canon. resolut. lib. 3. tit. 24. n. 87.* (39. Episcopus non potest ministrare Chrisma sine licentia Ordinarii loci, etiam vocatus ab inferiore intra fines Diœcesis existente, etiamsi ille inferior prætendere ratione Exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit, ad ministrandum Confirmationis Sacramentum. Si vero locus talis Exempti non sit intra fines Diœcesis, sed nullius, tunc potest; Sac. Congreg. Concilii apud Aldan. loc. cit. tit. 24. num. 88. (40. Episcopus potest olea Sacra Catechumenorum, et infirmorum, si a Cathedrali abfuerit, in alia Ecclesia consecrare, et benedicere; Sacr. Cong. Rit. in Oriolen. 17. Novembris 1600. (41. Episcopus ex causa necessitatis potest conficere olea Sacra cum minori numero ministrorum, quam præscribatur in libro Pontificali; Sac. Congregat. Rit. in Curien. 21. Augusti 1604. apud Aldan. loc. cit. num. 86.

(42. Episcopus in publicis Processionibus cum Cappa et Birreto, non inter dignitates, sed solus incedere debet. Quod si deferatur aliqua imago, seu Reliquia, ipse cum Cappa et Birreto incedere debet post Imaginem seu Reliquiam, nisi adsit consuetudo in contrarium? S. R. C. in Savonen. 20. Novembris 1620. Vide decreta S. R. C. in nostro tomo 9.

ADDITIONES NOVIS. EX ALIENA MANU.

(43. Episcopus inter Antiquior præcedentiam obtinet supra juniorem. At si Junior ad Archiepiscopatum promoveatur, indubie præcedentiam supra antiquiorem obtinere debet: (44. Quod si antiquior ad Archiepiscopatum et ipse postmodum promoveatur, adhuc præcedentia debetur Episcopo juniori prius ad Archiepiscopatum promoto, (45. ut tradunt Card. de Luc. *de Præeminent.* discurs. 9, num. 6. Piton. *discept ecclesiast.* 116. num. 53, et dixit Rot. in Augustana Juris præcedendi 28, Februarii 1746, § 11, cor. clar. mem. Bussio.

(46. Obstare tamen videntur plura exempla. Inter Canonicos (ut unum hic afferam), junior Sacerdos digniorem in choro locum tenet respectu senioris non Sacerdotis. (47. At si deinde senior factus et ipse sit Sacerdos, præcedit Juniori Sacerdoti; Ceccoper. *Lucubrat. Canonicar.* libr. 1, titul. 11, a num. 10. Panimoll. decis. 1, adnot. 8, n. 26. Rota cor. Emer. jur. decision. 66 numer. 2. Sacra Rit. Congr. in Eugubina Præcedentiæ 15. Septembris 1736.

Sed prompta est responsio. Ideo Episcopus Senior postea promotus et ipse ad Archiepiscopatum, cedere in præcedentia debet Episcopo juniori prius ad Archiepiscopatum promoto « quia (ut hisce verbis inquit Rota in d. Augustana Juris præcedendi 28 Februar. 1746, d. § 1, cor. clar. mem. Bussio) per assumptionem ad præcellentem dignitatem Archiepiscopalem pereunt jura primævi status ac semel ac quis Archiepiscopatum acquirit, desinit esse Episcopus, propterea-que allegare amplius non valet antiquitatem status Episcopalis jam extinctam. » Sed in apposito exemplo remanet status canonicalis, ideoque data paritate Sacerdotii, præcedentia desumenda est ab antiquioritate ipsius Canonicalis status.

ARTICULUS V.

Episcopus quoad absolutionem, et dispensationem.

(1.' Episcopus non potest absolvere a casibus, et Censuris publicis reservatis Summo Pontifici; c. *Cum inferior, de Majoritar. et obedient.* (2. Nec a casibus, et Censuris occultis in Bulla Cœnæ contentis, et maxime ab hæresi, ut aliunde ostensum est sub verb. *Absolutio* a num. 2, ad 5. Fagnan, in lib. 1. *Decretal.* in c. *Dilectus* 15, *de Temporibus Ordinationum* num. 30, ubi refert sic declarasse Sacram Congreg. Concilii, quæ interrogata, « sed numquid Episcopus facultate sibi tributa in d. c. 6, sess. 24, in casibus occultis post Concilium ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis etiam cum clausula *non obstantibus*, absolvere possit? » Censuit, non posse. Et in specie de hæresi cum dubitatum fuerit: « An Episcopus, et Inquisitores possint hodie ex d. c. 6. sess. 24. absolvere lapsos in hæresim, non obstante Bulla Cœnæ Domini? » Censuit, *Bullam derogasse* Decreto c. 6. Vid. verb. *Absolutio* a num. 2. ad 5. (3. Potest tamen Episcopus absolvere a casibus occultis reservatis Summo Pontifici extra Bullam Cœnæ ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. *de Reformat.* ibi: « Liceat Episcopis... in quibuscumque casibus occultis etiam Apostolicæ Sedi reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter

Digitized by Google

deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere. » (4. Unde Episcopum vigore talis Decreti absolvere posse sive per se, sive per alium Confessarium specialiter delegatum a Censuris incursis ob violatam Clausuram, at Papæ reservatis, dummodo sint occultæ, tenent Monacelli part. 1. in append. adnotat. ad Constit. 8. S. Pii V. n. 4. Pignatell. tom. 10. consult. 100. num. 25. et ex multis late probat Navarr. tom. 2. lib. 5. *de Sententia excommun.* consil. 43. in 1. edit num. 1. Rodriq. in exposit. Bullæ S. Pii V. num. 33. Sorbus in annotat. verb. *Ingredi Monasteria Fratrum*, post num. 1. vers. *Circa autem secundum supra notatum.* Sanchez. in summa part. 2. lib. 6. cap. 15. num. 76. et cap. 17. num. 41. Thesaur. late in 1. part. prax. *de Pœnis Ecclesiast.* c. 23. et 24. Bonacin. *de Clausur.* quæst. 1. punct. 5. num. 7. vers. *Secundo quæritur*, et *de Censuris* disp. 1. q. 3. punct. 2. num. 1. Diana part. 7. tract. 5. *de Potestat. Episcop.* resolut. 20. Alphons. de Leon *de Censuris* verb. *Mulieres* pag. 361. qui paucis positis ait : hodie est communis; Donat. *præx. Regul.* tom. 1. *de violata Clausur. Monasterii* tract. 4. q. 33. et alii.

(5. Fagnanus tamen lib. 1. *Decretal.* in cap. *Dilectus* 15. *de Temporibus ordinat.* num. 32. et 33. tenet, hodie per Bullam S. Pii V. incipientem *Decori*, non posse Episcopum absolvere Monialem in materia Clausuræ secreto delinquentem, et adducit ad hoc declarationem Sacræ Congregationis : ibi : « Præterea cum dubitasset Archiepiscopus Florentinus, an vigore c. 6. sess. 24. posset absolvere quamdam Monialem, quæ occulte ad malum finem fregerat Clausuram, non obstante Bulla Sancti Pii V. quæ videtur habere locum in casu publico, variatum est sententiis; nam e decem Cardinalibus tres censuerunt Bullam intelligendam esse etiam in occultis, quia illius verba sunt generalia, et est tantum exceptus casus : Nisi in mortis articulo etc. Et quia jam declaratur Bullam Cœnæ Domini, quæ prohibet ab aliis absolvi, habere locum etiam in occultis; et quia cum Bulla sit confecta post Concilium, censetur derogasse Concilio. Quatuor censuerunt eam Bullam non habere locum in casibus occultis. Reliqui autem tres dixerunt agendum cum Sanctissimo, qui declaravit, Bullam Sancti Pii V. habere locum etiam in occultis. Tamen concessit facultatem Archiepiscopo absolvendi illam Monialem. Unde postea Sacra Congregatio generaliter consulta; An, si Monialis Monasterii jurisdictionis Regularium subjecta secreto deliquerit in materia Clausuræ, in foro conscientiæ absolvi possit vigore ejusdem Decreti ab Episcopo, cui tamquam delegato in iis, quæ ad Clausuram pertinent, auctoritas tributa est Decreto c. 5. sess. 25 de Regularibus : stante prædicta Bulla S. Pii V. respondit, non posse. »

(6. Cum impeditis personaliter adire Pontificem, vel in perpetuum, vel ad longum tempus potest Episcopus directe absolvere ab hæresi, et aliis casibus in Bulla Cœnæ reservatis; Diana part. 12. tract. *de Conclavi* resol. 24. Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 6. n. 5. qui ex communi Doctorum ponit hanc Regulam : « Casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis, » quia id congrua subordinatio inter Prælatos requirere videtur; Abbas in cap. *de Cætero*, *de Sentent. excommunic.* num. 1. Castropalao *de Fide* tract. 4. d. 4. punct. 3. § 5. num. 4. Navarrus in summa c. 27. num. 98. Felinus in cap. *Quamvis*, *de Sentent. excommunic.* Ancharanus in cap. *Eos qui*, *de Sentent. excomm.* in 6. Reiffenstuell lib. 5. *Decret.* tit. 7. n. 372. Covarruvias in c. *Alma Mater* par. 1. § 11. num. 15. cum communi; Viva ad proposit. 3. Alexandri VII. n. 5. ubi testatur hoc affirmari communissime apud Card. de Lugo disp. 20. *de Pœnit.* n. 218. et Martinum Perez disp. 50. arg. c. *Mulieres* 6. c. *De cætero* 11. c. *Ea noscitur* 13. c. *De Monialibus* 33. c. *Quamvis* 58. *de Sentent. excomm.* 7. c. *Eos qui* 22. eod. in 6. (7. Nec obstat quod in citatis Canonibus sit sermo de excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, quæ in cap. *Si quis suadente Diabolo* 29. caus. 17. quæst. 4. extra mortis periculum Summo Pontifici reservatur. Non obstat, inquam, quia eadem ratio, ac proinde idem jus est in omnibus excommunicationibus reservatis, ut tradunt communiter Doctores, ne scilicet excommunicatus, ob impedimentum adeundi Papam, pro dilatione pœnitentiæ incurrat periculum salutis æternæ, et facit cap. *Eos qui* 22. *de Sentent. excomm.* in 6. ubi Glossa verb. *Canonis* hoc extendit ad alios casus jure communi Papæ reservatos. Et licet Bulla Cœnæ etiam excipiat solum articulum mortis, Jus tamen Canonicum exceptionem hanc ampliavit ad casum necessitatis, uti est in impeditis in perpetuum, vel ad longum tempus, ut recte observat Viva *loc. cit. num.* 5. (8. Est tamen advertendum, quod si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine ullo onere comparendi. Si tamen impedimentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere adeundi Pontificem, cessante impedimento; non ad obtinendam absolutionem, cum jam sint directe, et plene absoluti; sed ad obediendum mandato Papæ; cap. *Ea noscitur* 13. et cap. *Quamvis* 58. *de Sentent. Excomm.* et c. *Eos qui* 22. eod. in 6. (9. Alias non comparendo, elapso impedimento, incidunt in aliam similem excommunicationem; cap. *De cætero* 11. *de Sentent.* excomm. et c. *Eos qui* eod. in 6.

(10. Impediti personaliter adire Pontificem non tenentur mittere Procuratorem, vel scribere ad Sacram Pœnitentiariam pro obtinenda absolutione a casibus, et Censuris Papæ reservatis, quia Jura præscribunt solum ut rei personaliter adeant Pontificem, et ubi lex, non aggravare debemus pœnitentes ultra id, quod a Jure exigitur. Sic communiter Doctores cum Barbosa part. 2. *de Offic. et potestat. Episcopor.* allegat. 42. numer. 7. (11. Et si impediti adire Pontificem sint etiam impediti adire Episcopum, probabilius non possunt a casibus publicis reservatis Papæ absolvi in foro conscientiæ

Digitized by Google

a Parocho, aut ab alio Confessario. (12. Sicuti etiam impediti adire Episcopum pro casibus Diœcesanis publicis sibi reservatis non possunt absolvi ab inferiori extra casum necessitatis, quia Jura in dictis impedimentis pro casibus Papæ reservatis concedunt recursum ad solum Episcopum, et pro casibus reservatis Episcopo ad nullum alium inferiorem reperitur concessus pro absolutione recursus, cum non sit tam difficilis personalis accessus ad ipsum, uti communius tenent Doctores cum Vasquez, Navarr. Suarez, Lugo, Bonacin. teste Viva loc. cit. sub n. 7.

(13. Episcopus nequit absolvere Censuratos ratione violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ, cum non habeat talem facultatem in Denunciatis in foro exteriori; Sacra Congreg. Immunit. in Nuscana 5 Februarii 1635. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 217. (14. Unde Episcopus absolvens Censuratos hujusmodi sine facultate Sedis Apostolicæ incidit in excommunicationem eidem S. Sedi reservatam, a qua regulariter datur facultas, ut se faciat absolvere a suo Confessario privatim, et cum Sanctissimo agitur pro dispensatione irregularitatis quatenus incurrerit; Sacr. Congregat. Immun. in Acernen. 29 Januar. 1636. lib. 2. *Decretal. Paul.* pag. 241. et alibi, in Squillacen. 16 Decembris 1664. lib. *Decret.* Rocci pag. 608. (15. Quare injungitur Archiepiscopo, qui sine dicta facultate absolvit Censuratos ex causa extractionis confugiti ab Ecclesia, ut reaffigat cedulones contra ipsos; Sacr. Congreg. Immunit. in Brundusina 28 Aprilis 1671. lib. 1. *Decret. Altovit.* pag. 546. (16. Quinimmo tenetur notificare sic a se absolutis, non potuisse absolvere; Sac. Congreg. Immunit. in Bobien. 2 Martii 1700. lib. 2. *Decret. Valleman.* pag. 275.

(17. Episcopus absolvere potest Excommunicatos ob percussionem Clerici, vel Monachi levem, etiamsi publicam; cap. *Pervenit* 17. *de Sentent. Excomm.* et ibi Joan. Andr. n. 5. Fagn. n. 9. et alii passim cum Barbosa *de Offic. et post. Episc.* p. 2. alleg. 41. numer. 2. (18. Excommunicatos autem ob percussionem mediocrem, et enormem potest Episcopus absolvere tantummodo, si sit occulta; *Concil. Trident.* sess. 24. *de Reform.* cap. 6. Vide verba præcisa relata sub num. 3. (19. Et si fuerit publica, potest Episcopus ab ea absolvere, si personæ excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis; c. *Mulieres* 6. cap. *De cætero* 11. cap. *Ea noscitur* 13. c. *de Monialibus* 33. et cap. *Quamvis* 58. *de Sentent. excommun.* et cap. *Eos qui* 22. eod. in 6. (20. Si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine onere comparendi; si impedimentum est solum temporale, absolvuntur cum onere comparendi cum primum commode poterunt, alias reincidunt in aliam similem Excommunicationem; c. *De cætero* 11. *de Sentent. excommun.* et c. *Eos qui* 22. eod. in 6. (21. Quænam autem censeantur personæ impeditæ adire Pontificem; Vide verb. *Absolutio* art. 1. 6. 7. 8. et sequent. (22. Episcopus non potest concedere suo subdito, ut absolvatur in aliena Diœcesi a Sacerdote non habente jurisdictionem; Gloss communiter recepta in c. *Omnis utriusque* 12. *de pœnitentiis, et remissionibus*, verb. *Alieno Sacerdoti;* et in Clementin. 1. *de Privil.* et utrobique notat Abbas, et tenet Fagnan. in d. cap. *Omnis utriusque* num. 85. (23. Nec potest Episcopus prohibere quominus suus subditus absolvatur in aliena Diœcesi a Sacerdote jurisdictionem habente a suo Episcopo, ex regula l. *Nemo qui condemnare, ff. De reg. Juris*, et cap. *Non potest, de Rejudic.* Fagnan. loc. cit.

(24. Episcopus dispensare potest cum suis subditis, et in sua Diœcesi in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, et aliis deductis ad forum contentiosum; Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reformat.* ibi : « Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, et in quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. »

(25. Hinc potest dispensare in Irregularitate ex homicidio occulto patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia hujusmodi homicidium volitum causa defensionis, non comprehenditur sub homicidio voluntario, immo potius licet non sit mere necessarium, necessarii tamen vim habet, quatenus sit causa vitandæ mortis, ut cum multis tenet Barb. *de Officio, et potest. Episcopi* p. 2. alleg. 39. n. 35. et 54. (26. Potest etiam Episcopus dispensare in Irregularitate orta ex mutilatione membri occulta, quamvis voluntaria, cum hæc in Jure non sit excepta, et in iis, quæ concernunt rigorem, non sit faciendæ extensio; arg. cap. *Odia restringi* 15. *de Regul. Juris* in 6, et sic tenet communis cum Barbosa loc. cit. num. 49. (27. Potest insuper Episcopus dispensare in Irregularitate orta ex homicidio casuali, modo delictum sit occultum : Concilium enim concedit Episcopis facultatem dispensandi in Irregularitate ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario ; homicidium autem casuale non est proprie voluntarium, ut patet in eo, qui mandavit servo, ut Petrum percuteret, sed caveret, ne occideret; si mandatarius percusserit, et occiderit, homicidium inde secutum non est proprie voluntarium respectu mandantis, sed est casuale culpabile; sic cum plurimis Barbosa loc. c. num. 48. et 51.

(28. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate, quæ contrahitur ex reiteratione Baptismi occulta, etiamsi incurratur ab aliquo publice baptizante, dummodo nesciatur an qui baptizatur fuerit ante baptizatus; Communis cum Barbosa loc. cit. num, 36.

Digitized by Google

et super Concil. sess. 24. cap. 6. n. 10. (29. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate contracta ab eo, qui duos Sacros Ordines, vel Acolythatum cum Subdiaconatu eodem die suscepit, dummodo delictum sit occultum; Communis cum Barbosa locis citatis. (30. Item potest Episcopus dispensare in irregularitate occulta proveniente ab administratione in Ordinibus male susceptis, dummodo Episcopus ipse non fuerit quoque scienter particeps ejusdem culpæ; Barbosa in Concil. loc. cit. num. 12. et *de potest. Epis.* loc. cit. num. 41. et alii communiter. (31. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate, quam quis contraxit in exercendo Ordines, quos non habeat, ut exerceat susceptos, et alios suscipiat, dummodo delictum sit occultum; Barbosa in Trident. loc. cit. num. 13. et *de potest. Episcop.* loc. cit. num. 43. et alii passim. (32. Item potest Episcopus dispensare in Suspensione, et Irregularitate contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem Ordines suscepit, tsi jam ad legitimam ætatem pervenerit, et delictum sit occultum, licet celebratio sit publica. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concil. refert Garcias part. 2. *de Beneficiis* cap. 5. num. 51.

(33. Episcopus dispensare potest cum Ordinato ad Ordines minores, vel ignoranter ad Sacros ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, et Dignitati, aut Censura irretito, schismatico, hæretico, deposito, vel degradato, dummodo delictum sit occultum; arg. cap. *Requisivit* 1. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, et communis Doctor. cum Fagnan. ibid. num. 1. Barbosa in Tridentin. loc. cit. num. 21. et *de potest. Episc.* loc. cit. num. 42. (34. Item potest Episcopus dispensare in Suspensione, quam quis contraxit recipiendo Ordines sine literis dimissoriis, dummodo sit occulta; Barbosa in Trident. loc. cit. num. 18. *de Potestat. Episcop.* loc. cit. num. 39. et alii. (35. Item potest Episcopus dispensare in Suspensione contracta ab eo, qui furtive, id est nesciente Episcopo, neque probante, neque examinante, Ordines suscepit, si occulta sit; Suarez *de Censuris*, disp. 42, sect. 2. num. 5. Coninch tom. 2. disp. 18. dub. 5. num. 43. Ugolin. *de Offic. et potest. Epis.* cap. 57. § 2. num. 4. vers. quarto, et alii passim. (36. Item potest Episcopus dispensare cum eo, qui per saltum promotus ad Ordines celebravit, ubi delictum fuerit occultum. Ugolin. loc. cit. § 2. num. 4. vers. *Tertio*, Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* loc. cit. num. 40. et alii passim. (37. Item potest Episcopus dispensare cum Simoniaco occulto, non tamen illum rehabilitare ad Beneficia in posterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quæ per simoniam occultam obtinuit. Ita decisum fuisse a Sacra Congregatione testatur Suarez *de Religion.* tom. 1. tract. 3. lib. 4. c. 61. num. 11. Garcias *de Benefic.* part. 8. c. 1. num. 74. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* loc. cit. n. 44. et alii apud ipsos.

(38. Episcopus non potest dispensare in Irregularitate orta ex hæresi occulta exteriori; desumitur ex c. *Cum illorum* 32. *de Senten. excomm.* ubi habetur quod Episcopi non habent facultatem dispensandi in illis casibus, in quibus non habent facultatem absolvendi, sed hodie per Bullam Cœnæ est abrogata Episcopis facultas absolvendi a crimine occulto hæresis cum derogatione Concilii Tridentini, ut sæpius declaravit Sacra Congregatio, cum Bulla dicat expresse, et aperte, *cujusvis Concilii Decreta*, ergo etiam intelligitur ipsis ablata facultas dispensandi in Irregularitate ab illa proveniente; vid. verb. *Absolutio* art. 1. num. 2. 3. et 4. (39. Episcopus dispensare potest cum occulto excommunicato, qui publice celebravit, quia licet actus celebrationis sit publicus, non tamen publica est illius malitia. Secus vero, si publice sit excommunicatus, et celebravit occulte. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Fagn. lib. 3. *Decret.* in c. *Vestra* 7. *de Cohabitat. Clericor et mulier.* num. 148. Cum enim, ut ibi dicit, quæsitum fuisset: « An vigore cap. 6. sess. 24. *de Reform.* possit Episcopus absolvere ab Irregularitate proveniente ex delicto, quod licet publicum sit in se, tamen tamquam causa Irregularitatis, occultum censeri potest, quia licet actus publicus sit delictum, publice tamen nescitur esse delictum, die 9. Septembris 1582. Sacr. Congreg. censuit quando delictum, ex quo provenit Irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo interveniente irregularitas incurritur, occultus sit, Episcopum dispensare non posse; veluti si Sacerdos publice excommunicatus, vel notorie simoniacus occulte Missam celebraverit. Quod si delictum occultum est, ut puta excommunicatio, vel fornicatio, actus vero Missam celebrandi, ex quo Irregularitas incurritur, publicus, posse nihilominus Episcopum ab omni Irregularitate absolvere ex d. cap. 6. »

(40. Episcopus dispensare non potest cum Inquisitis de delicto, quod non potuit probari, si nec definitive, nec alio modo fuerunt absoluti, sed dimissi cum cautione de se præsentando. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Fagnan. l. 3, *Decretal.* in cap. *Vestra* 7, *de Cohabitat. Clericor. et mulier.* num. 137, cum proposito dubio: « An illi, qui occasione delictorum suorum fuerunt inquisiti, sed quia non potuerunt delicta probari, non fuerunt quidem definitive, vel alio modo absoluti, sed simpliciter dimissi, recepta promissione de se præsentando possint uti beneficio cap. 6, sess. 24. Sacra Congregatio censuit non posse, quia scriptura deducta est ad forum contentiosum; sicque sufficit sola deductio, quidquid inde sequatur. » (41. Episcopus dispensare non potest in materia delicti ad forum contentiosum deducti, et jam finito judicio puniti. Et ratio est, quia per sententiam condemnatoriam delictum efficitur notorium, ut dicitur in cit. c. *Vestra* 7, *de Cohabitat. Clericor. et Mulier.* ibi: « Notorium definitur de quo Presbyter canonice condemnatur, et c. » Quæsitum 10, eod. tit. ibi.

Digitized by Google

« Nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam. » Ridiculum enim est, ut post sententiam remaneat delictum occultum; cap. de hoc 11, *de Simonia*. Tum quia si ex declaratione Sacræ Congregationis, allata num. antecedenti, non licet Episcopo dispensare in delictis deductis, ad forum contentiosum, quando adhuc incertum est, an inquisitus sit culpabilis necne; longe minus licebit, quando per sententiam condemnatoriam, certum et notorium est, reum esse culpabilem. Sic Fagnan. loc. cit. num. 140. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 37, num. 35, cum multis ibi citatis contra Sanchez, Henriquez, Reginald. et alios ibi citatos sentientes etiam in hoc casu posse Episcopum dispensare. (42. Potest tamen Episcopus dispensare cum reo, qui finito judicio contentioso obtinuit absolutionem ab injecto crimine, quia adhuc manet occultum, et non potest dici deductum cum effectu, ex quo probatum non fuit. Barbosa loc. cit. num. 32, cum plurimis ibi adductis. (43. Etiamsi mediis depravatis obtinuerit absolutionem, adhuc cum ipso poterit dispensare Episcopus. Barbosa loc. cit. num. 33, cum Suarez, Sanchez, Sayro, Campanil. et aliis ibi adductis. (44. Immo etiamsi judicium non fuerit sententia absolutoria finitum, si accusator per annum tacuerit, poterit Episcopus, elapso anno, cum ipso dispensare, ut tenet Campanil. in *divers. Juris canon.* rubr. 7, cap. 5, num. 8, et rubr. 11, cap. 23, n. 144, et allegat Gloss. verb. *Obrepsit* in cap. *Tantis* dist. 81, et c. *Omnipotens Deus de Accusat.* Majol, *de Irreg.* l. 4, c. 17, sub n. 9. Marcb. tr. 1, p. 9. *Diffic.* 4, n. 8, et 9. Barb. loc. c. n. 34, cum Sayro, Boss. Sigismundo a Bonon. ibi citat.

(45. Quando Episcopus possit, vel non dispensare quoad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum Generalium. Vid. Verb. *Dispensatio* a num. 22, usque ad finem. Quoad Bigamiam, Vid. verb. *Bigamia*. Quoad observantiam Festorum, Vid. verb. *Festum*. Quoad jejunia, Vid. v. *Jejunium*. Quoad impedimenta matrimonii, Vid. v. *Matrimonium*. Quoad Irregularitatem, Vid. *Irregularitas*. Quoad Juramenta, et vota, Vid. v. *Juramentum* et *Votum*. Quoad pœnas simoniæ, Vid. verb. *Simonia*.

(46. Varia de Episcopis, Quoad Visitationem, Vid. v. *Visitare, Visitatio;* quoad Ordinationes, seu Ordines, Vid. verb. *Ordinare; Ordo* quoad Regulares, verb. *Regularis;* quoad Prædicationem, Prædicatores, verb. *Prædicare, Prædicator;* quoad Processiones, verb. *Processio*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. Recte Auctor tom. 2, verb. *Dispensatio* num. 24, inquit, Episcopum non posse dispensare a Legibus Ecclesiæ nisi in casibus ipsi permissis. (48. Falsa enim est opinio illa quod Episcopus, modo specialim non sit prohibitus, valeat ab Ecclesiæ Legibus dispensare. (49. Fuit olim, non inficior, opinio hæc D. Antonini 1, part. tit. 17, § 20. Sot. in 4, distinct. 27, qu. 1, articul. 4. Victor. in *Relection. de Potest. Eccl.* n. 18, et in præsens omnium fere Gallorum. (50. At opinionem hanc confutarunt Wiestner ad titul. *Decretal. de Constitut.* n. 199. Leuren. ad eumdem titul. quæst. 182, et sequent. Suarez *de Legibus* lib. 6, cap. 14, fer. per tot. Pont. *de Matrim.* lib. 8, cap. 6, et novissime Mazzei *de Matrim. Conscient.* c. 2, § 5, et not. 2, impress. Romæ per Barbiellini et qui priori loco commemorandus erat Benedict. XIV. *de Synod. diœcesan.* lib. 9, cap. 1, § 5, et seq. et jure quidem meritoque. (51. Nulla enim Inferiori potest esse potestas dispensandi a Legibus Superioris, nisi hæc ei potestas fiat ab ipso Superiore.

(52. Frustraque objicitur Canon. 29, *de Sentent. excommunicat.* « Respondetur (ita optime ad rem *Cap. hoc* 29, explicat Suarez de Legib. lib. 6, cap. 14, num. 7,) sermonem ibi esse de absolutione a censuris, de qua longe diversa ratio est, quam de dispensatione. In quo multi errant ab una ad aliam argumentantes, non considerando differentiam inter illas, quam supra posuimus. Absolutio enim non est contra, aut præter legem Superioris, sed secundum illam, et ideo nihil mirum quod possit ab inferiore dari, quamdiu non reservatur. Præterea absolutio a censura, præsertim ab excommunicatione ordinatur ad bonum animæ, et est necessaria ad usum Sacramentorum, et ideo merito concessa intelligitur, quando non reservatur. Quod secus est de dispensatione ab irregularitate v. g, et similibus. Hujus etiam evidens argumentum est, quod *in dicto Cap. Nuper* non solum Episcopo, sed etiam Parocho censetur concessa absolutio a censura Canonis non reservantis. Nemo autem dicet Parochum posse dispensare in omni lege, vel pœna, non specialiter ipsi reservata. »

De Regulis ex quibus dignosci queat an Episcopo permissum necne sit dispensare a Legibus Ecclesiæ, consule Wiestner, et Leuren. locis modo citatis.

ARTICULUS VI.

Quoad ea quæ episcopus potest, et debet, vel non.

(1. Episcopus prohibere potest, ne in Ecclesiis etiam Regularium canantur Cantilenæ, vel laudes idiomate italico; Sac. Cong, Rit. in Novarien. 7. Augusti 1628. et hoc auctoritate tributa a Concilio Trid. in Decreto *de evitand. in celebrat. Missar.* (2. Immo non obstante quacumque contraria consuetudine poterit Episcopus prohibere, ne in Ecclesiis, et Oratoriis publicis canatur. Musica lingua vernacula, quantumvis Cantiunculæ, et verba spiritualia sint. Sacr. Cong. Rit. in Hispalen. 3. Septembris 1659. et 24 Novembris 1696. referente Eminentissimo D. Cardinali Colloredo in responsione ad quartum, quia cantus hujusmodi est contra Ritum Ecclesiæ. (3. Episcopus potest suo arbitrio moderari scamna, et loca Laicorum in Ecclesia, Sacr. Congr. Rit. in Vintimilien. 10. Decem-

Digitized by Google

bris 1604. in Fundana 5 Octobris 1697. et in Verulana 6. Septembris 1698. et Sacr. Congr. Episcop. in Januensi 7. Aprilis 1583. in Camerinen. 12. Januar. 1588, in Sarzanen. 21. Novembris 1600. et in Recanaten. 10. Februar. 1645. (4. Episcopus potest prohibere, ne sedes Laicorum, etiam Præfecti, et Commendatarii locorum, locentur in Præsbyterio apud Altare, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. Sac. Cong. Rit. in Equitanien. 10. Junii 1602. in respons. ad 6. (5. Episcopus potest removere indecentia et scandalosa in Ecclesiis arbitrio suo, Sac. Cong. Rit. in d. Equitanien. in respons. ad 5. dubium. (6. Episcopus potest prohibere Ludimagistris exercitium Scholæ, quamvis fuerint nominati a communitatibus laicorum, nisi prius fuerint ab eodem approbati, ut respondit Sacr. Cong. Concilii in Asculana Apuliæ 28. Junii 1691.

(7. Episcopus potest ordinare, ut Canonici sedeant in sedibus Chori, vel in Scamnis apud Altare hinc inde juxta usum introductum, prout sibi melius videbitur Sac. Cong. Rit. in Alexandrina 25. Martii 1608. in respons. ad 11. dub. (8. Episcopus potest decretum edere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei, in qua defecerint; Sac. Cong. Episcopor. in Comens. 10. Maii 1589. et in Castellaneten. 20. Augusti 1602. et Sacr. Cong. Concil. in Nicien. 18. Novembris 1628. et in Melevitana 9. April. 1707. et Congregatio particular. in Casalensi 11. Martii 1708. ad 19. apud Card. Petram tom 3. *Comm. in Constit.* 2. *Nicolai III.* n. 18. (9. Episcopus potest reducere consuetudinem longioris vacationis Canonicorum a servitio Ecclesiæ ad tempus præscriptum a Sacro Conc. Trident. Sac. Cong. Conc. in Equitanien. 22. Novemb. 1602. ad 1. dub. (10. Episcopus potest auctoritate ordinaria, et etiam Apostolica sibi delegata a Sacra Congregatione prohibere Decano, et aliis quibuscunque Dignitatibus, et Canonicis, ne audeant, vel præsumant quidquam statuere, vel determinare, quod ad Ecclesiæ commodum, vel incommodum pertineat extra locum Capitularem, et non vocatis omnibus; Sac. Congreg. Rit. in Lamacen. 7 Octob. 1606. (11. Episcopus potest Regularem exemptum, qui ob notorium delictum in Censuras incidit, denunciare pro publico excommunicato, ut tamquam talis evitetur ab omnibus; Sacr. Congreg. Conc. in Messan. 11. Decembris 1626. et in Limana 19. Januar. 1633. et tenent Fagnan. in cap. *Grave* n. 75. *de Offic. Ordinarii* et in cap. *Potest.* a num. 15. ad 25. *de Sentent. et re judicat.* Barbosa *de Offic. et potest. Episc.* allegat. 105. n. 73. Card. de Luco in *Miscellan.* disc. 14. n. 6. et 7. *de Jurisdict.* disc. 29. num. 2. et 3. Panimoll. decis. 84. ad not. 2. n. 65. Pignatell. cons. 10. a num. 1. ad 6. tom. 7. et consult. 52. num. 6. et seq. tom. 9. Ventrigl. prax. part. 1. ad not. 48. num. 134. Tamburin. *de Jur. Abbat.* tom. 1. disp. 15. q. 7. num. 38. Nicol. *Lucubrat. Canon.* l. 5. tit. 39. *de Sentent. excomm.* n. 29. Pirhing. lib. 3. *Decretal.* tit. 31. num. 115. et alii plures. (12. Contrarium tamen tenent plures alii, quos congerunt, et sequuntur Pasqualig. ad Lauret. *de Franc. contr.* part. 1. num. 138. Donat. *prax. rer. Regular.* tom. 1. part. 2. tract. 13. quæst. 26. et 27. quibus favere videtur Raynald. *observat. forim.* suppl. ad caput 32. supplem. 4. num. 31. et seqq.

(13. Episcopus potest rationem administrationis officii exigere a Vicario Capitulari tempore Sedis vacantis constituto, et si reus reperiatur, punire, ut declaravit Sacr. Congregat. Concil. 8. Aprilis 1595. ad cap. 16. sess. 24. *de Reform.* Immo Episcopus omittens scienter, et negligenter facere syndacatum Vicario capituli, secundum graves Doctores peccat mortaliter quia Concilium Tridentinum d. c. 16. sess. 24. *de Reformat.* non consulit, aut hortatur Episcopum, ut recipiat rationem administrationis officii a Vicario, et aliis Officialibus Capituli, sed ei præcipit, et imperat illis verbis : *rationem exigat;* (14. Unde Episcopus omittens scienter, et negligenter id facere contra præceptum Concilii, non est, ut refert Monacelli part. 3. tit. 1. formul. 40. num. 2. immunis a culpa mortali per text. satis clarum in c. *Nulli fas* 19. dist. et ex aliis Juribus ad hoc probandum adductis a Fagnan. in c. *Quoniam* num. 22. *de Constitut.* et in c. *A crapula.* num. 21. *de Vita et honest. Clericor.* (15. Episcopus potest exigere juramentum de fidelitate administrandi ab administratoribus Locorum, et Legatorum piorum. Sac. Congreg. Concil. in Aliphana 18. Julii 1705. et 8. Maii 1706. (16. Et potest Episcopus ab ipsis rationes, et computa administrationis exigere, tam in Visitatione, quam extra, etiam per suum Delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis. Concil. Trident. sess. 22. c. 8. et 9. *de Reformat.* Sac. Congreg. Concil. in Hispalen. 11. Januarii 1596. et in Ferentina 15. Martii 1604. et sæpe alibi. (17. Immo Episcopus potest ab ipsis rationes, et computa administrationis exigere, etiamsi defunctus deposuisset, quod Legatum esset nullum, quando se immisceret Episcopus, et rationem requireret ab Executore, et Administratore, quem voluit a nemine posse cogi ad reddendam rationem. Sic expresse declaravit Sac. Congregat. Concil. apud Fagnan. in c. *Tua Nobis, de Testament.* num. 16. et iterum in una Civit. Plebis 10. Decembris 1695. in qua bis resolvit, Episcopum, tamquam Executorem omnium Legatorum piorum posse ad formam d. c. *Tua Nobis, de Testam.* cogere Administratores ad exequendam, et adimplendam Testatoris voluntatem, non obstante, quod expresse excluderetur in Testamento his verbis : « Che Monsignor Vescovo, o suo Vicario pro tempore non possa in alcun modo, ne sotto qualsivoglia pretesto, e causa ingerirsi, ne ad effetto d'eseguire, esortare, e persuadere, ne ad altro effetto, nella presente donazione, disposizione ed istromento, ma il tutto sii esente dalla sua giurisdizione ordinaria, e delegata, e dalla legge diocesana, che con questa condizione espressa il detto

Digitized by Google

Donatore dichiara aver fatta, e voler fare donazione, che altrimenti non avrebbe fatta, ne vorrebbe averla fatta, mentre questi potessero ingerirsi. » Vid. verb. *Administratio*, et verb. *Confraternitas* art. 3. ubi late ostenditur, posse Episcopum rationem administrationis exigere a locis piis, et Confraternitatibus, etiamsi sint sub immediata Regum protectione.

(18. Episcopus potest ex aliqua rationabili causa convocationem Capituli Canonicorum habere, et suspendere : Sac. Cong. Episc. in Regien. 4. Junii 1604. et S. Cong. Conc. in Lauretana 6. Feb. 1700. (19. Episcopus potest intervenire in actionibus Capitularibus, dummodo non agatur de interesse suo, non obstante quacunque consuetudine in contrarium Sac. Congr. Concil. 2. Martii 1619. (20. Episcopus potest cogere Canonicos ad præstandum juramentum de fideliter punctando in Choro. Sac. Congr. Concil. 17. Martii 1619. (21. Episcopus potest retinere penes se unum, vel duos Canonicos, qui fructus Præbendæ, non tamen quotidianas distributiones percipiant, ac si choro præsentes essent, etiam stante consuetudine in Ecclesia Cathedrali, quod Canonici non interessentes divinis non percipiant fructus Præbendæ Sacr. Congr. Concil. teste Nicolao Garcia *de Benefic.* part, 3. c. 2. num. 347. (22. Episcopus potest et debet providere juxta formam cap. 12. in fine sess. 24 *De reformat.* ne una pars Chori aliquando vacua remaneat per absentiam Canonicorum, dum Canonici habentes assignatas sedes in alia parte, sedes suas egredi renuunt ; Sacr. Congr. Concil. in Gienen. 7. Septemb. 1595. (23. Episcopus potest concedere, ut Canonici ob aeris intemperiem valeant horam Matutini protrahere, prout pro tolerantia respondit Sacr. Congr. Concil. in Trojana 14 Feb. et 14. Novemb. 1699. favore capituli Collegiatæ Civitatis Foggiæ. (24. Episcopus de consensu Capituli erigere potest Dignitatem etiam in Cathedrali. Sacr. Congreg. Concil. in Clodien. 5. Julii 1608. in Aquinaten. 20. Februar. 1677. in Mazariensi 20. Septembr. 1692. et in Sabinen. 14. Aprilis. 1696.

(25. Episcopus potest diebus Festis larvas prohibere, non obstante asserta contraria consuetudine, et licentia præstita a Gubernatore, ut declaravit Sacr. Congreg. Episcopor. et Regul. in Viterbiens. seu Aquipendii 16. Januar. 1693. (26. Item potest etiam Episcopus meretricibus larvam prohibere, quamvis Gubernator eisdem illam deferendi permissionem, et facultatem dedisset prout Sacr. Congreg. Episcopor. rescripsit. V. Legato Marchiæ 9. Martii 1604. (27. Episcopus potest prohibere, nedum Clericis sæcularibus, sed etiam Regularibus, ne incedant cum larva. Sac. Congregat. Episcopor. et Regul. in Ferrariens. 5. Februar. 1585. (28. Potest Episcopus carcerare Regulares offendentes suos Ministros, et Officiales. (29. Sacra Congreg. Episcop. in Theatina 27. Martii 1692. Episcopus potest coercere, et punire Militem Hierosolymitanum, et alios exemptos offendentes personam Officialium suæ Curiæ Episcopalis in actu exercendi suum Officium, aut alios suam jurisdictionem impedientes. Sacr. Congr. Concil. in Panormitana, ubi proposito dubio : « An Milites Hierosolymitani offendentes in personam Officialium Curiæ Archiepiscopalis Panormitanæ in actu exercendi suum officium, aut alias Illustrissimi Archiepiscopi jurisdictionem impedientes, ab eodem coerceri, et puniri possint? Sac. Congr. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, partibus auditis, dubioque accurrate discusso censuit posse. » Card. Ubaldinus.

(30. Episcopus potest retinere familiam armatam, et Satellites. Sacr. Congregat. Episcopor. in Civitat. Castell. 14. Aprilis 1615. in responsione ad tertium dubium ; et sic Doctores communiter. (31. Et si non habeat familiam armatam, potest concedere licentiam Lictoribus Tribunalis Laici, ut capiant Clericos deferentes arma, modificatione tamen contenta in Decreto emanato sub *die* 3. *Februar.* 1635. *in Turritana*, quod est sequentis tenoris : « In locis, ubi adest abusus inter Clericos deferendi arma, et Episcopus non habet familiam armatam, debet publicare edictum, ne Clerici sæculares, vel Regulares arma deferant, et si parere detrectent, et ubi necessitas exposcit, Ministris Curiæ sæcularis facultatem tribuere, Clericos contra prohibitionem arma deferentes capiendi, etiam quoad Regulares, si hi ita notorie deferant, et delinquant extra Claustra, ut populo scandalo sint, ac in aliis casibus in jure, et Constitutionibus Apostolicis expressis, ita tamen, ut ea, qua decet, decentia capiantur, et recto tramite ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ ducantur, » lib. 15. decret. pag. 162. juxta dispositionem Concilii cap. 3. sess. 15. *de Reformat.* (32. Episcopus in sua Diœcesi utitur familia armata. Tribunalis Laici absque Judicis licentia, quia Lictores requiruntur tamquam personæ privatæ materialiter, ut velint nomine suo (a quo recipiunt auctoritatem) exequi ejus mandata, quod Judex Laicus nullo modo potest prohibere; cap. final. *de Immunit.* in 6. Pignatell. tom. 1. consult. 174. et pluries declaravit Sacr. Congregat. Immunitat. et præsertim in Narnien. 23 Junii 1648. lib. 4. *Decret. Pauluc.* fol. 13. et in Maceraten. 2 Septemb. 1664. in qua injunctum fuit extrahi rubricam Decreti alias editi sub die 30 Junii 1632. in causa Vercellen. tenoris sequentis... « Judices, et Ministros non posse prohibere executoribus Curiæ laicalis, quominus exequantur monitoria, et mandata Curiæ Ecclesiasticæ, etiam nulla petita licentia, vel assensu. » Lib. *Decretor. Rocci* fol. 568.

(33. Episcopus contra Clericos non deferentes habitum postquam ter monuit, potest illos privilegiis Clericalibus privare. Sac. Cong. Immunit. in Aquilana 5 Martii 1641. in qua sic respondit Episcopo, « quod Clericis delinquentibus, et non incedentibus in habitu, et tonsura, et non inservientibus Ecclesiis, fiat præceptum cum termino competenti sub pœna privationis privilegiorum Clericalium, quod si non paruerint, poteri

Digitized by Google

procedere ad illorum privationem ser. ser. qua sequuta, gaudere non poterunt, » lib. 3. *Decr. Paul.* fol. 139. Et similiter decrevit in Castrens. die 21 Martii 1645. lib. 3. *Decret. Paul.* fol. 246. Et in Anglonen. 15 Julii 1654. lib. *Decret. Rocci* fol. 595. (34. Episcopus potest punire Clericum delinquentem, et requisita Concilii non habentem, et tamquam Laicum se habentem, etiamsi Judex Laicus prævenerit, a quo repetere possit, dummodo ille per declarationem a jure, vel ab homine servatis servandis factam, non fuerit privilegiis Clericalibus denudatus; Sac. Congr. Concil. 12 Novembris 1630, quam refert Sperell. decis. 17. n. 33. in fine; ubi testatur, hanc resolutionem fuisse a Sanctissimo D. N. Urbano VIII. canonizatam et approbatam, et ad hoc facit casus sequens.

(35. « Clericus primæ Tonsuræ, a die quo fuit Ordinatus per septem annos continuos non incessit in habitu, et tonsura; immo intra dictum tempus exercuit Officium Judicis; commisso delicto, fuit a Judice Laico inquisitus, citatus, et domi sistere jussus, sed arrepta fuga, reassumptoque habitu, cœpit Ecclesiæ inservire. Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari.

« I. An iste Clericus gaudeat privilegio fori.

« II. An Episcopus possit Judici Laico fundanti super notorietate a reassumptione habitus in fraudem, inhibere ne procedat, nec quoad personam, nec quoad bona, donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?

« III. An saltem id possit visis litteris primæ Tonsuræ?

« IV. An contra Judicem Laicum nihilominus non desistentem possit procedere ad Censuras?

« V. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?

« VI. An debeat? »

Die 30 Maii 1676, Sacra Congr. Conc. respondit ad omnia *affirmative.*

(36. Episcopus punire potest contrahentes Matrimonia contra suam prohibitionem. Sac. Congreg. Concil. sub die 10 Febr. 1626. (37. Item punire potest illos, qui contrahunt coram Parocho dissentiente. Ead. Sac. Congr. (38. Item punire potest eos, qui contrahunt, omissis denunciationibus. Ead. Sacr. Congr. (39. Item punire potest testes, si sint in dolo. Ead. Sac. Cong. in qua propositis sequentibus quæsitis.

« An Episcopus possit punire contrahentes Matrimonium contra ejus prohibitionem contractum?

« II. An eos, qui contrahunt coram Parocho ex causa justa dissentiente?

« III. An eos, qui contrahunt omissis denunciationibus?

« IV. An possit punire testes intervenientes in supradictis casibus?

« V. An possit in eisdem casibus punire pœnis pecuniariis, locis tamen piis applicandis? »

S. Congregatio, etc.

Ad primum, secundum, et tertium respondit: *Episcopum posse.*

Ad quartum: *posse, quatenus testes sint in dolo.*

Ad quintum pariter respondit: *posse;* et novissime censuras latas in Synodalibus Constitutionibus contra Sponsos, qui Matrimonium absque præviis denunciationibus inierant, esse validas, respondit Sac. Congr. Concil. in Placentina 3 Februar. 1725. ad 2 dub. ubi erat lata excommunicatio.

(40. Et in Savonen. 2 Martii 1595, respondit: « Matrimonium contractum, servata forma Concilii, esse validum, etiamsi antea Episcopus inhibuisset Parocho, licet hic puniri valeat ob inobedientiam, » lib. 8, *Decr.* fol. 106.

(41. Episcopus potest contra Concubinarios, nullis præcedentibus monitionibus, procedere, quando non procedit ad Censuras; Sac. Cong. Concil. die 23 Junii 1629. Et iterum Episcopus potest contra Concubinarios procedere eos carcerando, quando timetur de fuga juxta formam traditam in c. 6, absque monitione. Vel sic Episcopus potest ipse solus ex Decreto Conc. sess. 23, *de Reform.* c. 14, in crimine concubinatus ad informationem summariam, et incarcerationem procedere, ubi de fuga timetur, idque absque forma et monitione illa, quæ præscripta est dicto Decreto Concilii. Sac. Cong. Conc. Utrumque refert Nicol. Garcias *de Benef.* p. 11, c. 10, n. 186. (42. Episcopus absque Inquisitore potest cognoscere, decidere et determinare causas illorum, apud quos reperiuntur libri prohibiti non sapientes manifestam hæresim. Sac. Cong. generalis et universalis Inquisitionis, 2 Decemb. 1612. (43. Episcopus potest procedere contra Laicum, qui subornare attentavit testes in causa pendente coram Judice Ecclesiastico. Sac. Cong. Immun. in Regien. 18 Martii 1631. (44. Episcopus potest delegare alicui Sacerdoti sibi beneviso benedictionem Ecclesiæ, seu Capellæ in agro existentis, si alias est legitime constructa. Sac. Cong. Rit. in Fanen. 14 Febr. 1632. (45. Episcopus solus potest habere fenestram e domo respicientem in Ecclesia. Sac. Congr. Rit. in Elboren. 19 Junii 1604. (46. Episcopus potest ex causa concedere Confraternitatibus Laicorum, ut in eorum Ecclesia conservent Sanctissimum Sacramentum. Sac. Congreg. Rit. in Iscolen. de Ferro, 11 Junii 1604. (47. Episcopus potest pro contributione Seminarii taxare bona confraternitatum, quatenus sint Ecclesiastica; Sac. Congr. Concil. in Sinuina, 19 Novembris 1628.

(48. Episcopus debet esse vitæ irreprehensibilis; D. Paulus 1, *ad Timoth.* cap. 3, et late Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* p. 1, tit. 2, glossa 3. (49. Debet esse Episcopus hospitalis, et eleemosynarius; 1 *ad Timoth.* c. 3, *ad Titum,* c. 1, c. *Fratrem,* dist. 86, c. *Episcopus,* c. *Res Ecclesiæ,* et c. seq. 12, q. 1. Concil. Trident. sess. 25, *de Reform.* et late Barbosa, loc. cit. glossa 9. (50. Episcopus debet esse pudicus, et continens,

Digitized by Google

unde debet fugere consortia mulierum; 1 *ad Timoth.* c. 3, *ad Titum*, c. 1, c. *Interdixisti*, et c. *sequent.* dist. 32, et late Barbosa, loc. cit. glossa 8. (51. Episcopus debet esse sobrius, et non vinolentus, nec epulator; 1 *ad Timoth.* c. 3, *ad Titum*, c. 1, et late Barbosa, loc. cit. glossa 5 et 11. (52. Episcopus debet esse modestus, mansuetus, et humilis; 1. *ad Timoth.* cap. 3. *ad Titum* cap. 1. c. *Licet plerumque* dist. 45. Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. *de Reform.* et late Barbosa loc. cit. gloss. 12 et 13. (53. Debet avaritiam et iracundiam fugere; 1. *ad Timoth.* c. 3. *ad Titum* c. 1. c. *Ex parte, de Censibus*, c. *Episcopus* 11. q. 3. et late Barbosa loc. cit. gloss. 14 et 15. (54. Episcopus debet esse doctor, et prudens, ut omnibus omnia factus, sciat pro exigentia monita salutis præbere, et oves sibi commissas pascere verbo Dei; 1. *ad Timoth.* cap. 3. *ad Titum* c. 1. c. *Qui Episcopus* dist. 23. c. *Episcopus* dist. 88. c. *Placuit* 10. q. 1 c. 1. § *Sane, de Censur.* in 6. Concil. Trident. sess. 4. c. 2. *de Reformat.* et late Barbosa loc. cit. gloss. 6 et 10.

(55. Episcopus debet concordiam, pacem, et unitatem non solum inter Ecclesiasticos, sed etiam inter laicos fovere, c. *Præcipimus*, et per tot. dist. 90. c. *Episcopus*, c. *Res Ecclesiæ*, et c. seq. 12. q. 1. Graff. *Decis. aur.* p. 2. lib. 2. cap. 21. n. 21. (56. Episcopus debet pupillis, viduis, aliisque pauperibus oppressis providere, tueri, et justitiam ministrare; c. *Pervenit*, et c. *sequent.* dist. 84. c. 1. 2. et per tot. distinct. 87. c. *Scire* 23. q. 8. c. *Super quibusdam* in fin. de verb. *Signific.* (57. Episcopus debet quotidie Missam celebrare, vel saltem audire; c. *Quoniam Episcopi* 12. *de Privileg.* in 6. ibi: « Nec semper possunt commode ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili ullam diem; » ac si celebret, pro ovibus suis sacrificium applicare. Concil. Trident. sess. 23. *de Reformat.* Monacell. t. 1. tit. 1. formul. 1. num. 8, qui tom. 2. tit. 16. formul. 2. a num. 23. et tom. 3. tit. 2. form. 8. late probat, quod Episcopus teneatur frequenter pro populo Sacrificium offerre. Immo tom. 3. tit. 2. form. 7. num. 24. dicit, quod Episcopus debet saltem diebus Dominicis interesse Choro. (58. Episcopus debet mores in populo, disciplinam in Clero, nitorem et decorem in Ecclesiis totis viribus fovere, et promovere; Concil. Trid. sess. 24. c. 3. *de Reformat.* Bellet. *Disquisit. Clerical.* p. 1. § 5. *de Favor. Cleric. real.* num. 67. et seq. Crispin. *de Visitat.* pag. 2. § 14. num. 8. (59. Episcopus debet delicta Clericorum præsertim publica punire, et mores reformare; cap. *Nemo quippe*, et cap. *Si quis Episcopus* dist. 83. cap. *Quid autem* 8. q. 1. cap. *Est injusta* 33. q. 4. c. final. *de Excessibus Prælat.* c. § *Sane, de Censib.* in 6. (60. Episcopus debet per se ipsum legitime non impeditum Diœcesim visitare singulis annis, et si propter ejus latitudinem non possit visitare totam quotannis, debet saltem toto biennio per se, vel suos visitationem complere. Sic expresse Concil. Trid. sess. 24. c. 3. *de Reform.* (61. Episcopus debet Officiales, et Ministros bonis moribus, bonaque fama præditos retinere, et improbos arcere; Concil. Trident. sess. 2. *de Reformat.* c. unico. (62. Episcopus debet Sacramentum Ordinis sine labe et suspicione Simoniæ, aut spe munerum, et tantum dignis conferre; cap. *Sacerdotes* dist. 49. cap. *Presbyter* 1. quæst. 1. cap. *Per tuas, de Simonia* cum concordant.

(63. Episcopus debet mulctas, et pœnas pecuniarias locis, et usibus piis applicare; cap. *Presbyteris, de Pœnitent.* Conc. Trid., sess. 6, c. 1. sess. 23, c. 1. et sess. 25, *de Reformat.*, c. 3. (64. Unde debet constituere fidelem Depositarium, qui ipsas recipiat, et fideliter de suo mandato locis, et usibus piis applicet; Sacr. Cong. Episcop. in Caven., 5 Octob. 1577, in Nicoteren. 1 Apr. 1596, in Cantanzaren. 16 Augusti 1604, et alibi sæpissime; Vide verb. *Pœna*, art. 1, a num. 50 ad 72.

(65. Et debent applicari pauperibus, vel locis piis Diœcesis ad arbitrium Episcopi; Sacr. Congreg. Episcop. in Orien. 21 Maii 1580, in Motulana, 21 Junii 1652. (66. Nec potest Episcopus ipsas sibi applicare, quamvis sit pauper, et egenus, nisi sibi a Sede Apostolica fuerit hoc specialiter permissum, et concessum; Nicolius, *Lucubrat. Canon.*, lib. 5, tit. 37, sub num. 1, amplia 3, ubi refert ad hoc plura Decreta; Fagnan., in c. *Presbyteri*, num. 18, 39, et per tot., *de Pœnis;* Monacell., tom. 1, tit. 1, formul. 13, a num. 2 ad 4. Quarant., in summ. *Bullar.*, verb. *Pœnæ pecuniariæ*, Riccius, *Prax fori Eccles.*, p. 1, resolut. 321. Graff., *Decis. aur.*, part. 1, lib. 2, c. 23, num. 18. (67. Nec Episcopus potest partem ipsarum pœnarum applicare suo Fiscali, vel alteri Officiali; Sacr. Congr. Concil. in Alexandrina 18 Januar. 1613, et in Clusina 23 Novembris 1640. Vide d. verb. *Pœna*, num. cit.

(68. Episcopus debet Beneficium Parochiale conferre per concursum, si conferat jure devoluto ob negligentiam Patroni Laici; Sacr. Congreg. Conc. 29 Novembris 1600. (69. Episcopus in collatione Beneficii debet servare formam a Fundatore præscriptam, etiamsi conferat jure devoluto, et sic debet conferre uni ex vocatis; Garcias, *de Benefic.*, p. 10, c. 3, num. 42. Monacell., tom. 1, tit. 2, formul. 10, num. 13, et alii passim. (70. Episcopus in fundatione Beneficii debet admittere conditiones præscriptas a Fundatore, quamvis Juri communi contrarias, dummodo non sint turpes, impossibiles, et contra naturam Jurispatronatus; et hoc ne Laici a fundationibus retrahantur; c. *Eleutherius* 18, quæst. 2, Clement. *Quia contingit, de Religios. domib.*, et communis Doctor. cum Gonzal., ad reg. 8. *Cancellar.*, gloss. 5, num. 47, 102 et 103. Barbosa supra Concil., c. 9, sess. 22, *de Reform.*, num. 27 et 28. Lotter., *de re Benef.*, lib. 1, q. 32, num. 14 et 15. (71. Episcopus debet in publicatione Decretorum Synodi, Capituli consilium exquirere, aliter nulliter agit; Sacr. Cong. Concil. in S. Marci Synod. 10

Digitized by Google

Maii 1666, et in Boven. Synod. 17 Februar. 1680. (72. In Beneficiorum unione Episcopus adhibere debet consilium, et assensum Capituli; Clement. 2, *de rebus Eccles. non alienand.* Seraphin., decis. 108, num. 2. Monacell., tom. 4, supplement. ad tom. 2, n. 313. (73. Item debet Episcopus adhibere consilium, et assensum Capituli in erectione novæ Dignitatis, et novi Canonicatus; Sacr. Congr. Conc. in Clodien. 5 Jul. 1608, in Aquinaten. 10 Febr. 1677, in Mazarien. 20 Septemb. 1692, et in Sabin. 14 Apr. 1696.

(74. Quid possit et debeat Episcopus quoad Regulares, et Moniales; Vid. verb. *Regulares*, et verb. *Moniales*. (75. Episcopus non potest erigere Collegiatam, neque in actu Visitationis; Sacr. Congregat. Conc. in Catanien. erectionis Collegiatæ 1 Septem. 1691, in qua cum quæsitum fuisset: « An erectio Collegiatæ facta per Episcopum in actu Visitationis Ecclesiæ S. Antonii Oppidi S. Philippi de Argiro sustineretur? » responsum fuit *negative*. (76. Neque potest Episcopus curam supprimere, ut erigat Dignitatem; Sacr. Congreg. Concil. in Pientina 14 Februar. 1693. Neque potest Episcopus de novo concedere Canonicis Almutiam; Sacr. Congreg. Rit. in Placentina 16 Januar. 1620. (77. Neque Cappam sine privilegio, et expressa licentia Sedis Apostolicæ; ead. Sacr. Congreg. Rit. in Elven. 16 Januar. 1604, in Brundusina 10 Dec. 1612, in Hydruntina 1 Septembris 1618, in Taurinen. 21 Junii 1641, in Tarvisina 8 Februar. 1659. (78. Episcopus non potest statuere, quod Canonici, qui non sunt in Sacris, non lucrentur distributiones; Sacr. Congregat. Concil. in Patavina 23 Augusti 1631. (79. Neque potest statuere quod Canonicis Jubilatis vigore Indulti non debeantur distributiones extraordinariæ, quæ vel ob absentiam, vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt, nam pro his indultum suffragatur; Sacr. Congregat. Concil. in Romana 5 Maii 1703, et in Burg. S. Domnini 19 April. 1704. (80. Neque potest statuere, quod distributiones, quæ amittuntur a Canonicis absentibus, et accrescunt inservientibus, applicentur Fabricæ Ecclesiæ, aliisve usibus piis; Sacr. Cong. Conc. in S. Severini 16 Jun. 1695, et in Cathacen. 18 Junii 1699. (81. Episcopus sicuti et Capitulum non potest amissas distributiones ob non residentiam remittere, aut condonare illi ipsi, qui eas amisit; Conc. Trid. sess. 24, c. 12, *de Reform.*, verb. *Distributiones*, et Sacr. Congreg. ejusdem Concilii in Giennen. 24 Aprilis, et in Avenion. 25 Septembris 1700.

(82. Episcopus non potest uti Oratorio privato extra Domum propriæ habitationis. Sic mandante, et approbante Clemente XI, in Decreto Generali de celebratione in Oratoriis privatis, statuit Sacr. Congreg. Concil. 15 Decembris 1703. Vide tamen Pontificiam declarationem ad id datam sub verb. *Oratorium*, num. 70. (83. Episcopus non potest cogere, sed hortari Curatos, et Rectores Ecclesiarum, ut necessaria ministrent Presbyteris celebrare volentibus in eorum Ecclesiis; Sacr. Congreg. Rit. in Equitan. 10 Junii 1602, ad. 4 dub. (84. Episcopus non potest concedere licentiam, ut quis celebrare possit Missam cum Birreto, seu Berretino, aut Pileolo in capite, sed spectat tantum ad Summum Pontificem eam dare; Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. 2 Januar. 1590, et 17 Junii 1595. (85. Idem censuit etiam Sacr. Congreg. Conc. 16 Febr. 1619. Immo neque ipse Episcopus potest eo uti sine Sedis Apostolicæ licentia; Sacr. Rit. Congr. 31 Januar. et 4 Aprilis 1626, quia c. *Nullus* 56, *de Consecr.*, dist. 1, etiam Episcopo prohibet velato capite celebrare. (86. Episcopus non potest ultra duos menses uti opere Parochi; Sacr. Cong. Conc. die 8 Januar. 1638. (87. Episcopus non potest concedere licentiam Canonicis a residentia absentandi ultra tres menses; Sacr. Cong. Conc. testibus Nicol. Garcia, *de Benef.*, p. 3, c. 2, n. 476. Armend., in addit. ad *Recop. ad leges Navarræ*, lib. 2, tit. 23, *de Resident.*, sub tit. *An Canonici*, etc. num. 84, et cum ipsis tenent Fagn. in c. *Licet*, num. 37, *de Præbend.* Monacell., tom. 1, tit. 4, form. 7, num. 8. Barbosa, et alii passim firmantes, quod Episcopus licentiam absentiæ ultra tres menses extendere non possit, nisi ex causis expressis in Jure, et juxta formam c. *Unici*, *de Cleric. non resident.*, in 6. (88. Episcopus non potest dispensare, ut Dignitas in Ecclesia Cathedrali non habens Curam animarum possit conferri illi, qui non habuerit 22 annos completos; Sacr. Congreg. Conc. die 20 Sept. 1631.

(89. Episcopus non potest dispensare, ut habens duo Beneficia etiam simplicia, et ad honestam Clerici sustentationem non sufficientia, possit obtinere, et retinere tertium Beneficium, etiamsi omnia simul ad Beneficiati sustentationem non sufficiant: sic fuit pluries declaratum a Sacr. Congreg. Concil. et signanter die 10 Maii 1697, et die 16 April. 1628, in una Anagnina sic: « Beneficium tertium simplex retinere non potest absque provisione Sedis Apostolicæ, quamvis duo priora sint ad obtinentis sustentationem insufficientia, » et sic in Aquilana 14 Augusti 1632, et hæc est vera mens Sacri Conc. Trident. ut testantur Fagnan. in c. *Cum jamdudum* 18, *de Præbend.*, n. 71, de mente ipsius Sac. Congr. Concilii, quæ, ut dicit ipse, sæpe sæpius in casibus contigentibus respondit: « Episcopum habenti unum simplex Beneficium, quod non sufficiat ad ejus sustentationem, posse aliud simile conferre, sed non posse ultra duo absque dispensatione Sedis Apostolicæ, etiamsi omnia simul ad illius sustentationem non sufficiant. » (90. Immo neque potest Episcopus dispensare, ut quis retineat tertium Beneficium simplex, etiamsi esset de Jurepatronatus, ut decrevit Sacr. Congreg. Concil. in una Boven. 13 Novembris 1629, in qua cum dubitatum fuisset, an habens duo beneficia simplicia, tertium de Jurepatronatus ad præsentationem Patronorum auctoritate ordinaria assequi, et retinere possit absque dispensatione Apostolica? Sacr. Cong. censuit, « ter-

Digitized by Google

tium Beneficium simplex, etiamsi de Jurepatronatus, non posse retinere cum duobus aliis absque Sedis Apostolicæ dispensatione. » (91. Episcopus non potest Beneficiatis addere nova onera in fundatione non apposita, aut a Sacris Canonibus non imposita; Barbosa, supra Conc. Trident., cap. 5, sess. 25, *de Reformat.*, num. 7. Ricc., in *Prax.* p. 4, resolut. 468, num. 2, ubi hoc ampliat, etiamsi aliquo tempore ex sua voluntate præstiterint; Garcias, *de Benefic.*, p. 7. cap. 1, num. 111 et 112. Fagnan., in c. *Conquærente*, n. 24 et 25, *de Cleric. non resident.*, et etiamsi consensus Canonicorum antecessorum intercessisset; Ricc., loc. cit. resolut. 463, per tot. Sacr. Congreg. Concil. in Sarnen. 3 Junii 1690, in qua responsum fuit, Episcopum non potuisse addere onus Pœnitentiariæ Canonicatui erecto per Testatorem cum solo onere Missarum et in Asten. 14 Februar. 1699, in qua fuit responsum, onus personalis residentiæ, et celebrationis Missarum per se ipsum a Fundatore non injunctum non potuisse addi per Executorem testamentarium, neque in provisione Episcopi.

(92. Episcopus non potest primam præbendam vacantem assignare pro Pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi Theologalis propter verba Concil., sess. 5, c. 1, *de Reform.* Si tamen in aliqua Civitate fuerit judicatum magis expediens, ut prius de Pœnitentiario quam de Theologo provideatur, habenda est confirmatio a Sede Apostolica ad omnem difficultatem tollendam; Sacr. Congregat. Concil. in Civitatis Castellanæ 17 Novembris 1629. (93. Episcopus non potest conferre Canonicatus Pœnitentiariæ, et Theologalis nisi per viam concursus ex novissima dispositione Benedicti XIII, in Constit. incipiente *Pastoralis.* (94. Episcopus non potest sine consensu Capituli Canonicatum de novo erigere; Sacra Congregat. Concil. in Clodien. 5 Julii 1608, in Aquinaten. 20 Februar. 1677, in Mazarien. 20 Septembr. 1694, et in Sabin. 14 April. 1696. (95. Episcopus non potest transferre in Cathedralem Capellanos habentes servitium Chori in Capella prope Cathedralem existentem ob parvum numerum Capellanorum, propter quod minus decenter ibidem Chorus retineatur; Sacr. Cong. Concil. in Burgen. 12 Ausgusti 1618. (96. Episcopus non potest ad privationem procedere ob non susceptos Ordines contra Canonicos suæ Ecclesiæ absque solemnitate a Concilio requisita. Sic decisum fuisse a Sacra Cong. Conc. refert Aldan., in *Compend. canon. resolut.*, lib. 3, tit. 24, num. 125. (97. Episcopus non potest cogere, sed hortationibus invitare Clericos, et Presbyteros non Confessarios ad interessendum conferentiis casuum conscientiæ. Sic pluries declaravit Sac. Cong. Conc. et novissime in Civitat. Plebis 15 Mart. 1692, in qua collatis decretis, quæ ad invicem videbantur pugnare, ad dubium propositum: « An Episcopus possit compellere Canonicos Confessarios, cæterosque presbyteros Cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accederent ad Congregationem casuum conscientiæ? » Responsum fuit « posse compellere omnes Sacerdotes sæculares Confessarios, etiamsi Canonici sint; cæteros autem hortari. » Hæc resolutio, quæ cum antiquis decretis relatis a Pignatell., consult. 18, tom. 8, a Panimoll., decis. 1, annot. 18, num. 20, concordat, fuit deinde confirmata a Congr. particulari deputata in Vigilien. Synodi 20 Maii 1699, in responsione ad 35 decretum, et iterum in Cong. Generali in Ariminen. 18 Julii ejusdem anni, et prius in alia S. Angeli Bisacciarum 15 Aprilis 1690.

(98. Episcopus, atque Prælati, et Superiores Monasteriorum Monialium clausuram ingredi non possunt, nisi in casu necessitatis, et non nisi sociati a paucis senioribus, Ecclesiasticis viris. Sic expresse Gregorius XIII. in Constit. incipien. *Dubiis;* ubi volens declarare dubium exortum super intelligentia alterius suæ Constitutionis incipientis *Ubi gratiæ*, sic ait: « Constitutione item nostra fuit provisum, ne cui in posterum nisi in casibus necessariis septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, a nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis hujusmodi septa ingredi, vel potius servare debeant ipsi quoque regulam a Concilio præscriptam. » Hæc in procœmio, et in dispositiva: « Nos omnem hæsitationis materiam tollere, et viam scandali præcidere, ac Sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tam sæculares quam Regulares, quibus cura, et regimen Monasteriorum quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque Senioribus, ac Religiosis personis comitati, » etc., et etiam expressum in Jure, ut in c. *Ut juxta* 17, *de Offic. Ordinarii*, et in Clementina *Attendentes*, *de statu Monachor.* § *Ipsos autem*, et declaratum a Sacr. Cong. Episcopor. et Regular. in Gallipolitana 22 Maii 1615. his verbis: « Congregatio decrevit, Episcopum non nisi in necessitatis articulo, et gravibus, maturæque ætatis Ecclesiasticis personis associatum Monasteriorum septa ingredi posse, » et eadem repetit Gavant. in *Manual. Episcop.* verb. *Monialium Clausura* num. 46. ubi ait: « Quibus cura est Monialium, non pos sunt ingredi, nisi in casibus necessariis, cum paucis senioribus, ac Religiosis viris. » (99. Unde non potest Episcopus secum ducere ullos Laicos tamquam comites, et socios, solum quia sint sui, aut alicujus Monialis amici, aut videre curiosi; c. *Ut juxta* 17. *de Officio Ordinarii*, ibi: « Firmiter inhibemus, ut nullus de cætero sæcularis... secum Visitationis tempore introducat » et cit. Constitut. incipient. *Dubiis*, ibi: « A paucis, iisque senioribus, et Religiosis personis comitati. »

(100. Nec valet objicere, quod dicta Cle-

Digitized by Google

mentina *Attendentes, de statu Monachor.* § *Ipsos autem*, loquitur simpliciter « de aliis viris honestis, et maturis, » et non distinguit, an debeant esse Clerici, vel Laici ? Non valèt, inquam, quia licet id non declaravit dicta Clementina, declaravit tamen ex post Gregorius XIII. in dicta Constit. incipiente *Dubiis* per allata verba et Sacra Congregatio Episcopor. et Regular. in relata Gallipolitana, quæ etiam alibi semper prohibuit Laicos ullo modo intervenire Visitationi Monasteriorum Monialium, ut in Tarvisina 20 Novembris 1601, quæ habetur in originali registro fol. 105. etiamsi essent Officiales, seu Sanctesii ejusdem Monasterii; ut in Genuen. 16 Januar. 1407. in registr. fol. 2 et 3. et in Lucana 22 Januar. 1616. fol. 15. ut refert Fagnan. in cit. cap. *Ut juxta* 17. *de Offic. Ordinarii* num. 22. (101. Si tamen Episcopus occasione ingressus ad succurrendum necessitati, vel ad promovendam utilitatem Monasterii, indigeret consilio et auxilio alicujus periti Laici, tunc posset unum, aut plures secum ducere ad talem solum finem, quia tunc Laicus non tanquam comes, et socius ingrederetur, quod est prohibitum, sed tanquam Peritus necessarius, prout deducitur ex alia ejusdem Sacræ Congregat. resolutione emanata 18. Februar. 1593. quam refert, et originaliter in Archivio Tragurien. servari testatur Pax Jor. *Elucub.* t. 2. l. 7. tit. 12. n. 103. in qua sic habetur : « Nel visitare i Monasteri delle Monache entrino con V. S. o suo Vicario solamente persone Religiose, ed oneste secondo la Bolla di Pio V. e non v' entri alcun Laico se non quando l' Ordinario lo giudicasse necessario per alcun giusto rispetto. »

(102. Numerus personarum qualitates requisita habentium, quas Episcopus potest secum introducere in Clausuram Monialium, quamvis in d. Constitutione Gregorii XIII. non sit determinatus, tamen non debet esse major quam octo, ut recte resolvit Fagnan. in cit. cap. *Ut juxta* num. 30. his verbis : « Pondera primo, nam in declaratoria Gregorii non determinatur numerus personarum, quas Prælati possunt secum ducere intra septa Monasterii Monialium, determinatur tamen in præcitata Clementina *Attendentes, de statu Monachor.* a qua Constitutio Gregorii recipit interpretationem passivam juxta text. in l. 2. Cod. *de Noxali.* (103. Unde si Visitatores introducerent plures, quam octo ibi (id est in d. Clementina) præfinitas utique pœnas constitutionis non evaderent, et hoc planum. » Nam, ut ipse Fagnanus num. 31. et seq. probat, cum significatio illius verbi *paucis* in jure sit varia, non valet restringere dictum numerum, sed arbitrio judicantis relinquitur, ut notat glossa in cap. *Cupientes* § *Cæterum*, in verb. *Contradicentium paucitas, de Election.* in 6. et in cap. *Statutum* § *insuper*, in verb. *Paucis, de Rescript.* in 6. Arbitrium vero ad Juris correctionem non extenditur, cum potius debeat a Jure regulari, ut notat Bart. in Extrav. *Ad reprimendum*, in verb. *Videbitur* num. 8. Cæsar. de Grass. decis. 7. num. 7. et decis. 8. num. 2. et 4. *de Sentent. et re judicat.* Rota pag. 7. recent. decis. 264. num. 1. Unde cum in d. Clementina *Attendentes*, præfixus sit numerus ad octo personas, talis numerus est attendendus, et sic intelligendo verba illa « a paucis comitati, » declaratoria Gregorii est conformis prædictæ Clementinæ *Attendentes*, et in specie quod pauci dicantur octo, notat Bartol. in leg. *Scire etiam oportet* num. 1. ff. *de Excusat. tutor.* et concordare videtur Pirhing. l. 1. decr. t. 31. *de Offic. Ordin.* n. 98. vers. *Notandum tertio*, ubi loquens de eadem re concludit sic : « Verum Constitutio hujus cap. locum tantum habet, quando visitantur Monasteria virorum; in visitatione vero Monasteriorum Monialium servandum est quod statuitur in Clementina 2. § Ipsos autem Visitatores, de statu Monachorum : ubi definitur numerus admittendorum tempore visitationis Monialium, » etc. Ex quibus recte refert Monacell. tom. 3. tit. 1. formul. 41. num. 16. quod Episcopus, et quilibet alius Prælatus Visitator excedens dictum numerum octo, pœnas Constitutionis Gregorii incurrit; qui vero dicto numero contentatur, legem non lædit, qui autem utitur minori, melius facit.

(104. Episcopus contrafaciens dispositioni dictæ Constitutionis Gregorii XIII. incipient. *Dubiis*, pro prima vice incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda incurrit suspensionem a munere Pontificali et a Divinis, et pro tertia, ac deinceps incurrit excommunicationem ipso facto absque alia declaratione, textu expresso in dicta Constitut. ibi : « Quod si contrafecerint, eadem auctoritate statuimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint ab ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda a munere Pontificali, et a Divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere. » (105. Absolutio tamen ab istis Censuris, in qua incidit Episcopus, qui sui auctoritate Officii septa Monasterii Monialium ingreditur, non servata forma dictæ Constitutionis Gregorii XIII, non est Papæ reservata, unde potest ab inferiore absolvi, cum Pontifex absolutionem sibi non retinuerit, ut late probat Fagnan. in c. *Nuper.* 20. *de Sentent. excomm.* num. 38.

(106. Episcopus nequit delegare simplici Sacerdoti facultatem benedicendi Sacra paramenta, nisi ad hoc habeat speciale privilegium Sedis Apostolicæ, a qua tamen interdum conceditur personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, dummodo in eis non sit adhibenda sacra unctio, vel oleum Sanctum, quæ ab ipso tantum Episcopo ordinato, et consecrato benedicenda, inungenda, et consecranda sunt, ut censuit Sac. Rit. Congr. in Brixien. 9 Octobris 1616, in Imolen. 4 Novembr. 1615. in Januen. 12 et 14 Maii 1619. in Saonen. 3 Dec. 1616. in Taurinen. in Pistorien. et Tarvisina 2 Maii 1619. in Novarien. 21 Martii 1620. in Tridentina 7

Digitized by Google

Augusti 1621. et in Caputaquen. 20 Julii 1730. Et de facto hæc facultas benedicendi paramenta et Ecclesiastica ornamenta, et vasa, in quibus non adhibetur sacra unctio, fuit concessa diversis Archidiaconis, Decanis, Archipresbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis a Sacr. Congr. Rit. et signanter in Aquileiens. 20 April. 1599. in Elven. 17 Maii 1600. in Laudunen. 27 Januar. 1603. in Zamoren. 15 Novembris 1630. in Meten. 18 Novembris 1606. in Ruthen. 9 Maii 1609. in Augustana 12. April. 1614. et in Gnesnen. 4 Septemb. 1623. quod clare denotat, non posse Episcopum hanc facultatem concedere sine speciali privilegio Sedis Apostolicæ.

(107. Episcopus non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis Professionis Monialium. Clemens VIII. in Constitut. de largitione munerum incipient. *Religiosæ Congregationes*, et expresse Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in Aversana 22 Januari 1591. his verbis : « Non liceat Episcopis, cum Novitiæ vestiuntur, vel professionem emittunt, a propinquis, vel ab alio quocunque dona tam comestibilia quam linea etiam parvi valoris accipere, neque ab Abbatissis in ingressu Officii, sed ab eisdem comestibilia tantum in aliquibus solemnitatibus nomine totius Monasterii, etiamsi antiquissima inoleverit consuetudo, et Taxa Innocentiana. » (108. Episcopus, et quilibet alius Superior Ordinarius in his transgressor juxta tenorem dictæ Constitutionis Clementis VIII. tenetur ad restitutionem, quatenus munera non comestibilia, et præter formam alterius Bullæ Urbani VIII. incipient. *Nuper a Congregatione* moderatoriæ, et declaratoriæ, et confirmatoriæ illius Clementis VIII. recipiat, adeo ut neque a Summo Pœnitentiario (si munus summam scutorum decem excedat) absolvi possit, nisi facta restitutione, prout patet ex novissima Constitutione Innocentii XII. declaratoria facultatis Cardinalis Pœnitentiarii emanata tertio nonas Septembris 1692. incipient. *Romanus Pontifex*, in qua § 17. sic expresse habetur : « Munera a Regularibus contra recolen. mem. Clementis Papæ VIII. pariter prædecessoris nostri anno Incarnationis præfatæ 1594. tertio decimo Kal. Julii editam Constitut. ultra valorem decem scutorum monetæ recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi. Infra vero prædictum valorem, non nisi facta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, qui de Jure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi. »

(109. Episcopus, qui habet congruam pinguem excedentem taxam a Concilio præscriptam, non potest exigere caritativum subsidium. Sacr. Congr. Concil. in Gerunden. 17 Februar. 1663. et Sacr. Congr. Episcop. in Policastrens. 19 April. 1697. (110. Episcopus non potest prohibere, quod Judices Synodales, aut Capitulum non valeant uti opera alterius Notarii, quam Cancellarii Episcopalis, præterquam in visitatione. Sacr. Congr. Episcop. in Neritonens. 15 Octobris 1613. (111. Immo nec etiam quoad Moniales pro instrumentis Depositorum dotalium ; possunt enim talia instrumenta rogari a quolibet Notario ad arbitrium Monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in Cancellaria Episcopali Sacr. Congr. Episcop. in Aquilana 8 Novembris 1652. (112. Quinimmo nec pro conficiendis instrumentis censuum, et aliorum quorumcumque contractuum. Sac. Congr. Episc. in Forosempronien. 20 Maii 1661. (113. Episcopus, sive ejus Delegatus, non potest pro revisione computorum locorum piorum, mercedem, seu propinam exigere, sed gratis hoc munus tenetur implere, non obstante quacumque contraria consuetudine, prout mandat Taxa Innocentiana ; et ratio clara est, quia Ordinarius habet, redditus mensæ, ut onera officii sustineat ; cap. *Statutum, de Rescript.* in 6. ubi plane Passerin. § *Si quid autem* a n. 369. cum seqq. et sic Sacr. Congregat. Concil. in Panormitana 4 Martii 1690. (114. Episcopus non potest pro administratione Sacramenti Confirmationis in locis Diœcesis procurationem exigere. Sacr. Congr. Episcop. in Amalphitana 12 Junii 1694. et Sacr. Congr. Concil. in eadem Amalphitana 18 Julii 1699. in responsione ad secundum : Et taxa Innocentiana his verbis : « Non potrà esiggere emolumento alcuno, cosi in denaro, come in qualunque altra cosa in tutto quello, che riguarda l' amministrazione de' Sacramenti. » (115. Episcopus non potest taxare in pecunia id, quod pro victu necessario sibi contingeret visitando, sed victualia tantum recipere debet, neque alia utensilia, vecturas equorum, et expensas prætendere, quia nomine *victualium* veniunt tantum ea, quæ consistunt in victu. Sacr. Congr. Concil. in Larinen. 12 Aprilis 1698. et in d. Amalphitana 18 Julii 1699. in responsione ad tertium.

(116. Episcopus non potest concedere nec permittere, ut Confessarii ingrediantur Clausuram Monialium pro funere peragendo ; Constitutio enim Alexandri VII. incipiens, *Felicis*, specificat actus ad licitum ingressum in Clausuram, adjecta dictione *nisi*, quæ est exclusiva cæterorum per Sperellum dec. 66. num. 32. unde cum ibi Pontifex inter casus ad licitum ingressum non enumeret nisi sequentes scilicet : « Nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, nec ad commendandam animam Agonizantium : » ingressus pro funere agendo videtur aperte prohibitus, et sic jam expresse decrevit Sacr. Cong. Episcop. 10 Martii 1577. et 30. Januar. 1582. et 4 Septemb. 1583. ubi semper respondit non permitti, nec licere Confessario ingredi in Clausuram pro funere agendo in sepulturam Monialium. Neque consuetudo excusat a Censura inflicta adversus violatores clausuræ, nec ab ea, quæ habetur in d. Constitut. Alexandri VII. qui omnibus, et

Digitized by Google

singulis etiam consuetudinibus, quoad ea, quæ statutis in d. Constitutione adversantur, expresse, et specialiter derogat, sublata cuilibet facultate, et auctoritate aliter judicandi, et interpretandi, ac adjecta clausula Decreti irritantis, et sic tenent Pax Jordan. tom. 2. lib. 7. tit. 12. n. 28. vers. *Item neque prætextu*, et n. 173. Nicol. in *Flosc.* verb. *Sepultura* n. 6. Monacell. tom. 1. tit. 9. formul. 4. n. 7. 8. et 9. Matthæuc. *Officialis Curiæ* cap. 13. n. 9. et alii passim. (117. Episcopus non potest permittere, quod Puellæ educandæ recipiantur in Monasterium, nisi sint Sacræ Congreg. licentiæ suffultæ. Sac. Congr. Episcop. in decreto Generali emanato 17 Maii 1603. his verbis : « Nullatenus permittant Episcopi Puellas educationis causa in Sanctimonialium Monasteria introduci, nisi Sacræ Congregationis licentia suffultas. » Et si alicubi reperitur introducta aliqua Puella educationis gratia absque licentia Sacræ Congr., Superior aut Episcopus, qui id permiserit, esset incursus excommunicationem, prout Sacr. Cong. 9 Augusti 1594. monuit Archiepiscopum Pragensem, qui hoc attentaverat.

(118. Episcopus non debet auferre Monialibus jus, quod habent, eligendi Officiales ; libertas enim tales Officiales eligendi non est ab eis auferenda, neque ad certas personas coarctanda, quoties electio fiat de personis ætate, moribus, et experientia habilibus, ut declaravit Sacr. Congr. Episc. in Surrentina 31 Januar. et 12 Maii 1717. et in Januen. 12 Junii 1693. (119. Neque debet, et potest Episcopus tale jus auferre a Laicis, qui illud habent. Sacr. Congr. Episc. in Surrentina 4 Novemb. 1698. in qua prætendente Archiepiscopo nominationem Deputatorum Monasterii Monialium SS. Trinitatis per Magistrum Civitatis (ad quem jus nominandi spectabat) factam non admittere, eosque ad libitum removere, ac administrationem redditiuum ejus impedire, et prohibere, partibus auditis prodiit rescriptum : « Nominationem Deputatorum faciendam esse a novo Syndico Civitatis, et electis competere administrationem cum superintendentia Archiepiscopi ad formam Concilii » c. 8. et 9. sess. 22. (120. Episcopus non debet, nec potest cogere simplices Sacerdotes, qui non habent Officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, ut inserviant ibi in functionibus Ecclesiasticis, seu munere Diaconi, et Subdiaconi in Missis cantatis, non obstante exiguo numero Canonicorum, ut pluries declaravit Sacra Congr. Concil. apud Nicol. *Lucubrat. can.* lib. 1. n. 3. et 4. et in Sarnen. Servitii Ecclesiæ 17 Junii 1690. in Nullius S. Laurentii in campo 27 Januar. 1691. in Auximana 26 Novembr. 1701. et 19 Augusti 1702. et in Signina 15 Novembr. 1703. Et de simplicibus Sacerdotibus, quod non valeant compelli ad interessendum, et assistendum functionibus Ecclesiasticis in Cathedrali : adest resolutio Sacr. Congr. Episc. in una Castri Maris 20 Martii 1692, emanata partibus informantibus ad relationem clar. mem. Card. Petrucci, nisi adsit contraria consuetudo. Sacr. Congr. Concil. in Trojana 20 Septembr. 1704. et in Bellicastrens. 11 Augusti 1706. (121. Episcopus non debet Clericis permittere ludum alearum, quia cap. 1. dist. 38. et c. penult. *de Vita et honest. cleric.* Canones ludum alearum Clericis prohibentes, fuerunt a Concilio Tridentino sess. 22. c, 1. *de Reform.* expresse innovati, ibique abrogantur consuetudines contrariæ, et injungitur Episcopis, ut iis non obstantibus, Canones quoad hoc observari faciant. (122. Unde a fortiori non debet Episcopus ipse aleis ludere Monacell. tom. 3. titul. 2. formul. 6. n. 16. et alii passim. (123. Quid non possit, nec debeat Episcopus quoad Regulares et Moniales. Vid. verb. *Regularis*, verb. *Monialis*.

(124. Episcopus nequit prohibere Clericis, ne conveniant Laicos in causis profanis coram Judice Laico. Sacr. Congr. Immun. in Tutertina 20 Decemb. 1667. l. 1. decret. Altov. pag. 183. Vide apud Riccium in Synops. verb. *Prohibitio* per tot.

ADDITIONES AUCTORIS.

(125. Episcopi jurisdictioni, visitationi, et correctioni subsunt omnes animarum curam gerentes, vel Sacramenta administrantes in Ecclesiis Regularium, in iis quæ ad dictam curam et administrationem pertinent. Quod intelligitur de jurisdictione ordinaria, non vero delegata. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 109. incip. *Firmandis* § 2. (126. Hinc fas est Episcopo in Pastorali visitatione talium Ecclesiarum, inspicere Altare illud ; in quo Tabernaculum SS. Eucharistiæ tenetur ; item Fontem Baptisterii, confessionale Parochi, pulpitum, e quo Parochus jus habet annuntiandi verbum Dei, Sacrarium, in quo servatur sacra supellex ad Sacramenta ministranda, Sepulcrum, Cœmeterium Parochiæ ; Turrim etiam campanariam si adsint campanæ ad Parochiam spectantes ; ac demum sacra vasa, in quibus particulæ consecratæ asservantur, vel sacra olea Baptismi, et extremæ Unctionis ; demum pilam aquæ Benedictæ.

(127. Episcopus cognoscere potest de vita, et moribus Parochi Regularis, iis exceptis, quæ pertinent ad observantiam Disciplinæ Regularis. Idem *ibid.* § 8. (128. Delinquentem Parochum Regularem corrigere potest, in quo cumulativam jurisdictionem habet cum Superiore Regulari, et quidem cum præponderantia. Idem *ibid.* § 10. (129. Et ipsum removere etiam potest absque consensu Superioris Regularis. Idem *ib.* § 20.

(130. Episcopi consensus, et approbatio necessaria sunt, ut Regularis animarum Curam assumere queat. Idem *ibid.* § 11. (131. Etiam in Ecclesiis ab ipsius jurisdictione, et visitatione exemptis, ratione residentiæ ordinariæ Superioris Generalis. Idem *ibid.* § 16.

(132. Episcopi Cardinales Episcopatuum suburbicariorum plenam, et privativam jurisdictionem habent in prima instantia in suos subditos intra fines suarum Diœcesum.

Digitized by Google

Idem Constitut. 115. incipien. *Romanæ Curiæ* § 20.

(133. Episcoporum Latinorum jurisdictio ordinaria in Græcos, et Albanenses in Diœcesibus suis commorantes asseritur. Idem Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* § 9. (134. Episcopi Græci Latinos ordinare nequeunt, sub pœna suspensionis. Idem *ibid.* § 7. (135. Episcoporum Græcorum-Melchitarum jurisdictio asseritur adversus attentata Prælatorum Maronitarum. Idem Const. 87. incip. *Demandatam.* § 12. (136. Episcopi Regnorum Madurensis, Mayslurensis, et Carnatensis jurare debent observantiam Constitutionum Apostolicarum. Idem Constitut. 107. incip. *Omnium sollicitudinum* § 17.

(137. Episcopus non potest in totum jus Episcopale dimittere, et propria auctoritate Ecclesiam aut Monasterium a sua jurisdictione ordinaria immunem efficere, sed opus est privilegio Apostolico. Idem tom. 2. Constitut. 40. incip. *Causarum Palatii Apostolici.*

(138. Episcopi Diœcesani consensus a Romanis Pontificibus exquiri consuevit ad concedendam Monasteriis plenam exemptionem ab eorum ordinaria iurisdictione. Idem *ibid.*

(139. Episcopi jurisdictionem habent in Civilibus in omnes Regulares. Idem tom. 2. Constitut. 7. incip. *Pontificia.* (140. Idem in Regulares extra Claustra degentes omnimodam jurisdictionem habent tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Idem *ibid.* (141. Episcopi in Regulares animarum curam exercentes in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus, et in eorum Ecclesias, in his, quæ ad hujusmodi curam pertinent, legitimam jurisdictionem habent ad formam Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum. Idem Constitut. 1. incip. *Quamvis ad confirmandum.*

(142. Episcopi in his, quæ pertinent ad Missarum celebrationem, procedere possunt contra quoscumque etiam exemptos, tamquam delegati Sedis Apostolicæ. Idem Constitut 17. incip. *Accepimus.* (143. Episcopus concedere nequit licentiam iterandi Sacrificium sine gravi necessitate. Idem Const. 3. inc *Declarasti Nobis.*

(144. Ad Episcopum spectat licentiam concedere, ut Sanctissimum Sacramentum publice exponatur. Idem Constit. 5. incip. *Accepimus in Civitate.*

(145. Episcopus tenetur sequi judicium Patroni Ecclesiastici in electione dignioris inter approbatos ab Examinatoribus, si nemo adversus Patroni judicium reclamet. Idem Constitut. 4. incipien. *Redditæ Nobis.* (146. Contra vero, si inter approbatos ab Examinatoribus sit qui reclamet a præelectione Patroni. Idem *ibid.*

(147. Episcopus denegare nequit Clerico, atque etiam Canonico, et Parocho, licentiam ingrediendi Religionem. Idem Constitut. 25. incip. *Ex quo.* (148. Episcopus juxta Innocentii IV. sententiam revocare potest Sæcularem Clericum a claustris Religiosis, quando Ecclesia ex illius digressu gravius lædatur. Idem *ib.* (149. Episcopus quomodo providere debeat animarum curæ, et quo ad Beneficia Choralia, dum Parochus, seu Canonicus Religionem ingressus, nondum professionem emisit, assignatur ab eodem Pontifice, *ibid.* (150. nempe quod eo tempore, quo ad Beneficia curata, debeat idipsum agere, quod alias præstare consuevit, quum Parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat. Et quo ad Beneficia Choralia, relictis Tironi Religioso, qui Choro interesse nequit, ipsius Beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt, juxta opinionem in praxi receptam. tom. 5. verb. *Novitius* num. 24. ad 27. ubi sic expresse de his.

(151. Episcopus potest retinere penes se unum, vel duos Canonicos, qui pro residentibus habeantur, cap. *De cætero* 5, etc. Ad audientiam 15. de Clericis non residentibus. (152. Et istos Canonicos pro suo servitio potest assumere sive ex Cathedrali, sive ex Collegiata. Sic declaravit Sacr. Congr. Concil. in Colon. 9 Septembr. 1628. et in Cajetana 1 Septemb. 1663. (153. Item potest assumere duos Beneficiatos, seu Mansionarios, sive ex Cathedrali, sive ex Collegiata suæ Diœcesis, ita tamen ut ultra duos ex omnibus ipsis non adsumat. Sacr. Congr. Conc. in Avenion. 7 Januar. 1640. (154. Non potest autem ipsos assumere, si habeant Curam animarum; (155. ead Sacr. Congr. in una Montisflasconis 26 Aprilis 1659. vel sint Canonici Coadjutores; ead Sacr. Congr. 15 Januar. 1684.

(156. Dicti autem Canonici, seu Beneficiati ab Episcopo ad suum servitium assumpti, si absint a Choro, lucrantur quidem fructus suarum præbendarum; sed non quotidianas distributiones. (157. Et si redditus omnis ipsis distributionibus constet, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrantur. Sic expresse ead. S. C. in Sorana 22 Apr. 1679. (158. Uti idem dicendum venit de Canonicis comitantibus suum Episcopum in Visitatione Diœcesis, quamvis si ipsum comitentur in Visitatione Sacrorum Liminum, vel ad ipsa visitanda deputentur, omnes distributiones lucrentur, ut pluries resolvit ead. Sacr. Congr. et signanter in Brixien. 18 Septemb. 1626. in Sulmonen. 5 Decembris 1626. in Regien. 18 Decemb. 1627. et in Pennen. 1 Octobr. 1672. apud Card. Lambertin. volum. 5. in *Regulis circa servitium Chori.* Vide verb. *Distributiones quotidianæ* artic. 1. a num. 40.

(159. Episcopus duarum Ecclesiarum umtarum in die Cœnæ Domini non potest in utraque Missam celebrare, sed debet uno anno dicta die celebrare in una, et ibi Chrisma conficere; et alio anno in alia idipsum facere, et ab una ad aliam Chrisma consecratum transmittere. Idem constitut. 3. incipiens *Declarasti.*

(160. Albanæ Episcopis facultas conceditur concordandi, transigendi, atque etiam relinquendi bona Ecclesiastica Albanis, licet injustis detentoribus, ad præcavenda deteriora incommoda; Benedict. XIV. tom. 4.

Digitized by Google

Constitut. 33. incip. *Cum Encyclicas*, in qua præfatis Albanis Episcopis traditur methodus, qua satagant, ut a Catholicis illius regionis sua Ecclesiis bona restituantur, vel aliquo modo super illis transigatur, et si neutrum queat obtineri, facultas sit Episcopis derelinquendi fundos, fructusque possessoribus, eosdemque absolvendi a censuris. Videatur hac de re in tom. 3. ejusdem Bullarii Constitutio 57. incip. *Urbem Antibarum*, in qua idem Pontifex multa tradit merito consulenda de bonis Ecclesiarum, quæ semel ab infidelibus occupata, deinde in Christianorum potestatem evenerunt.

(161. Veronensis Episcopi, ordinaria privativa auctoritate in Civitatem, universamque Diœcesim Veronensem redintegrata, definitur jurisdictio, qua idem Episcopus in Capitulum, subjectasque tum ipsi, tum Monasterio S. Mariæ in Organis Veronen. Parochiales, ac simplices Ecclesias, et in personas earum servitio addictas, utatur; Benedictus XIV. tom. 4. Constitut. 59. incip. *Regis pacifici*, in qua, narrata Aquileiensis Patriarchatus totali extinctione, et in ejus locum duorum Archiepiscopatuum Utinensis nempe, ac Goritiensis, erectione cum suis respective Diœcesibus, et suffraganeis ipsis ab eo assignatis jam in Constitut. incip. *Injuncta Nobis*, multa per 45 paragraphos statuit, merito ibi videnda et observanda; In ipsa inter alias, § 14. confirmat privilegium jam ab ipso concessum Canonicis Cathedralis Veronensis in Constitut. incip. *Præclara decora*, libere utendi palmula seu Buggia, tam in solemni quam in privata Missarum celebratione in Cathedrali, et extra eam.

(162. Quoad facultatem Episcoporum suspendendi Clericos ab Ordinis exercitio ob occultum crimen in foro externo non probatum, confert hic addere quæ affert Bened. XIV. *de Synodo Diœcesana*, lib. 12. cap. 8. a n. 3. ad 5. inclusive. Ibi ut sequitur. Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. *de Reform.* decrevit, « Ei, cui ascensus ad Sacros Ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, ut ad priores Ordines, gradus, et dignitates sive honores, restitutio suffragetur. » Ex quibus verbis colligitur, posse Episcopum ob occultum crimen, etiam extrajudicialiter cognitum, non solum Clericis prohibere ascensum ad superiores Ordines, sed etiam a suscepti jam ordinis ministerio eosdem interdicere. Quamvis enim in secunda Decreti parte, ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa verba : « etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, » constans nihilominus, et perpetua Sac. Congreg. Conc. sententia fuit, ob continuationem sermonis censeri repetita, eaque utrumque casum complecti; Ab Episcopo si quidem Aleriensi interrogata, « An verba illa, ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, expressa dumtaxat in prima parte periodi, censeantur repetita in secunda parte, adeo ut inde colligi valeat, Prælatum nedum posse ob occultum crimen extrajudicialiter interdicere suo subdito ascensum ad Ordines, sed ibidem ob occultum crimen posse etiam extrajudicialiter illum suspendere ab Ordinibus jam susceptis ? » Sacra Congreg. die 24 Novemb. 1657. « re sedulo examinata, censuit, non recedendum ab antiquis declarationibus super hoc eodem dubio pluries datis, ac proinde *affirmative* respondit, lib. 21. Decretor. pag. 134. » et cohærenter ad hanc responsionem eadem Sac. Congreg. die 16. Decembr. 1730. sustineri dixit, « suspensionem a Divinis ab Episcopo Capritano ex informata tantum conscientia duobus Sacerdotibus inflictam.» uti videre est in *Thesaur. Resolut.* tom. 5., pag. 18. Idemque responsum dedit in causa Oritana, seu Tarentina 20 Aug. 1735. ejusd. *Thesaur.* tom. 7, pag. 115.

(163. Adeo porro verum est, posse Episcopum virtute prædicti decreti, ex causa sibi nota, Clericum interdicere tam Sacrorum exercitio, quam ascensu ad altioris Ordinis gradum, ut neque teneatur « causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ si suspensus ad eam recursum haberet; » Quod totidem verbis a S. Congregatione responsum legimus Episcopo Vercellen. die 21 Maii 1643. lib. 17. *Decret.* pag. 170. et sequent. Atque universim loquendo, Episcopum renuentem alicui Ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandam causam, cur eum repellat, neque ei, qui repulsus est, ullam competere appellationem; sed tantum permitti adire Sedem Apostolicam, eique suas querelas exponere, eadem Sacr. Congreg. diserte declaravit, cum ad Cardinalem Antonium Barberinum Archiepiscopum Rhemensem, Apostolica limina visitantem, atque hac ipsa de re Sacræ Congreg. sententiam sciscitantem, die 20 Aprilis 1668. in hunc modum respondit : « Cum nullus ordinari debeat, quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem; sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII. felic. record. approbatam, quotiescumque Ordinarii Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eorum Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusatum ordinare. Itaque si quis ex Diœcesanis Episcoporum Eminentiæ vestræ provincialium Sedem Apostolicam adiverint, juxta prænarratam formulam, eorum quærimoniis consuletur, cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuerunt expedire EE. PP. videlicet, ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus, antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter petant. » Lib. 16.

Digitized by Google

Literar. Visitationis Sacrorum Liminum, pag. 401.

(164. Ex hoc vero, quod suspensus ab Episcopo ob occultam causam, quam tamen Episcopus sibi notam asserit, appellare nequeat ad Superiorem, necessario consequitur, quod si nihilominus appellationem interponere, ejusdem obtentu in Altari ministrare, seu quovis modo suum Ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem. Quidquid enim in contrarium senserint nonnulli Doctores, ita expresse definivit S. Congreg. Conc. in Sagonen. 21 Jan. 1625. lib. 24. *Positionum* pag. 1. ubi hæc adnotantur. « Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa Decreto Concilii cap. 1. sess. 14. ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio Curæ : sed ille appellavit, et Curam exercuit. Quæritur an a dicta suspensione detur appellatio, itaut Parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium Curæ effectus fuerit irregularis? Sacra Congr. Conc. censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et Parochum, qui Sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse. »

(165. Episcopi, quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum Indul. plen. fidelibus in mortis articulo constitutis, uti ea possunt non tantum ad tempus, ut limitatur in Brevibus ab illis impetratis, sed quandiu in Diœcesi, cujus intuitu illam obtinuerunt, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios Sacerdotes, quotquot judicaverint opportunos, ut ipsis Episcopis impeditis eamdem indulgentiam conferant. Subdelegari vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota Diœcesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi Episcopus delegans obierit. Demum facultates istæ deinceps concedentur perpetuæ omnibus, et singulis Episcopis, qui literas ea de re petierint : quam etiam facultatem obtinebunt Prælati inferiores, territorium separatum habentes cum vera qualitate *Nullius*, et activa jurisdictione in Clerum, et Populum. Ita sancit Benedictus XIV. Constit. incip. *Pia Mater* edita ann. 1747. nonis Aprilis, in qua etiam ritum hujus benedictionis præbet.

(166. Episcopus in sua Synodo non potest quidem definire quæstiones de Fide, sed prohibere potest errores jam ab Ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in cap. *Vestra* deducitur; *De Synod. Diœces.* lib. 6. cap. 4. § 7.

(167. Episcopis in Synodo fas est non quidem rem aliquam inter Doctores controversam definire, sed praxim prohibere, uti v. g. non licet illis pronunciare, utrum jejunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante Bullam Benedicti XIV. jus illis fuit injungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus jejunii vescendas obtinuerant, unicam comestionem servarent. *De Synod. Diœces.* lib. 7. cap. 3. § 1.

(168. Episcopo ex epicheia fas est aliquando in iis præsertim, quæ dilationem non patiuntur, nec facile Summus Pontifex consuli potest, circa ejus commune relaxare, ut decisum a Sac. Congregat. Concilii refertur ibid. lib. 7. cap. 17. § 1. Id tamen nonnisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. ibid. § 2.

(169. Ad Diœcesanum Episcopum pertinet Ecclesias consecrare, eique fas est id muneris demandare alteri Episcopo, minime vero Presbytero, etiam cum oleis ab ipso Episcopo benedictis : Ita ex DD. ibid. lib. 13. c. 15. § 2. nov. edit.

(170. Consecratas insuper Ecclesias, atque pollutas nemo præter Episcopum Diœcesanum reconciliare potest, nec fas est id muneris demandare Presbytero, quamquam cum aqua ab Episcopo benedicta. Si tamen Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem Sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, Ecclesia polluta reconcilietur ; ibid.

(171. Episcopo curandum est, ut legata pia impleantur, quod præstare ipse potest; etiamsi prohibitus fuisset a Testatore; ut ex cap. *Sua nobis, de Testament.*

(172. Quod si Testator executorem reliquerit sui legati, et ei in casu quod segniter agat, alterum substituat, tunc Episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam ejus exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis, quam inter vivos, ut ex Trident. sess. 22. *de Reform.* cap. 8. valet etiam non solum pro Episcopis, sed etiam pro Prælatis inferioribus habentibus territorium separatum, et jurisdictionem quasi Episcopalem *de Synod.* et *c.* lib. 13. cap. ult. § 1. et 2. nov. edit. valet etiam pro Vicario Capitulari Sede vacante, ut in legato de Missis statuit Sacra Congregatio *ibidem* § 2.

(173. Fabrica S. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia) non se immiscet jurisdictioni Episcoporum in ordine ad legata pia, et Missarum onera, nisi post annum ab obitu Testatoris, quo anno elapso piarum voluntatum exsecutioni se immiscet, etiamsi judicium cœptum ab Episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat, *ibidem* § 3.

NOVISSIMÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Plura profecto hic habet Auctor. Sed, et dicta ab eo magis illustrari possent, tum alia possent addi. Sed ne limites egrediamur Additionum hæc tantummodo afferimus.

(174. Episcopus sane post electionem ante possessionem de jure Canonico antiquo poterat ea omnia exercere quæ pertinent ad jurisdictionem, et signanter conferre Beneficia. (175. Idque quia in ipso momento factæ electionis consummebatur vacatio Ecclesiæ, ut sequendo originalem theoricam glossæ in cap. 15. verbo *de talibus de Election.* firmant. Germon *de Inhabil. Cardin.* § *Nec non quarumcumque* n. 3. et duob. seq. Matta *de Caus. Consistorialib.* sect. 2. n. 37.

Digitized by Google

(176. Sed experientia compertum fuit, quod Episcopi hac abutebantur potestate; Refert abusus hosce Rota in Corduben. Beneficiorum 3. Decembr. 1696. cor. bon. mem. Ursino. (177. Factum hinc fuit, ut Bonifacius VIII. in Extravagant. *Injunctæ de Election.* hanc ipsis ademerit potestatem, et ita quidem ut deinde Episcopi non nisi apprehensa possessione eam exercere potuerint, possintque etiamnum.

(178. Episcopus nequit Ecclesiam de non numerata reddere numeratam. Hæc enim immutatio non nisi S. Sedi competit, ut firmant Piton. *discept. Eccles.* 17. n. 45. Rota in Colonien nominationum ad Canonissatus 1 Jul. 1729. § *Absque eo quod*, coram bon. mem. Ratio inter impressas dec. 264. num. 8.

(179. Episcopi Germaniæ anno 1630. a Sac. Congr. de Propaganda Fide potestate donati sunt disponendi in conservationem, tum augmentum Catholicæ Religionis Bona ab Hæreticis recuperata, vel recuperanda. Sed dispositio hæc sine Apostolico beneplacito perfici nequit.

180. Episcopus, cui potestas est mutandi Canonicos de una ad alteram Ecclesiam unitam, potest mutationem hanc facere absque ipsorum consensu, causæque expressione; Rota in Giennen. Juris mutandi 28 Jun. 1702. § *Et sane* cor. bo. mem. Pio.

ARTICULUS VII.

Episcopus quoad ea, quæ concernunt episcopum regularem, titularem, et suffraganeum.

(1. Episcopus Regularis a die suæ confirmationis, et assumptionis ad Episcopatum liberatur ab obligatione suæ Regulæ, scilicet a jejuniis, vigiliis, silentio, modo canendi in Choro, et reliquis observationibus præscriptis in Regula; Donatus *Prax. Regular.* tom. 1. part. 2. tract. 8. quæst. 51. num. 6. Portell. verb. *Episcopus* num. 13. Thomas del Bene *de Inquisit.* p. 2. dub. 236. sect. 67. Felix Potestas tom. 1. p. 2. num. 1865. Peyrin. Rodriq. Busemb. et alii passim, et habetur ex cap. *Statutum* 1. caus. 18. quæst. ibi: « Statutum est, et rationabiliter secundum Sanctos Patres a Synodo confirmatum, ut Monachus, quem electio canonica a jugo Regulæ Monasticæ professionis absolvit, et Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem, postea jure vindicandi potestatem habeat. » (2. Non absolvitur tamen a Votis essentialibus, quia non desinit esse Religiosus, sed solum est exemptus quo ad aliquos effectus Paupertatis, et Obedientiæ juxta decentiam status. Licet enim non teneatur amplius ad obedientiam Prælati Regularis, tenetur tamen ad obedientiam Papæ, unde non dispensatur ejus Obedientia, sed mutatur, sicut nec dispensatur ejus Paupertas, quia non acquirit dominium bonorum Ecclesiæ, sed administrationem, liberam tamen quoad suam sustentationem, et causas pias; Hinc S. Bonaventura in 4. sentent. dist. 38. § *Ad illud* num. 47. sic præcise ait: « Est enim divitia rum non Dominus, sed dispensator, etc. Similiter in voto Obedientiæ non est dispensatus, quia omnem obedientiam, quam debebat prius suo Superiori, debet Papæ. » (3. Episcopi Regulares illarum Religionum, quæ ultra tria Vota essentialia omnibus communia, emittunt aliud quartum Votum essentiale, ut est Votum vitæ Quadragesimalis apud Minimos tenentur etiam ad illud, nisi specialiter a Sede Apostolica dispensentur; Unde Peyrin. tom. 3. privileg. cap. 14. n. 3. refert, quod tres Summi Pontifices, scilicet Paulus V. Gregorius XV. et Urbanus VIII. dispensaverunt in hoc Voto cum tribus Minimis ad Episcopatum assumptis; et signanter Urbanus VIII. in examine Patris Francisci Castellani pro Episcopatu Caprulensi, eum interrogavit: « An factus Episcop. teneretur ad Votum vitæ Quadragesimalis? » et cum respondisset: *Non teneri*, Papa ei dixit: *Errasti, teneris*, et parum defuit ut excluderetur; noluit tamen cum eo dispensare.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Regulares ad Episcopatus dignitatem evecti, nedum ad essentialia vota servanda tenentur, verum etiam ad reliqua vota in professione emissa, seu obligationes per propriam respectivam regulam inductas, puta ad jejunium aliquibus determinatis diebus, etc., modo horum observatio compossibilis sit cum statu Episcopali; Ita siquidem decrevisse constat Benedictus XIII. in Constitut. *Custodes* 7 Martii 1725. cujus hæc sunt verba: « Iisdem Regularibus tam ad Episcopatum quam ad Cardinalatum evectis præcipitur, in virtute S. Obedientiæ, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda Papæ reservata, ut singulis suæ Regulæ officiis, et obligationibus, quæ Pontificale, sive cujuscumque alterius dignitatis, aut Cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint. » Hinc etenim liquet prædictos Episcopos subesse omnibus illis obligationibus, quæ in regula, quam professi fuerant, exprimuntur, quæque non pugnant cum onere, et dignitate Episcopali. Idque respectu Franciscanorum præsertim tenendum est tamquam certum, cum eorum Regulæ præcepta obligent sub mortali, a quorum obligatione nisi specialiter a Sede Apostolica dispensationem obtinuerint, nulla causa est, cur censendi sint exempti dum ad Episcopatum promoventur.

RESPONSIO AUCTORIS.

At citatam hic a Rom. Theologo Constit. Bened. XIII. incip. *Custodes*, ego jam ad literam attuleram sub verb. *Habitus* n. 26. quam in ipsa sua Romana editione ibidem, impressam non debuerat Adnotator ignorare.

(4. Episcopus Regularis tenetur Habitum suæ Religionis deferre; cap. *Clerici officia* 15. *de Vita, et honest. Clericor.* ibi: « Pontifices autem in publico, et in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi Monachi

Digitized by Google

fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem. » (5. Retento tamen colore Habitus suæ Religionis potest se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma, seu figura; Donatus *Prax. Regul.* t. 1. par. 2. tract. 6. quæst. 12. n. 8. in *Rituali Romano* reformato sub Clemente VIII. et sic modo servatur in praxi. (6. Canonici autem Regulares S. Augustini in Episcopos promoti possunt uti habitu, quo utuntur alii Clerici sæculares in Episcopos creati; Leo X. Constitut. 34, incipien. *Dudum* Vide verb. *Habitus*, num. 26, ubi ad id affertur novissima Constitutio Benedicti XIII, merito observanda. (7. Episcopus Regularis tenetur recitare Officium juxta ritum suæ Diœcesis, et non juxta ritum suæ Religionis; Sacr. Congr. Rituum 11 Junii 1605. (8. Episcopo tamen ex Ordine Sancti Francisci Minorum de Observantia assumpto, conceditur, ut possit recitare tuta conscientia officium Sanctorum Ordinis Sancti Francisci, et celebrare eorum Missas, dummodo privatim celebret in sua Capella dictis diebus Sanctorum Ordinis cum Missali Romano, et Officium pariter recitet cum Breviario Romano; Sacr. Rituum Cong. in Majoricen. 6 Decembr. 1631. (9. Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suæ Religionis recitare Officium, et in propriis Cathedralibus Missam celebrare, et Altare Beatis prædictis erigere; Sacra Rituum Congregatio 17 Aprilis 1660.

(10. Episcopus Regularis recuperat jus Successionis ad hæreditatem sibi delatam post promotionem, non obstante renunciatione; Sac. Congreg. Concil. in Neapolitana 3 Decembr. 1639. (11. Episcopus Regularis non acquirit Monasterio, cui fuit Filius, sed propriæ Mensæ, seu Ecclesiæ quoad proprietatem, ad proprium tamen commodum quoad usumfructum; eadem Sacra Congregatio Concilii in dicta Neapolitana. (12. Episcopus Regularis post adeptum Episcopatum non recuperat bona ante Episcopatum jam tertio quæsita; Sacra Congregatio Concilii 11 Januar. 1631, et eadem Sacra Congregatio in dicta Neapolitana, in qua cum quæreretur:

I. « An Regularis professus incapax bonorum, ad Episcopatum assumptus recuperet Jus succedendi quoad hæreditatem post assumptum Episcopatum sibi delatam?

II. « An eidem obstet cessio, et renunciatio hujusmodi hæreditatis facta ad favorem fratris; ad præscriptum Sac. Concil. Trid., c. 16, sess. 25, de Regularibus sub. d. die 3. Decemb. 1639, resolutio prodiit.

Ad I. « Recuperare jus succedendi ad hæreditates post adeptum Episcopatum ad utilitatem suæ Ecclesiæ sibi delatas quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usumfructum.

Ad. II. « Eidem non obstare supradictam cessionem, et renunciationem, quoad hæreditates, quæ non sint alteri ante adeptum Episcopatum acquisitæ. »

(13. Frater Minor factus Episcopus auctoritate Papæ recuperat Jus succedendi ab intestato, et ex testamento; Rota in Urgellen. Hæreditatis 24. Maii 1619, part. 4, recent. tom. 2, dec. 115, num. 22. Bartol., in tract. *Minor.* lib. 4. dist. 3. c. 3. cum aliis allegatis, quæ quidem conclusio vera est, sed secundum terminos cap. *Statutum* 1. caus. 18. qu. 1. ut sibi usumfructum, et Ecclesiæ proprietatem acquirat, ut hoc modo votum paupertatis conservetur; Archidiac. in d. cap. *Statutum* num. 2. Natt. consil. 180. n. 5. Feder. de Senis consil. 20. num. 7. et Rota loc. cit. num. 23. et 24. (14. Episcopo Ordinis Fratrum Reformatorum Sancti Francisci conceditur facultas disponendi de bonis intuitu suæ personæ acquisitis in quoscumque usus pios convertendis, et etiam ad favorem Consanguineorum, et Affinium, si Sanctissimo placuerit, prout concessit, et facultatem indulsit 12 Aprilis 1703. Congreg. particularis in Ajacen. dispensationis apud Card. Petram tom. 3. *Comment. in Constitut.* 11. *Clement. IV.* sub num. 44. (15. Episcopus Regularis, si sit negligens in exigendo bona hæreditaria, vel eis renunciet, tunc succedit Ecclesia proprietaria ex dispositione c. *Statutum* 1. caus. 18. quæst. 1. et pro ea Capitulum potest agere, dum tractatur de præjudicio Ecclesiæ, et Episcopatus; Rota cit. tom 4. part. 2. recent. decis. 115. num. 9. et 10. (16. Episcopus Regularis adeundo hæreditatem sibi delatam potest sibi præjudicare quoad usumfructum, non autem quoad proprietatem, quæ fuit acquisita Ecclesiæ; Rota loc. cit. n. 18.

(17. Regularis factus Episcopus debet relinquere Religioni, vel Monasterio totum id quod ante promotionem in Religione acquisivit, et habuit; c. *Statum* 1. caus. 18. quæst. 1. et pluries statuerunt Summi Pontifices, et signanter Alexander IV. pro Minoribus 5. Decembris 1255. Constitut. incipien. *Ex parte vestra*, ubi præcipit, quod Fratres Minores Ord. S. Francisci ad Episcopalem, et alias Superiores Dignitates promoti, Libros, et alia sua bona, quæ ipsos promotionis suæ tempore habere contingerit, Generali ejusdem Ordini Ministro, vel Provincialibus Ministris, submota quacumque dilatione, resignent, nisi forsan dicti Ordinis Superiores eis ipsorum librorum usus ad tempus concesserint de gratia speciali. Similem resignationem a Patribus Ordinis S. Dominici faciendam statuit idem Pontifex eodem anno 1255. 11. Maii in Libro *privilegior. ord.* pag. 33. et sic etiam Clement. IV. 9. *Junii* 1628. Constitut. incipient. *Providentia*, ubi universis Fratribus Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici ad Archiepiscopatus, Episcopatus, et Prælaturas assumendis inhibetur, ne consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros, et bona Ordinem memoratum contingentia, quæ apud eos tempore suæ promotionis habere contigerit, Prioribus, ut Conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem Priores de consensu ipsorum Conventuum usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum; alioquin eo ipso ab exequutione Pontificalis Ministerii

Digitized by Google

noverint se suspensos. Inter hujusmodi autem libros intelliguntur comprehensi Quaternali, et illæ Cartulæ, vel membranæ, in quibus dicti Fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt; et novissime Benedictus XIII. Constitut. incipien. *Postulat humilitat. nostræ* § 5. expresse interdixit Regularibus omnibus ad quascumque dignitates Ecclesiasticas promotis, ne secum extra Cœnobia ulla bona asportare audeant. Et insuper ibid. § 6. ademit Regularium Superioribus facultatem concedendi promotis eisdem ad tempus usum librorum, aliorumque. (18. Episcopus Regularis non subjicitur Bullæ de largitione munerum, quia ibi prohibentur illæ largitiones quæ fiunt de bonis pertinentibus ad Religiosorum Monasteria. Largitiones autem Episcopi Religiosi non fiunt de Bonis Monasterii, sed de redditibus, quorum liberam habet administrationem, et usumfructum perinde ac si esset Episcopus sæcularis: Rota *Tom. 4. part. 2. recent. decis.* 115. *n.* 3. Donat. *prax. Regul. tom. 1. part. 2. qu.* 6. *n.* 9. et alii passim. (19. Episcopus Regularis, si ad suam Religionem redierit, Dignitates, et officia illius obtinere prohibetur. (20. Paul. IV. Constit. incip. *In Sacra* Episcopus Regularis, si Episcopatum resignet, aut ob culpam deponatur, dummodo non degradetur, non tenetur ad Regularem observantiam redire, sed remanet in perpetuum exemptus, sicut prius, quia retinet eminentiam Episcopalem. Sic quidem Imola *in Clem* 1. num. 2. *de election.* Federic. de Senis consil. 38. numer. 2. Pyrin. *in formular. Regul.* litt. *G.* cap. 6. num. 7. Layman *in Theol. moral.* lib. 4. tract. 5. cap. 1. *de statu Relig.* num. 9. et cum multis aliis Barbosa *de offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. c. 4. num. 18. At nunc attendenda est Constitutio Benedicti XIII. incipien. *Custodes*, vi cujus Episcopi Regulares, si se abdicaverint Episcopatu, tenentur claustra suæ Religionis repetere, nisi tamen aliter concessum illis sit a Summo Pontifice.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Falsum est Regularem Episcopum, si contingat, ut vel Episcopatum resignet, vel aliquam ob culpam Episcopatu privetur, ad propria claustra redire non teneri: Nam in laudata Benedicti XIII. Constitutione Episcopis Regularibus præcipitur, ut « dimisso « Episcopatu, seu quacumque alia dignitate, « ad quam evecti fuerint, vel perfuncto mu- « nere sibi extra claustra, commisso, ad ea- « dem claustra redire teneantur, sub pœna « privationis usus Pontificalium, et si per- « manserint in contumacia non redeundi « claustra post annum sint eo ipso suspensi « a divinis. »

RESPONSIO AUCTORIS.

Huc recurrunt, quæ supra innui, de Constitutione incip. *Custodes* a me jam allata sub verb. *Habitus numer.* 26. quod ignorare non debuerat Censor.

(21. Episcopi Titulares antiquitus non creabantur, sed tantum quia propriis Ecclesiis ob hostilitatem ejecti erant, in aliis Ecclesiis vacantibus Cardinales constituebantur, donec ad proprias Ecclesias reverti permitterentur, *in* cap. *Pastoralis* 7. quæst. 1. Fagnanus lib. 5. Decret. in cap. *Episcopalia* 1. *de Privilegiis, et excessibus Privilegiator.* num. 39. (22. Modo tamen non jam, qui expulsi sunt, dantur Episcopi Ecclesiis vacantibus, sed creantur denuo Episcopi Titulares illarum Ecclesiarum tum ob alias causas, tum ad hoc ut suffragentur aliis Episcopis: Fagnan. *loc. cit. n.* 41. (23. Horum Episcoporum Titularium, qui creantur Episcopi alicujus Ecclesiæ in partibus infidelium sitæ, quæ neque populum Christianum, neque Clerum habet, nulla origo reperitur ante decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. sess. 9. *de Cardinalibus;* ubi permisit creari Episcopos Titulares, quibus pro suffraganeis possent uti Cardinales Episcopi in suis Ecclesiis, sicuti modo utuntur ipsis etiam varii alii Episcopi non Cardinales, et ideo etiam hodie Summus Pontifex cum creat hujusmodi Episcopos Titulares, utitur similibus verbis: *Et suffragentur talibus donec*, etc. Fagnan. loco citato n. 41 *et* 44 (1). (24. Episcopi Titulares sunt veri Episcopi Characterem habentes Episcopalem; cap. *Pastoralis* 7. quæst. 1. et ibi Archidia. sub numer. 4. et *Præpositus* in 1. *notabil.* et alii communiter. (25. Pontificalia tamen exercere non potest Episcopus Titularis, nisi in illa Diœcesi, cui datus est suffraganeus, ut statuit S. Pius V. in decreto suo Consistoriali, teste Fagnan. loc. cit. num. 50. (26. Neque in locis exemptis, nisi de licentia Episcopi loci, intra cujus fines locus hujusmodi exemptus, fuerit constitutus; Concil. Trident, sess. 14. cap. 4. *de Refor.* et sic expresse decisum fuisse a [S. Congr. Conc. refert Aldan. *in compendio Canon. resolut.* lib. 1. tit. 4. n. 3.

(27. Neque potest Episcopus Titularis in Ecclesia sua jurisdictionali, veluti si esset Præpositus, Chrisma conferre, nec alia Pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus Diœcesis fines Præpositura existit, ut decisum fuisse refert Aldan. *in compendio Canon. resolut.* lib. 1. tit. 8. num. 10. (28. Neque potest Episcopus Titularis familiarem suum etiam triennalem ordinare absque sui proprii Prælati expresso consensu; sic expresse Conc. Trident. citata sess. 14. cap. 2. *de Reformat.* (29. Immo ordinati ab Episcopo Titulari sine consensu proprii Episcopi, ipso jure (30. suspensi sunt, donec suo Prælato visum fuerit. (31. Sic expresse Trident. loc. cit. Et ipse Episcopus Titularis Ordines conferens, seu Pontificalia exercens sine licentia Ordinarii Diœcesani est suspensus per annum ab usu Pontificalium, textu expresso in Trident. loc. cit.

(1) Extat de Episcopis Titularibus P. Andreucci dissertatio, dignissima quæ hoc loco conferatur. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Episcopus Tituiaris non est creandus, nisi vere urgeat necessitas. Clementin. *In plerisque* cap. 5. *de Elect.* et Glossa *ibid.* verb. *Vagationis*, (32. ubi inhærendo d. Decretali invehitur in eos, qui anhelant ad Vicarias Episcoporum, et Ecclesias Titulares; et ibidem in verb. *Religiosos* dicit, hunc abusum maxime vigere in Religiosis, qui ad hoc laborant interdum etiam importune, et per corruptelas, ut canere possint cum Psalmista *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus*, *Psalm.* 123. et sic cum Glossa Fagnan. l. c. n. 47. Ursaya in *Miscellaneo sacro, et prof.* p. 2. verb. *Episcopus* n. 37.

(33. Episcopus Titularis Canonicatum obtinens in Ecclesia Cathedrali potest, et debet in ea uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rochetto supra subtanam, et Mantelletto violacei coloris. S. Cong. Rituum in Compostellana 11 Julii 1617. (34. Et debet præcedere omnibus aliis Canonicis, et Dignitatibus, tam quoad stallum, quam quoad functiones cantandi Missas, et omnia alia. Sac. Congreg. Rituum in Ragusina 22 Junii 1594. in dicta Compostellana 11 Julii 1617. et in Calaguritana 13 Novembr. 1621. (35. Episcopus Titularis qui est Canonicus subest Visitationi Ordinarii adinstar aliorum Canonicorum, et tenetur ad observantiam Legis Diœcesanæ, aliter subjicitur pœnæ, etiam Excommunicationis, in ea contentæ. Sacr. Congr. Episcop. 24 Jul. 1632, apud Card. Petram t. 1. *Comment. in Constitut.* 2. *Leonis IX.* sect. 5, n. 94. (36. Familiares etiam Episcopi Titularis gaudere debent privilegio Fori, ita tamen ut conveniri debeant, et sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, non ab Episcopo, seu Archiepiscopo Titulari. Sac. Cong. Immunit. 17 Januar. 1628. (37. Beneficia, et Pensiones non vacant in eo, qui ad Titularem Episcopatum assumitur, cui etiam de novo conferri possunt præsertim simplicia. Sac. Congreg. Episcop. in Elboren. 22 Decembris, 1640, apud Nicol. in *Lucubrat.* tom. 2, l. 3, tit. 5. n. 43. (38. Episcopus Titularis est de jure vocandus ad Concilia generalia. Vid. Verb. *Concilium* num 29. (39. Episcopus Titularis administrator alterius Ecclesiæ, quas functiones in illa facere possit, et quomodo ei teneantur assistere Canonici Cathedralis? Sac. Congr. Rituum in Sarsinaten. Funct. Episcopalium 22 Augusti 1723. Ponente Card. Paulutio, ubi fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia.

« I. An Episcopus Civitatis Ducalis Modernus Administrator Ecclesiæ Sarsinaten. in functionibus Pontificalibus gaudeat omnibus illis præeminentiis et prærogativis, quibus fruuntur, et gaudent omnes alii Episcopi in propriis Diœcesibus in casu, etc., et quatenus *negative?*

« II. An dictus Episcopus, et Administrator amovibilis Ecclesiæ vacantis, dum cantat Missam, et Vesperas in Pontificalibus, possit sedere super Cathedra Episcopali elevata quatuor gradibus parata cum Baldachino ac Postergali, et Baculo Pastorali; vel sedere debeat super Faldistorio prope Altare sine Baculo?

« III. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica?

« IV. An ei, dum assistit Missæ solemni ab alio cantatæ, debeant Canonici facere Circulos ad Kyrie eleison, Gloria in Excelsis, Credo, Sanctus, et Agnus Dei; Tuncque ubinam debeat sedere?

« V. An fieri debeat anniversarium suæ consecrationis, cum Missa cantatur per Capitulum, et Clerum, ejusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes?

« VI. An, dum Administrator Missam cantat in Pontificalibus, debeat poni super Altare septimum candelabrum cum candela accensa?

« VII. An, dum idem cantat Missam in Pontificalibus, debeant omnes Canonici Sacris paramentis indui, vel tres tantum fungentes Officii Diaconi, Subdiaconi, et Presbyteri assistentis?

« VIII. An, dum vadit ad Cathedram, debeat sumere Cappam magnam in Ædibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiæ, seu Presbyterii?

« IX. An Canonici eum accessurum ad Cathedralem debeant omnes excipere, in dictis Ædibus, vel soli tres, aut quatuor ad portam Ecclesiæ?

« X. An diebus Festis fieri debeant publice Orationes pro novi Episcopi electione ad formam Conc. Trident. et Cæremonialis Episcoporum?

(40. Supradicta die 22 Augusti 1722, responsum fuit.

« Ad primum, *Negative.*

« Ad secundum, *Negative* quoad primam partem; *Affirmative* quoad secundam.

« Ad tertium, *Negative.*

« Ad quartum, *Negative*, et sedeat in primo Stallo Chori.

« Ad quintum, *Negative.*

« Ad sextum, *Negative.*

« Ad septimum, *Negative* quoad primam partem; *Affirmative* quoad secundam.

« Ad octavum, Arbitrio Administratoris in casu, etc.

« Ad nonum, decere in casu de quo agitur ut omnes accedant.

« Ad decimum, *Affirmative.* »

(41. Pro Episcopo Titulari obtinenti Canonicatum in Cathedrali Asculana die 20 Mart. 1730, in Sacra Congr. Rituum per Card. Picum a Mirandula propositis octo sequentibus dubiis, resoluta fuerunt ut infra:

« Dub. I. An post delatam per Subdiaconum assistente Episcopo locali Pacem, debeat illa deferri per d. Subdiaconum Episcopo Titulari; antequam Canonici Assistentes in Throno illam recipiant ab Episcopo locali? *Negative.*

« II. An Canonicus Episcopus Titularis in Missis, et Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis teneatur discedere a Stallo una cum reliquis Canonicis pro faciendis

Digitized by Google

consuetis circulis præscriptis a Cæremoniali Episcoporum? *Affirmative.*

« III. An exercente Pontificalia Episcopo locali, liceat Episcopo Titulari assistenti in Stallo cum reliquis Canonicis, deferre Pluviale, vel potius incedere debeat cum Rochetto, Mantelletta, et habitu violaceo? » *Affirmative*, exercente Episcopo locali Pontificalia; et assistente Capitulo in paramentis Sacris.

« IV. An una cum Pluviali possit quoque deferre Mitram Episcopalem absque consensu Episcopi localis? Posse, accedente consensu Episcopi.

« V. An, et cujus qualitatis debeat esse Mitra gestanda per d. Episcopum? Mitram debere esse lineam.

« VI. An in casu concessionis usus Mitræ, ut supra, debeat Episcopus Titularis illam per seipsum imponere, et amovere a capite, vel potius ad hunc effectum liceat uti opera alterius? Per seipsum in casu ut supra.

« VII. An liceat Episcopo Titulari canendi Missas, et Vesperas tamquam Canonico in propria hebdomada uti Faldistorio, et indumentis Pontificalibus, seu potius illas canere debeat, sedendo in scamno, prout practicatur cum reliquis Canonicis, et absque Pontificalibus indumentis. » Ad mentem, et mens est, ut in Missis de Turno abstineat, et subroget alium; In solemnioribus vero non posse, nisi de licentia Episcopi.

« VIII. An in tali casu teneatur petere licentiam ab Episcopo locali? » jam provisum. Et quo ad thurificationem, Episcopum Titularem esse thurificandum post Archidiaconum, et Canonicos Throno assistentes.

(42. Episcopis Titularibus præcedunt Episcopi locorum etiamsi posteriores sint Consecratione. Frances *de Eccles. Cathedral.* cap. 42. num 20. et 21. Ursaya in *Miscellaneo sacro et profano*, part. 2. verb. *Episcopus* num. 40. (43. Episcopus, cui datus est Coadjutor, potest esse coadjutor alterius; Sac. Congreg. Consistor. in Constantiensi Coadjutoriæ 16 Septembris. 1722. (44. Episcopus suffraganeus datus Episcopo cum facultate exercendi Pontificalia Officia in Civitate, et Diœcesi, de expresso consensu, et licentia pro tempore existentis Episcopi non potest eadem Pontificalia excercere, ut exercuit vivente Episcopo, post illius mortem Sede vavante, et Capitulo contradicente. Sac. Cong. Concil. in Vilnen. 22 Febr. 1631. (45. Unde mortuo Episcopo, illius suffraganeus Ordines conferre non potest. Sac. Cong. Concil. in Constantiensi 4 Feb. 1645. (46. Alia de Episcopo suffraganeo, Vid. verb. *Coadjutor* a n. 67. ad num. 103. ubi late de ipso.

ADDITIONES AUCTORIS.

(47. Episcopi suffraganei, annua præstatione super mensa Episcopali ipsis constituta, provideri debent de congrua sustentatione. (48. Benedictus XIV. Constitut. incip. *Cum a nobis.* (49. Episcopi Titulares valide, sed illicite Ordines conferunt sine licentia Ordinarii, in cujus Diœcesi degunt. (50. Idem *ibid.* Episcopus Titularis jurisdictionem excercere potest in subditos Ecclesiæ sibi assignatæ, si ad Christianam Religionem convertantur. Idem *ibid.*

(51. Episcopi ex ordinibus Monasticis, et mendicantibus assumpti, habitum proprii Ordinis visibilem gestare debent; Benedictus XIV. Constitut. incip. *Biennium* § 3. quæ extat in supplemento tomi 8. sui Bullarii.

(52. Id tamen non procedit quoad Canonicos Regulares, et Clericos Regulares. Idem *ibid.* Sed recte observatur a Fratribus Professis Militiæ Equestris S. Joannis Hierosolymitani. Idem *ibid.*

(53. Quoad obligationem Episcoporum exemptorum, et Sanctæ Sedi immediate subjectorum, eis indictam a Concilio Tridentino sess. 24. *de Reformat.* cap. 2. sibi eligenti Metropolitanum, ad cujus Synodum Provincialem accedere teneantur, et quæ ibi ordinata fuerint observare et observari facere, Bened. XIV. *de Synodo Diœc.* lib. 13. c. 8 n. 13. et seq. hæc refert: « Tridentinæ sanctionis habita fuit ratio in Concilio Romano coacto anno 1725. Cumque eidem aliqui Episcopi interfuissent, qui a Metropolitani jurisdictione immunes, et Sanctæ Sedi immediate subjecti, Archiepiscopum sibi non delegerant, ad cujus Synodum Provincialem accederent, jussi sunt, canonicis etiam pœnis indictis, electionem hujusmodi statim perficere; Idemque absentibus significatum fuit, ac insuper particularis instituta Congregatio, quæ Decretum hac de re conditum exequendum curaret. Hæc Congregatio habita fuit die 28 Maii ejusdem anni 1725. editaque ab ipsa sunt consultissima Decreta, quæ cum a nullo adhuc, quem sciamus, Auctore impressa fuerint, optimum ducimus ea huic capiti inserere.

« Examinato diligenter Decreto Sacri Concilii Tridentini sess. 24, cap. 2, de electione Metropolitani per Episcopos, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, ad effectum perducenda, concordibus, et uniformibus votis fuit relatum, ut sequitur

« Primo, Archiepiscopos, qui non habent Suffraganeos, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum conveniendi in ejus Concilio Provinciali.

« Secundo, sex Cardinales Episcopos urbium Romæ adjacentium, non teneri. ut supra.

« Tertio, Episcopos omnes, qui sunt inter Provinciam Capuanam et Pisanam, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum præfatum. Eos nihilominus, qui, vel quorum Antecessores jam semel post Tridentinum elegerunt Metropolitanum, teneri stare electioni, prout etiam Episcopus, qui a Provincia Romana, inter dictas Capuanam, et Pisanam constituta, divulsi fuerint, et assignati suffraganei Ecclesiarum in Metropolitanas electarum, eidem subesse.

« Quarto, Episcopos vere immediate subjectos Apostolicæ Sedi qui sunt extra præfatam Provinciam Romanam, ubicumque locorum existentes, omnino teneri eligere Metropolitanum, juxta Decretum Concilii Tridentini sess. 24, c. 2, *de Reformat.* quatenus

Digitized by Google

ipsi, vel eorum Antecessores jam non elegerint.

« Quinto, Abbates, aliosque Prælatos inferiores nullius Diœcesis, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, et populum, cum Territorio separato, teneri eligere Metropolitanum, ut supra.

« Sexto, Episcopos, Abbates, et Prælatos inferiores, qui debent, ut supra, eligere Metropolitanum, etsi non teneantur eligere viciniorem, debere tamen, juxta dictum Decretum Concilii Tridentini, vicinum eligere; quod est intelligendum de non nimis longe distante, habita ratione regionum.»

(45. Deinde *ibid.* num. 15, sic prosequitur: « Inter Episcopos, qui ut Metropolitanum sibi ad prædictum effectum eligerent, a Congregatione compulsi sunt, alter Patiensis fuit, Lucensis alter, sicuti legitur in Registris prædietæ Congregationis habitæ, ut dictum est, die 28 Maii 1725. Et hi quidem plura obtendere non omiserunt, ut Metropolitani electionem declinarent, sed eorum contentiones, et studia in irritum cesserunt, rejectis eorum instantiis per eamdem Congregationem habitam die 11 Februarii 1726. Cum vero felicis record. Benedictus PP. XIII, justis, gravibusque de causis Episcopatum Lucensem in Archiepiscopatum erexerit, nullo tamen ipsi adscripto Suffraganeo, ut patet ex ejus Constitutione incipient. *Inscrutabilis*, novo *Bullario* tom. 12. et cum Nos Papiensi Episcopatui unitum perpetuo voluerimus titulum Archiepiscopi Amasiæ in partibus Infidelium, sicuti videre est in nostra Constitutione, quæ incipit *Ad supremam*, in nostro *Bullario* tom. 1. num. 74. hinc uterque Præsul ab eligendi Metropolitani lege immunis evasit, juxta primum superius inserti Decreti capit. Ad Episcopos vero quod spectat, qui Capuanam, et Pisanam Provinciam interjacent, multo ante fuerat pronunciatum, non adigi eos Metropolitanum eligere, sicut videri potest lib. 4. Decretorum Congregationis Conc. anni 1585. pag. 53. Sacr., etc., censuit, Decretum cap. 2. *de Reformat.* sess. 24. « non habere locum in Episcopis, qui sunt in Provincia Romana. » De Provincia Romana inter Capuanam, et Pisanam loquitur Innocentius III. in cap. *Sua nobis, de Officio Vicarii.* Nos de ipsa mentionem fecimus in superiori l. 2. cap. 2. n. 3. ubi etiam rationum momenta attulimus, ob quæ hujusmodi Provinciæ Episcopi ab eligendo Metropolitano eximuntur. Itaque alteri huic relationis capiti finem imponentes, censemus, facile ex dictis quemlibet Episcopum colligere posse, num ad eligendum Metropolitanum obstringatur, et quomodo de injuncti sibi oneris implemento docere debeat. » Hactenus laudatus Pontifex loc. cit.

(55. Episcopi suffraganei etsi decorentur pallio, in Bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum Metropolitis, quin et vetantur illud ferre in præsentia Archiepiscopi. Bened. XIV. de *Synodo Diœces.* lib. 13. cap. 5, § 2. nov. edit.

(56. Pallii honore non decorantur latini Patriarchæ Titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra Provinciam suam, illi profecto alibi commorantur; *ibid.* § 17.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. De Regulari ad Episcopatum promoto magistralis, et numquam satis promerita est Decisio Sacræ Rotæ in Vilnen. Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum 3 Aprilis 1761. cor. R. P. D. Frangipani. In hac enim Decisione statuitur, quod ut primum Regularis ad Episcopatum promovetur, a jugo Regularis Observantiæ liberatur, liberamque acquirit facultatem donationem inter vivos faciendi ratione causæ piæ, et quidem etiam si Episcopus sit mere titularis, et agatur de Episcopo mere electo, modo electus sit a Summo Pontifice. Vide et alia ad materiam facientia in hac Decisione.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Duæ hic de Episcopo Titulari expendendæ sunt quæstiones. Prior est an Titularis Episcopus negligens consecrationem suscipere intra tempus a Concilio Tridentino sess. 23. c. 2. *de Reformat.* præfinitum, incurrat pœnas ab eodem Concilio inflictas, videlicet restitutionis omnium fructuum, si negligentia fuerit per tres menses a die Confirmationis; et privationis Episcopatus si negligentia fuerit per alios tres menses et sic per sex menses a Confirmatione.

(58. Negativa mihi arridet opinio. Ratio enim cur Concil. Tridentinum ita obligavit Episcopos, fuit, ut occurreret spirituali damno, quod necessario subditis afferre debebat dilata ab Episcopo in longum tempus susceptio consecrationis; Van. Espen. *Jur. Ecclesiastici univers.* part. 1. titul. 15. cap. 1, § 14. Hallier *de Sacr. Ordination.* part. 3. section. 7. cap. 21, § 2. n. 16. (59 Hæc autem Concilii Tridentini ratio locum sibi vindicare nequit quantum ad Episcopos Titulares, utpote qui subditos habent habitu tantum, non item actu. (60. Non est igitur quod Episcopus Titularis negligens Consecrationem teneri possit pœnis Concilii Tridentini, ut punctim firmat Hurtatus *Variar. resol.* num. 2. tract. ultim. resolut. 12, § 4. n. 720

(61. Accedit quod juxta Concilium Tridentinum ut locum habeat pœna privationis Episcopatus, debet præcedere pœna restitutionis omnium fructuum. (62. At quomodo quantum ad Episcopos Titulares præcedere potest pœna hæc restitutionis omnium fructuum, si apprehendere ii nequeunt possessionem suarum Ecclesiarum, utpote ab Infidelibus occupatarum? Hinc igitur magis atque magis confirmatum remanet quod intelligere nequit Concilium Tridentinum *de Episcopis titularibus*, eo ipso quod circa ipsos servari nequit ordo ille pœnarum ab ipso Concilio Tridentino stabilitus, et religiosissime propterea servandus. Optime Rota in Vilnen. Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum 3 Aprilis 1761, § 14 cor. bon. mem. Frangipane.

Digitized by Google

Altera est an Canonicus qui simul sit Episcopus Titularis possit a Capitulo suæ Ecclesiæ Cathedralis eligi in Episcopum absque Brevi eligibilitatis? (63. Notum jam est quod Episcopus unius Ecclesiæ non possit in Episcopum alterius Ecclesiæ eligi, sed postulari debeat cap. ultim. *de Postulat. Prælator.* idque ex matrimonio spirituali, quod Episcopum inter ac Ecclesiam intercedit.

(64. Videtur autem posse eligi sine eligibilitatis Brevi eo quod regula de spirituali matrimonio cessat quantum ad Episcopum Titularem, quippe qui vere et proprie Ecclesiam haud habet. (65. At contrarium, et quidem jure meritoque resolvit Christianus Thomasius *in Respons. Jur.* impress. post Programmata § 5, et plur. sequent. ea ductus ratione, quod Episcopum Titularem inter et Ecclesiam est spirituale matrimonium, adeoque carens ipse Brevi eligibilitatis nequeat ex matrimonio hoc spirituali eligi in Episcopum alterius Ecclesiæ.

EPISTOLÆ ECCLESIASTICÆ.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. 2. Epistolæ, de quibus agendum quænam sint? — 3. De illis scriptores. — 4. Litteræ autem, quas hoc articulo percensemus, sunt Apostolicæ. — 5. Canonicæ. — 6. Clericæ. — 7. Circulares. — 8. Commendatoriæ. — 9. Communicatoriæ. — 10. Concessoriæ. — 11. Confessoriæ. — 12. Decretales. — 13. Diaconicæ. — 14. Dimissoriæ. — 15. Encyclicæ. — 16. Enthronisticæ. — 17. Festales. — 18. Formatæ. — 19. Pacificæ. — 20. Paschales. — 21. Pastorales. — 22. Synodicæ. — 23. Systaticæ. — 24. Tractatoriæ. — 25. Tractoriæ.

(1. Epistolæ nomen ad quævis instrumenta significanda sequiore ævo translatum est. *Hanc epistolam donationis* habet papyraceum instrumentum quinto sæculo Ravennæ scriptum. Quare decepti sunt, qui quod id nomen hac acceptione deinceps viderunt usitatissimum, a Gothis, Langobardis, et Francis illud ad nos derivasse existimarunt.

(2 Nos antiquo, et vere Latino more epistolas hic sumimus, ab ἐπιστέλλω *mitto* sic dictas; unde Latinis ævo ad barbariem inclinante *missivæ* appellatæ sunt, ut apud Cassiodorum. Neque vero alias ab Ecclesiasticis, et Canonicis hic indicabimus.

(3. Ac de his quidem epistolis non pauca invenies apud Baronium Tomo II, plura apud Hermannum Hugonem in egregio libello *de prima scriben. origine* c. 13, ac Trotzium, qui illum apud Batavos suis non tam auctum quam oneratum adnotationibus recudit. Sed ut Cabassutium, Pompeium Sarnellium in suis epistolis Ecclesiasticis epistola prima. Dodwellum *Dissertat. Cyprianic.* pag. 17, Gonzalez in lib. 7, decret., tit. 22, cap. 3. Binghamum, aliosque, qui pro data occasione ad hoc argumenti genus excurrerunt, omittam, fuere qui singularibus libris de hisce epistolis eruditissime egerunt, cum primis Gerardus Rodolphus Graviensis in opusculo *de literis Canonicis*, Coloniæ 1572. Franciscus Bernardinus Ferrarius *de antiquo Ecclesiasticarum epistolarum genere*, Mediolani 1612. et curante Gebh. Theodoro Mejero iterum Helmstadii 1678. 4. Philippus Priorius in dissertatione *de literis Canonicis cum appendice de Tractoriis et synodicis*, Parisiis 1675, et inter Protestantes Jo. Gaspar Thorspecken in diss. *de literis Canonicis*, Witebergæ 1731. Hos ego auctores sequar in novo hoc quo Ferrarianam Bibliothecam augendam duxi, articulo. Neque tamen omnes Ecclesiasticas hujusmodi epistolas percensebo (quod longioris esset commentarii, novæque quam paro, Hugoniani nuper indicati libelli editioni servare consultius reor), sed præcipuas, easque potissimum, quas in Canonibus, ac Decretalium libris memorari novimus. Utar autem in illis numerandis Alphabeti ordine.

(4. Igitur *Apostolicæ* literæ sunt quævis epistolæ a Romano Pontifice Apostolica scriptæ auctoritate, sive Constitutiones sint, sive Brevia, rescripta, etc.

(5. *Canonicæ* eædem sunt, *communicatoriæ*, et *Formatæ* de quibus mox.

(6. *Clericæ*, quarum occurrit mentio apud Cyprianum ep. 4. Pame. 1. edit. Illas Hugo intelligit, quæ a Clero scribi solent sede vacante, sed revera a Clerico, qui ad eas deferendas ab Episcopo, vel Clero mittebatur, sic sunt appellatæ: qua de re fusius paulo post, ubi de diaconicis sermo erit.

(7. *Circulares.* V. *Encyclicæ.*

(8. *Commendatoriæ* epistolæ erant, quæ illustrioris conditionis hominibus, aut illis etiam, quorum existimatio fuerat in quæstionem vocata; Clericis quoque, ac Monachis, quibus esset in exteras regiones proficiscendum dabantur. Suscipientes autem ex illarum lectione dignoscebant, quemadmodum cum peregrinis agendum foret, quaque communione donandi. Quod de Monachis diximus confirmat S. Hieronymus ep. 147. al. 48. *ad Sabinianum* his verbis: « quis non susciperet eum, qui se Monachum promittebat, » præsertim ignorans tragœdias tuas, et Episcopi tui Commendatitias *ad cæteros sacerdotes epistolas legens?* Quod vero de illustrioribus viris asseruimus, ex Chalcedonensi Canone XI. sumpsimus; qui hujusmodi est: « Omnes pauperes, et indigentes Ecclesiasticis auxiliis cum proficiscuntur, sub probatione epistolii, sive pacificis, quæ dicuntur Ecclesiasticæ, tantummodo commendari statuimus, » et « Non Commendatitiis epistolis: quia commendatitias epistolas quas dicimus, eos tantum accipere convenit, qui in opere sunt clariores. »

(9. *Communicatoriæ* erant, quæ omnibus, qui in communione Ecclesiæ erant, cum eaque pacem colebant, concedebantur. V. *Formatæ.*

(10. *Concessoriæ.* V. *dimissoriæ.*

(11. *Confessoriæ.* Hugo *captivorum literas* memorat, « quæ, inquit, nominantur in Concilio Lugdunensi secundo cap. 2. et ab Episcopis dabantur pro lapsis. » Addit continenter: « sit earum mentio in Concilio

Digitized by Google

Eliberitano, et Arelatensi primo. » Verum a Lugdunensi illo Concilio, quod tertium est in Sirmondi collectione, vix ego crediderim designari literas, quæ ab Episcopis darentur pro lapsis. Quamquam cum locus ille Lugdunensis Concilii mendosus sit, neque Mss. Codicum inopia facile emendandus, nihil definire ausim. In Eliberitano tamen, et Arelatensi primo nusquam reperio *captivorum literas*, sed solum *Confessorum*, seu *Confessorias* literas, quas Cyprianus *libellos* sæpe appellat. Literæ autem erant, quibus Martyres, et Confessores lapsis petebant ab Episcopis dari pacem. Legenda hanc in rem est epistola decima ejusdem S. Cypriani *Valuz. edit.* ubi et formulam refert, qua quidam in ejusmodi literis Martyres utebantur : « communicet ille cum suis, *eamque reprehendit;* late enim patet, quando dicitur ille cum suis, et possunt nobis viceni, et triceni, et amplius offerri, qui propinqui, et affines, et liberti, ac domestici esse assererentur ejus, qui accipit libellum. » An ea autem formula : *communicet ille cum suis* Martyres significarent, se lapsos absolvisse, quæstio est inter eruditos viros. Affirmat Ill. Albaspinæus in suis *Observationibus*. Eam tamen formulam deprecatoriam tantum fuisse, atque ad exprimenda Martyrum vota conceptam, satis indicat Cyprianus his verbis : « Sed et illud ad diligentiam vestram redicere, et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis ; audio enim, quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur : *communicet ille cum suis*. Quod numquam omnino a Martyribus factum est, ut incerta et cæca *Petitio* invidiam nobis postmodum cumulet. *Quid? quod* de his qui Confessorum literas afferunt, placuit, ut sublatis eis literis alias accipiant communicatorias, » ut Eliberitanum Concilium statuit, itemque Arelatense 1. *can.* 9. Quid vero *communicatoriis* literis opus iis, qui communioni restituti fuissent?

(12. *Decretales* literæ sunt, quibus Romani Pontifices ad interrogata respondebant, quæque vitanda, sequendave essent, decernebant. *Decretalia constituta* dicuntur a S. Siricio epist. 1. ad Himer. et a S. Cœlestino I. ep. 5. ad Episcopos per Apuliam, et Calabriam constitutos.

(13. *Diaconicæ*, earum mentio apud Georgium Syncellum p. 375. et apud Eusebium l. 6. cap. 46. Vales. edit. quod 38. est in veteribus Christophorsoni, 34. in interpretatione Rufini. Recenset nempe Eusebius epistolas Dionysii, atque inter eas *Diaconicam* memorat, quam Rufinus *de ministeriis*, Christophorsonus *de ministeriis Ecclesiæ*, *de Officio diaconi* explicat Valesius. At Jacobus Goar. qui Georgium Syncellum edidit, illustravitque, genus quoddam Epistolarum Ecclesiasticarum ibi significari putavit, quod Διακονικὰ diceretur, sicut fuere synodicæ, pacificæ, dimissoriæ et similes. Goario adsentitur Bencinius dissert. 1. pag. 28. et *Diaconicam* intelligit diploma quoddam, quo universis innotesceret, illud proferentem Hippolytum Diaconum (per hunc enim a Dionysio Romam missa est epistola illa) cursorem Dominicum esse, cujus erat Encyclicas epistolas quaquaversum deferre. Qua in re si quid sentio, aperiendum mihi est, deceptos Rufinum, Christophorsonum, et Valesium, ac longe gravissimi hallucinatum fuisse Bencinium adfirmabo. Certe ut a primis illis ordiar, quis unquam sibi persuadeat, Dionysium « ad Fratres Romæ constitutos per Hippolytum » misisse epistolam *de officio diaconi?* quasi vero Fratres Romæ constituti ab Alexandrino Episcopo *officium diaconi* docendi essent. Quod si id eo sensu intelligas, quod de ministeriis Diaconorum *apud suam Ecclesiam* Dionysium Romam scripserit, tum haud ægre ita sentienti subscribam. Ad Bencinium quod adtinet, mirum est eum non hæc somnia tantum excogitasse, sed etiam eruditis viris succensuisse, qui ante ipsum adeo desipere numquam visi sunt. Porro ut Diaconicæ epistolæ Benciniano sensu acceptæ commentum luce clarius ostendam, duo Bencinio libens concedo. Primum illud est, a Principibus diploma cursoribus suis datum esse; alterum est, Diaconos sæpissime literas ad Episcopos aliosque fideles detulisse. Nego tamen aut Diaconis illis peculiares literas aut diploma ab Episcopis datum fuisse, aut etsi datum esset, *diaconicum* appellandum. Nam legimus quidem Pothinum, et Lugdunensem Ecclesiam, dum Romam Irenæum mitteret, Eleuthero Pontifici scripsisse apud Euseb. l. v. c. 4. sub finem epistolæ : « Has literas, ut ad te perferret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus. Quem quidem, ut commendatum habeas, rogamus : » legimus Basilium ep. 111. vet. edit. ad Athanasium scripsisse : « Hac de causa et Fratrem nostrum Dorotheum... Diaconum... ad pietatem tuam remisi. » Legimus, ut Leonis, et cætera id genus exempla præteream, Constantium in tertia ex tribus, quas ad Athanasium dedit, evocatoriis literis scripsisse : « Ad pleniorem autem notitiam, Achetam Diaconum misimus ; ex quo discere poteris, et quodnam sit mentis nostræ propositum, etc. » At quis hinc inferat, Cursoribus Dominicis peculiare diploma datum fuisse Tractoriæ cursoribus a Principibus concessæ simile? Bencinius tamen infert dissert. 2. pag. 167. et dissert. 1. pag. 38. et 101. O præclaram consecutionem. Si cui igitur scripsero : « Literas hasce ad te perferendas dedi Petro mercatori, aut viro patricio, aut Religioso ; » Bencinius aliquis commenticetur *mercatoriam*, *patriciam*, *aut Religiosam epistolam*, quæ diploma fuerit peculiare. Sed rem acrius urgeamus. Negari nequit, Presbyteros quoque, aliosque de clero, ac præsertim subdiaconos, sæpe Dominicos cursores, seu Ecclesiasticarum literarum latores fuisse. Age, aliquot ex ipsius Bencinii dissertatione proferemus exempla. Singedunensis Concilii Patres in epistola ad Germinium, quæ inter Hilarii fragmenta legitur, aiunt : « Hæc per Secundianum Presbyterum, Pullentium Lectorem, et Candidianum Exorcistam transmisimus caritati tuæ. » Siri-

Digitized by Google

cius quoque in epistola ad diversos Episcopos, seu ex Vallicellano codice universis Episcopis super Joviniani damnatione, « hæc, inquit, scripta direxi per Fratres, et compresbyteros meos Crescentem, Leopardum, et Alexandrum, qui religiosum officium fidei possint spiritu adimplere ferventes. » Jamvero confer isthæc cum iis, quæ in literis per Diaconos missis legimus. Quid tum? aut Presbyteralem quoque, Hypodiaconicam, Lectoralem, Exorcisticam epistolam in medium afferre debebimus, aut Diaconicam Bencinii fabulis adcensere. Sed fingamus paulisper, Cursoribus Dominicis diploma Bencinianum datum; quis prudens illud Diaconicum dixerit, quum alios a Diaconis cursores istiusmodi quam sæpissime inveniamus? Profecto diplomati illi nomen confingendum fuerat, quod omnibus commune cursoribus foret; puta Tractoriæ Bencinii argumenta plura occupavimus. Duo supersunt examinanda; tum ad Diaconicam Eusebii redibimus. Itaque in gestis Proconsularibus, quibus a Donatistarum calumniis vindicatus est Felix Aptungitanus Episcopus, legimus Apronianum Felicis defensorem dixisse. « Paullino heic administrante vices Præfectorum subornatus est quidam privatus homo, qui modum cursoris haberet. » Audin? inquit Bencinius pag. 35. Ingentius scriba (is enim est, quem Apronianus hic sugillat) « modum cursoris habuit, » utique a Donatistis, ut a se corruptas Felicis literas huc illuc ad Africanas Ecclesias deferret. Quis hic *modus?* nisi forma e diaconica epistola exscripta. Ita scilicet error in errorem incautos trahit. Fierine potuisset, ut diaconicam Donatistæ dedissent Ingentio non Diacono, sed Decurioni Ziquensium civitatis, ut in rescripto Constantini legimus apud Augustinum 1. 3. contra Cresconium cap. 70. et in ipsis gestis Proconsularibus purgationis Felicis? An non statim Donatistarum fraus innotuisset, si *Diaconicam*, diploma nempe Diaconi cursoris, decurioni dedissent? Quid plura? « modum cursoris habuit, » explico, « qui cursor mitteretur. » At quam lepidum illud, quod ex Leonis M. epistola 107. ad Ravennium urget Bencinius diss. pag. 126. Monet in ea Leo Ravennium, « Petronianum quemdam vagum et erroneum per Gallias se suum esse diaconum jactasse, et sub honoris obtentu diversas ejus Provinciæ Ecclesias circuire falsa subreptione. » Ubi heic diaconica? Vidit tamen Bencinius, fictamque diaconicam in verbis illis falsa subreptione reperit. Nimirum aut fictis dimissoriis, aut alia quamvis ratione Petronianus se Leonis diaconum jactare non poterat; diaconicam fingere debuit. *Risum teneatis amici.* Sed ad Eusebii diaconicam revertamur, cujus gratia hæc disputavimus. Aio itaque, etsi Bencinio daremus, diaconicam illam suam in usu fuisse, aliud omnino Eusebium intellexisse. Apud Cangium, et Goarium legimus a Græcis preces quasdam, quas *Irenicas*, seu *pacificas* dicunt, *diaconicas* etiam adpellari, quod a diacono recitarentur. Quidni Eusebius quoque *Irenicam*, seu *pacificam* epistolam intellexerit, quam diaconicam dixerit, quod diaconicus cæteroqui Benciniano diplomate haud quaquam munitus illam pertulisset? Id fortassis suspicari quis posset. Rectius tamen *diaconicam* Eusebii epistolam interpretabimur a diacono allatam, quemadmodum S. Cyprianus *clericas* epistolas vocabat, ut supra accepimus, literas per Hypodiaconum missas. Neque tamen ad Bencinianum diploma confugiemus, nisi et Hypodiaconos atque adeo clericos universos epistolarum latores inepte velimus, simili aliquo diplomate munitos fuisse. Immo cum Cyprianum generatim *clericas*, non *hypodiaconicas* appellasse literas ab Hypodiacono delatas videamus, pronum est conjicere, literas quoque ab Hippolyto ad Dionysium allatas *clericas* dici potuisse, sed *diaconicas* maluisse Eusebium illas nuncupare, ut cujus in clero gradus fuerit Hippolytus earum lator, aperte designaret.

(14. *Dimissoriæ* literæ erant, quæ ab Episcopo dari Clericis solebant, ut de sua ipsius diœcesi in aliam commigrare, illiusque catalogo connumerari possent. Concilium Carthaginiense I. cap. 5, eas tantum *literas Episcopi* appellat; sed concilium Trullanum cap. 17, diserte eas nuncupat ἀπολυτικὰς, scilicet *dimissorias;* nec sine illis, quas tamen dare nulla lege tenebantur Episcopi, ut vere animadvertit Binghamus tom. 2, lib. 6, cap. 4, § 4, fas ulli Clerico erat ex propria, cui adscriptus fuerat, Ecclesia abire. Sed a multis jam sæculis duplici potissimum de causa dimissoriæ Clericis conceduntur. Primo ut licite ab alieno Episcopo ordinari possint; de quo vide cap. *significatis de Officio Archidiac.* et Formatas, quas Ballerinii afferunt tom. 3, *Oper. S. Leon.* pag. 111, seq. secundo ut Clerici peregrini jam a propriis Episcopis ordinati celebrare in alienis Diœcesibus valeant. Confer. Gonzalez ad lib. 1, decret. tit. 22, *de Cleric. peregr.* cap. 3, num. 7.

(15. *Encyclicæ.* De Encyclicis hisce literis, quem antea nominavi, Franciscus Dominicus Bencinius duplicem Augustæ Taurinorum edidit dissertationem, alteram quidem anno 1728, alteram anno 1730, aliis quinque, quas super eadem re in proœmio primæ dissertationis promiserat, literariam Rempublicam, si superstes diutius fuisset, fatigaturus. Dictæ autem *encyclicæ* sunt a Græce ἐν, et κυκλω, quod est *in orbe, seu circulo,* cum ad plurimos veluti per orbem dirigerentur. Eas in Politicis a Principibus, et Magistratibus usitata Ecclesia ad subnascentes convellendos errores potissimum adhibuit, licet et aliis de causis usa iis fuerit, ut ad Martyrum gesta enarranda, cujusmodi fuit epistola illa Smyrnensis Ecclesiæ de S. Polycarpi Martyrio; aut ad disciplinæ controversias definiendas, quales eæ fuere literæ, quas in causa lapsorum scripsit Cyprianus. Illas quandoque *Tractatus* appellatas invenias: quo sensu Auctor *Prædestinati* a Sirmondo editus lib. 1. hær. 89. ait: « Consuetudo est namque, ut unum *Tracta*

Digitized by Google

tum suum Episcopus Alexandrinus mittat Constantinopolim, qui recitatur in Pascha. » Neque id nominis immerito illis tributum. Nam sæpe in illis congesta fuisse novimus Scripturarum, sanctorumque Patrum testimonia ad fidei dogmata stabilienda, ut in duabus magni Leonis adversus Eutychianos errores dogmaticis literis videre est. Quin etiam alia illis opuscula jungebantur : sic Cyrillus Alexandrinus literis suis pacificis epistola adjecit B. Athanasii ad Epictetum, et longe ante Cyrillum Cyprianus suis contra Novatianum Encyclicis aureum *de Unitate* libellum addidit. Dictus quoque *Catholicas* monet Hermannus Hugo; quo nimirum intellectum una, et altera B. Petri, tres Joannis, Jacobi una, una item Judæ epistola *Catholicæ* nuncupantur. De his porro audiendus OEcumenius in *Comm. ad epistol. Jacobi. Catholicæ,* inquit, « dicuntur illæ epistolæ, quasi encyclicæ; non enim separatim gentem unam, aut civitatem, quemadmodum D. Paulus Romanos, aut Corinthios, his epistolis alloquitur discipulorum Domini chorus, nimirum Petrus, Joannes, et Judas; sed in universum fideles omnes. » In tomos autem redigebantur Encyclicæ. Quamobrem cum apud Ecclesiasticos scriptores *tomum encyclicum* inveneris, volumen intellige, in quo plurium Episcoporum, Patrumque encyclicæ epistolæ collectæ erant. Bencinius diss. 1. p. 7. *declarativas, denunciativas, indicativas* encyclicas memorat; sed hæc nomina in Ecclesiasticorum scriptorum monumentis minime invenio. Illud unum verum est, encyclicas literas juxta argumenti diversitatem varia sortiri posse vocabula, et *denunciativas* dici, dum hæreticorum, vel excommunicatorum nomina, aut etiam illorum errores ad fideles in illis deferebantur; ut de iis vitandis admonerentur : *declarativas*, dum errores refutabant, damnabantque, *indicativas*, dum Martyrum nomina, et gesta describebant. Hæretici ipsi suas Encyclicas habebant ab Episcopis, aliisque suorum errorum sectatoribus subscriptas, quas *antencyclicas* dixeris. Exemplo sunt encyclicæ literæ, quas Timothei Aeluri Eutychiani hominis suasu dedit Basiliscus Imperator adversus Chalcedonense Concilium : qua de re vide Theodorum lectorem, et Evagrium lib. 3. cap. 4.

(16. *Enthronisticæ* literæ dicebantur, quas Episcopi simul atque consecrati erant, ad extraneos Episcopos mittebant suæ ipsorum fidei atque orthodoxiæ testes, ut ab illis vicissim pacificas, et communicatorias epistolas acciperent. Hinc Antiocheni Concilii Patres, cum dejecto ab Antiochena sede hæretico Paulo Samosateno Domnum in ejus locum ordinassent, omnes Ecclesias hac de re encyclicis literis certiores fecerunt; idque se illis significare edixerunt, ut et ad Domnum scriberent, et ab eo communicatorias literas acciperent, quemadmodum narrat Eusebius lib. 3. cap. 39. vide infra *synodicæ*. Confer etiam Garnerium ad librum diurnum Romanorum Pontificum, et Binghamum tom. 1. l. 71. cap. 11. § 10.

(17. *Festales* literæ ex eo dictæ, quod illis Episcopi olim solemnissimis Nativitatis, et Resurrectionis dominicæ diebus consalutare se invicem, et quam prospere festivitatem illam celebrassent, nunciare solebant. Ejusmodi est epistola III Alcimi Aviti, in quam vide eruditissimam Sirmondi adnotationem tom. 2. oper. edita Paris. col. 101.

(18. *Formatæ* epistolæ erant, quas nonnisi Primates, ac Metropolitæ Episcopis sibi obnoxiis. Episcopi Clericis suis alio peregrinaturis largiebantur. Formatarum autem duo genera Sirmondus distinguit ad Sidonii lib. 6. ep. 8. Nam clerici aut in aliam diœcesim transibant, ut in ea manerent, et dimissoriæ dabantur, ut supra diximus; ejusque generis sunt formatæ omnes, quæ apud Burchardum, Reginonem, Ivonem, et Gratianum leguntur; quibus adde Formatam Papiensis Episcopi a Balleriniis ex Vaticano codice vulgatam tom. 3. *Oper. S. Leon. M.* p. 262. quamquam et ubi sacræ ordinationis causa Clerici a suis Episcopis ad alios mitti cœpere, dimissoriæ, quæ illis concedebantur, nonnisi ex Formatarum literarum regula tradebantur. Aut non ut penitus migrarent, sed ad tempus, privati seu publici negotii causa; atque his commendatitiæ dabantur, quas Græci promiscue nunc *systaticas*, nunc *Irenicas*, id est *pacificas* vocant; Etsi enim pacificas a commendatitiis aliquando distinctas docet Canon 11 Concilii Chalcedonensis, constat tamen neglectum ab aliis discrimen id fuisse. Latini utrumque genus *Formatarum* nomine complexi sunt, ita ut Formatæ literæ universim respondeant Canonicis (quo etiam nomine appellantur in Synodo Meldensi *can.* 50. et ab Hincmaro in formata ad Æneam Episcopum Parisiensem,) dividanturque in dimissorias, et commendatitias, quemadmodum apud Græcos in ἀπολυτικας, et συστατικας : quamquam dimissorias, quia sine commendatione aliqua, pacisque symbolo non fiebant, *commendatitias* quoque interdum, et *pacificas* appellabant; at non contra *dimissorias*, quæ commendatitiæ tantum essent. Binghamus tom. 1. lib. 2. cap. 4. § 5. tertium genus addit formatarum, nempe literas *communicatorias*, de quibus opusculum edidit Lipsiæ 1744. Jo. Rudolphus Kieslingius inscriptum *de stabili primitivæ Ecclesiæ ope literarum communicatoriarum connubio.*

Ne qua fraus hæreticorum intercederet, Formatarum scribendarum formula certa concepta est a Synodo Nicæna, eaque ab Attico Constantinopolitano Episcopo in Africam missa, unde postea ad alias Occidentis Ecclesias exempla derivarunt. *Regulam Formatarum* vocat Codex Canonum a Quesnello editus, recusus postea, atque illustratus a Belleriniis tom. 3, *Oper. S. Leon.* pag. 451, ejusque passim exempla suppetunt apud Gratianum, Ivonem, Burchardum, aliosque Canonum collectores, ut ibidem monent, confirmantque Ballerinii. Sed fatendum est cum Sirmondo, corrupta fere antiquariorum vitio, ac mutila esse exempla, quæ proferunt. Unum, quod Gra-

Digitized by Google

tianus exhibet, idem Sirmondus accurate restituit. Confer Hermannum Hugonem *de prima scribendi Origine* cap. 13. Bencinius diss. 1, pag. 307, putat, ab ipso Christianæ Religionis exordio in Pacificis potissimum, et communicatoriis literis adscriptum fuisse Christi monogramma : sed egregie fallitur. Nam præterquam quod non pauci sunt viri docti, qui Christi monagramma nonnisi Constantiniano ævo obtinuisse contendant, in forma harum epistolarum, quam a Nicæna Synodo conceptam diximus, ne verbum quidem de hujusmodi monogrammate occurrit.

Sunt porro, ut id quoque non præteream, qui *Formatarum* nomen a certa illa, qua ex præscripto Nicæni Concilii texebantur, formula effictum velint. Sirmondus tamen maluit, Formatam a sigilli forma dictam, qua muniebatur. Sic enim veteres Glossæ Vaticanæ, *Formatam epistolam, sigillatam* interpretantur.

(19. *Pontificiæ* sunt, quas Græci promiscue nunc *systaticas* nominant, seu ut Ingulphi in *Historia* utar verbo, *viaticas*, nunc *irenicas*, seu pacificas. Hasce a commendatitiis distinctas præter Canonem 40. Chalcedonensis Concilii, de quo nuper dicebamus, multo magis docet Canon. 81. Eliberitanæ Synodi, in quo *pacificas* appellari literas solius benevolentiæ testandæ causæ exaratas, scite notarunt Raynaudus *de sobria Frequentatione mulierum* cap. 7, pag. 273, et Norisius Lect. 4, *de Tractoriis* tom. 4, *oper.* col. 628. S. Athanasius in *Epist. ad Solitarios. Pacificas* literas pro *communicatoriis* usurpat; nisi malis, eas ibi accipere lætitiæ de restituto Athanasio, amorisque testes, quam communionis.

(20. *Paschales* epistolæ erant, quæ tempus celebrandi Paschatis nunciabant. Id negotii datum a Nicænis Patribus Episcopo Alexandrino, quemadmodum Sancti Cyrillus Alexandrinus in *Prologo Paschali*, et S. Leo M. *epist.* 121, *ad Marcianum Augustum* docent. Metropolitanorum tamen erat Episcopos sibi obnoxios ea de re per literas monere. Vide S. Ambrosium ep. 83, ad Episcopos per Æmiliam, Concilium Carthaginense III, capit. 1, et 41, et concilium Toletanum IV, cap. 5. Multa de hisce epistolis colligit Cl. P. Ægidius Bucherius in insigni opere *de Doctrina temporum*. Amstælodami vero ab anno 1733 ad 1736, prodiere quinque tomis in-4°, comprehensæ *Observationes* sane utilissimæ *veterum Patrum, et Pontificum prologos, et epistolas Paschales, aliosque antiquos de ratione Paschali Scriptores*.

(21. *Pastorales*, quæ pro instructione ad Ecclesias mittebantur; quales Paulinæ aliquot, et Ignatianæ. Hoc nomen servant etiamnum Episcoporum instructiones, edicta, mandata, etc.

(22. *Synodicæ*, quæ ad Synodos scribebantur, vel ab ipsis Synodis mittebantur.

(23. *Systaticæ*. Vide supra numer. 19. Moneo tamen, in Jure systaticas literas accipi pro literis commeatus. Novell. Justinian. 6. capit. 3. « Non autem aliter aliquem præsumere dirigere se ad hanc civitatem statuimus, priusquam literas acceperit, quæ secundum divinas regulas συστατικα καλουμενα, testimonium perhibentia necessitatis, etc. »

(24. *Tractatoriæ*, quibus Episcopi certiores alios faciebant rerum gestarum S. Augustinus *Concione II. in psalm.* XXXVI.

(25. *Tractoriæ* interdum eædem erant, quæ olim commendatoriæ. Iis evocabantur Episcopi ad Concilium cum auctoritate utendi cursu, et stativis publicis, inquit Baronius Tom. 3 ex Epistola Constantini ad Ablavium. Interdum vero, ut optime observat Gothofredus ad lib. 8. c. 6. *Codic. Theodos.* erant denunciatoriæ, pro publica scilicet denunciatione, hunc vel illum esse excommunicatum, aut damnatum, et hinc ab ejus communione abstinendum. Celeberrima has inter epistolas Tractoria est S. Zosimi Pontificis adversus Pelagianos, de qua Marius Mercator. Vide Norisium cit. Lect. 4. *de Tractoriis*.

EREMITA.

SUMMARIUM.

1. Eremita denominatur ab Eremo, quem colit, ut Deo commodius serviat. — 2. Eremus est nomen Græcum, quod latine idem significat ac *Desertus*, seu *locus solitarius*. — 3. Eremita juxta nomenclaturam est Eremi cultor, seu Eremicula. — 4. Eremitarum secundum D. Hieronymum tria sunt genera, id est alii sunt Cœnobitæ, alii Anachoritæ, et alii Remothitæ. — 5. S. Benedictus quatuor enumerat genera Eremitarum, scilicet Cœnobitas, Anachoritas, Sarabaitas, et Girovagos. — 6. S. Augustinus dicit, quod Eremitarum genus dividitur in Anachoritas, et Cœnobitas, et non alias species. — 7. Fagnanus quatuor distinguit species Eremitarum. — 8. Primi sunt Eremitæ, qui emittunt tria vota substantialia in aliqua ex Religionibus approbatis. — 9. Secundi sunt Eremitæ viventes in Congreg. et habentes modum vivendi ab Episcopo approbatum, et late licet non sint Religiosi, sunt tamen personæ Ecclesiasticæ. — 10. Tertii sunt Eremitæ, qui quamvis non sint professi alicujus Religionis, nec vivant in communi, tamen de facultate Episcopi induunt Habitum Eremiticum, et ab ipso sunt Deputati servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, seu Eremitorii, et sub illius obedientia vivunt. — 11. Quarti sunt Eremitæ, qui non sunt deputati Ecclesiæ servitio auctoritate alicujus Prælati Ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, et ad sui libitum deferunt Habitum Eremiticum. — 12. Eremitæ primi, et secundi generis gaudent privilegio Fori, et privilegio Canonis. — 13. Eremitæ tertii generis etiam gaudent privilegio Fori, et Canonis. — 14. Non desunt tamen, qui tenent contrarium, et maxime de privilegio Canonis. — 15. Eremitæ quarti generis non gaudent nec privilegio Fori, nec Canonis. — 16. Deputatio Eremitæ pro custodia Ecclesiæ potest pertinere ad Laicos, sed approbatio semper spectat ad Episcopum. — 17. Pro istis Eremitis variæ emanarunt Ordinationes, quæ hic ad litteram subnectuntur. — 18. Affertur edictum, quo prohibetur Eremitis delatio habitus cujuscumque Religionis. — 19. Afferuntur Regulæ observandæ ab Eremitis. — 20. Affertur Constitutio Benedicti XIII confirmativa, ampliativa, et roborativa alterius Constitutionis Urbani VIII, ubi præcipitur quibuscumque Ordinariis, et Sedis Apostolicæ Nunciis, ne quemquam Eremitam Habitum Fratrum Tertiariorum Ordinis Minorum de Observantia, vel simplicem Tunicam oblongam, cum, vel sine Mantello absque Superiorum prædictæ Religionis Mino-

Digitized by Google

rum de Observantia licentia in scriptis obtenta, quoquomodo ferre permittant, et præterea præcipitur prædictis Eremitis sub gravissimis pœnis, ut pro majori, facilioriquc eorum a Fratribus dicti Ordinis discrimine de cætero ultra barbam, gestent etiam Tunicam breviorem, solitumque scapulare longius Pallio, seu Mantello ad differentiam Tertiariorum commensalium. — 21. Affertur Edictum, quo præcipitur prædictis Eremitis sub gravissimis pœnis, ut infra decem dies ab emanatione hujus Edicti teneantur exsequi omnia ordinata in supradictis Constitutionibus Urbani VIII. et Benedicti XIII. — 22. ad 26. An Eremitæ gaudeant privilegiis Fori et Canonis.

(1. Eremita denominatur ab Eremo, quem colit, ut Deo liberius, et commodius serviat. Communis. (2. Eremus enim est nomen Græcum quod latine idem significat ac *Desertum*, sive *locus solitarius*, et omni habitatore destitutus; (3. Unde Eremita juxta nomenclaturam est Eremi cultor, sive Eremicula, et aliquando dicitur Monachus Græce, Latine solus; c. *Si cupis* 15. caus. 16. p. 1. ibi : « Si cupis esse quod, diceris, Monachus, id est solus, quid facis in Urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? » ubi Gloss. in verb. *Solorum* subnectit, id est solitariorum. (4. Eremitarum secundum D. Hieronymum *Epist.* 22. ad Eustochium tria sunt genera, ibi : « Primum Cœnobitæ, quos illi Sauses gentili lingua vocant, nos in Communi viventes possumus appellare : Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per deserta, et ab eo, quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur; Tertium genus est, quod Robomoth dicunt, deterrimum atque neglectum; » hæc ille. (5. Unde alii dicebantur *Cœnobitæ*, scilicet in communi viventes, alii *Anachoritæ*, scilicet soli habitantes, et alii *Romothitæ*, scilicet in communi, sed deterrime, laxe, et improbe viventes.

(6. Sanctus Benedictus cap. 1. *Regulæ*, et cap. 15. quatuor enumerat genera Eremitarum, Cœnobitas scilicet, Anachoritas, Sarabaitas, et Gyrovagos, S. Augustinus vero lib. *de Moribus Eccles.* dicit quod Eremitarum genus dividitur in Anachoritas, et Cœnobitas, et non alias species, cum quo videntur concordare Eminentiss. Bellarminus tom. 2. *de Monach.* lib. 2. cap. 3. Sapientiss. Suarez tom. 4. lib. 1. *de varietat. Religion. in genere*, c. 2 existimantes alias divisiones verbales falsas, aut futiles, cum aliqua membra prædictorum sese mutuo includant ut inter se minime differant. Nam Eremitæ, et Anachoritæ sola voce differunt Rebomothitæ, et Sarabaitæ, et Gyrovagi, Cœnobitæ sunt; sed deterrime vivere in Monasterio cum proprio, et sine obedientia, non facit diversum genus condistinctum ab aliis, sed est corruptio vitæ Eremiticæ, et quod quidam se conferant in Eremum, non ut sanctius, sed liberius vivant, non est genus diversum, sed relaxatio vitæ Monasticæ, ut observat Eruditiss. P. Donatus *Prax. Regul.* t. 4. tract. 14, num. 6. (7. Fagnanus tandem lib. 2. *Decretal.* in cap. *Nullus Judicium* 2. *de Foro competent.* n. 54 ad 64. quatuor distingui species Eremitarum. (8. Primi sunt Eremitæ, qui emittunt tria vota substantialia in aliqua ex Religionibus approbatis, quales sunt Eremitæ tam calceati, quam discalceati S. Augustini, Eremitæ S. Hieronymi per Hispaniam, et per Italiam, Eremitæ Servitæ Montis Senarii, Eremitæ S. Hieronymi de Fesulis, Eremitæ B. Patri de Pisis. (9. Secundi sunt Eremitæ viventes in Congregatione et habentes modum vivendi ab Episcopo approbatum, et tales licet non sint vere, et proprie Religiosi, quia non profitentur aliquam ex Religionibus a Summo Pontifice approbatis, tamen sunt personæ Ecclesiasticæ, et subsunt jurisdictioni Episcopi Diœcesani; arg. cap. *Indemnitatibus* § penult. *de Elect.* in 6. et Clementin. 2. § *Illas quoque mulieres, de Statu monachorum.* (10. Tertii sunt Eremitæ, qui quamvis nec sint professi alicujus Religionis, nec vivant in communi, tamen de facultate Episcopi induunt Habitum Eremiticum et de ipsius auctoritate sunt deputati servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, seu Eremitorii, et sub illius obedientia vivunt. (11. Quarti denique Sunt Eremitæ, qui non sunt deputati Ecclesiæ servitio auctoritate alicujus Prælati Ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, et ad sui libitum deferunt Habitum Eremiticum.

(12. Eremitæ primi, et secundi generis gaudent privilegio Fori, et privilegio Canonis; de primis enim nefas esset hoc dubitare, cum sint vere et proprie Religiosi : de secundis quod gaudeant, nedum privilegio Fori, sed etiam Canonis, tenet expresse Silvester in verb. *Eremita* quæst. 1, n. 2, et in verb. *Ecclesia* 1, § dicto 6, num. 6, et cum multis Fagnan. loc. cit. a num. 55, ad 60. (13. Eremitæ tertii generis etiam gaudent privilegio Fori, et Canonis, Silvester verb. *Ecclesia* 1 § 5, dicto 6. Armilla verb. *Eremita* num. 3. Navar. in *Manual.* cap. 17, sub num. 79, in fin. et *Comment.* 2, num. 44, *de Regularibus*, D. Nicol. Bœr. in tract. *de statu et vita Eremit.* n. 13, et 14. Covar. *Practic.* qq. cap. 34, num. 4. Carol. de Grassis, *de Effect. Cleric.* effect. 1, num. 105. Aloysius Ricc. 2. part. prax. resol. 149. Leonard. Duard. in *commen. Bullæ Cœnæ* lib. 2, can. 15, quæst. 6, cum sua addit. Ricciol. lib. 5. *Lucub.* cap. 3, in secundo caus. Bonacina tom. 3, *de censuris Bullæ Cœnæ* disput. 1, quæst. 16, sect. 1, punct. 3, num. 18. Barbos. *de Offic. et potes. Episcop.* allegat. 12, num. 41, et lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 39, num. 45. Novar. 1, part. quæst. 67, multis allegatis a num. 1, usque in fin. *de elect. Fori*, Lezana pluribus citatis part. 2, cap. 7, num. 4, et 5. Fagnan, in cit. cap. *Nullus* 2, *de Foro competenti* n. 61, et cum multis aliis Reiffenstuel lib. 3, *Decretal.* tit. 1, num. 25, arg. cap. *Qui vere* 16, quæst. 1, ibi : « Qui vere, pureque solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore, » et Gloss. ibid. verb. *Vere*, et arg. cap. *Duo sunt genera* 12, quæst. 1, ubi illud Christianorum genus reputatur intra Clericos : « Quod mancipatum divino Officio, et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. » Istis autem

Digitized by Google

adnumerantur Eremitæ recepti auctoritate Episcopi Diœcesani ad servitium alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, adeoque, etc., et quod tales Eremitæ sint personæ Ecclesiasticæ, censuit Sac. Cong. Episcop. in Fundana 17, Jan. 1594, ut refert Barbosa decis. Apostolic. verb. *Eremitæ* num. 2. (14. Non desunt tamen qui tenent contrarium, et maxime de privilegio Canonis, ut Cardinalis in Clement. *Per literas, de præbendis*, et alii, quos citat Fagnan. loc. cit. n. 62. (15. Eremitæ quarti generis non gaudent, nec privilegio Fori, nec privilegio Canonis, ut de communi testantur Fagnan. loc. cit. num. 63. Reiffenstuel. loc. cit. n. 28, et alii passim.

(16. Deputatio Eremitæ pro custodia Ecclesiæ potest pertinere ad Laicos, sed approbatio semper spectat ad Episcopum; Sacr. Congregat. Conc. in Albanen. 10 Maii 1692. (17. Pro istis Eremitis variæ emanarunt Ordinationes, quæ hic ad literam subnectuntur; et in primis datur Edictum emanatum sub Clemente XI. 6 Octobris 1702.

EDICTUM PRO EREMITIS.

Gasparo per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina della S. R. C. Card. di Carpegna, della Santità di N. S. Vicario Generale, ec

(18. Per impedire molti gravi inconvenienti, ed evitare li scandali, che frequentemente succedono in quest' Alma Città, per causa d' alcuni Vagabondi, che si fingono, e portano l'Abito de' Romiti senza la necessaria licenza; La Santità di Nostro Signore inerendo agli Editti in diversi tempi emanati, particolarmente dalla Sant. Memor. di Clement. VIII, nel 1602, e della San. Mem. di Clemente IX, col parere della Sag. Congregazione della Visita sotto li 15 Luglio 1669, ordina, e comanda a tutti li Romiti, che ora si trovano in questa Città di Roma, suoi Borghi, e distretto, anche nei Romitori, o case particulari, vicino le Chiese, che in termine di otto giorni dopo la pubblicazione del presente Editto, ed a quelli, che verranno per l' avvenire, immediatamente dopo che sono entrati in questa Città, debbano deporre l' abito Eremitico, ovvero andare a star nel Convento, o Ospizio de' Romiti di Port'Angelica, fondato a quest' effetto con autorità Apostolica, affinchè non sieno costretti andare all' Osterie, o Camere Locande, come dalla Costituzione della San. Mem. di Sisto V. che incomincia: *Cum nostræ*, emanata li 29 Maggio 1587, ed ivi mostrare le Testimoniali degli Ordinarî de' Luoghi, ed incarichiamo al Superiore di detto Ospizio di riconoscerle, e quelli, che non l' esibiscono, non ammetterli, anzi cacciarli secondo ordina la medesima Costituzione Apostolica, e quei, che l' hanno, riceverli con carità, conforme l' Instituto di detto luogo, in cui dovranno li suddetti vivere, e pernottare per il tempo prescritto sotto pena di carcere, ed Esilio da Roma, e dallo Stato Ecclesiastico per dieci anni, ed altre pene a nostro arbitrio. Parimente ordina la Santità Sua sotto le medesime pene alli detti Romiti, che non vadino per Roma, se non portano la fede del Rettore, o Superiore del medesimo Ospizio, che ivi dimorano; Di più che non possino fermarsi in Roma più di tre giorni, se non avranno in iscritto da Noi, o da Monsignor nostro Vicegerente licenza particolare, quale si concederà gratis, quando vi sarà causa legitima, e in detto tempo, che avranno le licenze, non dovranno questuare, nè pernottar altrove, che in detto Ospizio, eccetto quelli, li quali saranno approvati da Noi, o dal detto Monsignor nostro Vicegerente, ed avranno un' altra speciale licenza in iscritto di dimorare in qual che Romitorio o Casa vicino le Chiese per fare l' Offizio di Custode delle medesime, ed a quelli se li prescriveranno alcune Regole, secondo le quali dovranno contenersi.

Inoltre inerendo alla disposizione delle Costituzioni Apostoliche, e dei replicati Decreti della Sagra Congregazione de' Vescovi e Regolari, proibisce la Santità Sua, che nessuno Romito sotto qualunque pretesto, colore, o causa ardisca di portar l' abito di qualsivoglia Religione, anche con licenza del Superiore di essa, con Tonica, o Mantello lungo, o senza di esso, nè con scapolare, o cappuccio simile a quelli de' Religiosi, ma debbano portarli in forma, che siano totalmente distinti dall' abito regolare, o claustrale, sotto le pene dette di sopra, e per quelli, che porteranno l' abito de' Padri Cappucini, o simile in maniera, che possano essere riputati di tale Religione, incorreranno, oltre le suddette pene, anche la pena della Scomunica latæ sententiæ imposta dalle Costituzioni Apostoliche della San. Mem. di Paolo III, Pio IV, Gregorio XIII ed altri Sommi Pontefici.

Non intendiamo però di comprendere in questo Editto li Romiti, che ora sono, e per l' avvenire saranno con legittima autorità assegnati di Famiglia, e conviveranno in detto Ospizio, o Convento di Port'Angelica, nè meno i Terziari, Commessi, Oblati, Offerti, Donati, o altri simili, che stanno di Famiglia, o convivono nei Monasteri, o Conventi de' Regolari. Avverta ciascuno di ubbidire, perchè contro li Trasgressori si procederà irremissibilmente alle pene sopradette, ed ancora maggiori a nostro arbitrio, secondo la qualità de' casi, con giustizia sommaria, ed anche per inquisizione. Volendo, che il presente pubblicato ed affisso ne' Luoghi soliti astringa tutti, come se a ciascuno fosse personalmente intimato. Comandiamo in oltre, che il Superiore di detto Convento, o Ospizio di Port'Angelica debbà sempre tenere affisso un esemplare del presente Editto nel Refettorio, o altro luogo pubblico del detto Convento sotto pena a nostro Arbitrio. Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 6 Ottobre 1702

G. CARD. VICARIO.

N. A. Cuggiò Segr.

Digitized by Google

SOMMARIO DELLE REGOLE DA OSSERVARSI DAI ROMITI.

Prospero del titulo di S. Callisto della S. R. C. Prete Cardinale Marefoschi, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, ec.

(19. Essendo state fatte nel Concilio Romano, celebrato l' anno prossimo passato, alcune Regole per li Romiti, che risiedono nell' Ospizio vicino la Port'Angelica di quest' Alma Città, e per altri Romiti. E perchè le stimiamo anche molto utili da osservarsi da quei Romiti, li quali dimorano soli, o accompagnati alla Custodia di diverse Chiese, e Cappelle dentro, e fuori le Porte di Roma, però ne abbiamo fatto il presente Sommario stampato, che decentemente adattato in Tabella, vogliamo che stia sempre affisso nella Cella di ciaschedun Romito, e che le debba puntualmente osservare sotto pena di esser mandato via dalla Chiesa, che custodisce, privazione dell' Abito, e altre pene a nostro Arbitrio, secondo la qualità della trasgressione.

REGOLE.

I. Che debbano sempre portar l'Abito differente da quello, che usano i Religiosi.

II. Che non possano fondare nuovo Romitorio senza nostra licenza.

III. Che non debbano coabitare più di due Romiti insieme, parimente senza detta licenza.

IV. Che ad ogni nostro ordine debbano dar conto delle Limosine, che ricevono.

V. Che nelle Feste di precetto debbano intervenire alla Dottrina Cristiana nella propria Parocchia.

VI. Che ogni messe, e in tutte le Feste solenni debbano Confessarsi, e Communicarsi nella sua Chiesa Parrocchiale.

VII. Che ogni giorno debbano recitare almeno la terza parte del SS. Rosario, e la sera far l' esame della Coscienza, e recitare le Litanie della Beatissima Vergine.

VIII. Che non tengano libro alcuno senza prima mostrarlo al proprio Parroco, e averne dal medesimo la licenza.

IX. Che tengano pulita la Chiesa, e le sacre suppellettili, come anche la Casa, dove abitano.

X. Che non ammettano Sacerdote alcuno a celebrare senza la nostra licenza stampata.

XI. Che non ammettano uomo a pernottare senza licenza del proprio Parroco: Che se ivi si rifuggiasse qualche delinquente, debbano subito darne parte a Noi, o a Monsignor Vicegerente nostro.

XII. Molto meno ammettere sotto qualsivoglia pretesto, o licenza alcuna Donna di qual si sia qualità, ancorchè sia sua Moglie

XIII. Che non possano passare ad altra Chiesa, o Eremo, nè deporre l'Abito, e deposto ripigliarlo senza nostra licenza, o di Monsignor Vicegerente, sotto pena della privazione dell' Abito, della Immunità Ecclesiastica, e di carcere.

XIV. Che finalmente li RR. Curati, sotto li quali i detti Romiti, o Custodi dimorano, dovranno invigilare nell' Osservanza delle suddette Regole, e trovandoli trasgressori gli ammoniscano, e non emendandosi, siano tenuti darne immediatamente avviso a Noi, o a detto Monsignor Vicegerente nostro, affinchè si proceda contro di essi alle dovute pene. E perchè in Roma non sono molto stabili li detti Custodi, però li detti Parrochi dovranno pubblicare almeno una volta l' anno nella Messa Parrochiale nel giorno di S. Paolo primo Eremita le medesime Regole alli Romiti loro Parrochiani, a questo effetto avvisati, e congregati. Questo dì 13 Novembre 1726.

P. CARD. VICARIO.

N. A. Cannico Cuggiò Segr.

BENEDICTUS PP. XIII, ETC.

(20. Alias emanarunt a Felic. record. Urbano PP. VIII, prædecessore nostro litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet. Urbanus PP. VIII. Ad futuram rei memoriam. Cum, sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ Sancti Francisci Nobis nuper exponi fecit, quamplures abutentes Habitu Fratrum Tertiariorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci, vel simplicem Tunicam oblongam cum Mantello, vel sine eo, absque Superiorum prædictæ Religionis licentia deferant, vel etiam eis caputium, aut Tunicæ adjunctum, aut ipsi Mantello consutum superaddant, eorumque nonnulli extra Claustra degentes tum scandalose, et inopportune sub specie peregrinationis, aut alterius emendicati prætextus divagentur, tum etiam aliquas Ecclesias, seu Cappellas adscito sibi Eremitarum nomine incolant, exindeque maxima apud Sæculares scandali materia, et pravæ opinionis erga prædictam Religionem ingeratur; Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut tot incommodis, et scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, et pœnis a Jure, vel ab homine, quamvis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequentes harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, et singulis Locorum Ordinariis, ac Nostris, et Sedis Apostolicæ Nunciis, ubivis Terrarum constitutis, et degentibus, tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, ne de cætero quemquam prædictam Tunicam oblongam, cum, vel sine Mantello, absque Superiorum prædictæ Religionis Mi-

Digitized by Google

norum de Observantia et cujusvis Instituti, seu Congregationis Ordinis ejusdem Sancti Francisci licentia in scriptis obtenta, quoquomodo deferre permittant, utque, si aliquem præmissorum transgressorum reperierint, illum carceri mancipandum, tali Habitu exuendum, et arbitrariis pœnis mulctandum irremissibiliter curent, et præterea nemini licitum faciant, etiamsi prædictæ Religionis Minorum de Observantia, et cujusvis Instituti, seu Congregationis universi Ordinis hujusmodi Superiorum scripta, seu quovis alio prætextu roborata licentia desuper accesserint, ut Habitum hujusmodi cum prædicto Caputio, vel Tunica, seu Mantello, ut præfertur, consulto deferant, sublata ejusdem Ordinis Superioribus, ipsisque Locorum Ordinariis, ac Nunciis Apostolicis, et eorum cuilibet quavis auctoritate licentias hujusmodi cuiquam concedendi, ac demum earumdem tenore præsentium volumus, et ordinamus, ut si quispiam tale deferens caputium, vel cum licentia, vel sine ea, inventus fuerit, Carceris detentione, Habitus privatione, et aliis arbitrariis pœnis ab eisdem Ordinariis, et Nunciis omnino puniatur. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Oct. 1638. Pontificatus Nostri Anno decimosexto. M. A. Maraldus. Loco ✠ Annuli Piscatoris.

Cum autem, sicut dilectus Filius modernus Procurator Generalis ejusdem Ordinis Nobis nuper exponi fecit, nonnulli, præsertim Eremitæ, contra præfatum Urbani prædecessoris Litterarum tenorem, ac dispositionem ipsorum Fratrum, Habitum cum Caputio, non sine eorumdem Ordinis, ac Fratrum dedecore, et perturbatione deferre præsumant, indeque plurima scandala antehac orta fuerint, ac in dies oriantur, Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis, hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ac effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositorum, qui dilectum filium Ministrum Generalem Ordinis prædicti desuper audierunt, ac narrata attenderunt, consilio, præinsertas Urbani prædecessoris literas, omniaque, et singula in eis contenta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea memoratis Eremitis sub pœnis in eisdem Urbani prædecessoris Litteris expressis præcipimus, ut pro majori, faciliorique eorum a Fratribus dicti Ordinis discrimine, de cætero ultra Barbam, gestent etiam Tunicam breviorem, solitumque scapulare longius Pallio, seu Mantello, ad differentiam Tertiariorum Commensalium. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter, et inconcusse observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et dictæ Sedis Nuncios, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, etc.

Datum Beneventi sub Annulo Piscatoris die XVI Maii MDCCXXIX. Pontificatus Nostri anno quinto.

F. CARD. OLIVERIUS.

Quæ ambæ Constitutiones fuerunt in linguam Italicam translatæ, et publicatæ in locis solitis Urbis ut sequitur.

BENEDETTO XIII.

Furono in altro tempo date fuori da Urbano VIII. di fel. mem. Nostro Predecessore Lettere in simil forma di breve del tenore seguente, cioè:

URBANO VIII.

A FUTURA MEMORIA.

I. Portando, come ci fece poco fa esporre il diletto Figliuolo Procurator Generale dell' Ordine de' Frati Minori della Regular Osservanza di S. Francesco, molti, li quali si abusano dell' abito de' Frati Terziari del medesimo Ordine di San Francesco, una semplice Tonaca lunga, o col Mantello, o senza di esso, o sopra ponendovi ancora il cappuccio, o aggiunto alla Tonaca, o cucito ad esso Mantello senza licenza de' Superiori della sopraddetta Religione, e alcuni di loro vagando fuori de' Chiostri scandalosamente, ed impropriamente sotto specie di pellegrinazione, o d' altro mendicato pretesto. Si ancora, abitando alcune Chiese, o Cappelle sotto nome di Eremiti, donde siegue grandissima materia, e occasione di scandalo, e di mal concetto verso di detta Religione appresso il secolo: Per tal cagione il detto Procurator Generale ci ha fatti humilmente supplicare, a degnarci di porre con benignita Apostolica qualche opportuno rimedio a tant' incomodi, e scandali. Noi adunque volendo con ispecialità favorire, ed aggraziare il medesimo Procurator Generale, in vigor di questa assolvendolo da qualunque Scomunica, Sospensione, Interdetto, ed altre Ecclesiastiche sentenze, Censure, e pene fulminate dalla legge, o da Persona umana,

Digitized by Google

per qualsivoglia occasione, o cagione, se da esse in qualsivoglia modo trovisi legato, ed avendolo per assoluto, affine solamente di conseguire l' effetto delle presenti, inclinati alle di lui suppliche strettamente comandando, ordiniamo a tenore delle presenti, a ciascheduno degli Ordinari de' luoghi, ed alli Nunci nostri, e della Sede Apostolica in qualunque parte del Mondo, o costituiti, o permanenti, a non permettere, che alcuno in avvenire porti in qualsisia modo la predetta Tonaca lunga, o con Mantello, o senza di esso, senza d' aver ottenuta licenza scritta de' Superiori della predetta Religione de' Minori Osservanti, e di qualsivoglia Istituto, o Congregazione del medesimo Ordine di S. Francesco, e che, se troveranno qualcuno trasgressore degli Ordini, e comandi premessi, procurino, che debba essere cercato, spogliato di tal'abito, e irremissibilmente punito con pene arbitrarie; Ed in oltre non facciano lecito ad alcuno, ancorchè li sia sopraggiunta scritta, o roborata, sotto qualsivoglia altro pretesto, licenza de' Superiori della predetta Religione dei Minori Osservanti, e di qualsivoglia Istituto, o Congregazione dell' Ordine intiero di portare tal' Abito con predetto Cappuccio, Tonaca, o Mantello, come s' è dettoavanti, tolta a' Superiori del medesimo Ordine, e alli stessi Ordinari de' luoghi, e Nunzi Apostolici, ed a qualsivoglia di loro qualunque autorità di concedere ad alcuno tal licenza; E finalmente a tenore delle presenti vogliamo, ed ordiniamo, *che se alcuno sarà trovato portar tal cappuccio, o con la licenza, o senza di essa*, sia onninamente punito dalli medesimi Ordinari, e Nunci, coll'esser tenuto in carcere, colla privazione dell'Abito, ed altre pene arbitrarie. Non ostanti le costituzioni, e ordinazioni Apostoliche, e gli statuti del detto Ordine, roborati, anco con giuramento, confermazione Apostolica, e con qualsivoglia altra fermezza, e le consuetudini, ed anche i Privilegi, Indulti, e Lettere Apostoliche, in qualsivoglia modo concesse, e confirmate, e rinnovate, in contrario delle cose premesse. A tutte le quali cose, ed a ciascheduna di esse, avendo noi i loro tenori per pienamente, e sufficientemente espressi nelle presenti, specialmente, ed espressamente deroghiamo a oggetto del valido effetto di tutte le cose premesse. Ed anco a quelle, che per altro capo sarebbero per rimanere nella loro forza ed a tutte l' altre cose ancora, che fossero in contrario. Ed acciocchè le nostre presenti lettere più facilmente vengano a notizia di tutti quelli, a' quali esse spettano, vogliamo che alli transunti delle medesime presenti lettere, anco stampati, sottoscritti di mano di pubblico Notaro, e muniti col sigillo di Persona costituita in Dignità Ecclesiastica, da pertutto dentro, e fuori di giudizio, s' abbia la medesima fede, che si avrebbe alle stesse, presenti, se fossero esibite o mostrate.

Dat. in Roma appresso S. Maria Maggiore sotto l' Anello Pescatorio ai 5 Ottobre 1638, l' anno 16 del nostro Pontific. M. A. Maraldo. Il luogo ✠ dell' anello.

II. Ma, siccome il diletto Figliuolo odierno Procurator Generale dello stesso Ordine poco fa ci ha fatto esporre, presumendo alcuni particolarmente Eremiti, di portar l'Abito di essi Frati col Cappuccio, contro il tenore, e disposizione delle Lettere predette di Urbano predecessore, non senza disonore, e perturbazione del loro Ordine, e de' Frati, e per esserne in addietro nati, ed alla giornata nascerne moltissimi scandali, per tal cagione il detto Procurator Generale ci ha fatti umilmente supplicare, che ci degnassimo di opportunamente provvedere con benignità Apostolica alle cose premesse. Noi adunque volendo benignamente, quanto possiamo nel Signore, consentire su questa cosa alli desideri del medesimo Procurator Generale, ed assolvendolo in vigor di queste, da qualsisia Scomunica, Sospensione, Interdetto, ed altare Ecclesiastiche sentenze, censure, e pene fulminate dalla Legge, o da persona umana, in qualsivoglia occasione, o causa, ad oggetto di solamente conseguire l' effetto delle presenti, e giudicandolo assoluto, inclinati alle di lui suppliche col consiglio de' Venerabili nostri fratelli Cardinali della Romana Chiesa preposti alli negozi, e consulta de' Vescovi, e Regolari, i quali di più udirono il diletto Figliuolo Ministro Generale, ed attesero alle di lui narrative, e relazioni, con autorità Apostolica, a tenor delle presenti, approviamo e confermiamo le lettere preinserte di Urbano Predecessore, e tutte, e ciascheduna delle cose contenute in esse, e vi aggiungiamo la forza della inviolabile fermezza Apostolica. In oltre comandiamo a' memorati Romiti sotto le pene espresse nelle medesime lettere di Urbano predecessore, che acciò maggiormente, e più facilmente si discerna la loro differenza da Frati del detto Ordine, in avvenire portino, oltre la barba, anco la Tonica più corta, ed il solito scapolare più lungo del Ferrajolo, o Mantello, a differenza dei Terziari, che convivono in communità. Determinando ch' esse presenti lettere restino, e siano per essere sempre ferme, valide, ed efficaci, e che sortiscano, ed ottengano li loro plenari, ed intieri effetti. E che pienissimamente in tutto, e per tutto suffraghino a quelli, alli quali appartiene; e apparterrà in qualsivoglia tempo, e che da quelli respettivamente si osservino inviolabilmente, e inconcussamente. E così nelle cose premesse debbasi giudicare, e definire per qualisisiano Giudici ordinari, e delegati anco Uditore delle cause del Palazzo Apostolico, e Nunci della Santa Sede. E che sia irrito, e vano, se scientemente occorrerà di essere diversamente tentato da chi che sia, con qualsivoglia autorità. Non ostanti le costituzioni, e ordinazioni Apostoliche, e tutte, e ciascheduna di quelle cose, le quali nelle preinserte lettere di Urbano Predecessore vengano concesse, come non ostative, e non ostanti tutte le altre cose, che fossero in contrario. Vogliamo ancora, che alli tran-

Digitized by Google

sunti, o esempi delle medesime presenti lettere anco stampati, sottoscritti di mano di pubblico Notajo, e muniti col sigillo di Persona costituta in dignità Ecclesiastica, da pertutto dentro, e fuori di giudizio, sì abbia la medesima fede, che si avrebbe alle stesse presenti, se fossero esibite, e mostrate.

Dato in Benevento sotto l'Anello Piscatorio alli 16 di Maggio 1729, nell'anno quinto del nostro Pontificato.

F. CARD. OLIVIERI.

EDITTO PER LI ROMITI.

Prospero del titolo di S. Silvestro in capite della S. R. C. Prete Cardinale Marefoschi, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, ec.

I. Ancorchè per il buon regolamento de' Romiti, che dimorano per servizio, e custodia di alcune Chiese, dentro, e fuori delle mura di quest' Alma Città, o che capitano nella medesima, siano state fatte in diversi tempi molte provisioni con varî Editti pubblicati da' nostri predecessori per Ordine de' Sommi Pontefici, specialmente dalla san. mem. di Clemente XI, li 6 Ottobre 1602, e da noi per comandamento della Santità di Nostro Signore li 13 Novembre 1721, in esecuzione del Decreto del Concilio Romano; nientedimeno la Santità sua (confermando primieramente tutti li sudetti Editti) volle per evitar molti inconvenienti, che siano vestiti, come si dirà appresso, li Romiti, li quali han preso, o vogliono prender l'Abito del terz' Ordine delli Religiosi Minori Osservanti di San Francesco; che però Nostro Signore inerendo alla Costituzione della san. mem. di Urbano VIII, emanata li 5 Ottobre 1638, e quella confermando in tutte le sue parti con una sua Costituzione emanata li 16 Maggio dell' anno prossimo passato 1729. (ambedue trasportate in lingua Italiana, e pubblicate ne' luoghi soliti di Roma) ha ordinato, che li detti Romiti, che han preso l'Abito de' Frati Minori Osservanti « non debbano in conto alcuno portare cappuccio di qualsivoglia forma, nè grande, nè piccolo, ne separato, nè cucito alla Tonaca, o Mantello; debbano bensì portar la Barba, una Tonaca più corta, e lo scapolare, il quale debba essere più lungo del Mantello, » affinchè siano distinti dalli Terziarî commensali, li quali convivono colli suddetti Religiosi ne' Chiostri, ma perchè molti de' sudetti non avendo notizia, o fingendo d' ignorare le sudette Costituzioni Apostoliche, non hanno fin' ora ubbidito, perciò la Santità Sua ordina a tutti, ed a ciascuno de' sudetti Romiti, che fra il termine di dieci giorni, da computarsi dalla Data del presente Editto « debbano levarsi onninamente il Cappuccio, scortarsi la Tonaca, e mettersi lo scapolare, che sia più lungo del Mantello, » sotto le pene stabilite nelle dette Costituzioni Apostoliche, cioè di carcere, d' essere spogliati dell' Abito, ed altre pene arbitrarie; che se taluno de' sudetti non è stato ammesso al terz' Ordine da Padri Minori Osservanti d 'Araceli (se è vestito in Roma) nè dalli detti Religiosi, se è stato vestito in altri luoghi, non ardisca sotto la sudetta, ed altre pene più gravi di portar il loro Abito, nella forma prescritta, ma debba levarselo affatto, o farsi ammettere *servatis servandis* al terz' Ordine de' medesimi Religiosi nel detto Convento d' Araceli, li quali non li daranno l' Abito, se non li costa d' essere provisto di Romitorio, come prescrive il loro Statuto.

II. Finalmente la Santità di Nostro Signore ordina, e premurosamente comanda, che nessuno Romito, tanto de' suddetti, quanto di qualsivoglia Ordine, e Istituto, vestito di qualsisia Abito, possa dimorar in Roma in case particulari, nè solo, nè accompagnato, e molto meno andar, questuando, sotto le sudette pene, ed anche dell' esiglio, e quelli, che vengono per visitare li luoghi Santi di quest' Alma Città, passati quei giorni, ne' quali sono albergati nella Santissima Trinità de' Pellegrini, e nell' Ospizio de' Romiti di Porta Angelica, debbano partire, e non fermarsi in casa particolare, nè questuare, sotto le medesime pene.

Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 26 Gennaro 1730.

P. CARD. VICARIO.

N. A. Canonico Cuggiò Segr.

De Eremitis, eorumque variis speciebus si plura cupis vide san. mem. Benedictum XIV. *De Synodo Diœcesana*, lib. 6, tit. 3, num. 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(21. Vexatissima est quæstio, de qua agit auctor, n. 13, an Eremitæ qui nec Religionem professi, nec ulli adscripti Congregationi, habitum eremiticum ab Episcopo accipiunt, ejusdemque auctoritate servilio addicuntur alicujus Ecclesiæ, privilegiis gaudeant Fori, et Canonis? (22. Quantum ad privilegium Fori nullus dubito quin eo gaudeat. Ita præter allegatos ab Auctore ubi supra sentiunt Ansald, *de Jurisdiction.* part. 2, tit. 11, num. 24, et qui vel solus sufficit S. Mem. Benedictus XIV, *de Synodo Diœcesan.* lib. 6, cap. 3, num. 6.

(23. Quod vero attinet ad privilegium Canonis eo neutiquam gaudent.

(24. Sumus enim in materia odiosa et pœnali. Fit hinc ut privilegio hoc gaudere debeant Clerici, et Regulares, de quibus Canon loquitur, tum ii, qui posterioribus Canonibus pro Regularibus habentur, ut Conversi cap. *Non dubium*, et cap. *Parochi de Sent. excomm.* tum Novitii, cap. *Religioso* § *Quamvis ead.* tit. in 6. (25. Sed Eremitæ, de quibus verba facimus, nec pro Clericis, nec pro Regularibus habiti aliquo Canone sunt. (26. Non est igitur, quod Canonis privilegio gaudere queant; ut videtur tenere Fagnan. ad cap. *Nullus*, n. 62, *de For. Competent.*

Digitized by Google

ERROR.

Vide verb. CONFESSARIUS, *art.* 1, *a num.* 33 *ad* 42, *et verb.* JURISDICTIO, *num.* 30, *et verb.* IMPEDIMENTA MATRIMONII, *art.* 1, *a num.* 2.

EUCHARISTIA.

SUMMARIUM.

1. Eucharistia quid sit? — 2. Eucharistiæ Sacramentum est institutum a Christo Domino in ultima Cœna. — 3. Materia consecrationis Eucharistiæ est panis triticeus, ac vinum de vite. — 4. Ad valorem Eucharistiæ quilibet panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus sufficit, sed de necessitate præcepti tenetur Sacerdos latinus consecrare in pane azymo, et Græcus in fermentato. — 5. Vino consecrando admiscenda est modica aqua. — 6. Assignatur forma consecrationis. — 7. Omnes Fideles adulti tenentur de præcepto divino sumere SS. Eucharistiam, non tantum in articulo mortis per modum Viatici, sed etiam ante illud periculum, et quidem sæpius in vita. — 8. Tempus hujus obligationis, cum non possit generatim determinari, est singulariter determinandum prudenti judicio, ita tamen ut Sacra Communio non nimium differatur. Unde a Sancta Matre Ecclesia statutum est, quod omnes Fideles post annos discretionis ad minus in Paschate Sacramentum Eucharistiæ reverenter suscipiant. — 9. Ad satisfaciendum tali præcepto sufficit Eucharistiam sumere in Hebdomada sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis. — 10. Potest tamen tempus Paschale extendi in longius tempus ex Episcopi, aut Parochi dispensatione rationabili. — 11. Eucharistia pro adimplendo præcepto Paschali, est sumenda in propria Parochia. — 12. Communicans in Ecclesiis Regularium infra tempus Paschale, animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, non satisfacit. — 13. An communicans in Ecclesia Cathedrali satisfaciat? — 14. Sacerdos satisfacit pro Communione Paschali, ubicumque celebret Missam, tamen si non celebret, tenetur communicare in Parochia. — 15. Vagi, Peregrini, et Advenæ possunt ubilibet præcepto Paschali satisfacere, etiam in Ecclesiis Regularium. — 16. Fratres, et Sorores, tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pinzocharæ, et alii quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes debent pro satisfaciendo præcepto Paschali Eucharistiam recipere a proprio Parocho, et non a Regularibus. — 17. Famuli, Domestici, et continui commensales in Monasteriis Regularium degentes satisfaciunt præcepto Paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus. — 18. Hoc tamen privilegio non gaudent sæculares illi, qui tantum ipsis Monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia nec continui commensales, et cum Sæcularibus exteris extra Monasteria habitant. — 19. Nec hoc privilegio gaudent Advenæ, qui in Monasteriis Regularium infirmantur. — 20. Regulares non possunt in die Paschalis administrare Sæcularibus Eucharistiam. — 21. Etiamsi talis personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto. — 22. Per communionem sacrilegam non satisfit præcepto. — 23. Qui culpabiliter non adimplet præceptum Paschale, vivens interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, et moriens privatur Ecclesiastica Sepultura. — 24. Ipse tamen non adimplens præceptum Paschale, non est ipso jure interdictus, sed interdicendus, unde si ante declarationem moriatur, non est privatus Ecclesiastica sepultura, nisi tamen intermissio esset notoria, vel adesset statutum Synodale in contrarium. — 25. Qui tempore Paschalis Eucharistiam juxta præceptum Ecclesiæ non recipit, potest insuper pœna pecuniaria, vel excommunicationis mulctari. — 26. Excommunicati paulo ante Pascha non sunt molestandi, si non communicant in Paschate. — 27. An, et quando in Missis Defunctorum, et paramentis nigris ministrari possit Eucharistia. — 28. Nequit ministrari in paramentis nigris, nec tempore celebrationis, nec post. — 29. Neque potest Eucharistia ministrari Fidelibus in nocte Nativitatis Domini. — 30. Eucharistia potest præberi pueris novem, aut decem annorum si super Mysteriis Fidei, et Sacra Communione sint plene instructi, et de reverentia debita non dubitetur. — 31. Eucharistia potest præberi mutis, et surdis a nativitate, præsertim tempore Paschali, et in articulo mortis, dummodo aliunde non appareant indispositi. — 32. Sic etiam præberi potest Energumenis, Epilepticis, et aliis infirmis dummodo sacram Eucharisticam absque irreverentia sumere possint, et sint dispositi. — 33. Item præberi potest semifatuis, stolidis, phreneticis, et amentibus, si intervallum rationis habeant, dummodo non sit periculum vomitus, indecentiæ, et irreverentiæ. Non potest tamen præberi perpetuo amentibus. — 34. Tenetur Ægrotus ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum Viatici, quando est in periculo mortis constitutus, et hoc etiamsi non sit jejunus. — 35. Et licet sit jejunus, recte adhuc adhibetur formula: *Accipe Viaticum*, etc. — 36. Qui mane ante periculum communicavit ex devotione, si superveniat periculum, an teneatur eodem die per modum Viatici communicare? — 37. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægrotus post sex, septem, vel octo dies repetere viaticum non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. — 38. Quando mors, et periculum diu protrahitur post 7 vel 8 dies, potest iterum dari communio non jejuno. — 39. Viaticum dari debet etiam in die Parasceves, sed nullatenus ipsa die potest sanis præberi Eucharistia. — 40. Communio quotidiana absolute loquendo non expedit omnibus indifferenter, quod judicio prudentis Confessarii relinquendum est. — 41. Circa istam Communionem quotidianam attendendum est speciale Decretum editum 12 *Februarii* 1697. — 42. Quando commentatur sequens usus Communionis, intelligi debet de sola Communione digna. — 43. Non datur præceptum sumendi Eucharistiam sub utraque specie. Immo est hoc expresse prohibitum. — 44. Eucharistia in primitiva Ecclesia domi privatim asservari permittebatur. — 45. Eucharistia nunc omnino servanda est in qualibet Parochiali, quantumvis paupere. — 46. Extra Parochiales Ecclesias non conceditur retineri assidue Eucharistia. — 47. Eucharistæ Sacramentum in Ecclesiis Tertiariarum, quæ professionem solemnem trium votorum non emittunt, nec in clausura vivunt, nullatenus retineri potest sine Indulto. — 48. Eucharistiam SS. ex consuetudine, et privilegio non decet teneri a Laicorum Confraternitatibus sine licentia Episcopi. — 49. Feria quinta in Cœna Domini SS. Eucharistia asservari debet sub unica tantum Clave, retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud Personas Laicas, et sæculares cujuslibet status, gradus et conditionis. — 50. Eucharistia SS. adoranda deferri non debet ad ægrotum, si eam ob tussim, aut alias sumere non potest pro Viatico. — 51. Eucharistiam SS. solemni ejus Festivitate, et per octavam in processione deferre, absente vel impedito Episcopo, pertinet ad primam Dignitatem, vel ea impedita, ad secundam, et sic successive. — 52. Sacramentum Eucharistiæ debet propriis manibus a Celebrante deferri, non obstante quacumque consuetudine contraria. — 53. Eucharistia SS. dum elevatur, Canonici, et Clerus, sive in Choro existant, sive processionaliter incedant, semper debent genuflectere. — 54. Eucha-

Digitized by Google

ristia SS. quæ pro infirmis asservatur, singulis octo, aut quindecim diebus est renovanda a Græcis. — 55. A Latinis vero renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. — 56. Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in Altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis retrorsum ad Altare. In Parochialibus vero, et Regularibus Ecclesiis debet regulariter esse in Altari majori tamquam digniori. — 57. Regulares non possunt publice exponere Sacramentum Eucharistiæ sine licentia Episcopi, et ex causa publica ab eodem probata. — 58. Pro Personis particularibus exponitur in Ostiolo Tabernaculi, aut in Pyxide velata cum luminibus, et assistentia. — 59. In Ecclesiis Confraternitatum non potest exponi sine expressa Ordinarii licentia. — 60. Episcopus tamen id eis permittere debet juxta solitum, nisi quid relevans adsit in contrarium. — 61. Neque Sacramentum Eucharistiæ possunt exponere sine licentia Episcopi Diœcesani alii quomodocumque exempti non habentes jurisdictionem in populum. — 62. Sacramento Eucharistiæ publice exposito, in Missis privatis dicenda est Oratio de Sacramento, ordine a rubrica præscripto, et quid in Missis solemnibus. — 63. In Missis privatis dicta Oratio de Sacramento erit omittenda in festis primæ et secundæ Classis. — 64. Datur instructio observanda in Oratione continua quadraginta horarum cum expositione SS. Sacramenti. — 65. Assignatur origo publicæ, et solemnis veneralionis SS. Sacramenti Eucharistiæ. — 66. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tanta præstat excellentia, et Dignitate, ut illud associans gaudeat Immunitate Ecclesiæ. — 67. Alia ad rem. — 68. Oratio quadraginta horarum Medionali instituta. — 69. Nonnulla de Eucharistiæ ministratione ex Benedict. XIV. — 70. Quibus ex Pontificia dispensatione concessum sit ut Eucharistiam non jejuni sumere possint. — 71. Numquam Eucharistia ad experimentum adhibenda est. — 72. ad 108. Plura ad rem ex ejusdem Benedict. XIV operibus deprompta. — 109. Quotidiania antiquitus Eucharistiæ susceptio. — 110, Quid hac de re Concilio Agathensi statutum. — 111. Quid Turonensi III. — 112. Quid denique Lateranensi. — 113. Anni *discretionis* quomodo interpretandi. — 114. Quænam dicatur propria parochia. *Remissive.* — 115 ad 117. Quando et de cujus licentia possint Regulares Eucharistiam laicis ministrare — 118. De capite damnatis. *Remissive.*

APPENDIX. — *Sive novus de Eucharistia articulus.*

1. Varia nomina quibus in Scripturis et Patribus designari hoc Sacramentum solet. — 2. In quibus sita sit hujusmodi Sacramenti natura et essentia. — 3. Hæreticorum errores circa Eucharistiam. — 4. Auctores qui eos profligarunt. — 5. Catholica veritas comprobatur. — 6. Eucharistiæ materia panis triticeus. — 7. Quinam ex Orientalibus azymo panc utantur. — 8. Error Michaelis Cœrularii Latinorum azymo damnantis pluribus argumentis refutatur. — 9. Mystica significatio azymi et fermentati, ut in Missæ Sacrificio adhibetur. — 10. Latini in azymo, Græci vero in fermentato consecrare jubentur. — 11. An Sacerdos Latinus in locis Græcorum, et Græcus in Latinorum possit Eucharistiam juxta loci ritum consecrare. — 12. Quo studio Orientales fermentatum panem ad Sacrificium parent; quaque illam donent figura. — 13. De Jacobitarum consuetudine oleum cum sale fermentato pani admiscendi. — 14. Altera materiæ Eucharistiæ pars vinum de vite. — 15. Utrum liquor ex uvis passis et zebibo expressus licite ac valide in Eucharistia perficienda usurpetur. — 16. An loco vini id utraque purificatione, ubi magna sit vini penuria, licite adhiberi possit tantum aqua. — 17. Cur vino parum aquæ misceatur. — 18. De Græcorum usu ante Eucharistiæ sumptionem servantem aquam in calicem infundendi. — 19. Diversarum opinionum historia circa formam Eucharistiæ. —, 20. Christi verba juxta formulas a Martenio collectas, quidque exinde sequatur. — 21. Christus verbis usus est, non interna tantum benedictione, dum Eucharistiam consecravit. — 22. Eucharistiæ forma Christi verbis continetur : *hoc est*, etc., *hic est calix*, etc. — 23. Hæc tantum verba sunt consecrationi necessaria et essentiala : *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*. — 24. De speciebus panis et vini. — 25. Qua veneratione Sacramentum istud sit prosequendum. — 26 ad 31. Varii mores recensentur in Eucharistia ministranda, qui licet Latinis contrari, non sunt tamen improbandi.

(1. Eucharistia est Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis, et vini post consecrationem factam a Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina veraciter significantibus Corpus Christi, et sanguinem sub eis realiter contineri; Sic Scotus in 4, dist. 8, q. 1. (2. Eucharistiæ Sacramentum est institutum a Christo Domino in ultima Cœna; Ita Communis, et aperte habetur *Matth.* c. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22, et 1, *ad Corinth.* cap. 1. (3. Materia consecrationis Eucharistiæ est panis triticeus, ac vinum de vite; Ita communis Catholicorum, et habetur variis Conciliis, et præsertim ex Florentino in decreto Unionis, ubi ait : « Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia panis triticeus, et vinum de vite. » (4. Ad valorem Eucharistiæ quilibet panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus sufficit, sed de necessitate præcepti tenetur Sacerdos Latinus consecrare in pane azymo, et Græcus in fermentato; Ita Communis, et habetur expresse in Concilio Florentino in decreto *Unionis*, et in Constitutione S. Pii V, incip. *Providentia Romani Pontificis.* (5. Vino consecrando admiscenda est modica aqua. Ita communis, et habetur ex Concilio Florentino in decreto *Unionis*, ubi dicitur, quod vino *ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*, ubi per ly *modicissima* denotatur aperte, quod non potest, nec debet multum aquæ apponi, sed sufficit qualibet modica aqua, etiamsi esset una solum gutta sensibilis; et quod vino admiscenda sit aqua de præcepto Ecclesiastico, docet Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 6, ibi : « Monet præterea Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant. » (6. Forma Consecrationis loquendo de consecratione Corporis Christi, est ista : *Hoc est enim corpus meum*, et loquendo de consecratione Calicis, est ista : *Hic est enim Calix Sanguinis mei, Novi, et æterni Testamenti mysterium Fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* An autem omnia supradicta verba sint de substantia, seu essentia formæ; sicuti et alias quæstiones, quæ circa materiam, et ipsam formam solent agitari, vide apud Theologos.

(7. Omnes Fideles adulti tenentur de præcepto divino sumere SS. Eucharistiam, non tantum in articulo mortis per modum Via-

Digitized by Google

tici, sed etiam ante illud periculum, et quidem sæpius invita; Sic communis; et desumitur ex verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, cum concordantiis. (8. Tempus hujus obligationis, cum non possit generatim determinari, est singulariter determinandum prudenti judicio, ita tamen ut sacra communio non nimium differatur. Unde, ut huic præcepto Divino generalius, atque majori cum fructu animarum satisfiat, Sancta Mater Ecclesia in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III celebrato præcepit, ut Fideles post annos discretionis ad minus in Paschate Sacramentum Eucharistiæ reverenter suscipiant; habetur expresse in cap. *Omnis utriusque* 12, *de pœnitent. et remission.* Ibi : « Omnis utriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin, et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat Sepultura. » Et idem declarando statuit Tridentinum sess. 13, cap. 9, « si quis negaverit omnes, et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ anathema sit. » (9. Ad satisfaciendum præcepto imposito in d. c. *Omnis utriusque* sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis. Sic declaravit Eugenius IV, Constit. incip. *Fide digna*. (10. Potest tamen tempus Paschale extendi in longius tempus ex Episcopi, aut Parochi dispensatione rationabili; Sacra Congregat. Conciliorum 19 Novembris 1616, et in citato capit. *Omnis utriusque*.

(11. Eucharistia pro adimplendo præcepto Paschali est sumenda in propria Parochia; Ita communis, et desumitur ex cit. cap. *Omnis utriusque*, et pluries declaravit Sacra Congr. Concil. (12. Unde si quis communicaret in Ecclesiis Regularium infra tempus Paschale animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, non satisfaceret, quia Canone *Omnis utriusque* præcipitur a proprio Parocho Eucharistiam sumi; Sacr. Congreg. Conc. 23 Januarii 1588. (13. An autem communicans in Ecclesia Cathedrali satisfaciat præcepto? variant Doctores. Satisfacere affirmant Abbas in cap. *Omnis utriusque* num. 12, *de Pœnit. et remis.* Guttier. Canon. qu. lib. 1, cap. 30, num. 12. Lavor. *Eluguber. var.* tit. 2, cap. 11, num. 65. Barbosa *de Paroch.* part. 2, cap. 20, n. 12. Panimol. part, 3, decis. 61, num. 5, Felix Potestas tom. 1, part. 3, num. 2916. Passerin. Sa, Piasec. et alii. Non satisfacere tamen, nisi licentiam dederit Ordinarius, vel proprius Parochus, merito tenent Cardin. de Lugo in *Respons. moral.* lib. 1, dub. 15. Diana part. 9, tract. 9, resolut. 64. Dicastil. d. 10, num. 170. La Croix lib. 6, part. 1, num. 633. Ursaya in *Miscellaneo Sacro, et profano* lit. *P.* num. 263, et varii alii, et solide probat Pignatell. tom. 7, consul. 89, num. 12, usque in finem; ubi sub num. 18, testatur, quod sæpius ita declaravit Sacr. Congreg. Conc. nominatim in Limana, in Sutrina, et in Perusina mense Septemb. 1649, et Innoc. XI, sub die 5 Februar. 1682, in audientia Reverendis Parochis Urbis a Sanctitate Sua publice data, inter cætera, suæ vivæ vocis oraculo decrevit omnes utriusque sexus Fideles, qui in Urbecom morantur, teneri pro satisfactione præcepti annuæ communionis Paschalis Sacr. Communionem a suo proprio Parocho in suis Ecclesiis Parochialibus, in quarum Parochiis habitant, suscipere, et nullo modo dicto præcepto satisfacere per communionem in Ecclesia Lateranensi, vel Vaticana, vel nationalis cujusvis nationis, vel in quacumque alia susceptam. Et ita in posterum omnino servari mandavit præsentibus Emin. Card. Vicario, Illustr. Vicegerente, et ipsomet Pignatello Cleri Romani Camerario, ac omnibus Parochis Urbis, non obstantibus quovis Decreto Congreg. Visitationis Apostolicæ, aliarumque Congreg. ac privilegiis, et consuetudinibus quibuscumque etiam immemorabilibus. (14. Sacerdos satisfacit pro communione Paschali ubicumque celebret Missam; tamen si non celebret, tenetur communicare in Parochia, quia quando agit ut Laicus, tenetur præcepto ut Laicus; Lugo tom 5, disp. 18, num. 31. Gobat tract. 4, num. 74. La Croix loc. cit. n. 630, et alii passim. (15. Vagi, et Peregrini, et Advenæ possunt ubilibet præcepto Paschali satisfacere, etiam in Ecclesiis Regularium; Bosius verb. *Communio Sacra* num. 11. Reiffenstuel. *Theolog. moral.* tract. 10, dist. 3, qu. 4, num. 40. Lantusca verb. *Eucharistia* n. 6, et ex Constit. Jul. II, incip. *Dum ac Sacrum* § 37.

(16. Fratres, et Sorores tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizocharæ, Cordellati, et alii quocumque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes debent pro satisfaciendo præcepto Paschali Eucharistiam recipere a proprio Parocho, et non a Regularibus; Leo X. Constit. incip. *Dum intra* § 19. Sacr. Congreg. Episcop. 11. Septemb. 1574. et 20. Decembr. 1616. Nec obstant Constitutio, *Pretiosus;* Constitutio, *Paterna*, aliæque emanatæ a Benedicto XIII, quia fuerunt abrogatæ a Clemente XII; Constitut. incip. *Romanus Pontifex*. (17. Famuli autem, domestici, et continui commensales in Monasteriis Regularium degentes satisfaciunt præcepto Paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus, ut colligitur ex abunde adductis sub verb. *Approbatio* art. 1. a num. 64 ad 68, ubi fuit ostensum posse Regulares tales commensales continuos absolvere absque approbatione Episcopi; Vide ibi, et tales famulos domesticos habitantes intra septa Religiosa Societatis Jesu satisfacere communicando in templis ejusdem Societatis docet absolute Illsung. tom. 6. d. 4. n. 154. et La Croix loc. cit. num. 635. ubi dicit adesse hoc expressum privilegium in *Compendio* verb. *Familiaris* § 1 et 2, et Lantusca

Digitized by Google

verb. *Eucharistia* num. 7. tenet absolute posse hoc Regulares ex concessione Julii II. Constitut. incip. *Dum ad Sacrum*, et testatur de communi Reiffenstuel, loc cit. num. 40. (18. Hoc tamen privilegio non gaudent sæculares illi, qui tantum ipsis Monasteriis deserviunt sed eis non sunt de familia, nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, et vivunt; Communis. (19. Nec hoc privilegio gaudent Advenæ, qui in Monasteriis Regularium infirmantur ex Decreto sacræ Congreg. Concil. quæ in una Monopolitana 27 Septembr. 1670. ut in lib. 20. *Decr.* fol. 444. censuit « non licere Fratribus absque licentia Episcopi, vel Parochi administrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, et si decedant, non posse sepeliri in eorum Ecclesiis. »

(20. Regulares non possunt in die Paschatis administrare sæcularibus Eucharistiam; Sacr. Congr. Concil. 2 Martii 1619. (21. Etsi tales personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto, ut respondit Sac. Congr. in Burdigal. 9 Junii 1644. et in Senon. 21 Jun. 1650. et in Meclinen. 3 Jan. 1682. (22. Per communionem sacrilegam non satisfit præcepto; Innocentius enim XI. die 2 Martii 1679. damnavit sequentem propositionem 55. in ordine : « Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. » (23. Qui culpabiliter non adimplet præceptum Paschale, vivens interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, et moriens privatur Ecclesiastica sepultura, textu expresso in cit. cap. *Omnis utriusque*, ibi : « Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. » (24. Ipse tamen, qui non confitetur, nec communicat in Paschate, non est ipso jure interdictus, sed interdicendus est per sententiam, unde si ante declarationem moriatur, non est privandus Ecclesiastica sepultura, dummodo obierit cum signis contritionis; Sacr. Congr. Episcop. in Cajetana 24 Junii 1595. Nisi tamen intermissio esset notoria; cap. *A nobis* 28. *de Sentent. excomm.* vel adesset statutum Synodale in contrarium; Sacr. Congr. in Barens. 15 Decembris 1696. (25. Qui tempore Paschatis Eucharistiam juxta præceptum Ecclesiæ non recipit, potest insuper pœna pecuniaria, vel excommunicationis mulctari, ut declaravit Sac. Congreg. Conc. in qua propositis sequentibus dubiis.

I. « An Episcopus adversus eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis ad confessionis, et Eucharistiæ Sacramenta negligunt accedere, et pœnas, cap. Omnis utriusque sexus de pœnit. et remission. contemnunt, possit etiam ad excommunicationem procedere.

II. « An pro satisfactione pœnas pecuniarias pio loco applicandas injungere ?

III. « An expediat talium absolutionem sibi reservare ?

« Die 28 Januarii 1487. Sacra Congreg. Ad primum censuit licere, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ex rationabili causa communio ad tempus dilata fuerit. Ad secundum posse injungi eleemosynas alicui pio loco applicandas pro hujusmodi excommunicatorum emendatione. Ad tertium non expedire » lib. Decret. pag. 604.

(26. Excommunicati paulo ante Pascha non sunt molestandi, si non communicant in Paschate; Sacr. Congregat. Episcop. 25 Maii 1601. apud Piton. *Constit. ad Parochos utriusque Cleri* n. 205.

(27. Nullo modo licere in Missis Defunctorum præbere Eucharistiam Fidelibus illam deposcentibus, statuit Sacr. Rit. Congr. 16 April. 1701. (28. Neque ministrari in paramentis nigris; ead Sacr. Rit. Congreg. 2 Augusti 1701. id est nec tempore celebrationis, nec post, ex declaratione ejusd. Sacr. Rit. Cong. 20 Mart. 1711. et confirmat. 1 Augusti 1724. At novissime anno 1741. 2 Septembris declaravit ut sequitur. In Missis defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis extrahendo Pyxidem a Custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est quando fidelibus præbetur Communio cum particulis intra eamdem Missam consecratis; Sac. Rit. Congr. 2 Septembr. 1741. (29. Neque potest Eucharistia ministrari Fidelibus in nocte Nativitatis Domini, non obstante quocumque privilegio; Sacr. Congr. Rit. 7 Septemb. 1641. 9 Aug. 1653. et 20 April. 1664. in una Pisauriensi, in qua habetur, ut sequitur ; « Patres S. Caroli Congregationis Clericorum Regularium petierunt responderi. An liceat in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam, alias duas immediate celebrare, et communicare fideles ? » Sac. Cong. respondit *nullo modo licere*, sed omnino prohibetur. Et cum abusus celebrandi successive ad primam Missam, et communionem præbendi fidelibus, iterum tam in Urbe, quam extra resurgeret, denuo observantia dictorum Decret. a Sacr. Congreg. Visitationis Apostolicæ 7 Decembr. 1702. Et Edicto Eminentiss. Card. Vicarii 18 Decemb. 1702. stricte demandata fuit. Vide verb. *Missa* art. 5. num. 15 et 16, ubi ad litteram dantur.

(30. Eucharistia potest præberi pueris novem, aut decem annorum, si super Mysteriis Fidei, et Sacra Communione sint plene instructi, et de reverentia debita non dubitetur; Communis cum S. Thoma in 4. dist. 9. qu. 1. art. 5. quæstion. 4. in corpor. S. Carol. Borrom. *Act. Eccles. Mediolanens.* part. 4. instruct. *de Sacr. commun.* tom. 1. (31. Eucharistia potest præberi mutis, et surdis a nativitate præsertim tempore Paschali, et in articulo mortis, dummodo aliunde non appareant indispositi; Abbas Panormitan. in cap. *Cum apud, de Sponsalibus*, Layman lib. 3. tract. 4. n. 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 45. et alii passim. (32. Sic etiam præberi potest Eucharistia Energumenis (hoc est a Dæmone obsessis), Epilepticis, et aliis infirmis, non solum in Paschate, ac mortis articulo, sed etiam aliis temporibus, dummodo Sacram Eucharistiam absque irreverentia sumere possint, et cæteroquin

Digitized by Google

indispositi non appareant : Communis. (33. Item præberi potest Eucharistia semifatuis, stolidis, phræneticis, amentibusque, si intervallum rationis habeant, dummodo non sit periculum vomitus, indecentiæ, aut irreverentiæ. Non potest tamen præberi perpetuo amentibus; Communis. (34. Tenetur ægrotus ex præcepto Divino Eucharistiam sumere per modum Viatici, quando ex Medicorum judicio est in periculo mortis constitutus, et hoc etiamsi non sit jejunus; Communis. (35. Et licet sit jejunus, recte adhibetur adhuc formula : *Accipe Viaticum* etc., cum non minus sumat Eucharistiam *per modum Viatici* ægrotus jejunus, ac non jejunus, ex quo Viaticum sit præparatio pro via ad cœlestem patriam brevi aggredienda, tam a jejuno, quam a non jejuno; Viatici enim nomen venit a voce *Via*, sumpta adnominatione a Cibariis, quæ a Viatoribus ad iter agendum præparantur; S. Thom. 3. p. q. 73. art. 4. *in Corpore*, ibi : « In quantum scilicet hoc Sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in Patria, et secundum hoc dicitur Viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi, » et colligitur ex cap. *De his* 9. caus. 26. quæst. 6. Vide verb. *Viaticum* num. 6.

(36. An autem, qui mane ante periculum ex devotione communicavit, si superveniat periculum, teneantur eodem die per modum viatici communicare : Variant Doctores, Suarez, Aversa, Coninch, Lugo, Gobat, tract. 4. num. 17. et seq. La Croix lib. 1. p. 3. num. 617. et alii cum ipsis probabilius negant, quia duplex una die communio prohibetur, et quia, qui communicavit quando erat proxima mors, censetur satisfecisse præcepto Viatici. Vasquez tamen, Turrianus, Ochagav, Hurtad, Quintanadven. Felix Potestas tom. 1. p. 3. num. 1923. et alii affirmant teneri iterum communicare pro Viatico, quia præceptum Viatici mane non obligabat, adeoque ei non satisfecit, et hanc sententiam vocat probabilem, ac tutam Dicastill. d. 10. dub. 3. et merito tamquam tuta, immo tutior, est sequenda, quia licet, ut dicunt Auctores primæ sententiæ, duplex una die prohibeatur communio, hoc tamen est solum præceptum Ecclesiasticum, quod debet cedere præcepto Divino communicandi per modum Viatici. Nec communicando, quando erat proxima mors, ipso inscio, cum de mane fuerit perfecte sanus, potest censeri satisfecisse, præcepto Viatici, de quo nec cogitabat, unde ad huic satisfaciendum videtur teneri iterum communicare. per modum Viatici. « In tanta opinionum varietate (sic concludit Benedictus XIV. *de Synodo Diœc.* lib. 7. cap. 11, n. 2.) Doctorumque discrepantia, integrum erit Parocho eam sententiam complecti, quæ sibi magis arriserit, quin fiat reus violati statuti synodalis, quod certe non potuit casum istum respicere; neque fas erit Episcopo, aut in Parochum animadvertere qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit, aut quidquam de ejusmodi controversia in sua Synodo decernere, ne videatur sibi arrogare partes Judicis inter gravissimos hac super re contendentes Theologos. » (37. Ita ille. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægrotus post aliquot, V. G. sex dies, septem, aut octo repetere Viaticum, non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. Communis, teste Busembaum lib. 6. dub. 2. art. 2. Immo Layman dicit hoc posse etiam post solos duos dies. (38. Quando morbus, et periculum diu protrahitur, post 7. vel 8. dies potest iterum dari communio non jejuno. Sic Communis, ut testatur Lugo *de Sacramento Eucharistiæ* disp. 15. sect. 3. num. 64. (39. Viaticum dari debet etiam in die Parasceves, sed nullatenus ipsa die potest sanis præberi Eucharistia, Sacr. Rit. Congregat. 19. Februarii 1622.

(40. Communio quotidiana absolute loquendo non expedit omnibus indifferenter, quod judicio prudentis Confessarii relinquendum est, qui devotis personis, et præsertim Monialibus, quas dirigunt, petentibus, sæpe, aut etiam quotidie negare non possunt communionem, posito, quod dignæ judicentur, neque deterreri debent a quotidiana communione, cum ista a Sanctis Patribus commendetur, ut patet ex cap. *Non iste* 55. dist 2. *de Consecratione* ex verb. S. Ambrosii ibi : «Iste panis quotidianus est, accipe quotidie; quod quotidie tibi prosit, sic vive, ut quotidie merearis accipere. » Quod et summe optaret Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. ibi : « Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret. » (41. Circa istam autem Communionem quotidianam attendendum est sequens speciale Decretum editum a Sac. Congreg. Concil. 12 Februar. 1679. et expresse approbatum ab Innocentio XI.

Decretum circa Communionem quotidianam.

« Cum ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceve, et simul affirmari eamdem quotidianam communionem præceptam esse a jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquot abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, *sed in privatis Oratoriis*, et domi, immo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea techa inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt sacerdotes sæculares, aut regulares, aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sacræ Congregationi Cardin. Concilii Interpretum, eadem Sacra Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit : Etsi frequens, quotidianusque Sacrosanctæ Eu-

Digitized by Google

charistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certis singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quod cuperet tantum indicavit cum inquit : « Optaret quidem Sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent. » Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum processus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, et Dei dona parvulis concessa, quæ cum humanis oculis scrutari non possunt, nihil certi de cujusque dignitate, atque integritate, et consequenter de frequentiori, aut quotidiano Vitalis Panis esu potest constitui, et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, *Confessariorum secreta cordis explorantium* judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu et ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. *In Conjugatis* autem hoc amplius animadvertant, cum Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a Sac. Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, et præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacr. Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant; et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, et Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, et cum eis constitutum habere, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim ad illud sumendum de magna præparatione orationem habeant, generatimque ostendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac Divini Judicii formidine, discant Cœlestem mensam, *in qua Christus est*, revereri et si quando se minus paratos senserint, *ab eo abstinere*, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, et judicii temperamento alere debebunt, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, et scandali suspicio in veri, et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio Divina præstante gratia tenentur, *seque Sacratissimo Pane* frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et charitate assueverint : quibus Christum Dominum, *qui se fidelibus manducandum*, et se pretium in morte tradidit, atque in Cœlesti Regno in præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio ut suam opem ad dignam præparationem, et sumptionem largiatur.

« Porro Episcopi, et Parochi, seu Confessarii, redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure Divino; doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispositione, seu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctiss. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes Domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia, *deferatur publice, et cum pompa* juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curant etiam ut circa communionem in feria sexta Parasceve Missalis Rubricæ, et Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant ut venialium confessio fiat simplici *Sacerdoti non approbato* ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, et confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes, secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem, reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, et Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, et Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de præmissis omnibus ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens decretum typis mandari, ac publicari voluit.

« Datum Romæ 12 : Februarii 1679.

« F. CARD. COLUMNA PRÆF.

« *S. Archiep. Brancaccius*

« *Episc. Viterbien. Secr.* »

(42. Quando commendatur frequens usus communionis, intelligi debet de sola Communione digna, quia sola digna Communio est utilis ad salutem, unde Innocentius XI.

Digitized by Google

die 2. Mart. 1679 recte damnavit hanc propositionem 56, in ordine, « Frequens Confessio, et Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt est nota prædestinationis. » Talis enim propositio est maxime scandalosa, nam qui gentiliter vivunt, id est qui vivunt continuo in depravatis et corruptis moribus, sacrilege communicant; si enim per confessiones bonas et efficaciora proposita se semper disponerent ad dignam communionem, moraliter impossibile esset, ut pergerent gentiliter vivere. Carden. in 2. *Crisi* dist. 35. n. 3. (43. Non dari præceptum sumendi Eucharistiam sub utraque specie, nisi pro illo qui sacrificat, est de fide contra Hæreticos, apud Bellar. l. 4. c. 20. Hinc Tridentinum sess. 21. can. 1. sic definiit : « Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, et singulos Christifideles utrumque speciem Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit. » Quod autem Ecclesia hoc juste prohibuerit, definit can. 2. ibi : « Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam Catholicam, non justis causis, et rationibus adductam fuisse ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit. » An vero causæ possint cessare, vel concedendus sit aliquibus Laicis usus Calicis, Trid. sess. 22. in fine committit judicio Papæ, « qui, inquit, pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, et salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit. » (44. Primis Ecclesiæ temporibus, in quibus Fideles ad Sacram Communionem una convenire nequibant, nec in publico loco Sancta Eucharistia servari poterat, deficiente Ecclesiarum provisione ob Gentilium persecutiones; ne ab ipsis, quod etiam proximis temporibus Acatholicorum perfidia renovatum fuit, irrideretur, et conculcaretur, permissum fuit antiquis Christianis, quod particulas Eucharistiæ ad proprios lares deferrent, et privatim ibi asservarent, ut singulis diebus, prout moris tunc erat, se reficere possent, ut commemorant S. Hieronymus *Epist.* 50. S. Cyprianus in lib. *de Lapsis*, num. 92. et in lib. *de Spectaculis*, Tertullian. lib. *de Orat.* sub fine, et lib. 2. *ad Uxorem*, et innuitur in lectione, quæ legitur in Breviario die 13. Augusti pro S. Hippolyto Mart. ibi : « Hippolytus a S. Laurentio baptizatus, domi suæ dum Eucharistiam sumeret, comprehensus, » et plura ad rem recenset Baron. anno 57. num. 151. et anno 570. Gonzalez in cap. 1. *de Custodia Eucharistiæ* num. 9. Gabassut. in not. *Eccles.* sæcul. 1. diss. 9. Pax Jordan. *de Re sacra* lib. 3. tit. 3. num. 5. Verum cum tepescente pristina Fidelium charitate, quandoque hoc venerabile Sacramentum non minori reverentia acceptum, quam conservatum fuerit, ideo mos illam in privatis domibus asservandi per quinque fere sæcula permissus, abrogatus fuit, et in Ecclesiis tantum servari fuit statutum, ut specialiter in Concilio Cæsaraugustano II. can. 3. ibi : « Si quis Eucharistiæ gratiam acceptam in Ecclesia non consumpserit, anathema sit, » et consonat cap. *Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam :* ubi Glossa verb. *Eucharistiam*, dist. 2, *de Consecrat.* et Conc. Toletan. 1. can. 14, et elicitur cap. *Statuimus* 1, *de Custodia Eucharistiæ;* ubi statutum fuit, ut in cunctis Ecclesiis Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur, ne possit ad illam temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Hactenus Eminentiss. Petra tom. 3, Comm. in constit. 1. Urbani IV. sect. unica a num. 4 ad 6.

(45. Eucharistia nunc omnino asservanda est in qualibet Parochiali, quantumvis paupere; quod si redditus, et societas non sufficiat, instituatur quæstor, vel eleemosynarum Collector Sacr. Cong. Concil. in Urbinaten. 22 Martii 1594, et Sacr. Congr. Episcop. in Assisien. 14. Mart. 1614. (46. Extra Parochiales Ecclesias non conceditur retineri assidue Eucharistia. S. Cong. Episcop. 15 Januar. 1610. et Sacr. Congr. Concil. quæ refert Genuens. in prax. cap. 110, cum ab ipsa peteretur :

Primo. An Episcopus possit concedere Ecclesiæ non Parochiali, ut in ea retineatur Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ solum pro adoratione, vel requiratur auctoritas Papæ?

Secundo. Præsupposito quod Episcopus concesserit licentiam asservandi Sanctissimum in Ecclesia non Parochiali pro adoratione, an possit Episcopus successor dictam licentiam revocare?

Respondit ad primum : Id non posse concedi ab Ordinario; sed requiri licentiam Sedis Apostolicæ. *Ad secundum :* Hujusmodi licentiam fuisse nullam, et propterea ei non esse deferendum, nec esse necessariam revocationem.

(47. Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis Tertiariarum, quæ professionem solemnem trium votorum non emittunt, nec in clausura vivunt, nullatenus teneri potest, Sac. Congreg. Episcopor. et Regular. die 20 Decemb. 1626. Unde pro Indulto debet recurri ad Sanctam Sedem uti ad ipsam recursum habuerunt Sorores Tertii Ordinis S. P. Francisci existentes Lucæ, et viventes collegialiter absque obligatione Clausuræ ad effectum obtinendi facultatem retinendi in propria Ecclesia Sanctiss. Sacramentum; Exhibitisque precibus Sacr. Congregat. Episcopor. hac sub die 26 Novembris 1708. dictam facultatem concessit arbitrio Eminentiss. Episcopi sine præjudicio jurium Parochialium, ac cum clausulis, et respectivis per Eminentiam suam præscribendis. Atque hic addenda sunt quæ erudite tradit Eminentiss. Cardin. Petra tom. 3. *Comment. ad Constitut. 1. Urbani IV.* sect. unica a numer. 21 ad 23. Propositis dubiis in Sacra Congregatione Concilii in Salernitana Jurium Parochialium 19 Augusti 1702. ibi : « I. An omnia jura Parochialia in Ecclesia, et in Oblatis, aliisque mulieribus degentibus in Conservatorio Sanctissimæ Conceptionis Capitis Pentæ sint exercenda per proprium Parochum S. Mariæ, intra cujus limites de-

Digitized by Google

gunt, sive per illarum Capellanum. II. An eædem Oblatæ possint in eadem Ecclesia asservare Sanctissimum Sacramentum, et Sacrum Oleum Infirmorum sine licentia Sacr. Congreg. et consensu Parochi. III. An in dicta Ecclesia valeat earum Capellanus pro suo arbitrio Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere. IV. An prædictæ Oblatæ, et Mulieres morientes sine electione sepulturæ sint tumulandæ in Ecclesia Parochiali, et quatenus sepulturam eligant in earum Ecclesia, debeantur Parocho emolumenta funerum. V. An dictus Capellanus intra annum possit celebrare solemnitates, quæ spectant ad Parochum. VI. Ad quem spectet benedictio Candelarum in die Purificationis, Cinerum, et Palmarum. VII. An denunciationes pro prædictis Oblatis, aliisque Mulieribus exeuntibus a dicto Conservatorio ad effectum nubendi, debeant publicari in ipsa Ecclesia Parochiali pro tempore habitationis. VIII. An per dictum Conservatorium debeatur decima Parocho. » Sacra Congregatio respondit : *Citra approbationem Conservatorii* (quæ clausula semper apponitur, dum aliqua quoad Conservatoria determinat, cum ea approbare neque tacite, neque expresse voluerit). Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Non posse sine licentia Sacræ Congregationis.* Ad III. *Negative, nisi cum licentia Episcopi.* Ad IV. *Affirmative quoad utramqae partem.* Ad V. *Exprimendas esse solemnitates particulares.* Ad VI. *Spectare ad Capellanum.* Ad VII. et VIII. *Affirmative.* Idemque resolutum fuit in Neapolitana Conservatorii SS. Philippi, et Jacobi in Regione Nidi Consulum Artis Sericæ sub die 2 Julii 1707, in qua proposito dubio per Summarium : « An liceret retinere SS. Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia dicti Conservatorii absque Apostolica auctoritate? » Responsum fuit : *Non posse, stetur Decretis in Salernitana.* Et reproposita causa in folio sub die 28 Jul. 1708. rescriptum fuit : *Citra approbationem Conservatorii in decisis, et supplicent Sanctissimo,* nempe pro facultate Apostolica illud retinendi. Itidem non licet illud retinere absque Indulto Apostolico in Grangiis Regularium; unde cum recursum habuissent ad S. Cong. Conc. PP. Oratorii pro Indulto illud retinendi in Oratorio ejus Grangiæ, seu Domus extra Civitatem existentis, in qua solebant morari aliqui Patres, vel ob infirmitatem, vel recreationis causa, maxima difficultas in concessione orta fuit; sed considerando, quod locus principaliter destinatus erat pro Infirmis, et concurrebat votum Nuncii Apostolici favorabile, ut posset concedi tempore, quo adessent infirmi, Sacra Congregatio scripsit juxta votum arbitrio ejusdem Nuncii, limitando tamen tempus ad septennium salvis juribus Parochialibus, in Ulysiponen. 3 Septembris 1707. (48. *Hæc ille expressis verbis,* Eucharistiam Sanctissimam ex consuetudine, et privilegio non decet teneri a Laicorum Confraternitatibus sine licentia Episcopi Sacr. Rit. Congreg. in Insulana 10 Junii 1604. et in Asculana 3 Aprilis 1632. et in Cortonen. 9 Maii 1699. et in decreto generali 10 Decembr. 1703. in respons. ad 26. (49. Feria quinta in Cœna Domini SS. Eucharistia asservari debet sub unica tantum Clave retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud Personas Laicas, et sæculares, cujuslibet status, gradus, et conditionis. Sac. Congr. Rituum in Civitat. 22 Novembr. 1631. et in Calaguritana 13 Septembris 1642. Et hoc in omnibus Ecclesiis tam Sæcularibus, quam Regularibus quomodocumque exemptis, non obstante consuetudine in contrarium. (50. Eadem Sacra Congreg. Rit. in Caurien. 15 Decem. 1632. Eucharistia SS. ad Ægrotum adoranda deferri non debet, si eam ob tussim, aut alias, sumere non potest pro Viatico. Sacr. Congregat. Conc. teste Zerola in *Praxi Episcop.* p. 1. verb. *Eucharistia,* § 5.

(51. Eucharistiam SS. in solemni ejus Festivitate, et per octavam in processione deferre, absente, vel impedito Episcopo, pertinet ad primam Dignitatem, vel, ea impedita, ad secundam, et successive ad tertiam, vel quartam, et omnibus Dignitatibus absentibus, vel impeditis, ad primum Canonicum. Sacr. Congreg. Rituum in Pisaurien. 21 Martii 1609. in Aretina 30 Januarii 1610. in Lamacen. 11 Novembr. 1614. et in Baren. 19 Januarii 1628. (52. Sacramentum Eucharistiæ debet non in aliqua machina pretiosæ structuræ Sacerdotum humeris, quod in omnibus Hispaniarum Ecclesiis ex vetustissima, et immemorabili consuetudine fieri posse decrevit Sacra Rota in Hispalen. Processionis, 28 Julii 1700. et in Salmantina Juris recipiendi servitium, etc. 23 Junii 1732; sed propriis manibus a Celebrante deferri, non obstante quacumque consuetudine contraria. Sac. Congregat. Rituum in Siracusana Modicæ 2 Junii 1618. Hæc decisio locum habet in Processione, quæ fit in Festo Corporis Christi, et in die Dominica infra Octavam ejus, ut resolvit Sac. Rit. Congreg. 23 Martii 1709. in Compsana. Ad Celebrantem vero ita privative pertinet delatio Sacramenti, ut ipse illud deferre debeat etiam per Parochias alienas, per quas processio transiret; Sacr. Rit. Congreg. 21. Apr. 1630. in Lucana. Quamvis ille, qui celebrat Missam in Festo SS. Corporis Christi debeat deferre Sacramentum in Processione, excipitur tamen ab hac regula Episcopus, qui licet non celebret Missam Pontificalem, nihilominus ab ipso deferri debet Sanctissimum Sacramentum in Processione, nisi legitime fuerit impeditus, et non a prima Dignitate, seu digniori Canonico qui Missam cantavit, ut colligitur ex Cæremoniali Episcopo : lib. 2. cap. 33. §. 8. apud Meratum in *Additionibus ad Gavantum* tom. 1, part. 4, tit. 12, n. 11. In Vesperis autem Octavæ (si fiat Processio) deferri debeat ab eo qui cantavit Vesperas modo sit Dignitas, vel Canonicus; Sacr. Rit. Congr. 12 Junii 1627. in Brundusina. (53. Eucharistia SS. dum elevatur, Canonici, et Clerus, sive in Choro existant, sive processionaliter incedant, semper debent genuflectere; Sacr. Congreg. Rit. in Oscen. 2 Maii

Digitized by Google

1620. (54. Eucharistia SS. quæ pro infirmis asservatur, singulis octo, aut quindecim diebus est renovanda a Græcis. Clemen. VIII. Constitut. incipiens *Sanctissimus* sub die 31 Aug. 1595. (55. A Latinis vero renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem deferri ad quindecim dies. Sacr. Congreg. Episcop. in Ravennaten. 5. Apr. 1573, ex c. *Permittimus* 57, *de Sentent. excomm.* et Clemens VIII, citat. Constitut. *Sanctissimus*. (56. Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in Altari majori, propter functiones Pontificales, quæ fiunt, versis renibus ad Altare. In Parochialibus vero, et Regularibus Ecclesiis debet regulariter esse in Altari Majori, tamquam digniori. Sac. Cong. Episcopor. in Lucensi 10. Febr. 1579, et in Casertana 29. Novembris 1594.

(57. Regulares non possunt publice exponere Sacramentum Eucharistiæ sine licentia Episcopi, et ex causa publica ab eodem probata, ut sæpe sæpius respondit. Sacr. Cong. Episcop. et præsertim in Cajetana 25. Oct. 1602. et 10 Decembris 1602. apud Nicol. in Floscul. verb. Eucharistia n. 23. et Fagnan. in cap. Grave 19, de Offic. Ordin. num. 77. his verbis: « Non liceat Regularibus etiam in propriis Ecclesiis SS. Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab ordinario, ex causa autem privata possint, dummodo SS. Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, et velatum remaneat ita ut ipsa Hostia videri non possit; » et in Dertonen. 27 Maii 1603. et Sac. Congregat. Concil. in Neapolitana 17 Augusti 1630, et Sacr. Congreg. Rit. 26 Febr. 1628, et eadem Sac. Rit. Congregat. 22 Jan. 1701, in Firmana expositionis SS. Eucharistiæ censuit, « Fratribus Minoribus de Observantia Oppidi Monleani licere publice adorandum exponere SS. Eucharistiæ Sacramentum in eorum Ecclesia singulis diebus festivis totius anni, exceptis Quadragesimalibus, et Dominicis, de licentia tamen Archiepiscopi. » (58. Pro personis autem particularibus exponitur in Ostiolo Tabernaculi, aut in Pyxide velata, cum liminibus, et assistentia. Sac. Cong. Episcop. 7 Septemb. 1678. (59. In Ecclesiis Confraternitatum non potest exponi sine expressa Ordinarii licentia. Sacr. Cong. Episcop. 20 Augusti 1601. et in Papien. 2. Augusti 1652. et Sacr. Congregat. Rit. in decreto generali 10 Decembris 1703. in respons. ad 27 dub. (60. Episcopus tamen id eis permittere debet juxta solitum, nisi quid relevans adsit in contrarium. Sacr. Congreg. Episcop. in Maceraten. 16 Martii. 1646. (61. Neque Sacramentum Eucharistiæ possunt exponere, sine licentia Episcopi Diœcesani, alii quomodocumque exempti, non habentes jurisdictionem in populum, ut declaravit Sacr. Congr. Episcopor. in Florentina Jurisdictionis inter Archiepiscopum, et Episcopum Fesulanum 18 Maii 1696. referente Eminentiss. Cardin. Pamphilio.

(62. Sacramento Eucharistiæ publice exposito, in Missis privatis dicenda est Oratio de Sacramento, ordine a Rubrica præscripto. In Missis vero cantatis, et solemnibus servandum erit decretum. Sacr. Congr. Rit. 13 Febr. 1666. tenoris sequentis. « Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio 40 horarum, vel spiritualium exercitationum, si accidat in Festo primæ, vel secundæ Classis, tunc in Collegiatis, vel duæ cantantur Missæ, una de Festo, seu Dominica post tertiam, altera Votiva de Sacramento post Nonam; vel una cantetur de die cum commemoratione SS. Sacramenti. (63. In Missis tamen privatis dicta oratio de Sacramento erit omittenda in Festis primæ et secundæ Classis, » prout ead. Sac. Cong. Rit. resp. 2. Decem. 1684. nam proposito dubio pro parte Procuratoris Generalis Lateranensium: « An in Missa privata de Sancto duplici, vel Semiduplici, de quo tali die sit Officium, facienda sit commemoratio SS. Sacramento exposito occasione 40 horarum, » prodiit rescriptum, *posse, sed omittendam in Festis primæ, et secundæ Classis*. Tempore expositionis SS. Sacramenti non possunt celebrari Missæ de requie; Sacr. Congr. Rit. 2 Decembris 1684. Circa hanc Sanctissimi expositionem occasione 40 horarum attendenda est instructio de mandato Clementis XII. emanata 1 Sept. 1730. quæ ut ab omnibus percipiantur, et observentur hic ad litteram datur.

(64. Istruzione, ed ordini da osservasi nell' orazione continua di Quarant' ore coll' Esposizione del SS. Sagramento per li bisogni di Santa Chiesa secondo la pia mente de' Sommi Pontefici, confermata e pubblicata di nuovo per ordine di N. S. Papa Clemente XII.

Prospero del Titolo di S. Silvestro in capite della S. R. C. Cardinale Marefoschi, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, ec.

Essendo state fatte sin dal tempo dell' introduzione dell' Esposizione del SS. Sagramento per l' orazione continua di Quarant' ore diverse provisioni spettanti al decoro di detta Sagra Funzione, acciò le medesime venghino esattamente osservate, e si remova ogni abuso, d' Ordine espresso della Santità di Nostro Signore, datoci coll' oracolo della sua viva voce ordiniamo, e comandiamo, che in tutte le Chiese di quest' Alma Città, tanto Patriarchali, quanto Collegiate, e Parrochiali, ed in ogni altra Chiesa si de' Secolari, come de' Regolari, in qualsivoglia modo privilegiata, in cui si farà la sudetta orazione di Quarant' ore, s' osservi inviolabilmente quanto si prescrive nella presente novissima Istruzione sotto le pene infrascritte.

I. Si metterà sopra la porta della Chiesa, dove sarà l' Esposizione, un segno del SS. Sagramento ornato di Festoni, come pure a capo della strada vicina, perchè sia noto a chi passa, esservi l' Esposizione del Santissimo Sagramento.

II. Il SS. Sagramento dovrà esporsi nell' Altare Maggiore (eccettuatene le Basiliche Patriarchali, nelle quali si suol esporre so-

Digitized by Google

pra altro Altare) e si coprirà l'immagine, o statua, che vi sia come anche le pareti della tribuna, e le vicine all'Altare, se non vi sono ornamenti fissi, si copriranno con drappi, avvertendosi, che gli apparati non contengino Istorie, nè cose profane. Sopra l'Altare non vi si ponghino Reliquie de' Santi, o Statue de' medesimi (non escludendosi però quelle delli Angioli, che faccino figura di candelieri) e molto meno vi si ponghino figure dell'anime del Purgatorio di qualsisia materia, il che si proibisce anche in tutte l'Esposizioni particolari, ed in quelle, che talvolta si fanno per suffragio di quelle anime.

III. Sopra detto Altare in sito eminente vi sia un Tabernacolo, o Trono con Baldacchino proporzionato di color bianco, e sopra la base di esso vi sia un Corporale per collocarvi l'Ostensorio, o Custodia, il di cui giro sarà attorniato di raggi, e non vi sarà d'avanti alcun ornamento, che impedisca la vista del Santissimo.

IV. Ardino sopra l'Altare almeno venti lumi continuamente, cioè sei candele d'una libbra, tre per parte dalli lati della Croce, ed otto candele nella parte superiore, con altre quattro dalli lati dell'Ostensorio; nella di cui parte opposta, non vi si ponga onninamente lume alcuno, e vi siano finalmente due Torcieri con le Fiaccole almeno di tre libbre l'una. L'istesso numero di lumi vi sia anche di notte dopo serrata la Chiesa, tra quali ve ne siano almeno dieci di Cera, e per la Chiesa nella Sera si mettano lumi sufficienti per evitar la confusione, quali stiano accesi finchè si chiudano le Porte di essa. Potranno anche di giorno oscurarsi le finestre vicino all'Altare dell'Esposizione, ad effetto di raccogliere la mente de'Fedeli all'Orazione.

V. Niun secolare, benchè vestito di sacco di qualsivoglia compagnia, ardisca d'andare intorno l'Altare per aggiustare lumi, o far altro, che occorra, ma dovrà essere un Sacerdote, o almeno un Chierico con Cotta, con la quale sopra il proprio Abito, dovranno comparirvi anche li Regolari di qualsisia Religione: Avvertendosi di più, che ogni persona di qualsisia condizione, ed Ordine per decreto della *Sagra Congregaz. de'Riti, Urbis* 19 *Augusti* 1651. avanti il SS. Sagramento esposto accostandosi, o partendosi da esso, deve fare la riverenza con ambe le ginocchia piegate. In ordine poi alla persona del Sacerdote, quale celebra la Messa privata, s'insinua esservi decreto della medesima *Sac. Congreg. Urbis* 7 *Septembris* 1638. che mentre passa avanti l'Altare, in cui sta esposto il SS. Sagramento, dopo fatta l'Adorazione con le ginocchia piegate, scoperto il capo, alzandosi lo ricopra.

VI. Si tenga durante l'esposizione alla porta della Chiesa, per la parte di dentro, o di fuori come tornerà più comodo, Tapeto, che faccia forma di Bussola con spazio adequato alli lati, per comodità del popolo, e sia talmente posto, che non possa mai dalla strada vedersi il Santissimo Sagramento.

VII. Stiano di continuo uno, o due Sacerdoti, o almeno in altro Ordine Sagro costituiti, se si potrà, vestiti di Cotta (benché siano Regolari) genuflessi avanti d'un banco ricoperto con Tapeto, o panno rosso, o d'altro colore, e qualità decente vicino all'infimo grado dell'Altare, e mai sopra genuflessori, orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda. Dove sarà qualche Confraternità, vi assistino due Confratelli almeno avanti un banco coperto di panno verde, o d'altro colore decente, parimente a vicenda, ma fuori del Presbiterio, e distanti dalli Ecclesiastici sudetti, ed orando con tutta divozione, per edificazione degli Astanti, e con voce sommessa per non causar distrazione agli altri.

VIII. Nella Sacristia vi sia l'Orologio, almeno a polvere, per saper il tempo della vicenda, di cui se ne darà il segno ad ogni Ora con la Campana maggiore tanto di giorno, come di notte.

IX. La sera avanti il giorno dell'Esposizione, dopo il segno dell'Ave Maria, si sonino le campane solennemente per avviso del Popolo, come anche la Mattina nel far del giorno, e dopo tutti gli altri segni dell'Ave Maria, durante l'Esposizione, come parimente le solite tre volte avanti le Messe solenni.

X. Nell'Altare, dove sta esposto il SS. Sagramento, non si celebri altra Messa, che le solenni per l'Esposizione, e Reposizione, nei quali due giorni, oltre la Conventuale (nelle Chiese dove v'è obligazione di cantarla) si celebrerà dopo Nona la Messa del SS. Sagramento votiva *pro re gravi* (eccettuate però tutte quelle Domeniche, che sono di prima, o seconda Classe, e tutti li giorni, ne'quali per ragione del Calendario, tanto universale, quanto particolare di quella Chiesa, in cui si fa l'Esposizione, si fa Officio parimente di prima o seconda Classe, come anche eccettuata la feria 4. delle Ceneri, e feria 2. 3. e 4. della Settimana Santa, tutti li giorni dell'Ottava di Pasqua, e di Pentecoste, le Vigilie del S. Natale, e della Pentecoste, e l'ottava dell'Epifania: Nelle quali Domeniche, ed altri giorni, e ferie eccettuate, si canterà la Messa Conventuale con l'Orazione aggiunta del Sagramento (*sub unica conclusione*) e tutto s'osserverà inviolabilmente in tutte le Chiese si de'Secolari, che de'Regolari. Nel giorno medio, oltre la Messa Conventuale, si dovrà cantar dopo Nona la Messa votiva *pro Pace*, o altra, che verrà commandata da N. S. secondo sarà espresso nella lista delle Quarant'Ore con la medesima eccezione dalli giorni sudetti, e con la medesima Regola circa l'Orazione. Nelle Chiese non Collegiate, e dove non è obligazione di cantarsi la Messa Conventuale, dovrà in detto giorno medio cantarsi solo la Votiva sudetta, e con l'eccezione, e regola prescritta di sopra nella Messa del Sagramento. Questa però dovrà cantarsi ad un altro Altare, che non sia quello dell'Esposizione, nè quello, dove sia il Tabernacolo col Sagramento incluso; ed in quelle Chiese, che hanno l'obligo di cantar la Mes-

Digitized by Google

sa Conventuale, questa pure si canterà ad altr'Altare, come si è detto. S'ordina espressamente, che nelli giorni dell'Esposizione, medio, e della Reposizione, le Messe si debbano cantare con li Ministri parati, e non altrimenti, anche nelle Chiese de'Regolari; non ostante qualsisia loro uso, o pretesa consuetudine in contrario. Nelle Messe private, che si celebreranno durante l'Esposizione, non si suoni il Campanello all'Elevazione, ma solo uscendo i Celebranti dalla Sacristia, si dia un picciol segno con la solita Campanella. Non si celebrino Messe di Requie, nel tempo, che durerà l'Orazione di 40, ore, le Messe del Santissimo, che si celebreranno ne'giorni permessi dalla Rubrica, saranno meramente Votive senza *Gloria*, e *Credo* Nell'altre Messe private correnti si aggiungerà coll'Ordine prescritto dalla Rubrica *l'Orazione del Sagramento*, così comandando la Santità di N. S.

XI. Il Celebrante dovendo portar il Santissimo in processione sarà vestito di Piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti d'altro colore, che in tal caso continuerà il colore della Messa; il Velo omerale però sarà di colore bianco in qualsivoglia caso, che debba portarsi il Sagramento anche nel Venerdì Santo, e li paramenti de' Ministri Sagri saranno del color del Celebrante come sopra Parimente il Pallio dell' Altare, dove sta l'Esposizione, sarà sempre di colore bianco, benchè la Messa solenne ivi si celebri in altro colore; come pur il Baldacchino per Processione deve esser bianco.

XII. Terminata la Messa solenne per l'Esposizione, il Celebrante con li Ministri fatte le dovute riverenze al Sagramento, si ritireranno fuori del Corno dell'Epistola, dove il Celebrante (come pure li Ministri) deporrà il Manipolo, e levata la Pianetà, prenderà il Piviale, porrà ivi l'incenso in due Turiboli senza benedirlo, e dopo con li Ministri genuflesso nel mezzo incenserà tre volte il Santissimo. Sul fine della processione, quale si principierà anticipatamente fatta l'Elevazione del Santissimo, o prima, secondo che sarà più, o meno numerosa, il Diacono in tempo congruo fatta la dovuta riverenza prenderà il Sagramento, e stando in piedi lo consegnerà al Celebrante genuflesso, genuflettendo immediatamente esso Diacono; lo prenderà il Celebrante, ricoperte le mani dall estremità del Velo omerale, e si alzerà: Principiandosi poi da'Cantori l'Inno *Pange lingua, etc.* s'incamminerà sotto il Baldacchino, recitando con voce sommessa Salmi, ed Inni insieme con li Ministri, quali eleveranno le fimbrie del Piviale.

XIII. La Processione sarà composta di tutto il Clero della Chiesa, ed il Crocifero in questa funzione non sarà parato con abito suddiaconale, ma vestito con cotta; v'interverranno onninamente 8. Sacerdoti vestiti con Cotte, e con Torcie accese in mano, li quali precederanno dalli lati avanti il Baldacchino, e dopo di essi seguiranno due Accoliti con Turiboli, quali per la strada incenseranno il Santissimo, e durante la processione si suoneranno le campane solennemente.

XIV. La Processione si farà dentro la Chiesa, e al più per la Piazza, quando l'angustia della Chiesa ne porti la necessità, e quando esca di Chiesa si farà ben pulire la strada della Piazza, dove, se vi sarà qualche Bottega, dovrà tenersi chiusa durante la Processione.

XV. Se vi saranno istituite Confraternità di secolari, o siano vestiti di Sacco, o nò, tanto li Guardiani, ed Offiziali di esse, quanto li Confrati tutti anderanno unitamente avanti il Clero Secolare, o Regolare che vi sarà, al qual dovranno sempre cedere il luogo più degno. Di più espressamente si comanda, che li Guardiani, o altri Offiziali di esse non ardiscano sotto qualsivoglia pretesto di consuetudine, o altro, di andar dopo il Baldacchino sotto la pena di 25. Scudi a ciascun Fratello Guardiano, o Offiziale della Confraternità, il quale contravenisse alla presente disposizione in conformità dell'Editto pubblicato l'anno 1589. Qual pena di Scudi 25. si dovrà applicare alla medesima Confraternità, se sarà povera, o al Monte del Santissimo Viatico a nostro arbitrio. Monsignor Primicerio però dovrà andar dopo il Baldacchino vestito senza Sacco coll'abito suo Prelatizio, e con il Rocchetto, se ne avrà l'uso. Di più ordiniamo alli sudetti Cleri Secolare, e Regolare, che nelle proprie Chiese non permettino, che si pratichi il contrario sotto le pene contenute nel sudetto Editto, cioè di Scudi 25. alli Superiori, e Rettori delle Chiese Secolari, e di privazione di voce attiva, e passiva alli Superiori Regolari, con altre a nostro arbitrio. Quando poi vi fosse alcuno, che tanto ardisse, si notifica, che oltre le sudette pene imposte di sopra, resterà *ipso jure* privo dell' Officio, e cassato dalla Confraternità respettivamente; al Guardiano, o Guardiani ed Offiziali, quali contravverranno a questo nostr'Ordine, resterà interdetta la Confraternità, e Chiesa, e privati di fare più tale santa funzione, ed Esposizione finchè da Noi non sarà reintegrata, si dichiara anche, che all' accusatore di tal contravenzione si darà la terza parte della sudetta pena col esser tenuto secreto, e la sudetta disposizione vogliamo che si osservi anche in tutte e singole Processioni, ed Esposizioni particolari.

XVI. Ritornata la Processione in Chiesa, e giunto il Celebrante al grado infimo dell' Altare maggiore, il Diacono genuflesso riceverà il Santissimo da esso Celebrante (quale immediatamente genufletterà deponendo il Velo omerale) e lo collocherà nella base del Trono, andando poi, fatte le dovute riverenze, al suo luogo. Li Cantori divotamente, e con pausa canteranno il *Tantum ergo, etc.* dopo di che il Celebrante alzatosi colli Ministri, porrà, ivi nel mezzo l'incenso nel Turibolo senza benedizione, e genuflesso incenserà tre volte il Sagramento. Terminato l'Inno senza dirsi il ℣. *Panem de cœlo, etc.* si canteranno dalli sudetti Cantori le litanie

Digitized by Google

contenute nel libro stampato per l'Orazione delle 40. ore (qual libro puramente senza alcuna immutazione, dovrà usarsi in qualunque altra Esposizione del Santissimo, che si faccia particolare). Dopo che avrà dette le preci, il Celebrante alzatosi (a cui li Ministri sosterranno il libro) senza fare nuova genuflessione canterà a mani giunte il ℣. *Dominus vobiscum, etc.* con le Orazioni, quali terminate genuflessi faranno breve Orazione; ed indi partiranno a capo scoperto sino ad una ragionevole distanza dal Sagramento, dandosi così il principio all'Orazione delle Quarant'ore.

XVII. Il Celebrante non dovrà usar la Sede Camerale secondo il decreto della Sacra Congr. dei Riti, ma un Banco (che nè pure abbia braccia) con il postergale ornato di panno rosso, o altro colore decente, in cui sederà insieme colli Ministri Sagri, e si avverte alli medesimi, come anche agli altri, che oprano circa il Divino Ministero, qualmente in tempo, che sta esposto il Venerabile, anche nell' Esposizioni particolari, non devesi far riverenza alcuna al Clero, nè ad altra persona, che assista alli Divini Offici. Molto meno dovranno mai usare le Sedie Camerali nelle Chiese li Guardiani, Deputati, ed Officiali delle Confraternite, Compagnie, e Congregazioni Laicali; ma sederanno sopra un banco con postergale senza braccia a lati, e senza alcuno uso de Cuscini, come pure senza gradini, e senza genuflessori d'avanti. Qual banco potrà cuoprirsi di panno, e non di seta, e sarà onninamente *situato fuori del Presbiterio* in quelli casi, che assisteranno alle Messe, e Vesperi solenni, o che nel Presbiterio si celebri dal Clero una funzione Sagra, o che si predichi in Chiesa secondo li replicati decreti della Sagra Congr. de' Riti, particolarmente per decreto generale emanato sotto li 13 Marzo 1688, sotto le pene medesime espresse di sopra, comminate al num. XV. nelli §§ *Se vi saranno* ec *e Di più ordiniamo* ec Monsignor Primicerio però sederà dentro il Presbiterio al lato dell' Evangelo in un Banco coperto di panno, nell' Abito suo Prelatizio, come si è detto al num. XV. Se però la struttura della Chiesa non permetterà luogo congruo fuori del Presbiterio, il tal caso di necessità si concederà da Noi, che possa collocarsi in Banco come sopra de' Guardiani dirimpetto all' Altare in uno delli lati fuori del termine del Presbiterio. Si proibisce espressamente alli Uomini, ed alle Donne di qualsivoglia stato, e condizione (eccettuate le Persone Regie, quando vi si trovino,) l'entrar sotto qualsisia pretesto ad orare nel Presbiterio, o sia recinto dell'Altare, dove sta esposto il Venerabile, dovendo quel luogo esser occupato solamente da Ecclesiastici destinati al Ministerio Divino, o all'assistenza dell'orazione, il che s'osserverà non solo nelle Chiese, dove ricorre l'Esposizione ordinaria, ma anche in tutte le altre, dove per Indulto Apostolico, o per altra legitima facoltà, occorre farsi l'Esposizione, benchè per breve tempo, al che provederanno li Superiori, o Sagrestani, col riparo delli Banchi ancora bisognando. In oltre ordiniamo, e comandiamo a' Rettori, e Superiori tanto Secolari, quanto Regolari di qualsivoglia Chiesa, che durante la detta Esposizione non ardiscano di far portare respettivamente qualsivoglia sorte di Sedie nelle Chiese a qualunque persona d'ogni sesso, grado, e condizione sotto la pena di 10 Scudi alli Rettori secolari, da applicarsi ad usi pii, riservata la terza parte per l'Accusatore, ed a Regolari della privazione della voce attiva, e passiva a nostro Arbitrio.

XVIII. Non si terranno nelle Chiese dell' Esposizioni anchi particolari, bacili per limosine, nè vi assisteranno Religiosi, o altri Ecclesiastici, nè meno persone laicali per ricervele, come nè meno anderanno Chierici, Confratri, Mandatarj, o altre persone questuando per la Chiesa Molto meno dovranno far ciò i poveri, quali staranno per lo spazio di canne dieci lontani dalle porte della Chiesa sotto le pene contenute nell' Editto stampato a parte, che per ciò sarà parimente cura dei Superiori, Sagrestani, e degli Esecutori, che vi assistono, il procurare non entrino in Chiesa, ad effetto d'evitare la distrazione de'Fedeli, che orano, potendo li Benefattori caritativi far elemosine fuori delle Chiese, siccome è anche l' intenzione di N. S. dichiarata nell' ultimo Editto, in cui si proibisce ad ogni Fedele dar nelle Chiese limosine a' poveri.

XIX. S'avverte, che non termini l'Orazione in una Chiesa, se non che dopo che sarà principiata nell'altra, e ciò s'osserverà da qualunque Chiesa benchè Basilica, e Collegiata, o in qualsivoglia modo privilegiata.

XX. Terminata la Messa della Reposizione, il Celebrante prenderà il Piviale (osservando il Rito respettivamente sopra descritto dopo la Messa dell'Esposizione) e genufletterà colli Ministri avanti il SS. Sagramento nel mezzo sul'infimo grado dell' Altare, immediatamente li Cantori principieranno le Litanie, e si continuerà sino al ℣. *Domine, exaudi Orationem meam* inclusive. Dopo alzatosi il Celebrante colli Ministri, porrà ivi nel mezzo l'incenso senza benedizione, e genuflesso incenserà tre volte il SS. Sagramento, e prenderà il Velo omerale. Fatta l'incensazione, il Diacono colle dovute riverenze leverà il Sagramento dal Trono, e immediatamente stando in piedi lo consegnerà al Celebrante genuflesso, genuflettendo anch'esso Diacono, subito che verrà consegnato il Sagramento, praticandosi di poi rispettivamente ciò, che sopra nell'Esposizione s'è detto circa le Cerimonie, e Rito della Processione, ec.

XXI. Ritornato dopo la Processione il Celebrante all'infimo grado dell'Altare, il Diacono genuflesso riceverà da esso, che starà in piedi, il Santissimo, verso cui il Celebrante genufletterà immediatamente, e deporrà il Velo omerale; il Diacono lo collocherà sopra il Corporale in mezzo dell' Altare, e ritornerà al suo luogo. Il Celebrante al ℣. *Ge-*

Digitized by Google

nitori Genitoque etc. alzatosi colli Ministri porrà, come sopra, l'incenso senza benedirlo, ed incenserà il Sagramento. Li Cantori diranno il ℣. *Panem de Cœlo* etc. (a cui s'aggiungerà *l'Alleluia* nel tempo Pascale solo, ed in tutta l'Ottava della Festività del *Corpus Domini*, in qualsivoglia Esposizione, che si faccia.) Il Celebrante alzatosi senza far nuova genuflessione sostenendo li Ministri il libro (senza dire il ℣. *Dominus vobiscum;* come per Decreto della Sagra Congregazione dei Riti) canterà le Orazioni a mani giunte, quali terminate, genuflesso prenderà il Velo omerale, ed ascendendo solo all' Altare, fatte tutte le dovute reverenze, prenderà nelle mani ricoperte, come si disse, colli estremità del Velo omerale l'Ostensorio, e darà con esso la benedizione al Popolo, e riposto il Sagramento sopra il Corporale discenderà, et starà genuflesso al suo luogo. Il Diacono immediatamente, o un Sacerdote con Stola, fatte le dovute riverenze, chiuderà il Sagramento nel Tabernacolo, quale per tal effetto dovrà ritenersi nell'Altare dell'Esposizione, e l'Ostia consagrata si dovrà consumare nella Messa, o in quella mattina, o nella seguente: dopo di che partiranno, e terminerà l'Orazione di quarant'ore.

XXII. Nel tempo, che durerà l'Oratione medesima, si proibisce espressamente il predicare; ma volendovi far dopo li Vesperi qualche breve sermone per eccitare li Fedeli alla divozione verso il Santissimo Sagramento, si dovrà prendere la licenza, e benedizione da noi, o da Monsignor Vescovo nostro Vicegerente, anche nelle Chiese de' Regolari, ed in qualunque modo privilegiate, e non solo nell'Esposizione di quarant'ore, ma in qualsivoglia altra Esposizione, qual licenzia si darà *in scriptis*. Quello poi dovrà sermoneggiare sarà almeno costituito nell'Ordine Diaconale, sermoneggierà con la Cotta, benchè sia Regolare ma senza la Stola, ed a capo scoperto vicino all'Altare, dove sta esposto il Santissimo, ed in uno sito, che non obblighi gli Ascoltanti a fare atti d'irreverenza con voltare le spalle al Sagramento.

XXIII. Le Chiese, dove sarà l'Orazione di 40 ore, dovranno la sera stare aperte sin tanto, che vi sarà il Popolo per orare. Ma perchè non può darsi in ciò un'ora determinata, si per la situazione d'esse, come per la mutazione delle stagioni; perciò potranno chiudersi l' Estate circa le tre ore, e l'Inverno interno all'ore cinque. Si avverte però, che anche à Porte chiuse deve continuare l'Orazione, come si è detto al num. 7, non dovendo mai essere interpolata l'Orazione di 40 ore, come per decreto della Sag. Congr. de'Riti.

XXIV. In ogni Chiesa di Roma si terrà affissa in luogo patente la Lista delle 40 ore per informazione de' Fedeli divoti.

XXV. Parimente in ogni Chiesa, dove è determinata l'Esposizione, si dovrà tener affissa continuamente nella Sacristia la presente Istruzione, acciocchè niuno possa allegare l' ignoranza delle Regole, e precetti che vi si contengono.

XXVI. Non ardirà alcun Rettore, Curato, o Sacrestano, fuori dell'ordine assegnato nella Lista delle 40 ore, d'esponere o far esponere il SS. Sagramento sotto qualsivoglia protesto, o consuetudine, per veruna causa grave, nè per infermi, senza Breve speciale di Sua Santità, o almeno licenzia segnata da Noi, o da Monsignor nostro Vicegerente sottoscritta dal Deputato delle 40 ore, quale ottenuta s'esporrà il Venerabile in un'Altare, o Cappella con un Velo avanti, e col sudetto numero di venti lumi, e si osserverà puntualmente il tempo, che dovrà durare l'Esposizione, assegnato nella sudetta licenza sotto le pene infrascritte, e privazione di Officio.

XXVII. Finalmente si comanda expressamente che tutti, e singoli espressi Ordini si debbano inviolabilmente osservare, e che si ubbidisca esattamente per quello potesse occorrere di più al nostro Deputato sopra le quarant' ore sotto pena alli Maestri di Cerimonie, che assistono alle funzioni, se non faranno adempire esattamente tutte le Cerimonie, ed i Riti prescritti, ed alli trasgressori respettivamente de sudetti ordini, di scudi dieci d'oro da applicarsi a' luoghi Pii, ed alli Regolari della privazione di voce attiva, e passiva, di carcere, ed altre pene maggiori riservate a nostro arbitrio, dichiarandosi, che in difetto dell'osservanza; si procederà più vigorosamente contro li Superiori, e Sagrestani delle Chiese, alli quali appartiene più che ad ogni altro la buona regola, e cura di esse.

Dato dalla nostra solita Residenza questo dì 1 Septembre 1730.

P. CARD. VICARIO.

Carlo Guazzuglia, *Deputato.*

Niccolò Antonio Can Cuggiò Segr.

(65. Solemnitas, qua cœpit publice, et cum pompa venerari Sanctiss. Eucharistia, originem habuit in Ecclesia S. Martini Civitatis Leodii; id pie, et religiose promoventibus Sanctis Virginibus Juliana, et Eva apud Urbanum IV, qui datis literis ad Evam cum laude hujus introductionis, festivitatem postea (quam nedum Virgines postulaverant) Corporis Christi solemni Decreto in Ecclesia universali (miraculo jam evulgato Ecclesiæ S. Christianæ Bolsenæ) instituit. Patent hæc ex actis *Rollandi*, tom. 1, ad mensem Aprilis, pag. 459, 462, 465 et 477, et re cognita, ac examinata in Sacr. Congreg. Rit. sub die 10 Junii 1700, concessum fuit indultum Capitulo Collegiatæ d. Ecclesiæ S. Martini, ut posset in quolibet feria quinta non impedita officio novem lectionum, et jejuniorum, recitare officium Sacramenti. (66. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tanta præstat excellentia, et dignitate, ut illud associans gaudeat Immunitate Ecclesiæ; Sacra Congregat. Immunitat. in Beneventana, 30 Septembris 1636, lib. 3, *Decret. Paul.* fol. 14.

(67. Hic adde, quod Orario 40 horarum

Digitized by Google

cum Expositione SS. Sacramenti ad imitationem quadraginta dierum, quibus Dominus Noster Jesus Christus in deserto jejunavit, et oravit, cœpit practicari Romæ in Archiconfraternitate Orationis, et Mortis, et ibi prius instituta fuit, et confirmata a Pio IV, Const. incip. *Divina disponente*. A Clemente autem VIII, Const. incip. *Graves, et diuturnæ* fuit injunctum, anno 1592, ut illa per gyrum practicaretur in omnibus Urbis Ecclesiis, ut hodie practicatur: et Indulgentiam plenariam peccatorum concessit in Ecclesia, ubi reperitur, unam saltem horam in Oratione perseverantibus. Quam tamen Paulus V, mediante Brevi concesso die 10 Maii 1606, lucrari postea mandavit in illa orantes *per quel tempo, che gli riuscirà comodo*. Ursaya, *in Miscellano sacro, et profano*, part. 1, lit. *O*, num. 65. Exinde die 20 Januarii 1705, de mandato Clementis XI, et die 1 Septembris 1730, de mandato Clementis XII, editæ sunt supra allatæ instructiones observandæ in illa Ecclesia, in qua fit talis Oratio 40 horarum cum expositione SS. Sacramenti, quæ instructiones sunt ad literam allatæ paulo ante a n. 64 ad 65. Alia vide verb. *Infirmus*, verb. *Moribundus*, verb. *Viaticum*.

(68. Adde ad uberiorem eruditionem quod tradit eruditissimus Ughellus in *Italia Sacra*, tom. 4, pag. 27, lit. *D*; ibi: « Orationem certe quadraginta horarum Mediolani primum institutam constat auctore ejus Bono Cremonensi. Hic enim an. salutis 1534. Francisco II, Mediolani Duci persuasit, ut Sanctissimum Christi Corpus populo adorandum in templis exponeretur per quadraginta horas, quot scilicet in sepulcro jacuisset, atque ita per orbem in præcipuis Urbis hujus templis idem fieret, ut Oratio in amplissima Urbe nunquam deficeret, quod quidem tanto studio facere aggressi sunt Mediolanenses, ut nisi nimii luminum, et apparatuum sumptus lege coerciti fuissent, cereæ et olei inopia laborandum perpetuo fuisset. » Ita in religiosissima Urbe perpetua oratio ab eo tempore instituta in Romanam Urbem deinceps Clementis VIII, decreto traducta est. Ejusdem Boni Cremonensis institutum fuit, ut singulis sextis feriis ad horam nonam signum Campanæ daretur, quo fideles admoneantur, ea ipsa hora Mundi Salvatorem Christum Dominum oratione ad Patrem pro nobis fusa spiritum emisisse. Quod et in quibusdam Diœcesi Oppidis servatur, et per universum Christianum Orbem fieri deberet. Hactenus ille. Fuisse autem institutam Orationem 40 hor. a Patre Josepho Mediolanensi Cappuccino in memoriam 40 horarum, quibus Redemptor Noster jacuit in Sepulcro, refert Thyers, l. 4, c. 17, relatus a Card. de Lambertinis, vol. 2, notificatione 10, qui tamen ibi citat pro dicta institutione Constitutiones Pii IV et Clementis VIII, jam a nobis allegatas sub n. 67. Et idem Card. Lambertin. vol. 1, notificat. 14, colligit ex annalibus introductam fuisse sæculo sextodecimo devotionem 40 horarum tribus ultimis bacchanalium diebus antediem Cinerum, pro avertendis fidelibus ab operibus carnis, et convertendis ad opera Spiritus, et pro placanda Divina indignatione irritata a peccatis committi solitis illis diebus.

(69. Eucharistia in azymo, aut fermentato respective a Latinis, et Græcis Presbyteris est ministranda; Benedict. XIV, tom. 1, Constitut. 57, incip. *Et si Pastoralis* § 6. Species Sacramenti Eucharistiæ iterum coqui prohibetur. Idem *ibid.* § 6. Eucharistiæ species corruptioni non sunt exponendæ. Idem *ibid.* § 4, et 5. Eucharistia non est retinenda domi, nec deferenda in itineribus. Idem. *ibid.* § 6. Eucharistia infantibus statim post Baptismum, et pueris in Missa ministrari a Græcis Presbyteris prohibetur. Idem *ibid.* § 2.

Eucharistia ad infirmos, ubi vis Turcarum prævalet, et iniquitas, est deferenda a Sacerdote Stolam semper habente propriis coopertam vestibus, in sacculo, seu bursa Pyxide recondita, per funiculos collo appensa, ac in sinu reposita, ab uno saltem Fideli in defectu Clerici associato. In aliis vero locis, ubi non tanta adsunt infidelium, seu hæreticorum pericula, præcipitur, quod Sacerdos indutus superpelliceo, Stolaque utrique humero circumsepta, et præcedente uno saltem lumine, Hymnos, et Psalmos submissa voce recitans, in Sacra Pyxide, vel in Calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens, devote deferat. Item tom. 1, Constitut. 89, incip. *Demandatam* § 23.

Eucharistiæ expositio non exigitur pro lucrandis Indulgentiis visitantibus Ecclesiam concessis. Item tom. 2, Constitut. 5, incip. *Accepimus in Civitate*. Requiritur vero, quando id injungitur in concessione Indulgentiæ, ut in Oratione 40 horarum; sed fieri non debet absque Episcopi licentia. Idem *ibid.*

Eucharistiæ Sacramentum non potest in Ecclesiis non Parochialibus retineri sine Apostolica Auctoritate. Idem Constitut. incip. *Quamvis*, § 24.

(70. Eucharistia nonnisi a naturaliter jejunis licite sumi potest. Bened. XIV. Constitut. incip. *Quadam*, § 3. Ex Pontificia tamen dispensatione, urgentibus, et gravibus de causis, quandoque nonnullis concessum est, ut Eucharistiam etiam non jejuni sumere possent. Idem *ibid.* § 9, ubi refert Breve a Pio IV, ad preces Sebastiani Lusitaniæ Regis relaxatum, in quo Sacerdotibus per Indias enunciati Regis Dominio subjectas commorantibus, qui vel ob contractam ægritudinem, vel Cœli inclementiam, post mediam noctem, aliquem sument cibum, sit facultas successivo die Sacrum peragendi. Item refert quod Innocentius XIII per suas Apostolicas Literas in forma Brevis Romanorum Reginæ Elisabethæ Christinæ concessit facultatem sumendi Eucharistiam, etiam post aliquem degustatum cibum, quo die in Bohemiæ Reginam ungi solemniter, coronarique deberet, ita exposcente imbecilli ejusdem valetudine, quæ tam diuturnam functionem, nullo recreata cibo, perferre non potuisset. Simileque Indultum ab eodem Pontifice con-

Digitized by Google

cessum reperitur Regi Christianissimo Ludovico XV, sumendi Eucharistiam non jejuno, die suæ solemnis Consecrationis, et Coronationis.

Dictus autem Pontifex *ibid.* § 11, sic inde prosequitur. Unicum itaque exemplum privatæ communionis ex devoto Religionis affectu sumptæ in vim obtentæ a Summo Pontifice facultatis eamdem sumendi, adhuc etiam post refectionis aliquid degustatum, ita exposcentibus imbecillitate, indigentiaque corporeæ habitudinis in Carolo V. Imperatore suppetit. Is recursum habuit ad Julium III. Pontificem, qui eidem indulsit, ut post etiam aliquod sumptum exiguum jentaculum, posset Sacram participare Communionem. Deinde *ibid.* § 13. Quod Julius III, præstitit erga Carolum V Imperatorem, idem indulsit Clemens. XI, anno 1716. Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi. Vide dict. Constitutionem, *Quadam*, per tot. ubi multa erudite ad rem.

(71. Eucharistia non est in medias flammas projicienda ad incendium compescendum, Bened. XIV. Constitut. incip. *Cum, ut recte* § 11, in cujus titulo, seu summario sic expresse habetur : « Ad incendium compescendum ad Ecclesiam S. Nicolai in Carcere exortum, minus rite allatam fuisse ex Ecclesia Sacram Pyxidem Sanctissimum Sacramentum intercludentem, eaque super populum, et ad furentes flammas benedictum, rationibus, pluribusque allatis Ecclesiasticis sanctionibus, demonstratur; at ne tale quid exinde fiat, opportune sancitur. » Nec Eucharistia ad experimentum quodcumque innocentiæ, vel culpæ, est adhibenda. Idem *ibid.* § 11.

(72. Eucharistia iis tantummodo Ritibus est colenda, quos non privata devotio, sed Ecclesiastica auctoritas probaverit. Idem *ibid.* § 12 et 13. (73. Eucharistiam Feria quinta in Cœna Domini consecratam Græci asservare consueverunt in annum integrum pro infirmis. Idem Constitut. incip. *Allatæ sunt* § 29. Ritus vero hujusmodi iteratis vicibus fuit proscriptus. Idem *ibid.*

(74. Obsessorum Exorcizatio fieri non debet, admota ad eorum corpus Sanctissima Eucharistia. Idem Constitut. incip. *Cum, ut recte* § 15.

(75. Juvat adhuc e variis aliis operibus Benedicti XIV, ad rem sequentia depromere.

De frequentia SS. Communionis, quibus concedenda sit quotidiana, quibus aliquanto rarius nihil innovandum supra Decretum Innocentii XI, die 12 Februar. 1679. Omnia scilicet referenda esse docti et prudentis Confessarii judicio. Inferri tamen ex eodem Decreto licet, frequentem accessum denegandum esse iis, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de emendatione sunt solliciti, sicut nec tam sæpe iis, quorum cum voluntas sit a gravibus aversa, venialibus tamen tenacius inhærent. *De Synodo Diœc.*, l. 7, c. 12, § 9.

(76. Eucharistiam una tantum die Paschatis Resurrectionis distribuere vetitum est Regularibus in suis Ecclesiis; cæteris vero Paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem, *Ibid.* lib. 3, c. 42, § 3.

(77. Paschale tempus, intra cujus spatium satisfieri potest præcepto, ab Eugenio IV. Constit. incip. *Fida digna*, definitum est, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, nec licet Episcopo, etiam in Synodo, tempus illud latius prorogare. *Ibid.*, lib. 7, cap. 69, § 9.

(78. Paschali præcepto de Eucharistia sumenda in Parochiali Ecclesia non satisfit recipiendo illam in Ecclesia Metropolitana, ut ex decretis S. Congregationis firmat de Lugo. *Resp. Moral.*, lib. 1, dub. 15. Ita *Instit. Eccles.* 18, § 12.

(79. Qui præcepto Paschali de Eucharistia sumenda non satisfecit tempore apto, etiam post illud tenetur, et cogi potest pœnis ad Eucharistiam sumendam. *Instit. Eccles.* 45, § 15.

(80. Famuli et famulæ sæculares inservientes Monasteriis Regularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis Monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem Paschalem in Ecclesia Parochiali, intra cujus fines situm est Monasteriorum, recipere, ut ex decreto Sac. Congr. sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt intra septa, ac domos Monasteriorum, quod requiritur a Tridentino ut famuli eximantur a Parœcia. *Instit. Eccl.* 55, § 7 et 8.

(81. Sacerdotes Missam celebrantes non tenentur præcepto Paschali satisfacere in sua Parœcia; si tamen raro intra annum celebrent, nec volunt seu possunt celebrare Missam in Paschate, tenentur tunc communicari in Parœcia. *Ibid.*

(82. Peccatori occulto publicæ Eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturæ ad famam id expostulet. *De Syn. Diœces.*, lib. 7, c. 12, § 4, nov. edit.

(83. Occulte vero petenti, et noto Sacerdoti aliunde quam ex Confessione, tuto negatur. Si vero pariter aliunde et simul etiam ex Confessione sciat, exprimere debet Sacerdos se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit. Si vero noverit rem tantum ex Confessione, perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum Confessionis sigillum. *Instit. Eccles.* 89, § 3.

(84. Publicus peccator publice petens repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus est a Judice, sed etiam qui per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habetur. *Ibid.*, § 8, et *de Sacrif. Missæ*, lib. 3, c. 20, § 4.

(85. Eucharistiæ sumptionem præcedere debet jejunium naturale a media nocte præcedente cœptum. Nec refert si post cibum sumptum ante mediam noctem nullus somnus captus sit, nec cibus concoctus ante Communionem. Porro jejunium istud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio sumpta post celebratam Missam admittenda ab eo est, cui eo die alias Missas

Digitized by Google

celebrare permittitur, uti die Nativitatis Domini, quo in casu nec licet celebrare, et ad dandum ægroto Viaticum, nam præceptum Viatici obligat quando conferri potest juxta ritum Ecclesiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes, si deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, ut ex Rubrica Missalis constat. Vicissim si quis antequam somno se dederit, parum sacchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in stomachum delabatur, id utique jejunium istud frangit. Tandem si quis ore gustaret vinum, vel condimentum ad saporem explorandum, et statim expueret, hæc non esset fractio jejunii. *De Sac. Miss.*, lib. 3, toto c. 12.

(86. In dubio num quis fregerit jejunium, disputant Theologi, apud quos varii casus distinguuntur; præstaret tamen abstinere a percipienda Communione. *Ibid.*, § 7.

(87. Sacerdos extra Missam Eucharistiam suscepturus stolam e collo suspensam habere debet, uti præcipit Rituale Romanum. Potest vero seipsum manibus suis communicare, si absit scandalum, et suppetat causa, quæ perceptionem Sacramenti exigat, nec alius sacerdos præsto sit. Causa vero est solemnis aliqua Festivitas. *De Sacr. Miss.*, lib. 3, c. 17, § 19.

(88. In Missis Defunctorum Eucharistiam fidelibus administrare non est vetitum, cum Decretum Sac. Congregationis Rit. id prohibens modo non amplius exhibeatur illud poscentibus, et docti Rituum Scriptores admittant, administrari tuto posse, in quacumque demum Missa, nullo facto discrimine inter formas in eadem Missa consecratas, et reliquas, quæ in Tabernaculo asservantur. *Ibid.*, c. 18, § 12.

(89. Nocte Natalis Domini ex Decretis S. Rituum Congregationis vetitum est ministrari in Missa Sacram Communionem fidelibus adstantibus; quin nec Sacerdos eadem nocte alias duas Missas celebrare permittitur. *Ibid.*, § 13.

(90. Feria VI, in Parasceve, et Sabbato Sancto nullus nisi ad Viaticum est communicandus, ut ex consuetudine omnium Ecclesiarum certum est. *Ibid.*, § 14.

(91. Sacerdos in peccato mortali ministrans Eucharistiam, graviter offendit in reverentiam tanti Sacramenti. Ex quo fit, ut qui recipit ab illo Sacramentum scienter, peccato ejus communicet, quæ est animadversio S. Thomæ. *Ibid.*, c. 19, § 2. Ex quo infertur, peccare illum graviter, qui Sacramentum suscipit a Sacerdote schismatico, vel excommunicato, ex eo quod ejus peccato communicat. *Ibid.*, § 3.

(92. An unico peccato peccet Sacerdos, qui lethali peccato infectus pluribus Sacramentum Eucharistiæ administrat, dissident inter se DD. alii enim unicum agnoscunt, quando per continuationem actionibus pluribus ministrat, alii totidem peccata multiplicant, quot sunt fideles. *Ibid.*, § 5.

(93. Non licet uni ex fidelibus plures particulas, vel majoris moduli hostiam præbere, quod vetat Sac. Congregat. Concil. in Decreto approbato ab Innocentio XI, 12 Februar. 1679, *ibid.*

(94. Peccatori parato recipere in peccato Sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam, pro consecrata ob periculum idololatriæ, tum respectu suscipientis, tum adstantium. *Ibidem*, c. 20, § 4.

(95. Purgatio, quæ olim fiebat per Eucharistiam, qua Sacerdos fideli communicaturo denunciabat Corpus Christi futurum illi ad probationem, licet forte non contineat tentationem Dei, ut non male ratiocinatur Vasquez, hodie tamen cum abrogata fuerit per text. in c. *Ex tuarum*, in usum revocari non potest. *Ibid.*, lib. 3, c. 20, § 3.

(96. Consuetudo Eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur, neque refellitur, sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est; aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem, et mortem, quo species Eucharisticæ consumantur. *Ibid.*, § 6.

(97. Si alicujus Sacerdotis negligentia aliquid Eucharistiæ in terram deciderit, rubricæ Missalis servandæ sunt: quamquam fatendum est, canonicas pœnas obsolevisse. Si vero fragmentum aliquod in feminæ pectus deciderit, præstat, ut femina suis ipsa manibus levatum in os injiciat *Ibid.*, § 7.

(98. Parochus Eucharistiam deferens, vel cadaver associans, si impeditus sit transire per viam publicam, jus habet transeundi per agrum alienum, nec impediri potest a domino: id enim jure communi concessum est cuilibet de populo. *Instit. Eccles.* 89, § 2.

(99. Si quis Sacerdos ægrotus viaticum suscipere vellet manibus suis, atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, damnari non meretur. *De Synodo Diœces.*, lib. 13, c. 13, c. 19, § 25, nov. edit.

(100. Si quis Episcopus vetet, ne in Missa in hoc, vel illo Altari celebranda Eucharistia adstantibus ministretur, parendum illi esse, nec turbæ ciendæ Encyclica 12 Novemb. 1742, et *de Sacrif. Missæ*, lib. 2, c. 22, § 17

(101. Si quis subripiat hostiam, vel particulas e tabernaculo, vel a sacra pyxide, vel ex Ostensorio, et extractam asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto Hostiæ consecratæ, quare reo competet demonstrare non esse consecratas. Ita in Bulla. *Ab Augustissimo*, Bull. tom. 1, n. 43.

(102. Eo ipso autem quod quis id sacrilegii egerit, præsumitur uti voluisse ad malum finem; quæ pariter præsumptio valet contra eum, qui in actu communionis, vel post illum, a suo vel alieno ore extractam particulam asportaverit.

(103. Rei hujus sacrilegii etiam pro prima vice tradendi sunt brachio sæculari, præcedente in Ecclesiasticis degradatione reali. *Ibid.*

(104. Quoad Eucharistiam pueris administrandam recte admonet Pontifex non eamdem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis, qui recte valent. In morituris judicio Parochi permittendum est, qui diligenti examine investiget num tanta polleant perspicacia, ut Christum

Digitized by Google

sub speciebus Sacramentalibus firmiter credant et adorent. *Ibid.* cap. 12. § 3.

(105. Recte valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione, et reverentia ad Sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter et decimum quartum ætatis. *Ibid.* § 2.

(106. Extreme ægrotantibus, eodem periculo mortis diutius perseverante, potest et debet semel, iterum, tertio Viaticum conferri, petente maxime ægroto : sed quoties, et quantum temporis intercedere necesse sit inter unam et alteram communionem, nihil definiendum Pontifex censet. *Ibid.* lib. 7. cap. 13. § 4.

(107. Eucharistiam in Oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant, tamen consonans praxis, quæ Romæ obtinet, vetat in Diœcesi Bononiensi. *Instit. Eccles.* 34. § 12.

(108. Sacerdotes omnes cujuscumque sint Collegiatæ, tenentur Feria V. in Cœna Domini Sacramentum SS. Eucharistiæ recipere e manibus Celebrantis, ut edicunt Decreta plura Sacræ Congr. apud Bissum verb. *Communio*, num. 383. *Institut. Eccl.* 38. § 10.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Primis Ecclesiæ sæculis Christiani omnes Eucharistiam quotidie suscipiebant, minimeque Sacrificio Missæ assistebant absque Eucharistiæ susceptione. (109. Testaturque D. Hieronymus *Epist.* 5. *ad Pammach.* quod ita Romæ suo tempore servabatur. (110. Frigescente sæculo quinto hoc fervore, Concilium Agathense, anno 505, declaravit Can. 18. in Can. 19. distinct. 2. *de Consecrat.* quod qui in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, et Pentecostes Eucharistiam haud susceperint, ii pro Catholicis non haberentur.

(111. Concilium Turonense III. Can. 50. jussit, ut Laici ter in anno Eucharistiam susciperent. Falso autem Gratianus in Can. 16. dist. 2. jussionem hanc tribuit Papæ Fabiano addens *in Paschate videlicet, et Pentecoste et Natali Domini*, nam certum est, initio sæculi tertii, quo Pontifex hic vixit, Christianos quotidie Eucharistiam suscepisse.

(112. Tandem eo res redacta erat, ut Christiani omnino negligerent Eucharistiam suscipere. Quo factum est, ut Concilium Lateranense, anno 1216, celebri Canone, *Omnis utriusque Sexus* 12. *de Pœnitent et Remiss.* sanxerit, ut Christiani post annos *discretionis* saltem semel in anno Eucharistiam suscipiant a Dominica Palmarum ad octavam usque Paschatis in propria Parochia.

(113. De annis *discretionis* certa Regula statui nequit, sed judicio Confessoris et Patris remittendum, an Pueri discretionem habeant ad tantum Sacramentum suscipiendum; Romaguer *ad Constit. Synodal. Gerund.* lib. 5. tit. 9. cap. 7. num. 3. ubi quod in aliquibus Diœcesibus anni duodecim dijudicantur *discretionis* ad hunc effectum ex Constitutionibus Synodalibus. (114. Suscipique debet Eucharistia in propria Parochia. Ad hunc autem effectum quænam dicatur propria Parochia, tradit Romaguer *ad Constit. Synodal. Gerund.* lib. 3. tit. 10. cap. 3. num. 27. et seq. (115. Prohibitumque est Regularibus in die Paschatis Eucharistiam etiam ministrare Laicis. At nota, quod excepto die Paschatis, aliis diebus qui intercedunt a Dominica Palmarum ad octavam Paschatis possunt Regulares ministrare Eucharistiam Laicis, modo tamen hi in propria Parochia præceptum impleant : S. Mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœces.* lib. 9. cap. 16. num. 3.

(116. De licentia tamen Parochi, in Ecclesiis etiam Regularium, suscipi valet Eucharistia. At nequeunt Parochi dare licentiam *generalem*, ut quilibet Parochianus Eucharistiam suscipere in Ecclesiis Regularium queat. Debet hæc licentia esse specialis ut decisum referunt Nicol. *Lucubrat. Canon.* lib. 3. tit. 38. n. 2. Romaguer. *ad Constit. Synod. Gerund.* lib. 3. tit. 10. cap. 3. num. 19.

(117. An possit de licentia Episcopi, vel Vicarii Generalis suscipi Eucharistia in Ecclesia Regularium magna quæstio est. Vide dissidentes inter se Doctores apud Romaguer. *ad Constit. Synodal. Gerund.* lib. 3. tit. 10. cap. 3. num. 8. et sequent. qui tamen affirmativam tenet sententiam.

(118. De Eucharistia an possit ministrari ultimo supplicio damnatis consule *San. Mem. Benedictum XIV. de Sacrific. Miss.* sect. 2. § 175. et rursus *de Synod. Diœcesan.* lib. 5. cap. 11. num. 3.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

Mirum esse non debet, ex communi Theologorum doctrina posse pueris novem, aut decem annorum Eucharistiam tribui, infantibus enim, duodecim omnino sæculorum tractu concessam esse in baptismate cum apud Græcos, tum apud Latinos Eucharistiam sub vini specie, innumera docent veterum testimonia, quæ quod ad Græcos attinet, indicat Allatius in annotationibus *de communione orientalium* additis ad Tractatum *de consensione utriusque Ecclesiæ;* quod ad Latinos spectat, Theologi nostri attulerunt, atque in his Tournelius *de Euch.* quæst. 6. art. 2. et P. Joannes Haidem in dissertatione *T. x. Thes. Zachariani Theolog.* p. 217. iterum edita *de instituto Ecclesiæ infantibus mox cum Baptismo conferendi Sacramenta Confirmationis, et Eucharistiæ.* Immo grandiusculis pueris, superfluas Eucharistiæ partes (sepositis tamen aliquot in gratiam infirmorum) de Constantinopolitana Ecclesia docent Evagrius l. 4. Hist. c. 36. et Nicephorus lib. 17. cap. 25. De Gallicana vero Ecclesia testes habemus Patres Concilii Matisconensis II. qui anno 585. can. 6. statuerunt, ut quarta, vel sexta feria innocentibus distribueretur quidquid post peractam missam in sacrario superfuisset.

Originem consuetudinis, qua christianis domum Eucharistiam deferre licuit, privatim sumendam, etiam S. Basilius ep. 289. ad Cæsa-

Digitized by Google

ream Patriciam ex persecutionibus repetit. Diu tamen, multisque a pace Ecclesiæ data sæculis viguit. Equidem Baronius ad an. *Christi* 57. num. 152. censuit, eam consuetudinem usque ad Hormisdæ tempora perdurasse, sed consequentibus quoque sæculis ad 12. non plane abrogatam fuisse plura ostendunt exempla, quæ Thiersius *de l'exposition du S. Sacrement* lib. 1. cap. 1. et laudatus Tournelius recitant l. c. quæst. 4. art. 2. Quin etiam moris fuit, ut Episcopi a Romano Pontifice ordinati partem quidem Hostiæ sibi tunc ab eodem exhibitæ sumerent, aliam servarent paulatim quadraginta a sacra inauguratione diebus absumendam; Immo teste Fulberto Cartonensi in epistola ad Picardum decimo, quo ille vivebat, sæculo suæ Provinciæ Episcopi consuetudinem eo tempore vigentem approbarunt, ut Episcopus Presbytero recens ordinato Eucharistiam sub una panis specie item per 11 dies, in memoriam totidem quibus Christus cum Apostolis conversatus est, dierum sumendam porrigeret.

Varia reservandæ Eucharistiæ disciplina fuit; alibi enim in ciborio Turriculæ quatuor sustentatæ columnis formam exhibente; alibi in columba supra Altare suspensa, eaque argentea, aut etiam aurea; alibi in pyxide recondebatur. Confer Thiersium l. c. cap. 3, et 4. Ros Weidum in notis ad S. Paulini epistolam 12. Harduinum *Embol. II. de Sacram. Alt.* Martenium lib. 1. *de ant Eccl. Ritib.* et Selvagium *Antiquit. Christian.* lib. 3. cap. 10. § 1. num. 3. seqq. Non omittam exemplum, quod nobis suppeditat Episcopi Turonensis Perpetui ann. 474. defuncti Testamentum a Dacherio editum; ibi enim Perpetuus dicitur Amalario Presbytero dedisse *capsulam unam communem de serico, item peristerium, et Columbam argenteam ad repositorium*, ut in ea scilicet Eucharistia reponeretur.

Quæ sapientissime constituta hic sunt, Prosper Cardinalis Lambertinus tunc Bononiensis Archiepiscopus Bononiæ, postea Bened. XIV, quoque, atque in sua Diœcesi servari jussit. *Instit.* 30.

Maceratæ 1556. Vide Orlandinum in historia S. J. lib. 16, p. 540. Thiersius tamen T. N. laudati operis, lib. 4, cap. 18, in Galliis primum laudabilem hanc institutionem cœpisse contendit, curante Benedicto S. Eustachii apud Parisienses Parocho, et Henrici Magni, ac Mariæ Stuardæ Scotorum Reginæ Confessario. Quæ quidem disquisitio nullius momenti; sed illud curandum maxime, ut saluberrima hæc Institutio ab omnibus singulari quodam pietatis sensu celebretur.

APPENDIX,

SIVE NOVUS DE EUCHARISTIA ARTICULUS.

(1. Itaque Sacramentum hujusmodi, Eucharistia, id est gratiarum actio nuncupatur, cum gratiis Deo agendis inserviat; quia munus illud excellentissimum in se continet, cujus unice oblatione dignas Deo pro acceptis beneficiis gratias referre possumus, ut adnotaverat Chrysost. homil. 25, in cap. 8 Matthæi; et instituta a Christo fuit gratias agente Patri, ut Evangelia commemorant (1). A tempore quo fuit institutum, *Cœna, Sacra Cœna* a Patribus et Theologis quamplurimis appellari consuevit. Hoc autem unice nomine delectantur Hæretici, quod ad levandam sacrificii Eucharistici vim, et tollendam jejunii omnibus ad Eucharistiam accedentibus indicti necessitatem, reliquis opportunius visum sit. At alia nomina, quæ passim apud antiquos Patres occurrunt, ætatis nostræ hæreticorum vanitatem et insaniam aptissime ostendunt. Ab eo quod hujusmodi Sacramentum in se continet, vocatur passim in Scripturis et apud Sanctos Patres *Corpus, Caro, Sanguis Christi:* In Liturgiis Græcis, in Concilio Laodiceno, et apud Maximum Martyrem dicitur *Sancta;* a Chrysostomo vero, et Hesichio, atque in Concilio Rhemensi *Sancta Sanctorum;* a Cypriano, lib. *de Lapsis, Sanctum Domini;* a Basilio in Epistola ad Amphilochium *Ipsum bonum;* in Concilio denique Ancyrano, quod Eucharistia continet *Ipsum perfectum;* appellatur, scilicet τὸ τελειόν. A materia ex qua Eucharistia conficitur aliquando dicitur *Panis*, ut apud Joannem 6 et apud Auctorem Serm. de Cœna Domini; aliquando *Panis supersubstantialis* ab Ambrosio, Cyrillo, Chrysostomo, et aliis; interdum *Panis vitæ*, ut a Joanne cap. citato, et a Chrysost. homil. 27. in primam. Corinth. In Græcorum Liturgiis dicitur *Panis Sanctus*, et in hymnis Ecclesiasticis *Panis Angelorum.* A forma consecrationis *Eulogia* sive *benedictio*, appellata Eucharistia a plerisque Patribus fuit, quod superna benedictione Panis et Vinum in Corpus et sanguinem Christi transmutentur. Sæpe tamen Eulogiæ a Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis ab Eucharistia distinguuntur, ac de benedicti Panis particulis accipiuntur, quæ in nonnullis præsertim orientalibus Ecclesiis distribui adhuc solent. A proprietatibus dicitur quoque apud *Lucam* 22. Novum Testamentum, quia est veluti pignus et instrumentum novi a Deo cum hominibus initi fœderis. Ab effectibus Eucharistia appellata fuit *Vita*, teste Augustino lib. *de Peccat. meritis* cap. 34. *Viaticum*, quia nobis ad Patriam peregrinantibus maximo subsidio est in via: Ita Gaudentius Brixianus, Paschasius, S. Thomas, et alii. Speciatim vero ita appellatur, cum datur jam morituris. Dicitur etiam *communio* et *communicatio* 1. ad Corinth. c. 10. a Chrysost. Dionysio, Damasceno, et aliis, quia Christianos secum invicem, ac Deo conjungit. A loco in quo sumitur *Mensa Dominica*, *Cœlestis*, et *Mystica* a plerisque Patribus nuncupatur. A Cœtu in quo conficiebatur *Synaxis*, seu *Collectio*, dicta a Dionysio aliisque fuit. Sæpe

(1) *Eucharistiæ* nomen antiquissimam præfert ætatem; occurrit enim apud S. Justinum *Apol. II.* Tertullianum *de corona cap.* 3. S. Cyprianum *de lapsis*, et Nicænum Concilium *can.* 13 *et* 18. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

vero Synaxis ab antiquis ab Eucharistia distinguebatur. A charitate Christi ex qua hujusmodi Sacramentum emanavit appellatur *gratia* a Cypriano, Cyrillo, Optato, et Augustino; *Donum* vel *Sancta Dona* ab Auctore Constitutionum Apost. lib. 9. c. 13, a Patribus Concilii Nicæni c. 5. ab Epiphanio, et in plerisque Liturgiis Græcis. A dignitate qua cæteris Sacramentis supereminet *Sacramentum Sacramentorum* appellatum fuit apud Dionysium de Eccles. Hierar. cap. 3. et apud Bern. in serm. *de Cœna Domini*. A symbolis vero, quibus Christi corpus tegitur, aliquando *Mysterium*, vel plurali numero *Mysteria*, aliquando *Mysteria tremenda;* quandoque *Mysterium fidei*, *Mysterium corporis Domini*, et *Mysterium pacis et unitatis;* interdum vero *Sacramentum*, seu *Sacramenta*, *Sacramentum Dominicum*, *Sacramentum corporis Christi*, *Sacramentum Altaris*, aut *Sacramentum pretii nostri* nuncupatur. Atque hæc præcipue nomina sunt, quibus Eucharistia ab antiquis Ecclesiæ Patribus appellata fuit, (1) ex quibus facile intelligere est, censuisse Patres semper et ubique locorum, Eucharistiam maximum Sacramentum esse, quo verum Corpus, verusque Christi Sanguis continetur, atque hominibus communicatur.

(2. Eucharistiam non solum Orthodoxi, sed omnes fere hæretici pro Sacramento habuere. Si enim Gnosticos excipias, et Manichæos eorum asseclas, atque Messalianos et Archonticos, et alios his affines, qui omnia e medio penitus sustulere Sacramenta, omnes ferme Eucharistiam Sacramentum esse asseruerunt, licet antiqui Pelagiani, ac ætatis nostræ Sociniani vim gratiæ divinæ producendæ eidem concessam esse negaverint. At in assignanda et explicanda hujus Sacramenti essentia atque natura, plures errarunt. Catholica Ecclesia docet, per verba Consecrationis a Sacerdote Christi nomine prolata, Panem in Christi Corpus, et Vinum in Christi Sanguinem transmutari, ita ut Consecratione peracta non amplius maneat in Eucharistia substantia Panis et Vini, sed sola substantia Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus Panis et Vini; atque communior et magis recepta apud Theologos nostros opinio est, Eucharistiæ Sacramentum, quod per verba Consecrationis perficitur, atque ita confectum quidpiam permanens manet « esse totum illud aggregatum ex speciebus Panis et Vini simul, et Corpore ac Sanguine Christi constans, quod in Altari ponitur. » Ita vero accepta Eucharistia definiri solet: « Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi ab ipso institutum ad refectionem animæ spiritualem. »

(3. Inter Hæreticos, qui Catholicam de Eucharistia doctrinam respuunt, et præter Socinianos, quos jam nominavimus, et Arminianos eisdem hac in re affines, occurrunt Lutherani et Calviniani, quibus accedunt etiam Anglicani. Lutherani cum Christi Corpore et Sanguine in Eucharistia manere quoque contendunt substantiam panis et vini, atque Sacramentum hujusmodi in mera sumptione consistere, seu tunc tantum fieri præsens Corpus Christi cum substantia panis et vini, cum illud Sacramentum suscipitur. Calviniani vero Eucharistiam meram figuram esse aiunt Corporis Christi pro nobis in Crucem acti, ac Sanguinis pro nobis effusi, quamobrem obstinate negant non solum transsubstantiationem cum Lutheranis, sed etiam quamcumque realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi. Ex Calvinianis plures ex professo scripsere adversus Catholicam de Eucharistia doctrinam, scilicet Albertinus, Matthæus la Roque, Basnagius, et alii, qui improbo labore conati sunt in suas partes trahere non solum Nestorianos, Monophysitas, Iconomachos, atque alias antiquas hæreticorum Sectas, sed omnes fere antiquos Ecclesiæ Patres, et veriti non sunt affirmare, orthodoxum de transsubstantiatione dogma, decimo Ecclesiæ sæculo antiquius non esse. Nec defuere impudentissimi viri, qui affirmare non erubuerunt, Græcos, Armenos, Coptos, Syros, aliosque Orientales transsubstantiationem negare, ac de reali Christi Corporis in Eucharistia præsentia in eadem cum ipsis sententia versari: scilicet ita plebi ac rudi populo imponunt, cum probe norint, nullum ipsis in veris Ecclesiasticis monumentis superesse præsidium.

(4. Contra hujusmodi Novatores plures Orthodoxi Viri docte ac copiose scripserunt. Nos vero paucos indicamus, quorum quilibet omnia diluit sophismata, ac veritatem Orthodoxam in optima luce ponit; ita sane rem tractarunt Natalis Alexander dissertationibus quas adversus Albertinum, aliosque conscripsit, atque Historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruit: ita Carolus Vitasse t. 4. tract. *Theologicorum:* ita Benignus Bossuet in operibus contra Claudium conscriptis: ita Arnoldus quicumque sit Auctor operis inscripti *de fidei perpetuitate circa realem corporis Christi præsentiam*, etc., in Eucharistia: ita Renaudotius in vindiciis quas edidit de fidei perpetuitate, quæ duobus voluminibus comprehensæ sunt, quorum primum Anno 1711. alterum vero Anno 1716. Parisiis vulgatum: ita denique Petrus le Brun in Sacrarum Liturgiarum expositione: quibus, præter recentiores nostros Theologos, addere jure meritoque possumus doctissimos Patres Benedictinos Congregationis Sancti Mauri, Sanctorum Patrum opera doctissimis animadversionibus illustrata ediderunt in quibus singulorum de Eucharistia sententiam luculenter exponunt, et a pravis Novatorum interpretamentis vindicant: quod etiam præstitit doctissimus Pater Lequien Dominicanus in editione,

(1) De aliis vero nominibus, quibus Eucharistia designatur, aliqua dabit Selvaggius lib. 3, cap. 8, §. 1. cum primis vero consulatur Tournelius *de Euch.* qu. 1, art. 1. (Edit. Barbiel.)

Digitized by Google

quam procuravit operum Sancti Joann. Damasceni (1).

(5. Sed ut perspicue appareat, quam inutiles fuerint hæreticorum conatus, et quam desperata sit eorum causa paucis hic observare sufficiat, Christum Dominum in Evangelio se carnem suam in cibum, Sanguinem vero in potum daturum promisisse, ut legere est Joan. 6. atque in institutione Eucharistiæ, accepto in manibus pane, dixisse : ***Hoc est Corpus meum***, atque accepto deinde Calice, dixisse iterum : ***Hic est Sanguis meus***, etc. Dubitari non potest, quin divinæ vocis virtute Panis in Corpus, et Vinum in Sanguinem transmutari possit. Si enim divini verbi virtute res a nihilo ac Universus formatus fuit, quis dubitet, quin hac eadem virtute contingere hæc transsubstantiatio possit? Ita sane post Chrysost. (2) argumentatus est Damascenus. Nil ergo obstat quominus hæc Christi Domini verba, ***Hoc est Corpus meum***, ita intelligantur ut divina virtute substantia panis in Christi Corporis substantiam transmutata fuerit. Fac vero, Ecclesias omnes, omnesque Patres semper et ubique locorum docuisse, verba illa ex Christi ore profecta, ***Hoc est Corpus meum***, a Sacerdote Christi nomine prolata, hujusmodi transmutationem perficere, quis dubitabit, quin Christus instituendo Eucharistiam promissum illud adimplere voluerit, quo discipulis suis pollicitus erat, se daturum Carnem suam in cibum, et Sanguinem in potum, et quin Eucharistia verum Christi Corpus, verusque Christi Sanguis habeatur? At ita se res habet : Nam Ignatius Martyr vir Apostolis coævus in Epistola ad Smyrnæos hæreticos illos improbat, qui non confitebantur « Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostris Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est. » Justinus itidem Martyr in Apologia, quæ secunda dicitur pro Christianis edita, ait : « Per preces verbi a Christo profecti, scilicet per hæc quæ Christus pronunciavit verba : ***Hoc est Corpus meum***, ***alimoniam unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur***, ***incarnati illius verbi Jesu carnem et Sanguinem esse.*** » Simil a habet Irenæus lib. 4 *contra Hæreses* cap. 32. 34 et 57. Eadem, et iis quoque clariora occurrunt in Patribus sequentium sæculorum quorum auctoritates videri possunt apud supracitatos Scriptores (3).

Patribus accedunt antiquæ Liturgiæ, in quibus preces continentur, quas Ecclesia a primis temporibus in Eucharistia conficienda adhibuit, licet fortasse ante quartum sæculum literis consignatæ non fuerint (4). In omnibus hujusmodi Liturgiis preces occurrunt, quæ aperte designant, per invisibilem divini Spiritus operationem panem in Christi Corpus, et vinum in Sanguinem transmutari, ut vel ex iis paucis, quæ de Eucharistiæ forma paulo infra dicturi sumus apparebit. Accedit etiam omnes omnino Christianos, qui Liturgiis ab antiquis profectis utuntur, in Eucharistia transsubstantiationem, et veram realemque Christi Corporis, et Sanguinis præsentiam agnoscere, et venerari. De Ecclesia occidentali res omnino comperta est, cum nemo ignoret, primum ab Apostolica Sede, ac deinde a Tridentina Synodo damnatos fuisse Lutheri aliorumque Novatorum errores, qui cum Fide in eorum Liturgiis expressa pugnarent. Notum itidem est, quot quantasque turbas excitaverit Berengarius, dum undecimo Ecclesiæ sæculo, vel de reali Christi præsentia in Eucharistia dubitavit, ut nonnullis visum est, vel cum substantia panis istud manere voluit. Sat enim innuere est, tot fuisse adversus Berengarium coacta cum Romæ, tum etiam in Gallia Concilia, ut nullus unquam error tot in Conciliis intra paucos annos proscriptus fuerit : Nam ab anno 1050, in quo sub Leone Nono Romanum Concilium adversus Berengarium coactum fuit, ad annum 1080, in quo celebrata fuit Burdigalensis Synodus, quæ ad saniorem mentem Berengarium reduxit, decem Concilia occurrunt, in quibus Berengarii error damnatus fuit. Ex quo profecto appareret quam detestabilis, et quam contraria

(1) Auctoribus n. 4. pro Catholico dogmate percensitis, præter Cardinales Bellarminum, et Perronium, qui sane primi nominandi videbantur, adde Tournelium, et P. Scheffmacheri Epistolas Gallice Argentorati excussas, atque Italice quoque versas de præcipuis nos inter, et Protestantes controversiis. (Edit. Barbiell.)

(2) Pro Catholico Eucharisticæ *transsubstantiationis* dogmate jure n. 5. indicatur S. Joannes Chrysostomus. Nihilominus Lutherani Chrysostomo duce se illud oppugnare gloriantur ob ejus ad Cæsarium epistolam, ex Florentino S. Marci Codice erutam. Sed quam inanis sit hæc Luthericolarum gloriatio, doctissimi e Nostratibus Viri demonstrarunt, Marchio Maffejus in opusculis historiæ Theologicæ additis, cujus animadversiones excerpsit, ac Latine reddidit P. Constantinus Roncaglia, Harduinus *de Sacram. Altaris*, Montfauconius in monito ad hanc Epistolam, et Bollandianos Stiltinghus tom. 4. Septembris in Vita S. Joannis Chrysostomi. Roncagliæ, et Stiltinghi hac de re opuscula Franc. Ant. Zaccaria in Thesauri sui Theologici tom. X, intulit. 2. 839. et 893. (Edit. Barriell.)

(3) Inter Patres qui idem Transsubstantiationis dogma defendunt, peculiaris S. Ephræmi mentio facienda est. Nam Johannes Kohlius in Academia Petropolitana historiæ Ecclesiasticæ Professor binos S. Diaconi sermones de Sacra Cœna Altonaviæ in Moscovia hoc sæculo edidit, hisque adnotationes adjecit, in quibus Ephræmum contendit cum Lutheranis sensisse panem in Eucharistia cum Christi corpore componi docentibus. Sed bene est Cl. P. Petrus Benedicti in celebri Romana Ephræmianorum operum editione Kohlii adnotationibus Antirrheticon opposuit, quod etiam habes in citato Thesauri Theologici tomo part. 770. seqq. Illud ergo auctor sum, ut legas; videbis, impudentissimam calumniam fuisse Magno Ephræmo a Kohlio impactam. (Edit Barbiell.)

(4) Auctor articuli, quem nostris hisce additamentis illustramus, dubitare videtur, an Liturgiæ ante quartum sæculum literis consignatæ fuerint. Frustra tamen, licet Renaudotius, aliique pauci id negarint. Suo loco V. *Liturgia* singularem hanc opinionem refellemus. Interea vide P. Lesleum Præf. in Missale Mozarabum p. 58, et Zachariam *Bibl. Ritual.* tom. 1. p. 85, eaque tribus Tomis Divis *Venal.* apud Barbiellini. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

habita sit universæ Ecclesiæ Fidei Berengarii hæresis.

Hanc vero de Eucharistia fidem Romanam, et Occidentalem Ecclesiam ab Apostolis per Antiquos Patres accepisse, tum ex eo liquet, quod statim, ac semper errores proscripserit, qui eam labefactare aut maculare possent ; tum etiam ex eo, quod omnes Orientales Ecclesiæ tot a sæculis ab ejus communione separatæ in eadem cum ipsa fide consentiunt. Occurrunt enim in Oriente Photiani, sive Græci Schismatici, Armeni, Copti, et Syri Jacobitæ, qui vel ab ipsa Chalcedonensi Synodo, vel paulo post a Romanæ Ecclesiæ communione defecerunt, et Nestoriani, qui Nestorium sequuntur damnatum anno 431, in Ephesina Synodo. At ii omnes Orthodoxam de Eucharistia fidem profitentur, ut ex eorum Liturgiis, et Libris demonstratum est ab Auctore Perpetuitatis Fidei, a Renaudotio, ab Assemanno, et ab aliis Orientalium linguarum peritissimis viris, qui de earum fide, et religione scripserunt; et ut etiam constat ex eorum fidei confessionibus, quas illarum gentium Episcopi, et Patriarchæ ediderunt, postquam moniti fuere de nostrorum Novatorum erroribus circa Eucharistiam, deque calumniis a Lutheranis, et Calvinianis adversus eorum fidem evulgatis. Horum fidei confessiones recensentur omnes in supracitato opere de Fidei Perpetuitate ; Editæ vero a Græcis a Samuele Schelestratio græce et latine, Romæ vulgatæ fuerunt typis Congreg. de Prop. Fide duobus voluminibus in f. quorum titulus est *Acta Ecclesiæ orientalis adversus Lutheranos*. Hæc pauca satis visa sunt ad rem nostram ; nunc reliqua persequamur.

§ 1. *De Materia.*

(6. Materiam Eucharistiæ Orientales omnes fatentur esse panem triticeum (Artorytæ enim, sive caseum, vel lac cum pane adhibentes jam fuere ab universa Ecclesia damnati *Concil. Carth. III* et *Constantin.* an. 680.) ac vinum de vite ; dissident vero tum a Latinis, tum invicem circa panis qualitatem. Nam eorum plerique solo fermentato, nonnulli vero cum Latinis azymo pane utuntur. Primum dicemus de iis, qui azymum adhibent, tum de aliis.

(7. Azymo pane utuntur Æthyopes sive Abyssini feria quinta in Cœna Domini, ut Christum imitentur, qui in azymis Eucharistiam confecit. Ita rem narrat Ludolf. in commentar. histor. Æthyopicæ, et Monachus Ordinis Sancti Antonii in declaratione coram amplissimis Cardinalibus facta anno 1594. « Rogatus an Æthiopes celebrent in pane fermentato, vel in azymo, et quid sentiant de celebrante in azymo? Respondit, Æthiopes, in fermentato celebrant, et illi, qui in azymo celebrant, conficiunt etiam. Et nos in tota Æthyopia feria quinta in Cœna Domini singulis annis in hujus rei memoriam in azymis celebramus. »

Chaldæi, qui in Malabaria sunt, ex quo Latini in illas regiones penetrarunt, azymum adhibere solent. In Concilio Diamperiensi *anno* 1599. statutum fuit, ut in azymo tantum consecrarent ; ac etiam antea, teste Josepho Indo *Navigat. novi orbis* cap. 134. dum id consequi possent, azymo utebantur, hoc est, dum in Latinorum Ecclesiis celebrarent, ut scribit Assemon. t. 2. *Bibl. Orient.* part. 2. pag. 290. Ex Græcis Monachi Cryptæ Ferratæ, et Presbyteri Collegiatæ Sanctæ Mariæ *de Grafeo* nuncupatæ, ex pontificia dispensatione azymum panem adhibent.

Apud Armenos, et Maronitas azymorum usus vetustissimus est. Non desunt auctores, qui censeant, per plura sæcula, tum in Occidente, tum in Oriente, promiscuum fuisse azymi ac fermentati usum, ac Armenos, et Maronitas ex iis esse, quibus ab antiquo placuit azymum potius ad Christi imitationem, quam fermentatum adhibere. Sed, ut se res habeat, certum est, Armenos, et Maronitas, a mille, et amplius annis azymum adhibere. Galanus to. 1. *Concil. Eccles. Armen.* de Joanne Armenorum Patriarcha scribit : « Hic jussu Homaris Saracenorum Ducis, et auxilio Caliphe Babylonis Synodum congregavit in Urbe Monascherti in confinibus Halicaniæ Provinciæ, ubi convenientibus cum Armenis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, et una operatio, fueruntque a Sacris ablata mysteriis fermentum, et aqua. » Constat vero, Homarem Sarecenorum Ducem regnare cœpisse ann. 634. atque occupata Arabia, Damasco, Hierosolyma; ac tota Assyria obiisse ann. 644, quamobrem jure atque merito conjicimus, circa annum 640. antedictam Synodum fuisse coactam. Igitur plusquam quinquaginta annos ante Trullanum Concilium ann. 692. celebratum, decretum de usurpandis azymis ab Armenis editum fuit. Brunus vero opinatur, sex illos Assyrios Episcopos, qui Synodo supra nominatæ interfuere, usum consecrandi in azymo apud Maronitas statuisse. Quamquam in Trullana Synodo Canone XXXII. damnati fuerint Armeni, quod aquam cum vino in sacro calice non miscerent, tamen ob azymi usum non fuere reprehensi, vel quia Patribus illis exploratum erat, plures alias Ecclesias azymum tunc consuevisse usurpare, vel quod norint, facile respondere potuisse Armenos, id se statuisse, ut Christum, qui in azymo Eucharistiam instituit, imitarentur, ut ait Brunus *dissert. de Liturgia Armenorum*. Neque id mirum videri iis poterit, qui animadvertunt, Photium, qui multo leviora Latinis objecerat, nullam circa azyma movisse litem. Nam ex Rabano Mauro, qui ante Photianum Schisma, quod cœpit an. 866. e vivis excessit, scilicet an. 856. et ex Alcuino, qui eodem sæculo vixit, exploratum est, Latinam Ecclesiam Photii ætate azymo pane uti consuevisse. Photius vero id in Latinis non reprehendit, quod ea, qua pollebat antiquitatum Ecclesiasticorum eruditione, apprime agnoscerent, antiquam hanc Latinorum consuetudinem gravissimis fuisse ratio-

Digitized by Google

nibus obnixam, ac totius Ecclesiæ judicio, et Christi exemplo comprobatam (1).

(8. Sed post duo circiter sæcula Græci rerum Ecclesiasticarum imperiti, odio illo, quod in dies in eisdem erga Latinos crescebat, incitati, azymorum usum damnare cœperunt. Michael Cærularius, Patriarcha Constantinopolitanus omnium, primus Latinorum azyma damnavit, ineptamque esse Eucharistiæ materiam constituit : atque eodem fere tempore, quo illa adversus Armenos prodiere scripta, quæ refert Cotelerius in *notis ad Constit. Apostolic.* libr. 2. cap. 14. et lib. 5. cap. 13. quorum alterum, quod Sancto Niconi tribui solet, inscribitur, *De impia pessimorum Armenorum Religione;* alterum vero *Renunciatio Hæreticorum Armenorum, quomodo debeant anathematizari, cum ad fidem Orthodoxam redeunt,* in quibus operibus Armeni ob azymorum usum damnantur. Si conjecturis uti velimus, haud difficile nobis erit hujusmodi Græcorum erroris originem detexere, atque explicare. Cum canone 70. ex iis, qui Apostolorum nomine circumferuntur; canone 11. Trullanæ Synodi, aliisque Orientalis Ecclesiæ canonibus, Orthodoxi azyma a Judæis accipere, ac Judæorum azyma comedere prohibeantur, ab hujusmodi prohibitione Græci rerum Ecclesiasticarum imperiti dum immoderato quodam studio reprehendendi, ac damnandi Latinos ferrentur, occasionem nacti sunt damnandi azymorum usum, ac statuendi azyma ineptam esse Eucharistiæ materiam. Liquet id ex nota, quam 11. Trullanæ Synodi canoni adjecit Matthæus Blast. Quamquam ea, quæ exposita sunt, satis superque ostendere videntur, utramque Ecclesiam censuisse, semper aptam esse Eucharistiæ materiam triticeum panem, sive is azymus sit, sive fermentatus; tamen, ut clarior fiat orthodoxa hac de re fides in Florentina Synodo inculcata, per hæc verba : « Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici : Sacerdotesque in altari ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem, » paucis demonstrabimus adversus Photianos ac Syros Nestorianos nonnullos, etiam panem azymum aptissimam esse hujus Sacramenti materiam

Primum, quia panis ille, quem universa Ecclesia semper habuit pro apta Eucharistiæ materia, aptissima est hujus Sacramenti materia. At ita se habet azymus panis ; ipsius enim usus antiquus est in nonnullis Orientalibus Ecclesiis, ut supra ostendimus, antiquior vero in Ecclesia Latina : non solum enim constat ex Rabano Mauro, et Alcuino supra citatis, ante VIII sæculum omnium Latinorum Ecclesias in azymo celebrasse ; sed Leo Papa IX, in Epistola ad Michaelem Constantinopolitanum Archiepiscopum scripta anno 1054, c. 5, scribit : « Ecce jam post mille ac ferme viginti a Passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis sit recolenda ; » et Cardinalis Humbertus : « Vestra duplicitas suo fermento contenta Romanæ et Latinæ simplicitatis azymum extorquere nequit ; » et infra : « a prima scilicet Ecclesia ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit. » Similia habent Gregorius VII, et Innocentius III, *de Myst. Missæ*, cap. 2, ubi ait : « Ab ipsis ergo Beatis Apostolis Petro et Paulo, quos et vivos habuit, et defunctos custodit, hunc Sacrificii ritum accepit Romana Ecclesia, quem hactenus inviolabili cultu servavit. » Nec ante Michaelem Cærularium, qui furore potius incitatus, quam ratione ductus, azyma damnavit, scriptorem invenire est aut Latinum aut Græcum, qui azymorum usum improbaverit : quod quidem argumentum esse videtur luculentissimum, ante Michaelem utramque Ecclesiam azymi ac fermentati usum juxta Ecclesiarum consuetudinem approbasse.

Deinde quis neget, panem, quo usus est Christus, dum Eucharistiam instituit, aptissimam esse hujus Sacramenti materiam? Constat vero, Christum in azymo consecrasse ex ipsa circumstantia, in qua Sacramentum instituit : ad vesperam enim primi mensis die XIV, dum Judæi Pascha celebrant, nefas erat fermentatum panem usurpare. Nam *Exodi* XII, vers. 15, hæc habentur : *Septem diebus azyma comedetis ; in die primo non erit fermentatum in domibus vestris : quicumque comederit fermentatum, peribit anima illius de Israel, a primo die usque ad diem septimum :* atque aliunde ex Evangelio liquet, Christum Pascha celebravisse, ut Legem adimpleret. Negari autem nequit, Christum instituisse Eucharistiam in cœna illa, quam habuit cum discipulis prima die azymorum ad vesperam : nam *Marci* XIV, v. 12 : *Primo die azymorum, quando pascha immolabant*, sive, ut legit Syriaca versio, *quando sacrificabant Judæi Pascha, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha?* Et vers 21 : *Manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedixit, fregit, et dedit eis, et ait, Sumite, hoc est corpus meum;* Lucas vero cap. XXII, vers 7, ait : *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erit occidi Pascha;* et postea subdit : *cum facta esset hora*, hoc est juxta Legis præscriptum, *discubuit, et duodecim Apostoli cum eo;* ac deinde; *et accepto pane, gratias egit, et fregit*, etc. Igitur Christus panem accepit voluitque esse corpus suum, quem Judæi adhibebant, dum die prima azymorum Pascha celebrarent; panis autem hujusmodi erat azymus ut est ex Scriptura manifestum.

Denique Christus Dominus Eucharistiæ materiam voluit esse panem; panis autem nomine venit tum azymus, tum fermentatus, nam, ut omittam, quod pluribus probatum est ex Cornelio, Celso, Plinio, Galeno aliisque antiquis profanis scriptoribus, illis temporibus communem, et vulgarem panem fuisse sive azymum, sive fermentatum; ex

(1) Vide Sandinium disput. 11, *de Azymo Græcorum.* (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

ipsa scriptura patet, nomine panis tum azymum, tum fermentatum venire; sic *Geneseos* XVIII, vers. 6, et 19, vers. 3, panes, quos apud Abraham et Loth dicuntur Angeli comedisse, quique infermentati erant, appellatos legimus *panes subcenericios* ἄρτους ἐντόφρους. Ac passim eadem scriptura panes propositionis commemorat, eosque Græca voce ἄρτος designat, quos ex *Levitico* XI, vers. 5, constat fuisse absque fermento : ita *Exodi* XXV, vers. 30, et *Matthæi* XII, vers. 4. Hinc Theodoretus in suo opere v. 4, cap. X. *Danielis*, inscitiæ eos arguit, qui panem azymum, panis nomen mereri negant, et subjicit : « Panis enim vocatur, et fermentatus, et infermentatus. » Ergo si Christus panem esse voluit Eucharistiæ materiam sive azymus sit, sive fermentatus, apta erit ad Eucharistiam perficiendam materia.

Opponunt Photiani nonnulla sophismata; primum ex Græco vocabulo ἄρτος, quod azymum panem exprimere nequit; nam « ἄρτος, inquit Cærularius, interpretatur elevatus, et sursum portatus a fermento, ex sale calorem et elevationem habens. » Deinde, quod azyma, cum insipida sint, vivificum Eucharistiæ effectum significare non possint, et cum Symbola sint tristitiæ, et doloris, quæ Judæis semel in anno usurpanda erant in memoriam miserarium, quas in deserto passi fuerant, in Eucharistia adhiberi nequeunt, quæ est lætitiæ signum. Præterea quod Melchisedech, cujus sacrificium Eucharistiæ figura erat, non azymum, sed fermentatum panem obtulerit. Demum, quod Ecclesia, ut ex supra citatis canonibus liquet, semper Judæorum azyma prohibuerit, quodque Evangelio promulgato, Judæorum cæremoniæ, inter quas usus azymorum recensetur, prorsus abolitæ sunt. Hæc sunt Photianorum sophismata, quibus probare contendunt, azymum esse ineptam Eucharistiæ materiam.

Sed videamus, quam inepta, et imbecillia sint. Ad primum quod spectat, ad hunc modum Cardinalis Humbertus respondit : « Illud quoque, quod azymum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est ἄρτος, conamini nos vincere, sciatis omnino vanum, et puerile, quia et a linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine, secundum humanum placitum magis, quam secundum naturam rerum. » Accedit etiam, quod aliam hujus nominis explicationem tradant Eustachius, Hallandius in Bibliotheca Photii, Suicerus, et alii, nec unum reperire est eruditum virum, qui Cærularii etymon probet. Præterea jam supra ostendimus, vocabulum ἄρτος in Scriptura adhiberi ad significandum quoque azymum panem, idque confirmari potest ex iis, quæ habentur *Lucæ* XXIV. ver. 40, ubi panis quem fregit Christus coram discipulis euntibus in Emmaus, qui erat orocul dubio azymus, ἄρτος appellatur.

Ad alterum dicimus, inter materiam, ex qua Sacramenta constant, et effectum, quem producunt, debere utique analogiam aliquam intercedere; sed necesse non est ut in singulis materiæ qualitatibus analogia hæc reperiatur. Panis autem sive azymus sit, sive fermentatus, corpus alit, ac vires auget; quod et Eucharistia in anima efficit.

Deinde azyma fuere quidem Judæi doloris signum, sed et gaudium indicabant : ut enim dolores significabant, quos fuerant in deserto perpessi, ita et gaudium, quo afficiebantur ex memoria suæ a manibus Ægyptiorum liberationis. Non absimili ratione Eucharistia cum ob fidelium oculos ponat Christi mortem, quidpiam triste præteritum significat; lætitiæ vero est Symbolum, ut gratiam indicat, qua per ipsam donamur, et ut est certum futuræ gloriæ pignus.

Ad tertium, non negamus convenire Christi Sacrificium cum eo quod Melchisedech obtulit, quod in utroque substantiæ panis et vini materiæ loco fuerint. At ut necessaria non fuit convenientia accidentaria in vino, quod Melchisedech obtulit, cum eo, quo usus est Christus, sicut Photiani fatentur; ita necessarium non fuit ut in pane accidentaria convenientia esset; panis vero azymus accidentarie tantum a fermentato dissidet.

Quod ultimo loco opponunt, cum id sit unde Photianus error oriri videtur, paulo diligentius expendemus : *Canon.* 70. Apostolorum hæc habet : « Si quis episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo jejunat cum Judæis, vel cum ipsis festos dies, vel ab ipsis xenia accipit (ut verbi gratia azyma, aut quid tale), deponatur. Si vero sit Laicus, segregetur. » Canon. vero 11. Concilii Trullani hic est : « Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Laicus Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis omnino lavetur. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si autem laicus, segregetur. » Et Canon 38. Concilii Laodiceni habet : « Quoniam non oportet a Judæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum. » En Canones, ex quibus Photiani azymorum prohibitionem deducunt.

Quis vero est, qui non videat, ibi non azyma omnino, sed Judæorum tantum azyma prohiberi? Nota res est, Judæos azyma conficere, eaque Religionis causa adhibere. In iis conficiendis non raro lac et ova adhibent, addito quoque saccharo, ex quo delicatulos panes *Mazach hascihra*, azyma dicta, pro ægrotis, et amicis etiam Christianis efformant. Hæc sunt azyma, quæ Canones prohibent; hæc vero a Judæis accipere, atque comedere non modo Græcis, sed etiam Latinis, ac Romanis ipsis vetitum est : refert Papadopoli ex Riciul. *de jure Person.* lib. 11. cap. 39. num. 10. et sequent. « Vetitum esse Romæ, ne vel sub benevolentiæ quidem specie Judæi Christianis azyma largiantur sua. » Nec opus est pluribus verbis ad id ostendendum. Nam canones de iis aperte loquuntur, vetantque tantum eam azymorum comestionem, per quam cum Judæorum impietatibus communicemus. At azyma, quibus Eu ha-

Digitized by Google

ristia a Latinis perficitur, non sunt Judæorum azyma : neque enim vi Mosaicæ legis, sed ad indicandam factam per Christum Eucharistiæ institutionem, et non ut Judæorum cæremonia, sed ut ritus a Christo Domino usurpatus adhibentur.

Præterea canones supra relati omnem cum Judæis familiaritatem, et communionem prohibent, ut ex Trullano canone liquet : prohibent ergo Judæorum azyma accipere, atque comedere, non solum, ut sunt Hebrææ gentis cæremoniæ, sed etiam ut ab iis dantur in amicitiæ contestationem. At azyma, quæ a Christianis fiunt, nec accipere, nec comedere vetant. Quis enim dicat, nefas esse « Christiano placentam sibi parare, ossulis diem frangere, jentare crustulis ? » ut inquit Papadopoli resp. 14, sect. 5. Quis damnabit Apostolum dicentem : *Epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis?* quæ verba ad literam usum azymorum citra Judaicam superstitionem commendant. Ergo azymorum usus, nonnisi ut Judaica cæremonia est, intelligitur.

(9. *Quæres*, quænam sit mystica significatio azymi, et fermentati, ut in Missæ Sacrificio adhibetur.

Resp. Plura sunt, quæ Ecclesia de azymorum usu fidelium memoriæ offert. I. Christi exemplum, qui in azymo consecravit. II. Azymis indicat tum animæ puritatem, quæ ad digne suscipiendum Christi Corpus desideratur, juxta Apostoli verba 1, *ad Cor.* v, supra relata, *Epulemur*, etc. III. Azymis, quibus nil est corruptionis admixtum, eximiam repræsentat carnis Christi, quæ offertur, sanctitatem, cum azyma ex grano, hoc est ipsius farina, aqua, et igne fiant, granum Christi Corpus, aqua Animam, et ignis Verbum divinum denotat, quod humanitatem ex anima et corpore coalescentem assumpsit. Cardinalis Humbertus causam quoque affert, ob quam Latina Ecclesia azyma fermentato pani anteposuerit, quia in Sacris literis azyma numquam in malam partem sumuntur, immo commendantur potius tum a Paulo loco supra citato, tum alibi; secus vero fermentatum; Christus enim ait : *Cavete a fermento Pharisæorum*, et Paulus : *Expurgate vetus fermentum*, etc.

Nec deest in fermentato, quod Orientalis usurpat Ecclesia, significatio, quæ ad Dei cultum fovendum, augendumque conferat. I. Fermenti usu significatur, illius, qui celebret, mentem ad cœlum attolli oportere, ut spiritualia et cœlestia contempletur. II. Incarnatio, sive unio hypostatica Verbi cum humanitate, quod Verbum hac unitione ita sese naturæ immisceat humanæ, quemadmodum farinæ fermentum, quod totam acrimonia sua pervadit. III. Fermenti usu Græci sese detestari profitentur Epionæos, Nazaræos, aliosque Hæreticos, qui primis Ecclesiæ sæculis in Oriente præsertim fuere, ac legalia una cum Evangelio servanda esse contendebant. Atque hinc factum esse arbitror, ut Orientalis Ecclesia ab antiquis temporibus fermentatum azymis præposuerit.

Nota. Fermenti nomen apud antiquos Ecclesiæ Patres non significat panem fermentatum, sed Eucharistiam, quæ ab Episcopo consecrata ad Presbyteros mittebatur, ut ii illius participatione se ab Episcopi communione neutique separatos demonstrarent, ut scribit Innocent. in *Epist. ad Decentium*, cap. 9. Ita enim Eucharistia appellabatur, tum ut hoc obscuriori vocabulo mysterium occultaretur, tum etiam quia Eucharistia Ecclesiis ad quas mittebatur, ex quocumque pane confecta esset, fermenti vicem præstabat, iisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui comiscetur, ut inquit P. Sirmundus cap. 5, *de Azymo* (1).

(10. *Quæres* utrum Latinis fermentatum, et Græcis azymum indifferenter consecrare liceat ?

Lutherani, et Calviniani, dum Ecclesiæ præcipiendi, sive ferendi leges auctoritatem adimant, liberum cuique esse docent azymo ac fermentato uti, ac fermentatum azymo præferunt, quod antiquitus usurpatum arbitrentur : vera autem hujus prælationis causa est, quia Latina, ac Romana Ecclesia, cujus judicio damnati sunt, azymum adhibet, ac præcipit unicuique Ecclesiæ, ut suum morem sequatur.

Horum errorem funditus evertimus iis argumentis, quibus in Ecclesia inesse ferendarum legum potestatem demonstravimus. Hic ergo Ecclesiæ præceptum unice proferemus. In Florentinæ Synodi diffinitione hæc habentur. « Sacerdotes in altari ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem. » Igitur adest Ecclesiæ præceptum, quo Latini in azymo, Græci vero in fermento consecrare jubentur. Nec ulla est hac de re inter Catholicos controversia; sed cum Latinus spectari possit prout versatur in Orientalium partibus, et Græcus prout moram facit in Latinorum locis, ubi non sunt proprii Ritus Ecclesiæ.

(11. *Quæri* ulterius solet, num Sacerdos Latinus in locis Græcorum, ac Græcus in Latinorum urbe possit Eucharistiam juxta loci ritum consecrare.

Responsio ex iis, quæ de obligatione manendi in semel suscepto ritu disputavimus, facile patet. Nam si Latinus etiam in Oriente, qua ratione potest, tenetur proprium ritum servare; et si Græcus in Latinorum locis eamdem obligationem retinet, quin ritum inconsulta Apostolica Sede mutare possit, palam est, Græcum in Latinorum locis, ac Latinum in locis Græcorum teneri ad proprium ritum servandum, dum Eucharistiam perficiat; neque enim, ut ibi ostendimus, a loco pendet lex illa Ecclesiæ, quæ proprium cuique ritum servare jubet. Sed circa obligationem servandi proprium ritum in celebratione Eucharistiæ, peculiares quoque adsunt Ecclesiæ leges. Præ-

(1) De fermento, cujus et Melchiadis, et Innocentii I, epistolæ meminerunt, consulendi cum primis Ciampinius *de Azymo*, Honoratus a S. Maria tom. 2, *Animadv. in neg. Critic.* lib. 4, diss. 4, art. 3, et P. Constantius tom. 1. *Epistol. RR. PP.* ubi de duorum illorum Pontificum epistolis. (Edit. Bassiell.)

Digitized by Google

ter ea, quæ ex Florentina Synodo attulimus, adest S. Pii. V. Const. incip. *Romani Pontificis*, 13. Kalend. Septembr. 1566. in qua hæc leguntur verba : « quibusvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præcipue uxorati, Latino more, et Latini Græco ritu, hujusmodi licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio prætextu Missas, et alia divina officia celebrare, aut celebrari facere præsumant. » Et Bened. XIV. Const. *Et siPastoralis*, § 6. n. 10. Prædecessorum, ac Synodi Florentinæ legem inculcans, « Districtius, inquit, inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, et Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum, et facultatum, Missas, et alia divina officia, Græci Latino more, et Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu, Missas, et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. » Deinde prohibet, ne Latinus Parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, aut Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum « in quocumque Ecclesiæ suæ altari retineat, jubetque ut unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive Græco, sive Latino ritu Eucharistiam Fidelibus porrigat. » Præterea ne Laici Latini communionem sub specie fermentati a Præsbyteris Græcis recipiant, omnino interdicit; Græcis tamen Laicis permittit « ut ubi propriam Parochiam non habent, possint, si velint, in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie azymi a Sacerdotibus Latinis sumere.» Hæc pro Græcis in Italia degentibus statuta sunt.

Atque hinc patet, *Primo* errare Ledesmam a Verricello citatum, qui censet teneri Latinum per Græcorum regionem transeuntem Græco more celebrare, ac Græcum Latino ritu in locis Latinorum : nam antedictæ Constitutiones sunt pro Græcis, qui sub Latinis Episcopis degunt, atque adeo in Latinorum locis. *Secundo* errare Suaresium, Vasquesium, aliosque apud Verricellum tit. 8, q. 188, qui asserunt, Sacerdotem Græcum qui perpetuum inter Latinos domicilium stabilierit, teneri ad celebrandum Latino ritu; nam Ecclesia præcipit proprium ritum sine Apostolicæ Sedis dispensatione mutari non posse, jubetque etiam eos, qui in Italia sub Latinis Episcopis fixum domicilium habent, proprio more Missas, aliaque divina officia celebrare debere. *Tertio* errare quoque Verricellum ipsum, dum loco citato ait posse Latinum Græco more, Græcum vero Latino ritu celebrare in locis, in quibus proprii ritus Ecclesiæ non adsint, quod possint sese loci consuetudini accommodare. Nam Ecclesia præcipit cuique proprium ritum ubique servare, ut diximus cap. 4. ac districtius jubet, Sacerdotem quemque juxta propriæ Ecclesiæ consuetudinem ubique terrarum Missas celebrare debere. Neque Augustini consilium, quod habetur *Epist.* 128. *ad Januar.* quo et mores eorum quibuscum vivimus sequi monemur, ad rem facit. Nam si quisque morem sequi posset Ecclesiæ, in quam deveniat, posset pro libitu ritum semel susceptum deserere, illumque amplecti, quem Ecclesia teneat, in quam venit : Id vero Apostolicæ Sedis auctoritate prohibitum est. Deinde Augustini regula ad consuetudines, legesque illas spectat, quæ a loco pendeant, quibus subjici debet quicumque in loco, ubi vigeant, versetur. At obligatio manendi in suscepto ritu, illumque servandi, qua ratione possit, et celebrandi Missas, et officia juxta propriæ Ecclesiæ morem, personas afficit, quæ suscipiendo Baptisma, vel Ordines, ex Ecclesiæ lege adstrictæ sunt ad perseverandum in suscepto ritu, ac more propriæ Ecclesiæ celebrandum. Vide in c. 4. quæ diximus de obligatione quam quisque habet manendi in semel suscepto ritu.

Ex iis optime concludit Verricellus, non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Græca, nec Græco in Ecclesia Latina azymo, etsi Populus diu deberet Sacrificio privari; et infirmus absque Viatico decedere; quia utilitas communis privatorum commodis præferenda est : ad communem vero utilitatem pertinet Ecclesiæ servare præscriptos ritus; et quia præceptum sumendæ Eucharistiæ in articulo mortis, et audiendi Sacri in diebus festis non obligat, nisi dum Sacrum celebrari possit, servatis legibus ac ritibus ab Ecclesia stabilitis. Igitur, ut Sacerdos non jejunus celebrare nequit pro communicando moribundo, vel ut populus audiat Sacrum die festi, ita Sacerdos Latinus nequit in fermentato consecrare, contra Ecclesiæ præceptum, ut populus Sacrum audiat, vel ut morti proximus Eucharistiam sumat.

(12. In parando fermentato pane ad altaris sacrificium destinato magna est Orientalium cura, et diligentia. De Græcis scribens Christophorus Angelus homo ritus Græcanici peritus libello, quem Græce vulgavit, de præsenti Ecclesiæ suæ statu, « Panem, inquit, accipiet Sacerdos, quem vir, vel mulier aliqua, modo purus idem, mundaque eadem fuerit, die antecedente paravit . . . . antequam vero panis ille excoquatur, signaculum illi prius ligno aliquo, cui literæ hæc insculptæ, *Jesus Christus vincit*, imprimunt » Nec minor est apud Ruthenos diligentia, ut testatur Guagninus. Æthiopes etiam mirabili quadam arte, et cura panem hunc præparant, teste Francisco Alvarez, *Peregrinationum Æthiopiæ* cap. 12. Jacobitæ denique, et Nestoriani, non secus ac Græci, Syrique Melchitæ, magno studio oblatitios fermentatos panes parare solent; fabulantur vero Nestoriani, vetus fermentum quo ad panem hunc præparandum utuntur, se ex majorum traditione ab Apostolis accepisse. Ad figuram quod spectat, Græci ut plurimum non rotundant, sed in quatuor ramos ad modum crucis extendunt, inquit Allatius; Orientales reliqui peculiari solent ac mystica hunc panem figura donare.

(13. Plerique solent oleum cum sale fermentato pani admiscere; qua quidem mix-

Digitized by Google

tione, si oleum panis naturam non mutet, inepta materia non fit. Consuetudo hæc apud Nestorianos et Jacobitas ex eo orta videtur quod oleo uti cœperint, ut facilius massæ sigillum imprimerent eamque coactam facilius e frixorio extraherent; sed progressu temporis ab imperita gente, fortasse etiam ut ritus sacer, hæc olei admixtio habita est. Exstat hac de re decretum Cong. particularie *de Prop. Fide*, quod sequitur : « Relata instantia Adeodati Archiepiscopi Damasci, et ejusdem nationis Jacobitarum, pro facultate celebrandi Missam Ritu Chaldaico cum Missali Maronitarum, et una ex Liturgiis, quæ in eodem Missali fuerunt a Sede Apostol. approbatæ, introductoque in Congregationem prædicto Archiepiscopo, et mediante interprete, de pluribus circa materiam Sanctissimæ Eucharistiæ interrogato, Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, facultatem petitam esse Oratori concedendam, injuncto illi præcepto, ne oleum adhibeat cum durior fieri possit massa, in eoque sine oleo ut Græci faciunt, formam, seu sigillum, cum crucibus, et punctis duodecim Apostolorum, et 72 discipulorum significantibus imprimi, et in clibano coqui, loco frixorii, in quo Jacobitæ suas solent hostias oleo litas coquere. Præterea Cong. jussit ut dictus Archiepiscopus, præsentibus Magistro Sac. Palatii. et Secretario Indicis, cum massa fermentata, et oleo, more suæ nationis, hostiam conficeret, ut posset experimento comprehendi, an oleum dictam massam ingrediatur, quod sequenti die idem Archiepiscopus fecit. Nam delata massa fermentata, oleo sinistram manum unxit, ut posset ab ea libere separari, et formam ligneam similiter unxit, in qua erant prædictæ cruces, et puncta pro sigillo imprimendo, ex quibus actionibus idem Magister Sac. Palatii manifeste cognovit, oleum non ingredi massam, et a Jacobitis adhiberi ob solas duas rationes, ut scilicet imprimi possit sigillum, et massa in frixorio coqui ; censuit tamen idem Magister standum esse in decisis, ut sine oleo massa durior effecta fiat ab Archiepiscopo hostia ; nam sigillum facile imprimi poterit, si massa modica aspergatur farina, et deinde in clibano coquatur. » Sacr. Congregat. *P. F.* 22. Junii 633. Atque hinc patet, merito doctissimum P. Berti *de Theol.* disc. lib. 33. cap. 5. Thesi 2. reprehendere Jacobitas ob olei in oblatione mixtionem, non vero eos, qui parum salis pani admisceant, tum ad conciliandum eidem saporem, tum etiam ob mysticam aliquam significationem : nam mixtio salis panis naturam non mutat, nec quidpiam Sacramenti veneration contrarium secum fert : quamobrem tolerari debet, ubi ex antiquo tempore usurpari soleat; dum vero hanc mixtionem necessariam non habeant.

(14. Altera Materiæ Eucharistiæ pars est vinum de vite : sive album, sive rubrum, sive alterius coloris sit, apta materia est, cum non color, sed substantia liquoris ex uvis vitis expressi a Christo Domino stabilita sit hujus Sacramenti materia. Quod quidem notandum duxi, ut quisque intelligat, Moscovitas in manifesto versari errore, si credant, ut Auctores nonnulli referunt, solum vinum rubrum aptam esse Eucharistiæ materiam. De vino duo discutienda offeret dubia Orientalis Ecclesia, alterum scilicet de consuetudine, quæ in Æthiopia, et apud Syros nonnullos viget, de adhibendo, ob vini penuriam, liquore ex uvis passis expresso; alterum vero de Armenorum errore, qui censent nefas esse vino modicum aquæ miscere; quibus et tertium addemus, de aqua fervente, quam Græci peracta jam consecratione in calicem mittunt.

(15. *Quæres I.* Utrum liquor ex uvis passis, et zebibo expressus licite, ac valide in Eucharistia perficienda usurpetur ?

Nota 1. Fagundez *præcept.* 3. lib. 2. cap. 3. ita scribit : « Scio, in Æthiopia ex defectu vini assumere Catholicos, et Patres nostræ Societatis uvas non ita passas, et eas aqua superinfundere, quoad usque lentescant, et postea exprimunt; ex quibus fit vinum, in quo consecrant, satis generosum; et primus Auctor hujus rei fuit Sanctissimus Vir Andreas de Oviedo, Patriarcha ejusdem Æthiopiæ. »

Nota 2. An. 1703. die 14. Februarii propositum fuit dubium a P. Josepho de Hierusalem Ord. Min. Strict. Obs. ac Missionibus Æthiopiæ Præfecto, an liceat Missionariis celebrare cum vino ex *zebibo*, vel uvis passis expresso ut in Regionibus illis fieri solet? « Sanctissimus auditis votis Eminentissimor. mandavit exquiri prius per R. P. D. Assessorem a dicto P. Josepho, quo præcise modo conficiatur vinum ex uvis passis, vel zebibo in Æthiopia; et postea iterum formari, et proponi idem quæsitum cum dicta expressione vel declaratione ante DD. Consultores, et successive in Congregatione coram Sanctitate Sua habenda. » Responsum deinde fuit a supra dicto P. vinum hujusmodi in hunc fieri modum : sumuntur ex. gra. 4. libræ zebibi, franguntur, atque in apto vaso tunduntur, ac deinde totidem frigidæ aquæ libræ in idem vas infunduntur, eaque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas; extrahitur postea zebibi, vel uvæ passæ materia, æque ab exteriori aqua purgata, aut panno stringitur, vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo, sine ulteriori diligentia, utuntur, dum celebrant. Hac præmissa explicatione, fuit iterum propositum dubium; « ac lectis quoque relationibus Patris Joannis Damasceni Consultoris, nec non variis experimentis factis pro eruendo dicto vino, Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum dixit, licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo, vel uvis passis ex colore, odore, et gustu dignoscatur esse verum vinum; » S. C. S. Off. 22, Julii 1706.

Resp. His præmissis, ubi vinum desit, ut revera deest in Regionibus illis, in quibus hoc utuntur liquore, valide ac licite usurpatur, si tamen ex colore, odore, atque sapore censeri possit verum vinum; nam si liquor ex uvis de vite extractus esset æque iis qualitatibus, deprehenderetur uvas illas passas, vel zebibum ex decoctione non mu-

Digitized by Google

tavisse uvæ naturam. Quamobrem probare non possum Verricelli responsionem qui negative respondendum censet, « quia zebibum est adeo decoctum ab igne, ut non possit ex eo confici simpliciter vinum, sed vinum secundum quid, cum addito, nempe vinum coctum, seu sapa, » nam zebibum uva est, ignis, vel solis calore exsiccata; et si post infusionem in aqua, liquorem exprimat, qui colorem, odorem, saporemque servet vini; non video cur verum vinum censeri nequeat, quod accidentario tantum ab illo differat.

(16. *Quæres* 2. An loco vini in utraque purificatione, ubi magna sit vini penuria; licite adhiberi possit tantum aqua?

Resp. Sacr. Cong. S. Off. 14, Julii 1706, ad hujusmodi quæsitum propositum ab Episcopo Quebecensi, respondit, *citra maximam vini penuriam servandas esse pro viribus Rubricas Missalis Romani, præsertim in purificatione, seu prima ablutione;* dum vero tanta sit vini penuria, ut, nisi Sacerdotes aqua tantum uterentur in purificatione, coacti essent pluries ad non celebrandum, adhiberi posse solam aquam, declaravit Cong. de P. F. in responsione ad dubia proposita a Missionariis Sinensibus die 13, Januarii 1665.

(17. Vino parum aquæ miscet, tum Occidentis, tum Orientis Ecclesia. In Occidente id omittunt Lutherani, Calvinianique, quod consuetudo sit non a Christo, sed ab hominibus orta, quodque præceptum, quod orthodoxa inculcat Ecclesia, Evangelicæ puritati, ac libertati adversetur. In Oriente vero aquæ mixtionem rejiciunt Armeni. Ii in Conciliabulo supra citato, Monophysitas illos imitati sunt, quos Brunus appellatos fuisse censet Julianitas, et Gajanitas, qui ut Anastasius Sinaita renunciatus Antiochiæ Patriarcha anno 561, scribit: « Vinum merum sine aqua offerunt, ut exinde deprehendatur confiteri, Christum nuda et simplici Deitate constare. » Facile autem est demonstrare, Ecclesiam ad Christi imitationem Apostolorum ætate statuisse, ut vino parum aquæ misceretur, idque habitum semper fuisse, ut Ecclesiæ præceptum. Christum Dominum vino parum aquæ miscuisse ex eo liquet, quod dum Pascha celebraret more Judæorum Eucharistiam instituerit, ut etiam Armeni, ac alii Hæretici fatentur; at Judæi calicem paschalem aqua temperare solebant, ut constat ex Misna jod benedictione 7, ex Rabbi Maimonide, aliisque, et ex vulgari eorumdem antiquo more; *Proverbiorum* c. IX, et *Apocalypseos* c. XVIII. Deinde Christum Dominum aqua calicem temperasse testatus est Irenæus circa medium II. Sæculi l. 4, *adversus Hæres.* c. 57, inquiens: « Accipiens Dominus panem, suum esse Corpus confitebatur, et temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit; » lib. autem 5, cap. 2, « temperamentum calicis mixtum calicem vocat, » inquit Massuetus: et Cyprianus Epist. 63, ad Cæcilium III sæculo scripsit, « Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, » hoc est in calice vino aquam fuisse mixtam; ut ipse ibidem explicat. Ergo primis sæculis Ecclesia credebat Christum aqua vinum temperasse. Morem autem hunc eam fuisse imitatam testatur Justinus Apologia 2. « Deinde, inquiens, ei qui Fratribus præest offertur panis, et poculum aquæ, et vini; » et testatur quoque Auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 8, cap. 21, de Christo dicens: « Similiter calicem miscuit ex vino, et aqua sanctificavit, » etc. Et ut mittam alios PP. omnes antiquæ Liturgiæ Jacobi, Chrysostomi etc. hujusmodi mixtionis ritum præscribunt; illumque servandum præcipere Concilia, Carthaginense III, ann. 397, celebratum; Trullanum supra citatum, Florentinum et Tridentinum, quod sess. 22, cap. 7, ait: « Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis Populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. » Cum res ita se habeat, palam est, Ecclesiam consuevisse semper, et ubique vino modicum aquæ miscere, idque non pro re indifferenti, sed præcepto habuisse.

(18. Græci præter frigidam aquam, quam ante consecrationem solent vino miscere, ante Eucharistiæ sumptionem ferventem aquam infundunt in calicem, « ut scilicet sanguis, et aqua, quæ fluxerunt a sancto latere Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi tempore salutaris passionis ejus, vivifica esse constet veluti ex vivifico deificato corpore vivifica, » ait Balsamon in Resp. ad quæsita Marci Patriarchæ Alexandrini. Mixtio hæc damnari non potest: tum, quod antiqua sit, ac a Sanctis Patribus commendata: nam præscribitur in Liturgiis Basilii et Chrysostomi, ac laudatur a Nysseno *Orat. cathec.* 1. c. 37. a Theodoreto dialogo primo inscripto: *Immutabilis*, a Damasceno lib. 4. c. 14. atque ab aliis Patribus: tum etiam quia, Const. *Et si Pastorali* § 6. num. 2. Græco-Italis « permittitur, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet juxta ritum in Liturgia præscriptum, aquam ferventem, seu tepidam in sacrum calicem infundere. » Quamquam id Græcis permissum est; tamen errore non carent Photiani, qui Latinos, ac Orientales mixtionem hanc omittentes erroris accusant; nam ritum omittendo particulari Ecclesiæ præscriptum, non negant, nec improbant id quod Ecclesia per illum ritum significare contendit, ut illi perperam arbitrantur.

§ II. *De Forma.*

(19. De forma Eucharistiæ ex Orientalium Liturgiis Missionariorum gratia disputaturus, plura, quæ sunt a nostro Auctore prætermissa, et quæ in vulgaribus Theologis desiderantur, proponere atque explicare cogor. Primum enim Christi verba, quibus unice Eucharistia conficitur, et quorum ne unum quidem sine gravi culpa omittere fas

Digitized by Google

est, aliter in illis Liturgiis se habent, ac in nostra Latina, et in plerisque verba nonnulla desunt ex iis, quæ in Calicis consecratione usurpamus. Deinde in illis post Evangelica, et Christi verba, invocatio habetur Spiritus Sancti, quæ preces in omnibus Liturgiis connexas habet, quibus Sacerdos Deum rogat, ut super oblata dona mittat Spiritum Sanctum, qui super illa descendens, panem in Corpus, et vinum in Christi Sanguinem transmutet. Denique tres apud Syros Jacobitas Liturgiæ reperiuntur, in quibus Christi verba desiderantur, quarum 1. est quæ Petro Apostolorum Principi tribui solet, alter Xysti Papæ, ac tertia Dionysii Metropolitæ Adimeni dicitur. Atque hinc tria oriuntur dubia : 1. Num Orientales omnes Christi verba ad consecrandum Eucharistiam necessaria existiment? 2. Num necessariam saltem putent una cum Christi verbis invocationem, ut Eucharistia perficiatur? 3 Num Orientales Christi verba teneantur recitare, ac in Liturgiis ponere, ea ratione, qua in Canone Latinorum reperiuntur? Hujus autem quæstionis necessitas ex eo pendet quia communis apud Theologos nostros opinio est, non posse sine gravi culpa ex verbis illis vel unum omitti : et quia nonnulli Thomistæ putant, omnia, quæ in Calicis consecratione nos adhibemus verba, esse ad consecrandum necessaria. Accedit etiam fuisse nonnullos, qui hac de causa non solum Orientales reprehendere, sed eorum Liturgias sua corrigere auctoritate ausi sint.

Inter Orientales circa hujusmodi controversiam, minora fuere, ac inter Latinos, dissidia. Nam omnes semper fassi sunt, ac etiam nunc fatentur, Christi verba *Hoc est Corpus meum*, etc., *Hic est Sanguis meus*, etc., esse ad Eucharistiam consecrandam necessaria; ot sine ipsis perfici non posse. Item unanimi semper consensu docuerunt, præter Christi verba preces quoque nonnullas in Eucharistia conficienda semper adhibitas fuisse, ac sine precibus fieri non posse; quæ quidem sententia omnibus Patribus, ac Theologis omnibus probata est; cum nec unquam hujusmodi Sacrificium sine precibus fieri consueverit, nec fieri licite in ullo casu possit. At Nicolaus Cabasilas, et post ipsum Marcus Ephesinus, aliique pauci, non solis Christi verbis, sed etiam invocatione Spiritus Sancti, sive precibus ea comprehensis, Eucharistiæ Sacramentum confici tradiderunt : En Marci Ephesini verba : « Divina munera, inquit, non solum recitatione verborum Dominicorum sanctificantur, sed et Sacerdotis quæ sequitur, precatione, et benedictione per virtutem Spiritus Sancti; scilicet, verba Christi, ut ipse exponit, per modum narrationis sunt, nosque ad memoriam rei, quæ tunc gesta fuit, revocant, et vim quasi immittunt in dona proposita, ut transformentur: precatio vero, quæ postea consequitur, et benedictio Sacerdotis revera transmutat, quæ jam erant dona, in ipsum prototypum Corpus, et Sanguinem Domini. » Huic opinioni occasionem dedit invocatio, quam in Orientalium Liturgiis Evangelica, et Christi verba consequi asseruimus, et nonnullæ haud bene intellectæ Patrum sententiæ, quæ per Christi verba, et orationem hujusmodi Sacramentum fieri pronunciant.

Duo quoque apud Latinos fuere XVI. Sæculi viri eruditione, et doctrina celebres, qui in Cabasilæ abiere opinionem, alter e Dominicanorum, e Franciscanorum familia alter. Scilicet Ambrosius Catharinus Ord. Præd. et Christophorus a Capite Fontium Ordin. Min. Generalis Minister, ac postea Archiepiscopus Cæsariensis. Ii enim, ut Novatorum circa verba Christi cavillationes, et argutias devitarent, ac penitus everterent, plenioremque facerent Catholici dogmatis de Eucharistiæ consecratione explicationem, et intelligentiam, rati sunt, Eucharistiam Christum benedictione prius consecrasse, ac benedictione illa pane in Corpus suum transmutato, accepisse illud in manibus, ac dedisse discipulis, dicendo : *Hoc est Corpus meum;* atque eadem ratione calicem consecrasse. Sacerdotes vero deinceps Eucharistiam confecisse docuere per orationem Evangelicis verbis præmissam in Latinorum Liturgiis, quæ incipit : *Quam oblationem tu Deus*, etc., Evangelica vero et Christi verba narrative tantum proferre, non significative, et effective, licet ex Christi mandato necessario sint pronuncianda. « Fit ergo, inquit Catharinus, Corpus Christi, propter orationem præmissam, et ex vi pacti; et sic defenditur mos Græcorum. » Pactum vero in eo situm arbitrabatur, quod Christus promiserit, toties se præsentem in Eucharistia adfuturum, quoties Sacerdos verba sua *Hoc est Corpus meum*, etc., ea ratione, ac ordine, et modo pronunciaverit, quo ipse pronuncianda constituerit. Itaque ut Christus benedictione consecravit, ita oratione consecrat Sacerdos, qua rogat, ut panis fiat Corpus Christi et vinum Sanguis; et ut Christus dicendo, *Hoc est Corpus meum*, corpus suum id esse demonstravit, illudque discipulis præbere ostendit; ita Sacerdos facit. Hoc autem discriminis Christophorum inter ac Catharinum intercessit, quod hic interna tantum, ille vero externa quoque benedictione, ac ministerio Sacerdotali Christum consecrasse asseruerit.

Horum opiniones, damnatis ab Apostolica Sede opusculis, quibus tradebantur, veluti sepultæ jacuere; sed hoc eodem sæculo a Gallis nonnullis excitatæ, magno argumentorum apparatu expositæ, ac propugnatæ fuere a Petro Le Brun, in expositione Liturgiæ Armenorum; et ab Antonio August. Toutée d. 3. præmissa operibus S. Cyrilli. Ii vero in hanc se abiisse opinionem testati sunt, ne dogma Catholicum de *Transsubstantiatione*, validissimo illo argumento privaretur, quod ex invocatione desumitur, quæ in Orientalium Liturgiis reperitur. Fuere ii ex professo confutati a P. Bougeantio Jesuita, ab Ursio, Merato, Georgio Assemano juniore, aliisque (1). Hæc quantum ad opinionem a Cabasila excogitatam.

Inter Latinos vero aliæ quoque occurrunt

(1) Non omittam inter Auctores, qui Lebrunii, et Eusebii Renaudotii paradoxam de forma consecra-

Digitized by Google

hac de re opiniones, quas recensere, ac confutare necesse est, ut Systema hac de re absolutum exhibeamus; Innocentius III. in opere de Mysteriis Missæ, quod ante Pontificatum ediderat, lib. 4. cap. 6. ait: « Dici potest, quod Christus divina virtute confecit, et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis. » In eamdem sententiam abiere Durandus Mimatensis lib. 4. *de divinis Officiis*, aliique, quos Catharinus, et a Capite Fontium laudant, ac veluti propriæ opinionis assertores proponunt.

Aiunt nonnulli, Scotum in 4. dict. 8. q. 2. ad 2. docuisse, hæc verba *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, ad consecrationem non sufficere, sed præcedentia necessario addenda esse, alioquin verba illa personam loquentis, non ad Christum, cujus nomine proferuntur, referrentur; sed Mastrius, Frassenius, Hennus, aliique Scotistæ, Scotum a communi sententia non recessisse demonstraverunt.

Rursus quamplures Theologi sunt, qui contendunt, S. Thomam omnia verba, quæ a Latinis in calicis consecratione recitantur, necessaria existimasse ad conficiendum hoc Sacramentum, pro qua opinione pugnant Gonetus, Capisuccus, Natalis Alexander, aliique Thomistæ.

Armacanus ait lib. 9. q. *Armenorum* cap. 3. hæc esse in consecratione Calicis necessaria: *Hic est Calix sanguinis mei, novi, et æterni testamenti*, non vero reliqua. Alii, Marsilio teste, addendum putant, *mysterium fidei*. Hæc quantum ad opinionum historiam. Antequam ad rem definiendam descendamus, operæ pretium esse arbitror, Evangelica, et Christi verba referre, qua ratione in probatis Liturgiis recitantur, ut inde facilius intelligamus, quæ fuerit hac de re Ecclesiæ a primis temporibus sententia. Mitto vero tres illas Liturgias, quas supra dixi, in quibus Christi verba desunt. Cum enim omnium sit, ac fuerit semper Orientalium sententia, hæc esse omnino saltem ex Christi præcepto ad consecrandum necessaria, omissio illa, vel amanuensium incuriæ tribuenda est, vel ea de causa fuere in iis illa prætermissa verba, quod ea Sacerdotes memoria tenerent, ac recitarent.

(20. En itaque verba juxta formulas a Martenio collectas. In Liturgia Jacobi ita forma hæc exprimitur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur, et datur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Addit Liturgia S. Marci post pronomen *Hoc*, et *Hic* particulam *enim*. In Constitut. Apost. 8. cap. 17. hæc forma reperitur, *Hoc est Corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus, quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* In Liturgiis SS. Basilii et Chrysostomi post *Sanguis meus*, additur *novi testamenti;* ac similis est Liturgia Cyrilli. Æthiopes utrique formulæ addunt *Amen*. Mozarabes hac utuntur; *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est Calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In Libris Sacramentorum, qui præ se Ambrosii nomen ferunt, ita legitur: *Hoc est enim Corpus meum, quod pro multis confringetur. Hic est enim Sanguis meus.* Sacramentarium denique Gregorii Magni, Missale Romanum, Ambrosianum, et Indorum (hic addendum erat post correctionem) hanc habent formam: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In Liturgia communi, sive canone universali Æthyopum habetur: *Hic panis est Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, Amen. Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur pro redemptione multorum, Amen.* Iisdem fere verbis aliæ Orientalium Liturgiæ eamdem exhibent formam. Facile vero patet undenam eorum sit orta varietas, si ea observentur, quomodo ab Evangelistis recenseantur. Apud Matth. legitur, *Hoc est enim Corpus meum, Hic est enim Sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Apud Marcum utroque in loco omittitur particula *enim*. Apud Lucam: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur; Hic Calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Paulus autem *I. ad Cor.* 11. ita illa refert: *Hoc est Corpus meum; Hic Calix novum testamentum est in meo sanguine.*

Has ego formas recensui, easque cum Christi verbis comparavi, quæ apud Evangelistas leguntur, ut inde clare appareat, non posse Orientales reprehendi, quod in forma eorum desit particula *enim*, et quod in consecratione calicis non omnia adhibeant verba, quæ apud nos usurpantur. Atque inde duo quoque alia certo inferenda videntur. Primum Christi verba, quæ in Orientalium Liturgiis leguntur, esse ab Evangelistis deprompta, quod sane satis superque esse potest ad illorum Theologorum detegendam imperitiam, et temeritatem, qui corrigere, et ea augere propria, ac privata auctoritate sua conati sunt. Quis enim sine temeritate verba ex Evangelio deprompta, Patrum auctoritate commendata, et Liturgiarum usu a primis sæculis comprobata, emendare, ac mutare audeat? Deinde rite, ac licite Orientales per illa verba consecrare, nec cogi posse ad alia, quæ in Liturgia nostra reperiuntur, addenda. Quibus accedit etiam, ex iis nos posse tuto concludere, non aliis esse inditam vim consecrandi verbis, quam istis, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, vel *Hic est Calix Sanguinis mei*, non solum ob communem Theologorum sententiam Tridentini Concilii auctoritate comprobatam, quod verba Sacramentorum formam constituentia efficere docet quid significant, ut est etiam a nostro

tionis doctrinam refellerunt, præclarum P. Joannis de Benedictis Antirrhetiron ex S. Ephræmi Romana editione recusum cit. tom. 10. *Zachariani Thesauri Theologici* p. 625. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

Auctore probatum, sed præterea, quia hæc unice sunt verba, quæ a Patribus omnibus commendantur, ac in omnibus reperiuntur Liturgiis : quod argumentum est, fuisse hæc semper, et ubique veluti necessaria ad consecrandum reputata, alia vero historice, et ex præcepto tantum Ecclesiæ adhibita. Hic tamen moneo, præceptum hujusmodi, cum de re gravissima sit, gravem obligationem inducere; quo fit, ut graviter peccet, qui vel unum ex iis, qui in jam probatis Liturgiis habentur, libere prætermittat. Venio nunc ad nostrum hac de re Systema per propositiones explicandum.

PROPOSITIO I.

Christus verbis usus est, non interna tantum benedictione, dum Eucharistiam consecravit.

21. Primum hæc assertio inde probari potest, quod Sacerdotes ea ratione consecrent, qua Christus hujusmodi Sacramentum in institutione perfecit. Iis enim, quod prior ipse fecisset, deinceps facere præcepit, cum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem;* Sacerdotes vero per verba consecrant, et quidem ita consecrant, ut verba Christi, Christi nomine, ac veluti illius personam gerentes, pronuncient, dicendo : non : *Hoc est Corpus Christi*, sed : *Hoc est corpus meum.* « Hinc, quid nostra consecratio est, inquiebat Chrysostomus Hom. 83. *in Matth.*, nisi illius repetitio, quam Christus peregit? »

Deinde Christus Sacramentum instituens : qua Deus, et conficiens, qua homo erat, Sacramentalem ritum instituere, ac adhibere debuit, hoc est materiam, et formam adhibere, junctis scilicet pani verbis; *accedens* enim *verbum ad elementum fit Sacramentum*, inquit Aug. Tractat. 80 *in Joan.* Accedunt præterea Auctoritates Sanctorum Patrum, quas infra recensebimus. Hinc Tridentina Synodus sess. 13. cap. ita de Eucharistia loquitur : « Hoc admirabile Sacramentum in ultima cœna instituit, cum post panis vinique benedictionem, se suum Corpus præbere, ac suum Sanguinem disertis verbis testatus est, quæ verba a Sanctis Evangelistis commemorata, a divo Paulo postea repetita sunt. » Satis hic indicant Tridentini Patres, post benedictionem panis, vinique, verba proferendo, instituisse, ac perfecisse Eucharistiam.

At, inquiunt, benedictio idem ac consecratio est quamobrem Paulus 1. *ad Cor.* IX. v. 14. *Calicem benedictionis*, vinum consecratum appellavit; et dum Christus dixit, *Hoc est Corpus meum*, jam antea panem in suum fuisse Corpus transmutatum significavit : ergo per præmissam benedictionem ab Evangelistis commemoratam, dum dixere : *Accepit panem, benedixit*, etc.

Sed levis est momenti hæc conjectura. Cum enim Christus Sacramentum instituerit, et confecerit, illudque nobis ad sui imitationem perficiendum mandaverit; et verba adhibuisse, ut Sacramenti natura exposcit, et verba talia, quæ rem significatam efficerent, præsumendum est. Quæ sola presumptio plus quam illa conjectura, valet. At præterea verba ipsa ab Evangelistis commemorata habemus, quæ id significant, quod in Eucharistia fit, quæ semper fuere a Sacerdotibus usurpata, quæque adhibuisse Christum, testantur veteres Patres, ac omnium Ecclesiarum traditio comprobat. Itaque benedictio, et gratiarum actio ritus fuere a Christo institutioni Eucharisticæ præmissi, non consecratio : id ostendit vox aoristica in Evangelica historia usurpata εὐλόγησας, id est *cum benedixisset*, et εὐχαριστήσας scilicet *cum gratias egisset*, quæ præteritum tempus significant; liquet etiam ex eo, quia Christus in ultima Cœna ritus servavit Judæorum, qui cœnæ benedictionem præmittebant, et panem cum gratiarum actione frangebant. Hinc Estius, aliique viri gravissimi improbabilem omnino putant opinionem, quæ benedictione Christum consecrasse autumat, et in 1. *ad Cor.* cap. 1. post Jansenium observat, Jesum magna aggressurum miracula in Cœlum oculos elevare, ac Patri gratias agere consuevisse, ut præstitit suscitaturus Lazarum, et panes multiplicaturus. Rursus non desunt, qui eisdem verbis benedictionem, et consecrationem a Christo peractam putent, quod passim Patres consecrationem, et *mysticam benedictionem* indiscriminatim accipiant : ut S. Thom. 3. part. q. 87. art. 1. ac alii post ipsum; et revera, quod consecratur, cœlesti benedictione repletur. Si autem iis opponas, fuisse benedictionem consecrationi præmissam, respondent, non semper Evangelistas res narrare, quo gestæ sunt ordine, ut pluries observavit August. lib. *de Cons. Evang.* Ad tollendam vero æquivocationem necesse est duplicem distinguere benedictionem, alteram pro oratione usurpatam sacris muneribus consecrandis facta, quam Christum more Judæorum Pascha celebrando præmisisse puto, et quam a consecratione diversam habeo : alteram vero, quæ mystica dona immutat, redditque sancta, benedicta, vivifica; quæ ipsa consecratio est, quam innuit Paulus, loco supra laudato.

Nota. Et si vera est hæc nostra sententia, ut ego arbitror, præsertim ob Tridentini supra relata verba; ac Concilii Florentini decretum, quo verba, quibus *Christus hoc Sacramentum confecit*, hujus Sacramenti forma declarantur; tamen nulla Ecclesiæ aperta definitio adest, quæ oppositam opinionem proscripserit. Id testantur Ambrosius Catharinus in fine opusculi 2. Alphonsus Salmeron, circa finem tract. 13. Juvenin, Tournely, Du Hamelius, Berti, aliique. Nec est verisimile, Ecclesiam voluisse damnare opinionem, ad facilius refutandos Hæreticos excogitatam, et quam Innocentius III. supra citatus probabilem asseruerat, ac propugnant Guido Bononiensis, Durandus, aliique a Catharino, et Capite Fontium recensiti.

PROPOSITIO II.

Eucharistiæ forma Christi verbis continetur.

(22. Hæc propositio, quæ paucos ex Orientalibus, ex Latinis vero minores adversarios habet, potest primum ex eo demonstrari,

Digitized by Google

quod verba, quibus Sacramenta fiunt, a Deo, qui vim ipsis indidit, sunt instituta. At præter verba *Hoc est*, etc., quæ alia verba Deus pro Eucharistia conficienda determinavit? Hæc solum sacri Scriptores commemorant, hæc unice Christi ac Divina verba esse tradidere Patres, ac ea tantum ex iis, quæ consecrationi necessaria habentur, sacræ Liturgiæ a Christo determinata asserunt. Quis enim est, qui Spiritus Sancti invocationem, precesque a Christo adhibitas, institutas, commendatas scripserit? Et cur potius preces illas ab Ecclesia humana institutas auctoritate non dicimus? Discurre per officia Sacramentorum omnium cum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ, in omnibus reperies invocationes, precesque, quibus Ministri rogant, ut Deus per Spiritum Sanctum suum, gratiam illam conferat, quam per illa se collaturum promisit. In iis preces illæ ab Ecclesia institutæ generatim creduntur, ac a forma Sacramentorum omnino diversæ habentur, immo et vere perfici Sacramentum sine illis firmissime creditur. Cur ergo uni Eucharistiæ hæ preces necessariæ putantur? Verum est, Eucharistiam, quæ necessitatis Sacramentum non est, non posse, ut Baptismum, et Pœnitentia, in ullo casu licite sine illis confici, quo sensu est a Patribus nonnullis assertum, sine precibus non fieri. At inde nefas est concludere, formam constituere. Sed videamus, quid utriusque Ecclesiæ Patres, quid traditio Ecclesiarum, quidve Liturgiæ ipsæ nos doceant.

Incipio a Latinis : Tertullianus lib 4. *contra Marcionem* cap. 40. ait, « Accepit panem, et distributum discipulis Corpus illud suum fecit dicendo : *Hoc est Corpus meum.* » Apud Cyprianum Auctor. serm. *De Cœna Dom.* ait : « Ex quo a Domino dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem, Hæc est caro mea: Hic est sanguis meus ;* quotiescumque his verbis, et hoc fide actum est, panis ille substantialis, et Calix solemni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit. » Ambrosius lib. *de Myst.* cap. 9. num. 52. « Quod si tantum, inquit, valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? » Et num. 54. sequitur : « Ipse clamat Dominus Jesus : *Hoc est Corpus meum.* Ante Benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem Corporis significatur. » Eadem vel ipse, vel quisquis est Auctor. *Libror. de Sacram.* qui Ambrosii nomine circumferuntur, lib. 4. cap. 4. num. 14. ait scribens, « Sermo Christi hoc conficit Sacramentum, » et num. 19 : « Fit Sanguis consecratione verbi cœlestis, » cap. 5. num. 23. « Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi. » Ne autem putent, orationem ab Ambrosio verba Christi nuncupari, audi ipsum loco citato *de Myst.* ita loquentem : « Ipse clamat Dominus Jesus, *Hoc est Corpus meum,* » et 4. *de Sacr.* cap. 5, num. 22. « illa verba Evangelistæ sunt ad usque *Accipite:* Inde verba sunt Christi. » N. vero 14. Consecratio autem, quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris; Ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. » Sanctus Augustinus *Serm. de divers.* 227. alias 83. inquit : « Panis ille, quem videtis in Altari : sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi, Calix ille, immo quod habet Calix sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi : » Verbum autem Dei est sermo ille Christi, *Hoc est*, etc. ut ex Ambrosio, aliisque Patribus aperte constat. Hic notare juvat. Amb. loco cit. *de Myst.* cap. 6. dicere, « per benedictionem panem consecrari, sive illius *naturam mutari*, » et Aug. lib. 3. *de Trinit.* cap. 4. asserere, « Eucharistiam prece mystica consecratam ; » ubi uterque verbis Christi precum, vel benedictionis nomen tribuit. Eusebius Emissenus, vel alius sub ejus nomine *Hom. in Ramis palmarum :* « Dixit, inquit, Christus tunc per se, et modo per suos Ministros, *Hoc est Corpus meum*, et tanta est ejus verbi virtus et efficacia, ut statim fiat, quod dicitur. » Ita Auctor quoque loquitur sermonis 28. *de verbis Domini*, qui Augustino tribuitur, et sermonis 5. *de Paschate*, qui nomine Eusebii Emisseni circumfertur. Quibus addimus Paschasium l. *de Corpore et sanguine Domini*, c. 12. et c. 15. Remigium Antissiodorensem, et Stephanum Eduensem aliosque a Martenio citatos; ex quibus sufficienter probamus, universalem Patrum Latinorum cujusque ætatis sententiam satis etiam significatam, et explicatam in Conciliis Florentino, et Tridentino, occasionem dedisse Rubricæ jussu Pii V. Missali Romano præmissæ, quæ tit. *de Defectu panis* hæc habet : « Si celebrans ante consecrationem advertit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit. Si advertit post consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet illis verbis, *Qui pridie*, etc. Quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua, et facta prius oblatione ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*, » etc. Quæ sane innuunt, sine precibus, et invocatione, Latinæ Ecclesiæ judicio Eucharistiam consecrari. Venio nunc ad Græcos Patres. Primo loco afferemus Justinum Martyrem. En verba ex Apol. 2, circa fin. deprompta, ubi Eucharistiam consecrari, ait, δι' εὐχῆς λόγου per orationem verbi; nomine autem εὐχῆς non effusam deprecationem, sed expressam a Christo Dei Verbo, animi sententiam, verbis designat, cum paulo post, Verbi orationem sive deprecationem illam fuisse asserat, quæ in Evangelio reperitur, nempe, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Atque hic notent velim Adversarii, εὐχῆς seu *preca-*

Digitized by Google

tionem, vel orationem Græcos, Patres illam Christi orationem vocare, qua dicit *Hoc est corpus meum*, sive quod vox illa quamlibet animi sententiam verbis expressam significare quoque valeat, ut nonnulli censent sive quod eo animo verba illa prolata, quo Christus eadem pronuntiavit, eam præ se mentis humiliationem, ac desiderium, voluntatemque ferant, quæ proferentem, vere precantem constituat, Irenæus, qui paulo post Justinum sæculo II scripsit, lib. 4, *adv. Hæres.* c. 32, in edit. vero Massuet. 17, num. 5, aperte ait, « Dominum vertisse in Corpus suum creaturam panis, dum dixit, *Hoc est Corpus meum;* » et lib. 5, cap. 2, num. 3, « de pane et vino, inquit, et percipientia Dei verbum Eucharistia fiunt. » Vides ergo, Irenæum verbum Dei appellare verba Christi supra relata, quæ verba lib. 4, cap. 43, antiquæ edit. *Invocationem Dei* appellaverat, dum dixerat : « Panis percipiens invocationem Dei... est Eucharistia. » Sed audiamus Myssenum, qui clarius exponit, quid hic *verbi* nomine veniat apud antiquos Patres Græcos. *Or. Cathech.* cap. 37 de pane ita loquitur : « Statim per verbum in corpore mutatur, ut dictum est, a verbo, *Hoc est corpus meum.* » Origenes quoque *in Matth.* ad hæc verba, *Quod intrat in os*, etc. Eucharistiam vocat « Cibum per verbum Dei, et precationem sanctificatum, seu consecratum, » ubi sane totam Liturgiam designant, quæ preces complectitur, et verbum Dei, seu Christi verba, quæ hoc nomine designantur. Nazianz. Orat. 2, de Pasch. ait : « Prolatis verbis a Sacerdote, *Hoc est Corpus meum*, qui non credit esse Corpus Christi, certe fidem derogat. » Epiphan. *in Anchorato* : « Voluit, inquit, Christus per gratiam dicere, *Hoc est corpus meum*, et nemo non habet fidem sermoni. » Ne vero nimis in longum orationem protraham, tres tantum addam ex Græcis Patribus. Chrysostomus magni apud Orientales nominis, Hom. 2, *in Epist. ad Timoth.* demonstrat, eamdem esse oblationem Christi, ac Sacerdotum, quia iisdem ii utuntur verbis, ac Christus est usus : « Quemadmodum, inquit, verba, quæ protulit Christus, eadem sunt, ac quæ Sacerdos nunc quoque pronunciat, et oblatio eadem est. » Et *lib. de Proditione Judæ*, habet : *Hoc meum est Corpus*, inquit Sacerdos. Hoc verbum proposita in aliam formam convertit. Accedit etiam, pluries Chysostomum dixisse : « Sacerdotes Eucharistiam conficientes ita se gerere, tamquam Christi personam induti, et quasi ipse esset, qui diceret, et faceret. Quare? Quia nomine Christi dicunt, *Corpus meum*, et Christi virtute semel verbis illis concessa Eucharistiam perficiunt. » Similia habet Damascenus lib. 4. *de Fide Orth.* cap. 13 ; ait enim : « In principio dixit Deus, *Producat terra herbam virentem*, et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa, et roborata fructus suos profert. Dixit perinde Deus, *Hoc est Corpus meum, et Hic est sanguis meus, et hoc facite in meam commemorationem* : idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur. » Ubi explicat, fieri hæc per invisibilem Spiritus Sancti operationem, quam per invocationem Ecclesia significat, ut nos infra ostendemus. Joannes Phurnes apud Allatium *de Cons. Occiden. et Orient. Eccles.* c. 15. *in Epist. de Ritibus in Communione immutatis*, ait : « Panem benedictionis videmus ab Apostolis sanctificatum illis tantummodo verbis, *Hoc est*, » etc. Et Græcos Patres.

Discurramus nunc per universas Orientis Ecclesias, quarum unanimis hac de re consensus rem potest extra controversiam omnem collocare. Ad Syros quod spectat, sive Jacobitas, sive Orthodoxos, supervacaneum duco, eorum in medium proferre testimonia, quorum longam seriem videre est apud Assemanum in *Biblioth. Orientali*, ejusque Nepotem, qui eruditam de hoc argumento dissertationem edidit, ac doctissimum P. Benedictum Societatis Jesu in dissertatione præfixa *secundo Operum S. Ephrem Syritoma*. Ii enim ostendunt, penes hujusmodi gentem inauditam esse Cabasilianam opinionem ; ac Auctores omnes, dum verba designant, quibus hoc fit Sacramentum, Christi verba recensere ; licet plures ex iis sint qui dum velint in *Missa* Eucharistiam confici significare, soleant quandoque asserere, per Christi verba, et Sacerdotum preces, aut invocationem perfici ; quod nemo negat. Quod ad Armenos attinet, quos tanto studio Brunus in suam trahere conatur sententiam, adest Concilium ab illis coactum anno 1342. in quo palam omnes professi sunt, hujus Sacramenti formam esse Christi verba, ut legere est apud Marten. tom. 7. *Collect. Anecdot.* Adsunt præterea Fidei confessiones, quæ tom. 3. *de perpetuitate fidei circa Eucharistiam*. recensentur, in quibus solis Christi verbis vis consecrandi tribuitur. Harum altera ab eorum Patriarcha, quatuor Episcopis, et nonnullis Presbyteris Alippi edita fuit an. 1668. altera vero Romæ a Patriarcha Hariadour. Similia exponunt aliæ fidei Professiones in eodem recensitæ opere, nempe professio fidei Ecclesiæ Damascenæ, et Matthæi Patriarchæ Alexandrini Cophtorum, in cujus confessione Ægyptiorum, atque Æthiopum omnium sententia declaratur de consecratione solis Christi verbis perficienda. Græcorum quoque in eodem insunt opere fidei professiones idem declarantes, scilicet Metropolitæ Gazæ, nonnullorum Moscoviticæ Ecclesiæ Presbyterorum, Nicolai Spadarii, aliorumque, qui in toto Moscoviæ Imperio istam consecrandæ Eucharistiæ rationem explicari declararunt. Mitto Georgium Coresium, Gabrielem Philadelphiæ formam hujus sacramenti Christi verba statuentem, et Photianos quamplurimos, quos Papadopoli recensuit. Unum sufficiat Palamiticum Concilium, cujus acta Iassis in Moldavia recusa fuere ann. 1498. In eo novitatis accusatur, atque damnatur Cabasiliana opinio, per hæc verba : « Damnatur novitas opinionum, quas invexit in Ecclesiam Nicolaus Cabasilia, qui tribuit consecrationem sacrorum donorum precibus, quod nec dictum fuit ab aliquo SS. PP. nec ab ullo Canone ordinatum,

Digitized by Google

nec consentit cum placitis Ecclesiæ, quæ implorat adventum Spiritus Sancti precibus, non ad panem Corpus, et Vinum Sanguinem omnino efficiendum, sed ut redundet in utilitatem nostram. » Sed ut appareat, ante Nicolaum Cabasiliam, inauditam fuisse, in medium proferamus Græcos Patres, qui Florentino interfuere Concilio. Archiepiscopus Nicænus suo, et aliorum Ecclesiam Orientalem repræsentantium Patrum nomine, coram Eugenio P. M. ac tota Synodo : « Volumus, inquit, adhærere sententiis Sanctorum Patrum, et rationibus, spretis humanis inventis, Cabasiliana scilicet opinione, de qua disputatur. » Et Julianus Cardinalis S. Sabinæ referens Patribus, quæ post disceptationem Græcos inter atque Latinos a sex Deputatis pro expositione illorum, quæ definienda essent, stabilita fuerant, de Consecrationis Eucharistiæ forma dixit : « Græci confessi sunt, auditis nostris rationibus, quod semper tenuerunt, quod solis verbis Dominicis conficeretur, et quod putarent anathema, qui aliud crederet. » Fuit institutum, ut hoc poneretur in definitione : « dixerunt, quod hoc non erat necessarium ; immo si hoc poneretur, Ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, ac si hactenus tenuisset aliud. Unde cum semper fuerimus concordes in hoc, definitio non debet fieri nisi in dubiis, et sumus parati confiteri, quod tenemus sicuti vos, quod in verbis solis Dominicis conficitur. » Si hæc, quæ Græci in Florentina Synodo exposuerunt, cum iis conferantur, quæ supra indicavimus, satis notum esse arbitror, non minus in Occidente, quam in Oriente, veluti Novatores habitos esse Cabasilianæ opinionis propugnatores. Ex Orientalibus allata jam monumenta probant ; quod vero ad Latinos attinet, addere quoque possumus, Catharini, et a Capite Fontium opera fuisse statim Sedis Apostolicæ auctoritate proscripta; Toutæum vero, atque Brunum novitate opinionis plures commovisse in Gallia, et in Italia, qui ex professo eorum opinionem, ut novam, ac etiam temerariam, ut Assemanus junior publice Romæ asseruit, et propugnavit ; refutaverunt. Hæc sane rem maxime suspectam faciunt. Quid vero, si Patrum addantur supra relatæ auctoritates ?

Sed, inquit Brunus, Antiqui Patres uno fatentur ore per verba Christi, ac per preces Eucharistiam consecrari.; et Liturgiæ omnes Spiritus Sancti invocationem habent, qua Deus rogatur, ut panem vinumque transmutet, quæ apud Orientales sequitur verba Christi, apud Latinos vero præmittitur, habeturque in oratione illa, quæ incipit, ***Quam oblationem tu Deus***, etc. Opinio ergo illa, inquit, de solis Dominicis verbis Eucharistiam conficientibus recens est, et post undecimum sæculum Scholasticorum cerebro conficta, qui traducto ex Arabum philosophia in Theologiam materiæ, ac formæ vocabulo, ac juxta a se excogitatum systema res metientes, formæ nomen ad sola Christi verba restrinxerunt. Sed quis hominem tam inepte philosophantem ferat? Nam credibile non est, in re tanti momenti, et quæ Presbyteris omnibus ignota esse non poterat, quamque Episcopis omnibus statuere debemus omnino exploratam, potuisse Scholasticos novam opinionem excogitare, quæ partem tollendo necessariæ formulæ potuisset eo tendere, ut nullum conficeretur Sacramentum nemine prorsus reclamante. Ac multo minus credibile est, tam brevi tempore hanc fuisse per Occidentem et Orientem ita sparsam, ut eam apertis ulnis amplexi sint omnes. Itane Græcos erga Latinos affectos fingamus, ut in ipso schismatis fervore, statim a Latinis nova, ac eorum majoribus contraria de Eucharistiæ confectione, sententia excogitata fuit, eam omnes amplexi sint, nullo penitus contradicente? Tam hardi erant Sacerdotes, tam stupidi Episcopi, ut passi sint omnes sine contradictione, in scholis tradi, ac palam doceri opinionem, quæ opposita esset sententiæ, quam illi didicere, dum sacrum suscepere Presbyteratum; et quam isti docere debuerant eos, qui ad ordinem hunc promoverent? Neque enim præsumi potest, Presbyteros, ac multo minus Episcopos id ignorasse. Immo cum per plura sæcula circa Sacramentorum formulas disciplina viguerit arcani, ut Schelestratius, aliique Viri docti demonstraverunt, potius ex tradita ore ab Episcopis, Presbyterisque doctrina forma Sacramentorum, et præsertim Eucharistiæ, quod quotidie ab ipsis conficiendum erat, quam ex scripto traditis monumentis, colligenda videretur. Quamobrem, cum postquam propriis vocabulis hujus, et cujusque Sacramenti forma designari cœpit, verba tantum Christi hoc nomine appellata ubique fuerint, præsumendum est, hanc fuisse traditam a Majoribus sententiam.

Sed expendamus sophismata. Primum vero statuo, Eucharistiam in Missa confici, quæ verbis Christi, et precibus constat : quamobrem, ut dici solet, in Missa consecratur Eucharistia, ita potest asseri per Orationem fieri, et verba Christi, quia verba Christi sine reliquis Orationibus numquam in Eucharistia perficienda adhibentur. Deinde, Formæ Sacramentorum Invocationis, Orationis, et Precum nomine a Patribus designantur : Tertullianus, Cyprianus, et Ambrosius invocationis nomine donarunt verba quibus conficitur Baptisma ; Irenæus, et Firmilianus Invocationem dixerunt verba Christi, quibus fit Eucharistia, eamdemque Origenes appellavit preces, ut Huetius *in Origenianis* observat. Immo quæ Latini verba Sacramenti vocant, Græci passim nominant orationem, et invocationem : Hinc Gabriel Philadelph. inquit, ***Forma Baptismi est invocatio SS. Trinitatis.*** Atque hinc liquet, Patres aliquando invocationis precumque nomine ipsa Christi verba designasse ; quandoque vero, innuere voluisse ea, quæ Christi verba, quibus unice vim transmutandi inesse docuerunt, in sacra liturgia, vel præcedunt, vel subsequuntur.

Quoniam vero ad invocationem nos provocat, quæ in Liturgiis reperitur, principio aio, non constare invocationem fuisse a Christo Domino institutam, atque præceptam.

Digitized by Google

Nam cum constet, invocationes, quæ in aliorum Sacramentorum administratione adhibentur, fuisse omnes Ecclesiæ auctoritate institutas, id quoque de hac invocatione præsumendum est. Et jure, atque merito, missa enim Gregorii Magni auctoritate, ex quo colligunt nonnulli, Apostolos sola Evangelica historia, cum Christi verbis, et Dominica oratione consecrasse, doctissimus Maffæius ex Irenæi fragmento probat, secundo Ecclesiæ sæculo non fuisse invocationem hanc in omnibus Ecclesiis receptam, aitque in Missalibus Gallicanis a Mabillonio editis desiderari, ac in antiquis nonnullis Liturgiis deesse. Quid ergo præsidii habet in illa invocatione Cabasiliana opinio? Expendamus vero Liturgias ipsas Orientalium. I. In iis præscribitur ut Sacerdos, cum ad Evangelica verba pervenerit, recitata submissa voce, et cursim institutionis historia, Christi verba distincte, et elevata voce proferat, ut populos magnum opus effici moneatur; immo in ea, quæ Marci dicitur, Diaconus populum hortatur, ut enixe oret; ac refert Maffæius ex viris fide dignis, Orientales, dum ea proferuntur, caput demittere, et venerari, atque eos, qui rem magis cognoscunt, secum ipsos Christum præsentem fieri profiteri. Quod quidem vel in ipsis Cophtorum Liturgiis præscriptum videtur, quæ populo acclamante præcipiunt. *Amen*. Hanc autem acclamationem institutam ab Ecclesia fuisse, ut fideles Eucharistiam suscipiendo, eam Christi Corpus esse profiterentur, docuere Cornelius Papa in *epist. ad Fabium Antiochenum;* Cyrill. *Catech.* 23; Hieron. *epist. ad Pammach.* et Ambrosius, qui refert, a Fidelibus adhiberi quoque consuevisse ad significandum jam fuisse consecrationem peractam; sed quid illa apud Ægyptios acclamatio significet, non opus est ex Antiquis monumentis argumentari; Æthiopes enim, qui ex Ægyptiis disciplinam, ac Liturgias accepere, quique simpliciorem antiquam servavere fidem, ita solent acclamationem exprimere; postquam Populus acclamaverit *Amen*, post Christi verbi prolationem, subdit, « Credimus, certo scimus laudamus te, Domine Deus noster, Hoc est vere, et ita credimus Corpus tuum. »

Ut vero appareat, nil ex illa non posse invocatione argumentari, hic observare juvabit, nullum reperiri nequidem apud Orientales Sacramentorum officium, in quo præter formam, qua Sacramentum fit, preces non occurrant, etiam post Sacramenti confectionem recitandæ, in quibus Deus rogatur pro gratia, quam per illud Sacramentum confert. In Baptismo Deum orant, qui Severi Antioch. ordine utuntur, ut sanctificet hominem, etiam postquam baptizatus, et sanctificatus est. In Confirmatione oratur, ut Confirmatum Deus confirmet, et perficiat; idem occurrit in Ordinato, in quo rogatur Deus, ut illi auctoritatem, et potestatem conferat; et in administratione Sacramenti Pœnitentiæ postquam per absolutionem peccata remissa creduntur pœnitenti, Sacerdos orat, *ut passio Christi*, etc. *prosit illi in remissionem peccatorum*, etc. Idem in oratione pro defunctis Ecclesia rogat, ne absorbeat earum animas Tartarus. Sicut ergo hæc invocationes, precesque ex institutione Ecclesiæ ad momentum referuntur, vel in quo confertur Sacramentum, vel transitus hominis ex hac vita: cur invocatio illa, quæ post consecrationem in Liturgiis Orientalium recitatur, ad illud instans referri non poterit, quo per Christi verba Sacra dona transmutantur? Accipe verba Episcopi Ostiensis in *scholiis in Constit. Apostolicas*: « Constans, et perpetua fuit omnium Patrum sententia verbis Domini tantum mysterium administrari, quod vero hoc loco dicitur (loquitur de invocatione) ad superiora verba respectum habet, et ad illa referri debet. Ut enim quæ ante consecrationem dicuntur, ad oblationem Corporis, et Sanguinis dirigenda sunt, sic quæ post consecrationem mystice precatur, et facit Sacerdos, ad unum peractæ consecrationis actum tribuuntur. Sacerdos ante consecrationem tenens manu Patenam et Calicem dicit se offerre Hostiam immaculatam pro peccatis, et Calicem salutaris. Quæ actio respondet oblationi Corporis, et Sanguinis faciendæ tunc anticipatione quadam Sacerdotis mente, atque proposito conceptæ. Ita post consecratam Eucharistiam, invocatur Spiritus Sanctus illorum munerum Sanctificator, et peracti operis una cum Patre, et Filio effector. Quæ invocatio non est separanda a prima actione, qua Sacerdos verba Domini proferens, panem, et vinum consecravit; sed ad eumdem actum revocari debet. Immo ad idem temporis momentum, quo illa admirabilis conversio facta est: Nam cum omnia simul, atque uno tempore fieri non possint, ordine, ac temporis intervallo disponuntur. Quæ vero sermone, et tempore dividuntur, cogitatione, et intelligentia sunt in unum conjungenda. » Dici quoque potest, per invocationem illam, quam Græci Patres Concilii Florentini respondere dixerunt Latinæ preci incipienti: *Jube hæc perferri per manus*, etc. Deum rogari, *ut sit Christi Corpus communicantibus in purgationem animæ*, ut Græci illi Patres fassi sunt, et ut etiam in Liturgiis nonnullis indicatur in quibus dicitur, ut panis *Christi Corpus suscipientibus fiat*, hoc est, ut prosit tamquam verus, spiritualis, ac divinus cibus.

Quod spectat ad Argumentum ex voce *Antitypa* desumptum, aio in Liturgia Basilii post Christi verba, sed ante invocationem Spiritus Sancti, oblata dona, appellari *Antitypa* Corporis et Sanguinis Christi, hoc est, figuram Corpris et Sanguinis Christi: sed inde Cabasiliani non recte deducunt, non esse per Christi verba in Corpus, et Sanguinem Christi transmutata. Nam certo constat a Patribus, species panis, et vini post consecrationem appellari *Antitypa Corporis et Sanguinis Christi*, quod species illæ sint symbola Corporis Christi non absentis, sed præsentis, et sub iisdem latentis, et quod figura sint Corporis Christi, ut fuit in Cruce. Ita Cyrillus Cat. 5. Nazianzenus orat. 2. Macarius, aliique ab Arcudio, et Allatio relati. Deinde in Basiliana Liturgia dum Sacra dona

Digitized by Google

Antitypa vocantur, ad tempus illud referuntur, in quo ante Christi verborum prolationem oblata fuere. Ita enim latine reddita sunt a græcæ linguæ peritis Basilii verba: *Et nos, qui proposuimus Antitypa Corporis, et Sanguinis tui.* hoc est, qui obtulimus panem, et vinum, quæ figura sunt Corporis, et Sanguinis tui.

Huic solutioni favent etiam Damascenus Joannes, et Epiphanius, qui, ait Tournelius de *Sacr. Euchar.* Art. VIII. nobis significat, vocem illa *Antitypa*, referendam esse ad tempus antecedens prolationem verborum Sacramentalium, licet post illam ordine collocetur in Liturgia.

Nota I. Orientales nonnulli Scriptores, præsertim Syri, causam quoque afferunt, ob quam invocatio Spiritus Sancti in Orientalium Liturgiis post Eucharistiæ institutionis historiam, et Christi verba collocata sit, licet per eam postuletur, ut id fiat, quod divina virtute per Christi verba fieri debet: censent enim, ibi esse posita, ut in Sacra Liturgia divinas personas invocando, ordo habeatur, quem invicem servant. Hinc primum Æterni Patris ut Creatoris, et rerum omnium Conservatoris; deinde Æterni Filii, qui homo factus Eucharistiam instituit, cujusque verbis a Sacerdote ejus gerente personam prolatis, Eucharistia consecratur; ac postremo loco Spiritus Sancti mentio, et invocatio occurrit, cui secreta actio, in qua prolatione Christi verborum transmutantur oblata, et Sacramenti effectus tribuuntur.

Nota II. Quamquam erroris notam vitare nequeunt qui Christi verba nullo modo ad Eucharistiæ consecrationem pertinere arbitrantur, et sine ipsis quoque Eucharistiam fieri posse docent; tamen nostrum non est damnare opinionem illorum, qui præter illa verba, etiam invocationem necessariam esse censent, ut Sacramentum fiat. Nam horum opinionem, quam Brunus, Touttæus, ac nonnulli alii Catholici tuentur, Ecclesia nondum proscripsit.

PROPOSITIO III.

Hæc tantum verba sunt consecrationi necessaria, et essentialia: Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus, *vel* Hic est Calix Sanguinis mei.

(23. Hujus propositionis demonstratione clarius fiet, nil in Orientalium deesse Liturgiis, quod sit ad Eucharistiam conficiendam necessarium, ac non posse Missionarios, Theologos, neque etiam Episcopos ea propria auctoritate Liturgiis addere, quæ in nostra Latina in Calicis consecratione recitantur. Neque nova sunt afferenda monumenta, ut demonstratio pateat. Nam relatæ superius Patrum auctoritates rem extra controversiam ponunt. Omnes enim vim consecrandi Christi verbis inditam a Deo fuisse asserunt, quæ verba a Sacerdote in ipsius Christi persona prolata id efficiunt quod significant. Ita Justinus, Irenæus, Chrysostomus, Epiphanius, Damascenus, et ex Latinis Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, aliique. Significant vero Christi Corpus, et Sanguinem verba, quæ nos exposuimus, dum nomine Christi, ac veluti in persona ipsius a Sacerdote proferuntur, ut est exploratum. Accedit etiam, Patres, quos nominavimus, aperte asserere per illa tantum verba consecrari, cum illa tantum recenseant, dum ea referunt quæ Eucharistiam perficiunt. Idemque Florentinum Concilium judicasse, cum dixit, fieri Eucharistiam Christi verbis; et Tridentinum, dum docuit, vi verborum in Hostia Corpus Christi reperiri, Sanguinem vero comitanter; in Calice vero *Sanguinem*, et comitanter Corpus, etc. Quæ sane verba perspicue ostendunt, Christi verba *assertive* pronunciata id efficere, quod significant. Rursus illa verba, *Qui pridie*, etc. *Accipiens Calicem*, etc., non Christi, sed Evangelistarum sunt, et particula *enim* nexum tantum orationis designant; illa vero alia *accipite, et comedite* usum Sacramenti commemorant, sicut alia, *qui pro nobis frangetur*, vel *æterni*, etc., in plerisque Liturgiis desunt.

Quis ergo dicat, Evangelistarum verba ac alia, quorum nulla apud Patres mentio est, et quæ in plerisque Liturgiis desunt, ad essentiam consecrationis pertinere? Nemo enim non videt, Evangelistarum verba ad historiam rei gestæ spectare; quæ ex gravi præcepto sunt adhibenda, qui ostendunt Sacerdotum Christi personam gerere, cujusque nomine consecratoria verba proferre, sed ad rem perficiendam, quæ verbis significetur, neutiquam pertinere.

Neque vero dicant Scotistarum nonnulli, esse illa Evangelistarum verba omnino necessaria, quia hac unice ratione ostendi potest, Christi personam gerere Consecrantem, et quia alioquin non Christi, sed suum Corpus designaret, dum ait, *Hoc est Corpus meum.* Nam si Sacerdos eo animi proposito ac voluntate verba a Christo, pro hoc conficiendo Sacramento, stabilita proferat, ut velit id efficere quod Christus perfecit, fierique a Sacerdote ejus nomine agente, mandavit; si in Christi persona, cujus ministerium gerit dicere contendat, *Hoc est Corpus meum*, quid aliud necessarium est ad determinandum, ut non de proprio, sed de Christi Corpore loquatur, dum ait, *Hoc est Corpus meum.* Verba enim a Christo sacramentorum formulæ constituta, dum a Ministro eo animo applicentur, ut facere velit quod Christus instituit, et quod facit Ecclesia, satis sunt ad Sacramenta conficienda, juxta decretum Synodi Florentinæ. Quare ergo verba Christi hac ratione prolata non sufficient ad consecrandum? Patres enim eamdem istis verbis ac formæ aliorum Sacramentorum vim perficiendi Sacramentum tribuerunt. Itaque sicut in aliis Sacramentis, ita, et in hoc intentio Ministri, qua consecrare vult, quaque nomine Christi *assertive, et significative*, illa verba profert, satis superque est ad Sacramentum perficiendum, et ad significandum non propriam, sed Christi personam gerere, dum dicit, *Hoc est Corpus meum.* Non negamus, in Rubrica *de defectibus Missæ*, supra a nobis relata præscribi, ut defectus materiæ panis, qui

Digitized by Google

peracta jam consecratione cognoscatur, ita suppleatur, ut adhibita apta materia, Sacerdos consecrationem a verbis *Qui pridie*, exordiatur. Jubet id Ecclesia, fortasse ea quoque de causa, ut etiam per verba Evangelica exprimatur Sacerdotem Christi personam gerere. At nunquam docuit, verba illa, vel ad formæ essentiam pertinere, vel ex Christi mandato, necessario esse pronuncianda ut consecratio fiat, sed semper docuit, solis verbis Christi, hujus Sacramenti formam contineri.

Superest modo, ut difficultatem explicemus, quam Thomistarum opinio suggerit de Calicis consecratione, neque enim hæc tantum verba, *Hic est Calix meus*, aut similia, ad consecrandum sufficere autumant; sed omnia necessaria esse, quæ in Canone nostro leguntur; Quia S. Thom. lect. 6. in cap. 11. *Epist.* 1. *ad Cor.* ait, per illa tantum verba probabilius esse non fieri consecrationem: Et quia Sanctus Pius V. e Cajetani operibus assertionem huic Thomisticæ opinioni contrariam jussit expungi.

At hæc tanti momenti non sunt, ut dubiam ac suspectam reddant assertionem nostram. Primum: quia opinio hæc necessaria quoque putat verba illa *Mysterium fidei*, quæ ab Evangelistis, et plerisque Liturgiis maximæ auctoritatis omittuntur: Deinde, quia Patres, dum verba recensent consecrationis Calicis, hæc tantum commemorant: *Hic est Sanguis meus*, vel *Hic est Calix Sanguinis mei*; demum, quia Tridentini Patres, dum decrevere in Calice vi verborum inesse Sanguinem Christi, communem sequi visi sunt Theologorum assertionem, quæ statuit verba Sacramenti *significativa* esse, ac efficere quod significant. Ex quo jure meritoque conjicimus, sola illa verba, quæ perfectam, et completam Sanguinis Christi præsentis significationem exhibent, non secus ac illa alia, *Hoc est corpus meum* Christi Corporis, ad Calicis consecrationem sufficere.

Dicimus vero, S. Pium V. jussisse e Cajetani operibus assertionem expungi, quæ S. Thomæ injuriam irrogabat, cum asseret, opinionem illam S. Thomæ contrariam esse, de hoc vero nihil curandum, ut ex Gotti refert P. Berti. Ad S. vero Doctorem quod attinet, quamplures in nostram trahunt sententiam, aio, vel de formæ esse integritate locutum, ut loquitur etiam Catechismus Romanus; vel asserere voluisse, verba illa *Novi, et æterni testamenti*, etc., esse de essentia formæ, non ut subjecta materia consecretur, sed ad exprimendam Sanguinis effusionem, atque passionem Christi, ut doctissimus P. Berti observavit.

Nota. Diximus sæpe in superioribus propositionibus, verba Christi *significative*, et *assertive*, non historice tantum esse proferenda, secus ad Novatores arbitrantur. Hic autem animadvertere necesse est, antiquam Patrum, ac Orientalis Ecclesiæ consuetudinem verba illa alta voce pronunciandi assertioni nostræ neutiquam adversari. Nam alta voce antiquitus proferebantur, ac nunc etiam apud Orientales, ut populus respondendo *Amen*, fidei confessionem de Corporis Christi præsentia exprimat, ut Ambrosius exponit lib. de *Myst.* capit. 9. Addo, Orientalem Ecclesiam Evangelica verba submissa, elata vero voce Christi verba pronunciare, ut hac separatione doceat, se consecrationis verba, ut *efficientia* id quod significant, proferre. Verba itaque Christi *narrative*, seu historice Sacerdos profert, quatenus historiam commemorat institutionis, *significative* vero prout induens Christi personam, ipsius Christi nomine atque vice eadem proferendo, suprema virtute præsens fieri Corpus Christi demonstrant.

§ III. *De Eucharistia ejusque Ministro, et Subjecto.*

(24. Eucharistia sacramentum est Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini: hoc est panis, et vinum per verba a Sacerdote Christi personam agente prolata, in Christi Corpus, et sanguinem transmutantur, nihilque remanet substantiæ panis, et vini. Quæ nostris sensibus panem, et vinum exhibent, a Lateranensi, Florentina, et Tridentina Synodo appellantur species panis, et vini; a Constantiensi synodo, ac Theologorum plerisque accidentia panis, et vini; a Patribus apparentiæ, umbræ, figuræ, et velamina panis, et vini; immo Theodoretus, et Gelasius panis naturam appellavere, quod instar principii sint, ex quo motus oriuntur qui in nostris sensibus fiunt. Hæ appellationes sunt Latinis, Orientalibusque communes. Quid vero sint species, et apparentia, sive accidentiæ hujusmodi, quæstio est, quæ ad Theologos spectat. Nobis sat est indicare Deo, qui omnipotenti virtute sua per verba Christi panem in Corpus, et vinum in Sanguinem transmutat, non deesse modum vel conservandi species panis, et vini, aut eorumdem accidentia, vel efficiendi in nobis alio modo sensationem panis, et vini.

(25. Cum fides Orthodoxa doceat, sub hujusmodi speciebus divinum esse Christi Corpus, et Sanguinem, manifestum est, Sacramentum istud maximam a nobis exigere venerationem. Atque adeo decenter esse asservandum, custodiendum, deferendum ad infirmos, ac suscipiendum. Hinc Apostolica Sedes etiam Orientalibus inculcat, quæ ad istius Sacramenti venerationem spectant Conciliorum decreta. Et cum acceperit, vigere nonnullos apud Græcos abusus, præcepit, I. Ut Sacerdotes frequenter ad pœnitentiæ Sacramentum accedant, cum præsertim divinum Sacrificium sint peracturi; nec communicandos esse pueros rationis usu pollentes, ac altari servientes, nisi præmissa Sacramentali confessione, II. Tollendum esse abusum tundendi, vel exsiccandi species Eucharisticas, ut Sacramentum asservetur; III. Eucharistiam, quæ asservatur pro infirmis, octo, vel saltem quindecim diebus esse renovandam; IV. Non asservandam toto anno, et quæ asservata fuerit, sumendam V; Ne Monachi iter

Digitized by Google

agentes Eucharistiam secum ferant, neve eam vitandi periculi causa in privatis domibus asservent; VI. Ut unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stamneo Calice sacrificet, habens Thronos, seu corporale de lino candidum, et nitidum, et Altare mundis vestimentis opertum, vel decenti paratu ornatum : idem dicito de Sacris sacerdotis vestibus; VII. Ne mulieres Altari servire permittantur, Constitut. *Etsi Pastoralis*. Ut ii, quos dixi, abusus tollendi omnino sunt, ex Apostolicæ Sedis decreto, item et mores, sive consuetudines aliæ, si quæ sint in Orientali Ecclesiâ, quæ cum debita Eucharistiæ sive Corporis et Sanguinis Domini veneratione minime cohæreant, sunt omnino removendæ : ut v. g. mos, qui in Iberia, sive Mengrellia viget, tundendi Eucharistiam, eamque oleo Baptismatis miscendi, quo deinceps a Patrino totum Baptizati Corpus ungitur, et iis similes, illis Ecclesiæ legibus, quibus prohibentur consuetudines debitæ Sacramenti venerationi contrariæ, ac præcipitur Sancta sancte, ac decenter tractanda esse, censeri debent proscripti. Cavendum vero Missionariis, aliisque Sacris Ministris omnino erit, ne temere mores damnent, qui sint Latinis contrarii, quique apud Latinos pro indecentibus haberentur. Cujus quidem rei nonnulla afferemus exempla.

(26. *Primo*, Græci, Rutheni, Æthiopes, aliique Orientales sacrum facturi sacra dona parant, eaque Græci præsertim, et Rutheni, in minori Altari, quod iis *Prothesis* dicitur, præparant; ex hoc, Græci dum hymnus Cherubicus canitur, alii vero juxta propriæ Ecclesiæ ritum statuto tempore, ad Altare majus deferunt accensis cereis, cum thuribulo ac veneratione magna totius Populi, qui pronus oblata adorare videtur. Non defuere ex nostris, qui hanc cæremoniam superstitionis, ac idololatriæ insimulaverint; quod crederent, gentem illam veluti Sacramentum oblatum panem vinumque venerari. At injuria : nam ii fatentur, non alium se cultum exhibere, quam eum, qui debetur materiæ Deo oblatæ, pro Sacrificio præparatæ, sanctæ, mensæ addictæ, a Sacerdote benedictæ; et quæ necessario converti debeat in Christi Corpus, remanentibus ipsius speciebus : monentque dandum ei non esse latriæ cultum. Hæc autem cæremonia, et est usu comprobata, et cultum relativum tantum præsefert, qui donis debetur, quæ *antitypa* sunt Corporis, et Sanguinis Christi. Nil ergo in hoc reprehendi potest; sed Gens rudis est instruenda, ne dona illa, ut Christi Corpus, et Sanguinem veneretur.

(27. *Secundo*, Græci, ut auctor est Gabriel Philadelphiensis, ex traditione Majorum particulas in Sacro disco reponunt, easque non consecrant, sed consecratam hostiam tangere curant, atque offerunt in honorem B. M. V., S. Joan. Bapt. etc. Hac etiam de causa superstitionis damnati fuere a Latinorum nonnullis. Injuria tamen : etenim has nec consecrari credunt, nec ut Dominicum Corpus distribuunt, sed quod Deo fuerint in Sanctorum honorem oblatæ, quodque sacram tetigerint Eucharistiam, per participationem quandam sanctitatem accipere, ac devoto animi affectu suscipiendas esse, docent : Neque id adeo facile privatus quisque ante Ecclesiæ judicium damnare potest, cum nullam per se superstitionem ferat.

Sed ut omnia, quæ ad rem hanc pertinent, ex Orientali disciplina exponamus, ea hic addimus, quæ a Benedicto XIV. in explicatione tertii Moniti Græcorum Eucologio præmissi exposita sunt : « Duos, inquit, habet Græcorum Liturgia ingressus, alterum majorem, minorem, alterum nuncupatum.

« Minor est ille, quo Sacri Evangelii codex infertur; major autem ille est, quo sacra dona, nimirum panis, et vinum, non adhuc consecrata a parvo Altari, seu mensa, quæ *Prothesis* dicitur, super quam præparata fuerant, supplicationis ordine instructo, ad sacrum Altare deferuntur. In majori ingressu ritus hujusmodi observatur, ut panis in patena obtectus velo supra caput deferatur, vel a Diacono, vel a Sacerdote; a Diacono scilicet, quando solemne officium Missæ celebratur cum assistentia et ministerio Diaconi. Tunc enim hic sinistra manu patenam cum pane supra caput sustinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui Calicem cum vino utraque manu gestat; si vero Sacerdos sine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoletur, Sacerdos autem supra caput suum sinistra manu sustinet, dextera autem sacrum Calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur majorem ingressum contingit, ut populus inclinetur, seu, pro vario regionum more, in terram procumbat, ac fronte humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis, et vini, licet nondum consecrati, Corpus et Sanguis Christi Domini contineretur. » « Populus passim, in Græcis quidem, valde dimisse se inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum; in Russia vero prosternit se, terram fronte percutit, ac velut præsentem in ea oblatione Cœlorum Regem alloquitur, et adorat, » ait Arcud. lib. 3. cap. 14. Christianus Lupus part. 3. suorum operum sup. Concil. ritum describit majoris ingressus, quando Patriarcha, aut Metropolita celebrant; Magri in vocabulario Eccl. verb. *Prothesis*, singillatim describit quæcumque fiebant ab Imperatore sacræ Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat; Goarius in *not. ad Lit. Chrys.* num. 110. totam actionem ingressus majoris accuratissime exponit. Idemque fit a Bona. Quæcumque vero ea occasione a Græcis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Cophtis, Æthopibus ac Syris Jacobitis, ut Brunus, Renaudot aliique referunt. Quin etiam in Romana Urbe, in festo S. Athanasii, videre est Græcos in sua Ecclesia, ea omnia facientes, quæ supra recensuimus.

Perspectum est, Græcos ad normam can. 52. Trullani, « in omnibus sanctæ quadragesimæ jejunii diebus, præter quam Sabbato, et Dominica, et Sancto Annunciationis die,

Digitized by Google

sacrum facere Præsanctificatorum Mysterium. » Dum Missam itaque Sacerdos in quadragesima celebrat, diebus, quibus celebrare liceat, unam quidem hostiam consecrat et sumit, alteram vero consecratam reponit; quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies, quibus præsanctificatorum Missa celebranda est, in qua seipsum, et alios, si qui sint, communicantes, Eucharistico Pane antea consecrato, Sacerdos communicat, ut rem describit Allatius in proleg. *ad Gabriel. Naudæum de Missa præsanct.* Hac etiam occasione per Ecclesiam solemni ritu proceditur, Diacono sacram Pyxidem, in qua Sacramentum sub specie panis continetur, supra caput deferente, Sacerdote autem manibus gestante Calicem, cum vino aqua mixto, non quidem consecrato, sed tantum benedicto. Et quoniam non semper a Sacerdote Missa cum assistentia Diaconi celebratur, si Solus Sacerdos celebrat, ipse sinistra manu defert Pyxidem capiti impositam, dextera autem Calicem sustinet; atque ita a parvo Altari ad Aram majorem progreditur, uti testatur Arcud. lib. 3. c. 58. Tunc vero non omittit Populus genua flectere, pectus tundere, aliisque idoneis actibus consecratum panem delatum, ut supra dictum est, adorare. Ab hoc ritu nonnulli ortam putant ex ignorantia quadam adorationem, quæ fit in majori ingressu, quamobrem eam damnavere Nicolaus Cabasilas in *expos. Liturg.* Arcuditus deinceps lib. 3. cit. cap. 19, allique; Immo Patres Concilii Zamosciæ, *an.* 1720. decr. *de Cel. Miss.* § 4, non dubitavere interdicere, « ne fiant genuflexiones, seu capitis inclinationes, dum transfertur panis oblationis a minori ad majus Altare, pro consecratione tempore offertorii, et voluerunt, ut Parochi Populum hac de re moneant, ne periculo idololatriæ exponatur. » Horum Patrum decretum Pontifex non improbat; recenset vero quid ea de causa in Congregationibus Romæ de Orientalibus cæremoniis habitis determinatum sit, ac statuit exclusum fuisse eorum temperamentum, qui ritum hunc tollendum existimaverunt: cum in Congreg. super correctione Euchologii, habita die 5 Septembris 1745, quæstione proposita, « an abolendus, seu emendandus foret Ritus ingressus majoris, omnibus mature discussis, constitutum fuerit, nihil esse innovandum. Idque subinde auctoritate nostra firmatum extitit. Placuit, tamen *sequitur Summus Pontifex*, consilium prudenter exhibitum, ut monerentur Episcopi, aliique curam animarum gerentes, ut nedum populum docere non prætermittant, quod dum sacra dona a Prothesi ad Aram majorem transferuntur solemni ritu, cum ea nondum sint consecrata, sub earum speciebus nequaquam existit Corpus et Sanguis Domini nostri Jesu Christi, prout futurum erit post consecrationem ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga præfata dona nondum consecrata exhibentur non ea ratione peraguntur, ut cultus Latriæ soli Deo debitus iisdem præstetur sed ut inferioris speciei cultus exerceatur, cujus objectum est futura transubstantiatio eorumdem donorum in Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. » Id quod a nobis supra expositum, et inculcatum fuerat, quod vel ipse Pontifex paulo infra laudare non dedignatur.

Ait deinceps Pontifex Max. de panis divisione, quam in minore mensa, seu Prothesi, Orientales faciunt, cujus pars major, ut Deo omnipotenti debitus adhibeatur cultus, offertur; reliquæ vero *minores*, quæ *Merides* vocantur, Omnipotenti itidem offeruntur, sed earum una in honorem S. Joannis Bapt., SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum etiam nomina a Sacerdote recensentur: alia pro vivis, quorum etiam nomina recitantur; alia pro defunctis, qui pariter nominatim commemorantur; alia in honorem illius Sancti, cujus festus dies celebratur; relicta cæteroquin Sacerdoti facultate offerendi specialiter Sacrificium pro illa, aut illis, quos ipse maluerit. Hujusmodi Ritum jamdiu viguisse probatur ex Diptyco Irenes Augustæ, edito a Patre Montfaucon tom. 1. *Analect. Græc.* cap. 34. Si vero Episcopus, aut Presbyter primam celebrantis personam sustinens, cum aliis Sacerdotibus concelebret, et Diaconi quoque in officio ministrantes assistant, non modo quilibet Sacerdos, sed unusquisque etiam ex Diaconis, Hostiam unam majorem offert, simulque minores particulas, seu *Merides;* ex quibus si quæ demum supersunt a Celebrante, seu Celebrantibus non consummatæ, distribuuntur adstantibus, qui Eucharisticæ communionis participes fieri petunt. De hoc ritu quæstio in Florentina Synodo instituta fuit, sed cum Archiepiscopus Mitylinensis propositis interrogationibus apte satisfecisset, nil fuit innovatum; Simeon Thessalonicensis in suo tractatu *de Sacramentis* visus est dubitare de particularum consecratione; sed cum super omnes eadem a Sacerdote proferatur verborum forma, dubitatio irrationabilis fuit.

Dubitatum inter Catholicos fuit de Diaconali, quam diximus, oblatione: Atque Arcudius, aliique putant vere eam tollendam omnino esse; quia Diaconis offerre ad Altare oblationem sacri Canones interdicunt. Sed etsi Canones sacram oblationem fieri prohibeant Diaconis, quæ in sacro Altari a solo Sacerdote fit, nunquam vero damnant oblationem, quæ in Mensa, sive Prothesi fieri ab antiquis temporibus etiam ab ipsis consuevit. Hinc in congregatione pro Orient. ritibus habita 3 Januarii 1745. proposita quæstione: « Utrum tollenda esset oblatio, quæ a Diaconis fit ad Prothesim? » rescriptum fuit: *Nihil esse innovandum;* ac rescriptum Pontificia auctoritate comprobatum fuit.

(28. *Tertio*, Latina Ecclesia, ac Orientales pleræque venerationis causa prohibent, ne Eucharistia cooperto capite celebretur. At cum in Sinensi, eique finitimis regnis « detecto capite manere, vel operari non fit reverentia sed sit irreverentia, et scandalum generet, non devotionem, » Romani Pontifices permisere Missionariis cooperto decenti pileo capite

Digitized by Google

celebrare, ac Neophytis Eucharistiam recipere, quoadusque Gens illa ita edocta fuerit, ut ritus Romanæ Ecclesiæ non abhorreat; Ex brevi Clementis X. 23 Decembris 1673. et aliis. Quamobrem non adeo facile damnandi erunt, si qui sint in Oriente Patriarchæ, vel alii, qui cooperto capite sacram Eucharistiam celebrent vel distribuant. Nam in iis deesse potest irreverentia, cum sit res indifferens. Hinc Asseman. infert injuria a Josepho II, damnatos esse Patriarchas Nestorianorum, quod cooperto capite Eucharistiam, vel celebrent, vel recipiant, vel administrant. Nam scribit Balsamon lib. 7. *juris Orient. Alexandrinum Patriarcham rem divinam facere mitra caput obvolutum*, alios vero Orientales aperto capite. Et Monachi omnes S. Antonii Abbatis, sive Cophti, sive « Syri Maronitæ, cucullam monasticam in Liturgiæ celebratione, et in ipsa Eucharistia consecratione, vel perceptione retinent; » idque ex præscripto Sancti Pacomii Abbatis Regula 91. eamque regulam refert Cl. Asseman. diss. *de Syr. Nest.* pag. 306. part. 2. *Bibl. Orien.* Itaque, ubi viget usus celebrandi, ac recipiendi Eucharistiam detecto capite, ex Ecclesiæ præcepto sola Apostolica Sedes dispensare valet; ubi vero contraria vigeat ex majorum traditione consuetudo, nihil est, nisi ex Apostolicæ Sedis decreto, immutandum.

(29. *Quarto.* Thomas a Jesu lib. 7. *de Conversione omnium Gentium*, cap. 2, inter errores quorum Nestorianos accusat, hunc refert, « Clerici omnes apud Chaldeos, et etiam alii Laici, qui alios devotione excedunt, sacram Dominici Corporis Communionem in manibus propriis recipientes, sub utraque specie communicantur; cæteri vero Laici Corpus Domini Sanguine intinctum assumunt. » At in iis nil est, quod reprehendere possit: non morem sacram Eucharistiam recipiendi in manibus: nam consuetudo hæc in Ecclesia antiqua est, atque in aliis quoque Ecclesiis diu viguit. Dionysius Alexandrinus in *Epistola ad Xystum Papam* apud Eusebium lib. 7. *Hist. Eccl.* c. 9. ait: « Qui ad sacram mensam adstiterit, et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit. » Basil. in *Epist. Cæsariam Patriciam:* « In Ecclesia, inquit, Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum omni libertate iis, qui suscipit, ac ita ori admovet manu propria: » Cyrillus *Catech.* 5. Damascenus l. 4. *de fide Orth.* cap. 14. aliique Græci Scriptores tradidere, communem fuisse Ecclesiæ morem tradendi Dominicum Corpus in communicantium manibus usque ad octavum sæculum, a quo tempore adhiberi cœpit cochlear, quo communicantibus vivificum alimentum elargiuntur. Apud Nestorianos vero antiquus viget usus porrigendi in manus Eucharistiam et Calicem ori admovendi: « Rarus vero, et a recentioribus quibusdam Presbyteris Missionariorum hortatu, usurpatus eos est, communionem Corporis in eos communicantium tradenti, » inquit, Asseman. l. cap. *Quamobrem injuria hac de causa damnatur.*

Ac multo minus damnari debent ob Communionem sub utraque specie, quæ Latinæ quoque Ecclesiæ per plura sæcula communis fuit, quæque in universo Oriente viget. Immo et iis, qui in Italia sunt, Græcis in illis locis, in quibus ejusmodi ritus introductus est, et ad præsentem usque diem servatur, ac viget, permittitur: « Ita tamen, ut sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quod fructum attinet nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi vero præfatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum jurisdictioni Græci subjiciuntur, curæ sit, ne imposterum admittatur, » inquit Benedictus XIV. Const. *Etsi Pastoralis* (1).

(30. *Quinto.* Orientales etiam Pueris ante rationis usum, immo statim post Baptisma distribuunt. Consuetudo hæc, ut supra notavi, viguit olim et in Latina Ecclesia, atque Apostolica Sedes in iisdem Orientalibus, iis exceptis, qui sub Latinis Episcopis degunt, permittit, ac tolerat. Cavendum vero quam maxime, ne in puerorum communione quidquam occurrat, quo Sacramento injuria fiat, eaque hæresis e nonnullorum Orientalium mentibus eliminanda est, qua credunt, sine Eucharistiæ susceptione baptizatos pueros æternam assequi non posse beatitudinem.

Hic ex Encyclica sæpe laudata, hæc addimus. Quibusdam Ecclesiæ sæculis usus obtinuit, ut post Baptismum illico pueris Sacramentum Eucharistiæ administraretur, non quod id necessarium crederetur, sed ex mero ritu, ac vigente consuetudine, ut ex Tridentino Concilio eruitur sess. 11, c. 4, et magis etiam comprobatur ex eo, quod damnatum Armenorum errorem a Benedicto XII, etiam Rainaldus recenseat, quo putabant ad æternam puerorum salutem, et Baptismi iis collati validitatem, post Confirmationis Sacramentum, Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In Occidentali Ecclesia a quadringentis, et amplius abhinc annis hæc consuetudo cessavit. Apud Orientales vero Melchitas, Syros, Armenos, et Cophtos viget adhuc: atque etiam apud Græcos hæc disciplina servatur, inquit Arcudius lib. *de Sac. Euchar.*, c. 11, sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt, propter incommoda, quæ in præbenda pueris post Baptismum Eucharistia sequebantur. In Synodo etiam habita in Monte Libano 18 Septembr. an. 1596. Patriarcha Maronitarum Sergio, Can. 7, decretum fuit, ut caverent deinceps Sacerdotes universi, « ne quemquam ante rationis usum ad communionem Eucharisticam admitterent. » Idemque statuere PP. Concilii Zamosciæ an. 1720, § 3,

(1) Circa Communionem sub utraque specie cavendum est, ne Orientales errent, aut credendo, sub una tantum specie integrum Christum non suscipi, aut tenendo, divinum adesse præceptum de communicando sub utraque specie.

Digitized by Google

de Eucharistia, et Concilii Maronitarum in Monte Libano celebrati an. 1736. Quod etiam inculcat Italo Græcis Constitut. *Etsi Pastoralis*, etc.

De Communione quoque sub utraque specie, nonnulla habet, quæ eruditionis causa addimus. In Collegio Græcorum Romæ a Gregorio XIII erecto, in quo Græcus ritus servatur juxta Collegii Constitutiones ab Urbano VIII confirmatas, Alumni debent quintadecima quaque die, nec non festis diebus solemnibus, et singulis Adventus, et Quadragesimæ Dominicis, Latinum ritum servare. In festis vero solemnioribus, videlicet Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini, jubentur Eucharistiam Græco ritu suscipere, hoc est in firmamento, Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam, qui ritus servatur etiam cum Græcis reliquis, qui prædictis diebus ad solemne Missæ Sacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus, in Ecclesia Græci Collegii sibi Eucharistiam ritu græco administrari deposcunt. Italo vero Græcis in sæpe citata Const. *Etsi Pastoralis*, solum in illis locis Communio sub utraque specie permittitur, in quibus ritus adhuc viget, in reliquis vero prohibetur. Gregorius XIII Maronitarum Patriarchæ rescripsit: « Laici a Communione sub utraque specie pedetentim arcendi sunt, totus enim Christus sub una specie continetur, et in usu calicis magnum est periculum effusionis, » ut refert Thom. a Jesu *de Conv. omn. gen.*, pag. 486. Hinc in Libanen. Concilio an. 1736, par. 2. n. 21, hujusmodi consilio inhærentes decrevere: « Ne Laico, vel Clerico in minoribus Ordinibus constituto Communio sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum. At Diaconis, ut Hostiam Sanguine intinctam a Sacerdotibus, in solemni præsertim Missa accipere possint, et valeant, permiserunt, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum statuerunt. »

(31. *Sexto*. Cum in Tridentina Synodo sess. 12, c. 8, statutum sit, « ut Laici a Sacerdotibus Communionem accipiant, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicent, » id servari debet in utraque Ecclesia, ubi hæc consuetudo jam vigeat; sicubi vero antiquo more a Diaconis, jubente Episcopo, vel Presbytero, aut Eucharistia, aut Calix fidelibus tribui soleat, ut ab Orientalibus nonnullis fieri solere fertur, ii damnandi non sunt, cum hæc consuetudo ab antiquis Patribus trahat originem.

EUNUCHUS, EUNUCHI

An liceat sine necessitate in evirationem suam consentire; et num sacerdos vel diaconus qui illam in se commiserit possit munus suum in missa exercere; alia remissive.

Nemo abscissionem potest in se permittere, nisi de consilio Medici ad servandam vitam; et quamquam Theologi quidam admittant, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in Ecclesia canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit; adhuc tamen Theologorum id negantium opinio communius obtinuit. Disputant vero Canonistæ, num ex 4. cap. *Significavit* sub. tit. *de Corpor. vitiatis*, Sacerdos, qui id in se commiserit, possit munus Diaconi, aut Subdiaconi in Missa exercere? certum est ex vi ejusd. c. Sacerdotem illum posse benedicere, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis administrare de licentia Episcopi: constat tamen Eunuchum hujusmodi incurrere notam irregularitatis, nec Episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi; Bened. XIV, *de Syn. Diœc.*, lib. 11, c. 7, § 4 et 5, nov. edit.

Alia de Eunuchis, vid. verb. *Impedimenta Matrimonii*, art. 2, num. 38, 39, et verb. *Patria Potestas*, num. 26.

EVICTIO.

SUMMARIUM.

1. Evictio quid sit. — 2. Statim ac Emptori lis movetur ad rem evincendam, tenetur venditor emptorem defendere, et litem in se assumere. — 3. Nisi tamen sciat rem esse alienam, quia tunc absque lite illam Domino, pretium autem et interesse emptori restituere debet. — 4. Venditor bonæ fidei non tenetur defendere emptorem, et litem in se assumere, nisi prius eum laudaverit emptor. — 5. Denuntiare venditori litem esse motam, idem est in Jure, ac laudare Auctorem. — 6. Tunc rite fit talis denuntiatio, quando emptor venditorem expresse requirit, ut veniat, rem suam defendat, et motæ liti assistat. — 7. Venditor etsi in contractu specialiter non promiserit Evictionem, tenetur ad ipsam, postquam res vendita fuerit evicta. — 8. Venditor tenetur re evicta restituere Emptori totum pretium, si tota res fuerit evicta, et partem solum, si pars tantum evicta sit. — 9. Immo venditor, re evicta, non solum pretium, sed tenetur Emptori restituere, et præstare totum id, quod ipsius emptoris interest, rem non esse evictam. — 10. Nomine illius, quod interest, venit lucrum cessans, et damnum emergens. — 11. Ad hoc ut venditor actione evictionis teneatur, et pretium, et interesse restituere, requiritur quod emptor prius eum laudaverit. — 12. Item requiritur, quod sententia contra emptorem jam sit lata, et executioni mandata. — 13. Venditor bonæ fidei pluribus in casibus non tenetur emptori de evictione. Primo non tenetur, quando non fuit laudatus ab emptore. — 14. Non tamen prærequiritur hæc denuntiatio, quando evidens, et manifestum est rem non fuisse venditoris, sed auctoris. — 15. Nec etiam prærequiritur denuntiatio, quando emptor est minor. — 16. Neque etiam prærequiritur, quando emptrix est Ecclesia. — 17. Secundo venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando res evicta est culpa judicis, sententia per injuriam lata. — 18. Tertio non tenetur, quando emptor contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ. — 19. Quarto non tenetur, quando emptor præscribere rem potuit, et culpa sua, vel negligentia non præscripsit. — 20. Quinto non tenetur, quando ipso absente emptor non appellavit a sententia. — 21. Sexto non tenetur, quando emptor litem motam definiri permisit per Judicem arbitrum, ad quem

Digitized by Google

causæ cognitio non spectabat. — 22. Septimo non tenetur, quando emptor sua culpa amisit rei possessionem, unde ex reo factus auctor cecidit in causa proprietatis. — 23. Octavo non tenetur, quando emptor tempore emptionis sciebat rem esse alienam, nisi adhuc expresse conventum fuerit, quod venditor de evictione teneatur. — 24. Nono non tenetur, quando expressum fuit in contractu, ut de evictione non teneatur, tunc autem licet ad interesse, et damna non teneatur; tenetur tamen, re evicta, reddere pretium emptori, nisi hæc obligatio expresse in contractu ablata fuisset. — 25. Si autem venditor fuisset malæ fidei, tunc de dolo tenetur, et totum pretium cum interesse restituere debet, etiamsi expresse convenerit, quod de evictione non teneatur, nec quæ interesse, nec quæ pretium. — 26 ad 63. Evictionis definitio. — 28 ad 97. Quid requiritur ut præstetur evictio. — 64. Qui agunt de evictionis præstatione. — 65. Contra quos agitur. — 66-68. Alia pauca evictione.

1. Evictio est rei propriæ, quam alius justo titulo acquisitam habet, apud Judicem recuperatio. Est in re communis. Ex quo enim non semel contingat, quod etiam res alienæ v. g. furto ablatæ, vel ad alium justo titulo pertinentes, ipso vero Domino inscio, et invito vendantur, permutentur vel alio modo alienentur; hinc Jura ad hujusmodi malitias hominum obviandum, et sic injuste damnificatis succurrendum, statuerunt, quod quicunque fuerint sic injuste læsi, possint auctoritate Judicis, rem vere suam nondum præscriptam, iterum recuperare, et hæc recuperatio dicitur rei Evictio; Et quia per talem Evictionem, is, qui prius rem acquisiverat justo titulo, v. g. emptionis, permutationis, receptionis in solutum pro debito, vel receptionis in dotem, et hujusmodi, eadem re licet juste possessa privatur, statuerunt quoque Jura, quod ipse etiam possit se reddere indemnem agendo *exempto* contra eum, qui talem rem alienam sibi vendidit, permutavit, in solutum pro debito dedit, vel in dotem tradidit, et hujusmodi; et sic possit illum in judicio cogere, ut pretium, ac interesse sibi restituat; l. 1. ff. *de Evict.* l. *Non dubitetur* 6. Cod. *de rerum Permutation.*

(2. Statim ac emptori lis movetur ad rem evincendam, tenetur venditor bonæ fidei emptorem defendere, litemque in se assumere, et propriis expensis prosequi, quamvis ad hoc specialiter se non obligaverit, dummodo tamen illum debito tempore emptor laudaverit, seu, quod in Jure idem est, ei legitime intimaverit litem esse motam. Abbas in cap. ultim. n. 11. *de Emption. et vendit.* Bart. in l. *Qui absentem* 75. ff. *de Procur.* cum aliis arg. l. *Si plus* 74. § 2. ff. *de Evict.* ibi : « Mota quæstione interim non ad pretium restituendum, sed ad rem referendam venditor conveniri potest. » (3. Notanter autem dicitur in conclusione, quod emptorem defendere, litemque in se assumere teneatur venditor *bonæ fidei;* quia venditor malæ fidei, scilicet, qui sciens rem alienam vendidit, non potest tuta conscientia litem assumere, et ipsam rem defendere, sed tenetur absque lite eam restituere proprio Domino; *Regul. Peccatum* 4. *de Regul. Juris* in 6. ibi : « Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, » et pretium, et interesse restituere debet emptori decepto; l. *Servus* 30. § *Si sciens*, ff. *de Actione empti.* (4. Venditor autem bonæ fidei, qui ex dictis tenetur emptorem defendere, et litem in se assumere, ad id non tenetur, nisi prius emptor eum laudaverit, seu litem esse motam legitime denuntiaverit, l. *emptor*, et l. *empti Actio* 21. Cod. *de Evict.* et c. *Si venditori* 7. *de Emption. et vendit.* ibi : « Si venditori post institutum contra se judicium quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nuntiare... de Evictione juxta legitimas sanctiones (scilicet juxta leges) agere non valebit. » (5. Denuntiare venditori litem esse motam, idem est in Jure, ac laudare Auctorem; l. *Auctore laudato* 7. Cod. *de Eviction.* l. *Tenetur*, ff. *de Actionib. Empti* Romani enim vocabant *Auctorem* eum, a quo quis jus aliquod, seu causam possidendi habebat. Regul. 175. *de Reg. Juris.* (6. Tunc autem rite fit talis denuntiatio, seu venditor legitime laudatur, quando emptor venditorem expresse requirit, ut veniat, rem suam defendat, et motæ liti assistat. Sic Communis cum Molina disp. 380. num. 9. Covarr. l. 3. *Variar. resol.* cap. 17. num. 3. Abbat. in cit. cap. *Si venditori* 7. *de Emption. et vendit.* n. 3.

(7. Venditor, etsi in contractu specialiter non promiserit Evictionem, tenetur ad ipsam postquam res vendita fuerit evicta; textu expresso in leg. *Dubitetur* 6. Cod. *de Eviction.* ibi : « Non dubitetur etsi specialiter venditor Evictionem non promiserit, re evicta, ex empto competere actionem. » (8. Unde venditor tenetur re evicta restituere emptori totum pretium, si tota res fuerit evicta, et partem solum, si pars tantum evicta sit; l. 1. l. *Bonitatis* 13. l. *Ex mille* 64. princip. ff. *de Evict.* (9. Immo venditor re evicta, non solum pretium, sed tenetur emptori restituere, et præstare totum id, quod ipsius emptoris interest, rem non esse evictam textu expresso in l. *Titius* 43. ff. *de Actionib. empt.* ibi : « Non enim pretium continet tantum, sed omne, quod interest emptoris, » et in *l. Evicta* 70. ff. *de Evict.* ibi : « Evicta re, ex empto actio, non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id, quod interest emptoris, competit (1). » (10. Nomine autem illius, quod interest venit lucrum cessans, et damnum emergens; l. *Si Sterilis* 21. § 3. ff. *de Actionib. empti.* Unde si fundus alluvione crevit, augmentum illius est præstandum emptori l. *Evicta re* 16. prin. ff. *de Evict.* damni tamen jactura debet esse certa, et liquida, l. *Quemadmodum* 19. § 3. ff. ad leg. *Aquil.* simulque vera ex ipsa

(1) De præstatione illius quod interest legendi præcipue sunt tractus ad legem unicam Cod. *de Sententiis*, quæ pro eo quod interest proferuntur Gabrielis Vallis apud Everard. Otton. in suo *Thesaur.* tom. I, pag. 421, et Ludovici Charondæ *Verisimil.* lib. 1, c. 8, apud Eumd. Everard. ibid. pag. 702. Vœt. in *Pandect.* lib. 21, tit. 2, num. 25. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

natura rei, et non ex privato emptoris affectu proveniens, textu expresso in l. *Pretia rerum* 63. ff. ad. l. *Falcidiam*, ibi : « Pretium rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter junguntur, » et in l. *Si servum* 33. ad leg. *Aquiliam*, ibi : « Non affectiones æstimandas esse puto, sed quanti omnibus valeret. » (11. Ad hoc autem, ut venditor actione evictionis teneatur et pretium et interesse restituere requiritur, quod emptor eumdem prius laudaverit, seu eidem legitime denuntiaverit litem moveri. Est communis arg. l. *Emptor*, et l. *Empti actio* 21. Cod. *de Evict.* et c. *Si venditori* 7. *de Empt. et vendit* (1). (12. Item requiritur, quod sententia contra emptorem jam sit lata, l. *Si plus* 74. §. fin. ff. *de Evict.* l. *Qui rem* 3. Cod. eod. et executioni mandata, l. *Habere* 57. ff. *de Evict.*

(13. Venditor bonæ fidei pluribus in casibus non tenetur de Evictione. *Primo*, venditor bonæ fidei non tenetur de Evictione, quando non fuit laudatus ab emptore, seu quando emptor non ei denuntiavit motam esse litem superare illa, ut videat, an velit illam defendere ; l. *Empto*, et l. *Empti actio* 21. Cod. *de Evict.* et cap. *Si venditori* 7. *de Emption. et vendit.* (14. Non tamen prærequiritur hæc denuntiatio, quando evidens, et manifestum est, rem non fuisse venditoris, qui eam petit, ita ut non possit ulla tergiversatione celari, et aperte constat nullam competere defensionem venditori. Colligitur ex leg. *Emptorem*, in princip. ff. *de Action. empt.* et testatur de communi Covarr. l. 3. *Variar. resolut.* c. 3. num. 6. (15. Nec etiam prærequiritur denuntiatio, quando emptor est minor ; arg. leg. *Minor.* 3. Cod. *In quibus causis in integrum*, etc. Minor enim non privatur jure agendi contra venditorem in casu Evictionis, dummodo venditor aliunde sciverit litem moveri emptori. (16. Neque etiam prærequiritur denuntiatio, quando emptrix est Ecclesia, quia Ecclesia gaudet jure Minorum ; c. *Requisivit*, et c. *Auditis*, *de Restitut. in integrum* et est communis. (17. *Secundo* venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando res evicta est culpa Judicis, sententia per injuriam lata, c. *Si venditori* 7. *de Emption. et vendit.* ibi : « Seu per injuriam sententia lata fuit, de Evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit ; » concordat l. *Si per imprudentiam* 51. in princip. ff. *de Evict.* ibi : « Si per imprudentiam Judicis, aut errorem emptor rei victus est, negamus Auctoris damnum esse debere. Aut quid refert, sordibus Judicis. an stultitia res perierit? Injuria enim, quæ fit emptori, Auctorem non debet contingere. » Emptor tamen in tali casu agere potest contra Judicem ; l. 2. Cod. *de pœna Judic. qui male judic.* et princip. *Institut. de obligat. quæ ex vi delicto.* (18. *Tertio* venditor bonæ fidei de evictione non tenetur, quando emptor contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ, cit. c. *Si venditori* 7. *de Emption. et vendit.* ibi : « Vel contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ, de evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit, » et rationem dat Ulpianus leg. *Si ideo* 55. princ. *de Evict.* Magis enim propter absentiam victus videtur, quam quod malam causam habuit.

(19. *Quarto* venditor bonæ fidei de evictione non tenetur, quando emptor præscribere rem potuit, et culpa sua, vel negligentia non prescripsit : *l. Si dictum* 56. §. *Si cum posset* ff. *de Evict.* (20. *Quinto* venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando ipso absente emptor non appellavit a sententia ; l. *Herennius* 63. § *Quia*, ff. *de Evict.* quod intelligendum est, nisi manifesta esset justitia sententiæ prolatæ, et actoris. (21. *Sexto* venditor non tenetur de evictione, quando emptor litem motam definiri permisit per Judicem arbitrum, ad quem causæ cognitio spectabat ; leg. *Si dictum* 56. § *Si compromisero*, ff. *de Evict.* (22. *Septimo* venditor non tenetur de Evictione, quando venditor sua culpa amisit rei possessionem, unde ex reo factus actor cecidit in causa proprietatis ; l. *Si rem quam* 29. ff. *de Evict.* (23. *Octavo* venditor non tenetur de evictione, quando emptor tempore emptionis sciebat rem esse alienam, nisi adhuc expresse conventum fuerit, quod venditor de evictione teneatur ; l. *Si fundum* 27. ff. *de Evict.* l. *Si fratres* 7. Cod. *Communia Jud.* (24. *Nono* venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando expressum fuit in contractu, ut de evictione non teneatur, tunc autem licet ad interesse, et damna non teneatur, tenetur tamen, re evicta, reddere pretium emptori, nisi hæc etiam obligatio expresse in contractu ablata fuisset, l. *Ex Empto* 11. § ult. ff. *de Act. empt.* et ratio manifesta est, quia ex regul. 85. *Juris* in 6. *Contractus in Conventione legem accipere dignoscuntur.* (25. Si autem venditor fuisset malæ fidei, id est sciens rem esse alienam, tunc de dolo tenetur, et totum pretium cum interesse restituere debet, etiamsi expresse convenerit quod de evictione non teneatur, nec quoad interesse, nec quoad pretium : id est quoad nihil omnimode teneatur ; l. *Tenetur* 6. § fin. *de Action. empt.* l. *Ex empto* 11. § 12. ff. eod. et ratio est, quia fraus, et dolus alicui patrocinari non debent, cap. *Ex tenore* 16. *de Rescript.* c. *Ex literis* 2. *de Dolo, et contum.* cap. *Tuæ* 12. *de Cleric. non residentib.* et l. in fundo, ff. *de Rei vindic.* l. *Cum hi*, ff. *de Transact.* l. *Si Legatarius*, c. *de Legatis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(26. De materia Evictionis, quæ frequentissima in Foro est, pro dignitate minime agit Auctor. Agendum igitur de ea paulo la-

(1) Hæc vero denuntiatio fieri potest ab Emptore sive potest litem sibi contestatam sive post appellationem. Quod enim tradunt Doctores renuntiandam esse Venditori litem ante sententiam intelligendum in casu, quo ab ea sententia non fuerit appellatum enim res ad primum statum reducitur, et præcedens sententia extinguitur. Voet in *Pandect.* lib. 21, tit. 2, n. 23. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

tius. *Evingere* in sensu juris importat, rem ab alio possessam, meliori juri demonstrato, imploratoque Judicis auxilio, Possessori auferre. (27. *Præstare* vero *evictionem* significat præstare reparationem damni, quod Possessor rei ablatæ ex illa ablatione passus est, ut nempe possessor indemnis maneat; Stryk *in usu moder. Pandect.* lib. 21. tit. 5. § 1.

(28. Plura autem concurrant oportet, ut præstetur evictio. I. « Ut is qui evictionem passus est rem acceperit ex titulo oneroso. » (29. Hinc est, quod præstatur evictio in emptione et venditione, leg. 1. ff. *de Evict.* (30. in datione in solidum, leg. 4. cod. eodem, in permutatione, leg. 38. Cod. eod. (31. in divisione hæreditatis, leg. 60. § ult. ff. eod. (32. in transactione, leg. 33. c. *de Transact.* (33. Sed vide quando in transactione præstetur evictio apud Rotam in Bononien. Pecuniaria 5 Junii 1747. cor. bon. mem. de Vais (1); (34. in locatione, leg. 9. in princip. ff. *Locat.* in divisione rei communis singularis, (35. l. 10. § fin. ff. *Commun. divid.* in emphyteusi, in feudo, (36. et in omnibus contractibus innominatis, Franzh. ad tit. ff. *de Evict.* num. 411. et sequent.

(37. In negotiis itaque lucrativis evictio minime præstatur. (38. Inde non præstatur in donatione, nisi fuerit promissa, l. 2. c. *de Evict.* (39. Sed quando in donatione possit dici promissa evictio tradit Rot. in Romana Pecuniaria 15. Februar. 1743. cor. Reverendiss. P. D. Bussio Decano, vel donans fuerit in dolo, l. 18. § 3. ff. *de Donat.* (40. Immo nec sufficit quod donans dolose egerit, et animo decipiendi sciens rem alienam donaverit, sed requiritur insuper ut donatarius magnos sumptus in rem donatam fecerit, ita ut de damno vitando, non de solo lucro captando certet, Stryk. in *us. modern. Pandect.* lib. 7. tit. 2. § 5. Ricter. decis. 33. num. 5.

(41. Num præstanda sit in donatione evictio, si ea non a traditione, sed a promissione incipiat, vide dissentientes inter se Doctores apud Stryk. *in usu modern. Pandect.* lib. 2. tit. 2. § 6. Cæterum in donationibus remuneratoriis, tum in illis quæ fiunt ob causam aliquam futuram, præstatur evictio, propterea quod his in casibus aliquid onerosi vere subest; Bruneman. ad l. 18. ff. *de Donat.* Ricter. decis. 23. n. 5.

(42. In Legatis nec præstatur regulariter evictio, l. 77. § 8. ff. *de Legat.* 2. intellige tamen in legato speciei. Si enim genus aliquod legatum fuerit, et hæres rem evincibilem, seu alienam solverit tunc Legatarius etiam ante evictionem agere potest, rem solutam esse alienam, l. 29, § 3. ff. *de Legat.* 3. Idem intellige in legato ab ignorante Testatore facto. Quod si Testator sciens rem alienam legavit, tunc hæres de evictione tenetur l. 10. Cod. *de Legat.* modo Legatarius scientiam hanc Testatoris probet. Intellige demum in legato personæ extraneæ relicto; nam si res aliena ignoranter quidem legetur, sed tamen conjunctæ personæ, præstatur evictio, l. *Quum alienam*, Cod. *de Evict.* Quænam autem dicatur conjuncta persona, tradit Guzman. *de Evict. quæst.* 27. num. 20. et seq.

(43. II. « Ut proprio nomine et jure tradens rem illi cui evincitur tradiderit. » Ex quo sequitur, quod Tutores, Curatores, Institutores, et Procuratores evictionem præstare non teneantur; Stryk. *in us. modern. Pandect.* lib. 21. tit. 2. § 46. Idem dic de Creditore vendente pignus, dummodo habuerit jus distrahendi pignus, ignoraveritque rem pignori subjectam esse alienam; Stryk. l. c. § 44 et seq. Num id ipsum procedat in marito uxoris bona vendente? Vide plures quos hic distinguit casus *idem Auctor.* eod. loc. § 51 et seq.

(44. III. « Ut res ipsa fuerit evicta, » quæcumque demum fuerit, sufficitque rem pro parte evinci, sive homogenea, sive heterogenea; Brunem. ad l. 6. et 56, ff. *de Evict.* Franzk. ad dict. tit. *de Evict.* n. 20, et seq. (45. Interest tamen, utrum universitates, an singulæ res venditæ. Qui vendidit universitatem, tenetur utique præstare evictionem, si integra universitas a tertio evicta sit, non item si res aliquæ singulares per modum evictionis ablatæ sint; l. 1, Cod. *de Evict.* (46. Declara tamen de venditione universitatis *juris*, puta hæreditatis et peculii. De venditione vero gregis, bibliothecæ, aliarumque universitatum Corporum, seu *facti*, non conveniunt inter se Doctores. (47. Placet hæc distinctio; Si universitas hæc *facti*, per aversionem distrahatur, et ita singula corpora non vendantur, nec in illa pretium constituatur, non tenetur venditor præstare evictionem propter singulas res evictas. Sin autem dicta universitas *facti* sub certo numero capitum pretio in quolibet constituto vendatur, præstare evictionem tenetur venditor propter singulas res evictas; Franzk. ad tit. *de Evict.* n. 16, et seq. Engelbrecht ad eumdem titul. disp. 13, § 18.

(48. IV. « Ut actu fuerit evicta; » l. 3, Cod. *de Evict.* Cæterum si in limine contractus immineat evictio, alter ad contractum implendum minime tenetur; l. 24, ff. *de Evict.* (49. Quid si sola possessio evicta? Confer Stryk. *in usu modern. Pandect.* lib. 21, tit. 2, § 43, tum. Rot. in Tyburtina evictionis 20 Junii 1746, cor. bon. mem. de Vais.

(50. V. « Ut sit evicta sententia judiciali. » Unde si possessor rei mota ipsi controversia

(1) Quid vero si ex pluribus rebus uno pretio venditis, altera ex his evincatur sed reliquæ adhuc tanti valeant, quantum pretii nomine pro omnibus datum sit? Sicuti pro numero rerum tot debentur evictiones, ita una ex pluribus evicta, pro ea dabitur indistincte evictio. Voet. in *Pandect.* lib. 21, tit. 12, num. 33. Quod idem dicendum est si fundus venditus sit centum jugerum, sed juxta fines demonstratos a venditore longe centum jugera excedat, adeo ut parte ipsius evicta adhuc centum jugera supersint, quo casu evictio quoque pro parte evicta debetur, licet jugerum numerus non sit per evictionem diminutus. Literalis est text. in l. 45. ff. *de Evictionibus*, et Bruneman. in *Pandect.* lib. 21, tit. 2, in eamd. leg. 45, num. 1, et per tot. ubi rationem affert. Parez in Cod. lib. 8, tit. 45, num. 21. Corven. in Cod. lib. 8, titul. 45, pagin. 688, coll. 2. §. *Tertio cessat evictio.* (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

compromittat, et succubuerit, « nulla (sit Paulus in l. 56, § 1, ff. *de Evict.*) actio de evictione danda est adversus Venditorem, quia compromissum (hanc hujus dispositionis rationem subjungit idem Paulus) nulla necessitate cogente factum. » (51. Ex hac vero ratione facile est intelligere, agere de evictione posse eum qui compromisit et succubuit, si statuto aut alio quoquo modo compromittere tenebatur; Mudæus ad tit. *de Act. Empt.* Rubr. *Quando committ.* stipul. n. 13, et seq. Stryk. *in us. modern. Pandect.* lib. 21, tit. 2, § 10. (52. Quæri solet an et agere de evictione possit, si venditor evictionem promisit cum clausula generali. « Quomodo vel qualitercumque res evicta fuerit? » Affirmant Franzk. ad titulum *de Evictione*, num. 767. Hartman. Pistor. lib. 2, quæst. 10, n. 19. (1). (53. Sed alii declarant, ut hoc casu ad pretium tantum, non item ad duplum, si tale promissum aut interesse agi possit; Brunemann. ad l. 10, § 5, ff. *de Evict.*

(54. Nec evictio præstanda est, si res evicta sit per sententiam Judicis incompetentis, in cujus jurisdictionem Emptor forte consensit; Franzk. ad tit. *de Evict.* n. 769. Balth. tit. 8, resolut. 7, n. 6. (55. Item si emptor transegit, aut liti renuntiavit; Burgund. *de Evict.* cap. 78, fer. per tot. Emptore vi dejecto, non est locus præstationi evictionis, et hoc procedere volunt Doctores, licet Venditor promiserit quod Emptorem de jure et de facto defendere velit: tum licet dixerit se velle teneri quomodocumque res evincatur; Mangil. *de Evict.* quæst. 19, fer. per tot. (56. Nec regulariter præstatur evictio, erepta re per mandatum Principis; leg. 11, ff. *de Evict.* nisi venditor sciverit Principem id facturum esse, et nihilominus hoc reticendo fundum alienavit. Vide Stryk. *Juridic. dissert.* vol. 6. disput. *de Princip. evincent.*

(57. VI. « Ut evicta sit res potiori jure evincentis, » quod contractum jam antecedit. Quapropter si res fuerit evicta ex retractu, præstatio evictionis locum non habet, et quidem tametsi Emptor omne periculum in se susceperit; Franzk. ad tit. *de Evict.* n. 292. Intellige tamen de retractu legali, non item conventionali; Evicta enim re ex retractu conventionali, agitur de evictione, nisi ejus notitiam habuerit Emptor; Brunemann. ad l. 11, n. 8, ff. *de Evict.* Mev. part. 5, decis. 312, per tot. Quid si Emptor per injustam Judicis sententiam fuit condemnatus? Negare videtur Ulpianus in l. 51, in princ. ff. *de Evict.* At Doctores communiter dictum Ulpiani restringunt ad eum casum, si Judex nullo juris ordine servato, et velo levato Emptorem privavit; Adi Stryk. *in us. modern. Pandect.* lib. 21, § 13. Re evicta culpa Possessoris, locum haud esse evictioni omnes intelligunt: et definitum est in l. 34, et in l. 56, § 1, ff. *de Evict.* Quando autem res dici possit evicta culpa Possessoris, explicat. Stryk. loco citato, § 14 et seq.

(58. VII. « Ut legitime evictio præsens denuntiata fuerit Auctori, vel ejus hæredibus, et quidem omnibus; » l. 29, § 1, ff. *de Evict.* l. 9, Cod. eod. tit. Fidejussori vero Venditoris non est denuntianda. Fieri debet denuntiato judicialiter, ita scilicet ut in ipsa denuntiatione Venditor de genere motæ litis instruatur, misso etiam libello et citationis exemplo. (59. Potest vero fieri quovis tempore, modo Auctori adhuc liberum sit, ut probationes, quas e re esse censuerit, pro libitu afferre, et præsentem Possessorem et hac ratione defendere queat. (60. An fieri possit in instantia appellationis? Et in quo judicio litis denuntiatio fieri debeat? vide apud Stryk. ubi supra § 20 et 21. Cessat necessitas denuntiationis, si pacto fuerit remissa, vel inutilis futura erat; Rot. in Romana Reportationis Pecuniarum 9 Maii 1748. eor. bon. mem. de Vais, et in Faventina seu Ferrarien. Eviction. 15 Maii 1748. cor. Illustr. Molin.

(61. VIII. « Ut præstatio evictionis non sit remissa. » Remittitur ea, vel Lege, ut si quid in ludo venditum sit; l. 2. § *Quarum rer. act. non dat.* et quidem sive venditio fiat collusori, sive extraneo, modo hic sciat quod Venditor pecunia ex re vendita redacta ad ludendum uti velit; vel pacto contrahentium tum expresso cum tacito; Stryk. *in us. modern. Pandect.* l. 21. tit. 2. § 49. ubi an ad pretium agi saltem possit. (62. Huc etiam pertinet quæstio, an si Emptor sciverit rem alienam esse, eamque emerit, tacite remisisse intelligatur præstationem evictionis. Affirmant ex text. in l. 37. Cod. *de Evict.* Brunemann. ad dict. l. 27. in fin. Cod. *de Evict.* Harman. Pistor. part. 2. quæst. 10. num. 22. Cald. *de Empt.* cap. 11. num. 6. et ita quidem ut Emptor nec ad pretium agere valeat. (63. At pretium repeti posse ex text. in leg. ultim. Cod. Commun. *de Legat.* tenet Perez. ad Cod. hoc tit. *de Evict.* num. 24. Omittendum vero haud est, in dicta Lege ultima agi de alienatione rei fideicommisso conditionali vel sub incerto die gravatæ, ubi jus vendendi pendente conditione, quæ deficere potest, ex legis permissione gravatus habet. Consule etiam in hac controversia Rot. in Romana Evictionis 20 Januarii 1749. cor. Illustriss. Caprar. Alm. Urb. Gubernat.

(64. His concurrentibus agunt ad evictionis præstationem Emptores et eorum hæredes, non item successores singulares, nisi facta cessione. (65. Agunt contra Auctorem et hæredes; l. 9. et 24. Cod. *de Evict.* ac fidejussor; 4. princ. ff. eod. tit. l. 7. 8. 18. Cod. pariter eodem. Et si plures Auctores sint, contra singulos in solidum; l. 15. § final. ff. dict. tit. (66. Petitur vero Evictionis præstatio vel ex natura negotii, vel actione ex stipulato, et quidem in Foro Auctoris competenti. In effectu hæc subest differentia, quod in hac id tantum continetur quod est promissum. Illa est largior, et continet pretium rei, interesse, et damnum sumptus litis, aliosque, quos ab Evincente servare non po-

(1) Et omnium doctissimum Donell. *comment. in leg. Aristo. ff. de Donat.* tom. 9, edit. Lucen. pag. 1454, num. 2. Zoes in *Pandect.* lib. 21, tit. 1, sub. n. 10. (Edit. Bandiell.)

Digitized by Google

tuit (1). (67. Quod æstimatio in actione ex contractu bonæ fidei fiat secundum tempus evictionis, in actione vero ex stipulato attendatur tempus evictionis; Franzk. ad t. *de Evict.*. 857. et plur. sequ. (68. Et hac cum distinctione intelligi debet Rota, dum inquit pretium solvendum esse spectato tempore evictionis, ut in Romana seu Januen. officii vacabilis 16 Junii 1748. et 12 Maii 1749. cor. R. P. D. Elephant (2).

EXAMEN, EXAMINARE, EXAMINARI, EXAMINATORES SYNODALES.

SUMMARIUM.

1. Examen novum non est necessarium in permutationibus Ecclesiarum Parochialium. — 2. Si vero adsit magna inæqualitas Parochianorum, aut permutantes non fuerint examinati eo tempore, quo Parochiales adepti sunt, aut permutationes sint de Beneficio simplici, et Curato, tunc licet non sit necessarius concursus, est tamen necessarium examen. — 3. Examen novum requiritur in quolibet ascensu, etc.— 4. Præsentati ad Beneficia simplicia absque prævio examine Episcopi institui non possunt ab iis, ad quos institutio spectat. — 5. Beneficia in Ecclesiis Patrimonialibus, sive receptivis, numeratis, et non numeratis nullus consequi potest sine prævio examine, et approbatione Episcopi. — 6. Examen delegari potest ab Episcopo, cui directæ sunt Bullæ alicujus simplicis Beneficii conferendi Clerico absenti, *in forma dignum*, præsertim si is longe absit, aut ægrotet. — 7. Examen, et approbatio Vicariorum ad curam animarum positorum in Ecclesiis unitis Ordini S. Joannis Hierosolymitani, ad Episcopum pertinet. — 8. Examinare non potest Episcopus ad Beneficium simplex illum, quem jam examinaverat, pro Ordinis Sacri promotione — 9. An, et quatenus Episcopus possit Parochos rite, ac recte semel approbatos iterum, ac pluries examinare? — 10. Examinatus in Curia, et idoneus repertus ad Canonicatum Cathedralis, et de eo a Sede Apostolica provisus, non debet ab Episcopo iterum examinari ad suscipiendum Ordinem Sacrum Canonicatui annexum. — 11. Examinandus non est ab Ordinario super literatura, seu idoneitate scientiæ provisus per Sedem apostolicam *in forma dignum* de Canonicatu, cujus Ordinem requisitum habet. — 12. Examinatus ad Beneficium, vel officium non tenetur ad aliud simile se iterum examini subjicere, secus si ad majus vel dissimile. — 13. Examinandi de novo sunt, et per Ordinarium approbandi cœpti beneficiari in quolibet ascensu. — 14. Examinato, et approbato in Urbe ad Curam animarum non possunt ab Episcopo Ordines denegari sub prætextu insufficientis literaturæ. — 15. Generaliter approbatus ad aliquod Officium in Curia non examinatur ad idem ab Ordinario. — 16. Clerici degentes Romæ non possunt extra eam promoveri ad Ordines sine examine, et licentia Eminentissimi Vicarii. — 17. Examinare potest Episcopus Regulares prædicare volentes in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt. — 18. Regulares prævio examine semel approbati non possunt iterum ab eodem Episcopo examinari. — 19. Superveniente tamen aliqua rationabili, et justa causa, quæ ipsas Confessiones concernat, possunt Regulares, a Confessionibus audiendis suspendi, et iterum examinari ab eodem Episcopo, qui semel eos approbavit. — 20. Regulares pro Confessionibus excipiendis possunt examinari ab Episcopo, etiamsi sint Lectores, et Magistri Theologiæ. — 21. Quicumque Confessarius quantumvis Regularis simpliciter approbatus ab Episcopo Antecessore potest iterum examinari, et si minus idoneus repertus fuerit, reprobari ab Episcopo successore. — 22. Quamvis autem possint Confessarii Regulares iterum examinari ab Episcopo successore, non tamen iterum examinari possunt a Vicario Capitulari, Sede Vacante, nec ab ipso revocari potest eorum facultas, et approbatio habita ab Episcopo, seu Ordinario defuncto. — 23. Et neque Vicarius Apostolicus examinare potest approbatos ab Episcopo. — 24. Et multo minus Vicarius Generalis Episcopi. — 25. Examinatorum Synodalium electio fieri debet nomine, et cognomine, non vero titulo Officii, seu Dignitatis tantum expresso. — 26. Electio Examinatorum Synodalium facienda est in Synodo formali, non autem in Congregat. Cleri, licet Congreg. Synodalis denominaretur. — 27. Examinatores, qui ab Episcopo propositi fuerint, possunt probari a Synodo, tam per vota secreta, quam aperta, et Episcopus eum modum in probatione potest facere servari quem magis expedire judicaverit. —28. Examinatores ad minus sex debent eligi quotannis in Synodo Diœcesana. — 29. Examinatores Synodales in Synodo ad summum viginti eligi possunt. — 30. Examinatores Synodales debent ad Sancta Dei Evangelia jurare se fideliter munus suum executuros. — 31. Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente, Examinatores non dicuntur legitimi, et concursus factus coram eis ante præstitum juramentum est nullus. — 32. Et taliter est de forma substantiali juramentum, ut ipso deficiente ex parte unius solius Examinatoris, vitietur totus actus. — 33. Sufficit tamen, quod hoc juramentum sit semel præstitum, sive in Synodo, sive extra Synodum. — 34. Examinatores Synodales non possunt quidquam prorsus occasione examinis; nec ante, nec post accipere, alioquin Simoniæ vitium, tam ipsi, quam alii dantes incurrunt, a qua absolvi nequeunt, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur. — 35. Quæcumque etiam immemorabili consuetudine non obstante. — 36. Examinatores non possunt quidquam pro labore, vel titulo stipendii ad sustentationem, ex fructibus Beneficii vacantis, vel alia ratione, accipere. — 37. Non potest Ordinarius statuere aliquod stipendium etiam minimum Examinatoribus, et si Synodus Diœcesana secus statuerit, decretum est irritum, et nullum. — 38. Examinatores privantur Beneficiis antea obtentis, si occasione examinis, sive post aliquid accipiant, etiam gratis et liberaliter dandum, etiamsi res modica sit, et levis momenti. — 39. Examinatores peracto examine debent eos ex communi sententia renuntiare Episcopo, quos idoneos repererint. — 40. Approbatus dicitur in concursu, qui ultra dimidium vocum fuerit consecutus, quamvis alius omnia suffragia prospera reportaverit. — 41. Examinatores convenientius palam inter se sua vota conferre debent. — 42. Examinatores debent dare vota sua, dum simul congregati sunt cum Episcopo, non autem separatim, sicut Episcopus, ubi

(1) Circa retractum conventionalem contrariam videtur sequi opinionem. Voet. in *Pandect.* lib. 21, tit. 2, num. 2. Eo quia pactum de retrovendendo rem non afficiat, et actio tantum personalis contra pacta non servanda datur (Edit. Barbiell.)

(2) Hic quæri commode potest an inter cohæredes evictio detur, et si eorum alteri res obvenerit, quæ deinde fuerit evicta, an evictionem passus contra cohæredes valeat de evictione agere. Alii affirmant, alii negant; sed rectius meo judicio sentire videtur Voet. *in Pandect.* lib. 10, tit. 2, num. 1, qui eamdem, quam supra tradit Auctor in legatis, inter cohæredes observandam esse distinctionem putat, ut nempe favore conjunctorum sit locus evictioni, secus vero favore extraneorum, et fusius de hoc idem auctor *de Familia erciscunda* cap. 2. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

datur locus accessui, debet accedere Examinatoribus simul congregatis. — 43. Examinatores tenentur facere relationem, etiam circa mores, ætatem, et reliqua, et debent renuntiare quotquot idonei judicati fuerint, Episcopus vero debet ex iis, qui renuntiati fuerint magis idoneum eligere. — 44. Examinatoribus approbantibus aliquem tamquam magis idoneum in scientia, cujus tamen mores ignorantur, et habentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum, et approbatum in omnibus, hic ultimus est præferendus. — 45. Non spectat ad Examinatores, sed ad solum Episcopum judicare, quis ex concurrentibus ad Parochiam vacantem sit magis idoneus. — 46. Examinatores debent vota sua dare, sed Episcopus non tenetur ex collatione votorum eligere, potest enim cui maluerit ex approbatis Beneficium conferre non habita ratione calculorum ipsorum votorum. At debet exspectare, ut Examinatores renuntient quos judicaverint idoneos. — 47. Idonei, et approbati dicuntur illi, qui habent majorem partem votorum favorabilium, quamvis minor pars eos reprobaret, quæ major pars constituitur etiam per dimidium votum, quod excedat medietatem. — 48. Episcopus potest eligere etiam extra locum examinis,

et absentibus ipsis Examinatoribus. — 49. Episcopus in paritate votorum potest accedere cui voluerit, et aliquam ex non approbato facere approbatum. — 50. Affertur propositum dubium, et responsio Sacræ Congregationis. — 51. In Diœcesi, in qua sunt duæ Cathedrales unitæ, an sint deputandi in qualibet Examinatores distincti ab aliis alterius Cathedralis? — 52. Alia ad rem *Remissive*. — 53 ad 54. Forma examinis pro collatione Ecclesiarum Parochialium. — 55. Examinatores præter doctrinam expendere debent cæteras dotes in Parocho requisitis. — 56. Quando examen iterari conceditur. — 57. Etiam Regulares ante ordinationem examini subjici debent. — 58 ad 67. De electione examinatorum Synodalium. — 68. Quando examinatores solum idoneos designare debent. — 69 ad 70. Quomodo examinatores ferunt suffragia. — 71 ad 74. Examinatores in concursu ad Parochiales referre debere non solum de doctrina, verum etiam de moribus. — 75 ad 88. An eligente majori parte Capituli inhabilem sub conditione dispensationis, minore vero parte habilem, non obtenta dispensatione intra terminum juris, consolidetur totum jus ipsius Capituli in minore illa parte.

(1. Examen novum non est necessarium in permutationibus Ecclesiarum Parochialium. Sic decisum fuisse a Sac. Congreg. Conc. refert Garcias p. 6. c. 2. num. 165. (2. Si vero adsit magna inæqualitas Parochianorum, aut permutantes non fuerint examinati eo tempore, quo Parochiales adepti sunt, aut permutationes sint de Beneficio simplici, et Curato, tunc licet non sit necessarium examen, ex citata decisione Sacræ Congreg. Concil. relata a Garcia dict. part. 6. c. 2. n. 165. (3. Examen novum requiritur in quolibet ascensu, qui sit in aliquibus Ecclesiis, occurrente vacatione Canonicatus, ad quem solet institui antiquior portionarius, ad portionem antiquior Beneficiatus, ad Beneficium antiquior exspectans. Sic resolutum fuisse refert Garcias *de Beneficiis* part. 9. cap. 3. n. 19. (4. Præsentati ad Beneficia simplicia absque prævio examine Episcopi institui non possunt ab iis, ad quos institutio spectat. Sic decisum fuisse refert Garcias dict. part. 9. c. 3. num. 19. ad 2. (5. Beneficia in Ecclesiis patrimonialibus, sive receptivis numeratis, et non numeratis, nullus consequi potest sine prævio examine, et approbatione Episcopi. Sic resolutum fuisse refert Garcias dict. part. 9. cap. 2. num. 183. (6. Examen delegari potest ab Episcopo, cui directæ sunt Bullæ alicujus simplicis Beneficii conferendi Clerico absenti, in forma dignum, præsertim si is longe absit, aut ægrotet; Sac. Congreg. Concil. teste Sellio in *selectis Canonicis*, cap. 21. num. 70. (7. Examen, et approbatio Vicariorum ad Curam animarum positorum in Ecclesiis unitis Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani, ad Episcopum pertinet; Sacr. Cong. Conc. in Augustana 4 Decembris 1631.

(8. Examinare non potest Episcopus ad Beneficium simplex illum, quem jam examinaverat pro ordinis Sacri promotione. Sic resolvunt Garcias dict. p. 9. cap. 4. num. 15. Homobon. de Bonis *de examine Ecclesiastico* tract. 2. cap. 3. quæst. 33. in fine, Barbosa supra Concil. sess. 7. cap. 13. n. 11. et alii. (9. An, et quatenus episcopus possit Parochos rite ac recte semel approbatos, iterum ac pluries examinare? Vide verb. *Parochus* art. 1. a num. 21. ad num. 28. (10. Examinatus in Curia, et idoneus repertus ad Canonicatum Cathedralis, et de eo a Sede Apostolica provisus non debet ab Episcopo iterum examinari ad suscipiendum Ordinem Sacrum Canonicatui annexum; Sac. Cong. Concil. die 12 Februarii 1598. (11. Examinandus non est ab Ordinario super litteratura, seu idoneitate scientiæ, prævisus per Sedem Apostolicam *in forma dignum* de Canonicatu, cujus Ordinem requisitum jam habet : ii vero qui Sacros Ordines nondum susceperunt, examinandi sunt, an illa habeant adjumenta doctrinæ, quæ ex præscripto Sacri Concilii Trident. necessaria sunt illi Sacro Ordini, qui Canonicatui, quem consequi volunt, erit annexus; sic decisum fuisse a Sacr. Congr. Concil. referunt Garcias *de Benefic.* p. 6. c. 2. n. 234. Barbosa *de Canon. et dignit.* c. 13. num. 7. et 8. et in *Summa Apostolicar. decis.* verb. *Examen, Examinare*, num. 10. et Fagnan. lib. 1. *Decret.* in cap. *Accepimus* 14, *de Ætate et qualitat.* n. 14. ubi dicit, sic a Sacra Congregat. Conc. fuisse responsum Cardinali Borromæo.

(12. Examinatus ad Beneficium, vel Officium non tenetur ad aliud simile se iterum examini subjicere; Secus si ad majus, vel dissimile; Fagnan. loc. cit. num. 39. ubi testatur sic probasse Sac. Congreg. Concilii. (13. Examinandi de novo sunt, et per Ordinarium approbandi cœpti beneficiari in quolibet ascensu; Sacr. Cong. Con. teste Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 34. num. 74. (14. Examinato, et approbato in Urbe ad Curam animarum non possunt ab Episcopo Ordines denegari sub prætextu insufficientis litteraturæ; Sacr. Congr. Episcop. et Regul. in Sutrina 26 Januar. 1594. (15. Generaliter approbatus ad aliquod Officium in Curia non examinatur ad idem ab Ordinario; Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. 15 Maii 1647. (16. Clerici degentes Romæ non possunt extra eam promoveri ad Ordines sine examine, et licentia Eminen-

Digitized by Google

tissimi Vicarii, ut ex sequenti Edicto : « Universis, et singulis Clericis, nunc, et in futurum pro tempore in Urbe commorantibus ad Minores, vel Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveri volentibus, de mandato S. D. N. Alexandri Papæ VII. vivæ vocis oraculo desuper facto, edicimus, et præcipimus, ne de cætero extra eamdem Urbem, etiam vigore litterarum dimissorialium suorum Ordinariorum, vel cujusvis alterius facultatis, ad dictos Ordines promoveri se faciant, nisi prævio Examine ab Examinatoribus in Urbe deputatis idonei reperti, et approbati fuerint, ac a Nobis licentiam in scriptis obtinuerint. Qui secus fecerint ab Ordinum executione eo ipso suspensi sint, et existant, donec a S. D. N. Papa, et Sancta Sede Apostolica absolutionis, et habilitationis gratiam obtinuerint, prout alias tempore felic. record. Clementis VIII, litteræ desuper publicatæ fuerunt, et in Secretaria nostra semper publice affixæ permanserunt, etc. » 11 Augusti 1656, M. A. Episcopus Jerap. Vicesgerens.

(17. Examinare potest Episcopus Regulares prædicare volentes in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt; Sac. Cong. Concil. in Ugentin. 22 Jan. 1628. Clemens X, in Constitut. incip. *Superna*, ibi : « Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus, aut Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, et discretum esse debet, visum fuerit, et licentiam prædicandi semel eisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. » (18. Regulares prævio examine semel approbati non possunt iterum ab eodem Episcopo examinari; Sic S. Pius V. Constitut. incipien. *Romani Pontificis*, ibi : « Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, et Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. » Quod item declaravit Sacr. Congreg. Concilii his verbis : Congregatio Concilii censuit *Regulares ad audiendum sæcularium Confessionem in Civitate, et Diœcesi ab Episcopo prævio examine approbatos, iterum ab eodem examinandos non esse; cæterum posse iterum a Successore examinari juxta Constitutionem Sanctæ mem. Pii V. dat. octavo idus Augusti* 1571, » et statuit Clem. X. in citat. Constit. *Superna* § 5, ibi; « Regulares vero ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, et absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo; secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari; nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat, de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. » (19. Superveniente tamen aliqua rationabili, et justa causa, quæ ipsas Confessiones concernat, possunt Regulares a Confessionibus audiendis suspendi, et iterum examinari ab eodem Episcopo, qui semel eos approbavit : Clemens X, in dict. Constitut. *Superna*, per allata verba, ibi : « Nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat, et Sacr. Congr. Concil. quæ proposito dubio : « An Regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbati possint iterum examinari ab eodem Episcopo? » die 7 Febr. 1654, censuit *Regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbatos, non posse iterum examinari, nisi nova superveniente causa.* (20. Regulares pro Confessionibus excipiendis possunt examinari ab Episcopo, etiamsi sint Lectores, et Magistri in Theologia; S. Pius V, cit. Const. incip. *Romani Pontificis* (1).

(21. Quicumque Confessarius, quantumvis Regularis simpliciter approbatus ab Episcopo Antecessore, potest iterum examinari, et si minus idoneus repertus fuerit, reprobari ab Episcopo Successore; Sic S. Pius V, in cit. Constitut. incip. *Romani Pontificis*, ibi : « A successore autem Episcopo pro majori conscientiæ sub quiete examinari de novo poterunt, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari. » Item cit. Sac. Congreg. Concil. per hæc verba : *Cæterum posse iterum a Successore examinari.* Et idem sanxit Urban. VIII, 20 Augusti 1629, et Clemens X. in cit. Constit. *Superna* per illa verba : « Secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos. » (22. Quamvis autem possint Confessarii Regulares iterum examinari ab Episcopo Successore, non tamen iterum examinari possunt a Vicario Capitulari, sede vacante, nec ab ipso revocari

(1) His, quæ a nostro Auctore numero hoc et superioribus tradita sunt, lucem afferunt, quæ habet Prosper Cardinalis Lambertinus, deinde Benedictus XIV. Institut. 86, num. 7 et seqq. ex quibus nos aliqua opportune attulimus verb. *Approbatio* Art. 1, in Addit. an num. 62. Nunc alia, quæ ad rem pertinent, proferemus. Igitur n. 10. « Illud etiam, inquit, perspectum habemus Gregorio XIII. (Const. 9) redactam fuisse ad pristinam sententiam juris Pontificii, ac Tridentinæ Synodi Sancti Pii V. Constitutionem (num. 133, § 2) ob quam Regulares semel ad Confessiones audiendas ab aliquo Episcopo probati, examinari amplius non debent, nisi ab Epi in ejus locum sufficitur, si aliqua religione, metuque teneatur. » Et num. 8. « Tridentina Synodus Episcoporum arbitrio permisit eos in examen vocare; quos ad Confessiones Fidelium audiendas designat, *si per examen, si illis videbitur.* Sacra Congregatio Sancti Officii anno 1640, illos improbavit, qui contendebant Sacerdotibus Sacræ Theologiæ, et juris Pontificii Laurea donatis haud requiri facultatem, et examen Episcopi. Sanctus Pius V, indixit etiam Regularibus, licet dignitatem inter cæteros obtinentibus, ut examen Episcoporum subeant, si Confessiones excipere velint. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

potest eorum facultas, et approbatio habita ab Episcopo, seu Ordinario defuncto, per abunde adducta verb. *Approbatio* art. 1, a num. 54 ad 59. (23. Et neque Vicarius Apostolicus examinare potest approbatos ab Episcopo; Sacr. Congr. Concil. in una Civitatis Castellanæ 22 Februarii 1592: (24. Et multo minus Vicarius Generalis Episcopi; ead. Sac. Cong. in una Reatina 8 Junii 1599, apud Nicol. part. 2, *Lucubrat. canon.* lib. 5, tit. 38, *de Pœnitent. et remiss.* num. 9.

(25. Examinatorum Synodalium electio fieri debet nomine, et cognomine, non vero titulo Officii seu dignitatis tantum expresso, et Clero Synodoque congregato nominatim, non autem in genere proponendi sunt, ut ab eodem approbentur, alias illorum deputatio nulla esset; Sac. Congr. Concil. in Sipontina Concursus 14 Februar 1693. Rota in Hortana Parochialis coram Molines 4 Maii 1693. Monacell. tom. 1, tit. 5, formul. 3, num. 16, cum multis aliis ibi citatis (1). (26. Electio Examinatorum Synodalium facienda est in Synodo formali, non autem in Congregatione Cleri, licet Congregatio Synodalis denominaretur, prout declaravit Sacr. Congr. Concil. in Concordien. 8 Maii 1684, in qua cum fere per sæculum Judices, et Examinatores Synodales electi fuissent in Congregatione, quæ singulo anno convocabatur cum interventu Capituli, et omnium Parochorum sub denominatione Synodali, attento communi errore, et bona fide, Concursum, de cujus validitate dubitabatur, sustinendum putavit, addito, *Et ad mentem;* et mens fuit, quod injungeretur Episcopo, ut cogeret in futurum Synodum solemniter, et deputaret Examinatores Synodales. (27. Examinatores, qui ab Episcopo propositi fuerint, possunt probari a Synodo tam per vota secreta quam aperta, et Episcopus eum modum in probatione potest facere servari, quem magis expedire judicaverit; Sacr. Congreg. Concil. teste Piasec. in *Praxi Episc.* part. 2, cap. 2, num. 4 (2), et ead. Sac. Congr. Concil. in una Fulginaten. 3 Decemb. 1644, ad cap. 18, sess. 15, *de Reform.* ubi ad dubium : « An electio, seu approbatio Examinatorum Synodalium sustineatur, si non fiat per vota secreta? » Respondit, *sustineri arbitrio Episcopi.* (28. Examinatores ad minus sex debent eligi quotannis in Synodo Diœcesana, textu expresso in Tridentino sess. 24, cap. 18, ubi : « Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui

Synodo satisfaciant, et ab eo probentur. » (29. Examinatores Synodales in Synodo ad summum viginti eligi posse, tenent Aldan. in *Compend. Canonicarum Resolut.* lib. 3, tit. 9, num. 29, et Barbosa super *Trident.* loc. cit. n. 85, et in *Summ. Apostolicar. decis.* verb. *Examinatores Synodales* num. 4, attestantes ita fuisse decisum a Sac. Cong. Concil. in Cæsaraugustana 13 Martii 1623 (3).

(30. Examinatores Synodales debent ad Sancta Dei Evangelia jurare se fideliter munus suum executuros, textu expresso in *Trident.* loc. cit. ibi : « Jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros. » (31. Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente Examinatores non dicuntur legitimi, et Concursus factus coram eis ante præstitum juramentum est nullus : Sac. Congr. Conc. in una Bisignanen. 2 Decemb. 1628, ubi censuit : « Concursus factos non præstito juramento ab Examinatoribus Synodalibus fuisse nullos; sed ex gratia convalidandos, facto verbo cum Sanctissimo, qui convalidavit, et confirmavit, » ut refert Barbosa supra *Concil. Trident.* loc. cit. num. 105, et in tract. *de Parocho* cap. 2, num. 78. et in *Summ. Apostolic. decis.* verb. *Concursus* num. 18, et tenent Doctores communiter. (32. Et taliter est de forma substantiali juramentum, ut ipso deficiente ex parte unius solius Examinatoris vitietur totus actus, ut cum multis a se citatis tenet Card. de Luca *de Parochis* discurs. 3, num. 4, et disc. 37, num. 14. (33. Sufficit tamen, quod hoc juramentum sit semel præstitum sive in Synodo, sive extra Synodum. Non enim requiritur quod juramentum præstetur in Synodo; ut communiter tradunt Garcias *de Benefic.* part. 9, cap. 2, num. 359. Lotter. *de Re benefic.* lib. 2, quæst. 31, num. 94. Pax. Jord. tom. 2, lib. 10, tit. 8, num. 133. Card. de Luca *de Paroch.* disc. num. 6. Gavant. in *Praxi Synod.* cap. 31, num. 8. Pignatell. tom. 1, consult. 13. Monacell. t. 1, form. 7, num. 3, et alii passim, et desumitur ex ipso Trident. loc. cit. quia cum ibi Concilium concedat posse eligi Examinatores etiam Regulares, qui non interveniunt in Synodo, manifeste colligitur, quod extra Synodum possint hujusmodi juramentum præstare, et fuit expresse decisum a Rota in una Fanen. Parochialis 28 Junii 1596, coram Corduba (4).

(34. Examinatores Synodales non possunt quidquam prorsus occasione examinis, nec

(1) Benedictus XIV. *De Synodo Diœcesana* lib. IV, c. VII, n. V, propositis controversiis, quæ ex designatione Synodalium Examinatorum *sub solo appellativo nomine dignitatis, seu officii* oriri solent, subjungit : « Ad tot itaque præcavendas, et obtruncandas controversias, consultius erit, ut Synodales Examinatores sub proprio et expresso cujusque nomine, et cognomine, ab Episcopo proponantur, atque a Synodo approbentur. » (Edit. Barbiell.)

(2) Et Benedicto XIV, loco mox citato num. 3, ubi ipsa S. Congregationis in epistola ad Patriarchum Venetiarum, die 11 Julii 1592, verba profert. (Edit. Barb.)

(3) Confer Benedictum XIV, *De Synodo Diœcesana* lib. 4, cap. 7, num. 3. (Edit. Barbiell.)

(4) Hinc Benedictus XIV, loc. cit. num. 6, scribit ab electis Examinatoribus Synodalibus ejusmodi juramentum in ipsa Synodo emittendum esse, si illi Synodo adsint; sin minus, coram Episcopo, aut ejus Vicario. Tum subdit : « Quamvis... Tridentinum, juramentum ab illis præstandum dixerit ad sancta Dei evangelia; attamen Gavantus citat. cap. 31, annot. 7, nihil referre affirmat, an super Evangelia, vel sacras Sanctorum Reliquias præstetur. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ante, nec post accipere, alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrunt, a qua absolvi nequeunt nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur, textu expresso in *Trident.* d. sess. 24. cap. 18. ibi : « Caveant, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. » (35. Quacumque etiam immemorabili consuetudine non obstante, ut censuit Sac. Cong. teste Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 60. num. 52. (36. Examinatores non possunt quidquam pro labore, vel titulo stipendii ad sustentationem ex fructibus Beneficii vacantis, vel alia ratione accipere. Garcias *de Benefic.* part. 5. cap. 7. num. 11. et part. 9. cap. 2. num. 374. Riccius *in Praxi* part. 4. resolut. 76. n. 4. Barbosa *super Trident.* loc. cit. num. 107. et alii. (37. Non potest Ordinarius statuere aliquod stipendium, etiam minimum, Examinatoribus deputatis in Synodo pro Concursu Parochialium, et si Synodus Diœcesana secus statuerit, decretum est irritum, et nullum. Sic decisum fuisse Sac. Cong. Concil. referunt Garcias dict. part. 9. cap. 2. num. 374. Barbosa super Trident. loc. cit. num. 108. et dict. allegat. 60. num. 53, et alii. (38. Examinatores privantur beneficiis antea obtentis, si occasione examinis, sive antea, sive post aliquid accipiant, etiam gratis, et liberaliter datum, et ad captandam benevolentiam, etiamsi res modica sit, et levis momenti; Nam a Tridentino loc. cit. prohibetur quidquam prorsus accipi occasione hujus examinis; sic resolvunt Garcias dict. part. 9. cap. 2. num. 390. Riccius *in Praxi*, dict. part. 4. resolut. 76. num. 3. Barbosa *super Trident.* loc. cit. num. 109. et alii.

(39. Examinatores peracto examine debent eos ex communi sententia renuntiare Episcopo, quos idoneos repererint. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. referunt Garcias d. part. 9. cap. 2. n. 104. Barbosa super *Trident.* loc. cit. n. 100. et in *Summ. Apostol. decis.* verb. *Examinatores Synodales* n. 16. et alii. (40. Approbatus dicitur in concursu, qui ultra dimidium vocum fuerit consecutus, quamvis alius omnia suffragia prospera reportaverit; sic decisum fuisse a Sac. Cong. Conc. referunt Garcias d. part. 9. cap. 2. n. 109. et Barbosa in *Summ. Apostol. decis.* verb. *Examinatores Synodales* n. 15. et super *Trident.* loc. cit. n. 116. (41. Examinatorum vota, licet Concilium non expresserit ea palam, vel secreto fieri debeant, magis tamen expedit, ut Examinatores inter se sua vota conferant. Deinde Notario jubeant, ut in actis suis simpliciter scribat Titium approbatum idoneum; Sejum vero reprobatum, ut fit Romæ. Sac. Cong. Concil. penes Garciam dict. part. 9. cap. 2. num. 107. et Barbosam in *Summ. Apostolic. dec.* verb. *Examinatores Synodales* n. 17. et *super Trident.* loc. cit. num. 112.

(42 Examinatores debent dare vota, dum simul congregati sunt cum Episcopo, non autem separatim, sicut etiam Episcopus, ubi datur locus accessui, debet accedere Examinatoribus simul congregatis. Garcias d. part. 9. cap. 2. n. 58. Massobrius in *Praxi*, requisit. 4. dub. 4. Barbosa *super Trident.* loc. cit. n. 113. Card. de Luca *de Paroch.* disc. 1. num. 21 et 27. disc. 3. num. 7. et disc. 37. num. 19. et alii.

(43. Examinatores tenentur facere relationem, etiam circa mores, ætatem, et reliqua, et debent renuntiare quotquot idonei judicati fuerint; Episcopus vero debet ex iis qui renuntiati fuerint, magis idoneum eligere. Sacr. Congr. Concil. apud Garciam *de Benefic.* part. 5. cap. 7. n. 11. et part. 6. cap. 2. n. 236. et part. 9. c. 2. n. 108. Barbosa in *Summ. Apostolic. decis.* verb. *Examinatores Synodales* n. 18. (44. Examinatoribus approbantibus aliquem tamquam magis idoneum in scientia, cujus tamen mores ignorantur, et habentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum, et approbatum in moribus, hic ultimus est præferendus. Sacr. Congr. Concil. apud ipsum Garciam d. part. 9. cap. 2. n. 111. Barbosa loc. cit. n. 19. (45. Non pertinet ad Examinatores Synodales, sed ad solum Episcopum judicare quis ex concurrentibus ad parochiam vacantem sit magis idoneus. Sacr. Cong. Concil. testibus Zerola in *Praxi Episcop.* part. 1. verb. *Parochia* § 2. Annendar. in addit. ad recop. *Legum Navarræ* lib. 1. tit. 18. l. 7. n. 58. Barbosa loco cit. n. 21. Vide ad rem Card. de Lugo t. 2. disp. 33. sect. 5. n. 64. (46. Examinatores debent vota sua dare, sed Episcopus non tenetur ex collatione votorum eligere, potest enim, cui maluerit ex approbatis, beneficium conferre, non habita ratione calculorum ipsorum votorum; et debet expectare, ut Examinatores renuntient, quos judicaverint idoneos. Sacr. Congr. Concil. apud Massobr. in *Praxi habendi concursum*, requis. 4. dub. 4. Barbosa loc. cit. n. 20. (47. Idonei, et approbati dicuntur illi, qui habent majorem partem votorum favorabilium, quamvis minor pars eos reprobaret, minusque idoneos renuntiaret; quoniam tamquam in actu capitulari, seu collegiativo major pars trahit ad se minorem, eamque suffocat, ita ut habeatur, ac si actus ab omnibus gestus esset; Et talis approbatio idoneitatis absque distinctione votorum facta dicitur eo ipso, quod quis habet majorem partem, quæ constituitur etiam per dimidium vocum, quod excedat medietatem. Sic Card. de Luca *de Parochis* disc. 1. n. 18. et disc. 37. n. 20.

(48. Episcopus potest eligere etiam extra locum examinis, et absentibus ipsis examinatoribus. Garcias d. part. 9. cap. 2. num. 59. Massobr. dic. *Praxi* requis. 5. dub. 20. Barbosa *super Conc.* sess. 24. cap. 18. num. 120. Card. de Luca *de Parochis* disc. 1. n. 20. et alii. (49. Episcopus in paritate votorum potest accedere quibus voluerit, ut si ex quatuor Examinatoribus, duo approbarunt, et duo reprobarunt, accedendo Episco-

Digitized by Google

pus, vel Vicarius duobus approbantibus, Examinatus dicitur approbatus, et si accedit reprobantibus, dicitur reprobatus. Unde Episcopus ita accedendo potest aliquem ex non approbato facere approbatum ex declaratione Sacr. Congr. Concil. edita sub die 29 Aprilis 1604. per quam casus deciditur in individuo tam circa adhæsionem, quam circa præelectionem, cujus tenor præcisus, ut refert Card. de Luca *de Parochis* disc. 1. num. 14 et 15. est ut sequitur.

(50. Dubium. « An existentibus duobus concurrentibus examinatis a quatuor Examinatoribus, quorum unus reportavit omnia vota favorabilia, alter vero duo tantum favorabilia, possit Episcopus sui voti accessione approbare secundum; ita ut cum hic secundus ultra dimidium, inclusa volo Episcopi, vota favorabilia habeat, sit judicandus idoneus uti primus; ita ut liceat deinde Episcopo eligere ex his duobus, qui sibi magis idoneus videbitur? »

Die 29 Aprilis 1604

« Congregatio censuit, eum quoque, quia duobus Examinatoribus approbatus, et ab aliis duobus reprobatus fuit, si Episcopus votis approbantium accesserit, quemadmodum ei licet per decretum Concilii cap. 18. sess. 24. approbatum intelligi, ac propterea posse etiam ad Parochialem vacantem regendam Episcopi electione præferri, si eo altero magis idoneum judicaverit. »

(51. In Diœcesi in qua sunt duæ Cathedrales unitæ, sunt deputandi in qualibet Examinatores distincti ab aliis alterius Cathedralis; Sacr. Congreg. Conc. in Valvens. et Sulmonen. 7 Septembr. 1650. Pignatell. tom. 1. consult. 413. Card. de Luca *de Benefic.* disc. 10. num. 17. *de Parochis* disc. 3. n. 5. disc. 37. num. 16. *Annotat. ad Concil.* disc. 32. num. 6. et alii passim. (52. Vide tamen verb. *Synodus* n. 6. Alia vide verb. *Approbatio* art. 1. a num. 47. usque ad fin. verb. *Beneficia* art. 3. a num. 22 ad 54. et verb. *Concursus* art. 2 et 3. per tot.

(53. Examinis pro collatione Ecclesiarum Parochialium habendi forma præscribitur a Benedicto XIV. tom. Constitut. 68. incip. *Cum illud.* § 7. (54. Vide tom. 2. verb. *Concursus*, in principio Examinis forma a Dataria Apostolica servata proponitur locorum Ordinariis. Idem *ib.* § 7. (55. Examinatores judicium ferre debent, non solum de Doctrina, sed etiam de aliis qualitatibus requisitis in Parocho. Idem. *ibid.* § 11. (56. Examen iterari non conceditur in judicio appellationis, nisi ex actis prioris examinis probetur gravamen quoad doctrina. Idem. *ibid.* § 7. Vide verb. *Concursus*, ubi alia ad rem.

(57. Examini Diœcesani Episcopi ante Ordinationem subjici debent etiam Regulares. Idem tom. 2. Const. 27. incip. *Impositi nobis.*

(58. Examinatorum Synodalium electionem fieri debere nomine, et cognomine, non vero titulo Officii, seu dignitatis tantum expresso, jam tradidi supra num. 25. ex decr. Sacræ Congreg. Concil. quæ iterum novissime, cum in Synodo Diœcesana Policastrensi

inter Examinatores Synodales deputatus fuisset etiam Vicarius Generalis Episcopi, sub solo nomine appellativo dignitatis Vicariatus, atque hic una cum aliis duobus Examinatoribus Synodalibus interfuisset concursui habito ad quamdam Parochialem, die 19 Septembris 1745. concursum convalidavit ad cautelam, sed simul scribendum dixit Episcopo, Vicarium Generalem, non posse deinceps Synodalis Examinatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputaretur, ut refert Bened. dictus XIV. *de Synodo Diœces.* lib. 4. c. 7. n. 5.

(59. Examinatores Synodales durant usque ad novam Synodum, licet quolibet anno non celebretur; Sacra Congreg. Conc. in Imolen. 10 Decemb. 1695. (60. Si autem aut omnes, aut aliqui ex designatis in ultima Synodo moriantur, vel in longiqua recedant, tunc, si saltem sex ex designatis remaneant, Episcopus istis uti debet, nec potest alios pro mortuis, aut e Diœcesi discessis substituere. (61. Si vero sex saltem non supersint, tunc ex Decreto Clementis VIII. relato a Garcia *de Beneficiis* part. 9. cap. 2. num. 72. et a Fagnano in cap. *Cum sit ars*, nu. 14. *de Ætate et qualitat.* possunt Episcopi alios subrogare, dummodo præditi sint qualitatibus a Tridentino præscriptis, a Capitulo approbentur, et una simul ex electis in Synodo sex non excedant; et id fiat intra annum a Synodo celebrata, quo elapso talis facultas, et eorum auctoritas statim expirat. Idem cit. lib. 4. cap. 7. n. 7 et 8. Vide tom. 2. verb. *Concursus* art. 2.

(62. Si ex Examinatoribus non subrogatis, sed in ultima Synodo electis sex superstites extent, omnes perseverant in officio, et illis uti debet Episcopus in concursibus ad Parochiales. (63. At si vel unus ex illis decesserit, ita ut, ex electis in Synodo sex non remaneant, omnium eorum munus expirat, et nullo ex illis uti poterit Episcopus in dictis concursibus, ut censuit Sacra Congregatio Concilii apud Garciam cit. cap. 2. num. 73. Fagnanum loc cit. num. 14. Massobrium in *Praxi habendi concursum* requisit. 12. dub. 4. et refert idem Bened. et. loc. cit. num. 8. qui num. 9. recte subjungit, quod elapso anno, et non existentibus sex Examinatoribus in Synodo electis, ut valide possit institui concursus, necesse est ut Episcopus vel novam Synodum celebret, in qua sufficiens numerus Examinatorum eligatur, vel facultatem petat a Sacra Congregatione Concilii novos Examinatores extra Synodum deputandi. (64. Alias si concursus fiat coram Examinatoribus extra Synodum designatis ab Episcopo, nulla ad hoc instructa speciali facultate, erit nullus; Hinc cum in Diœcesi Bracharensi plures Parochiales collatæ fuissent concurrentibus approbatis ab Examinatoribus extra Synodum deputatis ab Archiepiscopo cum consensu Capituli, opus deinde fuit, ut qui illas obtinuerant preces porrigerent Summo Pontifici, ut suprema sua auctoritate earumdem collationes convalidaret; et Sacra Congreg. Concil, ad quam

Digitized by Google

preces remissæ fuerant, die 12 Januar. 1715. illas convalidandas censuit, quia supplicantes bona fide Parochiales acceptaverant, atque ex Archiepiscopi attestatione constabat, multa exoritura scandala, si novus Concursus ad illas foret indicendus, quod refertur in *Thesaur. Resolut.* tom. 3. pag. 219. loc. cit. n. 9.

(65. Sacra Congregatio probe noscens, non facile, ob varias causas esse Episcopis singulis prorsus annis Synodum celebrare, ne idcirco legitimis careant Examinatoribus pro concursibus ad Parochiales, statim ac aliquis Episcopus ei exponit, sex ex electis in ultima Synodo non exstare, facultatem ei concedit eligendi novos a majori parte Capituli approbandos, quorum tamen munus duraturum decernit tantum ad annum; et iterum ad preces Episcopi illos in munere confirmat, et deinceps semper in annum iisdem prorogat. (66. Idem *ibid.* num. 10. ubi recte subdit, quod si Capitulum illos, quamvis cæteroquin idoneos, approbare recusaverit, licet Pignatellus, et P. Andreuccius ibi citati existiment habendos esse nihilominus in tali casu pro approbatis, tutius tamen erit ad evitandas innumeras lites, et controversias solitas oriri in similibus casibus, ut tunc Episcopus a Sacra Congregatione Concilii petat supplementum consensus sine justa causa a Capitulo denegati, ut de facto supplevit in una Messanensi die 20 Septembr. 1645. similem nominationem, seu electionem Examinatorum Synodalium quam Capitulum detrectaverat approbare, convalidando, ut apud Thesaurum tom. 9. in Aversana Electionis Examinatoribus Synodalis § *Urgente*, refert Eruditissimus Eminentissimus Cavalchinus, qui uti Secretarius dictæ Sacræ Congregationis Concilii sub die 10 Jan. 1739. et 16 Maii ejusdem an. 1739. (67. instabat nomine Ordinarii Aversani pro simili supplemento denegati Capitulari consensus, ibi: « An nominatio Sacerdotis Cajetani Perusini in examinatorem Synodalem facta ab Ordinario sit confirmanda, non obstante dissensu 10 ex 19 Canonicis in Capitulo intervenientibus, et suffragium ferentibus in casu, etc. » Et cum perpensum fuisset, jam tum elapsum fuisse annum, quo præfatus Sacerdos exercere potuisset Examinatoris munus, cum ex supradictis talis facultas soleat concedi solum ad annum, Sacra Congregatio supervacaneum duxit causam definire, ejusque propterea discussionem supersedit, cum solo rescripto, *Non proposita attento lapsu anni.* Sic apud dict. *Thesaurum*, tom. 9, in allegata Aversana sub die 16 Maii 1739. Quod dictus Benedictus loc. cit., n. 10, allegat sub die 2 Martii 1739. (68. Examinatores in concursu Ecclesiæ Parochialis juris patronatus Ecclesiastici, solum idoneos, non digniorem designare debent. Idem loc. cit., lib. 4, c. 8, num. 7, ubi multa tradit ad rem merito videnda et observanda.

(69. Examinatores congruentius suffragia ferunt, palam communicando secum invicem, tum indicendo Notario hunc vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est Fagnani, inclinat Pontifex loc. cit., cap. 8, § 4.

(70. In Judicio Examinatorum nulla fert suffragia Episcopus, vel Vicarius loco Episcopi residens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia, tunc enim potest Episcopus quibus vult accedere, sed hoc præstare debet tunc coram iisdem Examinatoribus. Ita ex Garcia, *ibid.* § 5.

NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(71. Quod ait Auctor num. 43. Examinatores in concursu ad Parochiales referre debere non solum de doctrina, verum etiam de moribus, prudentia, ætate, aliisque ad regendam Ecclesiam Parochialem necessariis, hoc adeo verum est ut si Examinatores de sola doctrina referant, concursus irritus sit, tum irrita facta subinde ab Episcopo collatio Parochialis Ecclesiæ, ut firmavit Rot. in Cassanen. Parochialis 8 Martii 1751, § 3, et 28 Junii ejusdem anni pariter § 3, cor. Illustriss. Migazzi.

(72. Idque procedit, etiamsi Examinatores inquisitionem dictarum aliarum qualitatum propter doctrinam commiserint notioni et conscientiæ Episcopi. (73. tum etiamsi oretenus examinatores retulerint de dictis aliis qualitatibus, dummodo tamen ex actis non constet eos oretenus retulisse, et demum etiamsi contraria sit consuetudo, ut respondit Rot. in dict. Cassanen. Parochialis 8 Martii 1751, a § 5 ad finem, et 28 Junii ejusdem anni a § 6, ad finem cor. Illustriss. Migazzi.

(74. Nota vero, quod ut Examinatores dicantur retulisse tum de doctrina, tum de aliis qualitatibus, necessarium haud est, quod (sunt verba Rotæ in dict. Cassanen. Parochialis 8 Martii 1751, § 6. « Examinatores judicium super singulis qualitatibus concurrentium distincte et sigillatim proferre teneantur, quum satis sit eorumdem qualitatum ab Examinatoribus habitam fuisse rationem per indefinitam orationem, quæ concurrentes ad Ecclesiam regendam idonei renuntientur. »

Hic supplere optimum ducimus quæ adjecimus in fine additionum ad artic. IV, verb. *Electio*, num. 119, nempe, quod quæstio illa, an eligente majori parte Capituli inhabilem, sub conditione dispensationis, minore vero parte habilem non obtenta dispensatione intra terminum juris, consolidetur totum Jus ipsius Capituli in minore illa parte, ita ut ab ea electus habendus sit pro electo; adeo implexa visa fuit, ut supremum auditorium Rotæ, ad quod delata fuit in Comen. Canonicatus Theologalis cor. Rever. D. Olivatio Decano semel atque iterum ex æquo scissum fuerit, nullamque coperit resolutionem. Sed cum deinceps die 29 Januar. 1763, in eam iverit sententiam, ut totum Jus Capituli consolidetur in minore parte habilem eligente, ut ex § 16, ad finem; hinc libet pro gravitate articuli, tum novitate ejus resolutionis ipsissima verba Decisionis hic exscribere.

(75. « Hactenus dicta luculenter commonstrant, nullum Jus Ignatio comparari ex

Digitized by Google

præsentatione a quinque Capitularibus in ipsum collata. Nam irrita prorsus, et inanis fuit nominatio incapacis intuitu ætatis, totumque Jus Capituli coaluit in aliis tribus Canonicis Joannem Antonium Nicolina Sacerdotem habilem eligentibus. Impediturque propterea devolutio ad Sanctam Sedem, nec Ignatio prosunt Litteræ Provisionis Apostolicæ perinde expeditæ, ac si ageretur de Canonicatu devoluto; Nam si major Pars Collegii in eodem Actu, proque eadem vacatione eligat inhabilem, aut incapacem, et minor habilem, Jus majoris consolidatur in minori, quia non decet, ut minor eligens habilem, nec ulla in re deficiens privetur Jure eligendi per hoc, quod major Pars inhabilem præsentaverit, per Text. in cap. *Dudum* 22, *de Election. et Elect. potest.* c. *Gratam* 2, *de Postulat. Prælator.* Piton., *de Controv. Patron.*, allegat. 100, n. 2. Fontanell., *de Jurepatron.*, lib. 2, quæst. 10, num. 7. Montal., *de Jur. supervenient.*, tom. 1, quæst. 23, n. 118. Rota coram Herrer. decis. 94, num. 1 et 19.

(76. « Nec interest, nominationem majoris Partis, quinque nempe Vocalium Ignatio Suffragantium, prodisse sub conditione obtinendi, quatenus opus Pontificam dispensationem super ætate intra tempus a Jure præfinitum, quod erat tempus quatrimestris, ideoque conditione intra hujusmodi tempus minime superventa, inutile evasisse Jure majoris partis, eoque dempto cessasse quoque jus minoris, quum per electionem collegialiter factam in minori consistere haud possit virtus Capitularis, quæ consumitur a majori; Abbas in cap. *Quia propter*, num. 9 et in cap. *In Genesi* num. 4. ibique Hostien. n. 14. Cardinal. n. 3. *de Election.* Lotter. *de Re benefic.* lib. 3. quæst. 17. num. 128. Rot. in recent. decis. 269. num. 2. part. 1. et decis. 210. num 16. par. 9.

(77. « Quandoquidem ad eliminandum objectum perpendere oportet, majorem Partem Capituli, et quinque Canonicos nominantes Inhabilem, nondumque perventum ad justam ætatem sub conditione obtinendæ dispensationis, dispensatione non obtenta, et conditione non extante intra tempus quadrimestris, perinde haberi, ac si nunquam nominassent. Jam vero in casu nominationis non factæ a majori Parte, nemo nescit, integram, universamque potestatem Capitularem ad minorem percurrere, vel in illis coalescere, qui dignum, et habilem nominaverint. Card. de Luc. *de Regular.* discurs. 58. num. 8. Lavor. *Variar. lucubrat. Canonic.* lib. 4. cap. 6. num. 26. Leuren. *For. Benefic.* part. 2. sect. 3. c. 2. § 7. quæst. 571. per tot. Ceccoper. *Lucubr. Canon.* lib. 4. titul. 6. num. 45. et 46. Rot. in Leodien. Vicariæ 1 Julii 1754. § 8. cor. Mineptiss. Molino.

« Plane qui præsentat sub certa Conditione impetrandi a Summo Pontifice veniam ætatis, sub contraria Conditione removet consensum ab Actu, et quodammodo profitetur, se negare electionem, quum hæc, et non alia sit voluntas ita eligentis, Card. de Luc. *de Jurepatronat.* discurs. 64. num. 27 et *de Benefic.* discurs. 28. n. 18. Piton. *de Controv. Patron.* allegat. 1. sub n. 24 versic. *modo autem* in fin. et rursus allegat. 2. num. 4. Garc. *de Benefic.* part. 8. c. 2. num. 3. Corradin *Prax. Beneficior.* lib. 4. cap. 6. n. 26. Vivian. *de Jurepatronat.* part. 2. lib. 8. cap. 8. num. 10 et 24. Gagliard. *de Benefic.* cap. 9. num. 10. Idem *de Jurepatronat.* cap. 16. n. 13. Rot. in Parmen. Beneficii 26 Junii 1750 § 18. et 5 Decembris 1751 § 12. coram bon. mem. Canilliac. Præsertim ob clausulam *Et non aliter*, qua quidem major Pars ita consensit Inhabilis electioni, ut non adito Summo Pontifice, nec impetrata dispensatione, quinimmo prætergresso tempore ad id præstituto, nihil ipsa egisse videatur, et ideo totum Jus, et vox Capitularis coerceatur in parte minori, quæ capacem, habilemque elegit. Nec electio majoris partis consumit Jus Capituli, quod per minorem conservatur, si majoris Partis electio cessatur, interciditque. Alias absurdum esset Capitulo, et minori Parti perniciem creari : Capitulo, quod fraudaretur Jure eligendi : Minori etiam Parti, si sine culpa illius, et ex facto majoris ad Superiorem fieret devolutio. Quo fit, ut si Pars tantum, et non totum Capitulum, in culpa versetur inhabilem eligendi, tunc Jus electionis pervolvatur, ac transeat ad aliam partem, et ad reliquos licet numero pauciores vocales, quum pœna non debeat insontes afficere; Barbos., *de Jur. Ecclesiast. univ.*, lib. 1, c. 19, n. 86. Louvrex, *Dissert. Canon.* 8, annot. 50, ad nonnullas seqq. Leuren., in *For. Benefic.*, part. 2, c. 2, quæst. 250, n. 2. Montalb., *de Jur. superven.*, tom. 2, in addit. ad quæst. 23, num. 24.

« Traducique ad hanc speciem non possunt Authoritates, quæ de majori parte ignoranter indignum eligente afferuntur. Qui enim ignoranter eligit indignum aut inhabilem, nullius culpæ notatur, et pro se cupit electionem impleri; Lex autem est, quæ illi subtrahit effectum; et ideo vetat Jus majoris accrescere minori, et in minori coacervari, cum ad id requiratur, majorem Partem vel non eligere, vel culpose saltem eligere. At vero quisquis eligit incapacem sub conditione dispensationis, et consequenter ex perspecta Canonicatus indole requirente legitimam ætatem, scienter eligit, nec excusatur a conditione, nisi removeatur obstaculum nominationis in Incapacem collatæ. Obstaculo vero vigente ob non impletam Conditionem, res absolvitur secundum regulam culposæ nominationis, qualis est illa, quæ proponit indignum, privans ex post facto eligentes Jure suffragii, et hoc ea vice transferens in alios, qui habilem elegerunt, quive ex consolidatione acquirunt vocem Capitularem, ut de culpose eligentibus statuunt Louvrex *Dissert. Canonic.* 8. n. 56. Passerin. *de Elect.* c. 31. num. 1. Fontanell. *de Jurepatron.* lib. 2. cap. 10. num. 2. Rot. coram Ansald. decis. 95. num. 19. et in Colonien. Abbatissatus 25 Aprilis 1759. § 11. cor. bon. mem. Frangipane.

« Et quamquam alicui mirum videatur,

Digitized by Google

consolidationem majoris in minori fieri ex facto, semel ac Collegialitas actus nihil initio tribuit minori Parti; perpendere tamen oportet, id fieri per quamdam retroactionem, et redditum ad initium. Conditio dispensationis ejus est naturæ, ut si impleatur, redeat ad initium actus, actumque convalidet ab illo tempore; sin autem deficiat, etiam defectus ad idem tempus revertatur, actumque deleat tam quoad eligentes, quam quoad Electum usque ab exordio, cum paria sint nihil fieri, vel fieri sub conditione, quæ non exstet, ut probant Roland. consil. 58. num. 16. et seq. lib. 3. Antonin. Var. resol. lib. prim. resol. 66. n. 3. et alii collecti per August. Barbos. *de Axiom. Jur.* lib. 3. cap. 43. *de Condit.* § 16. Paris. *de resignan. Benef.* lib. primo quæst. 14. num. 10. Clericat. *de Benef.* discord. 62. n. 26. Rota coram Molin. decis. 1161. n. 17. Esto igitur in Patronatibus Laicalibus (cujusmodi est illud, de quo disseritur, si consideretur cessio per Communitatem Burmi facta Capitulo sub lege non immutandi naturam Patronalem) esto inquam a Jure Canonico permittatur actus nominationis Incapacis sub conditione purgandæ incapacitatis intra terminum, ut pluribus collectis firmavit Rota in Melevitana Beneficiorum 10 Junii 1712. § *Pro remotione* cor. clar. mem. Card. Aldovrando apud Fagnan. *de Jurepatr.* part. 1. can. 5. cass. 11. num. 28. tamen a conditionis eventu pendet nullitas, aut firmitas ejusdem actus, ita ut extante conditione, actus valeat retrocedendo, conditione defecta retrocedendo pariter corruat. Hac vi retroactionis inspecta, nemo miretur defectum Pontificiæ dispensationis nunquam obtentæ super ætate, ministerio Juris redire ad initium actus, et ad momentum, quo major Pars Ignatium præsentavit sub conditione dispensationem obtinendi. Sequiturque propterea ex eo momento a majori Parte negatum existimari consensum nominationis Incapacis medio sublatæ; semper enim evanescit, et a principio tollitur, ac si non facta, præsentatio, cui deest conditionis eventus; Rota in recent. decis. 474. num. 10. et seq. part. 5. tom. 2. et in Romana Locorum Montium, seu Evictionis 9 Feb. 1756, § 6. cor. Illustriss. Stadion.

« Quamobrem vox Incapaci, et inhabili eatenus profutura, quatenus intra præscriptum tempus evasisset Capax, et Habilis, resolvitur quidem nulla deinceps acquisita incapacitate, sed nihil detrahit nominationi minoris Partis, quam immo in suspenso stare jubet, quousque non impleatur conditio capacitatis acquirendæ; Piton. *de Controv.* alleg. prima. n. 24. Gagliard. *de Jurepatron.* cap. 16. num. 12. Conditioneque desiderata, nec intra tempus superventa, quemadmodum fas est credere, majorem partem noluisse eligere, sic Legis operatione resurgit quodammodo consopitum Jus electionis minoris Partis, nec amplius consideratur major, aut minor Pars, quum in minori totum Jus, ac summa Capituli reperiatur, actusque minoris Partis, qui manet in suspenso, non prohibetur, quin ex post facto vires consequatur, uti monent Nid. in *Commentar. ad regul.* 18. num. 44. *de Regul. jur.* in 6. Montalb. *de Jur. superven.* tom. 1. quæst. 1. num. 37.

« Et hinc etiam actui collegialiter perficiendo respondetur. Hæc enim quoad Patronos Jure Collegii, non autem uti singulos eligentes regula traditur, ut si nulla divisio Suffragiorum contingerit, sed universum, quantum est, Collegium Inhabilem elegerit. tota vox irritetur, et ad Superiorem devolvatur. At si eligentes sese diviserint, et Pars major, ut hic, secesserit ad præsentandum non idoneum, Pars vero minor ad Idoneum declinaverit in eodem actu Collegiali, quo Jus electis conquiritur; plane vox, a qua cadit major Pars scienter eligens Inhabilem, accrescit, et additur minori Parti, dignum, et habilem præsentavit, quoniam ut ait Gloss. in cap. *Gratum de Postulator.* in verb. *Pauciores*, Jus omnium, et universitas etiam in unum recidere potest, consonatque Leg. *Sicut Municipium* 7. in fin. ff. *Quod. cujusque univ. nomine*, magisque Jus omnium recidit in tres eligentes, qui Collegium faciunt; c. 1. *de Election.* Leg. *Neratius* 85. ibique Gothofred. litt. *K.* ff. *de verbor. signific.* Idque in solo limitatur casu, si nempe non eodem contextu prodierit nominatio minoris Partis, sed forte prius, et spatio dato, atque intervallo, quia tunc virtus Capitularis constitui nequit in minori parte ob consolidationem majoris nondum privatæ Jure electionis, ut hæc perstringens non ad opportunitatem, sed pro animi sui Sententia perbelle declarat Piton. *de controv. Patronor.* alleg. 100. num. 2 et 3.

« Contrariis forte urgentibus in electione canonica Prælatorum, et ut vocant *propria*, ad formam cap. *Quia propter de Elect.* in qua quidem recepta est sanctio *Textus* ex Jure civili in leg. 30 ff. *de regul. Jur.* et ex Jure Canonic. in. cap. *Quum auditis* 29 *de Election.* et c. *Dudum cum gloss.* in verb. *electionis tempore eodem tit.* utroque Jure negante tractu temporis convalescere, quæ ab initio nulla sunt; Quia in electione propria non admittuntur vota conditionalia; non enim Eligentes in incerto fluctuare debent; quinimmo in electione propria constitutum est, ut majori parte seligente Inhabilem sub conditione quærendæ capacitatis, minore vero capacem, et habilem absolute nuncupante, statim, et ipso Jure proscribatur vox Eligentium conditionaliter, non exspectato conditionise ventu, quia placet vota conditionalia pro non adjectis haberi, et ex puris celebrari electionem, in illos, qui pure nominarunt habilem, ea vice transeunte jure cæterorum, ad Text. in cap. 2. *de Elect.* in 6. Ripa *resp.* 2. per tot. *de Elect.* Garc. *de Benefic.* part 8. c. 2. n. 11. et 13. Lotter. *de Benefic.* lib. 2. quæst. 16. num. 7. Passerin *de Elect.* cap. 18. num. 22. Nid. *de regul. Jur. regul.* 50. sub n. 11. Piton. discept. Eccles. 106. num. 115. Rota coram Millin. decis. 420. n. 7.

« At longe aliter se res habet in impro-

Digitized by Google

pria nominatione Patronorum, quos inter recensetur Collegiata Burmii potita Jure eligendi ex cessione Communitatis; nam hic quemadmodum nuncupatio Inhabilis, quæ fit a majori parte sub conditione dispensationis, non habetur tanquam infirma, et infecta (toleratur enim, et permittitur), ita etiam Habilis nominatio pure facta per minorem partem pro infecta, et infirma non est, quoad actum usque ab exordio, sed utraque manet in suspenso quoad effectum, vel saltem est in implicito statu validitatis quoad usque deficiat conditio dicta a majori parte Inhabilem eligente, eaque defecta, consistit usque ab initio electio minoris partis, ut secernentes propriam ab impropria nominatione considerant, Piton. *discept. Eccles.* 24. a num. 13. ad plur. seq. Rota *in Recent.* decis. 210. n. 16. et seq. part 9. tom. 1. *coram Cerro decis.* 26. n. 43. et seq. et cor. *Caprar.* dec. 558. n. 7.

« Idque conficitur tum a Jure, tum ab Homine. *A. Jure*, quia eligens Inhabilem sub conditione dispensationis, non videtur a principio eligere, et ideo non attrahit, et absorbet Jus minoris, sed contra ad minorem transfertur etiam Jus majoris, perinde ac si major pars abstinuisset ab electione. *Ab Homine*, quia non accedente conditione, ut erat in facultate majoris partis pœnitere electionis Inhabilis, et aliam intra terminum cumulare electionem, Piton. *de controv. Patron.* alleg. 2. num. 4. Carol. Anton. de Luca *de linea legal.* part. 1. art. 24. num. 10. sic nova electione prætermissa, si major pars intra tempus quadrimestris noluit Habilem eligere, videtur tacite abivisse in electionem Habilis jam a minori parte nominati. Quoniam conflictus majoris partis cum minori, a qua illa se subtraxit, solum durat, quousque impleatur conditio; non impleta vero conditione cessat; et major pars censetur potius fictione legis cessisse Juri suo, vel nominato a minori consensum quodammodo præbuisse; Montalb. *de Jur. superven.* tom. 1. q. 23. num. 125. et seq. Rota *in Recent.* decis. 136. num. 14. *cum duobus* seq. part. 10.

« In hunc sensum autem eo pronius Domini iverunt, quo certius est ex duabus devolutionibus, quarum altera fiat per consolidationem Juris majoris partis in minori, altera per transitum ad superiorem, uti advertunt Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 31. *num.* 3. *et disc.* 35. *n.* 10. Piton *de controv. Patron. alleg.* 34. *num.* 7. *et seq. et alleg.* 16. *num.* 23. Vivian. *de Jurepatron. lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 1. *et seq.* favorabiliorem esse primam, quam secundam, et quantopere vitandam hanc, tantopere adjuvandam illam putarunt, sectantes Judicium explicatum a Rota *in Gerunden. Beneficii* 1. *Junii* 1726. § *Opposito, et* 19. *Aprilis* 1728. § *Quæ quidem, coram clar. mem. Card. Calcagnino.*

« Privat equidem devolutio in vacatione illa Patronos Jure præsentandi. Odium igitur incurrit, et tamquam pœna, vel modis omnibus effugienda est, ad *Text. in cap.* 5. *de concess. Prœbendar. et in cap.* 18. *de elect. in* 6. Leuren. *in For. Beneficial. part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. § 7. *quæst.* 739. Rota *in Colonien. Canonicatus* 16. *Maii* 1629. § *Quando quidem coram. clar. mem. Corio*, vel non aliter admitti solet, nisi quando perspicue constet ei locum esse, quum in qualibet dubietate pro exclusione pœna devolutionis respondendum videatur. Rota in Imolen. Capellaniæ. 1. Aprilis 1743. § *His autem*, coram bon. memor. Canilliac. et 14. Aprilis 1752. § 2. coram Eminentissimo Bussio.

« Debebamus additionem hanc adeo ponderosam facere in Articulo: *Electio*. At quia animo excedit, supplendam hic eam duximus. »

EXARCHI, ET PRIMATES.

ARTICULUS EX NOVISSIMA EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. 2. Exarchi varia apud Græcos significatio. — 3. Contracta ad Ecclesiasticam dignitatem communis Patriarchis, et Metropolitis. — 4. Quibus proprie id nominis datum. — 5. 6. Tres tantum fuere olim apud Græcos hujusmodi Exarchi. — 7. Quorum fere jura omnia Patriarchæ Constantinopolitano tandem cessere. — 8. 9. 10. Quinam Exarchi dicti posterioribus Sæculis? — 11. Idem Latinis Primates: qui Græcis Exarchi. Alii quidem honoris erant; — 12. Alii potestatis. — 13. 16. Peculiaris quædam Africanorum Ecclesiarum circa Primates disciplina.

(1. Exarchus vox Græca est, eaque apud veteres cum profanos, tum sacros Scriptores adhibita potissimum occurrit ad eum significandum, quia cantum inchoabat, sive cantus auspicem, ut apud Homerum *Iliad.* 17. v. 605 et Philonem *de Vita contempl.* Gregorius vero Nazianz. ὤρισθεια *festi auspicem* illum appellat, qui festum aliquem diem primum celebrat.

(2. Eodem deinde vocabulo antiquos Patres in bonam æque atque in malam partem usos invenias; scilicet vel ad significandos criminis alicujus capitalis reos; aut etiam rebellionis auctores, unde hæresiarchæ haud raro *hæresis Exarchi* nuncupati sunt, vel ad indicandos primæ alicujus Sedis Episcopos; sicque Evagrius Latrocinii Ephesini Præsidem Dioscorum lib. 1. cap. 10. constitutum ejus pseudo Synodi *Exarchum* dicit.

(3. Ut ad Exarchorum dignitatem proprius accedamus, a Græcis id nominis passim, et Patriarchis datum est, et Metropolitis, quod primas tenerent Sedes illi diœceseon, hi Provinciarum. Hinc domus Antiochenus in Antiochena Synodo, et in octava generali Thomas Tyri Metropolita *Exarchi* nuncupantur.

(4. Alia germana, et cæteris multo antiquior *Exarchi* notio ea est, qua *Exarchus* is dicitur, qui nec unam regit civitatem, ut Epi-

Digitized by Google

scopus; nec unam tantum Provinciam, ut Metropolita; sed multas simul; non civiles modo, sed etiam Ecclesiasticas, sive integra esset diœcesis, sive secus.

(5. Primum quidem apud Græcos, tres tantummodo fuerunt Exarchi, quorum singuli propriam administrabant Diœcesim, eamque integram; Cæsariensis Ponticam, Asianam Ephesinus, et Heracleensis Thracicam Diœcesis Pontica, cujus Metropolis erat Cæsarea Cappodaciæ, in sex primum divisa Provincias fuit, Cappadociam, Galatiam, Armeniam, Pontum, Paphlagoniam, et Bithyniam: quæ omnes, excepta Bithynia, in duas postea distributæ sunt. Præterea fuit in eadem Diœcesi Metropolis, et civilis, et Ecclesiastica Nicæa; sed nomine tantum, et honore. In Diœcesi Asiana novem erant Provinciæ; harum prima Provincia Proconsularis Asia, cujus Metropolis, immo totius Asianæ Diœcesis caput, fuit Ephesus: cæteræ octo Vicario Asiæ parebant, Hellespontus scilicet, Pamphylia, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Lycia, Charia, et Phrygia; quæ deinde in salutarem, et Pacatianam, uti et Pamphylia in duas, divisa fuit. In hac quoque Diœcesi erant duo Metropolitæ, in Rhodo alter, alter in Lesbo insula. Diœcesis Thracica, cujus olim caput erat Heraclea, deinde vero Constantinopolis, quinque Provincias complectebatur, Traciam nempe, Rhodopen, Hæminontum, Mœsiam, et Scythiam. Sicut ergo Alexandrinus, et Antiochenus Patriarchæ *Exarchi* habiti sunt, quod ille Ægypti, hic Orientis Diœcesi præsideret; sic isti non aliunde *Exarchi* dicti sunt, quam quod in Diœceseon suarum provinciis jus consimile, quod Evagrius πατριάρχικον δίκαιον appellat, obtinerent. Illud tamen *Exarchos* inter et Patriarchas intererat, quod illorum non eadem essent ἔξαρχου ἐορτῆς, quæ Patriarcharum.

(6. Trium horum Exarchorum primum meminit Concilium Constantinopolitanum I. ubi diserte post Alexandrinum, et Antiochenum Episcopos nominantur. Neque tamen inde colligas, fuisse illos primum in hac Synodo institutos. Quum enim ipsis ab eo Concilio præscriptum sit, ne ultra suarum Diœceseon fines jurisdictionem suam protenderent, nullus profecto dubitandi locus relinquitur, quin iidem jam antea vicerent, quin etiam eos spectasse Canonem VI. Nicænum, ubi post confirmatas Alexandrini Episcopi antiquas prærogativas, sancitur: « Similiter apud Antiochiam, et cæteras provincias suis privilegia serventur Ecclesiis, » longe vero simillimum est; præsertim quum Canone Constantinopolitanæ Synodi, quo Canon Nicænus explicatur, Ecclesiisque antiqua sua privilegia disertius firmantur, simulque limitibus circumscribuntur, ex æquo Diœceseon administratio ipsis, ac Episcopis Alexandrino, et Antiocheno tribuatur. En Canonem ipsum; « Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto regat solummodo, et Orientis (Antiochiæ scilicet) Episcopi Orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoque Diœceseos Episcopi ea solum, quæ sunt in Asiana Diœcesi dispensent; nec non et Ponti Episcopi ea tantum, quæ sunt in Ponto, et Thraciarum quæ in Thraciis sunt, dispensent. »

(7. Verum medio sæculo V. Exarchorum, de quibus hactenus, omnia fere jura, ut Formatarum, ordinandi Metropolitas, Synodi ex multis provinciis convocandæ, idque genus alia, ad Constituendam Constantinopolitani Patriarchæ amplitudinem illis a Concilio Chalcedonensi ablata sunt, et novitio huic Patriarchæ concessa. Aliquid tamen antiqui splendoris illis relictum fuit, ut etiam Binchamus Tom. 1. lib. 11. c. 17. § 22. animadvertit. Nam. 1. nomen *Exarchorum Diœcesis* retinuerunt, eoque se nomine in omnibus Conciliis subscripserunt. Sic in sexto generali Concilio Theodorus, et Philates se se nominarunt, ille *Diœcesis Asianæ Exarchum*, hic *Ponticæ Diœcesis Exarchum*. 2. In Conciliis Generalibus sedebant, ac suffragia ferebant, proximi a quinque excellentioribus Patriarchis, Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, et Hierosolymitano; hincque ut ex Conciliorum Generalium quarti, ex sexti subscriptionibus constat, præ cæteris Metropolitanis Ephesinus, et Cæsareensis Episcopi statim post illos Patriarchas consederunt, et sententiam dixere. Tertio potestatem recipiendi appellationem a Metropolitarum judiciis servarunt; quod ipsi illi Chalcedonenses Canones 9. et 17. qui Patriarchæ Constantinopolitano potestatem faciunt accipiendi ab iisdem Exarchis appellationem, nos docent. Cætera eorum jura abrogata sunt. Scribit quidem Evagrius lib. 3. cap. 6. a Timotheo Constantinopolitano Episcopo redditum Ephesino Exarcho fuisse quidquid illi juris fuerat a Chalcedonensi Concilio ademptum; quod et Tyrannus Basilicus suo edicto firmavit. At non diu post omnia ad inductam consuetudinem iterum redacta sunt Zenonis edicto. Vide Thommasinum Par. 1. lib. c. 17. n. 16.

(8. Dum vero et Imperii, et Ecclesiæ Majestas in Græcia sensim dilabitur, inquit Cantelius in *Metropolitanarum Urbium historia* Par. 1. diss. 1. cap. 3. inanis *Exarchi* titulus non iis tantum datus est, qui veri, et antiqui fuerant Metropolitæ, ut Ancyrano, ut Synnadensi, sed iis etiam, qui aut nullis præerant Episcopis, ut Chalcedonensi, et aliis permultis; aut meri antea erant Episcopi, ut Lacædemonis, et Monembasiæ, quorum ille Patrarum fuerat, hic Corinthi Suffraganeus; uterque tamen et Metropolita factus est, et Exarchus.

(9. Immo Exarchi nomen concessum etiam est iis, qui ne Episcopi quidem, erant; ut et Chorepiscopis, qui multis oppidis præsunt, Hermenopulo teste, et Monachis, qui multis Monasteriis, ut auctor est Balsamon.

(10. Posterioribus denique sæculis Exarchi etiam dicti sunt ii, qui in Provincias a Patriarchis mitti solent ad colligendam eam

Digitized by Google

pecuniæ vim, qua tributum annum Turcarum Imperatori persolvatur.

(11. Apud Latinos iidem Primates, qui Græcis Exarchi; Primatis tamen appellatio intra Episcoporum ordinem stetit; is enim Primas interdum nuncupatur, maxime in Gallia, qui aut honoris ævo Comprovinciales antecedebat Episcopos, ut Constantinus Uceticæ Civitatis ab Hilaro Papa; aut Urbi præerat, quæ in Notitia provinciæ secundo erat a Metropoli loco descripta, ut Catalaunum in Belgica secunda, et in tertia Lugdunensi Cenomanum

(12. Quamquam hi Primates erant honoris, non potestatis. Inter eos porro, qui potestatis erant Primates, uti apud Græcos, ita et apud Latinos magna diversitas fuit. Alii enim jam a primis temporibus integram regebant Diœcesim, ut et Romanus Italiam, et Carthaginiensis Africam, et multo post Toletanus Hispaniam. Alii vero Diœcesis tantum parti præerant, ut Lugdunensis, et Biturcensis certis quibusdam Galliæ provinciis: et ætate nostra, inquit Cantelius *loc. cit.* quod antea factitatum nusquam legitur, *Primates* dicuntur multi, quorum jurisdictio cum *Primatiales*, tum Metropolitica iisdem est finibus terminata. Sed illorum dispar est ratio. Sunt enim, qui nullis umquam præfuerint Metropolitanis, ut Rothomagensis: sunt qui olim multis, nunc nullis; sed eorum alii suos habent, ut vocant, *Officiales*, quorum alter Metropolitani jure, alter Primatis judicet; ita ut a priori ad posteriorem provocetur, ut Biturcensis; apud alios vero idem est judex Primatis, qui Metropolitæ.

(13. Alia circa Primates Africanarum Ecclesiarum disciplina erat. In pauca contraho, quæ hac de re complures tradiderunt, de Marca in diss. *de Primatu Lugdunensi*, Thommasinus par. 1. lib. 1. cap. 20, Binghamus tom. 1, lib. 2, cap. 16, § 6, seqq. Selvaggius *Antiquit. christian.* lib. 1, cap. 10, § 3, cum primis vero Emmanuel a Schelestrate in sua Ecclesia Africana diss. 1, cap. 4, seqq. Igitur in Africa, nulli erant Metropolitani; sed tot *Primates*, quot Provinciæ. Provinciam quisque suam administrabat: Carthaginensi parebant omnes. Illorum jura eadem fuerunt, quæ apud alias gentes Metropolitanorum. Inter illos tamen, et Metropolitas hoc intererat, quod Metropoles statæ, et fixæ semper erant; primæ autem Sedes in Africa desultoriæ, et numquam fere eædem; sed nunc hæ, nunc illæ; cum Metropolitanum ipsa Metropolis faceret; primam Sedem in Africa ipse Episcopus; nec enim Urbi, Carthagine tamen excepta, sed ætati, et ordinationis prærogativæ addicta fuit Primatis dignitas: quo quisque antiquior in provincia Episcopus, is eo Primatui vicinior; ille demum Primas, qui omnium antiquissimus. Hinc Leo IX, *Epist. 4, ad Petrum, et Joannem Episcopos* de Primatibus Africæ vere scripsit: « In singulis ejus Africæ provinciis antiquitus Primates instituebantur, non secundum potentiam alicujus Civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis; » hacque de causa factum puto, ut Primates in Africa *Senis* nomine passim vocarentur, uti ex Codice Africano can. 90, et ex S. Augustini epistolis 236, 261, aliisque discimus.

(14. Ad avertendam vero quamcumque de Primatu controversiam bina disciplinæ capita ab Africanis Patribus sapienter constituta sunt in Milevitano Concilio. Primum (can. 14.) ut quilibet Episcopus « litteras accipere ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes Consulem, et diem, ut nulla altercatio de posterioribus, et anterioribus, oriatur. » Alterum (can. 13); ut Episcopi in Conciliis singuli, prout consecrationis antiquitas postulabat, locum occuparent, sederent, suffragia ferrent.

(15. Diximus, in Africa jus Metropoliticum certæ Urbi non fuisse alligatum. Provinciæ tamen Metropoleos aliqua ratio habebatur. Eo enim jure potiebatur civilis Metropolis, ut æque in ejus Ecclesia, atque in Ecclesia Primatis *matricula*, et *archivium* servaretur. Hinc in Synodo Milevitana I. *Cod. Afric.* can. 86, statutum fuit: « Placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut matricula, et archivium Numidiæ, et apud Primam Sedem sit, et in Metropoli, id est Constantina. »

(16. Illud addendum in Africa et Episcopo Seniori, siquidem suo munere haud recte defungeretur, Primatum auferri potuisse; qui sane ad proximum ante reliquos omnes consecratum devolvebatur. Exemplo esse potest Priscus Mauritaniæ Cæsareensis Episcopus de quo S. Augustinus *Epist.* 261. In Orientali quoque Ecclesia quædam huic similis consuetudo videtur obtinuisse, ubi Metropolita, aut Primas a legum norma desciscceret: illi enim munere ad tempus abrogato, Primatus plerumque Seniori in provincia deferebatur. Refert Eusebius lib. 5, h. g. capit. 23, Concilium Episcoporum Ponti, « quibus Palma utpote antiquissimus præfuit. » Cur autem non Primas, qui Heracleensis Episcopus erat, sed Amastrianorum Antistes Palma « antiquissimus præfuerit Episcoporum, » Binghamus, et Selvaggius causam fortassis fuisse conjiciunt, quod Metropolitæ a sacræ disciplinæ legibus aberranti munus, saltem ad tempus, abrogatum fuisset.

EXCOMMUNICATIO.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quoad Excommunicationes esse, et divisionem.*

1. Excommunicatio quid sit? — 2. Hæc Censura inducta est in Ecclesiam propter potestatem liganti Prælatis Ecclesiasticis traditam. — 3. Et in praxim deducta ab Apostolo Paulo. — 4. Excommunicatio in Jure sæpius *anathema* appellatur. — 5. Anathema græce significat latine separationem alicujus a reliquis partibus. — 6. Excommunicatio, et anathema licet essentialiter non differant, differunt tamen quoad solemnitatem. — 7. Excommunicatio, vel incurritur ipso Jure, vel si ab homine infligitur, sola sententia

Digitized by Google

Judicis Ecclesiastici in scriptis concepta cum minori strepitu, quam anathema pronunciatur. — 8. Anathema autem infligitur cum majoribus cæremoniis ad majorem terrorem aliorum præscriptis. — 9. Assignatur modus observandus in fulminatione anathematis. — 10. Hinc contumaces contra præcepta Ecclesiæ, primum excommunicari, deinde vero crescente contumacia anathemate infligi jubentur. — 11. Excommunicatio dividitur primo in majorem, et minorem. — 12. Excommunicatio major quid sit? — 13. Excommunicatio minor quid sit? — 14. Excommunicatio simpliciter lata, sive a Jure sive ab homine intelligitur semper de majori. — 15. Excommunicatio dividitur secundo in Excommunicationem latæ sententiæ, et sententiæ ferendæ. — 16. Excommunicatio latæ sententiæ quæ sit? — 17. Excommunicatio sententiæ ferendæ quæ sit? — 18. Excommunicatio dividitur tertio in excommunicationem, quæ fertur a Jure, et excommunicationem, quæ fertur ab homine. — 19. Excommunicatio, quæ fertur a Jure qualis sit? — 20. Excommunicatio, quæ fertur ab homine qualis sit? — 21. Hinc patet supponi censuram in genere aliam esse a Jure, aliam ab Homine, quæ describuntur. — 22. Excommunicatio dividitur quarto in Excommunicationem reservatam, et non reservatam. — 23 ad 25. Alia pauca de Excommunicatione.

ARTICULUS II. — *Excommunicationes Summo Pontifici reservatæ in Pontificiis Constitutionibus.*

ARTICULUS III. — *Excommunicationes Summo Pontifici reservatæ in aliis Pontificiis Constitutionibus.*

ARTICULUS IV. — *Excommunicationes nemini reservatæ.*

ARTICULUS V. — *Excommunicatio quoad eos, qui possunt, vel non, Excommunicare, et Excommunicari.*

1 ad 8. Personæ qui Excommunicare possunt. — 9. Concilia Generalia, et Provincialia in sua Provincia, aut Natione, sicuti, et Capitula, seu Congregationes, tum Generales, tum Provinciales omnium Regularium. — 10. Excommunicare non possunt Laici. — 11. Nec mulieres, etiamsi sint Abbatissæ Monialium. — 12. Nec Clerici conjugati durante conjugio. — 13. Excommunicari possunt solummodo Christiani viatores graviter et contumaciter delinquentes, rationis capaces, et jurisdictioni Judicis ferentis excommunicationem subjecti. — 14. Judæi, Pagani, Saraceni aliive infideles excommunicari non possunt. — 15. Possunt tamen excommunicari Hæretici, Apostatæ, atque Schismatici. — 16. Mortui excommunicari non possunt. — 17. Excommunicari non possunt nisi contumaces, qui neque monitionibus, neque aliis levioribus pœnis, et Censuris possunt ad Ecclesiæ obedientiam, et debitam submissionem reduci. — 18. Infantes, Furiosi, et Amentes non possunt excommunicari. — 19. Non possunt excommunicari, qui non sunt subjecti jurisdictioni Judicis ferentis Excommunicationem. — 20. Papa a nemine potest excommunicari. — 21. Communitas, Universitas, Collegium, Capitulum, et quodvis aliud corpus politicum simul, ac collective excommunicari non potest. — 22. Si tamen omnes de Universitate, Collegio, Capitulo, et hujusmodi comperiantur delicti participes, et in eo contumaciter omnes persistentes esse, tunc in omnes singillatim, ac determinate poterit proferri sententia Excommunicationis. — 23. Immo Papa poterit proferre sententiam Excommunicationis in ipsam Universitatem, Collegium, et Capitulum simul, ac collective. — 24. Intellige tamen quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesiæ se debent gerere, ut excommunicati. — 25. Secus vero quoad Deum. — 26 ad 33. Qui excommunicare possunt potestate ordinaria vel delegata. — 34 ad 37. Qui vero excommunicari non possunt.

ARTICULUS VI. — *Excommunicatio quoad ejus effectus.*

1. Primus effectus excommunicationis majoris est privare excommunicatum usu activo et passivo Sacramentorum. — 2. Secundus est privare excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis, et bonis spiritualibus, et fructu satisfactionum Christi, et Sanctorum. — 3. Tertius est privare excommunicatum assistentia divinorum officiorum. — 4. Permittitur tamen Excommunicatis interesse Concioni in Ecclesia habitæ tempore, quo non celebrantur divina Officia. — 5. Sicuti etiam possunt privatim orare, et immo tenentur privatim recitare Horas Canonicas, si ad ipsas vi Ordinis, vel Beneficii, vel professionis Religiosæ teneantur. — 6. Idem dicendum est, licet Beneficiatus, ex quo in Excommunicatione Officium præstare non possit, fructibus privetur. — 7. Quartus effectus est privare excommunicatum Ecclesiastica sepultura. — 8. Quintus est privare Excommunicatum communione politica. — 9. Sextus est privare Excommunicatum communione Forensi. — 10. Hoc tamen de Excommunicatis vitandis, et non toleratis solummodo est intelligendum. — 11. Nihil vero obstat, quominus Excommunicatus in causis tum civilibus, tum criminalibus, tamquam reus conveniri possit. — 12. Sic etiam Excommunicatus potest ea omnia agere, aut etiam petere, quæ ad sui legitimam defensionem necessaria sunt. — 13. Septimus effectus est privare Excommunicatum, saltem vitandum, omni jurisdictione Ecclesiastica, ut omnia ejus acta invalida sint. — 14. Unde excommunicatus non potest alium excommunicare. — 15. Neque conferre Beneficia. — 16. Neque eligere. — 17. Excipitur autem electio Summi Pontificis, quæ ob nullam Cardinalium Excommunicationem, suspensionem, vel interdictum infirmari potest. — 18. Octavus effectus est privare Excommunicatum distributionibus quotidianis. — 19. Nonus est reddere Excommunicatum incapacem, et inhabilem ad dignitates, Beneficia, et omnia Ecclesiastica Officia obtinenda. — 20. Decimus est reddere Excommunicatum incapacem, et impotentem ad obtinendum aliquod Rescriptum, sive gratiæ, sive justitiæ a Sede Apostolica. — 21. Undecimus est reddere Excommunicatum suspectum de hæresi, si per annum in Excommunicatione insorduerit. — 22. Et si nullum impedimentum alleget, seque purgare recuset, potest condemnari, ut Hæreticus. — 23. Duodecimus est reddere excommunicatos omnes communicantes extra casus a jure concessos cum excommunicato vitando, seu non tolerato. — 24. Cum hac tamen distinctione, quod communicantes cum Excommunicatio in crimine criminoso, scilicet cooperando crimini, et contumaciæ, ratione cujus est lata Excommunicatio, incurrunt Excommunicationem majorem. Communicantes autem in rebus sacris, aut politicis incurrunt solummodo Excommunicationem minorem. — 25. Cum hac vero advertentia, quod communicando notabiliter in sacris, et divinis saltem publice celebratis, peccant mortaliter, communicando autem in solis politicis venialiter. — 26. Effectus Excommunicationis minoris sunt tres, unus proximus, per se, et directus, et alii duo remoti, indirecti, et de consequenti. — 27. Primus, et directus effectus est, quod excommunicatus excommunicatione minori nullum licite possit recipere Sacramentum, et si aliquod recipiat, graviter peccet. — 28. Secundus et indirectus, seu remotus effectus est, quod si sine necessitatis ratione Sacramenta ministret, peccet saltem venialiter. — 29. Tertius, et alter effectus indirectus, remotus, et de consequenti est, quod Excommunicatus minori Excommunicatione non debeat eligi ad beneficium Ecclesiasticum, sed electio infirmanda sit. — 30 ad 35. Quibus bonis privetur excommunicatus. — 36 ad 53 Effectus civiles excommunicationis.

Digitized by Google

ARTICULUS VII. — *Excommunicatio quoad ejus absolutionem.*

1. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et nemini reservatis absolvere possunt nedum Episcopi, et alii Prælati jurisdictionem habentes, sed pro foro interno etiam Parochi, et simplices Confessarii. — 2. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et Papæ reservatis (exceptis sex casibus intra Italiam, et extra Urbem de mandato Clementis VIII, reservatis) possunt absolvere etiam Confessarii Regulares. — 3. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam specialem potest absolvere solus ille, qui eas tulit, vel ejus delegatus. — 4. Vel ejus Successor, pro quo venit etiam Capitulum Sede vacante. — 5. Vel Superior Censurantis plenam jurisdictionem in illum habens, ut Papa respectu omnium, Generalis respectu Superiorum totius Ordinis, Provincialis respectu Superiorum suæ Provinciæ. — 6. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum suffraganeorum, nisi ad eum appelletur. — 7. Nec etiam Legatus Sedis Apostolicæ, nisi ad ipsum appellatum sit. — 8. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam generalem sine ulla reservatione absolvere possunt Episcopus, et alii Prælati jurisdictionem habentes, et pro Foro conscientiæ etiam Parochi, et alii Confessarii. — 9. Si autem Auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit, nemo ab illa absolvere potest præter ipsum Reservantem, vel ejus Successorem, vel Delegatum, vel Superiorem. — 10. Ab Excommunicatione minori a Jure lata absolvere potest in Foro interno proprius Parochus, et omnis Confessarius approbatus. — 11. Excommunicationis absolutio dari potest, nedum intra confessionem, sed etiam extra Confessionem Sacramentalem, etiam absenti, et etiam invito. — 12. Immo etiam mortuus absolvi potest indirecte ad hoc, ut sit capax Ecclesiasticæ sepulturæ, et suffragiorum Ecclesiæ. — 13. Excommunicationis absolutio variis modis dari potest. Primo absolute. — 14. Secundo conditionate. — 15. Tertio ad cautelam. — 16. Quarto cum reincidentia. — 17. Absolutus cum reincidentia, si cessante periculo, vel impedimento non se præsentat Superiori, reincidit in Excommunicationem. — 18. Quinto ad certum duntaxat effectum. — 19. Absolutionis formæ variæ etiam esse possunt. Assignatur forma absolutionis, cum quis absolvit auctoritate propria. — 20. Assignatur forma absolutionis, cum quis absolvit auctoritate delegata. — 21. Assignatur forma absolutionis, cum Excommunicatio est dubia. — 22. Assignatur forma absolutionis danda publice, et solemniter. — 23. Nemo debet absolvi a majori Excommunicatione sive pro Foro interno, sive pro externo, nisi prius juramento promittat de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolventis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicto. — 24. Et etiam nisi satisfecerit parti læsæ, vel ad hoc dederit sufficientem cautionem, vel saltem ad hoc præstiterit juramentum. — 25. Si autem ita absolutus postea satisfacere negligat, non reincidit in priorem Excommunicationem, sed poterit iterum a Judice excommunicari. — 26. Absolvens ante præstitum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ante præstitam satisfactionem parti læsæ, illicite quidem absolvit, sed valide. — 27. Absolutio extorta metu gravi injuste in eum finem incusso est invalida. — 28 ad 34. De absolutione excommunicationis latæ ab homine.

ARTICULUS VIII. — *Absolutio pro Foro conscientiæ an prodesse possit etiam pro Foro externo?*

1. Absolutus in Foro interno ab Excommunicatione si non fuerit nominatim Excommunicatus, non tenetur se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, præsertim si constet ita esse absolutum. — 2. Absolutus in Foro conscientiam ab Excommunicatione occulta, potest in Foro externo etiam publice habere omnem communionem in Divinis, et politicis, Missam publice celebrare, et alia hujusmodi. — 3. Si vero Excommunicatio, a quo fuit in Foro tantum interno absolutus, sit notoria, et publica, poterit tantum in occulto celebrare, et alia per Excommunicationem prohibita agere, si obsit omne scandalum. — 4. Absolutus in Foro conscientiæ tantum, si ejus crimen deferatur ad Judicem, licet non indigeat nova absolutione, potest tamen adhuc urgeri a Judice, qui potest contra eum procedere, donec etiam in Foro externo absolutionem obtineat. — 5 ad 9. Distinctio in subjecta materia.

ARTICULUS IX. — *Excommunicati quinam vitandi sint? In quibus, et qualiter vitari debeant?*

1. Jure antiquo omnes Excommunicati erant vitandi. — 2. Jure novo post Concilium Constantiense confirmatum a Martino V, sunt solum vitandi, qui sunt specialiter Excommunicati, et nominatim quoad personam a Judice Ecclesiastico publice sunt denunciati, vel sunt notorii percussores Clericorum. — 3. Nec officit, quod per Concilium Basileense, quod est posterius Constantiensi, et Martino V, præcipiantur vitari non solum notorii Clericorum percussores, sed etiam quicumque alii Excommunicati, etc., *usque ad num.* 4. — 5. Percussor Clerici tunc dicitur taliter notorius, ut debeat vitari, quando ejus crimen notorie constat, ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. — 6. Sic talis percussor esset vitandus, si per proprium visum, per confessionem rei, per plurium testimonium, per publicam famam ita esset notoria percussio, ut nulla tergiversatione posset celari, et ejus malitia excusari. — 7. Si talis percussio esset occulta, vel percussor posset se defendere, et excusare, quod percussio facta sit causa defensionis, vel ex vehementi passione iræ in motu primo primi, vel in joco, aut inadvertentia, vel nesciendo esse Clericum, tunc talis Clerici percussor non esset vitandus. — 8. Casus, in quibus vitari debent Excommunicati, reducuntur specialiter ad quinque in hoc vulgato carmine comprehensi; *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.* — 9. Quid intelligatur prohibitum per ly *Os?* — 10. Quid intelligatur prohibitum per ly *Orare?* — 11. Quid intelligatur prohibitum per ly *Vale?* — 12. Quid intelligatur prohibitum per ly *Communio?* — 13. Quid intelligatur prohibitum per ly *Mensa?* — 14. Qui in aliquo ex supradictis casibus absque rationabili excusante causa communicat cum Excommunicato vitando peccat, et incurrit Excommunicationem minorem. — 15. Et si communicet cum ipso cooperando contumaciæ, et crimini, propter quod fuit nominatim Excommunicatus, dando ei auxilium, consilium, aut favorem, præter peccatum mortale, incurrit etiam Excommunicationem majorem. — 16. Communicans cum Excommunicato nominatim a Papa, ac publice denunciato, si est Clericus, incurrit Excommunicationem Majorem, si est Laicus Excommunicationem minorem. — 17. Causæ rationabiles ob quas licet communicare cum Excommunicatis vitandis, sunt specialiter quinque in hoc vulgato carmine comprehensæ: *Utile, Lex, Humiles, Res ignorata, Necesse.* — 18. Quid intelligatur permissum per ly *Utile?* — 19. Quid intelligatur permissum per ly *Lex?* — 20. Quid intelligatur permissum per ly *Humilis?* — 21. Quid intelligatur permissum per ly *Res ignorata?* — 22. Quid intelligatur permissum per ly *Negatur?* — 23 ad 26. An quæ dicta sunt de effectibus excommunicationis obtineant etiam in excommunicato non denunciato. — 27 ad 28. Num post sententiam ab homine latam requiratur denunciatio. — 29. 30. Quæ concurrant ut percussores Clerici dicantur notorii. — 31. Alia remissive.

ARTICULUS X. — *De Excommunicatione Canonis, quoad suum esse, et intelligi.*

1. Excommunicatio *Canonis* quare sic appelletur?

Digitized by Google

— 2. Per ly *Si quis* quid intelligatur? — 3. Per ly *suadente Diabolo* quid intelligatur? — 4. Per ly *manus violentas injecerit* quid intelligatur? — 5. Per ly *in Clericum* quid intelligatur? *ad num.* 6. — 7. Canonis privilegio non gaudent Clerici bigami. — 8. Item Clerici, qui dimisso Habitu, et Clericali Tonsura negotiis sæcularibus se immiscent, si ter ab Episcopo non moniti *se emendent.* — 9. Item Clerici realiter degradati, et solemniter depositi. — 10. Item Clerici se enormitatibus immiscentes. — 11. Per ly *Monachum* intelliguntur omnes Regulares utriusque sexus. — 12. Etiam Conversi, et Conversæ. — 13. Etiam Novitii, et novitiæ. — 14. Item Tertiarii, et Tertiariæ mendicantium in Congregatione et Communitate viventes. — 15. Item mulieres Tertiariæ in propriis domibus viventes, virginalem et cœlibem vitam ducentes ex voto Castitatis de Ordinarii licentia emisso. — 16. Item Eremitæ Habitum Eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali Obedientiæ Episcopi, vel alterius Prælati alicui Ecclesiæ, vel Eremitorio in communitate, vel separatim deservientes. — 17. Item omnes illi, qui assumpto Habitu religioso Monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynas quærunt, et prope Monasterium earum more vivunt. — 18. Sic etiam Laici; qui habitu Clericali incedunt, et inserviunt Congregationi Presbyterorum collegialiter sub certo Superiore more Religioso viventium. — 19. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti *Cavalieri di Malta.* — 20. 24. Num excommunicatio contenta in Canone hoc: Si quis suadente diabolo: sit latæ an ferendæ sententiæ.

Articulus XI. — *Quinam ab incursu hujus Excommunicationis excusentur, vel non?*

1. Primo ab incursu hujus Excommunicationis excusantur, qui laborant ignorantia invincibili, tam Juris, quam Facti, nec eam incurrunt, qui ex conscientia erronea censuram putant ubi non est. — 2. Secundo excusantur, qui Clericum percutiunt ad sui defensionem vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. — 3. Tertio excusantur, qui fortuito ex subitanea ira, vel passione, sine sufficiente deliberatione Clericum lædunt. — 4. Quarto excusantur Clerici se ad invicem percutientes ex mero joco, et levitate, et non ex odio, invidia, et indignatione. — 5. Quinto excusantur percutientes Clericum, vel Monachum inventum turpia agentem cum Matre propria, filia, sorore, et uxore. — 6. Sexto excusantur mulieres percutientes Clericum, vel Monachum pudicitiam suam facto tentantes. — 7. Septimo excusantur percutientes Clericum privilegiis Clericalibus a suo Episcopo privatum, vel publice exercentem macellum, et munus Tabernarii, vel artem mechanicam post trinam Episcopi monitionem. — 8. Octavo excusantur Officiales laici percutientes Clericum involuntarie, et causaliter arcendo turbam, et omnes, qui ratione Officii, quod in Ecclesia obtinent, repellunt turbantes Divina officia. — 9. Nono excusantur Clericum Percutientes correctionis causa, ut Magistri, Parentes, et propinqui. — 10. Magistri tamen, Parentes, et propinqui si sint Laici, habent solum jus corrigendi, et puniendi Clericos in minoribus, non autem in Sacris, et majoribus Ordinibus constitutos. — 11. Decimo excusantur præ cæteris Prælati Ecclesiastici, si correctionis causa Clericos, vel Monachos sibi subditos nedum in minoribus, sed etiam in majoribus Ordinibus constitutos juxta gravitatem culpæ castigaverint, dummodo id faciant per se, vel per alium Clericum, vel Monachum. — 12. Si autem per Laicum fecerint, tam Prælatus mandans, quam Laicus mandatum exsequens Excommunicationem incurrit. — 13. Excipitur tamen casus urgentis necessitatis in quo id nequeat aliter fieri, quam per Laicos. — 14. Non excusantur primo nedum manus violentas in Clericum, vel Monachum suadente diabolo injicientes, seu etiam id mandantes, dummodo effectus sequatur. — 15. Mandans hanc incurrit Excommunicationem, licet de mandato pœniteat, antequam suum mandatum fuerit effectuatum, nisi mandatum revocaverit, et de revocatione ante exsequutionem mandati mandatarium serio monuerit. — 16. Sic etiam eam incurrit projiciens e tecto lapidem cum deliberatione occidendi Clericum, quamvis statim post jactum pœniteat, atque si posset, revocaret. — 17. Secundo non excusantur illi, qui licet non mandent violentam manuum injectionem in Clericum, vel Monachum, suo tamen nomine, gratia, vel intuitu factam signo aliquo externo rati habent. — 18. Non autem eam incurrunt, si rati habeant talem violentiam factam non suo: sed solum alterius nomine. — 19. Tertio non excusantur, qui Clericum, vel Monachum etiam absque alia læsione corporali recludunt, vel detinent in carceribus publicis, vel privatis, et in aliqua domo, vel alio in loco injuriose, et violenter retinent, ne exire possint, etc. — 20. Quarto non excusantur consulentes, auxilium ferentes, consentientes, sociantes. — 21. Quinto non excusantur omnes illi, qui ex officio, vel alio titulo tenentur, et possunt sine suo gravi incommodo hanc violentam manuum injectionem impedire, et non impediunt, sicque tacite consentiunt, et permittunt. — 22. Sexto non excusantur percutientes Clericum etiam in sui percussionem consentientem. — 23. Immo per Sperellum, Barbosam, et alios triginta gravissimos Auctores Clericus incurrit hanc excommunicationem se ipsum percutiendo, si hoc faciat ex malitia, et passione, animo irato, et non ex fervore devotionis. — 24. Septimo non excusantur qui venenum Clerico, vel Monacho propinant. — 25. Immo hæc excommunicatio incurritur statim ab initio propinati veneni. — 26. Octavo non excusantur percutientes Petrum Clericum, credentes illum non esse Petrum, sed Paulum similiter clericum. — 27. Nono non excusantur percutientes Clericum, vel Monachum etiam mortuum, vel male tractantes ejus cadaver. — 28. ad 37. Quando percutientes Clericum non incurrant excommunicationem.

Articulus XII. — *Quinam ab Excommunicatione Canonis possint absolvere, vel non?*

1. Percussio, seu violenta manuum injectio in Clericum est triplex; levis, mediocris, et enormis. — 2. Quæ sit levis? — 3. Quæ sit mediocris? — 4. Quæ sit enormis? — 5. Percussio, seu injuria de se non gravis et enormis, potest esse enormis, ratione qualitatis personæ offensæ; et loci, in quo offenditur, *ad num.* 6. — 7. In articulo mortis, et in absentia Superioris, ad quem de jure spectat absolutio, quilibet Sacerdos potest absolvere ab hac Excommunicatione, etiam per percussionem enormem contracta, sicuti de qualibet alia, cum onere, ut elapso periculo absolutum compareat coram Superiore, ad exsequendum, quod ille præscripserit, *ad num.* 8. — 9. Extra articulum mortis possunt ab Excommunicatione Canonis etiam per percussionem mediocrem, et enormem contracta absolvere Legati a latere. — 10. Et isti Legati a latere possunt absolvere omnes undecumque advenientes. — 11. Legati autem missi, sive Nuncii Apostolici possunt solum absolvere eos, qui sunt in Provincia suæ Legationis. — 12. Extra mortis articulum possunt Episcopi absolvere ab hac Excommunicatione contracta ob percussionem levem etiam publicam. — 13. A contracta vero ob percussionem mediocrem, et enormem possunt absolvere tantummodo si sit occulta, et si fuerit publica, possunt ab ea absolvere, si Personæ Excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis. — 14. Si impedimentum est perpetuum; absolvuntur sine onere comparendi; si impedimentum est solum temporale, absolvuntur cum onere comparendi cum primum commode poterunt, alias reincidunt in aliam

Digitized by Google

similem excommunicationem. — 15. Prælati Regulares an possint suos subditos, et novitios absolvere ab Excommunicatione contracta ob quamcumque percussionem, etiam enormem; *ad num.* 17. et vide verb. *Prælatus Regularis num.* 31. — 18. Regularis percutiens Religiosum alterius Ordinis debet absolvi ab ambobus eorum Prælatis. — 19. Et si Religiosi illi ad invicem, et mutuo se percusserint, poterit quilibet Superior suum subditum absolvere. — 20. Regularis percutiens Clericum sæcularem potest absolvi a proprio Superiore Regulari de licentia Episcopi Diœcesani, vel ab ipso Episcopo. — 21. Moniales exemptæ se invicem etiam graviter, et enormiter percutientes possunt absolvi a suis Prælatis Regularibus, vel ab aliis ab ipsis deputatis. — 22. Moniales vero subjectæ Ordinariis se invicem, vel Clericos percutientes absolvuntur ab Episcopo, etiamsi percussio sit gravis, et enormis. — 23. Regulares intra Italiam et extra Urbem possunt absolvere Sæculares a percussione levi solummodo, si ab Episcopo habeant facultatem absolvendi a casibus ipsi reservatis.

ARTICULUS I.

Quoad excommunicationis esse, et divisionem.

(1. Excommunicatio est Censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus a communione Ecclesiæ separatur. cap. *Omnis Christianus*, 32, caus. 11, q. 3. (2. Hæc censura inducta est in Ecclesiam propter potestatem ligandi Prælatis Ecclesiasticis traditam a Christo, Matth. 18, num. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus*, etc. (3. et in praxim deductam ab Apostolo Paulo, qui 1 ad Timoth. 1 in fine, quosdam incorrigibiles Satanæ tradidit, quem locum de Excommunicatione interpretatur D. Augustinus in d. c. *omnis Christianus:* « Quia extra Ecclesiam, inquit, Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiæ communione removetur. » (4. Excommunicatio in Jure sæpius etiam anathema appellatur; anathema enim græce significat latine separationem alicujus a reliquis partibus. *Communis.* (5. Licet autem Excommunicatio, et anathema essentialiter non differant, differunt tamen quoad solemnitatem. (6. Nam Excommunicatio, vel incurritur ipso Jure, (7. vel si ab homine infligitur, sola sententia Judicis Ecclesiastici in scriptis concepta, cum minori strepitu, quam anathema, pronunciatur, ut colligitur cap. 1 *de Sentent. Excommun.* in 6. (8. Anathema autem infligitur cum majoribus cæremoniis ad majorem terrorem aliorum præscriptis in c. *Debent.* 106. caus. 11. *q.* 3. (9. Debent enim in anathematis fulminatione duodecim Presbyteri circumstare Episcopum cum candelis accensis præ manibus, et sententiæ fulmine lato, in terram ipsas projicere, et pedibus conculcare, variis aliis maledictionibus, et execrationibus verbalibus huic solemni fulminationi adjunctis, ut colligitur ex cap. *Nemo Episcoporum* d. caus. 11. qu. 3. (10. Et per hoc contumaces contra præcepta Ecclesiæ primum excommunicari, deinde vero crescente contumacia, anathemate infligi jubentur; cap. *Cum non ab homine* 10. *de Judiciis.*

(11. Excommunicatio primo dividitur in majorem, et minorem; c. *Si quem* 59, *de Sentent. excommun.* (12. Major est censura Ecclesiastica qua Christianus separatur a Communione Fidelium absolute, et simpliciter, sive privatur omnibus bonis communibus, scilicet Sacramentis Ecclesiæ, tam quoad administrationem, quam susceptionem, publicis suffragiis, et convictu, seu societate civili (1). (13. Minor est censura Ecclesiastica, qua Christianus privatur solum passiva perceptione Sacramentorum; d. c. *Si quem* 59. *de Senten. Excomm.* (14. Excommunicatio simpliciter lata, sive a Jure sive ab homine, intelligitur semper de majori, uti expresse habetur cap. *Si quem* 59. *de Senten. Excommun.* his verbis: « Si quem sub hac forma verborum: illum excommunico, vel simili, excommunicari contingat, dicendum est, eum majori Excommunicatione ligatum esse. »

(15. Secundo, dividitur in Excommunicationem latæ sententiæ, et sententiæ ferendæ. (16. Excommunicatio latæ sententiæ est ea, quæ ipso facto incurritur, sive criminis perpetratione, sive sententia Judicis; ut si dicatur: præcipimus sub pœna excommunicationis, mox, ipso facto, ex tunc, statim incurrendæ; vel, excommunicatur, communione privatur ipso jure, ipso facto, et aliis similibus. (17. Excommunicatio sententiæ ferendæ ea est, quæ quidem in jure jam statuta habetur, tamen a delinquente non statim, et ipso facto ac delinquit, seu mandatum transgreditur, incurritur ante sententiam Judicis; sed primum debet a Judice infligi, ut sidicatur, prohibemus sub pœna excommunicationis; qui hoc fecerit excommunicatur, Excommunicationem incurret, et aliis similibus verbis, uti habent communiter Canonistæ, et Morales (2).

(1) Maxima hujus excommunicationis species erat, quam ex Apostolo 1. *Cor.* 16. 22. *Maranatha* vocarunt. Quid autem hoc nomine intelligendum sit, inter ipsos veteres non satis constat, ut apud Selvaggium videre est Tom. 6, *Ant. Christ.* lib. 4, cap. 1, § 8. Sed mihi illud probatur maxime, quod Benedictus XIV, *de Synodo Diœces.* lib. 10, cap. 1, num. 7, tradit, *Maranatha* hoc anathemati addidisse, ut excommunicatus, solius Dei judicio relictus, ab Ecclesiæ communione separatus permanere juberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem Judicii; quod ex ipsa nominis etymologia elicuit Augustinus apud Suarez *de Censur.* disput. 8, sect. 2. Hinc Concilii Toletani IV, an. 633, habiti Patres LXII. *Maranatha* in eos pronunciarunt cap. 75, qui adversus Regnum, vel Regem conjurarent, illudque explicaverunt: « Hoc est perditio in adventu Domini sit, et cum Juda Scarioth partem habeat. » (Edit. Barbiel.)

(2) Excommunicationes *latæ sententiæ* Van-Espen *Jur. Eccles. univ.* par. 3, tit. 11, cap. 6, n. 19, recens adinventas, et per decem omnino sæcula Ecclesiæ ignotas fuisse asserit; reprehendit illas Ayala quod eas non præcedat canonica admonitio; Godscalcus vero Rosemundus Lovaniensis Theologus in suo *Confessionali* cap. 20, illas e medio prorsus auferri vellet, ut quarum usus nullus sit, aut plus obsit, quam prosit. Espenium porro exemplis non paucis ab antiqua Ecclesia petitis refellit Benedictus XIV,

Digitized by Google

(18. Tertio, dividitur in Excommunicationem, quæ fertur a Jure, et Excommunicationem, quæ fertur ab homine. (19. Quæ fertur a Jure est, cum per Legem, Canonem, Constitutionem, seu decretum aliquid prohibetur, vel præcipitur sub pœna Excommunicationis, seu Anathematis. (20. Quæ fertur ab homine est illa, quæ propter aliquod delictum per Judicis sententiam delinquenti infligitur. (21. Hinc patet supponi, censuram in genere aliam esse a jure, et aliam ab homine. Prima dicitur, quæ per aliquod jus lata est, habetque rationem quasi legis perpetuo obligantis, donec per legitimam auctoritatem non revocatur : sic censentur quæ latæ sunt a Sac. Canonibus ut in Bulla Cœnæ, Conciliis, etc. Secunda est, quæ fertur ab actuali aliquo legitimo superiore quasi per modum præcepti transeunter obligantis ad aliquid faciendum, vel omittendum; unde hæc per mortem ferentis cessat; adeo ut qui tunc contrafaceret, nullam excommunicationem incurreret : at qui ante illius mortem contrafecisset, etiam post censura quam idcirco incurrisset, maneret innodatus, et absolutione indigeret. (22. Quarto dividitur in excommunicationem reservatam, et non reservatam; et ut facilius ab omnibus secernantur, quænam sint reservatæ, et non reservatæ, distinctæ in distinctos articulos, juxta distinctos personarum status, subnectuntur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. Num excommunicatio Christianorum a Judaica excommunicatione originem traxerit non conveniunt inter se eruditi. Affirmat Selden. *de Synedr.* lib. 1. c. 9. Negat vero Bohemer. *in Decretal.* lib. 5. tit 39, § 7.

(24. De variis excommunicationis speciebus, quæ tum antiquitus obtinuerunt, tum nunc obtinent, late agit Van-Espen. *Jur. Eccles. univer.* part. 3. tit. 11. cap. 3. per tot. (1).

(25. De natalibus excommunicationis ipso jure consule Bohemer. in *Decretal.* lib. 5. tit. 39, § 57. Et de natalibus excommunicationis *minoris* confer Morin. *Administr. Sacrament. Pœnitent.* lib. 6. cap. 15.

ARTICULUS II.

Excommunicationes summo pontifici reservatæ in bulla cœnæ.

Excommunicationes reservatæ in Bulla Cœnæ ideo tales dicuntur, quia Feria V. Cœnæ Domini legi et publicari consueverunt omni anno in Capella Papali, et istæ sunt num. viginti, quæ ut facilius, et clarius ab omnibus percipiantur, exhibentur hic, ut fuerunt publice in Bulla a Clemente XI edita tenoris sequentis.

loc. cit. num. 6. Ayalam confutavit Raynaudus *Oper.* tom. 14, p. 514, ostendens admonitionis loco esse promulgationem legis, aliquid fieri præcipientis, vel prohibentis sub pœna censuræ. Rosemundi denique audaciam idem Benedictus XIV, l. c. num. 5, coercuit. (EDIT. BARBIELL.)

(1) Duas ex his speciatim commemorabo, quas nosse ad quorumdam Pontificiæ auctoritatis osorum detegendas, extricandasque fallacias maxime facit.

Prima excommunicationis species apud antiquos non infrequens, in nuda communionis subtractione, aut denegatione posita erat, qua nempe Episcopi vel Ecclesiæ a mutua communione sese separabant, atque una alteram quasi excommunicabat, licet sibi minime subjectam. Ita S. Epiphanius Salaminæ Episcopus Joanni Hierosolymitano, qui nullo sibi titulo obnoxius erat, communionem denegavit, ut docet epistola inter Hieronymianas 110 *al.* 60. Hac excommunicationis specie usi interdum Romani ipsi Pontifices fuisse videntur, ut Stephanus I, si verum est, quod de eo Firmilianus narrat, noluisse illum Legatis Afris communionem concedere, quin illis tecto et hospitio interdixisse. Hæc enim vero communionis denegatio et a Veteribus excommunicatio dicebatur, excommunicatio tamen proprie dicta non erat, neque censura, immo ne pœna quidem, cum a Potestate, et usu clavium nequaquam penderet, atque etiam circa non subditos exerceretur : erat potius civilis quædam, et privata œconomia, qua Ecclesia una, aut aliquis Episcopus sponte se se alterius Ecclesiæ, aut Episcopi communione separabat, et quod ad Stephanum Pontificem pertinet, aliosque si qui sunt ejus Successores hoc excommunicationis genere usi, paterna potius severitas fuit ad revocandos ab errore Afros, paterna, inquam, ei nempe persimilis, quam pater, ut filium absterreat, atque ad bonam frugem reducat, exercere solet, illum conspectu suo prohibens, ac mensa, domoque ipsa arcens quin tamen de familia ejiciat.

Alterum Excommunicationis genus erat, cum Episcopi privabantur communione Charitatis Collegarum, suarumque Ecclesiarum communione contenti esse jubebantur. Hujusmodi vero excommunicatio ne ipsa quidem censura erat; sed pœna quatuor hisce capitibus comprehensa, ut ait Murinus *Exercit. Eccles.* lib. 2. Exercit. 17. « Privabantur enim Episcopi ea perculsi mutua visitatione; solemnium in Collegarum Diœcesi, dum in ea morarentur, etiam præsente Collega, celebratione; Literarum formatarum, et commendatitiarum reciproca missione, et acceptatione; in Conciliis denique auctoritate, suffragiis, et consessu. » Hanc pœnam Synodus Carthaginensis V. Can. 10. Tarraconensis Can. 6. Matisconensis II. Can. 20. Vormatiensis sub Hadriano II. Can. 16. in Episcopum decrevere qui commonitus a Metropolitano ad Synodum *nulla gravi intercedente necessitate* venire contemneret. Eamdem pœnam Legati Sancti Leonis M. nonnullis Episcopis scelerum in latrocinio Ephesino admissorum complicibus inflixerunt: quod et ipse Sanctissimus Pontifex probavit epist. 80. Bullar. edit. his verbis : « illud quidem, quod præsentibus, et agentibus nostris constitutum est, approbamus ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti. » Adde quæ hanc in rem profert hujus excommunicationis a Romanis Pontificibus inflictæ exempla S. Augustinus *epist.* 209, *ad* 262, *ad Cœlestin. R. P. num.* 8. Atque hoc maxime animadvertendum propter quosdam, qui cum in Acaciano præsertim Schismate nonnullis Orientalium Sedis Episcopis Episcopalem Communionem a Summis Pontificibus denegatum scirent, eos propterea ab ipsis dixerunt Catholicæ Ecclesiæ communione privatos, ut inde cum Tillemontio tandem colligerent, illos ipsos, quos Romani Pontifices de Ecclesiæ communione ejecissent, haberi sanctos posse; quem crassissimum errorem a Bollandianis in historia Patriarcharum Constantinopolitanorum solide confutatum Cl. Patavinorum Pontifex, et S. R. E. Card. Sanctes Veronensius iterum aggressus est, penitusque profligavit præclarissimo opere posthumo Brixiæ 1783 evulgato, *de necessaria Fidelium communione cum Apostolica Sede* cap. 32, seqq. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

CLEMENS PP. XI.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, et sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, et tranquillitate procuranda pro sui muneris Officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicæ Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, et conservanda maxime elucet. Nimirum, ut Fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris; sed omnes occurrant in unitatem Fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum; neque se in hujus vitæ societate, et communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat; sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tamquam unius Corporis membra Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice, Beatissimi Petri Successore, a quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeatur in ædificationem, atque ita, Divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices Prædecessores nostri hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiæ disciplinæ gladium, et salutaria justitiæ arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, justitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, et solemnem hunc morem sequentes.

I. Excommunicamus, et anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Wiclefistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana fide Apostatas, ac omnes, et singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, et cujuscunque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, et Sedes Apostolicæ, scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, nec non schismaticos, et eos qui se e nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

II. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, et Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab Ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum, pro tempore existentium; ad universale futurum Concilium

appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

III. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, et Latrunculos Maritimos discurrentes mare nostrum, præcipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptores, et defensores.

IV. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos, qui Christianorum quorumcunque Navibus tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis Navibus, sive ex eisdem ejecta in Mari, vel inventa cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, et Adriatici, quam in ceteris cujuscunque Maris regionibus, et littoribus subripuerint, ita ut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, et immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum, excusari possint.

V. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a Jure, seu ex specialis Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

VI. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Falsarios literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

VII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et inimicos, vel Hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, et nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalibem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, et Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se, vel per alios, de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, et damnum, ipsos Turcas, et Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, et favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis per Nos, et Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus (1).

(1) Qua vetatur fidelibus deferre arma etc. ad Turcas. non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id peragant amoto animo

Digitized by Google

VIII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint Ordinis, præeminentiæ, conditionis, et status; etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate..

IX. Item excommunicamus, anathematizamus omnes illos, ad Sedem Apostolicam venientes, recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, spoliant, detinent; nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a Nobis vel nostris Judicibus, non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

X. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem, causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, et in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, et in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

XI. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu dominiis ejicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, vel favorem.

XII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alias Personas Ecclesiasticas quascunque, vel sæculares ad Romanam Curiam, super eorum causis, negotiisque recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorum Gestores, Advocatos, Procurantes, et Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant; seu, qui per se, vel per alios directe, vel indirecte delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, et dignitatis fuerint.

XIII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quam sæculares cujuscumque Dignitatis, qui præ-

texentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura executione litter Apost. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, et aliorum decretorum a Nobis, et a Sede prædicta, seu Legatis, Nuncils, et Præsidentibus Palatii nostri, Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, et Delegatis Apostolicis emanatorum, et quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias sæculares, et laicam Potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, et sequestra, monitoria, et alia prædicta capi et teneri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, et consensu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, et Notarii super hujusmodi litterarum, et processuum exequutioni, instrumenta, vel Acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, Familiares, Notarios, Exequutores, et Subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum, et aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, et Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, et comminantur per se, vel per alium, seu alios publice, vel occulte, quive alias quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias, ipsas, vel litteras a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

XIV. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscumque, qui per se, vel per alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, et litterarum Apostolicarum prætextu beneficiales, et decimarum, ac alias causas spirituales, et spiritualibus annexas, ab Auditoribus, et Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, et audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam Judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, et faciunt, ad revocandum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decre-

iniquo nocendi fidelibus Benedict. XVI, *de Synodo Diœc.* lib. 13, cap. 20, § 6, nov. edit.

Ad postulata Episcoporum Albanensium rescriptum fuit a Congregatione de Propaganda Fide, mandante Pontifice, ne inquietarentur fideles, si navibus suis ad Turcas, nullo bello inter Christianos et Turcas furente, transvehant sclopos majores, aut minores, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, et alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum, et quantitatem ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare atrocesque persecutiones evitare. *Ibid.* § 7.

Digitized by Google

tas, et ad faciendum, vel consentiendum, eos; contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, compelluntur, vel executionem litterarum, seu exsecutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum, ad id, favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, et Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii, Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcumque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, et Archiepiscopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

XV. Quive ex eorum prætenso Officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, Personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt procurant directe, vel indirecte, quovis quæsito colore; Necnon qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis Consuetudinis, aut Privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, et publicaverint, vel factis, et ordinatis usi fuerint; unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ Sedis, ad quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.

XVI. Nec non Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, et Inferiores Prælatos, et omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos Ordinarios quomodolibet hac de causa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, nec non Consanguineos, et affines, aut alias impediunt, quominus sua Jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod Canones, et Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, et Decreta Concilliorum Generalium, et præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, et decreta, aut alias Fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, et alias Curias sæculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata, etiam pœnalia Ordinariis, et Delegatis prædictis decerni, et contra illos exsequi procurant; eos quoque, qui hæc decernunt, et exsequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, et favorem in eisdem.

XVII. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, et proventus ad Nos, Sedem Apostolicam, et quascumque Ecclesiasticas Personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

XVIII. Quive Collectas, Decimas, talleas præstantias, et alia onera Clericis, Prælatis, et aliis Personis Ecclesiasticis, ac eorum Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, et expressa licentia imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios, directe, vel indirecte prædicta facere, exsequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, et alii potentates quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, et Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, et Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis Generalibus edita, cum Censuris, et pœnis in eis contentis.

XIX. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscumque Magistratus, et Judices, Notarios, Scribas, Exsecutores, Subexsecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu Criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exsequendo, sine speciali, specifica, et expressa hujus S. Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

XX. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directe, vel indirecte sub quocunque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, et detinere præsumpserint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, et Corsicæ, Terras citra Pharum, et Patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venaysinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, et Maritimas Provincias, illarumque Terras, et loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias Civitates, Terras, et Loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam

Digitized by Google

pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis præsumunt; necnon adhærentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, et quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo cautione præstita absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indultorum quibuscunque Personis Ecclesiasticis, sæcularibus, et quorumvis Ordinum etiam mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, et Locis piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et dictam Sedem ac cujusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum.

Quod si forte alicui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, et temporaliter, prout expedire noverimus processuri.

Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, Constitutiones, pragmaticas, et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex Archiviis, seu Capitularibus, locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, et cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem aut quoscunque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus, et singulis, ac quibuscunque juribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. undecunque, et quandocunque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, præscriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros Processus, ac sententias, quominus includantur, in eis se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenore, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus et omnino revocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut vero præsentes nostri Processus, ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, valvis Basilicæ S. Joan. Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper ut Processus ipsi, et præsentes litteræ, ac omnia, et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, et locis fuerint publicata, universis, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et locorum Ordinariis, et Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, et in virtute sanctæ Obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in Eccl. suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad Ch. fidel. mentes reducant, nuntient, et declarent.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, et Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, et quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, et percipere studeant.

Digitized by Google

Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam expressis, Notarii publici manu subscriptis, et Sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eamdem prorsus fidem in judicio et extra illud, ubique locorum, adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ 24 Martii 1701.

ARTICULUS III.

Excommunicationes summo pontifici reservatæ extra bullam Cœnæ.

Contra Prælatos Ecclesiæ.

1. Prælatos vexantes Censuris commorantes in servitio Papæ. Extravag. 3, *de Privileg.*

2. Prælatos trahentes personas Ecclesiasticas ad Forum Laicale; Martin. V. Constit. incipient. *Ad reprimenda.*

3. Cardinales, qui per Simoniam ambiunt Papatum, aut cum aliquo tractant de eligendo Pontifice, dum actu vivit Pontifex; Paul. IV. Const. incip. *Cum secundum.*

4. Cardinales aliquid ordinantes, seu disponentes contra Bullam Julii II. in electione Summi Pontificis, Julius II. Constitut. incipient. *Cum tam Divino.*

5. Cardinales revelantes aliquid de actis secreto in consistorio, exstante decreto Pontificis ne revelentur. Leo X. in *Conc. Lateranens.*, sess. 9. et Pius V. Const. incip. *Romani.*

6. Episcopos, aliosque Beneficiorum Collatores conferentes Beneficia Ecclesiastica post suspensionem contractam, admittendo eorum resignationes extra casus designatos, et ultra formam præscriptam. Pius V. Constit. incip. *Quanta est Ecclesia Dei.*

7. Administratores Episcopatuum, et inferiores Episcopis publicantes Indulgentias cum amplis privilegiis, et cum suspicione Simoniæ. Pius V. Constit. incip. *Quam plenum.*

8. Inquisitores male procedentes contra Hæreticos. Clementina *Multorum*, § *Verum, de Hæret.*

9. Prælatos, et Gubernatores Civitatum, et locorum status Ecclesiastici recipientes munera præter comestibilia. Paul. II. Constitution. incip. *Munera.*

10. Prælatos, et Officiales Pœnitentiariæ recipientes pro expeditione aliquid etiam sponte oblatum a partibus. Pius V. Constit. incip. *in omnibus rebus.*

11. Prælatos, et ministros Cameræ Apostolicæ non reddentes integre computa ejusdem. Paul. III. Constit. incip. *Cum sicut.*

Contra Clericos Seculares et Regulares.

1. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum Ecclesiis. Clement. *Cupientes* § *Sane, de Pœnis.*

2. Participantes in divinis cum excommunicato a Papa; cap. *Significavit, de Sentent. excommun.*

3. Retinentes Beneficia in confidentiam. Pius IV. Constit. incip. *Romanum Pontificem*, et Pius V. Constitut. incip. *Intolerabilis.*

4. Procurantes alienationes bonorum Ecclesiæ. Paul. II. Constit. incip. *Cum in omnibus.*

5. Prædicatores non servantes decreta pro eis lata in Concilio Lateranensi. Leo X. Const. incip. *Supernæ.*

6. Procurantes eligi in successorem Papæ. Leo X. in *Concil. Lateranen.*, sess. 5. Julius II. Constit. incip. *Cum tam divino.*

7. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. Decretum Sacræ Congreg. Episcop. et Regular. a Clemente VIII. approbatum 1602.

8. Consentientes usurpationibus Ecclesiarum. Concilium Tridentinum, c. 11, sess. 22, *de Reform.*

9. Trahentes Personas Ecclesiasticas ad Forum laicale. Martin. V. Constitut. incipient. *Ad reprimendas.*

10. Parochos, et Beneficiatos non adimplentes juramenta de residendo. Pius IV. Constit. incip. *Inter multiplices curas.*

Contra Regulares.

1. Euntes ultra mare sine licentia suorum Superiorum. Extravagant. *Ad nostrum, de Regular.*

2. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes. Extravagant. *Viam Ambitiosæ, de Regular.*

3. Administrantes Sacramenta Extremæ Unctionis, et Eucharistiæ infirmis, vel matrimonia solemnizantes sine licentia Parochi. Clement. 1, *de Privileg.*

4. Superiores non denuntiantes Religiosos qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. Paul. V. Constitut. incip. *Romanus Pontifex.*

5. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. Julius II. Constit. incip. *Virtute conspicuos*, extra Bullarium.

6. Tertiarios portantes Habitum Minorum. Leo X. *Constitut. Licet alias*, extra Bullarium.

7. Clericos Regulares Societatis Jesu discedentes sine licentia a Societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem, eorumque receptores, Chartusianis exceptis. Greg. XIII. Constit. incipien. *Ascendente.*

8. Minimos subtrahentes se ab observantia Correctorum. Paul. III. Constitution. incipient. *Cum sicut.*

9. Subornantes, et procurantes vota in

Digitized by Google

electionibus, et complices, ac simpliciter scientes et non revelantes. Clemens VIII. Constitut. incip. *Nullus omnino.*

10. Moniales exeuntes de clausura absque licentia. Pius V. Const. incip. *Decori.*

11. Dantes et recipientes ob ingressum Religionis. Extravagant. commun. 1, *de Simonia.*

Contra Dominos temporales.

. Dominos temporales, qui in terris eorum suppositis interdicto cogunt celebrare, et audire divina. Clement. *Gravis, de Sentent. excommun.*

2. Judices, et Officiales trahentes Personas Ecclesiasticas ad Forum laicale. Martin. V. Constit. incip. *Ad reprimendas.*

3. Officiales, ac Dominos temporales bannientes, seu mandantes banniri personas Ecclesiasticas. Urban. IV. Const. incip. *Quia sicut.*

4. Prohibentes subditis, ne vendant Ecclesiasticis; cap. fin. ff. *de Immunit. Eccles.*

5. Officiales, et Dominos temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. *Clement.* 1, *de Pœnis.*

6. Tractantes de novo Papa eligendo, vivente alio, stipulationes, promissiones, conventiones, et pacta facientes, eorumque complices, et Fautores, etiamsi Imperiali et Regali fulgeant dignitate. Paul. IV. Constit. incip. *Cum secundum.*

7. Principes, et Dominos temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. Concil. Trident., sess. 25, *de Reformat.*, c. 19. et Clemens VIII. Constit. incip. *Illius vices.*

Contra Omnes.

1. Falsarios litterarum Apostolicarum; c. *Falsariorum, de Crimine falsi.*

2. Habentes litteras Apostolicas falsas, et illas non destruentes; c. *Dura, de Crimine falsi.*

3. Percutientes Clericum, vel Monachum; c. *Si quis suadente* 17, qu. 4.

4. Perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ; c. *Quærenti, de Officio Delegati.*

5. Incendiarios a Judice excommunicatos, et denunciatos; c. *Tuos nos, de Sent. excomm.*

6. Absolutos ab excommunicatione, sub conditione, et non implentes; c. *Eos qui, de Sentent. excommun.*, in 6.

7. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt; c. *Quicunque, Sent. excomm.* in 6.

8. Sacrilegos effractores Ecclesiarum; c. *Conquesti, de Sent. excomm.*

9. Eligentes potentem insignem in Senatorem Romanum; c. *Fundamenta, de Election.*, in 6.

10. Communicantes in crimine cum excommunicatis a Papa; c. *Nuper, de Sent. excommun.*

11. Violantes interdictum modis prohibitis, *in Clementina Gravis, de Sent. excomm.*

12. Offendentes Cardinales; c. *Felicis, de Pœnis.*

13. Exigentes tributa a personis Ecclesiasticis; c. *Clericis, de Immunit.*, in 6.

14. Conspirantes in personam Pontificis; Extravag. *Etsi Dominici, de Pœnit. et remiss.*

15. Exenterantes corpora defunctorum; Extravagant. *Detestandæ, de Sepulturis.*

16. Falsificantes monetam Regis Franciæ; Extravagant. Joann, XXII. *Prodiens, de Crimine falsi.*

17. Violantes interdictum Sedis Apostolicæ, Extravagan. *Etsi Dominici, de Pœnit. et remiss.*

18. Offendentes Rectores, seu Præsides Provinciæ Marchiæ Anconitanæ; Extravagan. Joan. XXII. *Dierum, de Pœnis.*

19. Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione B. M. V. Extravag. *Grave, de Relig.*

20. Simoniacos in Ordine, et Beneficio; Extravagant. commun. 2, *de Simon.*

21. Dantes, et recipientes ob ingressum Religionis; Extravagant. commun. 1, *de Simon.*

22. Occupantes bona Cardinal. tempore Conclavis. Leo X. Const. 16. incip. *Temerariorum.*

23. Impedientes exsecutionem litterarum Sacræ Pœnitentiæ. Julius II. Constitut. incip. *Rationi congruit.*

24. Dantes et recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. Greg. XIII. Const. incip. *Cum ab ipso Pontificatus.* Et Extravagant. 1, *de Sent. excomm.* Alexand. VII. Constit. incip. *Inter gravissimas.*

25. Simulantes, et fingentes se alios esse pro obtinendis beneficiis a Dataria. Paul. IV. Const. incip. *Inter cæteras.*

26. Mittentes litteras, aut Nuncium in Conclavi, vel inde recipientes. Pius IV. Constitut. incip. *In eligendis.*

27. Occupantes bona montium Pietatis, et locorum piorum. Concil. Trident. sess. 22, c. 11, *de Reformat.*

28. Committentes duellum, vel illud consulentes Concil. Trident. sess. 25, c. 19, *de Reformat.* Pius IV. Constitut. incip. *Ea quæ.* Greg. XIII. Constitut. incip. *Ad tollendum,* Et Clemens VIII. Constitut. incip. *Illius vices.*

29. Ambientes Papatum, ejusque causa Simoniam committentes; Paul. IV. Const. incip. *Cum secundum Apostolum.*

30. Mentientes personas in literis Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur. Innoc. VIII. Const. incip. *Cum sicut,* et Leo X. Constit. 27. incip. *Inhærendo.*

31. Capientes, et retinentes Christianos habitantes inter Turcas, et eorum bona diripientes, aut remigare cogentes. Pius V. Constitution. incip. *Licet omnibus.*

32. Suadentes Papæ, ut alienet, vel infeudet loca status Ecclesiastici. Pius V. Constitution. incip. *Admonet nos.*

33. Non revelantes conspiratores, et insidiatores, contra Cardinales. Pius V. Constitut. incip. *In felicis*

34. Committentes Simoniam confidentialem. Pius V. Const. incip. *Intolerabilis.*

35. Publicantes indulgentias, et facultatem

Digitized by Google

dantes eligendi Confessores iis, qui aliquid solvunt. Pius V. Constit. incip. *Quam plenum.*

36. Violantes Ecclesiasticam immunitatem Gr. XIII. Const. incip. *Cum. alias nonnulli.*

37. Extrahentes frumentum, blada, legumina, et oleum extra statum Ecclesiasticum sine licentia. Paul. V. Const. incip. *Inter gravissimas*

38. Diripientes animalia, et alia bona, vel illa furata ementes ex statu Ecclesiastico Gregor. XIII. Const. incip. *Non sine gravi.*

39. Docentes posse fieri Confessionem Sacramentalem in absentia per litteras. Clemens VIII. Const. incip. *Sanctissimus.*

40. Impugnantes Institutum Societatis Jesu. Gregor. XIII. Const. incip. *Ascendente.*

41. Facientes jurare illicita, et contraria libertati Ecclesiasticæ. Gregor. XIII. Constit. incip. *Inter Apostolicas.*

42. Accipientes, et retinentes fructus beneficii vacantis, vel impedientes beneficii possessionem non solventibus dulciaria, vel aliam solutionem. Pius V. Const. *Durum nimis.*

43. Docentes, aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas. Decreta Sac. Congr. S. Officii annis 1665, 1666, 1679, 1690 emanata.

44. Feminas ingredientes Clausuram Monasteriorum Regularium. Pius V. Constitut. incipien. *Regularium.*

45. Feminas, sive masculos ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis. Greg. XIII. Constitut. incip. *Ubi gratiæ.*

46. Examini se supponentes pro alio, ut beneficium impetret. Paul. IV. Constitution. incipien. *Inter cæteras.*

47. Furto subtrahentes ex Bibliothecis Ordinis S. Francisci de Observantia, libros, quinterna, et folios. Pius V. Constitution. incipien. *Cum sicut accepimus* 4. Novembris 1568. et Sixtus V. Constitution. incipien. *Cum sicut* 3. Octobris 1587. et hanc incurrunt subtrahentes etiam ex Bibliothecis aliorum Regularium.

48. Extrahentes libros et mobilia Monasterii SS. Fabiani, et Sebastiani extra Muros Urbis. Clemens XI. Constit incip. *Cum sicut.*

49. Extrahentes vasa, et ornamenta sacra ex Sacristia, et Ecclesia ejusdem Monasterii; Clemens XI. Constit. incip. *Cum sicut.*

50. Extrahentes libros et scripturas ex publica Bibliotheca a Clemente XI. instituta in Conventu Fratrum Ordinis Minorum Conventualium Civitatis Urbini. Clemens XI. Constit. incip. *Cum nos.*

51. Extrahentes libros Bibliothecæ Conventus S. Mariæ Majoris Tiburis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia. Clemens XI. Constitution. incipien. *Cum sicut.*

ARTICULUS IV.

Excommunicationes nemini reservatæ.

Contra Episcopos.

1. Venientes ad Urbem clanculo, et inde recedentes sine licentia Papæ. *Extravagan. 2 et 3, de Major. et obedient.*

2. Usurpantes Prælaturam in Civitate diversarum linguarum; c. *Quoniam* § *Sed si de Offic. Ordinarii.*

3. Permittentes habitum Fraticellorum; *Extravagant. Sancta Romana Joan. XII. de Religiosis Domibus.*

4. Litteras a Regibus, et Principibus impetrantes ad dignitates obtinendas. Pius V. incip. *Et si Romæ.*

Contra Clericos.

1. Contrahentes matrimonium si sint in Sacris. Clement. unic. *de Consanguin.*

2. Audientes medicinam, aut legem, si sint Sacerdotes, vel personatum habentes; c. *Super specula, ne Clerici, vel Monachi.*

3. Usurpantes munus Sacramenta administrandi in Civitate diversarum linguarum, et rituum; c. *Quoniam, de Officio Ordinarii.*

4. Impugnantes in Concionibus, vel disputationibus Montes pietatis. Leo X. Constit. incip. *Inter multiplices*

5. Ficte resignantes, vel permutantes beneficia. Pius V. Constit. incip. *Quanta Ecclesiæ.*

6. Interessentes agitationibus taurorum, si sint in sacris, vel beneficia obtineant Pius V. Const. incip. *De salute.*

7. Sacerdotes recipientes Præfecturas sæculares, et non desistentes ab illis post monitionem; c. *Clericis, ne Clerici, vel Monachi.*

8. Procurantes, ut alii occupent jura, et bona Ecclesiarum vacantium; c. *Generalis de Elect.* in 6.

9. Alienantes bona Ecclesiarum, vel locantes ultra triennium. Extravagan. *Ambitiosæ, de Rebus Eccles. non alienand.*

Contra Regulares.

1. Instituentes novum Ordinem sine licentia Papæ; cap. unic. *de Religiosis domib.* in 6.

2. Professos temere habitum dimittentes; cap. 2. *ne Clerici, vel Monachi in 6.*

3. Adeuntes Curias Principum, ut suis Religiosis damnum inferant. Clem. *Ne in agro, de Statu Monach.* § *Quia vero.*

4. Tenentes arma intra claustra sine licentia. Clem. *Ne in agro, de Statu Monach.* § *Quia vero.* Vide verb. *Arma* n. 4, 5 et 6.

5. Mendicantes recipientes novas domos, et receptas alienantes. Clementin. *Cupientes, de Pœnis.*

6. Non servantes interdictum sive a Papa, sive ab Ordinario positum, quando observatur ab Ecclesia principali loci Clement. 1. *de Sent. excomm.*

7. Usurpantes decimas Ecclesiis debitas, seu non permittentes, vel dissuadentes illas solvi. Clem. 1. decimis.

8. Delinquentes in visitatione Monasteriorum Monialium contra Constitutionem Alexandri VII. incip. *Felici Sacrarum Virginum.*

9. Minores transeuntes ad Capuccinos, at hos illos recipientes absque licentia Sedis

Digitized by Google

Apostolicæ. Sixtus V. Constit. incip. *Pro ea.*

10. Cruciferos requirentes favores pro dignitatibus consequendis. Clemens VIII. Const. incip. *Quoniam*, et circa hoc advertendum est, quod etiam alii Regulares habent speciales Constitutiones. Immo idem Clem. VIII. Const. inc. *Nullus omnino* pro reformatione Regularium § 35, relinquendo in suo robore Censuras, et pœnas contra hujusmodi ambientes ab aliis Pontificibus inflictas, addit ultra ipsas pro omnibus Regularibus pœnam privationis officiorum, et perpetuam inhabilitatem ad futura, reservando sibi et suis successoribus dispensationem.

Contra Dominos Temporales.

1. Retinentes nomen Vicarii Imperatoris vacante Imperio. Extrav. Joan. XXII. *Si fratrum, Ne Sede vacante.*

2. Præcipientes subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, aut aliqua alia beneficia, et obsequia eis præstent; cap. *Eos qui, de Immunit. Eccles.* in 6.

3. Impedientes Episcopos, vel Inquisitores in Officio Inquisitionis. Cap. *ut Inquisitionis, de Hæret.* in 6.

4. Concedentes repræsalias contra Ecclesiasticos. Cap. 1. *de Injuriis* in 6.

5. Permittentes agitationes Taurorum in suis Terris. Pius V. Constit. incip. *De salute.*

6. Non servantes statuta in c. *Felicis, de pœnitent. in* 6. contra persecutores Cardinalium. S. Pius V. Constit. incip. *Infelicis.*

Contra Magistratus et Judices.

1. Facientes servari statuta et consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam. Cap. *Noverit, de Sent. excomm.*

2. Negligentes reddere justitiam Ecclesiasticis post tertiam admonitionem. Cap. *Administratores* 23. q. 5.

3. Extorquentes pecunias prætextu Officii Inquisitoris. Clement. 2. *de Hæret.*

4. Potestates, et Officiales Communitatum usuras foventes, et approbantes. Clement. unic. *de Usuris.*

5. Permittentes portare arma breviora tribus palmis in statu Ecclesiastico. Pius V. Constit. incip. *Cum vices.*

6. Non parentes Cardinalibus Inquisitoribus in Officio ipsorum. Pius V. Constitutione incip. *Sanctissimus.*

7. Rectores Universitatum promoventes ad Doctoratum, vel professores ad Cathedras, non facta prius fidei professione. Pius V. Constit. incip. *In sacrosancta.*

8. Auxilium non præstantes Episcopis pro conservanda Clausura Monialium. Conc. Trident. sess. 25. c. 5 *de Regularibus et Monial.*

Contra omnes

1. Vexantes Ecclesia, vel eorum consanguineos, quia non elegerint eum pro quo rogabantur. Cap. *Sciant cuncti, de Elect.* in 6.

2. Præsidentes, et directores Monialium

ponentes, vel nutrientes discordias in electione. Cap. *Indemnitatibus § Postremo, de Election.* in 6.

3. Conducentes Bononiæ domos alterius Scholastici, vel Doctoris ante tempus conductionis elapsum. Cap. 1. *de Locato.*

4. Habentes ratas ordinationes factas a Schismaticis. Cap. 1. *de Schismat.*

5. Extorquentes revocationem, vel absolutionem a Censuris per vim et metum. Cap. 1. *De iis, quæ vi et metu*, in 6.

6. Judices accedentes ex causa ficta ad mulieres pro excipiendo testimonio. Cap. *de Judic.* in 6.

7. Procurantes, ut Conservatores Regularium se intromittant in aliis causis, quam in manifestis injuriis, et violentiis. Cap. fin. *de Offic. delegat.* in 6.

8. Occupantes, et usurpantes prætextu defensionis bona Ecclesiæ vacantis. Cap. *Generali, de Elect.* in 6.

9. Alloquentes secreto Cardinales, dum sunt in Conclavi. Cap. *Periculum*, § *Nulli. de Elect.* in 6.

10. Impedientes sequestrum factum ab Ordinario super beneficia, vel fructus occupantes. Clement. unica, *de Sequestr. posses.*

11. Mandantes interfici Christianum per assassinos. Cap. 1. *de Homicid.* in 6.

12. Sepelientes hæreticos scienter in loco sacro. Cap. 2. *de Hæret.* in 6.

13. Compellentes Ecclesiasticos, ut submittant laicis jura Ecclesiæ; c. 2. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis* in 6.

14. Sepelientes tempore interdicti, vel nominatim Interdictos, publicos Excommunicatos, aut Usurarios, manifestos scienter in loco sacro. Clem. 1. *de Sepultur.*

15. Exigentes pedagia ab Ecclesiasticis personis. Cap. *Quamquam, de Cens.* in 6.

16. Doctores, sive magistros docentes Legem, vel Medicinam, Religiosos. Cap. 2. *Ne Clerici, vel Monachi.*

17. Concedentes repræsalias, vel concessas extendentes contra Ecclesiasticos, c. unic. *de Injur.* in 6.

18. Profitentes falsam Religionem Fraticellorum. Extravag. Sancta Romana Joan. XXII. *de Religiosis Domibus.*

19. Impedientes Visitatores Monialium. Clem. *Attendentes, de Statu Monach.*

20. Vexantes Sanctum Officium. Pius V. Constit. incip. *De protegendis.*

21. Cogentes, vel impedientes feminas ingredi Monasteria. Conc. Trid. c. 18. sess. 25. *de Regul.*

22. Raptores mulierem, et fautores. Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reformat. Matrimonii.*

23. Cogentes injuste matrimonium. Concil. Trid. sess. 24. c. 9. *Reform. Matrimonii.*

24. Pingentes, vel colorantes Agnos Dei; Greg. XIII. Const. inc. *Omni certe studio.*

25. Imprimentes libros absque licentia superiorum. Conc. Lateran. sub Leone X. Constit. ejusdem 12. incip. *Inter sollicitudines.*

26. Edentes Glossas in Concil. Trident. Pius IV. Constit. incip. *Benedictus.*

Digitized by Google

27. Asserentes non esse necessariam Confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. Concil. Trid. can. 11. sess. 13. *de Sacram. Eccles.*

28. Assumentes statum Beguinarum. Clem. 1. *de religiosis Domibus.*

29. Contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Moniali. Clement. unic. *de Consanguinitate.*

30. Impugnantes Litteras Papæ non coronati. Extrav. ult. *de Sentent. excomm.*

31. Falso affirmantes matrimonia Filiorum familias sine consensu Parentum contracta esse irrita, ac Parentes ea rata, vel irrita, facere posse, Conc. Trid. sess. 24. c. 1. *de Reform. Matrimonii.*

32. Abortum fœtus animati procurantes, Greg. XIV. Constit. inc. *Sedes Apostolica*, in qua moderatur rigor Constitutionis Sixti V. inc. *Effrænatam*, Excommunicationem Papæ reservatam imponentis, nedum pro aborto fœtus animati, sed etiam inanimati.

ARTICULUS V.

Excommunicatio quoad eos, qui possunt, vel non, excommunicare et excommunicari.

(1. Excommunicare possunt (ultra Summum Pontificem, qui hanc facultatem habet super omnes Fideles in toto Orbe) (1). (2. Episcopi, aliique Ordinarii in suis respective Territoriis, et Diœcesibus; cap. *Perniciosam* 1. et cap. *Conquerente* 16. *de Offic. Ordinar.* et Concil. Trident. sess. 7. cap. 3. et sess. 14. cap. 4. *de Reformat.* Nota tamen, quod si Episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurrendam a transgressoribus, declaretque illos statim fore evitandos, licet publice ac nominatim denunciati non sint, quia facti notorietate dignoscitur, illos in Excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet Constitutioni Martini V, *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in cap. *Quod a Prædecessore*, num. 55. *de Schismat.* Ben. XIV. de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 68. § 4. (3. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli; c. *His quæ* 11. *de Majoritat. et obedient.* (4. Legati Sedis Apostolicæ in Territorio suæ Legationis; cap. *Novit.* 7. *de Officio Legat.*, et cap. *Legatos* 2. eod. in 6. (5. Capitula Cathedralium Sede vacante; cap. *Episcopali sede vacante* unic. *de Majoritat. et obedient.* in 6. (6. Vicarius Generalis, non solum Episcopi, sed etiam Capituli Sede vacante; cap. *Venerabilibus* 7. *de Sent. Excomm.* in 6. (7. Prælati, et Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum, et alii habentes jurisdictionem in foro Ecclesiæ externo; arg. cap. *Quærenti* 20. *de Verbor. significat.* et cap. *Cum medicinalis* 1. *de Sentent. Excomm.* in 6. (8. Abbates et reliqui Superiores Regulares non solum Generales, et Provinciales, sed etiam per se loquendo Locales, scilicet Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, et alii hujusmodi respectu suorum subditorum; cap. *Cum in Ecclesiis* 10. *de Majorit. et obed.* c. *Ea quæ* 8. *de Statu Monach.* cap. *Sicut tuis* 33. *de Simonia.* (9. Et demum Concilia Generalia, et Provincialia in sua Provincia aut Natione, sicuti et Capitula, seu Congregationes, tum Generales, tum Provinciales, omnium Regularium. Suarez *de Censuris* disp. 2, sect. 2. Navarr. in *Manual.* cap. 27. num. 5. Palao tract. 29. disp. 1. sect. 4. num. 2. et alii passim.

(10. Excommunicare non possunt Laici, cap. *Decernimus* 2. *de Judic.* et est communis. (11. Nec mulieres etiamsi sint Abbatissæ Monialium; *Dilecta* 12. *de Major. et obed.* quia Officium clavium non cadit in sexum femineum. Glossa communiter recepta in cap. *Nova, de Pœnitent. et remiss.* (12. Nec Clerici conjugati durante conjugio, et ideo Vicarii Episcopi esse non possunt. Sayr. *de Censuris* lib. 1. cap. 5. n. 12. Monacelli tom. 3. in princip. num. 52.

(13. Excommunicari possunt solummodo Christiani viatores graviter, et contumaciter delinquentes, rationis capaces, et jurisdictioni Judicis ferentis Excommunicationem subjecti. Sic communiter Doctores, et ostenditur inductione. (14. Dicitur primo, *solummodo Christiani*, quia Judæi, Pagani, Saraceni, aliive Infideles, ex quo non sint baptizati, et per hoc nec Ecclesiæ potestati subjecti, nulli Ecclesiasticæ censuræ subjiciuntur, ut colligitur ex 1 *ad Corinth.* cap. v. ibi : *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* (15. Unde Hæretici, Apostatæ, atque schismatici, ex quo sint baptizati, et Christi fidem semel susceperint, possunt excommunicari, arg. cap. *De Judæis* 4. dist. 45. cap. *Majores* 3. *de Baptismo*, et de facto quotannis excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini, ut patet in ejus § primo. (16. Dicitur secundo, *viatores*, seu in terris viventes, quia mortui non possunt excommunicari, ut ex verbis Domini expresse probat Gratianus caus. 24, quæst. 2. ibi : « Quod autem post mortem nullus excommunicari valeat, vel absolvi, ex verbis Evangelii monstratur, quibus dicitur : Quodcumque ligaveris super terram, etc., super terram, inquit, non sub terra, ostendens, quod viventes pro varietate suorum meritorum solvere possumus, et ligare, de mortuis autem sententiam ferre non possumus, » sed, ut inquit Leo I, relatus in cap. *de Communione* 1. caus. 24. quæst. 2. *Horum causa Dei judicio reser-*

(1) Certissimum hoc supremæ Pontificiæ potestatis decretum ut non tam extenuarent, quam everterent, multa post Richerium commenti sant Du Pinius *de ant. Eccl. discipl.* diss. 3, cap. 1. Quesnellus prop. ec. inter 101, a Clemente XI proscriptas, et Febronius tom. 1 et 2, p. 611, seq. Eo omnia recidunt, ut omnis Excommunicationum, etiam Pontificiarum vis a consensu pendeat saltem præsumpto totius corporis, seu Ecclesiæ, ut universitatem Fidelium omnium denotat, huic enim primo et præcipue ligandi ac solvendi potestatem datam effutiunt, a qua in ejus ministros, cujusmodi ipsum quoque Romanum Pontificem esse volunt, tota derivetur. Hæc novorum dogmatum portenta habes a Ballerinio *de vi ac ratione primatus* et a Zaccaria Antifebr. Italici tom. 11, diss. 3, cap. 2, et Antifebr. vindic. tom. 3, diss. 6, cap. 5, confutata. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

vanda est. Et ut inquit Gelasius Papa relatus in cap. *Ne quisquam* 4. d. caus. 24. quæst. 2. « De eo, qui in Divino Judicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id, in quo eum dies supremus invenit (1). » (17. Dicitur tertio : *Graviter, et contumaciter delinquentes*, quia cum excommunicatio sit gravissima pœna; c. *Cum non ab homine* 10. *de Judic.* « et qua pœna in Ecclesia nulla major est, » ut inquit, S. Augustinus relatus in cap. *Corripiantur* 17. caus. 24. quæst. 3. non potest infligi nisi ob gravissimam culpam; arg. cap. *Nemo Episcoporum* 41. cap. *Nullus* 42. caus. 11. quæst. 3. et Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. *de Reformat.* (18. Et non nisi in contumaces, qui neque monitionibus, neque aliis levioribus pœnis, et Censuris possint Ecclesiæ obedientiam, et debitam submissionem reduci; c. *Tam Sacerdotes* 14. et c. *Ecce autem* 18. caus. 24. q. 3. et Trid. sess. 25. c. 3. *De Reformat.* (19. Dicitur quarto *rationis capaces*, quia qui non sunt capaces rationis, veræ culpæ, et contumaciæ, ut infantes, furiosi, et amentes, neque sunt capaces censuræ, ut omnes communiter sentiunt Doctores. (20. Dicitur quinto, *Jurisdictioni Judicis ferentis excommunicationem subjecti*, quia *cum par in parem non habeat imperium*, ut expresse cavetur in cap. *Innotuit* 22 *de Electione*, et tanto minus inferior in superiorem; cap. *Cum inferior* 16. *de Majoritate*, sequitur evidenter, quod solummodo possint excommunicari subjecti jurisdictioni Judicis ferentis excommunicationem; cap. *A nobis* 21 *de Sentent. excommunic.* (2). Unde quia Papa nullis est subjectus, a nemine potest excommunicari.

(21. Communitas, Universitas, Collegium, Capitulum, et quodvis aliud corpus politicum simul, ac collective excommunicari non potest; cap. *Romana* 5. *de Sent. excommunic.* in 6. ibi : « In Universitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse contigerit, promulgetur. » (22. Si tamen omnes de Universitate, Collegio, Capitulo, et hujusmodi comperiantur delicti participes, et in eo contumaciter omnes persistentes esse, tunc in omnes sigillatim, ac determinate, præmissa Canonica monitione, excommunionis sententia poterit proferri, ut colligitur ex cit. c. *Romana*, et tenet Suarez disp. 18. sect. 2. Navarr. lib. 5. cons. 10 *de Sentent. excommunic.* dicto 4. edit. 1. Avila part. 2. cap. 4. ad. un. dub. 5. et alii passim. (23. Immo Papa potest proferre sententiam excommunicationis in Universitatem, Collegium, et Capitulum simul, ac collective, quia cum Papa non subjaceat ulli prohibitioni juris positivi, ex quo par in parem non habeat imperium, per cit. c. *Innotuit.* 20 *de Elect.* non est dubitandum, quin excommunicatio ab ipso lata in Universitatem, seu Collegium liget omnes de Universitate, vel Collegio, etiam innocentes. (24. Intellige tamen quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesiæ se debent gerere, ut excommunicati : (25. Secus vero quoad Deum, quia ut expresse cavetur in c. *A nobis* 18, *de Sent. Excomm.* « Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur. Judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam, et fallere sæpe contingit, et falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus et qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus. »

His addenda sunt ea, quæ in hac materia erudite admodum, et sapienter scripsit ab anno 961 S. Nicon in Epistola ad Enclistium de injusta excommunicatione, cujus Epistolæ fragmentum edidit Gentianus Hervetus pag. 86 Collectionis cujusdam, quam ex Operibus SS. Patrum concinnavit, atque ad Canones Sanctorum Apostolorum etc. adjecit Parisiis 1651.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(26. Excommunicare possunt alii potestate ordinaria, alii potestate delegata. (27. *Potestate ordinaria* illi, quibus est jurisdictio ordinaria ecclesiastica in Foro contentioso; quosque enumerat Auctor num. 1, et plur. sequent. (28. Num Parochus potestate ordinaria excommunicandi polleat, quæri hic solet; *Etiamsi non desint* (ita opportune, ait) Hurtad. *de Excommunic.* disput. 12, difficult. 1, num. 2). « Qui existiment, Parochum eam habere pro casu furti et rapinæ, immo qui existiment, eam habere pro quibuscumque casibus adeo notoriis, ut non indigeant judiciali indagatione : Vasquez tamen etc. Avila etc. et communiter Doctores negant Parocho potestatem ordinariam excommunicandi. Et merito, quia nec ex suo manere, nec ex jure habet potestatem seu jurisdictionem in Foro contentioso, et licet forsan aliquando ex jure excommunicare potuerit, ut indicari videtur in Cap. *Quum ab Ecclesiarum* 3, de Offic. Ordinar. jam tamen consuetudine abolitum est. Quod si alicubi Pa-

(1) Interdum tamen aliquos post mortem excommunicatos invenimus. Sic S. Cyprianus cum a Victore quodam contra regulam in Concilio datam testamento suo Foustinum Presbyterum Tutorem constitutum detexisset, datis ad Ecclesiam Fornitanam, in qua ille vixerat, Epistolis præcepit ep. 66 : « Ne pro dormitione ejus fieret oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentaretur. » Quæ sane erat manifesta post mortem excommunicatio. In codice quoque Africano *can.* 81, de Episcopo, qui hæreticos, vel Paganos hæredes suos constituere ausus fuerat, decernitur : « Post mortem anathema ei dicatur atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. » Vide Selvaggium lib. 4, cap. 2, § 5. Hæc tamen exempla confer cum iis quæ, n. 35, tradita ex Hertado hic sunt. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Huc ea spectant, quæ ad articulum 2 diximus add. 5. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

rochus eam habeat, aut retineat, standum est ibi consuetudini » (1).

(29. *Potestate delegata* illi, quibus commissum est ab habente potestatem ordinariam, modo habiles sint. (30. An delegari possit potestas hæc Laicis? A Papa potest, non item ab inferioribus Papa. (31. Idem dic de fœmina; Zoes. in *Comment. ad Decretal.* lib. 5, tit. 39, num. 6, et seq. Suarez *de Censur.* disput. 2, sect. 3, num. 8, et plur. seq. De Collegio quoque disputari solet, num hæc ipsi potestas delegari possit. (32. Affirmantque mox dicti Auctores, etiamsi constet partim Clericis, partim Laicis, si tamen plures sint Clerici, quam Laici, vel etiam æquales.

(33. Excommunicari vero ii possunt, qui alicui Superiori Ecclesiastico habenti jurisdictionem in Foro contentioso subditi sunt. Quid autem si degant extra Diœcesim? Vide Hurtad. *de Excomm.* disput. 12, difficult. num. 5.

(34. De Communitate, notat idem Auctor dicto loco n. 7. quod « quamvis excommunicari non possit ab homine ob crimen commune in uno aliquo negotio, potest tamen excommunicari excommunicatione juri annexa. Et quamvis Communitas non possit excommunicari ab homine, possunt tamen excommunicari plures Communitatis ex his, qui astiterunt ei negotio, etiam ut membra Communitatis, ob idem commune crimen in aliquo uno negotio, dum non excommunicantur omnes illi, qui in eo negotio assistentes et repræsentantes Communitatem illud crimen commiserunt, quia omnes isti non possunt ut membra Communitatis excommunicari ab homine, quamvis aliqui Communitatis non astiterint ei negotio. Possunt tamen omnes ut membra Communitatis excommunicari ab homine ob diversa crimina, alii ob unum, et alii ob aliud, et etiam omnes ut particulares personæ, etiam ob idem commune crimen ab aliis ut particularibus Personis commissum, quia in dicto Capite tantum est sermo de excommunicatione ab homine lata contra Communitatem talem, ob peccatum commune ab ea commissum, quia non præsumitur, omnes Communitatis qui assistunt alicui negotio, delinquere eodem communi crimine. » (35. De defunctis quoque notat idem Auctor num. 4, quod non possunt excommunicari: « Nisi vel indirecte quoad alios, ut alii nequeant ipsos Ecclesiastice sepelire, nec pro eis suffragia communia offerre, vel si directe, sumpta tamen excommunicatione pro declaratione, qua declaratur ex hac vita decessisse in excommunicatione. »

(36. Excommunicatum nondum absolutum, posse ex alio delicto iterum excommunicari, quidquid nonnulli contra sentiant, patet ex cap. 27, *de Sent. Excommunic.* tum ex Clementina 2 eod. et ex praxi Ecclesiæ.

(37. Exempti possunt etiam excommunicari in casu, in quo ex speciali delegatione subjiciuntur. Quid autem si speciali privilegio donentur, ne excommunicari queant? Alibi fuse dicemus.

ARTICULUS VI.

Excommunicatio quoad ejus effectus.

(1. Primus effectus Excommunicationis majoris est privare Excommunicatum usu activo et passivo Sacramentorum; cap. *Cum illorum* 32, et cap. *Si quem* 59, *de Sentent. Excommunic. cum concordant.* (2. Secundus effectus est privare Excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis, et bonis spiritualibus, quæ ex publicis ministrorum officiis, et sacrificiis Fidelibus provenire solent, nec non fructu satisfactionum Christi, et Sanctorum, qui ex communi Ecclesiæ thesauro per indulgentias Prælatorum auctoritate applicatur. Colligitur ex cap. *A nobis* 28, et cap. *Sacris* 38, *de Sent. excomm.* (3. Tertius effectus est privare Excommunicatum assistentia Divinorum Officiorum; Excommunicatus enim nequit interesse Missæ Sacrificio, Horis Canonicis, publicis orationibus, Processionibus, et hujusmodi; cap. *Significavit* 18, cap. *Responso* 43 *de Sent. excomm.* cap. *Alma mater* 24, eodem titul. in 6, et Clement. *Gravis* 2. *de Sent. excomm.* (4. Permittitur tamen Excommunicatis interesse Concioni in Ecclesia habitæ tempore, quo non celebrantur Divina Officia, ad hoc ut citius ad pœnitentiam, et Ecclesiæ obedientiam excitentur, cit. cap. *Responso* 43, *de Sent. excommun.* (5. Sicuti etiam possunt privatim orare, et immo tenentur privatim recitare Horas Canonicas, si ad ipsas vi Ordinis vel Beneficii, vel Professionis Religiosæ teneantur, ne ex propria iniquitate commodum reportent, ut dicunt communiter Doctores, qui insuper addunt, idem dicendum esse, licet Beneficiatus, (6. ex quo in Excommunicatione Officium præstare non possit, fructibus interim privetur, quia ipsius culpa id accidit, et per ipsum stat, quominus fructus percipiat. Ex regula enim 86. « Juris in 6, damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare. » (7. Quartus effectus est privare Excommunicatum Ecclesiastica sepultura; cap. *Sacris* 12, *de Sepulturis*; cap. *Consuluisti* 7, *de Consecrat. Eccles.* (8. Quintus effectus est privare Excommunicatum communione politica cum Fidelibus; cum Excommunicatis enim nequeunt Fideles commercia, seu ne-

(1) Cap. *Cum ab Ecclesiarum* frustra ad confirmandam Parochis juris hujus facultatem trahitur. Quamquam enim ibi Pontifex observari præcipiat excommunicationem a Plebano S. Pancratii de Lucar *in Clericos, vel Laicos suos* latam; hunc tamen Plebanum eam non tulisse jure ordinario, sibi ratione solius Parochialis Ecclesiæ competente, sed jure extraordinario, videlicet ex speciali privilegio, vel ex præscripta consuetudine, vel alio legitimo titulo acquisito ostendit ad cit. cap. *Cum ab Ecclesiar.* num. 2, Gonsalez, quem laudat Benedictus XIV. *de Syn. diœces.* lib. 5, cap. 4, num. 2. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

gotia habere, convivere, et hujusmodi, nec Excommunicati cum ipsis Fidelibus; cap. *Sicut* 16, cap. *Excommunicatos* 17, cap. *Cum Excommunicato* 18, c. *Qui communicaverit* 19, caus. 11, quæst. 3, cap. *Nuper* 29, cap. *Si aliquando* 41, *de Sentent. Excomm.* (9. Sextus effectus est privare Excommunicatum communione Forensi, ita ut Excommunicatus nequeat esse Judex, Advocatus, Actor, Testis, et hujusmodi, neque in causis criminalibus, neque in civilibus. Ita de Judice habetur in cap. *Ad probandum* 24, *de Sentent. et rejudicat.* de aliis vero in cap. *Decrevimus* 8, *de Sent. excomm.* in 6. (10. Hoc tamen de excommunicatis vitandis, et non toleratis solummodo est intelligendum, ut ex communi notat Avila part. 2, cap. 6, disp. 7, dub. 1, concl. 2, dub. 3 et 4. (11. Nihil vero obstat quominus Excommunicatus in causis tum civilibus, tum criminalibus tamquam reus conveniri possit, ne ex propria malitia commodum reportet; c. *Intelleximus* 7, *de Jud.* (12. Et consequenter omnia ea agere, aut etiam petere potest, quæ ad sui legitimam defensionem necessaria sunt; c. *Cum inter* 5, *de Exceptionibus.*

(13. Septimus effectus est privare Excommunicatum saltem vitandum omni jurisdictione Ecclesiastica : ita ut omnia ejus acta invalida sint; arg, cap. *Audivimus* 4, caus. 24, q. 1, cap. *Ad probandum* 24, *de Sentent. et rejudicata.* (14. Unde Excommunicatus non potest alium excommunicare; cit. cap. *Audivimus.* (15. Neque conferre Beneficia, cap. unic. *Ne Sede vacante* in 6. (16. Neque eligere; arg. cap. *Cum dilectus* 8, *de Consuetudine* et cap. *Cum inter* 16, *de Election.* ubi declaratur, electionem factam a suspensis invalidam esse; omnis autem Excommunicatus ab Officio et jurisdictione suspensus est. (17. Excipitur autem electio Summi Pontificis, quæ ob nullam Cardinalium Excommunicationem, suspensionem, vel interdictum infirmari potest. Clement. *Ne Romani* § *Ceterum, de Elect.* (18. Octavus effectus est privare Excommunicatum distributionibus quotidianis; arg. cap. unic. *de Clericis non residentibus* in 6, et Concil. Trid. sess. 24, c. 2, *de Reform.* (19. Nonus effectus est reddere Excommunicatum incapacem, et inhabilem ad Dignitates, et Beneficia, et omnia Ecclesiastica officia obtinenda; c. *Postulasti* 7, *de Clerico excomm. ministrant.* (20. Decimus effectus est reddere Excommunicatum incapacem, et impotentem ad obtinendum aliquod Rescriptum sive gratiæ, sive justitiæ a Sede Apostolica, taliter quod impetratum ipso jure sit nullum, nisi in ipsa causa Excommunicationis, vel Appellationis ad Excommunicati defensionem impetretur; cap. *Dilectus* 26, *de Rescriptis*, et c. *Ipso jure* 1, *de Rescrip.* in 6. (21. Undecimus effectus est reddere excommunicatum suspectum de Hæresi, si per annum in excommunicatione insorduerit, textu expresso in Conc. Trid. sess. 25, c. 3, *de Reform.* in fine, ibi : « Sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectum, procedi possit. » (22. Et si nullum impedimentum alleget, seque purgare recuset, potest condemnari ut Hæreticus; cap. *Cum contumacia* 7, *de Hæreticis.* (23. Duodecimus effectus est reddere Excommunicatos omnes communicantes extra casus a jure concessos cum Excommunicato vitando, seu non tolerato. (24. Cum hac tamen distinctione, quod communicantes cum Excommunicato in crimine criminoso, scilicet cooperando crimini, et contumaciæ, ratione cujus est lata Excommunicatio, incurrunt Excommunicationem majorem, eo quod facientes, et consentientes per pœnas constringat; cap. *Nuper* 29, et cap. *Quod in dubio* 30, *de Sent. excom.* Communicantes autem in rebus Sacris, aut politicis incurrunt solummodo Excommunicationem minorem; cap. *Illa quotidiana* 39, *de Election.* cap. *Nuper* 29, *de Sent. excomm.* et c. *Statuimus* 3, *de Sent. excomm.* in 6. (25. Cum hac vero advertentia, quod communicando notabiliter in Sacris, et Divinis saltem publice celebratis peccant mortaliter, communicando autem in solis politicis, venialiter. Navarrus in *Manual.* cap. 17, 29, Reiffenstuel lib. 5 *Decretal.* tit. 39, n. 148. cum communi.

(26. Effectus Excommunicationis minoris sunt tres, unus proximus, per se, et directus, et alii duo remoti, indirecti, et de consequenti. (27. Primus, et directus effectus est, quod Excommunicatus Excommunicatione minori nullum licite possit recipere Sacramentum, et si aliquod recipiat, graviter peccet; cap. *Si celebrat* 10, *de Clerico excomm. ministrant.* ibi : « Si celebrat, minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, » etc. (28. Secundus, et indirectus, seu remotus effectus est, quod si sine necessitatis ratione Sacramenta ministret, peccet saltem venialiter; cit. cap. *Si celebrat*, ibi : « Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta : sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, sed a participatione Sacramentorum (qui in sola consistit perceptione) remotus.» (29. Tertius, et alter effectus indirectus, remotus, et de consequenti est, quod Excommunicatus minori Excommunicatione non debet eligi ad Beneficium Ecclesiasticum, sed electio infirmanda sit; cit. c. *Si celebrat*, ibi : « Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus, » ubi vides, quod Decretalis ipsa reddit claram rationem, quia cum Beneficium Ecclesiasticum suapte institutione, ordinetur ad Sacros Ordines suscipiendos, vel Missam celebrandam, etc. a quibus minori Excommunicatione ligatus repellitur, venit de consequenti repellendus etiam a Beneficiis Ecclesiasticis, « pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Bona, quibus privatur excommunicatus, ab Auctore in hoc Art. at opportunius

Digitized by Google

hic afferuntur. Ea denotantur vulgatissimo hoc versiculo.

Si pro delictis Anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

(31. *Oris* nomine non solum osculum, sed etiam colloquium indigitatur, ut ne quidem per literas, nuncium, signa, aut nutum cum eo agi debeat. (32. Per τὸ *orare* prohibetur omne commercium sacrum cum Excommunicato. (33. Voce *vale* omnis honorifica salutatio designatur, quæ Excommunicato adeo deneganda, ut ne quidem caput aperire, neque assurgere, neque via decedere, neque ullum aliud honoris, aut reverentiæ signum exhibere Excommunicato liceat. (34. Mensa communis porro esse nequit cum Excommunicato, multo minus ergo communi lecto aut habitatione cum Excommunicato utendum. (35. Denique Communio prohibetur, qua appellatione omne commercium civile designatur, ut nullum negotium civile vel humanum cum eo suscipere liceat.

(36. Patet hinc, statum Excommunicatorum civile nullum esse, eosque fere pro Capite minutis, seu iis qui mediam Capitis diminutionem passi sunt, habendos. Quod ut apertius liqueat, libet per aliquot effectus civiles fusissime ab aliis explicatos in compendio ire.

(37. I. « Excommunicatus neque accusare, neque agere potest. » Opponi propterea Accusatori potest exceptio excommunicationis: ut ne quidem hæc elidatur per replicationem, quod reus communicaverit cum Excommunicato Auctore, (38. quia hæc communicatio tantum minorem excommunicationem operatur, atque non a foro sed a Sacramentorum participatione removet; *c.* 2. 8. *de Except.* (39. Tametsi autem agere nequeat, conveniri potest, ne videatur de sua malitia commodum reportare; cap. 7. *de Judic.* (40. Opponique potest exceptio hæc excommunicationis in qualibet parte judicii; cap. 12. *de Except.* (41. Necesse tamen est, ut excipiens de Excommunicatione speciem ejus exprimat, ac intra spatium octo dierum ipsam probet; alioquin ea non obstante Judex procedere potest, quia compertum fuit sæpe per malitiam hanc exceptionem opponi; cap. 1. *de Except.* in 6. (42. Neque hoc solum pertinet ad Ecclesiastica judicia; Sæcularis quoque Judex per Censuram Ecclesiasticam compellendus, ut Excommunicatos ab agendo repellat; cap. 8. *de Sentent. Excomm.* in 6.

(43. II. « Excommunicatus nec pro aliis ullo modo in foro comparere potest. » Quod attinet ad jus postulandi, expresse decrevit Alexander IV. in dict. c. 8. *de Sentent. Excomm.* in 6. ne Judices sæculares excommunicatos ad patrocinandum admittant, sive partes Actoris, sive rei tueantur. (44. Valida tamen acta sunt, licet admissus fuerit Excommunicatus ad patrocinandum. (45. Pariter nec procurator esse potest Excommunicatus; cap. 7. *de Judiciis.* (46. Sed et valida esse ab eo gesta, si neque a Parte, neque a Judice repulsus sit, docent communiter Canonistæ. (47. Nec potest Notarius excommunicatus munus suum exercere in judicio, quod quandiu hoc vinculo ligatus est, interim nullam fidem civilem mereatur. Denique nec testimonium ferre excommunicatus potest; dict. cap. 8. *de Sentent. Excom.* in 6.

III. « Excommunicatus ad officia publica non est admittendus, nec admissus munus suum exercere potest. » (48. Cautum est in c. 24. *de sentent.* et *Re judicat.* sententiam latam fore nullam, « si unus ex delegatis vinculo excommunicationis publicæ innodatus fuerit. » (49. Publica tamen denunciatio desideratur, quod evidentius postea, et generaliter constitutum est in decretali Martini V, *Ad evitanda scandala.*

IV. « Magistratui Excommunicato non amplius parendum. » (50. Movet vero Giballinus quæstionem hanc: « An vassalli, et subditi communicare possint cum Domino excommunicato? (51. Et posse autumat in iis omnibus, quæ ad homagium et debitam subjectionem spectant ex regula generali. Quum enim vi censuræ Principes et alii Domini neque dignitatem, neque dominium, neque jurisdictionem amittant, tenebuntur vassalli et subditi ea omnia præstare Domino excommunicato vitando, quæ ante excommunicationem debebant. Quandoquidem enim manet idem jus in Domino, et obligatio in subdito, illa omnino implenda est, et si nequeat impleri absque communicatione, communicandum erit; atque ita solvenda tributa et alia debita in jure subjectionis, etiamsi in propria persona exhiberi debeant, ut sunt homagia quædam personalia. Si enim Privatus non amittit rerum suarum dominium per excommunicationem, neque ejus prætextu potest spoliari bonorum suorum possessione a Domino; quo jure ipse Dominus ratione solius censuræ suis Juribus, dominiis, debitis, ac bonis spoliabitur a subditis fidelitatem, obedientiam, tributa, aliaque obsequia ad quæ præstanda ratione subjectionis tenentur denegantibus, quando manet eadem subjectio post excommunicationem, quæ ante illam erat? »

(52. V. Et ut alios effectus civiles præteream, « Infamia juris notatur excommunicatus; » Cap. 17. cap. 6. quæst. 1. (53. Sunt vero qui arbitrantur, infamiam hanc tantum esse Canonicam, non Civilem; nisi inflicta fuerit Excommunicato propter crimen, quod jus Civile infamia notat.

ARTICULUS VII.

Excommunicatio quoad ejus absolutionem.

(1. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et nemini reservatis absolvere possunt, nedum Episcopi, et alii Prælati jurisdictionem habentes, sed pro Foro interno etiam Parochi, et simplices Confessarii, ut ex cap. *Nuper* 29. vers. in secundo casu, *de Sentent. excomm.* deducunt Barbosa sup. num. 12. et 13. Fagnan. num. 16. et 19. Pirhing. in Jus Canon. lib. 5. titul. 39. numer. 41. Anaclet. lib. 5. tit. 39. num. 146. et plurimi alii. (2. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et

Digitized by Google

Papæ reservatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ, et aliis sex casibus intra Italiam, et extra Urbem de mandato Clementis VIII reservatis) possunt absolvere etiam Confessarii Regulares, ut constat ex privilegio Pauli III. Constit. incip. *Cum inter cunctas*, emanata 3 Junii 1545, Patribus Societatis Jesu concesso, in quo communicant omnes alii Regulares.

(3. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam specialem, potest absolvere solus ille, qui eas tulit, vel ejus Delegatus; cap. *Pastoralis* 11. § *Præterea de Offic. Ordinarii*, c. *Quærentis* 16. *de Offic. Delegati*. (4. Vel ejus successor; cap. *Si Episcopus caus.* 11. *quæst.* 3. pro quo venit etiam Capitulo Sede vacante; *cap. unic. de majoritat. et obedient. in* 6. (5. Vel Superior Censurantis plenam jurisdictionem in illum habens, ut Papa respectu omnium, Generalis respectu Superiorum totius Ordinis, Provincialis respectu Superiorum suæ Provinciæ. (6. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum suffraganeorum, nisi ad eum appelletur, quia Archiepiscopus non habet hanc jurisdictionem absolvendi a Censura, quam in proprium subditum tulit Episcopus suffraganeus, nisi ad eum a sententia censuræ appelletur, ut colligitur ex cap. *Nullus Primas* 7. caus. 9. qu. 3. et ex cap. *Pastoralis* 11. *de offic. Ordinarii*. (7. Nec etiam Legatus Sedis Apostolicæ, qui licet aliquo modo Superior sit Episcopi, non tamen in ordine ad causam subditorum, nisi ad ipsum sit appellatum, ut deducitur ex *Concil. Trident. sess.* 24. *capit.* 20. *de Reform.* Barbosa ibi, et alii.

(8. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam generalem sine ulla reservatione absolvere possunt Episcopi, et alii Prælati jurisdictionem habentes, et per Forum conscientiæ etiam Parochi, et alii Confessarii approbati, ex cap. *Nuper* 29. vers. in secundo casu *de sentent. Excomm.* (9. Si autem Auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit, nemo ab illa absolvere potest præter ipsum Reservantem, vel ejus Successorem, vel Delegatum ab eo, vel Superiorem ipsius, ut dictum est num. præcedenti. (10. Ab Excommunicatione minori a Jure lata absolvere potest in Foro interno proprius Parochus, et omnis Confessarius approbatus, ex cap. *Nuper de sentent. Excomm.* quia, ut ibi habetur, Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, ita deducunt Nicol. *in flosc. verb. Excommun.* numer. 9. Sayr. *de Censur.* lib. 2. capit. 23. num. 11. Anaclet. lib. 5. tit. 39. § 5. n. 158. et alii plurimi.

(11. Excommunicationis absolutio dari potest nedum intra Confessionem, sed etiam extra Confessionem Sacramentalem, etiam absenti, et etiam invito; Pirhing *in jus Canon.* l. 5. tit. 39. n. 164. Anaclet. lib. 5. *Decret.* tit. 39. § 8. n. 267. Pax Jordan. *elucubr.* lib. 14. tit. 2, n. 180. et multi alii passim. (12. Immo etiam mortuus absolvi potest ab eo, a quo poterat absolvi vivus, si ante obitum signa pœnitentiæ dedit, non directe, quia non est amplius homo super terram, sed ad hoc ut sit capax Ecclesiasticæ sepulturæ, et suffragiorum Ecclesiæ, ex cap. *A nobis* 28. *de sententia Excommunicationis.*

(13. Excommunicationis absolutio variis modis dari potest. Primo *absolute*, ut cum ab habente plenam jurisdictionem quis absolvitur, nulla adjecta conditione. (14. Secundo *conditionate*, ut cum quis absolvitur tantum sub conditione, v. g. absolvo te, si hoc, vel illud feceris. (15. Tertio *ad cautelam*, uti solet præmitti ante absolutionem Sacramentalem, et ante electionem, vel collationem Beneficii, vel Ordinis ad vitandam nullitatem, ex capit. *Venerabilis* 52. *de Sentent. excomm.* (16. Quarto *cum reincidentia*, ita ut si absolutus intra certum tempus, hoc, aut illud non fecerit, reincidat in Excommunicationem; elapso enim termino præfixo, statim ipso Jure reincidit in ipsam, ut declaravit *Sacr. Congreg. Immunitat. in Barens.* 19 *Decembris* 1643. (17. Sic pariter absolutus propter mortis periculum, vel aliud legitimum impedimentum cum onere, quod cessante tali periculo, vel impedimento se præsentet Superiori, non ut iterum ab eo absolvatur, cum jam plene absolutus sit, sed ut pareat, et satisfaciat; cap. *De cetero*, etc. *Quamvis de sentent. Excom.* Si cessante tali periculo, et impedimento, cum commode potest, non se præsentet Superiori, reincidit in Excommunicationem ipso jure, ex c. *Eos, qui* 22. *de sentent. Excom. in* 6. (18. Quinto ad certum dumtaxat effectum v. g. ut Excommunicatus possit in judicio examinari, vel testimonium ferre, vel alium actum sibi alias prohibitum exercere, quo tamen casu Excommunicatus non ab ipsa Excommunicatione, sed ab aliquo ipsius effectu dumtaxat liberari censetur, ut cum aliis advertit Pirhing lib. 5. *in jus Canon. de sentent. Excommunicat.* numer. 165.

(19. Absolutionis formæ variæ etiam esse possunt. Si quis auctoritate propria Excommunicatum absolvat, poterit hac uti forma: *Absolvo te a vinculo Excommunicationis, quod incurristi, propter hoc, vel illud crimen, et restituo te Sacramentis Eccl. et fidelium commun. In nomine Patris*, etc. (20. Si vero absolvat auctoritate delegata, poterit uti ista: *Auctoritate Omnipotentis Dei, et SS. Apostolorum Petri, et Pauli SS. D. N. Papæ N. vel Eminentiss. vel Illustriss. Nostri N. N. in hac parte tibi concessa, et mihi commissa, absolvo te a vinculo Excommunicationis, quod incurristi propter tale vel tale crimen, et restituo te Sacramentis Ecclesiæ, et communioni Fidelium: in nomine Patris*, etc. (21. Si autem Excommunicatio non sit certa, sed dubia, uti poterit ista: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo a vinculo Excommunicationis, quod incurristi, ob tale crimen, et restituo te*, etc. (22. In casu autem quod absolutio detur publice, et solemniter, præmitti solet aliquis psalmus pœnitentialis cum quibusdam versiculis et orationibus in Ri-

Digitized by Google

tuali præscriptis, ex c. *A nobis* 28. *de sentent. Excom.*

(23. Nemo debet absolvi a majori excommunicatione, sive pro Foro interno, sive pro externo, nisi prius juramento promittat de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolventis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicta; cap. *Ex tenore* 10. cap. *Ad hæc* 12. *de sentent. Excom.* (24. Et etiam nisi satisfecerit parti læsæ saltem per transactionem ob damnum, vel injuriam, ratione cujus fuit Excommunicatus; c. *Solet de sentent. Excommun.* in 6, vel si hoc statim fieri nequit, sufficiens cautio per pignora, vel fidejussionem præstetur, vel si nec ista ob inopiam, vel aliam causam fieri potest, præstetur, per juramentum, quia nemo ad impossibile obligari potest, ut tenet Pirhing. *in jus Canon.* lib. 5, tit. 39, n. 163. Anaclet. lib. 5 *Decret.* tit. 39, § 8, num. 168, et alii passim. (25. Si autem ita absolutus postea satisfacere negligat, non reincidit in priorem Excommunicationem, sed poterit iterum a Judice excommunicari; cap. *Ad reprimendam de Offic. Ord.* (26. Absolvens autem ante præstitum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ante præstitam satisfactionem parti læsæ, illicite quidem absolvit, sed valide, quia hæc non pertinet ad substantiam absolutionis; c. *Venerabilibus* 7, § *Sane* in fine, *de sent. Excomm.* in 6.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Nedum illicita, sed et invalida est absolutio ante præstitam satisfactionem parti læsæ, et juramentum interpositum de parendo Ecclesiæ mandatis, si absolutio sit de iis criminibus, quæ in Bulla Cœnæ indicantur. Etenim in § *Cæterum* prædictæ Bullæ præcipitur, ut nullus talibus detentus criminibus, nisi cautione præstita absolvatur, atque adeo facultas absolvendi eum sub ea tantum conditione sit concessa, nulla omnino esse censetur, nisi eadem conditio posita fuerit ut multorum fert sententia Theologorum, teste Lacroisio lib. 7, num. 167, pag. 592, Editionis Coloniensis.

RESPONSIO AUCTORIS.

Dicit hic *Rom. Theologus*, quod nedum est illicita, sed et invalida absolutio ante præstitam satisfactionem parti læsæ, et juramentum interpositum de parendo Ecclesiæ mandatis. Et tamen mea conclusio est ipsissima ad literam tradita a doctiss. Monacel. *Formular. legal. practic. Fori Ecclesiastici*, part. 3, edition. Roman. an. 1709, pag. 15, num. 77. Videatur ibi, et citat. *Venerabilibus* 7, § *Sane in fine, de Sentent. excomm.* in 6.

(27. Absolutio extorta metu gravi injuste in eum finem incusso, est invalida; c. *De iis quæ vi*, in 6.

(28. A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis, et interdicti, etiam contentis in Bulla *Cœnæ Domini* absolvere potest Major Pœnitentiarius, Regulares quidem in utroque foro, reliquos vero in foro conscientiæ tantum: quamquam et illos potest absolvere in utroque foro a censuris publicis latis a jure, Apostolicæ Sedi reservatis, et etiam nominatim declaratis, vel latis nominatim ab homine, si expiraverit jurisdictio judicis delegati, a quo latæ fuerunt, vel quando proprios Judices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei isti, ut satisfaciant parti, alioquin reincidunt in eamdem censuram. Si vero hæc satisfactio a parte recusetur, tunc Major Pœnitentiarius illi præscribat hanc satisfactionem, qua a parte recusata, nihil ultra agendum est. Benedict. XIV, Const. incip. *Pastor bonus*, Bullar. tom. 1, n. 95, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Ut in hac absolutionis materia recte procedatur, distinguenda est excommunicatio lata *ab Homine* ab Excommunicatione lata *a jure*. Ab excommunicatione lata *ab homine*, ut recte monet Auctor, is regulariter absolvere potest, qui eam tulit. Idem die de Successore, et sede vacante Capitulo quia non ipsa singularis, et individua Persona Excommunicantis attendenda est, sed ipsum Officium, seu dignitas, vi cujus auctoritas ferendi Censuras competit illi, qui censuram tulit. Superior quoque absolvere potest, si ad eum sit appellatum propter jurisdictionem acquisitam ex appellatione. Summus vero Pontifex ob summam in Ecclesia potestatem etiam citra appellationem valet absolvere. De disciplina vero tum antiqua, tum recenti de absolutione a Superiore impertienda, consule Vanespen. *jur. Eccles. univers.* part. 3, tit. 11, cap. 11, § 1, et plur. seq.

(30. De Excommunicato a suo Episcopo, an absolvi possit ab Episcopo novi domicilii quæri solet? Obtinuit distinctio, ut Excommunicatus per sententiam generalem sui Episcopi possit absolvi, non item Excommunicatus per sententiam specialem ejusdem; Confer Zoel. in *Decretal.* lib. 5, tit. 39, n. 161. Suarez *de Censur.* disp. 7, sect. 21, n. 26. Eademque distinctio secundum mox laudatos Auctores recepta est, si Excommunicatus a suo Episcopo fiat Religiosus, ut scilicet excommunicatus per sententiam generalem absolvi queat a Superiore ipsius Religiosi, nequaquam vero Excommunicatus per specialem sententiam.

(31. Disputatur et de eo, an post interpositam appellationem absolvere valeat Judex a quo? Affirmant inter alios Vames. in cap. 17, fere per tot. *de Appellat.* Suarez *de Censur.* disput. 7, sect. 2, num. 31, et seq.

(32. Gravior est quæstio, an ab Excommunicatione *a Jure* in Literis Apostolicis comminata absolvere queat Judex, qui sententiam declaratoriam pronunciavit? Dubium inde oritur, quod Judex hic non videtur proprie excommunicasse, adeoque haud valeat absolvere. At affirmativam sententiam, modo in ipsis Literis Apostolicis excommunicatio non sit Papæ reservata, tenuit Rota in Alerien. Parochialis 10 Jan. 1746, § 7, cor. Reverendiss. P. D. Bussio Decan. et 1 Julii ejusdem ann. 1747, § 1, cor. Illustris. Caprar. Alm. Urb. Gubernatori.

Digitized by Google

(33. Hæc de absolutione ab excommunicatione lata *ab homine*. Quoad vero excommunicationem *a Jure* latam, hæc Regula communiter statuitur; « Si Pontifex, aut Conditor Canonis, ejus absolutionem specialiter non reservaverit, absolvi unusquisque poterit a proprio Episcopo; immo et a proprio Sacerdote: » Cap. *Nuper de Sentent. Excomm.*

Nomine Episcopi, observante Suar. *de Censur.* disp. 5. sect. 3. intelligitur Episcopus proprie Excommunicati; item qui in Episcopalem jurisdictionem succedit. Vagabundos vero absolvere potest Episcopus Loci, in quo actu habitant; Zoel. in *Decretal.* lib. 5. tit. 39. num. 164.

(34. Nomine proprii Sacerdotis, notante eodem Auctore ubi supra, venit proprius Parochus Excommunicati. Et ratione vero mox citatæ decretalis venit quilibet Presbyter habens auctoritatem absolvendi, approbatus scilicet a suo Ordinario tamquam Minister Sacramenti Pœnitentiæ a peccatis mortalibus, præsertim quia, ut monet laudatus Auctor d. disp. 7. sect. 4, quatenus munus illud exercent Presbyteri, subeunt vices, et munus proprii Parochi. De absolutione ad cautelam vide Vanespen. *Juris Eccles. univ.* part. 3. tit. 11. c. 11. § 16 et plur. seq.

ARTICULUS VIII.

Absolutio pro Foro conscientiæ an prodesse possit etiam pro Foro externo?

(1. Absolutus in Foro interno ab Excommunicatione, si non fuerit nominatim Excommunicatus, non tenetur se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, præsertim si constet ita esse absolutum, quia illa absolutio valet ad omnia, præterquam in judicio, ubi lis movetur; Lessius in Auctor. v. *Absolut.* cas. 8. Krimer. num. 1848. Claudius la Croix lib. 7. *de Censuris*, pum. 154. et alii passim. (2. Absolutus in Foro conscientiæ ab Excommunicatione occulta, potest in Foro externo etiam publice habere omnem communionem in divinis, et politicis, Missam publice celebrare, et alia hujusmodi. (3. Si vero Excommunicatio, a qua fuit in Foro tantum interno absolutus, sit notoria et publica, poterit tantum in occulto celebrare, et alia per Excommunicationem prohibita agere, si absit omne scandalum; ad evitandum enim scandalum, si ejus Excommunicatio fuerit notoria, quandiu de legitima ejus absolutione publice non constat, debet se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, et se publice abstinere ab omnibus, quæ Excommunicatis interdicuntur; Layman. lib. 1. tract. 5. p. 1. c. 7. n. 7. Avila *de Censur.* p. 2. cap. 7. disp. 3, dub. 12. Navarr. lib. 2. cons. ultim. *de Judic.* n. 7. Reiffenstuel. in *Jus canon.* lib. 5. Decret. tit. 29. § 8. num. 247 et 248. Claudius, Henriquez, et alii.

(4. Absolutus in foro conscientiæ tantum, si ejus crimen deferatur ad Judicem, licet non indigeat nova absolutione, potest tamen adhuc urgeri a Judice, qui potest contra

eum procedere, donec etiam in foro externo absolutionem obtineat, plures declaravit Sac. Congr. per sequentia, et similia verba: « Non prohibetur Episcopus, vel alius Superior, affigere Cedulones, et punire Excommunicatum, licet fuerit in Foro conscientiæ absolutus, vel cum Brevi Sacræ Pœnitentiariæ, vel cum Bulla Cruciatæ, aut Jubilæi, vel in vim cap. *Liceat*, sess. 24. Concil. Trident. vel alio quocunque modo; quia isti duo Fori sunt separati, et actum in uno, non adfert præjudicium in altero. Potest tamen Judex Ecclesiasticus absolutionem in Foro conscientiæ datam, etiam pro Foro exteriori ratam habere, nisi hoc redundet in præjudicium partis. » In Compsana 14 Junii 1591. et in Oppiden. 8 Jan. 1621. et in Milet. 30 Sept. 1622.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(5. Distinctio in subjecta materia recepta, hæc est. Si in Bulla Jubilæi, vel alia quavis absolute detur facultas absolvendi a censuris, valet absolutio in utroque Foro. (6. Sin autem facultas hæc detur, prout dari ut plurimum solet, *in Foro conscientiæ regulariter*, non prodest pro Foro exteriori. (7. Dico *regulariter*, nam si quis ob debitum, seu damnum, injuriam, vel contumaciam manifestam, fuerit a Judice excommunicatus, et nominatim declaratus seu denunciatus, et satisfacta Parte absolvatur a Confessario vi Bullæ Jubilæi, vel similis, censetur absolutus etiam in Foro exteriori, ut tenent quam plures Doctores relati à Bossio *de Jubilæo* sect. 1. cas. 25. per tot. (8. qui sententiam hanc probat quibusdam declarationibus S. Pii V. et Gregorii XIII. (9. Quomodo vero constare debeat de satisfactione Patris, tum de absolutione tradit idem Auctor dict. sect. 1. seq. cas. 26.

ARTICULUS IX.

Excommunicati quinam vitandi sint? in quibus, et qualiter vitari debeant?

(1. Jure antiquo omnes Excommunicati erant vitandi, cum hac differentia, quod illi, quorum Excommunicatio erat publice nota, publice etiam erant vitandi, et illi quorum Excommunicatio erat occulta, occulte etiam et privatim tantum erant vitandi ab iis, qui eam Excommunicationem notam habebant, uti patet ex cap. *Cum non ab homine 14 de Sent. excomm.* (2. Jure novo post Concilium Constantiense celebratum circa annum 1414, et confirmatum a Martino V, sunt solum vitandi, qui sunt specialiter Excommunicati, et nominatim quoad personam a Judice Ecclesiastico publice sunt denunciati, vel sunt notorii percussores Clerici, et per hoc Excommunicationi Canonis *Si quis suadente diabolo*, etc. subjecti, ut clare patet ex Constit. ipsius Martini V, incipien. *Ad evitanda animarum pericula*, etc. (3. Nec officit quod per Concilium Basileense, quod est posterius Constantiensi, et Martino V, præcipiantur vitari non solum notorii Clericorum percussores, sed etiam quicunque alii

Digitized by Google

Excommunicati; quia dictum Concilium Basileense ab Eugenio IV fuit revocatum, nec a Sede Apostolica fuit confirmatum, exceptis paucis quibusdam Constitutionibus a Nicolao V. receptis, intra quas non est ea *de evitandis Excommunicatis*. (4. Ultra quam quod consuetudine (quæ est optima Legum interpres, et per se ipsam sufficiens ad legem innovandam) introductum est, ut in dies experimur, ut hæretici notorii, aliique Excommunicati non evitentur, nisi vel nominatim sint denunciati, vel sint notorii percussores Clericorum, et sic, si in hoc valuisset Concilium Basileense, jam ei derogatum fuisset per consuetudinem contrariam legitime præscriptam, ut deducitur ex cap. fin. *de Consuetudine*.

(5. Percussor Clerici tunc dicitur taliter notorius, ut debeat vitari, quando ejus crimen adeo notorie constat, ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, ut statuit Pontifex in cit. Bulla *Ad evitanda*. (6. Sic talis percussor esset vitandus, si per proprium visum, per confessionem rei, per plurium testimonium seu per publicam et constantem famam ita esset notoria percussio, ut nulla tergiversatione posse celari, et ejus malitia excusari. (7. Quod si talis percussio esset occulta, vel percussor posset se defendere, et excusare, quod percussio facta sit causa defensionis, vel ex vehementi passione iræ, in motu primo primi, vel ex joco, aut inadvertentia, vel nesciendo esse Clericum, tunc talis Clerici percussor non esset vitandus, ut clare deducitur ex verbis ipsius Bullæ: « Sine aliquo Juris suffragio accusari possit. »

(8. Casus vero, in quibus vitari debent taliter Excommunicati, reducuntur specialiter ad quinque deductos ex c. *Excommunicatos* 17. caus. 11. quæst. 3. ubi habetur: « Nullus cum Excommunicatis in oratione, aut cibo, et potu, aut osculo communicet, aut Ave eis dicat, quia quicumque in his, vel aliis prohibitis scienter Excommunicatis communicaverit juxta Apostolorum institutionem, et ipse simili Excommunicationi subjacebit; et omnes in hoc vulgato carmine comprehenduntur: »

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

(9. Per ly *Os* intelligitur prohibitus discursus cum Excommunicato, etiamsi fiat per litteras, nutus, internuntium, aut alia signa; sic enim prohibentur oscula, amplexus, et alia hujusmodi signa amicitiæ, nec non receptio munerum. (10. Per ly *Orare* intelligitur prohibita omnis communicatio in sacris, et orationibus, non enim licet cum Excommunicatis orare, interesse processionibus, Missis, et aliis divinis Officiis, nec Missam coram ipsis celebrare. Immo dato quod Excommunicatus vitandus ingrederetur Ecclesiam Missam auditurus, deberet moneri ut exiret, et si nominatim monitus nollet exire, novam Excommunicationem Papæ reservatam incurreret; Clem. 11. *de Sentent. excomm.* et posset per vim expelli. Si vero ratione suæ præpotentiæ nequiret ab Ecclesia expelli, tunc essent omittenda divina Officia, et ipsa Missa, si Sacerdos nondum pervenisset ad Canonem, vel ut alii volunt ad Consecrationem, tunc enim deberet prosequi usque ad sumptionem, ac Sacrificium maneret incompletum, et facta sumptione Calicis, deberet discedere, et reliqua in Sacristia peragere, vel omittere, si talis locus non adesset. Omnes adstantes autem deberent in tali casu statim ab Ecclesia exire, excepto Ministro Altaris, aliter peccarent participando in Divinis cum Excommunicato vitando, et Excommunicationem saltem minorem incurrerent. (1) (11. Per ly *Vale* interdicitur omnis honorifica, et amica salutatio, verbis, signis, gestu, et manus tactu facta. (12. Per ly *Communio* prohibetur omnis societas cum Excommunicatis vitandis in habitatione, contractibus, judiciis, laboribus, aliisque exercitiis. (13 Per ly *Mensa* prohibetur communicatio in cibo, potuque, non enim licet manducare, et bibere cum Excommunicatis vitandis, etiamsi reperiantur in eodem Collegio, Monasterio et Domo.

(14. Qui in aliquo ex supradictis casibus absque rationabili excusante causa communicat cum excommunicato vitando, peccat, et incurrit Excommunicationem minorem, ex cap. *Excommunicatos* 17. caus. 11. q. 3. (15. Etsi communicet cum ipso cooperando contumaciæ, et crimini, propter quod fuit nominatim Excommunicatus, dando ei auxilium, consilium, aut favorem, præter peccatum mortale, incurrit in Excommunicationem majorem, quia facientem, et consentientem par pœna constringit; c. *Nuper* 29. et cap. *Quod in dub.* 30. *de Sentent. excomm.* (16. Communicans cum Excommunicato nominatim a Papa, ac publice denunciato, si est Clericus, incurrit Excommunicationem majorem, si est Laicus solum Excommunicationem minorem, ex cap. *Significavit* 18. *de Sent. Excommunicat.* et ex cap. *Excommunicatos* 17. caus. 11. quæst. 3.

(17. Causæ rationabiles, ob quas licet communicare cum Excommunicatis vitandis, deducuntur ex c. *Quoniam multos* 113. caus. 11, q. 3. et comprehenduntur in hoc vulgato versiculo:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

(1) Si excommunicatus vitandus Ecclesiam ingrediatur dum divina celebrantur officia, monendus est ut abeat. Abire nolens vi compelli potest, modo tamen sic fieri possit, ut nullum grave incommodum, vel scandalum emergat. Tunc enim satius est ut interruptis officiis Populus omnis aufugiat. Veteris Ecclesiæ usum, et praxim fuisse ut excommunicati non expellerentur ab Ecclesia, nisi tempore offertorii, Auctor est Cabassutius in *Theoria, et praxi juris Canonici* lib. 5, c. 11, n. 5. Eo ergo tempore si excommunicatus exire detrectet, nec vi compelli queat, Missa inchoata abrumpenda est. Quod si Canon esset inceptus, solo manente Ministro debet eam Sacerdos prosequi usque ad Communionem inclusive, et reliqua in Sacristia perficere. Videatur Antoine *Tract. de Censuris* cap. 2. (NOTA ROMANI THEOLOGI.)

Digitized by Google

(18. Per ly *Utile* intelligitur utilitas notabilis, sive spiritualis, sive corporalis, tam Excommunicati, quam communicantis, propter enim utilitatem spiritualem excommunicati licet cum consiliis, et exhortationibus persuadere ad resipiscentiam, et conversionem, et cum ipso conversari, et libere agere in iis, quæ pertinent ad absolutionem; ex cap. *Cum voluntate* 54. *de Sentent. excomm.* propter autem utilitatem communicantis licet ab eo exigere debitum; c. *Si vere* 34. *de Sent. excomm.* et eum convenire in judicio, ex cap. *Intelleximus* 7. *de Judiciis*, et ad eum tamquam ad Advocatum, Chirurgum, et Medicum recurrere licet, si alius non reperiatur, a quo æque utiliter subsidium habere possit; ex cap. *Si vere* 34. *de Sent. excomm.* (19. Per ly *Lex* intelligitur lex matrimonialis, ratione cujus, si unus vel uterque conjux sit Excommunicatus, nihilominus eis licebit conjugii debitum petere, reddere, et in omnibus aliis rebus inter se communicare, ut in gubernatione, et directione domus, in colloquiis, mensa, et hujusmodi; ex c. *Quoniam multos* caus. 11. quæst. 3. et cap. *Inter alia* 31. *de Sent. excomm.* (20. Per ly *Humile* intelligitur humilitas subjectionis, vi cujus liberi cum Parentibus, servi, villici, cum Dominis suis, Religiosi cum suis Prælatis, Clerici cum Episcopis, et Superioribus suis, et milites cum belli ducibus Excommunicatis possunt communicare; ex cap. *Quoniam multos*, caus. 11, quæst. 3. qua ratione Parentes, Domini, Superiores, Duces, etc. communicare etiam possunt cum suis liberis, servis, etc. (21. Per ly *Res ignorata* intelligitur ignorantia tam juris, quam facti, dummodo non sit affectata, vel crassa, et hujus ratione excusatur a culpa, et censura, qui communicat cum Excommunicato ignorato tali, vel si scit esse Excommunicatum, ignorat eum esse vitandum, ex c. fin. *de Constit.* in 6. (22. Per ly *Necesse* intelligitur omnis necessitas communicandi, tam ex parte Excommunicati, quam communicantis, sive hæc necessitas sit animæ, vel corporis, vel famæ, vel fortunæ, vel obligationis alicujus contractus; cap. *Inter alia, de Sent. excomm.* sive talis necessitas oriatur ex violentia, vel metu gravi injuste incusso, vel ex defectu victus, vestitus, medicinæ, consilii, vel cujuscumque auxilii necessarii, ex cap. *Si vere* 34. *de Sent. excomm.* et ex cap. *Quoniam* 103. caus. 11. quæst. 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. Quæ de effectibus excommunicationis majoris dicta sunt in articulo 6. et in additione, ea de jure antiquo obtinent etiam in Excommunicato non denunciato. (24. At jure novo Extravagantis *Ad evitanda* restricta sunt, ut monet Auctor, ad eos excommunicatos, qui expresse et specialiter, id est nominatim denunciati sunt, tum ad eos, qui notorie inciderunt in sententiam. (25. Excommunicationis latam pro sacrilega manuum injectione in Clericum, quamvis denunciati non sint.

(26. Hæc vero habet hic Zoesius in *Decretal.* lib. 5. tit. 39. num. 106. « De posteriori (inquit) tantum est quæstio, quum in Extravagant. *Ad evitanda*, in d. Concilio Constantiensi non fiat mentio notorii percussoris Clericorum, sed generaliter notorii Excommunicati, qui talis est, ut nulla tergiversatione celari possit, ut non debent restringi tantum ad notoriam Clerici percussionem, sed uti verba citata a Navarro dict. tit. 27. num. 35. sonant, generaliter locum habere in quolibet Excommunicato notorio, qui celari nulla tergiversatione potest. Quod ipsum sensit Navarr. dict. loco. Sed consuetudine postea restrictam esse dictam Extravagantem ad percussionem Clerici notoriam. Alii tamen dictam Extravagantem aliter citant, pro his: Aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, legentes: Salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, etc. Quam lectionem plerique sequuntur tenentes, non alios vi istius Extravagantis excommunicatos hodie esse vitandos, quam denunciatos Clerici percussores. Estque consuetudine ista limitatio recepta, quum videamus passim Catholicos cum Hæreticis publice sine scrupulo communicare, quos vitare hoc tempore vix foret possibile. »

(27. Quod attinet ad illos, quos priori loco diximus esse vitandos, disputari solet, num post sententiam specialem ab Homine latam, requiratur denunciatio? Negant aliqui innixi dict. Extravaganti *Ad evitanda*, quæ solum excipit Excommunicatos a Jure, vel ab Homine per sententiam generaliter promulgatam, quam vult ad effectum vitandi, talem a Judice publicari vel denunciari specialiter et expresse; ut videatur hunc effectum habere illa, quæ ab Homine est specialiter promulgata. (28. At sententia communior, et quidem probabilior est, etiam eo casu ad prædictum effectum requiri denunciationem, idque quia consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita sit interpretata dictam Extravagantem. Accedit, quod conveniat fini ejusdem Extravagantis; lata enim ea fuit ad evitanda scandala, et succurrendum timoratis conscientiis. Id autem contingit facilius posita opinione affirmante, quam opinione negante; quum sæpe non sit ita notorium sententiam excommunicationis esse latam, nisi publicata sit; Confer. Zoes. in *Decretal.* lib. v. tit. 39. num. 110. Hurtad. *de Excommunic.* disput. 2. diffic. 3. num. 7.

(29. Quoad vero notorios Clerici percussores, duo concurrant oportet, ut ii dicantur notorii, adeoque sint vitandi; nempe et quod percussio Clerici sit notoria notorietate seu evidentia facti, et quod ea percussio minime possit apparenti aliqua ratione excusari. (30. De utroque vero consule Hurtad. *de Excomm.* disp. 2. difficult. 3. num. 9 et seq.

(31. An cum Excommunicatis non necessario vitandis communicari non modo in humanis, sed et in divinis possit; Vide Hurtad. *de Excommun.* disp. 2. difficul. 4. per tot.

Digitized by Google

ARTICULUS X.

De excommunicatione Canonis quoad suum esse, et intelligi.

(1. Excommunicatio *Canonis* sic appellatur ex quo lata sit *in Canone* 15. *Concilii II Lateranensis* sub Innocentio II. cap. *Si quis suadente* 29. caus. 17. qu. 4. per hæc verba : « Si quis suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. »

(2. Per ly *Si quis*, comprehenduntur omnes utriusque sexus personæ Excommunicationis capaces, unde etiam ad feminas extenditur, ipsæ enim si manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerint, hanc Excommunicationem incurrunt per Glossam in d. cap. *Si quis*, et exponitur cap. *Mulieres* 6. *de Sentent. excomm.* dum Episcopo committitur posse feminas absolvere, si manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerint. (3. Per ly *Suadente diabolo*, denotatur quod ad incurrendam hanc Excommunicationem requiritur gravis injuria, et in ratione sacrilegii, peccatum mortale, ita ut hæc simul concurrant, et prava voluntas intendens Clericum, vel Monachum graviter lædere, et externus effectus, seu ipsa gravis læsio in rebus corporis, vel honoris ipsius, unde si unum ex istis deficiat, non contrahitur hæc Censura, quia Canon tria copulative ad hanc incurrendam videtur requirere, scilicet factum consummatum, dum dicit *manus injecerit*, animum injuriandi, dum dicit *suadente diabolo*, et violentiam, dum dicit *violentas manus*, uti notat inter alios Sperellus decis. 54. n. 12.

(4. Per ly *manus violentas injecerit*, comprehenditur quælibet actio exterior injuriosa personam Ecclesiasticam, vel res ei adhærentes violenter tangens sive immediate, sive mediate, sive fiat manu, sive pede, brachio, aut quovis alio instrumento capaci ad lædendum Clericum, vel Monachum, quia Canon utitur verbo *manus*, ex quo manus sit instrumentum magis aptum, et solitum ad exteriores violentas injurias inferendas, uti esset Clericum occidere, mutilare, vulnerare, percutere, eum violenter detinere in publica, aut privata custodia, eripere aliquid per vim, et injuriam de manibus, vel corpore ipsius, ut librum, pileum, aut vestem ei adhærentem, ipsum conspergere aqua, pulvere, lapillis, eum persequi, ut in fluvium, aut fossam incidat, equo decidat, et similia; Glossa in d. c. *Si quis*, verb. *Manus*, et cap. *Nuper* 29. *de Sent. excomm.* et in cap. *Si quis pulsatus* 13. 33. quæst. 3. Injicere manus violentas in equum, cui Clericus insidet, illum occidendo, vulnerando, percutiendo, aut detinendo ; licet enim hujusmodi violentiæ Clerico illatæ graves non sint comparative corporis, sunt tamen graves, atque mortales comparative honoris, qui contumeliose læditur, uti notavit Innocent. III. in cap. *Nuper* 29. *de Sent. excomm.* (5. Per ly *in clericum* intelliguntur quicumque saltem primam Tonsuram ab Episcopo acceperunt, ut colligitur ex c. *Cum contingat, de Ætate, qualitate, et ordine præfic.* (6. Sic etiam Clerici conjugati, si cum unica, et virgine contraxerint, Habitum, et Tonsuram deferant, et alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi ministrent; cap. unic. *de Clericis conjug.* in 6. Concil. Trid. sess. 13. cap. 6. *de Reform.* (7. Canonis autem privilegio non gaudent Clerici bigami, qui contraxerunt cum duabus, vel cum una corrupta; c. unic. *de Bigamis* in 6. (8. Item Clerici, qui dimisso Habitu, et Clericali Tonsura, negotiis sæcularibus se immiscent, si ter ab Episcopo moniti non se emendent; cap. *In audientia* 25. cap. *Contingit.* 451. *de Sentent. excomm* (9. Item Clerici realiter degradati, et solemniter depositi; ex cap. *Degradatio* in 6. *de Pœnis* lib. 5. tit. 9. (10. Item Clerici se enormitatibus immiscentes, id est si latrocinia, et seditiones iniquas perpetrent, si bella, et seditiones, in populo commoveant; cap. *Cum non ab homine* 14. et cap. *Perpendimus* 23. *de Sent. Excomm.*

(11. Per ly *vel Monachum*, intelliguntur Omnes Regulares utriusque sexus; cap. *Cum illorum* 32. et c. *De Monialibus* 33. *de Sent. Excomm.* (12. Etiam Conversi, et Conversæ, cap. *de Monialibus*, et cap. *Non dubium* 5. eod. tit. (13. Etiam Novitii, et Novitiæ; cap. *Religioso*, *de Sent. Excomm.* in. 6. (14. Item Tertiarii, et Tertiariæ mendicantium in Congr. et communitate viventes, ex Constitut. Leonis V incip. *Dum intra.* (15. Item mulieres Tertiariæ in propriis Domibus viventes, virginalem, et cœlibem vitam ducentes ex voto castitatis de Ordinarii licentia emisso, ex d. Constit. 22. *Dum intra* edita a Leone X. 1 Maii 1518. in Concil. Later. sess. 11. (16. Item, Eremitæ Habitum Eremiticum, ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia Episcopi, vel alterius Prælati alicui Ecclesiæ, vel Eremitorio in Communitate, vel separatim deservientes, isti censentur Personæ Ecclesiasticæ. Sic Glossa in cap. *Qui vere* 16. q. 1. verb. *Vero*, asserens quod, tales Eremitæ gaudent privilegio Clericorum, licet non renuncient propriis; Fagnan. cap. *Nullus* num. 61. *de Foro competent.* post Cardin. in Clement. *Per litteras*, num. 9. *de Præbend.* Innocentius cap. *Cum Monasterium* 13. *de Election.* dicens, quod licet Eremitæ possint habere proprium, quia non abrenunciant, tamen Ecclesiasticæ Personæ sunt; Anaclet. lib. 3. Decret. tit. 1. *de Vita et honestate Clericorum* n. 25. et multi alii. Vide verb. *Eremita* num. 13. (17. Item omnes illi, qui assumpto Habitu Religioso Monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynas quærunt, et prope Monasterium earum more vivunt. Sic etiam Laici, qui Habitu Clericali incedunt, et inserviunt Congregat. Presbyterorum, qui Collegialiter sub certo Superiore modo Religioso vivunt; sic Antonellus nu-

Digitized by Google

mer. 22 Matthæucci *Official. Cur. quoad excommunicationem Canonis* num. 10. (18. Felix Potestas *Minist. Sacram. pœnit.* cap. 3. num. 3560. et alii. (19. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani vulgo dicti *Cavalieri di Malta;* ipsi enim emittunt tria Vota substantialia in Religione a Sede Apost. approbata, et sunt vere Religiosi, et si se invicem percutiant, Pontifex eis concedit, ut ab Excommunicatione hac de causa incursa absolvi possint ab eorum Priore Sacerdote; cap. *Canonica* 59. *de Sent. excomm.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. Num excommunicatio contenta in Canone hoc *Si quis suadente diabolo.* caus. 17. quæst. 4. sit latæ an ferendæ sententiæ, non immerito dubitari potest. (21. Non ignoro, quod sæculo decimosecundo, quo in Concilio Lateranensi sub Innocentio II dictus Canon latus fuit, jam in Ecclesia erant in usu excommunicationes *latæ sententiæ.* (22. Sed formula illa : *Anathemati subjaceat,* qua usus est præfatus Canon, non videtur importare excommunicationem *latæ sententiæ.* « Hæc formula (ut recte ait Vanespen. *Jur. Eccles. univ.* part. 3. tit. 11. cap. 6. § 20.) non videtur magis latam sententiam importare, quam hæc : (23. *Sit Anathematizatus : Sit sequestratus :* quæ tamen, juxta Gloss. in cap. 2. *de For. competent.* verb. *Sequestratus,* nonnisi Excommunicationem ferendæ sententiæ significat. »

(24. Cæterum Doctorum imterpretatione, tum usu Fori, continet d. Canon excommunicationem latæ sententiæ, quod sane sufficit, nam ut inquit Paulus in l. 11. ff. *de Legibus,* « minime sunt mutanda quæ interpretationem certam semper habuere. »

ARTICULUS XI.

Quinam, ab incursu hujus excommunicationis excusentur vel non ?

(1. Primo, ab incursu hujus Excommunicationis excusantur qui laborant ignorantia invincibili, tam juris, ut si quis invincibiliter ignorat, ob Clerici percussionem esse statutam Excommunicationem, quam facti, ut si quis ignorat, eum, quem percutit, esse Clericum, et si res deducta sit ad Forum externum, et de ignorantia ipsius dubitetur, sit ipse paratus etiam cum juramento suam ignorantiam probare ; c. *Si vero 4. de Sent. Excomm.* Sic qui percutit Laicum putans esse Clericum, contrahit quidem malitiam sacrilegii, sed non incurrit excommunicationem, quia ut hæc incurratur, debet re ipsa, et non tantum in apprehensione, Clerico, vel statui Clericali irrogari injuria ; Del bene sect. 21. num. 1. La Croix lib. 7. num. 322. et alii passim, arg. cit. c. *Si vero 4. de Sent. Excomm.* et sic de similibus ; ut si quis ex conscientia erronea putet esse annexam censuram (quæ revera annexa non est) actioni, quam operatur, hic quidem gravius peccat, quatenus operatur contra suam conscientiam dictantem rem gravius prohibitam, at nullatenus incurrit censuram propter rationem allatam. Tum quia ignorantia invincibilis semper excusat ab incursu censuræ ; textu expresso in c. *Ut animarum periculis* 2. *de Constit.* in 6. et concordat cit. cap. *Si vero 4. de Sent Excomm.* et tenent Doctores communiter. (2. Secundo, excusantur qui Clericum percutiunt ad sui defensionem vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ; c. *Ex tenore* 10. hoc tit. et cap. *Significasti, de Homicid. voluntar.* lib. 5. tit. 12. ubi expresse habetur « Quamvis vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittant, tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. » (3. Tertio excusantur, qui fortuito, et subitanea ira, vel passione sine sufficienti deliberatione Clericum lædunt, ut colligitur ex c. *Si vero* 3. *de Sent. Excomm.* et tenent. expresse Glossa. ibid. verb. *Fortuito,* ubi dicit : « Tunc enim non imputatur, quia casus fortuiti prævideri non possunt. » (4. Quarto excusantur Clerici se ad invicem percutientes ex mero joco, et levitate, et non ex odio, invidia, aut indignatione, quia ut expresse habetur cap. *Super* 1. *de Sent. Excomm.*, « non potest in ipsis injectio violenta notari. »

(5. Quinto, excusantur percutientes Clericum vel Monachum inventum turpia agentem cum Matre propria, filia, sorore, et uxore, ut habetur expresse in cap. *Si vero* 3. *de Sent. Excomm.* Non excusantur autem, si occidant, vel percutiant non statim ac in crimine deprehenduntur, sed post tantum temporis spatium, quo justus dolor sedari potuit, tunc enim non amplius licet ; sicut nec excusantur, si data opera in loco occulto Clericum, aut Monachum expectant, ut possint in crimine repertum occidere, nec si peccantem cum aliis consanguineis inveniant, ut definitur cap. *Si vero* 3. § *Ceterum, de Sent. excomm.*

(6. Sexto, Mulieres percutientes Clericum, vel Monachum pudicitiam suam facto tentantes ; cap. *Si vero* 3. et cap. *Ex tenore* 10. *de Sent Excommun.* Non excusantur autem si a Clericis solis verbis aggrediantur ; tunc enim debent solis verbis repelli, nisi Clerici taliter essent molesti, ut mulieres se aliter liberare non possent, quam utendo fuste, verbere, pugnis etc. ut advertunt communiter Canonistæ in cit. cap. *Si vero ;* et cap. *Ex tenore.*

(7. Septimo, excusantur percutientes Clericum privilegiis clericalibus a suo Episcopo privatum, vel publice exercentem Macellum, vel munus Tabernarii, vel artem mechanicam post trinam Episcopi monitionem ; cap. unico, *de Vita et honest. Cleric.* Clement. 1. eod. titulo.

(8. Octavo, excusantur Officiales Laici percutientes Clericum involuntarie, et casualiter arcendo turbam, et omnes, qui ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, repellunt turbantes divina officia ; cap. *Venientes.* 16. et c. *Cum voluntate* 54. *de Sent. Excomm.*

(9. Nono, excusantur Clericum percutientes correctionis causa, ut Magistri, seu Præcepto-

Digitized by Google

res, qui correctionis causa moderate castigant discipulos Clericos; c. 1. c. *Ex tenore* 10. et cap. *Cum voluntate* 54. *de Sent. excomm.* Item parentes, et Propinqui, qui disciplinæ gratia filium, propinquum moderate, seu leviter percutiunt; c. *Cum voluntate* 30. *de Sent. excomm.* (10. Circa hos tamen est advertendum, quod si Magistri, Patres, et Propinqui sint Laici, habeant solum jus corrigendi, et puniendi Clericos in minoribus constitutos, non autem in Sacris, et majoribus Ordinibus, sicut expresse, et clare definitur in d. cap. *Cum voluntate*, per præcisa verba: « Si quis vero ratione Officii, quod in Ecclesia obtinet, vel etiam alii Clerici Seniores zelo devotionis pueros, vel adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos turbantes Divinum Officium, et qui obtentu prælationis, vel magisterii subditos, vel scholares correctionis causa leviter forsan percusserint, Excommunicationis sententiam non incurrunt, quod de his dicendum est, qui aliquos de Familia sua, vel propinquos inferiorum ordinum simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis, et scientia, bonisque moribus informent, duxerint corripiendos. » Et ratio est, quia nimis indecorum esset statui Clericali, et plurimum vilesceret Clericalis reverentia si laicis potestas corrigendi per verbera in Clericos in sacris constitutos concederetur, hæc enim est communior, quidquid dicant aliqui in contrarium ratione patriæ potestatis.

(11. Decimo excusantur præ ceteris Prælati Ecclesiastici, si correctionis causa Clericos, vel Monachos sibi subditos nedum in minoribus, sed etiam in majoribus Ordinibus constitutos juxta gravitatem culpæ castigaverint, dummodo id faciant per se, vel per alium Clericum, vel Monachum; dict. cap. *Ex tenore* et cap. *Cum voluntate*. (12. Si autem per Laicum fecerint, tam Prælatus mandans, quam Laicus mandatum exequens, Excommunicationem incurrit; cap. *Universitatis* 24. *de Sent. excommun.* (13. In casu vero, quod necessitas urgeat, et Clericus, vel Monachus aliter quam per Laicos a facinore compesci, et capi non possit, aut consuetudo sit, ut Ecclesiastici per Laicos ligentur, incarcerentur, imo et torqueantur, tunc Prælati poterunt uti ministerio Laicorum ad ipsos sic puniendos, et a facinoribus compescendos absque incursu Excommunicationis; c. *Ut famæ* 35, vers. *Laici*, *de Sent. Excomm.*

(14. Non excusantur autem, sed *Canonis* Excommunicationem incurrunt, Primo nedum manus violentas in Clericum, vel Monachum, suadente diabolo injicientes, sed etiam id mandantes, dummodo effectus sequatur; cap. *Mulieres* 6. *de Sent. Excomm.* expressis his verbis: « Illi vero qui non per seipsos, sed eorum auctoritate, et mandato alii violentas injiciunt manus in Clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi; cum is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. » (15. Et mandans hanc incurrit Excommunicationem, licet de mandato pœniteat, antequam suum mandatum fuerit effectuatum, nisi mandatum revocaverit, et de revocatione ante exequutionem mandati mandatarium serio monuerit. (16. Sicuti eam incurrit projiciens e tecto lapidem cum deliberatione occidendi Clericum, quamvis statim post jactum pœniteat, atque si posset, revocaret, quia quantum est ex parte sua operis prohibiti jam malitiam complevit; colligitur ex c. *Ad audiendam*, *de Homicidio*, et tenent Avila part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 7. conclus. 2. Ægid. disp. 12. dub. 15. numer. 163. Confectius *Summ. privileg.* tit. 14. can. 1. Layman. *de Excomm.* lib. 1. tract. 1. p. 3. cap. 5. num. 7. et alii passim.

(17. Secundo non excusantur illi, qui licet non mandent violentam manuum injectionem in Clericum, vel Monachum, suo tamen nomine, gratia, vel intuitu factam signo aliquo externo ratihabent, ut expresse habetur cap. *Cum quis* 23. hoc tit. in 6. his verbis: « Cum quis absque tuo mandatc manus injicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a Canone incunctanter incurris. » (18. Non autem eam incurrunt si ratihabeant talem violentiam factam, non suo, sed solum alterius nomine, ut aperte declarat idem textus: « Si vero injectio eodem tuo nomine non fuit facta, tunc licet pecces ratihabendo eamdem, non tamen propterea Excommunicationis ullius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum. »

(19. Tertio non excusantur, qui Clericum vel Monachum etiam absque ulla læsione corporali recludunt, vel detinent in carceribus publicis, vel privatis; vel in aliqua domo, vel alio in loco injuriose, et violenter retinent, ne exire possint; et quo voluerint, libere progredi nequant, cap. *Nuper* 29. *de Sentent. Excomm.*

(20. Quarto non excusantur consulentes, auxilium ferentes, consentientes, sociantes, cap. *Quantæ* 47. *de Sent. excomm.* et Clementin. 1. *de Pœnis*, ubi explicite inter reos hujus canonis enumeratur, « qui injuriose, vel temere percusserit, aut banniverit, vel hæc mandaverit fieri, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit, vel favorem, » etc. Et de sociantibus homicidam etiam sine manuum injectione clarissime habetur cap. *Sicut* 1. *de Homicid. voluntar.* lib. 5. tit. 12. his verbis: « Illi autem, qui animo occidendi, ferendi, aut capiendi illum sanctum, ac Reverendum virum quondam Cantuar. Archiepiscop. citra manuum injectionem se fatentur venisse, si de illa captione mens ejus sequuta fuisset, pari pœnitentia, vel foro pari existerent puniendi. »

(21. Quinto non excusantur omnes illi, qui ex officio, vel alio titulo tenentur, et possunt sine suo gravi incommodo hanc violentam manuum injectionem impedire, et non impediunt, sicque tacite consentiunt, et permittunt, uti Superiores omnes sive Ecclesiastici, sive sæculares potentes impedire suos subditos ab his violentiis, et non impedientes; Parentes non impedientes filios, et Domini, et Officiales non

Digitized by Google

avertentes servos, et milites cum possint; c. *Quantæ* 47. *de Sent. Excomm.* ibi : « Non autem solos violentiæ hujusmodi Auctores præsumptio aliquorum existimet puniendos, sed facientes, et consentientes pari pœna plectendos catholica condemnat auctoritas. Eos delinquentibus, favere interpretamur, qui, cum possunt, manifesto facinori desinunt obviare, » et Glossa hic verb. *Quidam*, clare innuit, « quod, qui auctoritatem habet ex Officio, et non prohibet, si potest, est vere excommunicatus. »

(22. Sexto non excusantur percutientes Clericum etiam in sui percussionem consentientem; quia licet talis percussio non sit violenta respectu Clerici voluntarie percusai, est tamen violenta, et injuriosa respectu status Clericalis. Canon enim iste non tam pronunciatus est in favorem Clerici, quam in favorem status Clericalis; cap. *Conting. de Sentent. Excommun.* ubi etiam præcipitur excommunicari Clericus permittens, se percuti. « Si quis autem Clericus post prohibitionem hujusmodi, sponte se subjecerit, excommunicetur. » (23. Immo per Sperell. decis. 45. numer. 71. Barbosam, et alios triginta gravissimos Auctores, Clericus incurrit hanc Excommunicationem se ipsum percutiendo, si hoc faciat ex malitia, et passione, animo irato, et non ex fervore devotionis, quia injuriam facit ordini Clericali, pro cujus decore, et indemnitate potissimum promulgatus est Canon, *Si quis suadente*.

(24. Septimo non excusantur, qui venenum Clerico, vel Monacho propinant; maxima enim offensio, et violentia resultat ex propinatione veneni, cujus ministerio, et instrumento propinans personam Clerici, vel Monachi violenter tangit, cum venena de se apta sint mortem inferre. (25. Immo hæc Excommunicatio incurritur statim ab initio propinati veneni, quia venenum calefactum in stomachum statim incipit agere, et quamvis forte non sequatur mors, hoc est præter intentionem propinantis, et per se non stetit, per venenum enim est violentia illata personæ sumenti, quæ per illud incipit violenter disponi ad mortem. Sperell. decis. 29. num. 21. Claudius la Croix, Beja, Matthæucci, et alii passim cum Lezana t. 3. verb. *Clericus*, num. 7.

(26. Octavo non excusantur percutientes Petrum Clericum, credentes illum non esse Petrum, sed Paulum similiter Clericum et ratio est, quia tam intentio, quam opus externum est injuriosum statui Clericali, propter cujus reverentiam imposita est Excommunicatio. Nec ulla ignorantia excusat in hoc casu, cum percutiens habeat intentionem percutiendi Clericum, et reipsa percutiat ipsum Clericum, licet credat esse alium Clericum; colligitur ex cap. *Si vero* 2. numer. 4. *de Sentent. Excommunic.*

(27. Nono non excusantur percutientes Clericum, vel Monachum etiam mortuum, vel male tractantes ejus cadaver; privilegium enim hoc etiam in Clerico mortuo perseverat, et qui ipsum offendit, est adhuc injuriosus statui Clericali; sic tenent Pignatelli tom. 6. cons. 5. num. 3. Sperell. decis. 21. num 25. Engel tit. 33, § 1. num 5. et alii passim cum Felino in cap. *A nobis* 2. n. 4. *de Sent. excomm.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(28. Quæri hic solet; an percutiens Clericum in defensionem Tertii, incurrat necne excommunicationem, de qua disseritur (29. Negatur, propterea quod defensio Innocentis, respectu cujuscumque Aggressoris sit maxime naturalis, et suo modo debita, vel saltem licita; Cap. *Dilecto, de Sentent. excomm.* ut nulla ex eo actu debeat resultare pœna, dummodo non cesset vera et justa ratio defensionis; Zoes. in *Decretal.* lib. 5, tit. 39, n. 36. Suarez *de Censur.* disp. 22. sect. 1, n. 39.

(30. Quod dicitur in cap. 3, *de Sentent. Excommunic.* percutientem scilicet Clericum turpia agentem cum matre, filia, et uxore, non incurrere excommunicationem, id intelligendum tam de copula quam de aliis actibus turpibus; Suarez *de Censur.* disput. 27, sect. 1, num. 37. (31. Nomine uxoris venit etiam sponsa de præsenti, non item de futuro. (32. Sed an nomine Matris veniat Avia, tum an nomine filiæ veniat Neptis, non conveniunt Doctores. Negat idem Auctor, citato loco, num. 36.

(33. Percutientes Clericos privatos privilegiis Clericalibus a suo Episcopo non incurrere excommunicationem, recte ait Auctor num. 7. (34. Clerici autem privati privilegiis Clericalibus sunt degradati, non item depositi, nisi post depositionem sequatur incorrigibilitas. (35. Sed an requiratur Judicis declaratio; affirmat Zoes. in *Decretal.* lib. 5, tit. 39, num. 43. qui tamen alios tradit casus, in quibus sola incorrigibilitas post trinam monitionem privat privilegio Clericali.

(36. Quod ait Auctor num. 23 Clericum seipsum percutientem incurrere excommunicationem, intellige cum Zoesio in *Decretal.* dict. lib. 5, tit. 39, num. 66. « Quatenus percussio inducit gravem læsionem in proprio corpore, ut ei conveniat ratio Canonis, quia læditur favor publicus status Clericalis. » (37. Clericum vero consentientem sui percussioni non incurrere excommunicationem patet ex cap. 36, *de Sentent. Excommunic.* in quo habetur, consentientem excommunicandum, quod est argumento non incurrisse excommunicationem.

ARTICULUS XII.

Quinam ab excommunicatione canonis possint absolvere, vel non?

(1. Ad faciliorem hujus tituli intelligentiam prænotandum est, quod percussio, seu violenta manuum injectio in Clericum dividitur in levem, mediocrem, et enormem; cap. *Pervenit, de sentent. excomm.* (2. Levis est, quæ fit sine relictione maculæ, seu signi percussionis in corpore, ut quæ fit manu, pede, digito, baculo, lapide nullam maculam externam, seu contusionem relinquente. (3. Mediocris est, quæ fit cum relictione maculæ, seu signi in corpore sine mutilatione,

Digitized by Google

aut lethali vulnere, ut quæ fit cum dentium, aut magna capillorum evulsione, cum carnis suppellatione, cum magna sanguinis effusione, cum vultus fœdatione, vestium effractione, et similibus. (4. Enormis est, quæ fit cum vulneratione, mutilatione, aut magna sanguinis effusione, non a naribus, sed a magno vulnere proveniente; cap. *Cum illorum* 32, *de Sent. excomm.* § *Qui si claustrales.* (5. Et percussio, seu injuria de se non gravis et enormis, potest esse enormis ratione qualitatis personæ offensæ, et loci, in quo offenditur; ratione Personæ est enormis, cum percutitur licet leviter Episcopus, Abbas, a subdito suus Superior, a Filio suus Pater, a discipulo suus Magister, ex cit. capit. *Cum illorum*, et Fagnan. ibi n. 21. (6. Ratione loci fit enormis cum fit publice, v. g. in Theatro, in Foro, in conspectu Superioris, Judicis, in Ecclesia, et cœmeterio, ex cap. *Qui sævis* 17, quæst. 4, et ex Fagnan. loc. cit. n. 23. His prænotatis, resolves.

(7. In Articulo mortis, et in absentia Superioris, ad quem de jure spectat absolutio, quilibet Sacerdos potest absolvere ab hac excommunicatione, etiam per percussionem enormem contracta, sicuti a qualibet alia, cum onere, ut elapso periculo absolutus compareat coram Superiore ad exequendum quod ille præscripserit; cap. *Eos qui, de Sent. excomm.* in 6, et cap. *Excommunicamus, de Sent. Excomm.* inter extravag. commun. § *Decrevimus.* (8. Et signanter dicitur « in absentia Superioris, ad quem de jure spectat absolutio, » quia certum est ex mox laudatis cap. *Eos qui*, etc. et cap. *Excommunicamus*, etc. a censura Excommunicationis reservatæ neminem in mortis articulo absolvi posse, si facilis sit recursus ad Superiorem, ad quem absolutio de jure spectat; ibi enim § *Decernimus* sic clare statuitur: « Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens Excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum, absque speciali mandato nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus. »

(9. Extra articulum mortis possunt ab Excommunicatione canonis etiam per percussionem mediocrem, et enormem contracta absolvere Legati a latere, quia licet hæc Excommunicatio in Canone, *Si quis suadente diabolo*, sit specialiter reservata Romano Pontifici, ex declaratione tamen ejusdem extensa intelligitur facultas absolvendi Legatis a latere, quibus constat hanc absolvendi facultatem competere ex Officio Legationis, ex cap. *Ad eminentiam, de Sent. excomm.* (10. Et isti Legati a latere possunt absolvere omnes undecumque advenientes (11. Legati autem missi, sive Nuncii Apostolici possunt solum absolvere eos, qui sunt in Provincia suæ Legationis, expresse colligitur ex textu in cap. penult. *de Offic. Legati.*

(12. Extra mortis articulum possunt Episcopi absolvere ab hac Excommunicatione contracta ob percussionem levem etiam publicam; cap. *Pervenit* 17 *de Sentent. Excomm.* (13. A contracta vero ob percussionem mediocrem, et enormem possunt absolvere tantummodo, si sit occulta, ex Tridentino sess. 24 *de Reformat.* cap. 6. ubi expresse habetur: « Liceat Episcopis... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in Foro conscientiæ gratis absolvere imposita pœnitentia salutari. » Et si fuerit publica, possunt ab ea absolvere, si personæ Excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis; cap. *Mulieres* 6. cap. *De cetero* 11. cap. *Ea noscitur* 13. cap. *de Monialibus* 33. et cap. *Quamvis* 58 *de Sentent. Excommunicat.* (14. Si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine onere comparendi; si impedimentum est solum temporale, absolvuntur cum onere comparendi cum primum commode poterunt, alias reincidunt in aliam similem Excommunicationem; ex cap. *Eos qui, de Sentent. Excommunicat.* in 6, et cap. *De cætero*, 11, tit. 39, *de Sent. Excomm.* Quinam autem censeantur impediti adire Romam, vid. verb. *Absolutio* art. 1. num. 6. 7. 8, etc.

(15. Prælati Regulares (pro quibus in hoc non veniunt Superiores locales Conventuum, ex decreto Visitationis Apostolicæ 13 Martii 1601.) possunt suos subditos, et Novitios absolvere ab Excommunicatione contracta, nedum ob percussionem levem, et mediocrem, ex cap. *Monachi;* cap. *Illorum* § *Si Claustrales*, et cap. *Canonica de Sentent. Excomm.* sed etiam ab Excommunicatione contracta ob percussionem enormem ex Bullis Clementis IV. incip. *Virtute conspicuos*, Sixti IV. incip. *Regimini*, Julii II. incip. *Exponi Nobis fecisti*, et Pauli III. incip. *Licet Debitum;* inter enim excessus enormes in istis Constitutionibus exceptos, pro quorum absolutione sit a Regularibus Sedes Apostolica adeunda, non reperitur percussio enormis, et casus excepti per omnes firmant regulam in contrarium et in non exceptis, neque constat de expressa, et specifica Sanctæ Sedi reservatione absolutionis a percussione etiam enormi, qua se Regulares offendunt. (16. Tum quia Clemens VIII, in suo Decreto edito 26 Maii 1593, pro limitatione casuum reservabilium a Prælatis Regularibus, statuit posse ab ipsis inter alios sibi reservare « occisionem, aut vulnerationem, seu gravem percussionem cujuscumque personæ, » sed per hanc concessionem Pontifex supponit in Prælatis Regularibus veram facultatem absolvendi suos subditos a tali enormi, et gravi percussione, cum certe constet nullum Prælatum posse sibi reservare censuram, a qua non possit ipse absolvere, alias superflua esset, et frustranea Pontificis dispositio. 17. Et hoc evidentius ostenditur per ea, quæ Urbanus VIII, confirmans ipsum Decretum Clementis in decreto de expresso ejus mandato edito a Congreg. Conc. die 21 Septembris 1624. subjungit: « Sanctitas Sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare nolue-

Digitized by Google

rit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere; » sed Pontifex per hæc verba *facultatem petentibus Superior dare noluerit*, manifeste, et evidentissime supponit, Prælatos Regulares, per se ipsos, vel alios, quibus id commiserint, posse proprios subditos ab omnibus illis casibus absolvere, ergo certissime constat posse prælatos Regulares suos subditos per se, vel per alios absolvere percussione etiam gravi, et enormi. Sic firmiter tenent Donatus tom. 1. part. 1. tract. 13. quæst. 17. et tom. 2. tract. 11. quæst. 17. et 18. Anaclet. lib. 5. *Decret.* tit. 39. *de Sent. Excomm.* num. 255. Felix Potest. tom. 1. part. 4. num. 3578. Lezana tom. 1. cap. 18. num. 3. Tamburin. *de Jure Abbat.* tom. 2. disp. 14. quæst. 10. num. 6. Hasbensis, Rodriquez, Laiman. Sorbo, Matthæucci, Engel. et alii plurimi. Vide tamen verb. *Prælatus Regularis* num. 31.

(18. Regularis percutiens Religiosum alterius Ordinis debet absolvi ab ambobus eorum Prælatis; ex cap. *Cum illorum*, vers. *Si vero Claustralis* 23. *de Sentent. Excomm.* ubi expresse habetur : « Si vero Claustralis aliquis in Religiosam personam alterius Claustri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, et ejus, qui passus est injuriam, absolvatur, » quod ex Molina *de Jure et justitia*, tract. 3. disp. 60. n. 5. et Engel. lib. 5. tit. 29. *de Sent. Excomm.* sic debet intelligi, ut absolutio, et executio pœnæ fiat per Prælatum Religiosi percutientis, tamquam per Judicem Ordinarium, cum consensu tamen, et præscientia Prælati Religiosi offensi tamquam Actoris super injuria sui Religiosi, nisi Prælatus Religiosi offensi totum hoc negotium remiserit Prælato Religiosi offendentis. (19. Et si Religiosi illi adinvicem, et mutuo se percusserint, poterit quilibet Superior suum subditum absolvere, quia tunc injuria compensatur; sic Felix Marius pag. 628. num. 9. (20. Regularis percutiens Clericum sæcularem potest absolvi a proprio Superiore Regulari de licentia Episcopi Diœcesani, vel ab ipso Episcopo; ex cap. *Religiosi* 21. *de Sentent. Excomm.* in 6. vel a Sede Apostolica ex Stylo Curiæ cap. *Cum illorum* 32. *de Sentent. Excomm.* Vide infra n. 24.

(21. Moniales exemptæ, se invicem etiam graviter, et enormiter percutientes possunt absolvi a suis Prælatis Regularibus, vel ab aliis ab ipsis deputatis, quia privilegia Regularibus concessa, eorum Monialibus communicantur, ut expresse concedit Sixtus IV. in Bulla aurea Monialibus Prædicatorum, et Minorum, et signanter pro Monialibus S. Claræ concedit Leo X. Constit. *Cum sicut*, Gregorius XIII Constit. *Ex benignæ Sedis*, et Pius V. Constit. *Et si Mendicantium*, in quibus confirmant privilegia Fratrum Minorum de Observantia, et Monialium S. Claræ, et Tertii Ordinis S. P. Francisci, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis Ordinibus. (22. Moniales vero subjectæ Ordinariis se invicem, vel Clericos, percutientes absolvuntur ab Episcopo, etiamsi percussio sit gravis, et enormis; cap. *de Monialibus* 33, *de Sentent. Excomm.* (23. Regulares intra Italiam, et extra Urbem possunt absolvere sæculares a percussione levi, si ab Episcopo habeant facultatem absolvendi a casibus ipsi reservatis; non enim possunt sola sua facultate propria, cum per decretum jussu Clementis VIII. editum 26 Novembris 1602. sit absolute reservata privative ad ipsos violenta manuum injectio in Clericos juxta Canonem; *Si quis suadente diabolo* 17. quæst. 4.

Ad superius dicta in hoc ultimo art. num. 20. addendum est, quod Abbas, seu Superior Regularis non potest absolvere Monachos sibi subjectos a percussione Clerici Sæcularis, ut expresse respondit *Sacr. Congreg. Concil. in Mediolanen. Censurarum* 2 Decemb. 1719. ad 5. dubium, in qua causa cum alia ad rem facientia proposita et resoluta fuerint, hic pro uberiori notitia ad literam subnectuntur, prout referuntur in Thesauro Resolutionem S. C. C. tom. 1. in dicta Mediolanensi Censurarum, ibi : In oppido Civitatis Mediolanensis Diœcesis Cœnobium extat Monachorum Montis Oliveti, cujus Abbatia commendata est Eminentissimo Cardinali Odescalco Archiepiscopo. Penes Abbatem Commendatarium stare dicitur cura habitualis; Ecclesia etiam Cœnobii est Parochialis, et cura actualis exercetur a perpetuo Vicario. Inter Monachos, et Vicarium jurgia, et contentiones sæpius exortæ sunt. Cum autem die 26 Mensis Januarii anni præteriti 1718. Livius Bazzana Vicarii munere fungens percussus fuerit a duobus Monachis, ab Antonio videlicet Petragrossa Sacerdote, et ab Alexandro Fumagallo Laico Converso, nonnulla Acta in Curia Archiepiscopali gesta fuerunt, de quorum validitate in præsenti est disputandum, uti desumitur ex primo dubio mox referendo, et ex cæteris inter partes concordatis; cumque hinc inde Scripturæ distribuantur, dignabuntur EE. VV. decernere :

I. An Acta hactenus facta per Curiam Archiepiscopalem Mediolanen. contra Rev. Patrem Antonium Petragrossa, et Fr. Alexandrum Monachos sustineantur, in casu, etc.

II. An liceat eidem Curiæ Archiepiscopali declarare, vel saltem denunciare excommunicatos in vim Canon. *Si quis suadente*, dictos Monachos, in casu, etc. et quatenus negative.

III. An constet de sufficienti punitione facta per dictum Abbatem Regularem, in casu, etc., et quatenus negative.

IV. An, quomodo, et quibus pœnis sit procedendum contra dictos Monachos, in casu, etc.

V. An licuerit eidem Abbati Regulari absolvere prædictos Monachos a Censuris, si quas incurrerint, in vim dicti Canon. *Si quis suadente*, in casu, etc.

Eadem Sacr. Congregat. Concil. in dict. Mediolan. Censurarum die 2 Decembris 1719. Respondit.

Ad primum *Affirmative*, excepto Monitori

Digitized by Google

expedito die 14 Februarii 1718. nec non excepta citatione expedita die secunda Junii ejusdem anni. Ad secundum licet (renovata tamen citatione juxta instructionem) *declarare Fratrem Alexandrum, nec non P. Antonium; quatenus delictum habeatur pro notorio, et quatenus habeatur tantum pro publico, licere denunciare*, id est præcipiendo suis Parochis et Subditis universis, ne eos admittant intra Ecclesias sibi subjectas, et non conversentur cum eisdem. Ad tertium *negative*. Ad quartum *detrudendos nomine Sacræ Congregationis in Carcerem formalem, et per Abbatem certioretur Eminentissimus Episcopus de pœna delinquentibus imposita*. Ad quintum *negative*.

De materia hujus articuli, consule, si libet, Zoe. in *Decretal.* lib. 5, tit. 39. n. 165.

EXECUTOR LITTERARUM APOSTOLICARUM.

SUMMARIUM.

1. Executor alius est merus, alius mixtus, et quis sit uterque? — 2. Quando in Rescriptis additur *Vocato Titio*, tunc executor est mixtus. — 3. Sic efficitur mixtus per Clausulam *Amoto*. — 4. Et per Clausulam *Constito*. — 5. Vel per alteram dummodo verificato Jurepatronatus. — 6. Et per Clausulam Vocatis vocandis, vel accedente consensu. — 7. Item per Clausulam dummodo non sit alteri jus quæsitum. — 8. Executor Apostolicus debet in primis requirere justificationem Litterarum Apostolicarum. — 9. Non potest procedere ante illarum præsentationem. — 10. Executor Litterarum Apostolicarum procedere potest absque illarum exhibitione in Cancellaria Episcopali. — 11. Executionem Litterarum Apostolicarum impedire non possunt Ordinarii ex Decreto Concilii Tridentini. — 12. Ordinarius nec cumulative cum Executore deputato Litteras Apostolicas exequi potest. — 13. Dispensationum Matrimonialium commissiones, si extra Curiam fiant, locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus solent demandari. — 14. Vicariis Prælatorum inferiorum jurisdictionem quasi Episcopalem habentium non committuntur. — 15. Excipitur tamen Vicarius Abbatis Montis Cassinen. — 16. Ad illos solos Prælatos sunt dirigendæ, qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, et sunt nullius Diœcesis. — 17. Brevia directa constitutis in Dignitate possunt expediri per Canonicos. — 18. Matrimoniales tamen dispensationes Canonicis Cathedralis non committuntur. — 19. Immo nec Sede Episcopali vacante hujusmodi dispensationes committuntur Vicario Capitulari, sed Episcopo viciniori, seu ejus Vicario Generali. — 20. Nec etiam Vicarius Capitularis, Sede vacante, potest exequi Litteras Apostolicas in forma *dignum*, et Episcopo defuncto directas. — 21. Potest tamen Vicarius Capitularis executioni demandare Litteras directas Episcopo per Sacram Congregationem, et ab illo non executas. — 22. Item Vicarius Capitularis potest exequi omne id, quod Episcopo mortuo per Bullam, seu Breve in causis jurisdictionem importantibus erat concessum. — 23. Item Vicarius Capitularis potest perinde ac Vicarius Episcopi esse Executor Gratiarum, et Litterarum Apostolicarum tamquam in Dignitate constitutus. — 24. Deputato, seu delegato Vicario, non potest exequi Episcopus, nec e contra. — 25. Et si aliquo casu facta esset commissio Episcopo, vel ejus Vicario, tunc facta præsentatione uni, non posset alter se intromittere. — 26. Si Vicarius delegatus mortuus sit, vel ab officio remotus, debebunt Litteræ per successorem in Vicariatu executioni demandari. — 27. Quando Papa in Commissione non exprimit nomen Vicarii, respicit Tribunal, et non Personam. — 28. Si vero in Litteris expressum sit nomen Vicarii, et Tribunal, tunc si primo loco appositum sit nomen proprium, ut dicatur *Dilecto Filio Paulo Vicario*, etc. tunc censetur commissio personalis, et non transit ad successorem, sed quamvis etiam desineret esse Vicarius, adhuc tamen remanebit delegatus. — 29. Si vero commissio facta sit Dignitati non expresse nomine Vicarii, tunc quia hujusmodi dignitas est perpetua in Ecclesia, transibit ad Successorem. — 30. Vicarius Episcopi adhuc non consecrati, sed solum confirmati potest dispensationes exequi. — 31. Vicarius, si fiat Episcopus illius Diœcesis, non poterit exequi dispensationem sibi commissam, sed ejus in Vicariatu successor. — 32. Vicarius potest exequi Litteras, quamvis Episcopus esset aliqua causa excommunicatus vel suspensus. — 33. Executor quicunque sit, debet ad unguem servare formam præscriptam in Litteris quarum vigore procedit. — 34. — Executor pro executione nihil prorsus potest accipere etiam sponte oblatum. — 35. Talis prohibitio est intelligenda etiam de esculentis, et poculentis, quæ paucis diebus consumi possunt. — 36. Neque sub prætextu laboris, neque ratione sigilli, papyri, expeditionis, et taxæ Delegatus aliquid accipere potest. — 37. Potest tamen Notarius aliquid accipere, nempe quartam partem aurei pro examinandis testibus, et sumendis cæteris informationibus. — 38. Immo post executionem factam etiam ipse Executor potest aliquid gratis oblatum accipere, minime vero aliquid prætendere. — 39. Executor dispensationis Apostolicæ pro Foro interno super impedimentis Matrimonii occultis potest esse Magister in Theologia, vel Doctor Decretorum, seu Juris Canonici. — 40. Præfatas litteras exequi nequeunt Lectores, et Professores Regulares, nisi in publica aliqua Universitate, vel Academia realiter, et formaliter sint insigniti Laurea Magisterii, vel Doctoratus, aut id eis competat ex speciali privilegio Apostolico. — 41. Tale privilegium est concessum Jubilatis Ordinis Minorum de Observantia. — 42. Tale privilegium est concessum Confessariis Societatis Jesu a Præposito Generali, vel de ejus licentia ab aliis Societatis Superioribus ad id specialiter designatis, etiamsi Magistri Sacræ Theologiæ, vel Sacrorum Canonum non existant. — 43. Idem possunt ex communicatione cum privilegiis Societatis alii Mendicantes. — 44. In casu, quo Sacra Pœnitentiaria commissionem, et inscriptionem ita faciat: *Discreto Viro Confessori ex approbatis ab Ordinario*, tunc poterit quivis approbatus ab Ordinario, vel alius per dictas Litteras specialiter Deputatus illas exequi, licet non sit Magister in Theologia, nec Doctor Sacrorum Canonum. — 45. Executor debet esse approbatus ab Ordinario loci, in quo Litteras exequitur. — 46. Et debet esse a Pœnitente specialiter electus. — 47. Si unus Confessarius a pœnitente electus exequi recuset, vel ob nimium rigorem pœnitenti displiceat, potest pœnitens alium eligere. — 48. Executor ad executionem non debet adhibere Testes. — 49. Debet autem Litteras lacerare, et nullatenus potest eas Oratori, seu Latori restituere. — 50. Alia de Executoribus *remissive*. — 51. Episcopus, qui ob tenuitatem redituum etiam de consensu Sac. Congr. Episcop. non retinet Vicarium, nequit exequi Litteras Apostolicas Vicario Generali directas. — 52 ad 56. Executor litterarum Apostolicarum non potest subdelegare. — 57 ad 60. De Auditore Cameræ uti est executor omnium Litterarum Apostolicarum. — 61 ad 62. De mutatione Executoris Litterarum Apostolicarum. — 63. Executor Litterarum Apostolicarum potest procedere absque earum exhibitione.

Digitized by Google

(1. Executor, alius est merus, et alius mixtus. Executor merus est qui post negotium jam plene discussum deputatur, ita ut nihil illi restet, nisi actualis executio; leg. *Executorem* 8, Cod. *de Execut. rei Judic.* et leg. *Sicut proponit.* 6, Cod. eod. Unde mero Executori committitur nudum, seu merum exercitium executionis absque exercitio jurisdictionis, uti communiter fit in litteris gratiosis Papæ; si tamen adsit legitimus contradictor, et possessor in beneficio, tunc ex mero efficitur mixtus. Executor mixtus est ille, qui simul partes Judicis assumit, ut si Papa ei committat in forma dignum, tunc enim examinare debet narrata, etc. ubi e contra Executor merus non cognoscit de subreptione, sed hanc advertens nude cessat ab Executione. Rosa *de Executione litter. Apostolicar.* par. 1, c. 6, a n. 1, et communis aliorum. (2. Quando in rescriptis additur *Vocato Titio*, tunc executor est mixtus, præsertim quando Papa ipse non facit gratiam, sed committit faciendam. Rota loc. cit. cap. 8, num. 1, et alii passim. (3. Sic efficitur executor mixtus per clausulam *Amoto;* Rota, part. 2, decis. 159, n. 3, part. 3, decis. 451, n, 3, p. 16, decis. 107, n. 6, part. 18, tit. 2, decis. 420, num. 17. Card. de Luca, *de Benefic.* decis. 73, n. 24, *de Jurepatronat.* disc. 51, sub num. 6. (4. Et per clausulam *Constito;* Rota, part. 5, tom. 1, decis. 65, num. 7 et 8 Card. de Luca, *de Benefic.* disc. 72, num. 6, disc. 73, num. 24. (5. Vel per alteram *dummodo verificato jure patronatus.* Rota, par. 18, tom. 2, decis. 410, num. 2. Card. de Luca, *de Jurepatronat.* disc. 51, sub num. 6. (6. Et per clausulam *vocatis vocandis, vel accedente consensu;* Rota, part. 1, decis. 215, num. 3, part. 2, decis. 525, num. 7, part. 16, decis. 222, num. 6. Card. de Luca, *de Benefic.* disc. 48, num. 4, disc. 72, num. 6, disc. 73, n. 24, *de Jurepatronat.* disc. 41, sub n. 6, *de Alienat.* disc. 13, num. 5. (7. Item efficitur Executor mixtus per clausulam *dummodo non sit alteri jus quæsitum;* Rota, part. 4, tom. 1, dec. 451, n. 17.

(8. Executor Apostolicus debet in primis requirere justificationem Litterarum Apostolicarum; Rota, part. 3, recent. decis. 129, num. 5. Non enim eas exequi debet absque earum justificatione; Rota, part. 7, dec. 147, n. 5. (9. Nec potest procedere ante illarum præsentationem; Rota, p. 1, dec. 166, num. 11. Secus injuste procederet; Rota, p. 3, dec. 129, n. 5, p. 11, dec. 369, num. 14. (10. Executor Litterarum Apostolicarum procedere potest absque illarum exhibitione in Cancellaria Episcopali; Sacra Congreg. Concilii in Turritana, 15 Novemb. 1704. ibi: « II. An Executores deputati in Litteris Apostolicis procedere valeant absque illarum exhibitione in Cancellaria Archiepiscopali, et quatenus negative? III. An Archiepiscopus procedere possit in casu contraventionis? IV. An rescripta Apostolica emanata contra Archiepiscopum, ejusque Officiales certis Executoribus directa sint exhibenda in ejus Cancellaria? » Sacra Congr. respondit ad 2 *affirmative*, ad 3 et 4 *negative*, l. 51, *Decret.* pag. 415. (11. Executionem Litterarum Apostolicarum impedire non possunt Ordinarii ex Decreto Concilii Trid.; Gregor. enim XIII, Constitut. incipient. *Ad Romani*, expresse declaravit, quod ex Litterarum Apostolicarum executione eidem Conciliari decreto nullimode contravenitur; quapropter nemo deinceps auderet sub hujusmodi cavillationis prætextu earumdem liberam executionem impedire, sive Executores molestare; Card. Petra, tom. 4. *Commentar. in Constit.* 2 *Martini V*, num. 9. (12. Ordinarius nec cumulative cum Executore deputato Litteras Apostolicas exequi potest; Felin. cap. fin. n. 38, *de Præsumpt.* aliique adducti a Rota in dec. 508, num. 2, cum seq. coram Pamphil. et decis. 209, n. 4, coram Buratt. Cardin. Petra, loc. cit. num 10.

(13. Dispensationum matrimonialium commissiones, si extra Curiam fiant, locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus solent demandari; sic praxis quotidiana, et est ad tenorem Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 5, *de Reformation.* et Rota, coram Merlino dec. 693, n. 2. (14. Vicariis autem Prælatorum jurisdictionem quasi Episcopalem habentium, non committuntur, cum hi Vicarii in Dignitate Ecclesiastica non sint: nec eorum officium dignitati æquiparetur; Garcias, *de Benefic.* part. 9, cap. 2, § 1, n. 147. Barbosa, *Juris Eccles. univers.* lib. 1, cap. 5, num. 29, et alii passim; et sic servare stylum Curiæ testatur Pyrrhus Corrad. in *Praxi dispensat. Apostol.* l. 7, cap. 4, num. 57, ubi etiam asserit sic fuisse a Sacra Congreg. decisum. (15. Excipit tamen dictus Pyrrhus Vicarium Abbatis Montis Cassinen. quem asserit esse in possessione, ut sibi hæ commissiones dirigantur ex Indulto speciali Sixti V. (16. Ad illos solos Prælatos sunt dirigendæ, qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, et sunt nullius Diœcesis; Seraphin. decis. 1052, num. 1. Coccin. decis. 346, num. 7. Rota, in novissimis dec. 45, num. 4, coram Merlino, et sic fuisse a Sacra Congreg. decisum de anno 1593, in una Prioratus de Valez Ordinis S. Jacobi, testatus idem Garcias loc. cit. n. 142, ubi refert verba dictæ decisionis, ut sequitur: « Sacra Congr. censuit dispensationes matrimoniales, et alias quascumque subditis inferiorum Episcopis a Sede Apostolica concedantur, si eas extra Romanam Curiam committi contigerit, et illi inferiores nullius Diœcesis existant, et jurisdictionem quasi Episcopalem habeant, eisdem inferioribus, non autem vicinioribus Episcopis, esse committendas. Hieronymus Cardinalis Matthæus. »

(17. Brevia directa constitutis in dignitate possunt expediri per Canonicos Cathedralis; Glossa in l. *Vel universorum*, ff. *de Pignoratitia actione*, Genuens, in *Praxi* c. 79. num. 10. Vincentius de Justis *de Dispensat. matrimonial.* lib. 1. cap. 5. num. 14. et alii. (18. Matrimoniales tamen dispensationes Canonicis Cathedralis non committuntur; De Justis *ibid.* num. 15. (19. Immo nec Sede Episcopali vacante hujusmodi dispensationes

Digitized by Google

committuntur Vicario Capitulari, sed Episcopo viciniori, seu ejus Vicario Generali, quo casu Litteræ commissionis de Stylo Curiæ concipiuntur sub ista forma : « Discretioni tuæ, etc., cum ut dicti Oratores asserunt, Sedes episcopalis N. ad præsens vacet, et Venerabilis Frater noster Episcopus N. vicinior Ordin. qui nunc vivat, existat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, » etc. Sic refert, et tenet de Justis loc. cit. num. 22. et tenet Garcias *de Benefic.* part 6. cap. 2. num. 44. Squillant *de Privileg. Clericor.* cap. 2. num. 200. Cæval. q. q. *commun. contra commun.* quæst. 771. n. 9. Monacell. tom. 2. tit. 16. form. 10. sub n. 58. Barbosa *Jur. Eccles. univer.* c. 32. n. 58. cum multis aliis, ubi refert sic declarasse Sac. Congr. Concil. sub die 23 Maii 1622. nempe « Dispensationes matrimoniales directas Episcopo, et ejus Vicario Generali, si Sedem vacare contingat, non posse per Vicarium Capitularem expediri. » (20. Nec etiam Vicarius Capitularis Sede vacante potest exequi Litteras Apostolicas in forma *dignum*, et Episcopo defuncto directas ; Sac. Congr. Conc. in Camarinen. 2 Aug. 1631 (1). (21. Potest tamen Vicarius Capitularis executioni demandare Litteras directas Episcopo per Sacram Congregationem, et ab illo non executas ; Sacr. Congr. Episcopor. in Messanen. 10 April. 1615. (22. Item Vicarius Capitularis potest exequi omne id, quod Episcopo mortuo per Bullam, seu Breve in causis jurisdictionem importantibus erat concessum ; Sac. Congr. Episcop. in Tranen. 26 Januarii 1604. et in Neapolitana 10 Febr. ejusdem anni 1604. (23. Item Vicarius Capitularis potest perinde ac Vicarius Episcopi esse Executor Gratiarum, et Litterarum Apostolicarum tamquam in dignitate constitutus ; Sperell. dec. 31. num. 5. Sbrozius *de Offic. Vicar.* lib. 2. qu. 23. num. 3. De Justis loc. cit. num. 20. et alii.

(24. Deputato Vicario, non potest exequi Episcopus, nec e contra, quoad hujusmodi enim dispensationum Executiones ille solus procedere potest, cui commissa est dispensatio, quia ista facultas competit Jure Delegato, et non ordinario, ut recte Trullench. *Oper. moral.* tom. 3. lib. 7. c. 10. dub. 6. num. 5. Sperell. dec. 97. n. 107. et 110. Dec. in cap. *Quoniam*, *de Offic. delegat.* et ibi Abbas n. 15. Reiffenstuel in appendice ad lib. 4. *Decret.* n. 298. et cum multis aliis De Justis loc. cit. n. 55. et 62. (25. Et si aliquo casu facta esset Commissio Episcopo, vel ejus Vicario, tunc facta præsentatione uni, non posset alter se intromittere ; cap. *Cum plures* 8. *de Offic. delegat.* in 6. Piasecius in *Præx. Episcop.* part. 2. cap. 4. n. 7. Sperell. decis. 97. n. 11. Gratian. *Discept. Forens.* cap. 92. n. 7. et alii. (26. Si Vicarius delegatus mortuus sit, vel ab Officio remotus, debebunt Litteræ per successorem in Vicariatu executioni demandari ; Garcias *de Benefic.* p. 6. c. 2. num. 34. Sperell. dec. 156. n. 7. Parisius *de Resignat. benefic.* lib. 1. c. 11. num. 17. et plurimi cum alii Vincent. de Justis loc. cit. num. 56. (27. Quando Papa in commissione non exprimit nomen Vicarii, respicit Tribunal, et non Personam, unde hujusmodi delegatio non personalis, sed realis, quæ transit ad successorem ; Gratian. *Disceptat. Forens.* cap. 92. num. 20. et cap. 378. num. 11 ; Sanchez lib. 8. disput. 27. num. 2. et 18 ; Reginald. lib. 31. cap. 27. num. 209 ; Filliuc. tract. 10. cap. 10. part. 2. num. 343. tom. 1. et alii passim. (28. Si vero in litteris expressum sit nomen Vicarii, et Tribunalis, tunc si primo loco appositum sit nomen proprium, ut si dicatur *Dilecto Filio Paulo Vicario*, etc., tunc censetur commissio Personalis, et non transit ad successorem, sed quamvis etiam desineret esse Vicarius, adhuc remanebit Delegatus. (29. Si vero commissio facta sit Dignitati, non expresso nomine Vicarii, tunc quia hujusmodi dignitas est perpetua in Ecclesia, transibit ad successorem ; Guttier. *de Matrim.* cap. 125. n. 4. Sanchez lib. 8. disp. 27. num. 11. De Justis loc. cit. num. 49. et alii passim.

(30. Vicarius Episcopi adhuc non consecrati, sed solum confirmati, potest dispensationes exequi ; Barbos. *Juris Eccl. univer.* lib. 1. cap. 15, num. 28. Pyrrhus Corrad. in *Prax. dispen. Apost.* lib. 7. cap. 4. num. 45. Sbrozius *de Offic. Vicar.* lib. 2. q. 23. n. 4. Guttierez *de Matrimonio* c. 125. n. 14. Sanchez lib. 8, disp. 27, num. 35. et alii. (31. Vicarius, si fiat Episcopus illius Diœcesis, non poterit exequi dispensationem sibi commissam, sed ejus in Vicariatu successor, quia cum commissio fuerit facta Vicario, et Vicarius diversus sit ab Episcopo, non debet de diversis fieri illatio l. *Sed si ante* 17. ff. *de Except.* l. *Papinianus* 20. ff. *de Minorib.* c. *Ad audientiam* 20. *de decimis*, Loterius *de Re benefic.* lib. 1. qu. 24. num. 83. Parasius *de Resignat.* lib. 11. q. 8. num. 8. De Justis loc. cit. num. 66. et alii. (32. Vicarius potest exequi litteras, quamvis Episcopo esset aliqua causa excommunicatus, vel suspensus ; capit. 1. *de Offic. Vicarii* in. 6. Barbosa *Juris Eccles. univ.* lib. 1. cap. 15. n. 4. Sbrozius *de Offic. Vicarii* lib. 3. q. 18. num. 11. Squiltant *de Obligat. Clericor.* p. 3. num. 97. et *de Privileg. Clericor.* cap. 2. num. 519. De Justis loc. cit. num. 80. (33. Executor quicumque sit debet ad unguem servare formam præscriptam in litteris, quarum vigore procedit ; Rota par. 6. dec. 200. n. 4. Secus minus legitime procedit, ubi non servat formam præscriptam ; Rota par. 4. dec. 161. num 5. Immo nulliter, et injuste procedit, si mandet exequi litteras contra formam Juris. Rota part. 18. tom. 2. dec. 473.

(1) Hæc in Curia invaluit opinio, qua tamen de causa non satis compertum est. Cum enim mortuo Episcopo tota ipsius jurisdictio ad Cathedralis Ecclesiæ Capitulum transeat, et a Capitulo in Vicarium Capitularem, qui Episcopi vices gerit, nulla occurrit ratio, ob quam Vicariis Capitularibus dispensationes non committat Dataria, quæ tamen vivente Episcopo easdem Vicariis generalibus solet committere, ut advertit Benedictus XIV. lib. 2. c. 9, § 3, *de Synod. Diœcesana.* (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

num. 3. et 6. Nec enim potest excedere fines suæ commissionis, secus nihil agit, nulliter procedit, et reddit omnia ab eo gesta irrita, et nulla; Rota p. 5. to. 1. dec. 344. n. 13. p. 11. dec. 9. n. 15. et 16. p. 16. dec. 377. n. 20.

(34. Executor pro executione nihil prorsus potest accipere etiam sponte oblatum, ut habetur expresse in formula litterarum Apostolicarum pro dispensatione super impedimento Consanguinitatis, ibi : « Mandamus quatenus deposita per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere monemus; et infra : volumus autem, quod si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii occasione præmissarum exigere, aut oblatum recipere præsumpseris, Excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras, qua tandiu innodatus existas, donec per satisfactionem condignam absolutionis beneficium a Sede Apostolica merueris obtinere. » (35. Quæ prohibitio etiam de esculentis, et poculentis, quæ paucis diebus consumi possunt, intelligenda est; Corr. in *Praxi dispens. Apostol.* lib. 7. cap. 6. num. 15. Vincent. de Justis lib. 1. cap. 6. num. 241. Sanchez lib. 9. disp. 35. num. 12. et alii passim; et ratio est quia prohibitio Papæ est universalissima, ibi : *cujuscumque, et si aliquid*, quibus verbis omnia comprehenduntur, argum. leg. *Quacumque ratione*, ff. *de Paroc.* etiam modica, ut bene advertit Barbos. *de Axiom.* Axiom. 151. num. 70. Tum quia *verba generalia generaliter sunt intelligenda* cap. *Quia circa de privileg.* nec datur in hoc interpretatio, cum verba sunt clara : in claris enim non admittitur interpretatio; arg. l. ille aut ille 25. ff. *de legat.* ibi : « Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio. » (36. Hinc neque sub prætextu laboris in studendo processu, examinandis testibus, capienda informatione etc. neque ratione sigilli papyri, expeditionis, aut taxæ Delegatus aliquid accipere potest, prout expresse declaravit Sacr. Cong. apud Corrad. cit. lib. 7. c. 6. num. 14. De Justis loc. cit. num. 147. Diana par. 5. tract. 13. resolut. 71.

(37. Potest tamen Notarius accipere aliquid, nempe quartam partem aurei pro examinandis testibus, et sumendis cæteris informationibus, prout expresse habet Sac. Congr. declaratio apud Corrad. his verbis : « Gratis adeo dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam Ordinarii, quibus istæ dispensationes committuntur, suum officium gratis præstent, ita ut nec ipse Vicarius aliquid suscipiat pro mercede; Notarius vero pro examinandis testibus, et sumendo cæteras informationes, quartam partem aurei, seu ducati accipere possit. » (38. Immo post executionem factam etiam ipse Executor potest aliquid gratis oblatum accipere, minime vero aliquid prætendere : ita Sanchez lib. 8. disput. 35. num. 14. Vincent. de Justis lib. 1. cap. 6. num. 245. et alii, eo quod tunc jam cesset ratio prohibitionis, quæ est, ne Judex muneribus excæcatus inique dispenset, cessante enim ratione, et causa legis, cessat ipsa lex; leg. *Adigere* § 2. ff. *de Jurepatr.* cum ratio legis sit anima legis leg. *Cum ratio*, ff. *de Bonis damnatorum.*

(39. Executor dispensationis Apostolicæ pro Foro interno super impedimentis Matrimonii occultis potest esse Magister in Theologia, vel Doctor decretorum, sive Juris Canonici, ut patet ex Clausula in ipsis litteris apponi solita, ibi : « Discreto viro confessori, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per Latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo. » (40. Unde inferunt Sanchez cit. lib. 8. disc. 34. num. 9. Lezana verb. *Litteræ Apostolicæ* num. 14. Diana par. 8. tract. 3. resolut. 103. Vincent. De Justis lib. 2. cap. 8. num 101. et alii communiter, non posse exequi præfatas Litteras Lectores, et Professores Regulares, qui juxta Ordinis statuta vocantur Magistri Theologiæ, vel Juris Canonici, nisi in publica aliqua Universitate, vel Academia realiter, et formaliter insigniti sint lauræ Doctoratus, aut id eis ex speciali competat Apostolico privilegio. (41. Sic ex speciali privilegio Apostolico possunt Litteras Sacræ Pœnitentiariæ exequi, ac prout opus fuerit dispensare, Lectores Jubilati Fratrum Minorum de Observantia, prout eis expresse concessit Innocentius XI. 27 Novemb. 1679. Constit. incipien. *Exponi nobis.* (42. Item enim ex speciali privilegio possunt tales Litteras exequi Patres Confessarii Societatis Jesu, non quidem omnes, sed illi, qui ab eorum Præposito Generali, vel de ejus licentia ab aliis Societatis Superioribus ad id specialiter designati fuerint, etiamsi Doctores Theologiæ, vel Sacrorum Canonum non existant, prout eis expresse concessit Gregor. XIII. 3 Aprilis 1582. concessione sequentis tenoris : « Sed possunt Sacerdotes Societatis Jesu designati per Præpositum Generalem, aut de ejus licentia per alios Superiores Societatis, et a locorum Ordinariis approbati, vel approbandi etiamsi nullo gradu sint insigniti aperire litteras Sacræ Pœnitentiæ destinatas Magistris in Theologia, vel in jure Canonico Doctoribus et auditis confessionibus recurrentium ad ipsos, imposita illis pœnitentia in litteris expressa, vel de jure infligenda, eos absolvere, ac in Foro conscientiæ quascumque sibi, verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, pœnitentiarum injunctiones excipere, et exequi. » (43. Idem possunt ex communicatione cum privilegiis Societatis alii mendicantes, ut recte notat Sanchez lib. 8. disp. 34. n. 11. Rodriquez t. 1. qq. *Regul.* q. 62. a n. 8. in fine, Vincent. de Justis lib. 1. c. 8. n. 103. et alii.

(44. In casu quo Sacra Pœnitentiaria commissionem, et inscriptionem ita faciat, ut pluries pro faciliori extensione, et expeditione suarum Litterarum facere : *Discreto Viro confessori ex approbatis ab Ordinario*, tunc poterit quivis approbatus ab Ordinario, vel alius per dictas Litteras specialiter deputatus illas exequi, etiamsi non sit Magister

Digitized by Google

in Theologia, nec Decretorum, seu Juris Canonici Doctor, quia in ipso videtur Sacra Pœnitentiaria dispensare, nec requirere tales qualitates seu gradus, quamvis non sit aliunde ad hoc privilegiatus, sive sit Confessarius sæcularis, sive regularis. (45. Executor debet esse approbatus ab Ordinario loci, in quo litteras exequitur, ut declavit Sacra Congregatio, teste Vincentio de Justis lib. 1. cap. 8. num. 99. (46. Et debet esse a pœnitente specialiter electus, ut patet ex verbis clausulæ supra adductæ num. 39. (47. Quod si unus Confessarius pœnitente electus exequi recuset, vel ob nimium rigorem pœnitenti displiceat, potest pœnitens alium eligere; Sanchez lib. 8. disput. 27. n. 40. Guttierez *de Matrimonio* c. 125. num. 18. Lezana verb. *Litteræ Apostolicæ* num. 29. De Justis lib. 1. c. 8. num. 122. Corrad. cit. lib. 7. c. 4. num. 72. dicens ita sæpe interrogatam semper respondisse ipsammet Sac. Pœnitentiariam. (48. Executor ad executionem non debet adhibere testes, ut patet ex sequenti Clausula in Litteris apponi solita: « Nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis. » (49. Debet autem litteras lacerare, et nullatenus potest eas restituere Oratori, seu Latori, ut patet ex sequenti clausula in Litteris apponi consueta: « Præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet; Neque Latori restituas. » (50. Alia de executionibus Litterarum Apostolicarum, vide apud Rosam *de Executor. Litter. Apostol.* part. 1 et 2. ubi omnia de ipsis accurate explicat.

(51. Episcopus qui ob tenuitatem reddituum etiam de consensu Sac. Congreg. Episcoporum, non retinet Vicarium, nequit exequi Litteras Apostolicas Vicario directas; Sac. Cong. Conc. in Aquilana 14 Novemb. 1643. ad cap. 5. sess. 22. *de reformat.* apud Pignatell. tom. 1. consult. 342.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(52. Executorem Litterarum Apostolicarum uti Delegatum Principis posse subdelegare, communis Doctorum sententia est. (53. At dubitatur an hac ipsa polleat potestate certus executor in Litteris Apostolicis ita datus: « Per se ipsum procedat: Per se ipsum cognoscat Conscientiam tuam oneramus. » Si enim relatis vel similibus verbis electa sit industria Personæ, certum est, quod is tametsi delegatus sit Principis nequeat subdelegare. (54. Contrarias inter se opiniones refert Rigant. in comm. ad Regul. Cancellar. Regul. 48. n. 8. et plur. seqq. qui tamen concludit, non posse subdelegare si in Litteris Apostolicis dictum sit (55. *Per seipsum procedat*: *Per seipsum cognoscat*: posse vero subdelegare, si ea tantummodo apposita sint verba: « Conscientiam tuam oneramus: ». (56. idque quia verbis prioribus, non item posterioribus videtur electa industria Personæ.

(57. De Auditore Cameræ, qui est executor omnium Litterarum Apostolicarum, an cumulative procedere valeat ad executionem

Litterarum Apostolicarum, non incongrue hic quæritur? (58. Invaluit distinctio, ut si Litteræ expeditæ sint in *Forma dignum antiqua* seu in forma Commissaria, et datus in iis, ut solet, sit certus executor, nequeat Auditor Cameræ ullo modo se ingerere. (59. Sin autem agatur de Litteris expeditis, in quibus ad petitionem Patris dantur in Bulla separata tres Executores, possit cumulative procedere, ita ut sit locus prœventioni, modo tamen non sint deputati Executores in Partibus ultra duas diætas; (60. Rigant. loc. cit. num. 22. et plur. seqq. qui una monet, quod in casibus, in quibus Auditor Cameræ procedere non potest, si Partes in eum consentiant, valide procedat.

(61. Frequentes etiam in foro sunt controversiæ de mutatione Executoris Litterar. Apostolic. (62. Eadem autem obtinuit distinctio, ut certus Executor a Papa datus in Litteris Apostolicis expeditis *in forma Dignum, sive antiqua, sive novissima*, non nisi ab ipso Papa mutari queat; Executor vero datus in Litteris in forma gratiosa, mutari a Signatura queat; Rigant. ibid. a n. 48. ad plur. seqq.

(63. Executorem Litterarum Apostolicarum posse procedere absque earum exhibitione in Cancellaria Episcopali recte firmavit Auctor n. 10. At vide Rigant. ubi supra num. 67, et plur. seqq. qui simul refert, Urbanum dictum in sua obedientia Sextum favisse Episcopis, et sanxisse, ipsis inconsultis, immo non approbantibus, Apostolicas litteras executioni demandari haud posse; contrarium vero statuisse Bonifacium Papam *Nonum* in sua obedientia nuncupatum, Martinum V, Leonem X, Clementem VIII. (65. Tum consule eumdem Rigant. eod. loco n. 61, et plur. seqq. de eo quod Auctor num. 24, ait haud posse Episcopum exequi Litteras Apostolicas directas Vicario Generali.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

Litteræ Apostolicæ in forma gratiosa expeditæ nulla indigent justificatione, cum præsumantur in Dataria justificatæ, et executori uti mero nil aliud committitur nisi nudum ministerium tradendæ possessionis, absque eo quod teneatur se informare de narratorum verificatione. Garcia *de Benefic.* par. 6, cap. 2, n. 157. Rosa *de Execut. litter. Apostol.* par. 1, cap. 13, n. 1, et 2. Rota in recent. par. 16, decis. 343, n. 6, cor. Falconer. tit. *de Rescript. et litter. Apostol.* decis. 11, n. 1. Nudi tamen, et meri executoris figuram amittit, partesque Judicis assumit dum alius ante commissionem in Beneficii possessione reperitur ad notata per Garcia *de Benefic.* part. 8, cap. 2, n. 159. Rosa. *de Execut. litterar. Apostolicar.* part. 1, cap. 13, n. 3. Rota cor. Bichio. decis. 339, n. 17, et decis 597, n. 8, cor. Falconer. loc. cit. decis. 2, n. 2. Mixtus quoque fit executor, si in litteris reperiatur clausula — *dummodo te informes* — cujus vigore non absolute conceditur gratia, sed narratorum examen mandatur executori. Rosa *de Execut. litter. apostolic.* part. 1, cap. 5, n. 18, cap. 7, n. 241, et in addit. n. 6. Rota cor.

Digitized by Google

Falcon. in Miscell. decis. 40, num. 5. Idem dicendum de clausula — *veris existentibus narratis* — Rota cor. Molines decis. 809, n. 14. Ubi vero mixtus comperitur Executor nequit ad earundem Litterarum executionem procedere, nisi ex parte Provisi justificata ea omnia remaneant, quæ sunt pars gratiæ, quibus non justificatis, etiam nullo opponente declarare debet litteras non esse exequendas. Rota cor. Burat. decis. 185, n. 3, et cor. Dunoz. Jun. dec. 193, n. 2, et seq. cor. Ratto decis. 205, n. 11 et 12. Quod pariter procedit etiamsi aliquis appareat, sed non sit legitimus contradictor. Rota cor. Penia. decis. 1274, n. 2, et 3, in recent. part. 15, decis. 331, n. 16, et 17, et cor. Ratto. decis. 205, num. 14.

EXECUTOR TESTAMENTARIUS.

Vide verb. TESTAMENTUM, *art.* 3.

EXEMPTIO.

SUMMARIUM.

1. Quando concedatur Ecclesiastico exemptio a jurisdictione sui Episcopi. — 2. In quo plerumque hæc exemptio sita sit.

(1. Exemptio Ecclesiastici a jurisdictione sui Episcopi non conceditur a Sacra Congregatione, nisi evidenter probetur sævities contra se exercita, aut justus timor ne exerceatur; et nec tunc, nisi prius audito Ordinario, ipsoque fraterne admonito ut mitius agat. Bened. XIV, *de Synod. Diœces.* libr. 13, c. 10, § 30.

(2. Tunc autem plerumque nihil fit aliud, nisi ut prohibeatur Ordinarius, ne procedat ad censuras, carcerationem etc. nisi prius obtenta a Congregatione, vel a Metropolitano facultate. Immo si reus in fragranti crimine deprehendatur, tunc non intelligitur subtracta facultas Ordinario procedendi adversus delinquentem, ut ex decret. Sac. Congregationis, *ibid.*

EXEMPTIO REGULARIUM.

Vide verb. REGULARES, *art.* 2.

EXEQUIÆ.

SUMMARIUM.

1. Testatoris voluntas exequias prohibentis non est attendenda. — 2. Nonnisi in aliquo singulari casu et de Episcopi licentia leges Ritualis Rom. præterquod sæpe alias prohibuit Sacr. Congreg. apud Petram in *Constitut. Apostolic.* tom. 2, num. 20.

(3. Parochi associantes funus ad Ecclesiam Regularium arceri non debent ab ingressu Ecclesiæ illius cum Cruce et stola, ut ex Bulla Bened. XIII, incip. *Pretiosus*, art. 3, a num. 69.

(4. Cadavera Sacerdotum, Diaconorum, et Subdiaconorum exponi non possunt in Ecclesia alia induta veste, quam sacra sui Ordinis, ut ex Decreto Clementis XI, cit. Instit. 36, § 26. *Vid.* CADAVER, Addit. Casin. a n. 90, etc.

Alia ad rem, *vide* verb. FUNERALIA, verb. SEPULTURA.

(1. Si testator jusserit sepulturæ mandari corpus suum sine precibus, et psalmis, et Missis; associatione Clericorum, candelis ardentibus etc., ejus voluntas non est attendenda ut decidit S. Rota coram Molines in Romana Funeralium, die 15 Junii 1699. Bened. XIV, *Instit. Eccles.* 36, § 22.

(2. Clemens XI mandavit in edicto legendo in ejus *Bull.* p. 317, ut in associatione funeris cujuscumque serventur leges Rituales Rom. in tit. *de Exequiis*, § *Constituto tempore*. Fieri tamen potest, ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter quam præscribat Rituale, quod tamen fieri non debet absque Episcopi scientia, uti e. g. si deferendum sit cadaver in curru tecto, mitti possunt in funeris associatione. — 3. Parochi funus associantes Ecclesias Regularium ingrediuntur cum Cruce et Stola. — 4. Corpora Sacerdotum, Diaconorum et Subdiaconorum Sacra sui Ordinis veste induta exponi debent.

EXERCITIA SPIRITUALIA.

SUMMARIUM.

1. Affertur Epistola Encyclica quoad Exercitia Spiritualia obeunda ab Ordinandis, et Monachandis. — 2. Affertur alia Epistola Encyclica, qua Clericis omnibus spiritualia Exercitia peragentibus per decem dies singulis annis, Indulgentia plenaria, ac plura alia conceduntur. — 3. Fratres minores Regularis Observantiæ, ac Reformati Cismontanæ Familiæ Exercitiis spiritualibus per octiduum vacantes lucrantur Indulgentiam plenariam.

Lettera della Sagra Congregazione sopra i Vescovi, e regolari d' ordine d' Innocenzo XI, per gli Esercizi spirituali a farsi dagli Ordinandi e Monacande diretta al Cardinal Arcivescovo di Milano, e similmente a tutti li Metropolitani, da communicarsi e farsi osservare da tutti li suoi rispettivi Suffraganei.

(1. La Santità di Nostro Signore, che con paterna sollecitudine riflette di continuo a tutti quei mezzi, che possono contribuire

Digitized by Google

alla maggior sicurezza della salute dell' Anime, conoscendo col suo santo zelo, quanto sia necessario un precedente divoto raccoglimento di spirito, per degnamente preparársi, tanto in ordine alli promovendi al ricevimento degli Ordini, quanto rispetto alle Spose di Christo, al vestir l'abito, professar lo stato Religioso : vuole, e comanda, che tutti li promoventi agli Ordini si minori, come sacri, debbano per dieci giorni continui avanti l Ordinazione ritirarsi a fare gli Esercizi spirituali nell' istessa conformità prescritta alli promovendi in Roma, nella Costituzione 126, della felice memoria d'Alessandro VII, che comincia *Apostolica Solicitudo*, e che parimente tutte quelle, che vorranno farsi Monache in qualsivoglia Monasterio, anche soggetto a Regolari, siano tenute fare i detti Esercizi spirituali per dieci giorni avanti, che ricevano l' Abito, e siano ammesse al Noviziato. E che li medesimi Esercizi si debbano ripetere per lo spazio di dieci giorni, avanti, che siano ammesse alla Professione, alla quale la Santità Sua comanda, che non debbano essere ricevute, se prima non averanno adempiuta questa santa preparazione. Desidera in oltre Sua Beatitudine, che si procuri con tutte le diligenze possibili, ma con modi soavi, e discreti, che ancora tutte le Monache Professe una volta l'anno almeno per qualche tempo, che si stimerà opportuno, faccino li medesimi Esercizi per la rinovazione dello spirito, tanto necessario a chi con essersi rinchiusa ne'Sagri Chiostri deve professare lo stato di perfezione. Resterà per tanto servita V. E. di far pronta esecuzione a comando si santo di Sua Beatitudine, mentre per fine le bacio umilmente le mani.

Roma, 9 Ottobre 1682.

Di V. E.

Umiliss. e Devotiss. Servit.

C. CARD. FACHINETTI.

B. Panciatici Secret.

Epistola Encyclica ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium Ordinarios jussu Summi Pontificis conscripta, qua pium Exercitiorum spiritualium opus ipsis maxime commentatur, et Clericis, Sacerdotibus, aliisque Ecclesiasticis, illa peragentibus plura ex Apostolica benignitate indulgentur.

(2. Reverendissime Domine uti Frater. Inter gravissimas Pastoralis Officii curas, quibus Sanctissimus Dominus Noster assidue premitur, in eo præcipue studio incumbit, ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, præsertim vero Sacerdotes, et animarum Rectores, ut sacrarum Litterarum, Divinarumque rerum scientia, tum etiam vitæ, morumque honestate cæteris antecellant, ac in omnibus, juxta monitum Apostoli, præbeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipsi sint Sanctiora Ecclesiæ membra, dispensatores Mysteriorum Dei, Christiani

Populi Duces, et Magistri, Mediatores inter Deum, et homines, lucernæ super candelabrum positæ, ut luceant omnibus, qui in domo sunt; Nihil est, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quam illorum vita et exemplum. Omnes siquidem in ipsos, tamquam in speculum, oculos conjiciunt, ut inde sumere possint, quod imitentur. Porro cum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, et sanctimoniam maxime conducere, ut Ecclesiastici viri spiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur. Proinde Sanctitas sua pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc et saluberrimum Exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur, ac vigeat, universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque cum Italiæ, tum etiam Insularum adjacentium Ordinarios enixe admonet, ac in Domino hortatur, ut illud in sua quisque Diœcesi, quo majori poterunt conatu et studio promovere satagant; præcipue vero iis districte injungit ac præcipit ut quæ dudum san. mem. Innocentius XI. P. M. per encyclicam Epistolam a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium Consultationibus præposita ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium Episcopos datam 9 Octobris 1682, quoad hujusmodi spiritualia Exercitia a singulis Clericis decem dierum spatio antequam ad Sacros Ordines assumantur, peragenda mandavit, exacte, ac inviolabiliter observari, et exequi curent, et quos iisdem Exercitiis per antedicti temporis spatium minime operam dedisse cognoverint, a Sacra Ordinatione repellant penitus et arceant. Præterea Sanctitas sua eosdem Ordinarios admonet et hortatur, ut fructu, qui sane uberrimus ex prædictis spiritualibus Exercitiis percipitur, opportune, proposito, ac explicato, universos ex Clero sibi subjecto, sed præcipue animarum Rectores, Confessarios, Canonicos, aliosque Beneficiatos Chori servitio adstrictos diligenter excitent ad eadem Exercitia saltem semel in anno peragenda in domibus Religiosorum Societatis Jesu, seu Presbyterorum Congregationis Missionis, si adsint, sin minus in alia pia, seu Regulari Domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda et approbanda. Ut autem alacrius ad eumdem spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas sua omnibus præfatis animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacerdotibus, et Clericis, qui per decem dies singulis annis eadem Exercitia peregerint in domibus præfatis, ibique diu, noctuque permanserint, ac interea temporis vere pœnitentes, et confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum pecca

Digitized by Google

torum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno Exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit; Quod ipsum servari præcipit quoad Canonicos, Beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos, et Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, et quotidianas suorum respective Canonicatuum, et Beneficiorum distributiones, quascumque, perinde ac si Choro, divinisque Officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem exercitia peragant, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, et Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus Festivitatibus, nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque Chori inservientibus, sed eo adhibito modo, ne Chori servitium nequaquam intermittatur, et quoad Parochos, idoneis prius Œconomis ab ipsomet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter administrent. Mandat insuper Sanctitas Sua, ut hæ litteræ publicentur in ista Diœcesi, et in Cancellariæ registris pro perenni eorum, quæ in illis continentur, observantia adscribantur, et ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab Ampl. tuæ vigili providentia, ac pastorali sollicitudine præstanda fore confidit Sanctissimus Pater, ut a Sanctitate sua laudem, a cœlesti vero bonorum operum Retributore condigna præmia valeat promereri; Et Ampl. tuæ copiosa divinorum Crismatum incrementa ex animo precor. Ampl. tuæ.

Dat. Romæ die 1 Februarii 1710.

Ut Frater

BANDINUS, *card. panciaticus præfectus.*

V. Petra Secret.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ Fratribus Regularis Observantiæ. S. Francisci, ac Reformatis Cismontanæ Familiæ Exercitiis spiritualibus per octiduum vacantibus.

ALEXANDER PAPA VII, ETC.

§ 3. Cum, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Michael Angelus a Sambuca Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Minister Generalis in Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissime Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, ut secessus, et spiritualia mortificationis, et Orationis mentalis Exercitia in omnibus Provinciis Cismontanæ Familiæ Ordinis prædicti reassumantur, et illis Fratres earumdem Provinciarum aliquoties singulis annis vacent.

§ 1. Nos qui probe novimus quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, et confirmandis in illa Christi fidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de suorum Superiorum licentia operi adeo pio et salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitionem magis excitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis prædicti Ordinis Fratribus tam Clericis, quam Laicis, seu Conversis, qui in Domibus Regularibus Provinciarum prædictarum de suorum Superiorum licentia Exercitia prædicta per octidui spatium quandocumque peregerint, et interea temporis vero pœnitentes et confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in perpetuum valituris.

§ 2. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eædem præsentes nullæ sint eo ipso. Quodque eorumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici, vel Secretarii dicti Ordinis subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Ministri Generalis prædicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11 Junii 1659. Pontificatus nostri anno quinto.

EXHEREDATIO.

SUMMARIUM.

1. Exheredatio quid sit. — 2. Exheredatio descendentium ut rite fiat, et suum sortiatur effectum, debet fieri nominatim. — 3. Si tamen unicus est filius, vel filia, non est necesse eum nomine suo nominare. — 4. Exheredatio, ut valeat, debet fieri circa totam hereditatem. — 5. Insuper exheredatio, ut valeat, debet fieri ex legitima causa, in testamento specifice expressa. — 6. Et si causa exheredationis in testamento expressa fuerit minus legitima, testamentum est nullum. — 7. Demum ut exheredatio valeat, requiritur ut causa exhæredationis testamento inserta ab herede scripto legitime probetur. — 8. Ad hoc autem ut exheredatio locum habeat in filio, licet plures sint causæ, una tantum probata sufficit. — 9. Omnes dictæ conditiones, quæ requiruntur pro valida exheredatione descendentium, requiruntur etiam pro valida exheredatione ascendentium. — 10. Causæ legitimæ exheredandi descendentes sunt quatuordecim. — 11. Prima, si deseendens parenti manus violentes injecerit. — 12. Secunda, si gravem ei injuriam inferat. — 13. Tertia, si eum criminaliter accusaverit, non item si civiliter. — 14. Quarta, si cum maleficis hominibus, ut maleficus versatur. — 15. Quinta, si vitæ parentis insidiatur. — 16. Sexta, si cum noverca sua, aut cum concubina Patris rem carnalitef habet. — 17. Septima, si defert contra Patrem cum gravi ejusdem præjudicio. — 18. Octava, si pro patre incluso recusat filius fide jubere. — 19. Nona, si patrem testari impedit. — 20. Decima, si Arenariis et Mimis se associat. — 21. Undecima, si filia recusatis honestis nuptiis luxuriosam vitam ducit. — 22. Duodecima, si proles parenti in amentiam lapso, competens non præstari obsequium. — 23. Tertiadecima, si proles parentem ab hostibus captum non redimit. — 24. Quartadecima, si proles non est Catholica. — 25.

Digitized by Google

Præter enumeratas causas, nullæ aliæ sunt, ob quas possint liberi exheredari. — 26. Si proles contra voluntatem parentum Matrimonium contrahat cum honesta persona, non potest per hoc exheredari. — 27. Immo neque potest exheredari proles, etiamsi contra voluntatem parentum Matrimonium contrahat cum persona inhonesta, et indigna. — 28. Alii tamen quoad hoc sentiunt contrarium. — 29. Secundum aliquorum Regnorum Edicta, et statuta, si filia ante 25 annos, et filius ante 30, absque consensu parentum nubit, non tantum inæquali, sed etiam turpi personæ, possunt a parentibus omnino exhæredari. — 30. Causæ legitimæ, ob quas licet liberis exheredare parentes vel alios ascendentes sunt octo. — 31. Prima, si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt. — 32. Secunda, si venenis, aut maleficiis, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati fuerint. — 33. Tertia, si pater nurui suæ, aut concubinæ filii sui sese carnaliter immiscuerit. — 34. Quarta, si parentes prohibuerint filios suos testamentum condere de rebus sibi testari permissis. — 35. Quinta, si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbeat, aut vitæ insidietur. — 36. Sexta, si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint. — 37. Septima, si liberi in captivitate detenti negligantur a parentibus. — 38. Octava si parentes non sint Catholici, et filii Catholici. — 39. Omnes supra recensitæ causæ exhæredandi cessant, si ante conditum testamentum parentes cum liberis, et liberi cum parentibus reconcilientur. — 40. Item cessant causæ exheredandi, si proles, vel parentes post datam exheredationis causam, Monasterium ingrediantur, quamvis reconciliatio subsecuta non sit. — 41. Causæ ob quas exhæredari potest frater in casu, quo turpis persona instituta est hæres, sunt tres. — 42. Prima, si vitæ fratris insidias mortis tentaverit. — 43. Secunda, si fratrem accusaverit in causis graviter criminalibus. — 44. Tertia, si bonis fraternis tentaverit inferre jacturam. — 45. Fit etiam Exheredatio bona mente. — 46. De qua mentio habetur in veteri Jure. — 47. Exempla afferuntur. — 48. 49. Differentia hanc inter exheredationem et eam quæ sit in pœnam. — 50. 51. An in dubio exheredatio bona mente facta censeri debeat.

(1. Exheredatio est exclusio heredis, alias necessario instituendi, ab hereditate, ob legitimam causam facta. Est in re communis. (2. Exheredatio descendentium, ut rite fiat, et suum sortiatur effectum, debet fieri nominatim; *princ. Inst. de Exher.* l. ibi : « Parens curare debet, ut filium instituat heredem, vel exheredem eum nominatim faciat, alioquin, si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur, » et § 5. eodem, ibi : « Omnes, sive sui, sive emancipati sint, vel heredes instituantur, vel nominatim exheredentur. » Rota par. tom. 1. decis. 321. num. 8. (3. Si tamen unicus est filius, vel filia, non est necesse eum nomine suo vocare, sed sufficit, si Testator dicat : « Filius meus exheres esto » § 1. *Instit. eod.* (4. Exheredatio, ut valeat, debet fieri ab omnibus bonis paternis, et circa totam hereditatem; arg. leg. *Cum quidam* 10. ff. *de Leg. et posthum.* et sic communis. (5. Insuper exheredatio, ut valeat, debet fieri ex legitima causa in testamento specifice expressa. *Novell.* 115. cap. 3. ibi : « Et ipsas nominatim ingratitudinis causas partes ne suo inseruerint testamento. » (6. Et si causa exheredationis in testamento expressa fuerit minus legitima, testamentum est nullum; Rota p. 1. decis. 568. n. 2. tunc enim non dicitur exheredatio, sed præteritio; Rota *ibid.* (7. Demum, ut exheredatio valeat, requiritur, ut causa exheredationis Testamento inserta ab Herede scripto legitime probetur; arg. cit. *Novell.* 115. cap. 4, princ. ibi : « Nisi probabuntur ingrati, » etc. Et per hoc correcta sunt Jura antiqua, vi quorum Exheredato incumbebat probare suam innocentiam, et non Heredi scripto causam exheredationis. (8. Ad hoc autem ut exheredatio locum habeat in Filio, licet plures sint causæ, una tantum probata sufficit; Rota p. 4. tom. 3 dec. 582. n. 15. (9. Omnes dictæ conditiones, quæ requiruntur pro valida exheredatione descendentium, requiruntur etiam pro valida exheredatione ascendentium. *Novell.* 22. cap. 47. et Novella 115. cap. 4.

(10. Causæ legitimæ exheredandi descendentes sunt quatuordecim. *Novella* 115. cap. 3. (11. Prima, si descendens parenti manus violentas injecerit; cit. *Novella* 115. cap. 3. ibi : « Si quis parentibus manus intulerit. » (12. Secunda, si gravem ei injuriam inferat, cit. *Novella* 115. cap. 3. ibi : « Si gravem, et inhonestam injuriam eis intulerit. » (13. Tertia, si criminaliter eum accusat, non item si civiliter, citat. *Novell.* 115. cap. 3. ibi : « Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem, vel Rempublicam. » Dictum fuit *non item civiliter*, quia filius civiliter agens contra Patrem, eumque accusans, exheredari non potest, arg. cit. *Novell.* 115. cap. 3. et ratio est clara, quia « qui jus suum persequitur, nemini facit injuriam, » lib. 144. ff. *de Regul. Juris.* (14. Quarta si cum maleficis versatur; cit. *Novell.* 115. cap. 3. ibi : « Si cum maleficis hominibus ut maleficus conversatur. » (15. Quinta, si vitæ parentis insidiatur; cit. *Novella* 115. cap. 3. ibi : « Si vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit. » (16. Sexta si Novercam suam carnaliter cognoverit; cit. *Novell.* 115. cap. 3. ibi : « Si Novercæ suæ, aut concubinæ patris filius sese immiscuerit. » (17. Septima, si filius extiterit delator contra patrem cum gravi ejusdem præjudicio; cit. *Novell.* 115. cap. 3. ibi : « Si delator contra parentes filius extiterit, et per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere. » (18. Octava, si pro patre incluso filius recusat fidejubere; cit. *Novell.* 115. cap. 3. ibi : « Si quemlibet ex dictis parentibus inclusum esse contigerit, et liberi, qui possunt ab intestato ad ejus successionem venire, petiti ab eo ut unus ex his in sua eum fidejussione noluerit, vel pro debito, in quantum ex se, qui petitur, probatur esse idoneus; Hoc tamen, quod de fidejussione censuimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere. » (19. Nona, si patrem testari impedit; cit. *Novell.* 115. c. 3. ibi : « Si quis ex liberis prohibet, vel impedit, ne parens faciat testamentum. » (20. Decima, si Arenariis et Mimis se associat; cit. *Novell.* cap. 3. ibi : « Si præter voluntatem parentum inter Arenarios, vel Mimos,

Digitized by Google

sese filius sociaverit, et in hac professione permanserit, nisi forsan etiam parentes ejusdem professionis fuerint. » (21. Undecima, si alicui ex dictis parentibus volenti suæ filiæ, vel nepti maritum dare, et dotem secundum vires suæ substantiæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit; cit. *Novell.* 115. cap. 3. § 1. (22. Duodecima, si liberi parentibus in furorem, vel dementiam lapsis obsequium et curam competentem non præbuerint, a parentibus ad sanitatem redeuntibus exheredari possunt; citat. *Novell.* 115. cap. 3. § 12. (23. Tertiadecima, si liberi parentem captivitate hostis detentum non redimant, dum possunt, juste exheredantur a Patre. Immo ipso jure exheredes sunt, ipsaque hereditas pro redemptione applicanda devolvitur ad Ecclesiam, ex qua captivus oritur, casu, quo parens in tali captivitate absque testamento moriatur; cit. *Novell.* 115. cap. 3. § 13. (24. Quartadecima, si proles non sit Catholica cit. *Novell.* 115. cap. 3. § 14. Unde omnes dictæ quatuordecim causæ sufficientes pro exheredandis liberis breviter comprehenduntur in sequentibus versiculis.

Bis septem ex causis exheres filius esto :
Si Patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat, aut furiosum.
Criminis accuset, vel paret insidias,
Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,
Testarique vetet, se sociatque malis,
Si Mimos sequitur, vitietque cubile parentum,
Si mutet fidem, si filia sit meretrix.

(25. Præter enumeratas causas nullæ aliæ sunt, ob quas possint liberi exheredari, textu expresso in cit. *Novell.* 115. cap. 3. princ. ibi : « Nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur; » sic Molina disp. 170. Perez *de Lib. prætor.* n. 18. et alii (1). (26. Unde si proles absque parentum consensu, vel contra expressam voluntatem ipsorum, matrimonium contrahat cum honesta persona, non potest per hoc exheredari; arg. leg. *Cum te*, Cod. *de inoffic. Testament.* cap. *Gemma, de Testam.* Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 9. *de Reformat. Matrim.* Et ratio est, quia nulli facit injuriam, qui utitur jure suo, l. 145. ff. *de R. J.* sic Jul. Clar. § *Testamentum* qu. 44 n. 4. Abbas in cap. 1. *de Sponsal. Impub.* n. 5. Covarruv. *de Matrimon.* part. 2. cap. 3. § 8. n. 5. Jason. in *Authentic. Sed si post*, Cod. *de inoffic. testament.* Molina disp. 170. Haunold. tract. 6. cap. 7. num. 470. Reiffenstuel lib. 3. *Decretal.* tit. 26. num. 409. et alii. (27. Immo neque exheredari potest proles, etiamsi matrimonium contrahat cum persona inhonesta, et indigna contra voluntatem parentum; arg. cit. *Novella* 115. cap. 3. princip. ubi statuitur ob nullam aliam causam præter quatuordecim assignatas posse parentes liberos exheredare; et l. *Cum te* 18. Cod. *de Inoffi. Testam.* et cap. *Gemma, de Testament.* et sic tenent Jul. Clar. loc. cit. Covarruv. loc. cit. n. 5. et apud eum Immola in c. *Accedens, de Procurat.* Jason. in *Authent. Sed si*, Cod. *de Inoffic. Testam.* Molina disp. 170. Haunold. tract. 6. cap. 7. num. 470. Reiffenstuel loc. cit. n. 500. ubi testatur de communi aliorum : Glossa tamen in cap. *de Raptoribus* 3. caus. 36. q. 1. verb. *Excusata*, Alexander in l. 1 ff. *Soluto matrimonio*, (28. Paul. Parisien. vol. 3. cons. 29. Felin. in cap. Idem, *de Testam. num.* 13. ac nonnulli alii tenent in hoc casu omnino justam adesse causam exheredandi prolem contra voluntatem parentis ante annos 25 indignæ ac turpi personæ nubentem, saltem si pater alias honestas nuptias obtulit, vel eas non impedivit; arg. Auth. *Sed si post*, Cod. *de Inoffic. Testam.* ibi : « Sed si et sine consensu tuo (id est parentis) marito se, libero tamen, copulaverit, eam exheredare non potes. » Ergo inferunt a sensu contrario, si sine consensu parentis marito non libero, vel turpi personæ se copulet, exheredari potest (2). (29. Unde secundum aliquorum regnorum Edicta, et statuta, si filia ante 25 annos, et filius ante 30 annos absque consensu parentum nubit, non tantum inæquali, sed etiam turpi personæ, possunt a parentibus omnino exheredari. Sic statuta Bavariæ tit. 49. art. 9. et sic varia edicta in Regno Galliæ relata a Pontas in *Dictionar. Casuum Conscient.* verb *Matrimonium* cas. 10. et laudat, cas. 17 (3).

(1) Sed quamvis clarus videatur allegatus textus, communior tamen Doctorum opinio ad causas similes, vel graviores extendunt, ut testantur. Corvin. in *Cod.* li. 6, tit. 28, pag. 410, princ. Zoes. ibid. quæst. 3, in princip. ubi plures Doctores recensent, licet ipsi eorum opinionem non videantur sequi. Licet enim exhæredatio sit pœna, qua filii nocentes plectuntur, ideoque cum sit odiosa ad alios præter expressos casus non debeat extendi, nihilominus contra vel magis odiosum reputatur, patrem cogi, ut impio et indigno filio bona sua relinquat. Ita multis rationibus, argumentis, exemplis et auctoritatibus firmat Vin. *Comment. in Instit.* lib. 2, tit. 18, § 1, num. 2. Struv. *Exercit.* 52, th. 33. (Edit. Barbiell.)

(2) Hac enim pœna jure plectitur filia, quæ rejecta nubendi occasione sibi a patre oblata, turpem potius vitam elegit. Cujac. *Comment. in Novell.* 18, *de triente, et semisse* edit. Venet. tom. 2, coll. 928, lit. *B.* Quod idem ad casum extendunt, quo servilis, aut alicujus turpis matrimonii complexibus se pollucrit, cum non minus ad injuriam patris spectet ejusmodi matrimonium, quam turpis vita. Cujacius *Observat.* lib. 3, cap. 5. Non diversum judicium ferendum est de jure civili si filius-familias invito patre mimam, meretricem, vel aliam infamiæ nota laborantem ducat in uxorem, quæ universæ familiæ labem inurat. l. 3, § *Si emancipatus* ff. *de Bonor. possess. contr. tab.* Cujac. *Observat.* dict. lib. 3, cap. 5. Gail. *Observat.* 95, n. 17, lib. 2. Covarruv. in tractat. *de Sponsal.* part. 2, cap. 3, § 8. Zoes. in *Cod.* lib. 6, tit. 28, in notis, lit. *C.* (Edit. Barbiell.)

(3) Sed hujusmodi statuta exhæredationem permittentia contra nubentes invito patre videntur matrimonii libertatem restringere, ideoque Sacros Canones ledere, ac evertere, ac propterea non attendenda. Hinc edicta superius enunciata in Gallarum Regno, non exhæredationem permittunt, sed parentibus tribuunt facultatem privandi filios hæreditate usque ad legitimam, cujus edicti verba per extensum refert. Zoes. l. citat. in not. lit. *D.* ibique citat Hotomann. in fin. quæstionum. Illustr. cap. 6. § 6, et seq. Cum enim Matrimonia ad Forum Eccle-

Digitized by Google

(30. Causæ legitimæ ob quas licet liberis exheredare parentes, vel alios ascendentes, sunt octo; cit. *Novell.* 115. cap. 4. (31. Prima, si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt. (32. Secunda, si venenis, aut maleficiis, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati fuerint. (33. Tertia, si pater, nurui suæ, aut concubinæ filii sui sese carnaliter immiscuerit. (34. Quarta, si parentes prohibuerint filios suos Testamentum condere de rebus sibi testari permissis. (35. Quinta, si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbeat, aut vitæ insidietur, filius enim propter hoc flagitium potest parentem reum exheredare. (36. Sexta, si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint. (37. Septima, si liberi in captivitate detenti negligantur a parentibus. (38. Octava, si parentes non sunt Catholici, et filii Catholici. Sic cit. *Novell.* 115, cap. 4. Unde omnes dictæ octo causæ comprehenduntur breviter in sequentibus versibus.

Si pater accusat capitalis crimnus, aut se
Adjungat nurui, vitæque est insidiatus,
Testari prohibet gnatum, matrique venenum
Præparet, inclusum in carcere, vel furiosum
Negligat, et veram contemnat Relligionem.

(39. Omnes tamen supra recensitæ causæ exheredandi cessant, si ante conditum Testamentum parentes cum liberis, et liberi cum parentibus reconcilientur. Sic communis cum Julio Claro § *Testamentum* qu. 41, num. 9. Rota part. 1, decis. 29, num. 1. (40. Item cessant causæ exheredationis, si proles, vel parentes post datam exheredationis causam, Monasterium ingrediantur, quamvis reconciliatio subsecuta non sit. Covarr. *de Testam.* cap. 16, num. 28. Abbas vol. 2, cons. 7. Felin. in cap. *Rodulphus, de Rescript.* Reiffenstuel. loc. cit. n. 505. Glossa in l. *Deo nobis*, Cod. *de Episcop. et Cleric.* arg. cap. « Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere Monachos factos, quamvis dum laici fuerint, in causam ingratitudinis inciderint. »

(41. Causæ, ob quas exheredari potest Frater in casu, quo turpis persona instituta est heres, sunt tres; *Novella* 22, cap. 47. (42. Prima, si vitæ fratris insidias mortis tentaverit; citat. *Novella* 22, cap. 47, ibi: « Illum solum tamquam ingratum circa Fratrem effectum participari hoc lucrum non concedimus, qui mortem voluit Fratris. » (43. Secunda, si Fratrem accusaverit in causis graviter criminalibus; cit. *Novell.* 22, cap. 46, ibi: « Aut criminalem inducere contra eum subscriptionem. » (44. Tertia, si bonis Fraternis tentaverit inferre jacturam; cit. *Novella* 22, cap. 47, ibi: « Aut substantiæ ejus præparavit inferre jacturam, ejus enim portio tam ad reliquos Fratres, quam matrem veniat, » et istæ causæ brevius comprehenduntur sequentibus versibus.

Tres licet ob causas ingratum pellere Fratrem,
Si Fratri insidias, perniciemque ferat,
Si scelera affingat, ferro, focoque pianda,
Aut si fraternas perdere tentet opes.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. Exheredatio ut plurimum fit *notæ causa, et in pœnam liberorum.* Sed et fieri exheredatio potest *bona mente.* De hac agendum.

(46. Ejus habetur mentio in l. 17, ff. *de Liber. et Postum. instituend.*, etc. ibi: « Multi non notæ causa exheredant filios, nec ut eis obsint, sed ut eis consulant, (ut puta impuberibus) eisque fideicommissam hereditatem dant: » tum *in* l. 12, § 2, ff. *de Bon. Liberor.* ibi: « Si quis non mala mente Parentis exheredatus sit, sed alia ex causa, exheredatio ipsi non nocet, ut puta pone furoris causa exheredatum eum, vel ideo, quia impubes erat, heredemque institutum rogatum ei restituere hereditatem; » Confer itidem l. 45, ff. eod. l. 17, § 2, ff. *de Curat. Furios.* l. 25. C. *de Inoffic. Testam.*

(47. Exempla exheredationis *bona mente* sunt. 1. Si pater habet filium prodigum, et ex eo Nepotes, potest heredes instituere Nepotes, et exheredare filium, eique quod sufficeret alimentorum nomine a Nepotibus certum legare, « addita causa necessitateque judicii sui, » ut dicitur in l. 16, § 2, ff. *de Curat. Furios.* scilicet quod eum exheredavit non notæ causa, et in pœnam, sed in ipsius favorem ad conservanda bona, ne ea dissipet. (48. II. Si Pater ingentes divitias relinquat, insidias vero timeat vitæ parvuli filii ab Agnatis bonis illius insidiantibus, valet alium instituere heredem, eumque fidei commisso gravare de restituenda hereditate filio, si in suam tutelam perveniat. Vide et alia plura exempla apud Stryk in *Us. Modern. Pandect.* lib. 28, tit. 2, § 9.

(49. Forma præscripta a Novella 115. de qua disserit Auctor, non pertinet ad exheredationem hanc, quæ fit bona mente, sed restringenda est ad exheredationem tantum, quæ fit notæ causa in pœnam; Carpzov. *Jurisprud. Forens.* part. 3, const. 9, defi. 11, Ricter. decis. 41, n. 16, et sequent.

Plura autem hinc sequuntur. I. Exheredatio quæ bona mente fit, ad certum tempus fit, quod alias fieri nequit. II. Valet exheredatio bona mente sine expressione causæ. III. Posthumi bona mente exheredari queunt, non item notæ causa, et in pœnam. cum nulla causa in Nov. 115, determinata cadere in eos possit. IV. Contra exheredationem notæ causa et in pœnam factam consulitur filiis querela inofficiosi testamenti, sed hæc locum sibi haud vindicat in exheredatione bona mente facta.

siasticum pertineant, non satis recte ipsis legem ponunt Constitutiones Laicales Covar. in *Decret.* lib. 4, part. 2, cap. 3, § 8, *n.* 5, quamvis juxta aliquos respectus etiam a Laicali iurisdictione in non-

nullis dependeant saltem quatenus inter contractus adnumerantur, consule Reinking. *de Regim. Eccles.* claus. 1, cap. 10, n. 20, 21, et seq. Schmidov. *de divortiis.* n. 6. (EDIT. BARBIELL.

Digitized by Google

(55. V. Ex jure Novellæ 115. Pater filio impuberi notæ causa et in pœnam exheredato, pupillariter substituere nequit, prout olim poterat. At potest pupillariter substituere filio impuberi bona mente exheredato. Vide et alias differentias apud Stryk. in *Usu modern. Pandect.* lib. 28, tit. 1, § 10.

(50. Reliquum est, ut discutiatur, an in dubio exheredatio bona mente facta censeri debeat? Varias de hac quæstione sententias congesserunt Menoch. *de Præsumpt.* lib. 4, præsumpt. 18, Mascard. *de Probat.* conclus. 714. Linck. dissert. *de Exheredat. bona mente facta* § 31. (51. Porro si illud præsumi debet, quod communiter fit, in dubio

non *bona mente*, sed *notæ causa in pœnam* exheredatio facta præsumi debet. Quæ enim *bona mente* fit exheredatio, ea a regula recedit, irregularis est, et ad casus exceptos referenda, ac proinde qui in ea se fundat, ostendere debet bona mente a Patre ipsam factam esse; Confer Linck. dict. dissert. *de Exhered. bon. ment. fact.* dict. § 31, in fin.

Nota vero, quod hæc præsumptio generalis est, et sic elidi facile potest per specialiores circumstantias, quales sunt illæ notatæ in adductis exemplis, et aliis allegatis a Stryk ubi supra (1).

EXORCISTATUS.

Exorcistatus conferendus est subdiacono, diacono, et presbytero Græco, qui ritu latino ad diaconatum, presbyteratum, aut episcopatum sint promovendi. Benedictus XIV, constit. incip. Et si pastoralis § 7, *Alia vide verb.* Ordo *art.* 1, *a num.* 34 *ad* 56.

EXORCIZARE, EXORCISTA.

SUMMARIUM.

1. Exorcizare sumitur in duplici sensu, et assignatur uterque sensus. — 2. Hic non est sermo de Exorcismo capto primo sensu, sed solum in secundo. — 3. Traditur definitio Exorcismi capti in secundo sensu. — 4. Exorcismi Cæremonia, quæ fit in baptismo, ubi expresse imperetur. — 5. Et ubi de hac antiqua Cæremonia fiat specialis mentio. — 6. Exorcizari adhuc debet infans, quamvis ratione periculi jam fuerit baptizatus. — 7. Exorcistæ munus quid sit. — 8. Ad licite exorcizandum tria requiruntur, quæ assignantur. — 9. Nemo potest exorcizare sine licentia Ordinarii, etiamsi sit Regularis. — 10. Affertur ad hoc Littera Encyclica directa Ordinariis. — 11. Exorcistæ, si tale exorcizandi munus exerceant cruciatis, et aliis modis insolitis, mittuntur in exilium. — 12. Ad exorcizandam Monialem Ordinarius non concedit licentiam ingrediendi Clausuram. — 13. Neque Sacra Congregatio illam concedere solet. — 14. Et si concedatur, intelligitur tantum pro benedicendis cellis de infectione suspectis. — 15. Exorcizatio Monialis a quo, et quomodo, et in quo loco sit facienda, demonstratur, *ad num.* 16. — 17. Signa præcipua Energumenorum, seu a Dæmone obsessorum referuntur. — 18. ad 19. Exorcismi in S. libris Ecclesiæ non relatis non debent admitti. — 20. Exorcistatus conferendus est Græcis, qui ritu Latino ad ordines sint promovendi. — 21. ad 26. De Exorcistatu in primitiva Ecclesia.

(1. Exorcizare sumitur in duplici sensu. Primo ad significandum exorcismum, seu benedictionem aquæ, et salis, quæ fit in missa Parochiali, seu Conventuali. Secundo ad exprimendam obtestationem, qua utitur Ecclesia ad expellendum Dæmonem, ejusque potentiam, ut fit in Cæremoniis, quæ baptismum antecedunt, et pro obsessis, aut possessis a Dæmone. (2. De exorcismo in primo sensu sumpto hic non est sermo; sed solum de Exorcismo sumpto in secundo sensu. (3. Et exorcismus sumptus in hoc secundo sensu definitur, quod sit divini Numinis obtestatio ad effugandum, seu expellendum Dæmonem, ejusque virtutem, seu potentiam. Est in re communis. (4. Exorcismi Cæremonia, quæ fit in baptismo, imperatur expresse in cap. *Sive* 53, dist. 4, *de Consecratione*, ibi : « Sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam Exorcismis, et exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abjiciatur. » (5. Et hujus antiquæ Cæremoniæ fit mentio in. c. *Sicut* 62. dist. 4. *de Consecratione*, ibi : « Sicut nostis, Fratres carissimi, et parvuli exsufflantur, et exorcizantur, ut pellatur Diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut homines possideret. » Et in cap. *De hinc* 66. ead. dist. 4. *de Consecrat.* « Exorcizatur Diabolus, ut suam nequitiam agnoscens, et justum super se judicium timens recedat ab homine, nec jam contendat eum arte sua subvertere, ne baptismum consequatur; » et in cap. *Sacerdotes* 67. ead. dist. 4. *de Consecrat.* laudatur antiqua Ecclesiæ traditio imponendi manus super credentes ad Dæmonia ab eis ejicienda, ibi : « Sacerdotes cum per Exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mentes contradicunt, quid aliud faciunt, nisi quod Dæmonia ejiciunt ? »

(6. Exorcizari adhuc debet infans, quamvis ratione periculi jam fuerit baptizatus. Sic expresse statuit Rituale Romanum, et sic expresse statuerunt varia Concilia Provincialia, et signanter Concilium Rhemense anno 1583. Burdigalense anno 1684. Aquense anno 1585. et alia plurima. Et ratio est, quia ut inquit S. Thom. 3. p. q. 71. art. 3. *in corpore*, non solum Dæmon conatur impedire ne infans baptismi effectum accipiat, sed etiam ne de illo accepto deinceps fructum percipiat. Ibi : « Tunc cessante periculo debent suppleri (Cæremoniæ omnes) ut servetur uniformitas in baptismo, nec frustra supplentur post baptismum, quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus; » et sententiam istam affert Ri-

(1) Plura de exhæredatione vide infra *de testamenti nullitate, novissimum additamentum* (Edit. Barbieli.)

Digitized by Google

chardus in 4. dist. 6. art. ult. q. 1. quem laudat, et sequitur Angelus de Clavasio verb. *Exorcismus* num. 2. « Quid, ait hic auctor, si aliquis baptizetur sine exorcismo? » « Respondet Richardus, quod debet post baptismum exorcizari... quia licet baptizato parvulo, peccatum non sit; tamen in eo remanet actualiter fomes peccati, et ideo etiam post baptismum habet efficaciam reprimendi Diabolum (1). »

(7. Exorcistæ munus est manus imponere supra vexatos a spiritibus immundis, ad illos adjurandos, et ejiciendos; item ad exorcizandos Catechumenos. Sic communis. (8. Ad licite exercendum tria requiruntur. Primo ut fiat Exorcizatio ex causa gravi, non ex levitate, non ad sciscitanda a Dæmone quæsita curiosa, sed ad liberandos Energumenos a Tyrannide Dæmonis. Sic docet S. Thomas 2. 2. quæst. 90. art. 2. Secundo requiritur, ut adjuratio Dæmonis fiat absque precibus, sed cum imperio, et objurgatione, sic enim superbia Dæmonis magis confunditur. Tertio requiritur, ut Exorcizatio solemnis fiat ab habente potestatem, quæ non omnibus conceditur, sed tantum aliquibus, secundum prudentiam Episcoporum, habentibus ordinem Ecclesiasticum Exorcistatus: (9. Unde nemo potest exorcizare sine facultate Ordinarii, etiamsi sit Regularis, ut decrevit Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Florentina 22 Februarii 1625. et expresse statuit Sac. Congr. S. Officii die 5 Julii 1710, per litteram Encyclicam directam omnibus Archiepiscopis, aliisque Ordinariis Italiæ, et Insularum adjacentium, tenoris ut sequitur.

(10. *Lettera Circolare della Sag. Congreg. del S. Officio: circa l'obbligo, e la qualità de' Sacerdoti da ammettersi all' esercizio dell' Esorcista.*

« Essendo stati rappresentati alla Santità di Nostro Signore i gravi disordini, che seguono dalla moltiplicità delli Esorcismi, che quasi universalmente s'inventano, e si praticano dalle persone destinate ad esorcizare, e volendo la medesima colla sua Pastorale sollecitudine dare a tali inconvenienti il necessario provvedimento, uditi prima li pareri di questi miei Eminentiss. Colleghi Signori Cardinali, Generali, Inquisitori, ha stabilito, che per mezzo di questa Sag. Congreg. s'ordini a tutti gli Arcivescovi, Vescovi, ed altri Ordinarî d'Italia, e dell'Isole adjacenti, siccome colla presente s'ordina a V. S. che in avvenire non permetta, che alcun Sacerdote tanto Secolare, quanto Regolare, sia ammesso all'esercizio di Esorcista, senza che prima le costi della di lui pietà, integrità di vita, e prudenza, e senza che abbia tutte le qualità ricercate per tale amministrazione dal Rituale Romano.

Vuole in oltre sua Beatitudine, che Ella

insista con tutta la sua attenzione, e vigilanza, acciocchè le persone, che da lei saranno stimate capaci di tal ministero, si vagliano della direzione del sopradetto Rituale Romano, e che non preteriscan le regole, che in quello si prescrivono. Tanto V. S. dovrà eseguire per ubbidire esattamente alli Santi, e supremi Ordini di sua Beatitudine, e Dio la prosperi. »

« Roma 5 Luglio 1710.

« Di V. S.

« *Come Fratello*

« G. CARD. MARESCOTTI. »

(11. Exorcistæ si tale exorcizandi munus exerceant cruculis, et aliis modis insolitis, mittuntur in exilium; Sac. Congreg. Episc. et Regul. in una Venetiarum 27 Octobr. 1603. (12. Ad exorcizandam Monialem Ordinarius non concedit licentiam ingrediendi in Clausuram; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Regiensi 15 Maii 1601. et in Cremon. 1 Octobr. 1610. (13. Neque Sac. Congreg. illam concedere solet; ead. Sac. Congreg. in una Vicent. 14 Maii 1606. et in una Montis Regalis 10 Januarii 1617. (14. Et si concedatur, intelligitur tantum pro benedicendis Cellis de infectione susceptis; ead. Sac. Congreg. in Imolens. 23 Februar 1594. (15. Unde eadem Sacr. Congreg. 1 Julii 1609. pro Monialibus exorcizandis decrevit ut infra: « Nulla monialis Energumena intra Monasterii Septa a quocumque Presbytero Seculari, vel Regulari etiam Confessario exorcizetur, sed ad Ecclesiam exteriorem ejusdem Monasterii, obtenta prius a Sacra Congregat. licentia, ea de causa deducatur, vel transferatur. In translatione autem hujusmodi, sicuti in actu exorcizationis, honestæ personæ consanguineæ, vel aliæ mulieres provectæ ætatis, ac probatæ conversationis Energumenam comitentur. Exorcista sit ad actum hujusmodi approbatus; Exorcizatio minori, quo fieri potest, fiat strepitu; Ecclesiæ janua eousque occlusa remanet, quousque Exorcizatione completa ad Monasterium Energumena reducatur; Cæterum tam in reditu quam in accessu ad Ecclesiam, et Monasterium respective., et sine diverticulo tendatur. » (16. Et alias consimiliter decrevit, ut infra. « Adhibitis debitis diligentiis ad cognoscendum, an Monialis sit revera vexata, datur licentia Sacerdoti Sæculari, vel Regulari moribus, et ætate gravi, eam exorcizandi in Ecclesia exteriori intra terminum trium, vel ad summum sex mensium coram Confessario, et duabus, vel tribus feminis consanguineis, et januis clausis; modo expleto exorcismo statim reducatur in Clausuram. Si vero Spiritus, ut plurimum, erunt ficti, carceres, flagella, jejunia, compedes, et similia erunt ejusmodi Energumenarum Exorcismi; » Sac. Congreg. Episcop. et

(1) Quod hic rectissime Auctor statuit, supplendos esse exorcismos, si forte periculi causa baptizatus quis fuisset, sacris cæremoniis omissis; integra dissertatione Du Guetus ostendit. Prima ea est trium, quæ Parisiis an. 1727. prodierunt, dissertationum inscriptarum: *Dissertations Théologiques et dogmatiques.* (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Regul. in Tiburtina 20 Julii 1590. in Fanensi 18 Aprilis 1600. in Vicent. 14 Maii 1616. et in Bononiensi 8 Octobr. 1649.

(17. Grave indicium diabolicæ vexationis est, quando ex fide jurata Medicorum constat, nulla adhibita medicamenta profuisse; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Parmensi 10 Novembris 1645. Delrius autem lib. 3. *Disquisit magic.* cap. 2 sect. 2. quæst. 3. Monacell. t. 3. tit. 1. formul. 47. num. 4 et 5. plura referunt hujusmodi signa. Præcipua tamen sunt hæc: si obsessus loquatur variis linguis, quas nunquam didicit; si horreat omnia Sacra, si præcipitiis se exponat, si statim intumescat in aliqua parte corporis, et statim detumescat, si tacite interrogatus respondeat, aut tacito imperio pareat; si Epilepsia laboret; si antea scientia ignarus, se perfecte scientificum ostendat, si ita immobilis maneat, ut plurimorum hominum viribus nequeat dimoveri, si sacra verba proferre renuat, qualia sunt *Miserere mei, Deus. Qui habitat in adjutorio Altissimi. Magnificat anima mea Dominum. In principio erat Verbum*, et similia; si a facie Sacerdotum, et præcipue Exorcistarum fugiat, in Ecclesiam ingredi nolit, et si ingrediatur, ab ea statim fugere procuret, cuncta benedicta, Sanctorumque imagines, et maxime Crucifixi nolit inspicere nec deosculari, immo projiciat, et in hæc omnia conspuat, si clamet, cum aliquæ Reliquiæ Sanctorum superponuntur ejus capiti, etiam occulte, et statim dicat, auferte istas a me, quoniam fœtent, vel sunt nimis graves, et hujusmodi. Ad hæc autem signa integra dignoscenda consule supradictos una cum Candido Brugnolo, aliisque hujusmodi scriptoribus (1).

(18. Exorcismi in Sacris Ecclesiæ libris non relati, non debent admitti. Benedictus XIV. tom. 1. Constit. 89. incip. *Inter omnigenas* § 8. (19. Exorcizandi ratio in Rituali Romano præscripta exacte observari jubetur. Idem Const. 141. incip. *Sollicitudini* § 57.

(20. Regularibus non licet, contradicente Episcopo, exorcizare, etiam in propriis Ecclesiis, et Cœnobiis. Vide tomo 5. verb. *Oratorium* et Constitutionem Benedicti XIV. incip. *Magno*, § 34.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(21. Primis Ecclesiæ sæculis non solum Clerici, verum et Laici donum ejiciendi Dæmones habuere, et sic Exorcistarum officium usurparunt. (22. Testatur Tertullianus *Coron. Milit.* cap. 11. ejectos a Militibus fuisse spiritus immundos: « Et quos (ait) interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensavit. » (23. Et lib. *de Idololatr.* cap. 11. tradit, Parentes solitos exorcizare proprios filios: « Quare (inquit) Constantia exorcizavit Alumnos suos, quibus domum suam, et cellarium præstat? Ille quidem si excluserit Dæmonem, non sibi placeat de fide, nec ejus inimicum exclusit. » Notarunt Baron. anno 56. Justellus in notis ad Canon 91. Eccles. univers.

(24. Postea peculiare ac distinctum munus in Ecclesia fuit eorum qui in gradum Exorcistarum cooptati erant, ut docent plura de Exorcistis affirmantes Balsamon in Can. 26. Synod. Laodicen. Ambian. ad Tertullian. in Apolog. cap. 23. ad finem; Pamel. ad Epistol. 26. D. Cyprian. Espenc. ad D. Paulum lib. 1. Disgress. cap. 9. Lindebrog. Verb. *Exorcista*, qui de his Exorcistis accipiunt Textum in l. 1. § *Meditos, de Var. et Extraordin. Cognit.*

(25. Per id vero temporis ad Exorcistatum non ordinabantur nisi provectioris ætatis: « Exorcistæ (opportune ait Hallier *de Sacris Elect. et Ordinar.* part. 3. sect. 7. cap. 1.) nequaquam Ecclesiæ utiles esse poterant, aut officio suo idonei, nisi provectioris ætatis. Neque enim Pueri vel Adolescentes idonei, videbantur, qui Dæmones adjurarent, Energumenos custodirent, alerent, eisque manus imponerent. Unde recte et convenienter Syricius eos, qui ab adolescentia Clericatui adscriberentur, in Lectoris gradu atque Officio; qui in ætate jam matura, in Lectoris aut Exorcistæ ordine aut munere versatos esse præcipit, antequam ad superiores ascendant. Juxta eamdem personarum diversitatem eosdem gradus Lectoris quidem in iis, qui ab ineunte ætate Clericali militiæ adscripti essent, Lectoris autem, vel Exorcistæ iis, qui grandiores facti hanc vitam seligerent, attribuit Zosimus. »

(26. Mutata hac disciplina, et commisso, ut plurimum, munere Exorcistæ Sacerdotibus, non amplius ad Exorcistatum ætas provectior requisita est.

EXPOSITI FILII.

SUMMARIUM

1. De expositorum baptismate. — 2. Alia remissive.

(1. Proposito dubio in Sacra Congreg. Concilii die 18 Decembris 1728. quomodo se gerere debeat Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione Baptismatis infantibus,

(1) Non prætereunda silentio hic est magna illa controversia, quæ late Germaniam in varias sententias non multos ante annos distraxit, ob Exorcismorum ad plurimos depellendos morbos usum a Joanne Josepho Gassnero pientissimo Parocho feliciter adhibitum. Hinc et illinc permulti disseminati libelli fuere, quorum alii Gassneri curationes, impostoræ condemnabant, alii harum veritatem confirmabant. Inter illos principem locum meretur Antonii de Hæn Archiatri, ac Medicinæ in Viennensi Academia Professoris *Dissertatio Theologico-physica de miraculis*, c. 5, hos vero inter exstat Anonymi excusa Augustæ Vindelicorum a. 1775. *Demonstratio de conformitate cum principiis Evangelicis, et sensu, et praxi Ecclesiæ in methodo medendi affectos vario morborum genere, quam adhibet Jo. Josephus Gassnerus.* Ad hanc ipsam controversiam spectant brevia quædam opuscula, quæ in Parisiensi Dinovartii Diario Ecclesiastico leguntur tom. 59, 60, 61, 62 et 63. (Exp. Barbiell.)

Digitized by Google

qui ad Archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant; et etiamsi ex colore, et cæteris corporis qualitatibus deprehendatur etiam esse constitutos in ætate sex aut decem mensium, vel unius anni cum dimidio; *Sacra Congregatio die 15 Januarii 1724, respondit, esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus, excepto tamen casu schedulæ, quæ habeat certitudinem.*

(2. Alia ad rem, vide verb. *Filius* a num. 17. ad 20. et verb. *Parentes* a num. 20 ad 32.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

SUMMARIUM

1. Quando Expositio SS. Sacramenti permitti non debet. — 2. ad 4. Alia pauca. Remissive.

(1. Expositio SS. Sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab Ordinario approbata, etiamsi Ecclesia sit Regularium, quod ex Tridentino sess. 21. cap. 8. evincit, et statuit S. Congregatio Concilii. Quamquam ex causa privata licet Regularibus in propriis Ecclesiis exponere Sacramentum, dummodo non extrahatur e tabernaculo, et Hostia sit velata, ut ex pluribus S. Congregationis Decretis firmatur *Instit. Eccles.* 30. § 11 et 12.

(2. Reprobatur apud frequentes Scriptores usus exponendi palam SS. Eucharistiam in festis Sanctorum. *ibid.* § 15.

(3. Si exponatur SS. Sacramentum intra tabernaculum apertum et in pyxide tecta, sex saltem candelæ ardere debent, ex sensu Sac. Congreg. *ibid.* § 21.

(4. Verum si extra tabernaculum id fiat in Ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelæ ardentes apponendæ. *Ibid.* § 23 (1).

EXTRACTIO.

SUMMARIUM.

1. ad 5. De extractione Rei a loco immuni. — 6. ad 12. Extractio rerum mobilium extra statum Ecclesiasticum

(1. Extractio Rei inquisiti, vel damnati a loco immuni in casibus permissis, si Clericus sit, fieri potest a Curia Episcopali ex officio; et si laicus, nonnisi ad instantiam Curiæ sæcularis; Benedictus XIV. Constitut. 8. incip. *Alias* § 5 (2. Ad extractionem inquisiti a loco immuni, in dictis casibus procedi potest, habitis indiciis delicti sufficientibus ad Torturam. Idem *ibid.* (3. Ad extractionem vero banniti, seu damnati in contumaciam in similibus casibus, visa sententia contumaciali et actis, quibus illa fundatur. Idem *ibid.* § 6. (4. Extractionis, et traditionis denegatio, aliaque decreta Judicis Ecclesiastici super ejus competentia, allegari nequeunt in judicio super executione sententiæ contumacialis. Idem *ibid.*

(5. De extractione Reorum ad Sacræ Inquisitionis Officium spectantium a locis immunibus, vide tom. 4. verb. *Immunitas;* ubi ad rem duæ afferuntur Constitutiones Benedicti XIV.

(6. Extractio segetum, farinæ, et olei extra statum Ecclesiasticum sine speciali Chirographo Papæ prohibetur sub gravissimis pœnis, sublata cuilibet facultate concedendi licentias extrahendi. Idem tom. 2 Constitut. 83. incip. *Quo die.*

(7. Quo vero ad alias res mobiles, aut se moventes, remittitur arbitrio Legatorum, Præsidum, et Gubernatorum Provinciarum. Idem *ibid.*

(8. Extractio segetum, aliarumque per aquam, etiamsi directa dicantur ad alia loca ditionis Ecclesiasticæ, nisi fiat cum præscriptis cautelis, reputanda erit pro extractione a Statu, et præscriptis pœnis punienda.

(9. Idem *ibid.* Extractio cujuscumque rei de Provincia ad Provinciam quocumque tempore, atque etiam extra statum Ecclesiasticum, permittitur pauperibus, qui spicas a Messoribus relictas colligunt. Idem *ibid.* (10. Item Mercenariis, quibus pro mercede datur frumentum, vel quid simile. Idem *ibid.* (11. Item Mendicantibus, qui eleemosynæ loco, et pro victu Cœnobii ea colligunt. Idem *ibid.* (12. Ac denique iis, qui pro eduliis ad fora delatis, et loco pretii recipiunt. Idem *ibid.*

EXTREMA UNCTIO

SUMMARIUM

1. Variæ in Ecclesia Dei habentur in praxi Unctiones, prout diriguntur ad varias personas. — 2. Datur Definitio Sacramenti Extremæ Unctionis. — 3. Est de fide certum Extremam Unctionem esse verum, et proprie dictum Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum. — 4. Hoc Sacramentum probabilius fuit institutum post Resurrectionem. — 5. Materia remota Extremæ Unctionis est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum, proxima autem est ipsamet unctio facta hoc oleo. — 6. Oleum hoc debet secundum communiorem sententiam esse necessario benedictum ab Episcopo necessitate Sacramenti, ita ut adhibito oleo non benedicto ab Episcopo nullum fiat Sacramentum. — 7. Secundum autem alios gravissimos Doctores potest hoc oleum ex commissione Papæ benedici a simplici Sacerdote pro valido, et licito usu hujus Sacramenti. — 8. Affertur alia ratio pro hac opinione. — 9. Oleo benedicto in casu necessitatis ob infirmorum copiam potest valide, et licite sæpius addi oleum non benedictum, dum-

(1) Vide supra v. *Eucharistia* art. 1. num. 57. ad 64. Item 78 et 79. Exstant quoque Joan. Baptistæ Thiers libri quinque Gallico Sermone conscripti, ac duobus tomulis in-12. a n. 1677. comprehensi *De l'exposition du S. Sacrement de l'Autel*, quos non inutile erit consulere (Edit. Barbiell.

Digitized by Google

modo singulis vicibus, minor quantitas addatur non benedicti. — 10. Affertur ad hoc Decretum Sacræ Congregationis supremæ, et universalis Inquisitionis. — 11. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis sunt sequentia verba: *Per istam Sanctam Unctionem*, etc. — 12. Invocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia. — 13. Forma Extremæ Unctionis non potest proferri nisi modo deprecativo, non autem mere indicativo. — 14. Unctiones communiter sunt faciendæ in septem partibus infirmi sub eadem forma, variato solum nomine partis, quæ actualiter ungitur. — 15. Unctio renum in fœminis honestatis gratia est omittenda, sicuti etiam in viris, quando commode infirmi moveri non possunt. — 16. Tunc sive in fœminis, sive in viris non est ungenda alia pars corporis pro ipsis renibus. — 17. Si aliquis careat aliquo ex sensibus, seu mutilatus existat aliquo membro, tunc debet ungi pars illi sensui, seu membro proxima. — 18. Tempore pestis, aut alterius necessitatis qua omnes Unctiones fieri non possunt, sufficit unica unctio in quolibet sensu magis ad Unctionem exposito, cum unica tantum forma omnes corporis sensus exprimente. — 19. Extra tamen casum necessitatis non sufficit ad valorem unica Unctio, nec pro Materia Chrisma. — 20. Tempore pestis possunt fieri Unctiones sine contactu immediato utendo virga longa oleo tincta. — 21. Quamvis extra casum necessitatis sit gravis obligatio in administratione hujus Sacramenti, utendi habitu convenienti, id est superpelliceo et stola, tamen in casu necessitatis potest ministrari sine tali habitu. — 22. Minister validus Sacramenti est solus, et omnis Sacerdos, *ad num.* 25. — 24. Minister licitus hujus Sacramenti est solus Parochus, aut alius Sacerdos de ejus, vel Episcopi licentia. — 25. Regulares non possunt licite sine licentia Parochi, vel Episcopi, aut privilegio Papæ hoc ministrare, immo illud ministrando incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. — 26. Immo in casu necessitatis, quo non extante Parocho, infirmus jam ageret animum, tunc Regularis sine incursu ullius censuræ, immo et licite, sicut et quicumque Sacerdotes sæculares possunt Extremam Unctionem ministrare. — 27. Extra casum necessitatis nequeunt Regulares sine licentia Episcopi, vel Parochi administrare Extremam Unctionem neque Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur. — 28. Possunt tamen Regulares sine ulla tali licentia ministrare Extremam Unctionem Famulis domesticis, et continuis Commensalibus intra eorum Monasteriorum septa residentibus. — 29. Non est necesse, quod Extrema Unctio conferatur a pluribus Sacerdotibus. — 30. Immo extra necessitatem non est licitum quod Unctiones fiant a pluribus, saltem apud nos Latinos. — 31. Ecclesiæ consuetudo, et praxis declarat, ut unus Minister omnes Unctiones, adeoque totum Sacramentum perficiat, excepto casu necessitatis. — 32. Si dum Sacerdos ungit, corripiatur repentino morbo, et moriatur, alius Sacerdos potest, et debet perficere Unctiones partium non unctarum, Unctiones tamen a primo factas non iterando. — 33. Numquam potest, nec licite, nec valide conferri hoc Sacramentum a pluribus, ita ut unus Sacerdos ungat, et alter formam proferat. — 34. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, rationis capax, et in periculo probabili mortis constitutus, ex morbo, vulnere, partu, senectute, veneno, et morsu rabido. — 35. Pueris usum rationis habentibus dari potest Extrema Unctio etiam antequam ad Eucharistiam admittantur. Item moribundis sensibus destitutis quamvis communionem non possint recipere, si ante petierint, aut Christiane vixerint: Et sic etiam dari potest phreneticis, et delirantibus, non tamen perpetuo amentibus. — 36. Non potest dari hoc Sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut præliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, mulieres partui periculoso vicinæ. — 37. Extrema unctio iterum conferri potest, si infirmus postquam revaluisse videbatur, in periculum mortis recidat. — 38. Nullum extat præceptum suscipiendi Extremam Unctionem. — 39. Non suscipere hoc Sacramentum per se loquendo secluso scandalo, et contemptu, non est peccatum mortale, et multo minus peccant mortaliter domestici, si id non procurent. — 40. Est tamen peccatum mortale ipsum negligere, seu non suscipere ex contemptu. — 41. Sic etiam hoc Sacramentum non suscipere, seu negligere, posset esse peccatum mortale ratione scandali secuturi. — 42. Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc Sacramentum negligat, aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus. — 43. Immo Parochus tenetur sub mortali ministrare, sive per se, sive per alium Extremam Unctionem infirmo peste infecto, etiam cum periculo contagii, si ipse infirmus non possit aliud Sacramentum recipere. — 44. Quinimmo Parochus tenetur etiam cum periculo contagii ministrare, sive per se sive per alium hoc Sacramentum moribundo peste infecto, etiamsi receperit Sacramentum Pœnitentiæ, sed non Eucharistiæ. — 45. Effectus speciales et præcipui Sacramenti Extremæ Unctionis sunt quatuor. Primus est remissio peccatorum venialium primario, et per se, et mortalium secundario, et per accidens. — 46. Secundus est alleviare infirmum. — 47. Tertius est peccatorum reliquias abstergere. — 48. Quartus est liberare infirmum ab infirmitate sua corporali ubi saluti animi id expedierit. — 49. Oleum infirmorum ubi, et quomodo asservari debeat? ad n. 50. — 51. Sacculus pro includendo oleo infirmorum debet esse violaceus. — 52. Subnectuntur Supplementa Auctoris, ad n. 67. — 68 ad 73. De benedictione olei. — 74. ad 78. Forma hujus Sacramenti. — 79. Partæ inungendæ — 80. ad 85. Ministri extremæ Unctionis. — 86. ad 93. Quibus hoc Sacramentum administrari possit.

I (1. Variæ in Ecclesia Dei habentur in praxi Unctiones, prout diriguntur ad varias personas. Prima est Catechumenorum, quos oleo benedicto Sacerdos ante Baptismum ungit in pectore, et inter scapulas. Secunda Baptizatorum, quos Chrismate ungit Sacerdos in vertice. Tertia Confirmatorum, qui per Episcopum unguntur in fronte. Quarta Principum sæcularium, qui humeris, et brachiis unguntur. Quinta est Sacerdotum, et Episcoporum, quæ fit in illorum Ordinatione. Sexta est infirmorum ad extrema reductorum, de qua solum in præsenti est sermo. Unde *Extrema Unctio* dicitur, ut observat Tridentini Concilii Catechismus, par. 2, ibi: « Quare hæc Unctio a majoribus nostris Sacramentum etiam Unctionis infirmorum, et Sacramentum exeuntium dicta est, » et ipsum Tridentinum, sess. 14, cap. 3, *de Extrema Unct.* dicit expresse, « Unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur ? »

(2. Sacramentum Extremæ Unctionis « est Unctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata a Sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione divina efficaciter significans curationem finalem venialium. » Sic Scotus, in 4. dict. 23, quæst. unica. (3. Est de fide certum, Extremam Unctionem esse verum, et proprie dictum Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum.

Digitized by Google

Sic docet Concil. Florent. in decreto *Unionis*, et Tridentinum, sess. 14, *de Extrema Unction* c. 1, ibi : « Instituta est autem Sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam vere, et proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino Nostro apud Marcum quidem, c. 6 insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini Fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum. (*Jacobi* v.) *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus et si in peccatis sit, dimittentur ei.* » Et ibidem Canon. 1. sic definit Concilium contra Hæreticos : « Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. » Et jam hoc definierat etiam sess. 7, can. 1, ubi anathematizat dicentes non fuisse a Christo Domino instituta omnia Sacramenta Novæ legis, et ipsa esse plura, vel pauciora, quam septem, inter quæ expresse enumerat Extremam Unctionem. (4. Hoc Sacramentum Extremæ Unctionis probabilius fuit institutum post Resurrectionem, quando Christus, *Joann.* xx, instituit Pœnitentiam, cujus consummativam esse Extremam Unctionem dicit Tridentinum, sess. 14, *de Extrema Unctione*, in procemio.

(5. Materia remota extremæ Unctionis est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum. Proxima autem est ipsamet Unctio facta hoc oleo. Est communis, et constat ex Concilio Florentino, in decreto Unionis, ubi dicit, quod « Extremæ Unctionis materia est oleum Olivæ per Episcopum benedictum, » et Tridentino, sess. 14, *de Extrema Unction.* cap. 1, ibi : « Intellexit enim Ecclesia materiam (Extremæ Unctionis) esse oleum ab Episcopo benedictum, » et constat etiam ex verbis Apostoli Jacobi, c. vi, ibi : *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* (6. Oleum hoc debet necessario esse benedictum ab Episcopo necessitate Sacramenti, ita ut adhibito oleo non benedicto ab Episcopo, nullum fiat Sacramentum. Est communior Doctorum sententia. Et colligitur ex traditione Apostolica, ut tradit Beda, in cap. vi *Marci*, ibi : « Unde patet ab ipsis Apostolis hujus Sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut Energumeni, et alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato. » Idem expressius tradidit Concil. Tridentin. sess. 14, c. 1, *de Extrem. Unction.* ibi : « Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum hujus salutaris Sacramenti; Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. » Et sic tenent Sanctus Thomas, in 4, dist. 23, quæst. 1, art. 3, ad quæst. 4, et in supplement. quæst. 30, art. 6. Sanctus Bonaventura, in 4, dist. 23, art. 1, quæst. 3. Scotus, ead. dist. num. 5. Layman, lib. 5, tract. 8 *de Extrem. Unct.* cap. 1, num. 1. Durand, quæst. 6. Paludan.

in 4, dist. 33, q. 1, art. 1. Reiffenstuel, in *Theol. moral.* tract. 14, dist. 11, quæst. 1, num. 7. Henno, tom. 2, disp. unic. *de Extrema Unct.* quæst. 3, concl. 2. Pontas, verb. *Extrema Unctio*, cap. 3. Silvius, in supplement. S. Thom. quæst. 29, art. 5 et 6. Fagnan, lib. 1, decret. in cap. *Cum venisset.* 1, *de Sacra Unctione*, n. 51 et 52. Bellarmin, cap. 7. Suarez, disp. 40, sess. 1. Coninch. tom. 2, disp. 19, dub. 2. Sotus, in 4, dist. 23, qu. 1, art. 3. Aversa, sect. 2. Dicastil. *de Sacram. Extremæ Unction.* num. 32. Felix Potestas, tom. 1, num. 3908, et alii passim, et Gobat, *de Extrema Unction.* num. 784, ubi testatur esse de communi Theologorum; La Croix, lib. 6, par. 2, num. 2092, ubi asserit quod communissima dicit ex præcepto Christi requiri hic Benedictionem Episcopi.

(7. Non desunt tamen magni nominis Doctores qui dicunt simplicem Sacerdotem ex Papæ commissione oleum benedicere posse pro usu hujus Sacramenti. Sic Cajetanus 2, 2, quæst. 7, art. 3. Victoria, *de Extrema Unct.* num. 216. Henr. lib. 3, cap. 8, num. 1. Zambranus, cap. 5, *de Extrema Unct.* num. 7. Roding. *Theolog. Scolast.* tom. 5, quæst. 21, art. 2. Frassen, *de Sacrament. Extremæ Unct.* concl. 1. Juenin *de Extrema Unction.* quæst. 3, concl. 4. Rosignolus, *de Extrema Unction.* quæst. 1, art. 5, num. 12, et alii. Et probant a pari de Sacramento Confirmationis, cujus licet ordinarius minister sit solus Episcopus ex Concilio Florentino, in decreto Eugenii VI, de unione Armenorum, et in Tridentino, sess. 9, canon. 3, *de Confirm.*, tamen ex dispensatione summi Pontificis potest ipsam ministrare etiam simplex Sacerdos, ex cap. *Pervenit* 1, dist. 95, ubi refertur Sanctum Gregorium Papam hanc facultatem concessisse Presbyteris Sardiniæ propter defectum Episcoporum, ibi : « Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant concedimus. » Et hoc expresse indicat Eugenius IV, in Concilio Florentino, loc. cit. ibi : « Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, et urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc Sacramentum confirmationis administrasse. » Et talem facultatem concesserunt etiam alii summi Pontifices variis Religiosis, ut Innocentius IV Patribus Prædicatoribus, Joannes XXII et Leo X Fratribus Minoribus pro Indis, teste Rodriquez in suo Bullario Regular. in Bulla Leonis X, Gregorius XIII Patribus Societatis, ut testatur Suarez, et alii alii. Unde inferunt ipsi, ergo etiam ex concessione Summi Pontificis poterit simplex Sacerdos oleum infirmorum sanctificare, cum videatur quid majus confirmare, quam oleum simpliciter benedicere, et sanctificare. (8. Tum quia id patet ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ Græcæ, in qua simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi, approbante Romano Pontifice, oleum infirmorum benedicunt, quam consuetudinem approbavit Clemens VIII in instructione super ritibus Græcorum de oleo

Digitized by Google

Catechumenorum, et infirmorum Constit. incip. *Sanctissimus;* ubi expresse hæc habet: « Non sunt cogendi Presbyteri Græci, olea Sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere. Cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur; Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritus benedici potest, cogantur accipere. » Ex quibus docte infert Rosignolus, loc. cit. num. 11, « quod benedictio Episcopalis non sit de necessitate Sacramenti, sed sufficiat Sacerdotalis. Si etenim esset de necessitate Sacramenti, etiam apud Græcos requireretur, ut ex se patet; unde quod refertur ex Conciliis supra recensitis intelligendum est solummodo de necessitate præcepti. » Hæc ipse, qui num. 12 in fine concludit: « In hoc consulendam arbitror Sacram Congregationem. Quæ revera opinio non est inferioris ponderis, ne dicam majoris, quam prima. »

(9. Oleo benedicto in casu necessitatis ob infirmorum copiam potest valide et licite sæpius addi oleum non benedictum, dummodo singulis vicibus minor quantitas addatur non benedicti, ut colligitur ex c. *Quod in dubiis* 3, *de consecrat. Eccles. vel Altaris, et in Rituali Romano sub tit. de Extrema Unctione*, et ex responsione Sacræ Congr. Supremæ, et Universalis Inquisitionis ad dubium, ut sequitur:

Eminentissimi, e reverendissimi Signori.

« Determinandosi nel Decreto di cotesta Sacra Congregazione fatto sotto li 2. Marzo 1679. sopra la condanna di 65. Proposizioni, che circa il valore de' Sacramenti non si debba seguire l' opinione probabile, lasciata la più sicura. Ed essendo opinione controversa tra Theologi, se per supplire all' Oglio Santo che mancasse, sia lecito, aggiungere del non benedetto in più volte: purchè l'aggiunto considerato separatamente, ed in ogni aggiunta, sia in minor quantità dell' oglio Santo, benchè considerate tutte le aggiunte insieme fosse maggiore; di qui è nato dubbio nella Diocesi di Sevilla, nella quale per la sua vastità è impraticabile benedire tant' oglio, che basti senza l'aggiunta; se sia lecito fare detta aggiunta all' oglio Santo, per esservi molti Theologi, che tengono l'opinione negativa per più sicura. Onde per avere la risoluzione di tal dubio l'Arcivescovo di Sevilla, devotissimo Oratore, fece porgere all' Eminenze Vostre un memoriale consultivo, nel quale si deducevano le opinioni di Theologi sopra questo punto. Ma non avendo fin' ora avuta la dichiarazione supplica perciò l' E. E. V. V. degnarsi di dargliela per sicurezza, e quiete della coscienza propria, e del suo gregge.

(10. « Feria quinta die 23 Septembris 1682. in Generali Congregatione S. Officii habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam, coram Eminentissimis et Reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis; Lecto supradicto memoriali, Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinales Inquisitores prædicti decreverunt, in casu proposito posse.

« *Franciscus Richardus S. R. et Univers. Inquisit. Notarius.* »

(11. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis sunt sequentia verba: « Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum, odoratum, etc.) deliquisti. Amen. » Sic Concilium Florentinum, et Tridentinum locis cit. una cum Rituali Romano sub. tit. *de Extrema Unct.* (12. Invocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia, quia concilium Florentin. et Tridentin. præmissam formam assignant. Communis. (13. Forma Extremæ Unctionis non potest proferri, nisi modo deprecativo, non autem mere indicativo, quia ita instituit Christus, prout promulgavit D. Jacobus cap. v: *Inducat Presbyteros, et orent super eum*, quod satis indicat formam hujus Sacramenti debere esse deprecatoriam, ut tradunt communiter Doctores. (14. Unctiones communiter sunt faciendæ in septem partibus infirmi sub eadem forma, variato solum nomine partis, quæ actualiter ungitur. Ita expresse Concilium Florentinum loc. cit. et Rituale Romanum Pauli V. sub tit. *de Extrema unctione.* (15. Ubi ipsum Rituale dicit: « Unctionem renum in feminis honestatis gratia omittendam esse, sicuti etiam in Viris quando infirmi commode moveri non possunt. (16. Neque tunc sive in feminis sive in Viris alia pars corporis debet ungi pro ipsis renibus. » Rituale *ibidem.* (17. « Si tamen aliquis careat aliquo ex sensibus, v. g. visu, seu mutilatus existat aliquo membro, v. g. manu, vel pede, tunc debet ungi pars illi sensui, seu membro proxima, quia peccare potuit, licet non per sensus externos, per potentias internas illis correspondentes, vel per desiderium actus illiciti. » Rituale *ibidem.*

(18. Tempore pestis, aut alterius necessitatis, quo omnes unctiones fieri non possunt, sufficit unica Unctio in quolibet sensu magis ad unctionem exposito, ac detecto, cum unica tantum forma omnes corporis sensus exprimente sic: « Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, gressum, et lumborum delectationem. Amen. » (19. Extra tamen casum necessitatis non sufficit ad valorem unica Unctio, nec pro materia Chrisma, sed debet esse oleum benedictum a Chrismate distinctum. Scotus in 4. dist. 25. litt. *D.* quia opiniones affirmantes, utpote minus tutæ, et exponentes Sacramentum periculo frustrationis et nullitatis, non sunt practicandæ ex Decreto Innocentii XI. die 2 Martii 1679. in quo inter alias fuit damnata sequens propositio prima in ordine: « Non est illicitum in Sacramen-

Digitized by Google

tis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.» Solum igitur hoc esset licitum in casu necessitatis, quo non adesset nisi Chrisma, vel non possent fieri omnes Unctiones, sicuti in casu necessitatis baptizandi infantem, si non possit haberi aqua naturalis, aut nequeat ablui in capite, licitum est eum baptizare sub conditione in lixivio, in digito, et hujusmodi, cum in tali casu tutius procuretur salus animæ infantis, quam nullo modo eum baptizando. (20. In casu necessitatis, v. g. tempore pestis, possunt fieri Unctiones sine contractu immediato utendo virga longa oleo tincta. (21. Immo Dicastil. tom. 3. num. 150 dicit se vidisse a viris non indoctis ministrari Extremam Unctionem, mediante argentea virgula etiam extra tempus pestis; sed hoc est in re notabili contra universalem consuetudinem Ecclesiæ (1). Sic quamvis extra casum necessitatis sit gravis obligatio in administratione hujus Sacramenti, utendi habitu convenienti, id est superpelliceo et stola, tamen in casu necessitatis potest ministrari sine tali habitu; La Croix lib. 6. part. 2. num. 217. et communior aliorum contra Bonacinam, Naldum, Suarez, et alios.

(22. Minister validus hujus sacramenti est solus et omnis Sacerdos. Quod sit solus Sacerdos habetur ex *Epist. D. Jacobi* cap. 5. ubi legitur introducendos esse ad infirmum, non Laicos, non quoslibet, sicut in Baptismo, sed Presbyteros; ibi: *Introducant Presbyteros, et orent super eum;* et habetur ex Concil. Florentin. in Decreto Armenorum, ibi: « Minister hujus Sacramenti, nempe Extremæ Unctionis, est Sacerdos; » et ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. de Extrema Unctione, ubi expresse dicitur: « Proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primiores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes; » et ibidem canon 4. anathematizat contrarium sentientes: « Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit. » (23. Quod omnis Sacerdos possit valide hoc Sacramentum conferre, videtur evinci ex textu *D. Jacobi* cap. v. Ibi: *Introducat Presbyteros*, ubi indefinite ponuntur Sacerdotes sine ulla prorsus exceptione, cum potestas illa competat Sacerdoti non ratione jurisdictionis, sed ratione Ordinis, ut confirmat communis Ecclesiæ sensus, et per hoc Apostolus dicit, *introducat* non Episcopum, non Parochum, sed *Presbyteros Ecclesiæ*, ut ostendat potestatem illam cuilibet Sacerdoti competere. Unde validum est hoc Sacramentum, etiamsi conferatur a Sacerdote excommunicato, irregulari, degradato, etiam contradicente Parocho, quia sicut retinet potestatem Ordinis, ita et potestatem hujus Sacramenti valide ministrandi; Est communis teste Rosignol. *de Extrema Unctione* quæst. 2. art. 2. n. 1 et 2. (24. Minister autem licitus hujus Sacramenti est solus Parochus, aut alius Sacerdos de ejus, vel Episcopi licentia. Est communis, ac certa.

(25. Unde nec Regulares possunt licite sine licentia Parochi, vel Episcopi, aut privilegio Summi Pontificis hoc ministrare, immo illud ministrando incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. Clement. 1. *de Privileg.* (26. In casu tamen necessitatis, quo non extante Parocho infirmus jam ageret animam, tunc Regulares sine incursu ullius censuræ, immo et licite, sicuti et quicunque Sacerdotes sæculares, possunt Extremam Unctionem ministrare ex præsumpto consensu Episcopi, vel Summi Pontificis; Valentia tom. 4. disp. 8. quæst. 1. punct. 2; Reginald. lib. 18. n. 408 et lib. 28. n. 61. Suarez tom. disp. 44. sect. 2. num. 3. Navarr. cap. 17. num. 101. Henriquez in summa lib. 3. c. 13. num. 4. Huetius in *Thesauro animæ* tom. 4. verb. *Unctio extrema* n. 5. in explicat. litt. D. Thomæ. Rosignol. *de extrema Unctione* q. 2. art. 2. n. 10. et alii passim. (27. Extra casum necessitatis nequeunt Regulares sine licentia Episcopi, vel Parochi administrare Extremam Unctionem neque Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur; Sac. Cong. Conc. in Monopolitana 27. Sept. 1670. ubi expresse censuit « non licet Fratribus absque licentia Episcopi, vel Parochi administrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, et si decedant, non posse sepeliri in eorum Ecclesiis, » lib. 26. Decret. fol. 444. (28. Possunt autem Regulares sine ulla licentia ministrare Extremam Unctionem famulis, domesticis, et continuis commensalibus intra eorum Monasteriorum septa residentibus; Vid. verb. *Approbatio*, art. 1. a n.

(1) Tempore pestis grassantis, extremam conferri posse unctionem eo morbo laborantibus oblonga adhibita virga, seu alio instrumento, cujus extremæ parti alligatus sit firmiterque adhæreat gossipii pugillus sacro imbutus oleo, quo inungatur infirmus multorum testimonio Theologorum probat Benedictus XIV, in Synodo diœcesana lib. 5, cap. 19, edit Rom. 1755. Sed ejusdem SS. Pontificis verba digna sunt, quæ audiantur. *In Rituali Romano*, sunt illius verba, in ordine ministrandi hoc Sacramentum hæc verba leguntur: « Deinde intincto pollice in oleo Sancto in modum Crucis ungit infirmum: ex quibus oritur obligatio, semota necessitatis causa, sectandi præscriptam ibi methodum, ita ut qui secus agit peccati reatum incurrat. At quoties adsit gravis urgensque necessitas expeditos, facilesque inveniendi modos, quibus pestifero morbo infecti hujus sensi participes fieri possunt, nulla subest justa ratio, quæ possit Episcopum remorari, ne facultatem faciat Sacerdotibus Extremæ Unctionis Sacramentum superius indicato modo, nempe per instrumentum ut diximus, administrandi. » (Nota Rom. Theol.)

Digitized by Google

64. ad 70. et verb. *Eucharistia*, n. 17. et 18.

(29. Non est necesse, quod Extrema Unctio conferatur a pluribus Sacerdotibus; cap. *Quæsivit* 14. de verb. *Signific.* ibi: « Sacerdos uno præsente clerico, et etiam solus potest infirmum ungere. » Est communis. (30. Immo extra necessitatem non est licitum quod Unctiones fiant a pluribus, saltem apud nos Latinos. Communis. Ecclesiæ enim consuetudo, et praxis declarat, ut unus Minister omnes Unctiones, adeoque totum Sacramentum perficiat, excepto casu necessitatis; (31. Ut si infirmus videatur moriturus, antequam unus solus minister omnes Unctiones perficere possit, tunc plures ministri possunt ipsas unctiones perficere, ita ut unus unum sensum ungat proferendo formam ei correspondentem, et alter alterum ungat sensum prolata itidem forma ei correspondente, et sic de communi testatur Suarez disp. 43. sect. 2. num. 8. Et fortasse S. Jacobus ideirco Presbyteros nominavit, ut significaret plures ad hujus Sacramenti ministrationem concurrere posse. Layman lib. 5. tract. 8. c. 6. in fine. (32. Sic etiam si dum Sacerdos ungit, corripiatur repentino morbo, et moriatur, alius Sacerdos potest, et debet perficere unctiones partium non unctarum, unctiones tamen a primo factas non iterando. *Act. Eccles. Mediolanen.* tom. 1. part. 4. *de Sacramento Extremæ Unctionis*, vers. *Si Æger*, et Communis. (33. Nunquam potest, nec licite nec valide conferri hoc Sacramentum a pluribus simul, ita ut unus Sacerdos ungat, et alter formam proferat; Ita de communi testatur Nugnus in addit. ad tertiam partem quæst. 41. art. 3. et Rosignolus, loc. cit. art. 3. n. 3.

(34. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, rationis capax, et in periculo probabili mortis constitutus, ex morbo, vulnere, partu, et senectute, et morsu rabido. Communis. (35. Pueris usum rationis habentibus dari potest Extrema Unctio, etiam antequam ad S. Eucharistiam admittantur. Item moribundis sensibus destitutis, licet Communionem non possint recipere, si ante petierint, aut christiane vixerint. Et sic etiam dari potest phræneticis, et delirantibus. Non tamen perpetuo amentibus. Communis. (36. Nec potest dari hoc Sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut præliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, mulieres partui periculoso vicinæ, et hujusmodi, quia licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi, quibus solum est administranda extrema Unctio, juxta textum *Divi Jacobi* cap. v: *Infirmatur quis in vobis*, etc. (37. Extrema Unctio iterum conferri potest, si infirmus, postquam revaluisse videbatur, in periculum mortis recidat. Communis. (38. Nullum præceptum extat extremam Unctionem recipiendi, cum ad salutem necessaria non sit. Sic. S. Thomas in 1. dist. 23. qu. 1; Scotus in 4. dist. 7. qu. 2; S. Bonaventura, et alii communiter. (39. Unde non suscipere hoc Sacramentum per se loquendo, secluso scandalo, et contemptu, non est peccatum mortale, et multo minus peccant mortaliter domestici, si id non procurent. Communis. (40. Est tamen peccatum mortale ipsum negligere, seu non suscipere ex contemptu. Communis; et patet ex verbis Concilii Tridentini l. cit. cap. 3. ibi: « Nec tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset. » (41. Sic etiam hoc Sacramentum non suscipere, seu negligere, posset esse peccatum mortale ratione scandali secuturi, ut si infirmus interrogatus, num ante vitæ exitum velit illud accipere, et ipse nulla rationabili causa allata renuat, atque exinde audientes, vel possunt de illo falsam suspicionem hæresis concipere, vel ob Personæ auctoritatem et characterem, possint moveri ad hujus Sacramenti vilipensionem. Communis.

(42. Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc Sacramentum negligat aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus; in re enim gravi non præstat id, ad quod tenetur ex justitia. Communis. (43. Immo Parochus tenetur sub mortali ministrare sive per se, sive per alium Extremam Unctionem infirmo peste infecto etiam cum periculo contagii, si ipse infirmus non possit aliud Sacramentum recipere; tunc enim est extrema necessitas Parochiani forte constituti in mortali quo per hoc Sacramentum liberari potest, vel si in mortali non sit, poterit accipere vires ad resistendum Dæmoni, et feliciter emigrandum. Sic communiter doctores, cum Carden. in 1. *Crisi* disput. 77. c. 3. n. 23. (44. Quinimo Parochus tenetur etiam cum periculo Contagii ministrare sive per se, sive per alium hoc Sacramentum moribundo peste infecto, etiam si receperit Sacramentum Pœnitentiæ, sed non Eucharistiæ, quia licet in tali casu non esset in extrema necessitate, esset tamen in gravi, in qua etiam tenetur subdito subvenire Parochus; potuit enim Pœnitentia ex parte dispositionis Pœnitentis fuisse defectuosa, quæ per hoc Sacramentum per accidens supplebitur in ordine ad causandam primam gratiam: sic ut certa traditur a Card. l. cit. num. 34. et La Croix lib. 1. part. 2. num. 2112. Intelligo tamen modo dicto sub verb. *Pestis* n. 8. et 9. Vide ibi.

(45. Effectus speciales et præcipui Sacramenti Extremæ Unctionis sunt quatuor. Primus est remissio peccatorum venialium primario, et per se, si quæ habeat infirmus nondum aliunde remissa, et remissio mortalium secundario, et per accidens, si v. g. infirmus reperiatur cum peccatis mortalibus a se invincibiliter ignoratis, quatenus bona fide confessus est, sed ob aliquem defectum essentialem a se invincibiliter ignoratum confessio fuit invalida, tunc enim hoc Sacramentum confert per accidens primam gratiam. Sic communiter Doctores, et colligitur ex textu D. Jacobi, ibi: *Et si in peccatis sit, dimittuntur ei*, » super quæ verba Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. *de Extrema Unction.*

Digitized by Google

explicans rem, seu effectum hujus Sacramenti, sic ait: « Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. » (46. Secundus effectus est alleviare infirmum; textu expresso in cit. *Canonica D. Jacobi* cap. v. ibi: *Et alleviabit eum Dominus*. Dicitur autem hoc Sacramentum alleviare infirmum, in quantum, ut ait Concilium Tridentinum, loc. cit., « Ægroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert, et tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit. » (47. Tertius hujus Sacramenti effectus est peccatorum reliquias abstergere. Conc. Trid. loc. cit. ibi: «Ac peccati reliquias abstergit,» quæ peccatorum reliquiæ ex communi Theologorum sunt animi languor, torpor, mœror, tristitia, fastidium, anxietas, et aliæ hujusmodi pravæ affectiones, quæ ex peccatis præteritis eorumque recordatione oriri solent, et Dæmon in illo tunc vehementius suscitat, et in mentem moribundi efficacius inducit, ut facilius ad finalem desperationem reducat, juxta illud *Apocalypsis* cap. 12. num. 12. ibi: *Descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet*, et juxta illud Concilii Tridentini loc. cit. ibi: « Etsi Adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, et captet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit, nullum tamen tempus est quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, Divinæ Misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ respicit. » Unde ad supradicta omnia removenda, et superanda plurimum conducit digna hujus Sacramenti susceptio, juxta verba Tridentini allata supra n. 47. (48. Quartus hujus Sacramenti effectus est liberare infirmum ab infirmitate sua corporali, ubi saluti animæ id expedierit, juxta illud D. Jacobi Apostoli cap. v ibi: *Et oratio fidei salvabit infirmum*; et notat Concil. Trid. loc. cit. c. 2. dicens, quod infirmus virtute hujus Sacramenti, « sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. »

(49. Oleum infirmorum asservari debet in Ecclesia tantum, nisi Episcopus concesserit alicui illud tenere domi ob distantiam domicilii. *Act. Eccles. Mediolan. Concil. Prov.* 3. (50. Et eo casu domi in fenestella panno serico vestita intus, et sub clavi retineri debet; *ibid. Concil Prov.* 4. (51. Sacculus pro includendo oleo infirmorum debet esse violaceus, cum chordulis, ut de collo pendens ad ægrotos deferri possit. *Ibid. Concil. Prov.* 3. Gavant. *Manual. Episcopor.* verb. *Olea Sacra.*

(52. Per unum, vel plures Presbyteros Græcos administrari potest Extrema Unctio, ubi viget talis consuetudo; (53. dummodo credant, et asserant illud Sacramentum, servata debita materia, et forma ab uno Presbytero valide, et licite confici. (54. Et dummodo idem, qui ungit, formam proferat Sacramenti, nec alius ungat, et alius formam pronunciet. Benedictus XIV, tom. 1. Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* § 5.

Juvat hic summatim collecta subjicere quæ in præsenti materia tradit Benedictus XIV in suo eximio opere de *Synodo diœcesana*.

(55. Extremam Unctionem verum esse novæ Legis Sacramentum a Christo Domino institutum per Apostolum Jacobum fidelibus commendatum, et promulgatum, Tridentini PP. definiverunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum bacchis expressum, nulli alteri materiæ saltem ex perpetuo usu Ecclesiæ immixtum; quæ tamen materia, si in parva quantitate fuerit adeo ut non destruat olei speciem, validitati Sacramenti nequaquam officit. Debet vero oleum istud Episcopali benedictione ante sacrari, ut ex antiquissima PP. traditione colligitur. Ita tamen ab Episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilo secius possit ex commissione sive tacita, sive expressa Romani Pontificis a simplice Sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo Ecclesiæ Orientalis eruitur; ita docet Pontifex cit. Op. lib. 7. c. 16.

(56. Unctionis extremæ forma in Rituali Rom. expressa est deprecativa, numquam tamen definitum est ab Ecclesia, an hæc ita necessaria sit, ut non æque ad Sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen, aliter quam in Rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

(57. Partes ungendæ aliæ quidem necessariæ sunt, ut Sacramentum fiat: aliæ necessitate, uti vocant, præcepti; aliæ vero, ratione aliqua suadente, tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum, et renum unctio; hæc enim in feminis omittitur, illa vero ex gravi incommodo præteriri potest. Cæteræ quinque sensuum unctiones saltem ex præcepto adhibendæ sunt; num vero singulæ ita sint necessariæ ut absque illis Sacramentum non consistat, alii aliter disputant. Si necessitas urgeat, ægri, qui mox decessurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronunciata forma, quam Rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum. ibid. cap. 18.

(58. Sacramenti hujus ministros esse Sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit; ita definiente Tridentino sess. 14. cap. 4. Quamquam vero conferri a pluribus simul Sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant, usus tamen jam inde a pluribus sæculis in latinam Ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat Sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. Ibid. cap. 19. § 5. Laudabile tamen fuerit si dum res sacra peragitur plures adsistant Sacerdotes, vel saltem probi viri, *Ut oratio totius Ecclesiæ* ad effectum hujus sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt S:

Digitized by Google

Thomæ cap. 72. lib. 4. *contra Gentes;* ibid. § 5.

(59. Ministrare istud Sacramentum valide omnes Sacerdotes possunt; uni tamen Parocho de jure competit, cum sit ejus minister ordinarius. Alii, si id audeant absque Parochi facultate, contra statutum in Catechismo Romano, peccant. Quinimo Religiosi ægrotum ungentes, minime a Parocho petita venia præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidunt Apostolicæ sedi reservatam in Clement. 1. *de Privileg.* excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum caritatis, non auctoritatis abusum exercent. Hæc dicta sint de Latinis Sacerdotibus, cum de Græcis alia sit ratio; nam apud illos mos est, nec a Romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc Sacramento conferendo septem Sacerdotes, vel saltem tres præsto sint. *Ibid.* § 8.

(60. Unguntur vero fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est eis, quibus certum non adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium inituris, ultimo supplicio afficiendis : cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum Sacramentum, vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget Græcorum consuetudo ungendi bene valentes; nam si id agant rati se conferre verum Sacramentum, increpandi acriter sunt, et prohibendi : sicut tunc etiam, cum, ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentes inungunt. *Ibid.* cap. 20. per tot.

(61. Providendum est tamen a Parocho, ne in hoc Sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet; sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus, precibus Sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc Sacramentum, quamquam non est de præcepto, petentibus deneget; id enim si vel ille negaret, vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opinentur, ægrotum negantem recipere Sacram unctionem, reum haberi lethalis culpæ, cum ex contemptu Sacramenti id renuere merito censeri possit. *Ibid.* cap. 22.

(62. Pueris ante usum rationis ex perpetua Ecclesiæ doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, ætas illa firmior expectanda non est, qua Sacramenti Pœnitentiæ capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuo amentes, et furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans, inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tuncque inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. *Ibid.* cap. 21.

(63. Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere Sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc Sacramento juvari oportet, si præsertim sensibus destituti, aliorum Sacramentorum remedio juvare se non possint. *Ibid.* cap. 21. per tot.

(64. Ordo in hoc Sacramento conferendo quamquam non idem fuerit semper in tota Ecclesia, cum alii statim post Sacramentalem absolutionem ante Viaticum ægrotos inunxerint, alii post Viaticum : cum tamen Ecclesiæ Romanæ disciplina in Catechismo Concilii Trident. expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat ut ab ea non recedatur. *Ibid.* cap. 23.

(65. Eodem morbo et periculo perseverante, repetere Sacramentum istud non licet; si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, et novum mortis periculum urgeat, tum iterum unctio peragenda est. *Ibid.* In dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit ut ad Sacramenti iterationem Parochus propendeat. *Ibid.*

(66. An teneatur Parochus Sacramentum hoc administrare peste laborantibus? Ex doctrina Suarii tunc tenetur, quatenus valeat absque morali vitæ periculo.

(67. An valeat Sacramentum, si instrumento, nempe pennicillo inungatur corpus ægroti peste infecti, nihil deducitur; asseritur tamen ritum talem in Ecclesia hucusque fuisse inusitatum; *ibid.* c. 19. § 17. nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(68. Apud Græcos oleum a Presbyteris benedicitur; Goar. *Innot. ad Ritual. Græcor.* not. 22. (69. Benedicit utique et ipse Episcopus ritu Græcorum feria quinta in Cœna Domini sacrum oleum, sed vix facta benedictione, totum oleum consumitur, idque quia Græcorum more, « Cuncti (ait Goar *ibidem*) accessuri ad sacram synaxim in peccatorum expiationem sese ungendos offerunt, et Episcopus ipse primus omnium Œconomi manu unctionem suscipit, quem deinde omnes alii sequuntur, et ab Episcopo unguntur : » (70. Hac itaque unctione licet cæremoniali, « quum oleum totum consumitur, facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parocho ipsi Pontifices tacite ex antiquo more videntur remittere : » ita pergit Goar ubi supra. (71. Nec hanc Græcorum disciplinam unquam improbavit Ecclesia Latina, immo approbavit Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos.

(72. 73. Patet hinc, Concilium Tridentinum non eo sensu oleum ab Episcopo benedictum materiam hujus Sacramenti reputasse, quasi ex divina institutione sine hujusmodi oleo conferri valide hoc Sacramentum nequiret, sed dumtaxat eam esse veram et sufficientem, ac etiam necessariam, spectata scilicet Ecclesiæ Latinæ consuetudine.

(74. Nec forma deprecativa, qua ex Decreto Eugenii IV. et Synodi Tridentinæ utitur Ecclesia Latina, est necessaria ex institutione divina. (75. Eam numquam adhibuit Ecclesia Græca; et tamen Ecclesia Latina numquam de validitate collati hujus Sacramenti cum forma a Græcis usitata, ipsis quæstionem movit. (76. Quinimo ipsa Ecclesia Latina

Digitized by Google

multis sæculis ipsam ignoravit, et usa fuit forma indicativa, ut patet ex *Sacramentario S. Gregorii* apud Ugonem Menardum pag. 251. et notis ipsius Menardi pag. 332. (77. Ostendit præterea Menardus *ibidem*, Formam Ambrosianam relatam a S. Bonaventura esse indicativam. (78. Confer quoque Morin. *de Administr. Sacram. Pœnitent.* lib. 8. cap. 16. Launoium in speciali libro *de Sacramento Unctionis infirmorum*, qui docet, Christum nullam specialem formam hujus Sacramenti instituisse, sed eam instituendi libertatem Ecclesiæ suæ reliquisse.

(79. Quoad partes inungendas, magna etiam fuit olim Ecclesiarum diversitas. De hac diversitate consule mox laudatum Launoium in citato libro sub hoc titulo : *Explicata Ecclesiæ traditio circa partes corporis, quæ unguntur in Sacramento Extremæ Unctionis* cap. 1. et cap. 2. observ. 1.

(80. Ministros hujus Sacramenti esse Presbyteros docuit S. Jacobus, confirmavit traditio Ecclesiæ, et declaravit Concilium Tridentinum. (81. Plures vero S. Jacobus Presbyteros inducit. (82. Quare ritu Græcorum plures interveniunt, nec tantum intersunt, sed etiam inungunt ; Goar, in not. ad *Ritual. Græcor.* pag. 408. et 438. (83. Neque Græcorum sed et Latinorum praxis antiquitus fuit, ut plures Presbyteri ad Sacræ Unctionis ministerium vocarentur, atque simul pro infirmo orarent, ut patet ex *Sacramentario S. Gregorii* apud Menard. pag. 253. (84. Seculo vero XII. fuit dubitatum, an plures requirerentur, et unum sufficere fuit resolutum cap. 14. de V. S. (85. Secundum vero modernam disciplinam non quilibet Presbyter, sed solus Parochus est Minister hujus Sacramenti.

(86. Solis infirmis ex sententia S. Jacobi, traditione Ecclesiæ, et Concilio Tridentino, hoc Sacramentum administrandum ; (87. et ex Rituali Romano constat, requiri infirmitatem periculosam, et quidem talem, ut ob eam videatur naturale mortis periculum imminere. (88. Hæc tamen gravitas infirmitatis non eo usque extendenda est, nec administratio hujus Sacramenti tamdiu differenda, ut nulla convalescentiæ spes supersit, aut ipse infirmus sensibus, et ratione destitutus sit.

(89. An mulieribus in partu laborantibus, hoc sacramentum administrandum ? (90. Quomodo administrandum Pueris ? (91. Amentibus quomodo administrandum ? (92. Et demum, quomodo administrandum infirmis sensu, ac ratione destitutis? tradit Vanespen. *Jur. Eccles. univers.* part. 2. tit. 8. cap. 2. num. 8. et plur. sequent.

(93. De diversitate olim opinionum, circa iterationem hujus Sacramenti, tum de præsenti disciplina, consule pariter eumdem Auctorem ubi supra c. 3. a n. 26 ad finem

F

FALCIDIA.

SUMMARIUM.

1. Falcidia quid sit? — 2. Assignatur motivum ejus originis. — 3. Falcidia dicta est a Falcidio Tribuno plebis, qui illam tulit sub Octaviano Imperatore. — 4. Trebellianica quid sit? — 5. Trebellianica dicta est a Trebellio consule, a quo prodiit Senatus consultum Trebellianum. — 6. Sicuti per Falcidiam positum est temperamentum Legatis : ita per *Trebellianicam*, seu SC. *Trebellianum* positum est temperamentum Fideicommissis. — 7. Falcidia, et Trebellianica in hoc differunt, quod *Falcidia* detrahatur a nimiis et excessivis legatis, *Trebellianica* vero ab excessivo Fidei commisso universali ; et quod *Falcidia* derivetur a Falcidio, *Trebellianica* a Trebellio : Vide aliam differentiam sub num. 33. — 8. Falcidia detrahitur ex omnibus bonis post mortem Testatoris repertis, solutis tamen prius omnibus ejus debitis, expensis funeris, et mercede, seu pretio servorum. — 9. Hæres prætendens hujusmodi detractionem, tenetur ipse probare legata excedere Dodrantem, seu tres partes hæreditatis. — 10. Et si fiat locus dictæ detractioni, hæres tenetur ea omnia in Falcidiam computare, quæ cepit Jure hæreditario. — 11. Non autem tenetur hæres computare in Falcidiam ea quæ capit Jure legati, aut Fideicommissi particularis. — 12. Falcidia non solum detrahitur a Legatis, sed etiam a Fideicommisso particulari. — 13. Item Falcidia detrahitur etiam a donationibus mortis causa factis. — 14. Quantitas bonorum in ordine ad detrahendam Falcidiam, illa præcise debet attendi, et computari, quæ post mortem Testatoris deducto ære alieno, reperta fuit. — 15. Falcidia non detrahitur a Legatis privilegiatis. — 16. Sic Falcidia non detrahitur a Legatis ad pias causas. — 17. Pars Falcidiæ, quæ non potest detrahi a Legatis piis, non est oneranda legatis profanis. — 18. Falcidia non detrahitur ex legatis relictis Ecclesiæ. — 19. Neque detrahi potest Falcidia ex iis, quæ relinquuntur Confraternitatibus, sive cum Episcopi auctoritate, sive absque ea instituntis. — 20. An Falcidia sit detrahenda inter duas causas pias? — 21. Hic cum distinctione est procedendum. Vel ipsæ causæ piæ, scilicet tam instituta hæres, quam legataria, sunt æqualiter favorabiles cultui Divino, Religioni, aut animæ Testatoris : et tunc non est detrahenda Falcidia de legatis piis a causa pia instituta. — 22. Vel causa pia, seu Ecclesia instituta hæres est magis favorabilis cultui Divino, Religioni, aut animæ Testatoris, quam causa pia legataria : et tunc Ecclesia potest detrahere Falcidiam ex legatis piis. — 23. Vel causa pia legataria est magis favorabilis animæ Testatoris, quam causa pia instituta Hæres, et in hoc casu ex legatis piis non potest deduci Falcidia. — 24. Falcidia nullimode detrahitur legatis relictis cum onere Missarum, vel pro exoneratione conscientiæ. — 25. Falcidia non habet locum in testamento Militis. — 26. Neque Falcidia habet locum in casu, quo Testator prohibet Falcidiæ detractionem a legatis, etc. — 27. Hodie de jure communi potest Testator prohibere Falcidiæ detractionem. — 28. Imo Falcidia prohiberi potest a Testatore non solum expresse, sed etiam tacite verbis generalibus, et æquipollentibus, quæ aliud commode significare non possint. — 29. Hinc censetur prohibita ex prohibitione alienationis. — 30. Et ex eo, quod Testator mandaverit integram suam hæreditatem, vel legatum ad aliquem pervenire. — 31. Idem procedit, quoties

Digitized by Google

voluit præstationem legati esse adimplendam absque ulla diminutione. — 32. Falcidia non potest detrahi ab Hærede, qui non confecit inventarium. — 33. Dicta usque modo de Falcidia, intelligenda sunt etiam de Trebellianica, salvis solummodo duabus differentiis, quæ assignantur. — 34. Tertia differentia ab aliquibus assignata non admittitur. — 35. Liberi præter legitimam deducunt etiam Falcidiam vel Trebellianicam. — 36. Aliqui tamen absolute tenent contrarium. — 37. Alii autem tenent posse liberos præter legitimam deducere etiam Falcidiam, vel Trebellianicam casu, quo legata, seu Fideicommissa universalia sub conditione, seu in diem sunt relicta; non item si pure sunt relicta. — 38. Correctiones quinque in Pandectis e Jure novissimo. — 39. Alia differentia. *Remissive*

(1. Falcidia est quarta pars bonorum Testatoris, post mortem ejus, deducto ære alieno, et expensis funeralibus residua, Hæredi scripto nimiis legatis gravato debita; sic clare habetur § *Quantitas autem* 2. et § *Cum autem* 3. instit. *de Leg. Falcid.* et sic communis. (2. Cum enim olim juxta licentiam legis 12. *Tabularum* liberum esset Testatoribus totum patrimonium erogare in legata, seu hæreditatem tot ac tantis gravare legatis, ut Hæredibus onera hæreditatis portantibus, vel nullum, vel nonnisi modicum lucrum remaneret, ac propterea hæreditatem respuerent, lata est lex *Furia* prohibens uni Legatario legari ultra 1000. aureos. Deinde etiam lata est lex *Voconia* prohibens, ne quis plus relinqueret alicui, quam Hæredi; sed cum neutra adhuc sufficeret, lata est lex *Falcidia* prohibens ne plus liceat legare, quam Dodrantem, seu tres partes omnium bonorum, ita ut hæredi semper remaneat saltem quarta pars omnium, quæ inveniuntur tempore mortis Testatoris, post soluta prius debita, expensas funeris, ac mercedem servorum. (3. Hæc quarta pars dicitur Falcidia, et lex eam introducens dicitur lex *Falcidia* a Falcidio Tribuno plebis, qui illam tulit sub Octaviano Imperatore, *Institut. de lege Falcidia*, et Cod. *ad Legem Falcidiam*, et cap. *Quædam* 6. dist. 2. ibi : « Sub eodem quoque Imperatore (Octaviano) Falcidius Tribunus plebis Legem fecit, ne quis plus extraneis in testamento legaret, quam ut quarta pars superesset Hæredibus, ex cujus nomine Lex Falcidia est nominata. »

(4. Trebellianica est quarta pars bonorum Testatoris post mortem ejus, deducto ære alieno, et expensis funeralibus, residua, hæredi scripto, Fideicommisso universali gravato, debita, § *Sed quia* 7. instit. *de Fideicomm. Hered.* et Cod. *ad. S. C. Trebellianum.* Et sic Communis. (5. *Trebellianica* dicitur a Trebellio Consule, a quo prodiit Senatus consultum Trebellianum, quo statuitur, ut hæres Fideicommissarius rogatus seu gravatus totam hæreditatem restituere, possit quartam sibi retinere, ut habetur in citat. § *Sed quia* 7. instit. *de Fideicomm. Hæred.* et Cod. *Ad S. C. Trebellianum* (1). (6. Unde sicuti per Falcidiam positum est temperamentum Legatis, ita per *Trebellianicam*, seu *S. C. Trebellianum* positum est temperamentum Fideicommissis (2). (7. Hinc *Falcidia* et *Trebellianica* in hoc differunt, quod *Falcidia* detrahatur a nimiis et excessivis legatis, *Trebellianica* vero ab excessivo Fideicommisso universali, et Falcidia derivatur a *Falcidio*, Trebellianica vero a *Trebellio*. Vide aliam differentiam infra sub n. 33.

(8. Falcidia detrahitur ex omnibus bonis post mortem Testatoris repertis, solutis tamen prius omnibus ejus debitis, expensis funeris, et mercede, seu pretio Servorum, ita ut si respectu horum omnium bonorum hæres scriptus ob nimia legata non habeat quartam partem, possit eam a dictis legatis proportionaliter detrahere textu expresso in § fin. de lege *Falcidia*; ibi : « Cum autem ratio Legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum, funeris impensa, et pretia servorum manumissorum; tunc demum in

(1) Falsum omnino est ex S. C. Trebelliano permissam esse in fideicommissis quartæ detractionem favore hæredis. Imperante Nerone, cum non ita facile reperiretur, qui defunctorum adire hæreditates Fideicommissarias vellet, ideoque sine effectu remanerent fideicommissa, hinc Trebellio Maximo, et Annæo Seneca Consulibus Senatus consultum prodiit, quo fuit cautum, ut in fideicommissarium omnes tum activæ tum passivæ actiones transirent. Instit. lib. 2, tit. 23, *de Fideicommiss. hæredit.* § 4, l. 2, ff. *ad Trebell.* Nec ultra S. C. Trebellianum processit, sed non satis fuit, ut homines qui non modo de damno vitando, quam de captando lucro solliciti erant, ad fideicommissarias adeundas hæreditates inducerentur. Hinc imperante Vespasiano Augusto, Pegaso et Pasione Coss. « Senatus censuit ut ei, qui rogatus esset hæreditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex Lege Falcidia ex Legatis retinere conceditur. » *Instit.* loc. cit. § 5, cujus Senatus consulti vigore Fideicommissarii adinstar Legatariorum habebantur. Sed expulso S. C. Pegasiano omnis auctoritas a Justiniano tributa est Trebelliano etiam quoad disposita in Pegasiano, et inde Quarta a Fideicommissis detrahenda dicta fuit Trebellianica. Zoes. *Comment. in Instit.* lib. 2, tit. 23, *de Fideicom. hæredit.* § *restituta*, et seq. (Edit. Barbiell.)

(2) Jus deducendi quartam partem bonorum ex toto asse hæreditario Fideicommissis subjecto non ex Trebelliano Senatus consulto, sed ex Pegasiano inductum est, Vespasiani Augusti temporibus, Fusione et Pegaso Consulibus. Cum enim Neronis temporibus An. Urb. Cond. 814, Trebellio Max. et Annæo Seneca Consulibus, Senatusconsulto cautum esset, ut si hæreditas ex Fideicommissi causa restituta sit, omnes actiones, quæ Jure Civili hæredi, et in hæredem competerent, ei, et in eum darentur, cui ex fideicommisso restituta esset hæreditas; atque hæredes scripti totam hæreditatem, aut pene totam restituere plerumque cogebantur, adire hæreditatem ob nullum, vel minimum lucrum recusabant; atque ob id exstinguebantur fideicommissa, Fusione et Pegaso Consulibus Senatus censuit, ut ei qui rogatus esset hæreditatem restituere perinde liceret quartam retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. At quia stipulationes ex SC. Pegasiano descendentes et antiquitati displicuere, et quibusdam in casibus captiosæ judicatæ fuere, placuit expleto SC. Pegasiano omnem auctoritatem Trebelliano SC. præstare, ut quando ex fideicommisso vel nihil, vel minus quarta apud hæredem remaneret, tunc liceret ei hæredi vel quartam, vel quod deesset retinere, vel repetere solutum, quasi ex Trebelliano SC. Legantur *Institutiones* Justiniani lib. II, tit. 23, § 2 et seqq. (Edit. Neapol.)

Digitized by Google

reliqua illa ratio habetur, ut ex eo quarta pars apud Hæredem remaneat, tres vero partes inter Legatarios distribuantur pro rata scilicet portione ejus, quod cuique eorum legatum fuerit. » Et sic Rota part. 2. recentior. dec. 439. numer. 2. et part. 14. dec. 366. n. 8. (9 Hæres tamen prætendens hujusmodi detractionem, tenetur ipse probare legata excedere Dodrantem, seu tres partes hæreditatis; Rota part. 10. recentior. dec. 42. num. 50. (10. Et ubi fiat locus dictæ detractioni, hæres tenetur ea omnia in Falcidiam computare, quæ capit Jure hæreditario; Rota part. 8. dec. 75. num. 7. (11. Non autem tenetur hæres computare in Falcidiam ea, quæ capit Jure Legati aut Fideicommissi particularis; sed si quæ Testator hæredi particulariter legavit, aut fideicommisit, debent conferri ad quantitatem omnium bonorum, et Falcidia erit detrahenda proportionaliter a Legatis, seu Fideicommissis particularibus, computato etiam illo, quod Testator per modum legati, vel particularis Fideicommissi hæredi specialiter reliquit; l. *In quartam* 91. ff. *ad Leg. Falcid.* ibi : « In quartam hæreditatis, quam per Legem Falcidiam hæres habere debet, imputantur res, quas jure hæreditario capit, non quas jure Legati, aut Fideicommissi, etc., nam hæ in quartam non imputantur (1). » (12. Falcidia non solum detrahitur a Legatis, sed etiam a Fideicommisso particulari; l. 2. et 3. Cod. *ad leg. Falcid.* Rota part. 6. decis. 171. num. 12 (2). (13. Item Falcidia detrahitur etiam a donationibus mortis causa factis; leg. *Si quis* 18. Cod. *ad leg. Falcid.* ibi : « Si enim cum mortis causa donatio præcedat, et hæc modum Legis Falcidiæ excedat, hæres post additionem repetit eam pecuniam, quæ ultra modum Legis Falcidiæ corporaliter quidem data est, Lege autem in patrimonio permansit, » et concordat l. *Si mortis* 5. Cod. eod. (3). (14. Quantitas bonorum in ordine ad detrahendam Falcidiam illa præcise debet attendi, et computari, quæ post mortem Testatoris, deducto ære alieno, reperta fuit, sive deinde ante additionem hæreditatis fuerit aucta, vel diminuta, § 2. *Instit. de Lege Falcidia*, ibi : « Quantitas autem patrimonii, ad quam ratio Legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur (4). »

15. Falcidia non detrahitur a legatis privilegiatis, qualia sunt, quæ cum perpetua inalienabilitate relinquuntur; Auth. *Sed et*, Cod. *ad Leg. Falcid.*, ibi : « Sed et in ea re cessat Falcidia, quæ ita relicta est, ne alienetur, sed permaneat ad successores ejus, cui relicta; » Rota, p. 5, tom. 1, dec. 88, numer. 22, dec. 272, num. 9, et t. 2, dec. 484, num. 12. (16. Sic Falcidia non detrahitur e Legatis ad pias causas; Auth. *Similiter*, Cod. *ad Leg. Falcid.*, ibi : « Similiter Falcidia cessat in his, quæ ad pias causas relicta sunt; » Barbosa, *Juris Eccles. univers.*, lib. 3, c. 27, num. 84, cum communi aliorum, et etiam lib. 2, c. 11, num. 93. (17. Pars autem Falcidiæ, quæ non potest detrahi a Legatis piis, non est oneranda Legatis profanis, ita ut hæres integram Falcidiam percipiat, sed solum a Legatis profanis est detrahenda pars illa Falcidiæ, quæ ipsis pro rata competit, cum ad eam tantum sint obligata; Falcidia enim pro rata de quolibet Legato detrahitur l. *Hæreditatem* 68, § fin. l. *In quantitate* 73, § fin. ff. *ad Leg. Falcid.* Unde in tali casu integra Falcidia non deducitur, sed tantum rata de aliis Legatis profanis; sic Mantica lib. 9, conject. tit. 5, num. 24 et 25. Amostaz. lib. 1, *de Causis piis*, c. 11, num. 34, ubi ad hoc plura adducit. (18. *Falcidia* non detrahitur ex Legatis relictis Ecclesiæ; Communis cum Cardinal. Petra tom. 2 *Comment. ad Constitut. X, Innocent. III*, num. 75. (19. Neque detrahi potest Falcidia ex iis, quæ relinquuntur Confraternitatibus, sive cum Episcopi auctoritate, sive absque ea institutis; Bassi tract. *de Sodalitiis, seu Confraternitatibus*, q. 16, num. 1, cum multis ibi citatis, et Barbosa lib. 2. *Juris Eccles. universitat.*, capit. 11,

(1) Vide præsertim Voet. *in Pandect.* lib. 35, tit. 2, 25, ubi enumerat, explicat, et distinguit ea quæ in Falcidiam imputanda sunt. (Edit. Barbiell.)

(2) Circa Falcidiæ detractionem a fideicommissis particularibus non ita Auctoris pacifica est opinio. Major enim Doctorum numerus, de quo testatur. Vin. *Comment. in Institut.* lib. 2, tit. 22, *de Leg. Falcid.* in princ. n. 8, docet in fideicommissis locum non habere Falcidiam, nec eam locum umquam habuisse cum Lex Falcidia de legatis tantum loquatur, nec de fideicommissis poterat loqui, cum de tempore latæ leg. *Falcidiæ* hanc auctoritatem non haberent, quæ illis Augusti temporibus attributa fuit. Profecto si Falcidia locum habuisset in fideicommissis, sive particularibus, sive universalibus, cum nullum inter particularia, et universalia discrimen in Legibus occurrat, jam non erat cur alia lex promulgaretur super fideicommissis, nec hæredes scripti hæreditatem adire recusassent, quemadmodum eveniebat, etiamsi lex *Falcidia* jamdiu vigeret, teste Justiniano *Instit. de fideicom. hæred.* § 5, lib. 2, tit. 23. In hujus opinionis confirmationem plura alia adducit argumenta Duaren. *Oper.* tom. 2, in Tit. ad leg. *Falcid.* pag. 444. Contrariam tamen sequuntur sententiam Voet. *in Pandect.* lib. 35, tit. 2, n. 4. Vin. loc. cit. Corvin. *in Cod.* lib. 6, tit. 50, pag. 472, coll. 2, in fin. Francis. Husman. *Paradox. ad Leg. Falcid.* 8, apud Everard. Otton. *Thesaur.* tom. 4, pag. 1683, qui tamen Auctor non valde ab eodem Everard. in præfatione laudatur. Quæ vero harum opinionum verior sit, videbit Lector, cum in tanta ambiguitate hæreat animus eligentis. (Edit. Barbiell.)

(3) Detrahitur quoque ex donationibus inter virum, et uxorem, quæ cum non statim perficiantur, morte demum conjugis donantis confirmantur. Voet. *in Pandect.* lib. 35, tit. 2, n. 4. Duaren. *Oper.* tom. 2, p. 445, coll. 1. *Comment. ad leg. Falcid.* et ob eamdem rationem idem videretur statuendum de donatione inter patrem et filium, quæ morte pariter donantis confirmatur. Cæterum detrahitur ex omnibus legatis etiam Principi, Reipublicæ, et uni ex hæredibus relictis l. *in legatis* 4. Cod. *ad leg. Falcid.* l. 1, § 5, l. 3, § ultim ff. *ad leg. Falcid.* l. 6, § Cod. hoc tit. Bruneman. in Cod. lib. 6, tit. 30, leg. 4. (Edit. Barbiell.)

(4) Super æstimatione hæreditatis, et de tempore eamdem æstimandi, accuratum, et doctissimum tractatum habes apud Duaren. l. cit. pag. 446, § *Circa hanc quartæ*, et plur. seq. et apud Voet. l. cit. n. 29. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

numer. 92, ubi testatur de communi. (20. An autem Falcidia sit detrahenda ex Legatis piis, quando pia causa, seu Ecclesia est instituta hæres? Opinio est fortiter controversa, et pro utraque parte enumeratur caterva Doctorum. Pro negativa tamen stat major pars, ut observat Barbosa l. 2. *Juris Eccles.* univers. c. 11, num. 95, et l. 3, c. 27, n. 87, adducens plurimos resolventes partem negativam esse veriorem, quos dicit esse sequendos, et Card. Petra loc. cit. num. 79, ubi dicit, quod plures recensentur rationes, quod non sit locus detractioni Falcidiæ, quando agitur inter pias causas.

(21. Hic tamen cum distinctione censeo esse procedendum; vel enim ipsæ causæ piæ, scilicet tam instituta hæres, quam legataria sunt æqualiter favorabiles cultui divino, Religioni, aut animæ testatoris, et tunc non est detrahenda Falcidia de legatis piis a causa pia instituta, quia non debet unum Altare discooperiri, ut aliud cooperiatur, ex Clement. *Quia contingit, de Religios. domib.* c. *Cum causam, de Prœbend. et Authentic. Quomodo oporteat Episcopos* § *Si vero;* et præsertim si in loco pio hæredi remaneat aliquod jus honorificum distribuendi legata pia, et aliquod commodum, ut de Societate hærede circa distribuendas dotes legatas, quod habeat jus distributionis considerabile et reversionis dotium in casu obitus sine filiis, ut dicit Rota in Hortana, seu Civitatis Castellanæ, *Falcidiæ* 3 Martii 1684, num. 8, coram Albergato, et notat Cardin. Petra loco cit. numer. 83, in fine. (22. Vel causa pia, seu Ecclesia instituta hæres est magis favorabilis cultui Divino, Religioni, aut animæ Testatoris, quam causa pia legataria, et tunc Ecclesia potest detrahere *Falcidiam* ex legatis piis, quia tunc privilegium non currit contra privilegiatum l. *Sed similes* 8, in princip. ff. *de Excusat. tut.* Novarius in *Praxi for.* q. 21, n. 20. Gratian. *Disceptat. forens.* cap. 461, num. 15. Sfortia *de Restit.* 1 part. quæst. 18, art. 4, n. 52. Amostaz. loc. cit. numer. 38. (23. Vel causa pia legataria est magis favorabilis animæ Testatoris, quam causa pia instituta hæres, et in hoc casu ex Legatis piis non potest deduci *Falcidia*, nam privilegium, ut ex Legatis piis non deducatur *Falcidia* in d. Authent. *Similiter*, Cod. *ad Leg. Falcid.* fundamentum suscipit in præsumpta voluntate Testatoris, qui cum possit illam prohibere, Authent. *Sed cum Testator*, Cod. *ad Leg. Falcid.* Surd. *de Alimen.* tit. 8, privil. 18, num. 10. Tondut. quæst. civil. tom. 1, cap. 73, numer. 14. Amostaz. loc. cit. n. 37. Rota part. 2, dec. 438, n. 1, part. 6, dec. 171, n. 13, part. 10, dec. 42, n. 44, videtur ob animæ suæ bonum velle ne detrahatur, quin potius ut integra Legata persolvantur; maxime si legata sint cum onere celebrationis Missarum pro suffragio Testatoris, per quod onus legatum redditur longe favorabilius ipsi Testatori. (24. Unde *Falcidia* nullimode detrahitur a Legatis cum onere Missarum, vel pro exoneratione conscientiæ, quia certo supponitur Testatorem prævaluisse, et prædilexisse tale onus in suffragium ejus animæ; Card. Petra loc. cit. n. 84 et 85. Pasqualig. *de Sacrific. nov. leg.* tom. 2, tit. *de Legatis* qu. 1006, sub num. 4. Hodiern. *Controvers.* 19, sub num. 29. Rubeus *de Testam.* cap. 67, num. 205, et seq. Antonell. *de Regim. Eccles.* cap. 10, num. 67, cum sequent. Bassi tract. *de Sodalitiis* quæst. 16, numer. 4, de Luca *ad Franch.* dec. 612, num. 15. Larrea *Dec. Granaten.* 61, sub num. 44 et 45, ubi ita fuisse decisum testatur Altimar. *ad Rovit.* dec. 87, in princip. et Rota in Hortana seu Civitatis Castellanæ, *Falcidiæ* 3 Martii 1684, num. 2 et 3, coram Albergato. Vere enim in hoc debet considerari, et interpretari voluntas Testatoris, ut suffragio meliori, et velociori sibi consulere voluisse præsumendum sit.

(25. Falcidia non habet locum in testamento militis; l. 12. Cod. *de Testament. milit.* ibi: « In testamento Militis legem *Falcidiæ*, et in Legatis, et in Fideicommissis cessare explorari juris est. » (26. Neque *Falcidia* habet locum in casu, quo Testator prohibet *Falcidiæ* detractionem a Legatis, etc. Authent. *Sed cum Testator*, Cod. *ad Legem Falcid.* ibi: « Sed cum Testator hoc expresse vetuit non ignarus, qui modus sit sui patrimonii, cessat *Falcidia.* » Concordat *Novella* 1, cap. 2, in fine, quibus juribus correctum est jus antiquum, per quod non licuit Testatori prohibere detractionem Falcidiæ. (27. Hodie enim de jure communi potest Testator prohibere detractionem ipsius Falcidiæ, ut constat ex cit. Authen. *Sed cum Testator*, Cod. *ad Legem Falcid.* et *Novella* 1, c. 2, in fine, et tenent communiter Doctores; Card. *de Aliment.* tit. 8, privil. 18, n. 10. Tondut. *Quæst. civil.* tom. 1, cap. 74, num. 14. Amostaz. *de Causis piis*, lib. 1, num. 47. (28. Immo Falcidia prohiberi potest a Testatore, non solum expresse, sed etiam tacite verbis generalibus, et æquipollentibus, quæ aliud commode significare non possint; Rota part. 2, dec. 438, num. 1, part. 6, decis. 171, num. 13, part. 10, dec. 42, num. 44. (29. Hinc censetur prohibita ex prohibitione alienationis; Rota par. 5, to. 2, dec. 581, num. 30, cum sequent. (30. Et ex eo quod Testator mandaverit integram suam hæreditatem, vel Legatum ad aliquam pervenire; Rota part. 1, dec. 453, n. 3. (31. Idem procedit quoties voluit præstationem Legati esse adimplendam absque ulla diminutione; Rota part. 2, dec. 483, num. 3, par. 10, dec. 42, num. 46. (32. Falcidia non potest detrahi ab hærede, qui non confecit inventarium; Rot. part. 5, tom. 1, dec. 399, num. 4. Authent. *de Hæredit.* et *Falcid.* § *Hinc nobis versiculo; Si vero non fecerit.* Quæ conclusio procedit etiam de Jure canonico; Rota part. 10, decis. 54, num. 13 (1).

(1) Jus demum detrahendi Falcidiam amittit hæres, qui res hæreditarias subtrahit dolo, et rerum subtractarum emolumentum acquiritur fisco. Voet. *in Pandect.* lib. 35, tit. 2, num. 14. Item dicendum si hæreditatem vel indigno, vel incapaci restituat, et hoc casu ad Fiscum cum facultate deducendi Falc-

Digitized by Google

33. Dicta usque modo de Falcidia intelligenda sunt etiam de Trebellianica, salvis solummodo duabus differentiis. Prima quod *Falcidia* detrahatur a Legatis, donationibus mortis causa, ac Fideicommissis particularibus; *Trebellianica* vero a solo Fideicommisso universali. Secunda quod Legatum hæredibus Fideicommisso universali gravatis factum computetur in *Trebellianica*, leg. 31, ff. *ad Leg. Falcid.* ibi: « Sed in Fideicommissaria hæreditate restituenda, sive Legatum vel Fideicommissum datum sit hæredi, sive deducere, sive percipere, vel retinere jussus est, in quartam ei imputatur. » Secus autem est de *Falcidia*, juxta dicta num. 11, per textum ibi allegatum. (34. Aliam adhuc differentiam affert Fachin. l. 5. *Controv.* cap. 5, scilicet quod Jure communi possit Testator prohibere detractionem *Falcidiæ*, non item *Trebellianicæ*. Verum Julius Clarus § *Testamentum* qu. 62. Covarruv. in cap. *Raynaldus* § 3, num. 6, *de Testament.* Molina disput. 187, num. 23, et alii communiter hanc differentiam negant sustinendo Testatorem jure novo æque *Trebellianicæ* ac *Falcidiæ* detractionem prohibere posse, et sic Rota part. 6, dec. 5, num. 10, et dec. 171, num. 14.

(35. Liberi, casu quo nimiis Legatis, vel Fideicommisso universali graventur, præter Legitimam deducunt etiam Falcidiam, vel Trebellianicam; Arg. c. *Raynucius* 16. *de Testament.* in cujus summario sic expresse habetur: « In bonis patris, et matris, et aviæ habet quis debitam jure naturæ, in qua gravari nequit, et Filius rogatus de restituenda hæreditate sub conditione, detrahit debitum jure naturæ, et Trebellianicam; » et arg. c. *Raynaldus* 18. tit. eod. in cujus summario sic expresse dicitur: « Filius rogatus restituere hæreditatem detrahit tertiam jure naturæ, et quartam *Trebellianicam*, in quibus potest Legata relinquere, hæredes instituere, » et sic tenent Fachin. lib. 5. *Controvers.* cap. 12. Reiffenstuel lib. 3. *Decretal.* tit. 26. num. 76. Besold. in *Deliber. Jur.* ex leg. 35. ff. qu. 1. Abbas, et Glossa in cit. cap. *Raynucius*, et cit. cap. *Raynaldus*, ac plures alii. Et ratio est, quia Legitima debetur liberis Jure naturæ; cit. cap. *Raynucius* § *Cum autem*, ibi: « Legitima portio Jure naturæ debita, » et leg. *Cum ratio*, ff. *de Bonis damnat. Falcidia* vero, vel *Trebellianica* debetur Jure civili, *Instit. de lege Falcidia*, et Cod. *ad leg. Falcid, et* § *Sed quia* 7. Instit. *de Fideicomm. hæred.* et Cod. *ad S. C. Trebellianum;* Atqui ubi eidem personæ duo diversa competunt Jura, illa est censenda Jure duorum, quorum sustinet vices, argum. leg. *Si consul*, ff. *de Adopt.* : ergo quia secundum Leges tota hæreditas in 12 partes, seu uncias regulariter dividitur, Filius nimiis Legatis vel universali Fideicommisso gravatus, in primis Jure naturæ pro *Legitima* sua detrahet tertiam partem, seu quatuor uncias, a qua postmodum remanent adhuc octo unciæ, ex his pro *Falcidia*, vel *Trebellianica*, detrahet quartam partem, id est duas uncias, adeoque universim sex uncias, seu dimidiam partem totius hæreditatis, prout amplius explicat Abbas, et Glossa in cit. cap. *Raynaldus*, et cap. *Raynucius*. (36. Sunt tamen alii, qui absolute tenent contrarium, neque liberos nimiis Legatis gravatos, aut fideicommisso universali, non posse præter *Legitimam* detrahere etiam *Falcidiam*, vel *Trebellianicam;* Sic Hotoman. *Illustr. quæst.* 44. Cujacius lib. 8. observ. 5, Hunn. Parez, Zoesius, et alii. (37. Alii autem tenent posse liberos præter *Legitimam* deducere etiam Falcidiam, vel Trebellianicam casu, quo Legata, seu Fideicommissa universalia sub conditione, seu in diem sunt relicta, non item si pure sunt relicta; Sic Gali. lib. 2. observ. 121. Molina disput. 187. num. 5. et alii (1).

diam transit hæreditas. Voet. loc. cit. Bruneman. *in Cod.* lib. 6, tit. 50, l. 3, num. 2. Quid vero dicendum si hæres ad evitandam legatorum solutionem ab intestato potius succedere velit? Quocumque modo succedat ad legata solvenda tenetur, et quamvis in pœnam fraudis jus detrahendæ Falcidiæ amisisse videatur, diversum tamen in jure sancitum est, Duaren. *Comment. ad leg. Falcid.* tom. 2, pag. 442, § seq. et plur. tom. 4, *Disput. Aniver.* pag. 15.

(EDIT. BARBIELL.)

(1) Ut iis, quæ de hoc argumento per Cl. nostrum Auctorem edisseruntur, major lux affundi possit, ad rem maxime facit illud animadvertere: duplex nimirum hæredum genus a Jurisperitis distingui: Hæredes enim alii dicuntur *necessarii*, alii vero *non necessarii*, quos postremos sub nomine *Extraneorum*, vel *voluntariorum* comprehensos voluit Justinianeum Jus. *Instit.* lib. II, tit. 19, § Sui autem, etc.

Hæredes porro *necessarii* dicendi sunt, quos ipse testator in portione legitima h. e. ex legum præscripto iisdem debita instituere cogitur. Hujusmodi sunt descendentes in linea recta, aut his non extantibus ascendentes in eadem linea recta. Hisce quidem legitima hæreditatis portio, sive legitimum bonorum subsidium, uti loquuntur leges, tam necessario debetur, ut si præteriti fuerint, aut injuste exhæredati testamentum irritum evadit, aut rumpitur quantum ad hæredes institutos; h. e. agere possunt pro testamenti rescissione; qua subsecuta succedent prædicti liberi ab intestato suis parentibus, non pro modo legitimæ, sed in universum-Gothofred. in leg. *Omnimode* 30. Cod. *De Inofficios. Testam.* Minime vero irritum evadet testamentum quantum ad cætera, quæ firma permanere debent, h. e. legata, et fideicommissa, etc. *Auth.* Ex causa Cod. *de Liberis Præteritis*, etc. Idem quoque contingit circa liberos immerito, atque injuste exhæredatos. Lege *Novellam* 115, cap. 3. Sin vero minus legitima portione iisdem Hæredibus *necessariis* fuerit relictum, dabitur iisdem actio ad petendum complementum; sive *condictio ex lege* ad explendum id, quod legitimæ forte defuerit, quam doctores vocitare solent non tam *querelam inofficiosi*, sed actionem *expletoriam laud. leg.* Omnimodo Cod. *De Inofficios Testam. et laud. Novel.* 115, cap. 5, atque *Instit.* lib. II, tit. 19, § Sed hæc. De quantitate autem portionis legitimæ Hæredibus necessariis debitæ adeatur Codex Justiniani Auth. *de Triente*, et *Semisse*, quæ incip. *Novissima lege*, etc. tit. *De Inofficios. testam.* Ex leg. *Quoniam* 32, tit. laud. ubi præscriptum occurrit ut onera, dilationes, conditiones, aliæve dispositiones adjectæ forte legitimæ debitæ, gravamen aut modum inducentes pro non adjectis haberentur; *atque res ita procedat, quasi nihil eorum testamento additum esset;* illo tantum excepto casu cum filius ipse gravamini imposito legitimæ consentiet: leg. *Si quando* 35, § 1. Cod. *De*

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Plura in Pandectis hoc titulo occurrunt, quæ jure novissimo correcta sunt. Non inutile est ea adnotare.

I. Pertinebat olim Lex Falcidia ad ea quoque legata, quæ Deo relinquebantur, leg. 1. § 5. hoc titul. Sed per *Novell.* 131. hoc jus correctum, cautumque est, detrahendam haud esse Falcidiam in Legatis ad pias causas, licet non indistincte, sed sub certa limitatione, si hæres in mora deprehendatur. Interim tamen in Foro obtinuit indistincte, in Legatis ad pias causas cessare detractionem Falcidiæ, idque etiamsi pia causa hæres sit instituta, nam quum hæres hoc casu non reperiatur Privilegiatus, debet uti jure communi; Confer Barry *de Success.* tom. 2. lib. 15. tit. 7. numer. 8. Ex qua ratione rejicienda videtur distinctio, quam tradit Auctor n. 12. et duob. sequent.

II. Detractio Falcidiæ non pertinebat olim ad Donationes mortis causa, d. l. 1. § 8. hoc tit. At pertinet ex l. 5. Cod. hoc tit. et l. 1. Cod. *de Donat. mortis causa.*

III. Olim Testator prohibere haud poterat detractionem Falcidiæ, ita ut nec pactum Testatorem inter et Hæredem valeret ne Falcidia uteretur, et ut certam pecuniam, si contra fecisset, præstaret; l. 15. § 1. hoc titulo, ubi hæc redditur ratio, quod Privatorum cautione Legibus haud sit refragandum. Immo conditio hæc: « Haud hæres beneficium Falcidiæ amitteret » fraudis causa adscripta videbatur, eaque propter habebatur perinde, ac si non esset adscripta, leg. 22. ff. hoc titul.

Sed in *Novella* 1. cap. 12. facta est Testatori potestas quartam plane prohibendi, qua facultate concessa evidens quoque est valere hodie pactum inter Hæredem, et Testatorem de non detrahenda quarta secus ac olim. Si enim prohiberi testamento potest Falcidia, renunciari et ei potest inter vivos.

IV. Hæres aliquod subtrahens ex hæreditate, exuebatur olim Falcidia, intuitu istius rei quam interverterat, vel etiam suam esse contenderat; l. 58. in fine, hoc tit. l. 6. ff. *de his quæ ut indign.* At ubi Justinianus introduxit Beneficium inventarii in lege final. Cod. *de Jur. deliberan.* simul in § 10. cit. Legis, constitut. Hæredes celantes aliquod dolose ex rebus Hæreditariis, pœna duplici esse plectendos, salva quarta, ne hæres bis puniretur. Sed in *Novella* 1. cap. 2. noviter statuit, ut hæres de subtractione rei hæreditariæ convictus, amittat Falcidiam, in favorem legatariorum, et quidem penitus non tantum intuitu rei sublatæ.

V. Jure digestorum propter mortis causa capionem locus non erat beneficio hujus quartæ; l. 93. ff. hoc tit. Sed postquam jure novo admissa est Falcidia in mortis causa donationibus, eadem locum quoque sibi vindicat in tali mortis causa capione, qua Hæres conditionis implendæ causa, aliquid alteri et propriis bonis elargiri debet, leg. penult. Cod. hoc. titulo.

(39. Vide et alias differentias apud Strykium *in Usu modern. Pandectar.* lib. 35. tit. 2. qui simul recte explicat, quomodo æstimatio Falcidiæ ineunda in annuis Legatis, tum in Legato alimentorum.

FALSUM, FALSARIUS.

SUMMARIUM.

1. Falsum quid sit? — 2. Ad crimen falsi quæ requiruntur. — 3. Falsum committitur principaliter quatuor modis. — 4. *Dicto* crimen Falsi committitur primo per testes, qui falsum testimonium dicunt vel verum supprimunt. — 5. Testis falsidicus tres lædit, Deum, Judicem, et partem. — 6. Secundo falsum

Inofficioso Leg. *Multi* ff. *De Liber. et Posthum.* et leg. *Cum donationis* 34. Cod. *De Transaction.*

Si itaque testator, cum agitur de hujusmodi Hæredibus *necessariis* hæreditatem suam plus æquo legatis oneraverit, jus profecto competet hisce hæredibus detrahendi ex asse legitimam, seu quidquid ad illam complendam defuerit; legitima enim portio Jure naturæ debetur liberis, uti docet Innocentius III, in Cap. *Raynuntius* 16. *De Testament.* in quod lege Doctissimum Gonzalez in *Adnotationibus* ad laud. Cap. n. 15. Quod et de aliis hæredibus necessariis pariter affirmari posse videtur.

Utrum vero hujusmodi hæredes necessarii post detractam portionem legitimam ex asse, jus quoque habeant deducendi præterea quartam Falcidiam ex legatis, et Tribellianicam ex fideicommissis, gravissima, et satis implexa quæstio est inter Juris prudentes hinc inde dissidentes; ac pro alterutra parte decertantes. Utriusque partis argumenta, et rationes refert, atque expendit laud. Gonzales in *Notis* ad laud. c. *Raynuntius* n. 22. Qua quidem in re haud abhorrerem a sententia Donelli, Vinnii, aliorumque insignium Jurisperitorum, cui et laud. Gonzalez adhæret, uti videre est in laud. *Adnotationibus*, qua quidem sententia discrimen interponitur inter Jus Civile et Canonicum, et jure quidem Civili hæredibus necessariis solam legitimam ipsis debitam iisdem ex asse deducere, sibi que retinere fas et jus erit. *Novell.* 1, cap. 1, facit etiam hoc lex, *Papinianus* 8, § 9, ubi instituti hæredes removentur a querela inofficiosi, si habeant Falcidiam ex legatis. Et § 15. *Si quis*, etc. impuberes adrogati, qui movere poterant querelam inofficiosi, ab eadem excluduntur, cum habeant quartam ex Constitutione D. Pii. Aliter vero sese res habet juxta Canonici juris præscripta; etenim hæredes necessarii ex asse paterno prius deducant legitimam juri naturæ debitam, in qua prægravari non poterant; deinde Falcidiam, aut Trebellianicam ex legatis, et fideicommissis; quod quidem manifestissime pateat ex Cap. *Raynuntius*, et ex Cap. *Raynaldus*, per Auctorem nostrum laud. Quandoquidem Jus Canonicum magis favere solet causæ filiorum, eorumque commodis uberius prospicere. Hinc in Cap. eum haberet *De Eo, qui duxit*, etc. filiis illegitimis, atque ex damnato coitu procreatis jubentur parentes adulteri eisdem alimenta necessaria subministrare, *secundum quod iisdem* (Parentibus) *suppetunt Facultates;* cujusmodi quidem filios constat spectato rigore juris Civilis hoc beneficio privari. Lege Authent. *Licet*, et Authent. *Ex complexu.* Cod. *de Incestis Nuptiis.*

Demum si agetur de hæredibus *non necessariis* isti quidem præcedent legatarios ad quartam Falcidiam consequendam. Adeantur tit. ff. et Cod. *Ad legem Falcidiam;* si vero Fideicommissis hæreditas fuerit gravata deducent hæredes quartam Trebellianicam, uti abunde constat ex laud. juribus. (EDIT. NEAPOL.)

Digitized by Google

committunt *dicto* testes, qui interrogati respondent se non recordari; vel versute, et obscure. — 7. Tertio falsum committunt *dicto*, qui testem subornant. — 8. Quinto falsum committunt *dicto* illi Judices, qui dolo malo contra Legis sententias pronunciant. — 9. Quinto falsum committunt *dicto* illi Advocati, qui parti adversæ causam revelant, et partem adversam juvant. — 10. *Scripto* crimen *Falsi* committitur primo si Notarius scripserit, vel signaverit, seu firmaverit falsum testamentum, vel instrumentum. — 11. Secundo si notarius, vel quilibet alius in alterius testamento, se scripserit hæredem, vel sibi Legatum adscripserit. — 12. Tertio si quis exemplet aliquam copiam ab originali diversam. — 13. Quinto si quis manum alterius in ejusdem, vel tertii præjudicium falsificaverit. — 14. Quinto si quis mutet diem, et tempus in aliqua scriptura. — 15. Sexto si quis nomen, vel cognomen fraudulenter sibi mutaverit, et scripserit. — 16. *Facto* crimen falsi committitur etiam pluribus modis. Primo quando quis corrupit, abrasit, vel cancellavit scripturas, vel aliquid delevit. — 17. Item si quis scripturas combusserit, laceraverit, vel aliter destruxerit. — 18. Item si quis scripturas subripuerit, et occultaverit. — 19. Secundo si venditores, et emptores pondera, vel mensuras legitimas, corruperint. — 20. Tertio quando aliqua fœmina alienum partum tamquam ex se natum supponit. — 21. Quarto prohibendo aliquem testari, vel testamentum mutare. — 22. Quinto, si quis aliquem ad testandum compulerit. — 23. Sexto quando eadem res venditur duobus. — 24. Septimo, quando quis alienis insignibus usus est, vel falso diplomate vias commeavit. — 25. Octavo, si quis in scripturis corruperit sigillum proprium. — 26. Nono, quando quis se pro milite gerit, cum non sit miles, vel falso sibi assumit titulos honoris, vel status. — 27. Decimo, quando mercibus adulterina, seu minus utilis materia adjungitur. — 28. Undecimo, supponendo unam personam pro alia in celebratione alicujus contractus. — 29. Duodecimo, quando quis utitur dolose indumentis sexui et conditioni personæ non convenientibus. — 30. Tertiodecimo, quando Aromatarius adulterat medicamenta *dando quid pro quo*. — 31. Quartodecimo, quando quis proposita Edicta dolo malo corrumpit, vel utatur falsis constitutionibus. — 32. Quintodecimo, fabricando falsam monetam. — 33 ad 36. Falsum circa monetam quibus modis committatur. — 37. *Usu*, seu potius *abusu* committitur crimen Falsi dupliciter. Primo modo quando quis scienter utitur *falsitate* ab aliis confecta. — 38. Secundo, quando quis producit dolose et scienter falsos articulos a se fabricatos. — 39. Litteræ Apostolicæ possunt falsari novem modis, qui assignantur. — 40 ad 44. Pœnæ falsantium litteras Apostolicas assignantur. Primo sunt ipso facto excommunicati. — 45. Secundo, si sint Clerici, sunt ipso jure privati Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis. — 46 ad 48. Tertio, degradatione, et prævia Curiæ sæculari tradendi. — 49. Quarto falsis litteris Apostolicis utentes, si Clerici sunt, Officiis, et Beneficiis privantur, si Laici, sunt ipso facto Excommunicati. — 50. Falsis litteris utentes, et falsas litteras impetrantes, æquiparantur. — 51. Nihilominus tamen plurimi sustinent contrarium. — 52. Quinto, qui scienter habent falsas litteras Apostolicas, nisi intra viginti dies illas lacerent, aut restituant, subjacent excommunicationi. — 53. Etiamsi illis non utantur, nec utendi intentionem habeant. — 54. Falsans litteras Apostolicas etiam semel tantum, incurrit pœnas. — 55 ad 56. Falsarius etiam occultus incurrit pœnam, excepta degradatione. — 57. Pœnæ contra falsantes procedunt, quamvis nullum, aut modicum damnum emergat. — 58 ad 60. Quæ Bulla et littera veniant nomine litterarum Apostolicarum in ordine ad pœnas. — 61. Falsificans litteras Papæ, et Imperatoris punitur pœna mortis. — 62. Sic etiam Falsificans litteras Supremorum Principum. — 63. Et alicubi aliorum Magistratuum. — 64. Pœna Clerici falsificantis sigillum Principis. — 65. Pœna Clerici vel litteras Episcopi, vel Capituli. — 66 ad 67. Pœna Regularium sigillum vel litteras Prælatorum falsificantium. — 68. Pœna ordinaria committentis quodcumque crimen *Falsi*. — 69. Pœna falsi testis in causis civilibus, et criminalibus. — 70. Quid si falsus testis sit Clericus. — 71. Quando hæc pœna limitetur. — 72. Pœna Notarii scribentis Falsum testamentum, vel instrumentum. — 73. Qua punitur etiam falsificans manum alicujus. — 74. Pœna Advocati, et Procuratoris *Falsum* committentis. — 75. Pœna Judicis. — 76. Pœna Falsificantium legitimas mensuras, et pondera. — 77. Pœna fabricantium Falsam monetam. — 78. Pœna impedientium aliquem testari, vel jam factum testamentum mutare, vel ad testandum compellentium. — 79. Pœna supponentis Falsum partum. — 80. Pœna eorum, qui *Falsum* committunt supprimendo scripturas publicas, vel libros mercatorum. — 81. Pœna gerentis se pro Curia. — 82 ad 83. Quando limitetur hæc regula. — 84. Aliorum Falsariorum pœnæ, *remissive*. — 85 ad 86. Ad hoc, ut quis de *Falso* pœna ordinaria puniri possit, quæ requirantur. — 87. Aliæ pœnæ falsariorum. — 88. Eorum malitia cavenda. — 89. *Falsi* definitio completur. — 90. Ejus species ad duo summa capita reducentur. — 91. An is qui adulterinum testamentum recitavit lege Cornelia teneatur. — 92. An qui veritatem reticuit. — 93. An denique qui, testimonio suo vendito, adversarium tamen juvit.

(1. Falsum, seu falsitas *est veritatis immutatio dolo malo in alterius præjudicium facta.* Raynald tom. 2. in *Rubric.* cap. 18. num. 7. et sequent. Ameno *de Delict. et pœn.* tit. 6. *de Crim. fals.* n. 2. et est in re communis. (2. Ad crimen Falsi tria requiruntur. Primo, ut immutetur, seu pervertatur veritas; Authent. *de Instr. caut. et fide*, collat. 6. *Novell.* 73. in princ. Secundo, ut id dolo malo fiat, sive animo corrumpendæ veritatis in alterius fraudem; l. 1. et l. *Impuberem* 22. ff. et leg. *Nec ad exemplum* 20. Cod. *ad Leg. Cornel. de Fal.* Tertio, ut Falsitas fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi forsan impediatur; leg. *Qui Falsas.* 6. et leg. *Si Falsos* 8. Cod. *ad Leg. Cornel. de Falsar.* alioquin uno horum deficiente non dicitur quis proprie falsarius, nec tenetur pœna falsi, cit. leg. *Nec ad exemplum* 20. *ad L. Cornel. de Falsar.* (3. Falsum, seu falsitas committitur principaliter quatuor modis, scilicet *Dicto*, *Scripto*, *Facto*, *Usu*, seu potius *Abusu*, Farinac *Prax. crimin.* 6. lib. 5. sect. 16. q. 150. n. 6. Mascard. *de Probat. Conclus.* 739. num. ult. Engel. l. 5. *Decretal.* tit. 20. n. 2. Pirhing. *ibid.* n. 1. Reiffenstuel. *ibid.* num. 2. et alii passim.

(4. *Dicto* crimen *Falsi* committitur multifariam. Primo falsum committuntur *Dicto* testes, qui falsum testimonium dicunt in judicio, vel verum supprimunt dolo malo, textu expresso in cap. *Falsidicus* 1. *de Crim. Falsi*, ibi: « Falsidicus testis... uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit, quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat. » Idem præcise habetur in c. *Quisquis* 11. quæst. 3. concordat l. 1. et l. *Falsi pœna* 20. ff. *Ad leg. Cornel. de Falsar.* (5. Testis Falsidicus tres lædit: Deum, Judi-

Digitized by Google

rem, et partem, textu expresso in cit. c. *Falsidicus*, ibi: « Falsidicus testis tribus personis est obnoxius; primum Deo, cujus præsentiam contemnit; deinde Judici, quem mentiendo fallit; postremo Innocenti, quem falso testimonio lædit. » (6. Secundo, Falsum committunt *dicto* testes, qui interrogati respondent se non recordari, cum debeant verisimiliter recordari. Item si per malitiam, et dolum respondent versute, et obscure, Farinac. loc. cit. num. 224. Pirhing loc. cit. 4. Reiffenstuel loc. cit. num. 6. (7. Tertio, falsum committunt *dicto*, et criminis Falsi sunt rei, qui testem subornant, vel donis, aut pretio corrumpunt ad dicendum falsum testimonium, vel occultandam veritatem, sicuti, et qui utuntur dicto testis Falsi; Clarus § *Falsum* num. 3. Pirhing. oc. cit. num. 4. Reiffenstuel loc. cit. num. 5. (8. Quarto, falsum committunt *dicto*, et ut falsarii puniuntur, illi Judices, qui pecunia corrupti, vel alias dolo malo contra Leges, et Constitutiones Principum sententias pronunciant; arg. l. 1. § *Sed et si Judex*, ff. *ad Leg. Cornel. de Falsar.* (9. Quinto, Falsum committunt *dicto*, et rei criminis Falsi sunt illi Advocati, qui parti adversæ causam revelant, et vel propriis probationibus dissimulatis, vel falsis exceptionibus, aut probationibus admissis, partem adversam directe, vel indirecte juvant; arg. leg. 1. § 1. ff. *ad Legem. Cornel. de Falsar.* et leg. 1. § 1. *Ad S. C. Turpil.* Pirhing. loc. cit. num. 8. Haunoldus tom. 6. tract. 2. num. 180. Reiffenstuel loc. cit. num. 8.

(10. *Scriptò* crimen falsi committitur pluribus modis. *Primo*, si Notarius scripserit Falsum testamentum, seu instrumentum, vel signaverit, vel firmaverit illud; § *Item Lex Cornelia, de Falsar. Instit. de Public. Judic.* ibi: « Qui Testamentum, vel Instrumentum falsum scripserint, signaverint, legerint, subjecerint, vel signum adulterinum fecerint, sculpserint, vel expresserint scienter, et dolo malo. » (11. *Secundo*, si Notarius vel quivis alius in alterius Testamento se scripserit hæredem, vel sibi legatum adscripserit, lib. 1. § *Ad Testamentum*, ff. *Ad l. Cornel. de Fals.* et tot. tit. Cod. *de Iis, qui sibi in testamento adscrib.* (12. *Tertio*, si quis exemplet aliquam copiam ab Originali diversam, vel aliquam partitam, aliter transcribat, quam in exemplari reperiatur conscripta, cap. *cum Venerabilis*, § *Intelligimus, de Exception.* Farinac. quæst. 150. numer. 64. (13. *Quarto*, si quis manum alterius in ejusdem, vel tertii præjudicium falsificaverit, veluti si quis contrafaciat manum sui creditoris, faciendo aliquam receptam, in ea asserendo debitum sibi fuisse persolutum, Farinac. q. 150. n. 23. (14. *Quinto*, si quis mutet diem, et tempus in aliqua scriptura, et ut vulgo dicitur apponendo antidatam; Farinac. q. 150. num. 99. et q. 115. num. 26. (15. *Sexto*, si quis nomen, vel cognomen fraudulenter sibi mutaverit, vel scripserit, leg. *Falsi*, ff. *Ad l. Cornel. de Falsar.* ibi: « Falsi nominis, vel cognominis asseveratio pœna Falsi coercetur. »

(16. *Facto* crimen *Falsi* committitur etiam pluribus modis. *Primo*, quando quis corrupit, abrasit, vel cancellavit Scripturas, vel aliquid delevit, ne itidem veritas appareat, l. 1. § *Is qui pervertit*, ff. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* l. *Qui testamentum*, ff. eod. (17. Item si quis scripturas combusserit, laceraverit, vel aliter destruxerit, ut rei veritas opprimatur, leg. *Paulus* § *Paulus*, ff. *Ad leg. Cornel. de Falsar.* Raynaldus tom. 2. cap. 18. § 3. num. 1. et seq. ubi num. 5. refert, quod Cancellarius Faventiæ condemnatus fuit ad Triremes eo quia dederat parti processum ex Cancellaria ad comburendum illum. (18. Item si quis scripturas, veluti Instrumenta, Testamenta, libros, et similia subripuerit et occultaverit, ne veritas detegatur; l. 1. § *Qui in rationibus*, ff. *Ad l. Cornel. de Falsar.* (19. *Secundo*, si Venditores, et Emptores pondera, mensuras legitimas frumenti, vini, aut cujuslibet rei corruperint; l. *Hodie* 32. ff. *Ad l. Corn. de Falsar.* (20. *Tertio*, quando aliqua fœmina alienum partum tamquam ex se natum supponit, cum revera alterius fœminæ filius sit; l. 1. l. *Qui falsum*, et l. *Cum supposui*, Cod. *Ad leg. Cornel. de Falsar.* (21. *Quarto*, prohibendo aliquem testari, vel jam factum testamentum mutare, l. 1. § *Si quis* ff. *Ad leg. Cornel. de Falsar.* ibi: « Volente eo facere testamentum, vel mutare; » Hic enim veritatis occultator est, quia Testator mediante testamento intentionem suæ voluntatis erat aperiturus de eo, quod post mortem suam fieri volebat. Clar. in *Prax.* § *Falsum* num. 36. Farinac qu. 151. n. 1 et 6. (22. *Quinto*, si quis e contra aliquem ad testandum compulerit, ut Rubr. et toto tit. ff. et Cod. *Si quis aliq. testar. prohib. vel coger.* (23. *Sexto*, quando eadem res venditur duobus; l. *Qui duobus*, ff. *Ad l. Cornel. de Falsar.* (24. *Septimo*, quando quis alienis insignibus usus est, vel falso diplomate vias commeavit; l. *Eos, qui*, ff. *Ad l. Cornel. de Falsar.* et l. unic. Cod. *de Mutat. nom.*

(25. *Octavo*, si quis in scripturis corruperit sigillum proprium ponendo falsum, et a ulterinum. Glossa in cap. *In memoriam*, verb. *Falsum*, dist. 19. Raynald. tom. 2. cap. 18 § 3. per tot. Ameno *de Delict. et pœn.* tit. 6 § 1. num. 22. (26. *Nono*, quando quis se pro milite gerit, cum non sit miles, vel sibi falso titulos honoris, vel status, v. g. Clerici, Sacerdotis, Nobilis, Doctoris, Notarii, et hujusmodi assumit; Farinac. q. 150. num. 85 et 87. Raynald. loc. cit. cap. 18. supplet. 1. n. 1. et sequent. Pirhing lib. 5. *Decret.* tit. 20. num. 45. Reiffenstuel *ib.* num. 18. (27. *Decimo*, quando mercibus adulterinis, vel minus utilis materia adjungitur; Farinac. loc. cit. Molin. disp. 701. n. 1. Pirhing. loc. cit. num. 45. Reiffenstuel loc. cit. n. 16. (28. *Undecimo*, supponendo unam Personam pro alia in celebratione alicujus contractus, in testamento, in Judicio, vel alias quomodolibet in tertii præjudicium; Farinac. q. 150. num. 90 et 92. (29. *Duodecimo*, quando quis utitur dolose vestibus, et indumentis sexui, et conditioni personæ non conve-

Digitized by Google

nientibus, puta si sæcularis fraudulenter indutus sit habitu Religioso, vel muliebri, et fœmina sit induta vestibus virilibus; Caball. *Resolut. crim.* cas. 176. num. 10. Cohell. *ad Bullam Bon. Regim.* cap. 40. a num. 54. Raynald. tom. 2. cap. 18. § 33. num. 1. et sequent. Panimol. decis. 49. a num. 10. (30. *Tertiodecimo*, quando Aromatarius adulterat medicamenta *dando quid pro quo*, seu unum loco alterius a Medico præscripti juxta casum illius, qui dabat mel rosatum loco syrupi rosati solutivi, de quo Raynald. tom. 2. ad cap. 31. supplet. 2. per totam. (31. *Quartodecimo*, quando quis proposita Edicta dolo malo corrumpit, l. *Hodie*, ff. *ad leg. de Falsar.* Item, si quis utatur falsis Constitutionibus nullo Auctore, vel quæ non probatæ sunt, l. final. ff. eod.

(32. *Quintodecimo*, committitur crimen Falsi *Facto* fabricando falsam monetam, ut late probat Panim. decis. 77. per totam. (33. Falsum circa monetam juxta ordinationem Caroli V. art. 3. princip. committitur tribus modis: Primo, si quis cudat monetam non habens facultatem eam cudendi, quamvis ea cæteroquin sit proba, et justi ponderis, siquidem jus cudendi monetam numeratur inter Regalia, ut patet ex lib. *Feud.* tit. *Quæ sunt Regalia*, juncta l. 2. Cod. *de falsa Moneta*. Tum quia ad legitimam, et justam monetam non sufficit materiæ bonitas, sed insuper requiritur quod sit sculpta, et percussa publica forma Arg. l. 5, ff. *de Contrahenda Emptione, et Venditione*. Hæc autem forma publica, vel deest, vel falso fingitur in moneta, privata auctoritate cusa, cum nemo possit illam adhibere absque incursu criminis Falsi sine concursu supremi Principis; arg. l. *Falsi* 13. princip. l. *Qui nomine* 25. ff. *Ad l. Cornel. de Falsar.* et l. *final.* Cod. *de Fals. Monet.* (34. Secundo, si quis legitimæ monetæ justum pondus tondendo, scindendo, abradendo, vel alio modo dolose diminuit, l. *Quicunque*, ff. *Ad leg. Cornel. de Falsar.* (35. Tertio, si quis monetam adulterinam cudat, v. g. eam fabricando ex toto ex materia falsa, ut ex stamno, cupro, et hujusmodi, vel veræ materiæ, puta auro, et argento materiam adulterinam, puta stamnum, cuprum, et hujusmodi admiscendo, vel nummos falsos tingendo ut appareant vere aurei, et argentei.; l. *Lege* 9. ff. *Ad legem Cornel.* et l. 2. *Cod. de falsa Moneta* (1).

(36. *Ad Falsum* circa monetam plerumque

(1) Ad justam et legitimam monetam constituendam tria simul concurrant, omnino oportet; scilicet *metallum*, *figura*, et *pondus;* sive ut loquitur Glossa in Cap. *Quanto* 18. *De jurejur.* Verb. *Patris: Quantitas justi ponderis, materia legitima, et publica Forma.* Lege Gonzalez *Comment. in laud.* Cap. *Quanto.* Horum autem si quidquam defuerit, justæ ac legitimæ monetæ ratio deperibit; sive *numisma non erit*, uti loquitur Isidorus Lib. 26. *Etymologiar.* Hinc *Falsa Moneta*, uti rectissime advertit Dionys. Gothofred. in leg. *Qui falsam Monetam* 19, ff. *De leg. Cornel. de Falsis; Falsa moneta deprehenditur ex materia, pondere, et Forma adulterina.* Atque idcirco circa unumquodque istorum poterit falsitatis crimen admitti, sive moneta falsari; uti rectissime expendit Cl. Auctor noster, atque exemplis illustrat. Illorum porro scelus, qui monetas aliquo ex prædictis modo adulterare, falsare, aut vitiare intoleranda cupiditate ausi essent, velut summæ majestatis rei ultimo supplicio afficiendi decernuntur leg. 1 et 2. Cod. *De Falsa Moneta.* Leg. *Quicumque* 8. ff. *De leg. Cornel. de Falsis.* Quin et Ecclesiasticæ Sanctiones variis, iisq. gravissimis pœnis hujusmodi scelus insectatæ semper fuere; uti videre est in Concilio Lateranens. habito sub Callixto II. anno 1122. cap. 13, ex Editione Stephani Baluzii in Notis ad Petrum de Marca *De Concord. Sacerd.* et Img. lib. VIII, cap. 21. In Extravag. Clem. V. atque in Extravag. *Prodiens.* Joann. XXII. *De crimine Falsi*, aliisque Summorum Pontificum subsecutis ætatibus Constitutionibus confer huc, quæ habet Auctor noster Verb. *Moneta.* Hæc perfectæ uti satis certa, atque explorata in memoriam revocasse sufficiet, ut aditus pateat ad insequentem Quæstiunculam dilucidandam.

Controvertitur itaque inter Theologos, num Falsarius monetarum ille dicendus sit, qui nummos justum ac legitimum pondus excedentes circumciderit, attonderit, donec ad justum pondus redigantur. Non pauci sunt, qui id pernegant; uti Sylvius, Sylvester, Angelus, aliique, quibus et Auctor noster incunctanter adhæret, uti ex adductis ab ipso exemplis *n.* 34, satis patet. Imo adjungit laud. Angelus hujusmodi, qui de monetæ excedente pondere superfluum detraxerint, licet moniti a Confessario abstinere nolint, absolutionis beneficio non esse privandos, cum non satis manifesto appareat eos mortaliter peccare. Alii videntur media via incedere; hujusmodi nempe, de quibus loquimur in adducta hypothesi puniri posse uti Falsarios, quia de monetis publicis privata auctoritate detrahunt damno Communitatis; quasi dicere vellent revera Falsarios non esse censendos.

Verum licet prior isthæc adducta sententia Silvii etc., sua eademque non levi probabilitate fulciri, ac sese tueri videatur, uti ex dictis sat luculenter eruitur: nihilominus, uti verosimilius oppositum dicendum videtur. Ac primo quidem, ut incerta a certis secernantur, illud constat apud omnes: si publica Auctoritate de monetis justum pondus excedentibus aliquod fuerit detractum ab ipsis Monetariis, minime reprehendendum videtur, neque culpari posse. At si id fiat privata auctoritate, certa atque explorata res est id minime licere, atque peccare, qui aliquid hujusmodi attentarit; cumque hoc peccatum jus publicum violet, atque justitiam lædat, secumque ferat onus restituendi quidquid inde abrasum, vel detonsum fuerit, uti rectissime docet Navarr. in suo *Manual.* cap. 17, n. 168, haud inter levia connumerandum, sed gravi reatu peccatum hujusmodi inde abstringere fatendum est; quidquid in contrarium senserint nonnulli apud Ciera in *De Casib. Reservat.* Dissert. 16, q. 2, qui spectato jure communi, hujusmodi monetas attondentes non solum a restitutionis onere absolvunt, verum eti a cujusvis peccati videntur excusasse reatu.

Quod demum spectat ad propositam Quæstionem verosimilius nobis videtur dicendum hujusmodi attondentes monetas excedente etiam in eo quod excedunt, uti Falsarios habendos, atque pœnis a jure statutis fieri obnoxios. Etenim in leg. *Quicumque* 8, ff. *De lege Cornel. de falsis* hujusmodi nummos aureos aut radentes, aut circumcidentes, aut stringentes velut rei de crimine falsi, ultimo supplicio addicendi decernuntur; ut ibid. videre est. Ergo cum leges indistincte loquantur, intelligendæ sunt etiam de illis, qui in nummis excedentibus justum pondus in orbem attondendo superfluum inde detraxerint. Accedit etiam ratio, quæ hoc ipsum suadere videtur siquidem Falsator, seu vitiator monetæ dicendus erit quicumque formam publicam privata auctoritate immutare audeat; quod æque fieri, atque evenire videtur, sive radendo de justo pondere detrahit

Digitized by Google

que reducitur etiam confectio auri, et argenti arte Alchimiæ; Reiffenstuel loc. cit. num. 24. vid. verb. *Alchimia*; et hic sufficiat addere quod Alchimia definitur ab aliquibus penes Lemeryum *Cours de Chimie* cap. 1. *de Aur.* fol. 61. quod sit « Ars sine arte, cujus principium mentiri est, finis vero mendicare, » et concordat de Angel. *de Delict.* part. 1. cap. 6. de quibus Alchimistis verificantur ea, quæ refert Pegn. in *Director. Inquisitor.* part. 3. comment. 26. in fine nempe.

Ars suspecta probis, ars ipsa invisaque multis
Invisos etiam Cultores efficit artis (1).

(37. *Usu*, seu potius *abusu* committitur crimen *Falsi*, dupliciter. Primo, quando quis scienter utitur *falsitate* ab aliis confecta, ut si quis falsas scripturas, puta falsum instrumentum, falsum testamentum ab alio confectum dolose, et scienter in Judicio producat. Is enim falsum committere dicitur, ac si illud fabricasset, L. *Majorem*, Cod. *Ad leg. Cornel. de Falsariis.* (38. Secundo, quando quis producit dolose, et scienter falsos articulos a se fabricatos, et super illos procurat examinari falsos testes utendo eorum dictis. Præsumitur autem quis falsos adducere articulos, quando respiciunt factum proprium non subsistens, sed de recenti secutum, vel latis naturæ, ut nullo modo possit habere locum ignorantia. Farin. qu. 159. num. 84. et seq.

(39. Literæ Apostolicæ possunt falsari novem modis, ut Innocentius III. scripsit Archiepiscopo, et Canonicis Mediolanensibus, et habentur expressi in cap. *Licet ad regimen* 5. *de crimine Falsi*, ibi : « Ut autem varietates falsitatis circa nostras literas deprehendere valeatis, eas vobis præsentibus literis duximus exprimendas. Prima species falsitatis hæc est, ut falsa Bulla falsis literis apponatur. Secunda, ut filum de vera Bulla extrahatur ex toto, et per aliud filum immissum falsis literis inseratur. Tertia ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum, cum vera bulla falsis literis immittatur, sub eadem plicatura cum filo similis canapis restauratum. Quarta, cum a superiore parte Bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, et per idem filum literis falsis inserta reducitur infra plumbum. Quinta, cum literis Bullatis, et redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. Sexta, cum scriptura literarum, quibus fuerat apposita vera Bulla, cum aqua, vel vino universaliter abolita, seu deleta, eadem charta cum calce, et aliis juxta consuetum artificium dealbata de novo rescribitur. Septima cum chartæ, cui erat apposita vera Bulla, totaliter abolitæ vel abrasæ, alia subtilissima charta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutine conjunguntur. Eos etiam a crimine falsitatis non reputamus immunes, qui contra Constitutionem nostram scienter literas non de nostra, vel Bullatoris nostri manu recipiunt. Illos quoque, qui accedentes ad Bullam, falsas literas caute projiciunt, ut de vera bulla cum aliis sigillentur; sed hæ duæ species falsitatis non possunt facile comprehendi, nisi, vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas cognoscatur. In ceteris autem diligens indagator falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione Bullæ, vel motione, vel obtusione, præsertim si Bulla non sit æqualis, vel alicubi magis tumida, et alibi magis depressa. »

(40. Pœnæ falsantium literas Apostolicas sunt sequentes. *Primo*, falsantes per se, vel per alium literas Apostolicas sunt ipso facto excommunicati; cap. *Ad Falsariorum* 7. *de Crimine Falsi*, ibi : « Nos enim omnes falsarios literarum nostrarum, qui per se, vel per alios vitium falsitatis exercent, cum Fautoribus, et Defensoribus suis anathematis vinculo decernimus innodatos. » Et bulla Cœn. § 6. ibi : « Item Excommunicamus, et anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel

sive etiam solummodo quidquid excedat justi ponderis mensuram inde detondeat.

Hisce porro rationibus suadentibus permoti in *Addition. ad Element. Theolog.* Append. II. *De Casib. Reser.* in Nostra Neapolitana Diœcesi Cas. 15, q. 3, ubi adjuncta excommunicatione reservatur crimen falsationis monetarum his verbis : « Falsarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocumque vitiant; nim. vel eas diminuendo, etc. » respondimus, hujusmodi homines in nostra Neapolitana Diœcesi monetas, nummos attondentes etiam in ea tantum parte, qua justum pondus excesserint, reservata excommunicatione nostri adducti casus innodari, atque percelli; licet Mazzotta, et Ciera disputantes de iis, qui incurrant reservatam excommunicationem adducti Casus nostri in diversam abierint sententiam. Hæc quidem, quæ in hac Adnotatione proposuimus, atque præ aliis seligenda duximus, verosimiliora nobis visa fuere; salvo tamen peritiorum judicio. (EDIT. NEAPOL.)

(1) Non eadem pœna plectebantur omnes falsam cudentes monetam. Aut enim agebatur de moneta civitatis, tunc ultimo supplicio sine appellatione falsificans puniebatur, et domos in qua cusa erat moneta acquirebatur Fisco. Monetam vero Principis falsificans igne comburitur, et confiscantur omnia ejus bona. Qui vero monetam radit, vel tondet, si liber ad bestias damnabatur, si servus ultimo supplicio puniebatur. Daoyz, *summa jur. Civil.* tom. 2, lit. *M.* Verbo *Monetam.* Carpzov. *Pract. Crimin.* part. 1, quæst. 93, num. 2, et seq. Heinec. *Antiquit. Rom.* lib. 4, tit. 18, § 65. Hodie tamen magis arbitraria pœna locum habet. Voet. *in Pandect.* lib. 48, tit. 10, num. 8. Quid vero dicendum erit si quis falsam monetam cudere incipiens eam perficere desinat? Suffragio justæ pœnitentiæ absolvendum monet Paulus in l. *qui falsam* 19, ff. *ad leg. Cornel. de Falsis.* Sed contrarium sentire videtur Ulpinianus in l. *qui ea mente* 65, ff. *de Furtis*, et Valentinianus et Gallienus Imperatores in l. *si Falsos* 8. Cod. *ad leg. Corn. de Falsis.* Hinc falsos nummos cudentes capitali pœna puniri tradit. Moller. lib. 2, cap. 35. Plura de hac re apud Farinac oper. *Crimin.* tom. 6. Carpzov. loc. cit. Faber. in *Cod.* lib. 9, tit. 15, definit. 3 et 6. Aut. Matthæi. *de Crimin.* lib. 48, tit. 7. Duaren. ad *tit. de leg. Cosnel. de Fals.* tom. 3, pag. 220, et seq. Cujac. *in Paratit.* lib. 9, Cod. tit. 24, et *Comment. in lib.* 11. *Cod.* tit. 8, et tit. 11, tom. 2. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, aut gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum ; nec non falso fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, ac etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum. » (41. Absolutio talis Excommunicationis est Sedi Apostolicæ reservata, non solum per Bullam Cœnæ, sed etiam per c. *Dura* 4. *de Crimine Falsi*, ibi : « Quam (nisi forsan in mortis articulo) sine speciali mandato nostro a quoquam nolumus relaxari ; » Fagnan. in cit. cap. *Ad Falsariorum* num. 30. (42. Excommunicationem incurrunt etiam sui Fautores, et Defensores, cit. c. *Ad falsariorum*, ibi : « Cum Fautoribus, et Defensoribus. » Sed pro ipsis Excommunicatio non est reservata, quia in d. cap. *Ad falsariorum* nulla ponitur reservatio ; Reiffenstuel loc. cit. n. 33.

(1) Falsare litteras Apostolicas non est omnino falsas confingere, seu fabricari ; hæc duo enim apertissime distinguuntur in Pontificiis Constitutionibus : falsare itaque est, aliquid addendo, vel detrahendo Apostolicis litteris earumdem sinceram et germanam veritatem immutare ; aut vero sigillo, aut signo litterarum Apostolicarum ad falsas consignandas abuti ; quemadmodum late prosequitur Innocentius III, in Cap. *Licet* 5. *De crimine falsi*. Hoc porro in Cap. *Maxime* erit animadvertendus quintus falsandi modus, ex iis, qui ibid. recensentur, cum scilicet, *litteris Bullatis, et redditis aliquid per rasuram tenuem immutatur*. Unde colligendum vel minimam immutationem, etiam in una littera, vel puncto sufficere ad grave crimen falsitatis constituendum, atque adeo ad censuram excommunicationis contrahendam. Atque ita sensisse videntur Hostiensis, Cajetanus, Rebuffus. At vero Navarr. in suo *Manuali* cap. 27, n. 62, contrarium apertissime edocuit ; cum ait haud satis esse corrigere aliquam litterarum, vel punctum, quod non mutat substantiam aliquam, ut quis memoratæ excommunicationi subjaceat ; quia id non sufficit ad peccandum mortaliter, nec proinde ad excommunicationis pœnam subeundam.

Hæc quidem Navarri sententia, quam sequitur Suarez de *Excommun. Papæ reservat.* disp. 21, sect. 2, n. 46, et Bonacina, non videtur nobis a veritatis tramite longius aberrare. Si quidem generatim loquendo, nemini dubium videri poterit, quod hæc actio falsandi litteras possit esse venialis ratione levitatis materiæ ; et sane non est major ratio de hoc actu, sive materia, quam de aliis, in quibus levitas materiæ a gravis peccati reatu excusans, nullo Theologorum discrepante agnoscitur, atque admittitur. Secluso autem peccato mortali, certum etiam est in conscientia sententiam excommunicationis non incurri, uti omnibus probe compertum. Ad discernendum autem in hac re, an immutatio excusetur a culpa mortali, primo considerandum est, an per eam immutetur sensus a Pontifice intentus ; nimirum quia hac facta mutatione aliquid adseritur, vel negatur, quod ipse non intendebat, aut aliquid tacetur, vel omittitur, quod ipse intendebat proferre. Qua quidem in hypothesi semper erit peccatum mortale sufficiens ad hanc censuram incurrendam, etiamsi per unius puncti, aut apicis mutationem immutatio fieret ; quia gravitas hujus peccati non in atramento, et litteris, sed in sensu consistit. At vero quando sensus non variatur contra mentem Pontificis ; quod duplici ratione potest contingere : 1. Ut mens Pontificis etiam expressa in hujusmodi litteris non varietur ; sed solum materialis aut grammaticalis error corrigatur. Et tunc haud censeri posse vi-

(43. Falsarii litterarum Apostolicarum, vel falso eas fabricantes, aut supplicationes falso signantes incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, etiamsi hoc faciant per alios, arg. c. *Qui facit.* 72, *de Regul. Jur.* in 6. ibi : « Qui facit per alium est, perinde ac si faciat per se ipsum ; » Fagnan. loc. cit. num. 34. et alii ibi citati. Falsantes litteras Papæ sunt excommunicati, sive sint Laici, sive Clerici, sive Monachi : cit. cap. *Ad falsar.* ibi : « Omnes Falsarios ; » Fagnan. loc. cit. n. 89. (44. Episcopi autem et Superiores, licet non incurrant Excommunicationem latam in d. cap. *Ad falsariorum*, quia ipsi et superiores nunquam comprehenduntur, nisi de illis fiat mentio specialis, ut in cap. *Quia periculosum, de Sentent. excommun.* in 6. hodie tamen ex Bulla Cœnæ falsarii litterarum Apostolicarum sunt excommunicati, etiamsi Episcopali, vel alia majori dignitate sint præditi ; Fagnan. loc. cit. num. 57 (1).

detur per hujusmodi immutationem, seu potius correctionem peccati mortalis reatum, et excommunicationis pœnam incurri ; imo videri poterit vix aliquam culpam ibi posse deprehendi ; tum inspecta natura rei, cum nihil contra justitiam, caritatem, aut aliam virtutem, aut reverentiam sum. Pontifici debitam fiat ; imo videtur prospici honori, et decentiæ litterarum Apostolicarum ; tum ex jure positivo, quo prohibetur et debita poena coercetur falsificatio, illa autem de qua diximus, revera falsificatio non est. Quod si dixeris per jus positivum prohiberi mutationem, rectius id intelligere posse videmur de mutatione formali, et quoad sensum, non autem de materiali, præsertim, quæ sit in melius. Recte tamen docet Suaresius loc. cit. cavendas esse hujusmodi emendationes.

Alio modo potest contingere mutationem, seu emendationem esse ad mentem Pontificis secundum se, non tamen prout expressam in litteris. V. G. si constat Pontificem dispensasse in secundo gradu, in litteris verum per errorem scriptoris positum sit in tertio, aut quid simile ; qua quidem in hypothesi illud certius putatur, ac verosimilius censetur, non licere hujusmodi litteras in allum sensum mutare, easque emendare. Quamquam si talis mutatio fiat, litteræ validæ erunt quantum ad effectum ; continent enim voluntatem concedentis. Unde interveniente bona fide, facile etiam poterit talis actio excusari a gravi culpa, et consequenter a censura in Conscientia. Ita Eximius Suarez loc. cit. n. 47.

Num. 41, verba faciens Auctor noster de excommunicatione inflicta adversus falsarios litterarum Apostolicarum qui per se, aut per alios hujusmodi falsitatis crimen perpetrare ausi fuerint, de qua in Cap. *Ad falsariorum* 7. *De Crimine falsi*, arbitratur illam fuisse sum. Pontifici reservatam per constitutionem Cap. *Dura* 4, tit. eod. secutus Cl. Fagnani auctoritatem qui in laud. Cap. *Ad falsariorum* n. 30, id ipsum docet, cum falsitatis crimen sit notorium. Id ipsum quoque sentit Glossa *ibid.*

At diligentius rem perscrutanti alia videbitur sententia, ac dispositio laud. Cap. *Dura*. In eo siquidem agebatur de quibusdam, qui falsas Bullas, aut litteras Apostolicas Bullis signatas confixerant, et in plurimas Orbis regiones transmiserant. Ut huic malo inde longius diffuso paterna sollicitudine obviam iret Innocent. III, in laud. Cap. I, statuit, ut nemo deinceps apud Sedem Apostolicam litteras hujusmodi nisi de manibus Pontificis, aut illorum, qui ad hujusmodi munus de ipsius Pontificis mandato essent deputati recipere auderet ; gravissimis propositis ibid. pœnis adversus transgressores. II. Ut per singulas Parochias publice proponeretur ; quod si quis a Sede

Digitized by Google

(45. *Secundo*, falsantes litteras Apostolicas si sint Clerici, sunt ipso Jure privati Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis, cit. c. *Ad falsariorum*, ibi : « Clerici, qui Falsarii fuerint deprehensi, omnibus Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis perpetuò sint privati; » Fagnan. loc. cit. n. 38, et alii communiter. (46. *Tertio*, Clerici de tali crimine convicti, prævia degradatione Judicis Ecclesiastici, traduntur Curiæ sæculari secundum Constitutiones legitimas puniendi, scilicet ultimo supplicio, seu pœna mortis, cit. cap. *Ad falsariorum*, ibi ; « Ità quod qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur secundum Constitutiones legitimas puniendi, » et quod sint puniendi pœna mortis tenent ibi Fagnan. num. 40. Hostiens. num. 8, et alii passim, et ita practicatum fuit tempore Innocentii X, cum Francisco Canonici, alias Mascabruno Subdatario, qui ut refert. Card. de Luca in tract. *de Pension.* disc. 69, num. 1, a summo Pontifice ad Purpuram jam destinatus, veluti alter Sejanus, ex consuetis fortunæ ludis, ad manus Carnificis transitum fecit, Sententia contra Mascabrunum lata fuit die 5 Aprilis 1652, a Hieronymo Boviotto Locumtenente Gubernatoris, de unanimi totius Congregationis Criminalis ejusdem Gubernatoris voto, et assensu, in pœnam ultimi supplicii, nempe furcarum, sed ex speciali gratia Sanctissimi ad relationem Gubernatoris mutata in pœnam amputationis capitis in carceribus Turris Novæ, et deinde asportationis illius Cadaveris ad Plateam Pontis, et expositionis in loco solito, et ibi retentionis per aliquod temporis spatium. Sic refert Ursaya *Institution. Criminal.* lib. 3. titul. 6, n. 23. (47. Clerici tamen falsantes litteras Papæ non per se, sed per alium, non sunt degradandi, nec Curiæ sæculari tradendi, quia hæc pœna in d. cap. *Ad falsariorum* est statuta solum contra Clericos, « qui per se falsitatis vitium exercuerint, » et pœnæ non sunt extendendæ de casu ad casum, sed potius restringendæ; cap. *Odia*, et cap. *In pœnis de Regul. Jur.* in 6. Afflict. decis. 21, n. 7. Fagn. l. cit. n. 43. Pirhing. lib. 5, decret. tit. 20, n. 26, et in specie hæc pœna degradationis non imponitur, nisi in casibus in Jure expressis, et hic casus Clerici falsantis per alium non reperitur expressus, quin potius exclusus per supradictum textum : « Qui per se falsitatis vitium exercuerit ; » Fagnan. loc. cit. num. 53. Pirhing. loc. cit. num. 26. (48. Plurimi tamen apud ipsum Fagnan. loc. cit. num. 42, tenent contrarium : adeo ut Marian. Socin *ibid.* n. 19, dicat ipsam esse communem opinionem Doctorum.

(49. *Quarto*, falsis litteris Apostolicis utentes, si Clerici sunt, Officiis, et Beneficiis privantur, si laici, sunt ipso facto Excommunicati, cit. cap. *Ad falsariorum*, ibi : « Qui sub nomine nostro litteris falsis utuntur; si Clerici fuerint, Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis spolientur; si laici, tamdiu maneant ex-

Apostolica litteras impetrasset, quarum tenor poterat esse suspectus, et eis uti voluerit, et statutam pœnam evaderet, primo facienda esset collatio de falsa Bulla cum vera; et si eam invenisset falsitate inquinatam Episcopo Diœcesano, etc., non differret præsentare. III. Præcipitur Episcopis, ut generalem excommunicationis sententiam promulgarent, quamque per singulas Parochias frequentius facerent innovari : quod si quis falsas litteras se cognoverit habere, infra quindecim dies illas destrueret, ac resignaret, si pœnam excommunicationis vellet evadere; quam excommunicationem semel incursam sibi reservat laud. Pontifex per hæc verba : « Quam (nisi forsan in mortis articulo) sine speciali nostro mandato a quocumque nolumus relaxari. »

Qua vero ratione ex memorato cap. *Dura* deduci possit; eo nimirum loci excommunicationis sententiam latam in cap. *Ad falsariorum* adversus eos, qui litteras Apostolicas temerare, aut falsare ausi fuerint, reservari, non satis perspicio. Ibi enim nulla adversus hujusmodi falsantes Apostolicas litteras spiritualis pœna decernitur, sed, uti patet, excommunicatio, aut suspensio adversus eos, qui litteras hujusmodi ab aliis receperint, quam e manibus Pontificis, aut illorum qui ad hujusmodi officium fuerint deputati. Secundo pariter decernitur, ut excommunicatio vel suspensio veritate comperta post factam collationem de veris Bullis cum falsis, ab Episcopis proferatur adversus illos, qui hujusmodi litteras reportaverint. Ac demum excommunicatio pariter ab Episcopis ferenda decernitur in provinciali Concilio adversus eos, qui falsas litteras penes se habere cognoscentes, intra viginti dies illas non destruxerint, aut resignaverint; quæ postrema excommunicatio semel contracta, uti diximus, reservatur per illa superius addacta verba : *Quam nisi forsan*, etc. Cum itaque in toto hoc Cap. *Dura*, nulla adversus falsantes spiritualis pœna decernatur, non recte docuisse videtur Auctor noster cum Fagnano adserens excommunicationem Cap. *Ad falsariorum*, per laud. Cap. *Dura*, hic reservatam fuisse. Deinde isthæc excommunicatio, quæ in Cap. *Dura* postremo loco, uti diximus reservatur, non est, uti patet ab ipso Jure, sed per Episcopos ferenda decernitur adversus retinentes, aut conservantes hujusmodi falsas litteras, atque intra statutum tempus non resignantes; licet ipsi falsarii non sint, neque usi fuerint, neque habeant animum utendi; quia sola retentio, et conservatio hic per excommunicationis pœnam plectenda decernitur. Sed in cap. *Ad falsariorum* nulla de hujusmodi retinentibus mentio occurrit; sed tantum de ipsis falsariis, qui per se, aut per alios falsitatis crimen exercuerint cum *fautoribus*, aut *defensoribus*; de utentibus hujusmodi falsis litteris, aut easdem impetrantibus. Ergo somniasse videntur, qui excommunicationem prolatam in cap. *Ad falsariorum*, reservari per cap. *Dura*, arbitrati fuere. Hæc porro, nisi rebus per se luculentissimis, et meridiana luce clarioribus tenebras effundere velimus, germana, et naturalis videtur laudatorum Decretalium interpretatio; cui adhæsurum, quisquis rem diligentius perpenderit, non temere nobis pollicemur; præsertim cum hac in re secuti simus Cl. viros Barbosam in *Collectan. ad hoc* cap. *Dura*, et Suares. loc. cit.

At vero minime inficianur excommunicationem illam latam adversus falsantes litteras Apostolicas in cap. *Ad falsariorum* reservatam postea fuisse per subsequentium Pontificum Constitutiones, uti Auctor noster recte docet; sed hujusmodi Constitutiones reservationis pœnam adjicientes, sicubi vigent, serventur oportet. Interim juvat hic etiam animadvertere Auctorem nostrum eas extendere voluisse ultra quam par erat, et ratio hujusmodi Pontificiarum Constitutionum exigebat. Qua de re legi poterit Suares. loc. cit. n. 48.

Digitized by Google

communicationi subjecti, donec satisfaciant competenter; » et infra : « Quod et de his, qui falsas litteras impetrant, statuimus observandum. » (50. Unde ex his ultimis videtur, quod falsis litteris utentes, et falsas literas impetrantes, sed non exercentes per se falsitatem æquiparentur. (51. Nihilominus Cardin. in cap. final. col. ultim. in princip. vesp. *Per hoc*, tit. eod. expresse dicit impetrantem rescriptum per falsi subreptionem, aut tacitumitatem, non incidere in pœnam falsi, sed carere impetratis, et insuper teneri ad omnia damna, et interesse, et sequitur *Præpositus in* c. *In memoriam* num. 3, et 7, dist. 19. Aliquin (dicit Fagnan. l. cit. num. 55.) si omnes impetrantes per subreptionem litteras Papales, inciderent in pœnas cit. c. *ad Falsariorum*, oh! quam multi reperirentur illaqueati! Quare impetrantes litteras Papæ per subreptionem non esse excommunicatos censent S. Antonin. in 3 part. tit. 15, cap. 13. Silvester in verb. *Excommunicatio* 7. num. 9. vers. *Et secundo*. Card. Cajet. eod. verb. cap. 6. Suarez disp. 21, *de Censur.* sect. 2, n. 52. Pirhing. lib. 5, *Decretal.* tit. 20, num. 28. Fagnan. loc. cit. n. 54, et 55, et alii. Et ratio est, quia licet tales litteræ falsam informationem continent, ideoque invalidæ sint, sunt tamen in ordine ad expeditionem veræ, ideoque qui tales litteras impetrant, non sunt falsarii, puniuntur tamen in eo, quod carere debeant omni commodo litterarum, et in expensas condemnentur; c. *Super litteris* 20, *de Rescript.* et insuper teneantur ad omnia damna, et interesse; Hostiens. in cit. c. *Ad Falsarior.* 7, *de Crim. Falsi*, Suarez disp. 31, sect. 2, num. 30. Fagnan l. cit. n. 54, et 55, et alii apud ipsum, Pirhing. l. cit. num. 28, et alii. (52. *Quinto*, qui scienter habent falsas litteras Apostolicas, nisi intra viginti dies illas lacerent, aut restituant, subjacent excommunicationi, cap. *Dura* 4, *de Crimin. Falsi*, ibi : « Si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra viginti dies illas aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit evadere. »

(53. Retinentes scienter falsas Litteras Apostolicas ultra viginti dies subjacent Excommunicationi, etiamsi illis non utantur, nec utendi intentionem habeant; Barbosa in cit. c. *Dura* num. 2, Pirhing. loc. cit. num. 27. Reiffenstuel loc. cit. num. 33, et ratio est, quia textus in cit. c. *Dura* § final. non loquitur de iis, qui falsis litteris utuntur, sed de iis, qui penes se habent falsas litteras, et illas non lacerant, vel non restituunt intra 20 dies, et tales nullam excommunicationem incurrunt, nisi latam a Judice, prout ibi dicitur; Pirhing l. cit. num. 27. (54. Falsans litteras Apostolicas, etiam semel tantum, incurrit pœnas latas in cit. cap. *Ad Falsariorum* 7 *de crim. Falsi*. Et ratio est, qui licet dictum caput utatur verbo *Exercere*, ibi : « Exercent, » quod reiteratos actus videtur significare, tamen in dispositione pœnali in unico actu verificatur, juxta textum in § *Item Lex Julia, Instit. de public. Judic.* et late Farinac. in *Praxi crim.* lib. 5, *de Falsitate*, quæst. 251. num. 31, Fagnan. in cit. c. *Ad Falsariorum* num. 26, 27, et 28, Ursaya *Instit. crimin.* lib. 3, tit. 6, num. 8. (55. Falsarius litterarum Apostolicarum etiam occultus incurrit pœnam Excommunicationis et privationis Officiorum, et Beneficiorum eo ipso, quo crimen committit. Glossa in Clement. in verb. *Eo ipso*, *de Hæret.* Fagnan. loco citat. numer. 62. (56. Pœna autem degradationis ei infligitur solum, si criminaliter sit convictus, sive per viam accusationis sive inquisitionis. Fagnan. loco citat. numer. 63, et 64. (57. Dictæ pœnæ contra falsantes litteras Apostolicas procedunt, quamvis ex hujusmodi *Falso* nullum, aut modicum dammum emergat; Palao tract. 29, disp. 3. punct. 7, num. 4, Bonacciana tom. 3, *de Censuris*, disp. 1, quæst. 7, punct. 2 n. 5. Reiffenstuel l. cit. num. 33, et alii. Et ratio est, quia *Falsum* in illis sub dictis pœnis prohibetur, non tam propter dammum inde secutum, quam propter contemptum Supremæ Auctoritatis, a qua litteræ veniunt, ut omnis occasio Falsi in his evitetur. (58. Nomine litterarum Apostolicarum in ordine ad pœnas contra earum falsarios non solum veniunt Bullæ Datariæ, et Cancellariæ Apostolicæ, sed etiam Secretariæ Brevium. Sic declaravit Innocent. X, Constit. 51. in ordine. Bullam. in c. *Ex literis*, *de fide Instrum.* num. 3, Andr. ibid. num. 4, Butr. num. 4, Hostiens. num. 6, quos ita intelligit Farinac. in *prax. crimin.* quæst. 151, n. 24. Ursaya *Institut. crim.* lib. 3, tit. 6, num. 2. (59. Ubi quod hoc non procedit in falsificantibus litteras Episcoporum, et Nunciorum, quia hæ non sunt proprie litteræ Apostolicæ; Fagnan. l. cit. n. 24. Ursaya loc. cit. num. 3. et alii. (60. Immo secundum multos apud Raynal. lib. 2. observ. ad cap. 18. supplet. 2. neque hoc procedit in falsificantibus litteras Legati, vel Delegati Summi Pontificis, Sacræ Pœnitentiariæ, et Sacrarum Congregationum, quia non sunt litteræ Papæ, et idem cum sint diversæ fit illatio; l. *Papinianus exuli*, ff. *de Minor.* Raynal. l. cit. n. 9. Fagnan. loc. c. n. 24. qui tamen ibidem subjungit esse advertendum inter litteras Apostolicas comprehendi litteras Pœnitentiariæ secundum Doctores citatos num. 56.

(61. Falsificans litteras Papæ, et Imperatoris punitur pœna mortis. Sic cum multis Panimoll. decis. 76. num. 17. et communis aliorum. (62. Sic etiam punitur pœna mortis falsificans litteras Regias, aliorumque Supremorum Principum; l. *Majorum*, et l. *Ubique*, Cod. *Ad leg. Cornel. de Falsar.* et sic statuunt fere omnes cujusque Regni, (63. et supremi Principatus Constitutiones, seu Ordinationes, vel leges; quarum plurimæ statuunt etiam pœnam mortis contra falsificantes litteras Proregis, Locumtenentis, Vicarii, Senatus, Magistratus, aut alterius Tribunalis; et inter alias Constitutiones, et bannimenta Civitatis, et Legationis Bononiæ ut refert Raynald. tom. 2. observat. ad cap. 18, § 3. statuunt sic : « E se alcuno dolosamente in qualsivoglia modo falsificherà, o falsamente inviterà il Sigillo, Patente, salvi condotti, lettere, o altre scritture dell'Illustriss. Legato,

Digitized by Google

Reverend. Vicelegato, o Governatore, incorrerà nella pena dell' ultimo supplicio. » (64. Clericus falsificans sigillum Principis est ab Ordinibus deponendus, et impresso illi Charactere in signum commissi delicti, in exilium mittendus absque alia pœna corporali, ut statuit Urbanus III in cap. *Ad audientiam* 3. *de Crimine Falsi*. (65. Clericus falsificans litteras Episcopi, vel Capituli est ab Officio, et Beneficio suspendendus; c. *Si Episcop.* 7. distinct. 50. et cap. *Tam litteris* in § fin *de Testib.* et deducitur ex c. *Quando;* ubi Gloss. in fin. *de iis, quæ fiunt a Prælat.* Bellet. *Disquisit. Cleric.* part. 2. tit. *de Pœnit Cleric.* § 44. num. 6. Panimoll. num. 6. (66. Regulares falsificantes sigillum, vel litteras Prælatorum puniuntur juxta constitutiones particulares cujusque Religionis. (67. In nostro Ordine Fratrum Minorum de Observantia falsificantes sigillum, vel litteras Prælatorum carceri mancipantur ad arbitrium Provincialis, pro qualitate delicti; si vero litteræ falsificatæ fuerint Generalis, vel Commissarii Generalis, a carcere liberari non poterunt absque expressa licentia dictorum Prælatorum Generalium. Statut. Toletan. tit. *de Falsariis*. Portell. verb. *Falsarius* num. 6. Qui vero litteras Prælatorum Generalium, Provincialium, etc., destruerit, impedierit, vel aperuerit, non dicitur Falsarius, licet graviter etiam puniatur pro qualitate delicti; Compend. Sanctor. verb. *Falsificatio* num. 7. in fine, et est casus reservatus; Compend. Sanctor. verb. *Casus* num. 15. ibi : « Generalis, vel Provincialis, aut eorum Secretarii litteras tum missas, tum accipiendas impedientes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet intercipientes. »

(68. Pœna ordinario committentis quodcumque crimen *Falsi*, olim circa Nobiles erat deportatio cum omnium bonorum publicatione, circa Personas viles damnatio ad Metallum, circa Servos ultimum supplicium; l. 1, § fin. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* l. *Si quis* 38, § 7. ff. *de Pœnis*. Hodie tamen imponitur ex Arbitrio Judicis prudentis pro diversitate circumstantiarum, prout notat Glossa in cit. l. § fin. verb. *Eorum*, taliter quod aliquoties possit esse pœna pecuniaria, et aliquoties pœna corporalis, et etiam capitalis; l. *Ubi Falsis* 22. Cod : *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* ibi : « Supplicio capitali, si id exigat magnitudo commissi. » (69. Pœnæ falsariorum in specie sunt variæ pro diversitate *Falsi* ab eis commissi. Pœna falsi testis in causis civilibus erit deportationis; l. in princip. § fin. ff. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* et insuper tenebitur actione in factum ad damna, et interesse, quæ passus est alter propter ejus falsam depositionem; Farinacius q. 67. num. 2. et seq. et communis aliorum. In causis vero Criminalibus est pœna *Talionis*, id est pœna illa qua falso accusatus condemnatus fuit, vel condemnari, seu puniri debuisset; cum hac tamen advertentia, quod si condemnatio, seu punitio falso accusati secuta non fuit, tunc mitiori pœna a Judice arbitranda erit puniendus; Farinac. qu. 67. num. 11 et 15. et alii passim. (70. Si falsus testis

sit Clericus, iste ab Officii honore depositus in Monasterium detruditur, cap. *Si Episcopus* 7. distinct. 50 juncta Authent. *Presbyteri*, Cod. *de Episcopis et Cleric.* Vel ad Triremes, aut perpetuos carceres damnandus est, quia loco detrusionis in Monasterium olim consuetæ, hodie succedit damnatio ad Triremes, vel perpetuos carceres, teste Fagnano in cap. *Cum non ab homine, de Judiciis* num. 104. Farin. quæst. 119. num. 55. (71. Hæc tamen ordinaria pœna Clerici *testis Falsi* limitatur, et in arbitrium reducitur, quando Falsum committit sine præjudicio notabili tertii, et solum circa accidentalia. Menochius *de Arbitr. Jud.* casu 306. num. 22. Jul. Clarus, § *Falsum* 9 et 25. et alii.

(72. Pœna Notarii scribentis falsum Testamentum vel instrumentum erit deportationis, vel alia arbitraria, vel etiam amputationis manus, quando agitur de magna falsitate, et pluries reiterata. Farinac. q. 155. num. 11. Immo si exigat facti circumstantia, poterit extendi etiam usque ad mortem, juxta textum in l. *Ubi falsi* 22. Cod. *Ad Leg Cornel de Falsar.* Et ultra pœnam criminalem tenebitur etiam ad damna, et interesse. Farinac. quæst 115, num. 11, et 12. (73. Hac pœna punitur etiam falsificans manum alicujus, vel exemplans copiam diversam ab originali ; l. *Quod sit*, ff. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* (74. Pœna Advocati et Procuratoris Falsum committentis, præter ordinariam assignatam sub num. 68, est etiam quod teneatur ad reparationem damni, ac insuper ad arbitrium Judicis pro diversitate personarum, et circumstantiarum puniri possit pœna pecuniaria, carceris, et etiam Triremium pro qualitate delicti. Communis, et patet ex Raynal. observat. ad cap. 19, § 1, in *Expositione bannimenti Civitatis et Legationis Bononiæ.* (75. Pœna Judicis *falsum* committentis olim erat exilii, et capitis; l. *Lex Julia* 7, § fin. ff. *de Jul. repet.* Hodie vero pro diversitate circumstantiarum, est privatio Officii, et dignitatis ac inhabilitatis ad judicandum, confiscatio bonorum, vel etiam pœna exilii, Triremium, et capitis. Menochius *de Arbitr. Jud.* casu 432, a num. 7, Farinac. quæst. 111, a num. 4, et alii. Judicis autem Ecclesiastici *falsum* committentis pœna, præter ordinariam, est suspensio a Divinis, et compensatio damni illati; cap. 1, *de Sent. et re judic.* in 6.

(76. Pœna falsificantium legitimas, et pondera præter ordinariam pœnam *Falsi*, est quod ad duplum restituendum, nec non ad Insulam damnentur; l. *Hodie* 32, § 1, ff. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* ac insuper per triginta dies in pane, et aqua plectantur, cap. *Ut mensuræ* 2 *de Empt. et vendit.* (77. Pœna fabricantium falsam monetam est confiscatio omnium bonorum, damnatio ad bestias, ac ultimum supplicium, et insuper sunt rei criminis læsæ Majestatis ; l. 5, et 2, Cod. *de Falsa moneta.* (78. Pœna impedientium aliquem testari, vel jam factum testamentum mutare, vel ad testandum compellentium, si hoc factum fuit cum armis, habebit locum pœna leg. *Jul. de Vi public.* si vero sine ar-

Digitized by Google

mis, pœna extraordinaria, et Judicis arbitrio regulanda. Farinac. quæst. 161, n. 4, et sequent. et tenebitur insuper qui id fecerit ad damna, et interesse illi, qui ex hac prohibitione, vel concussione præjudicium passus est. Farinac. quæst. 161, num. 8. (79. Pœna supponentis falsum partum olim erat ultimum supplicium l. 1, *ad Leg. Cornel. de Falsar.* sed hodie est pœna extraordinaria *falsi*, quæ erit exilium. Farinac. part. 16, quæst. 159, num. 239, cum sequent. et Brugiot. *Institut. crim.* lib. 2, titul. 13, num. 17. (80. Pœna eorum, qui *falsum* committunt, occultando, surripiendo, supprimendo, corrumpendo, abradendo, lacerando, vel comburendo scripturas publicas, vel libros Mercatorum, vel mutando sibi nomen, aut similia faciendo, regulariter erit illa leg. *Cornel. de Falsar.* juxta Textum in 1, § *Qui*, ubi Glossa verb. *Reus est*, et l. 1, *Cod. de Mutat. nominis.* (81. Gerens se pro Curia, seu assumens nomen Curiæ cum non sit, sicut gerens se pro Magistratu, cum non sit, punitur pœna Legis *Juliæ Majestatis*, l. 3, et ibi Angelus num. 2. ff. *Ad leg. Jul. Majest.* Panimoll. decis. 76, num. 29, cum aliis *ibi citat.* (82. Limitatur tamen hac regula, quando falsus actus non sit animo usurpandi Principis jurisdictionem, sed ad alium finem, nam tunc non intrat pœna mortis, sed pœna *falsi* arbitraria. Bart. in leg. *Omnes populi, num.* 14, ff. *de Justit. et Jur.* et ibi Jason. num. 45, ad fin. Decian. tract. *Crimin.* lib. 7. cap. 9, n. 5, et 9, Panimoll. loc. cit. num. 30. Farinac. *Cons. crim.* 74, num. 1, et 2, ubi testatur de communi. (83. Ingrediens propterea sub nomine Curiæ domum alicujus mulieris animo carnaliter eam cognoscendi, non incurrit pœnam mortis sed Triremium. Farin. loc. cit. num. 11, et per tot. *Concil.* ubi in fine concil. subdit quemdam Marcum Antonium hujus criminis reum salvatum fuisse a pœna mortis, sed non a pœna Triremium; Panimoll. loc. cit. num. 31, et 32. (84. Aliorum falsariorum pœnas qui distincte scire desiderat, adeat Farinacium, Afflict. Raynald. aliosve Criminalistas, et sufficiat pro complemento hic scire, quod ad hoc ut quis de *falso* pœna ordinaria puniri possit, (85. tria copulative requiruntur, scilicet quod veritas sit immutata, alteri nocitura, et dolo facta, ut de communi testantur Farinac. *Consil. crimin.* 114, n. 12, et 36. Panimoll. decis. 76. num. 2. Cephal. consil. 355, num. 44, volum. 3, et alii passim. (86. Unde his tribus copulative concurrentibus, pœna ordinaria arbitrio Judicis imponenda est, juxta dicta num. 73.

(87. Falsificantes Litteras Apostolicas, et supplicationes signatas, excommunicantur; Benedict. XIV. tom. 1, Constit. 14, incip. *Pastoralis Romani* § 6, dict. Bulla Cœnæ. Falsitas in expositione facti expressa, punienda est ad formam juris. Idem Constit. 25. incip. *Ad Apostolicæ* § 5.

(88. Falsariorum malitia cavenda est Litterarum Apostolicarum executoribus. Idem tom. 2, Const. 51. incip. *Magna Nobis.* Falsitas enim in pluribus antiquis exemptionum privilegiis reperta est. Idem Constit. incip. *Causarum Palatii Apostolici.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(89. Definitioni *falsi* ab Auctore traditæ adde cum Antonio Matthæi *de Criminib.* lib. 48. tit. 7, cap. 1, numer. 1, verba hæc: *seu suppressio.* (90. Infinitæ vero sunt species Falsi. Sed non incommode ad duo summa capita referri possunt, nimirum ad falsum *testamentarium*, et falsum *nummarium. Testamentarium* proprie dicitur, quod committitur circa testamenta. At ejus pœna producta est de Senatusconsultis, et Principum Constitutionibus ad alia instrumenta, litteras, nomen, testimonia, accusationes, obligationes, mensuras, pondera. *Nummarium* committunt, qui monetam adulterinam faciunt, feriunt, qui nummos aureos radunt, tingunt, singunt. Longum autem esset, de utroque falso pro dignitate agere. Vide, si lubet, mox *laudatum* Auct. Pauca tantum afferemus de Falso prioris generis.

(91. Num is, qui adulterinum testamentum non fecit, sed usus eo est, seu, ut loquuntur Leges, ipsum *recitavit*, teneatur lege *Cornelia*, quæri solet? Teneri statutum est in l. 2, ff. *ad Leg. Cornel. de Fals.* tum in l. 8, Cod. eod. At Papinianus in l. 13. § 1, dict. titul. respondit: « In Cornelium falso recitato, non facto, non incidit. » Sunt qui negationem huic loco detrahunt pro *non incidit*, legendo, *incidit;* sed obstant Pandectæ Florentinæ, quæ hanc negationem habent. Alii distinguunt inter pœnam ordinariam et extraordinariam. At in dict. l. 2, ff. dict. titul. conjungitur recitans falsum, cum eo, qui fecit. Sicut igitur pœna ordinaria tenetur qui fecit, ita et teneri debet qui recitat. Distinguunt et nonnulli inter recitantem testamentum falsum, et recitatorem alterius instrumenti, sed Leges adductæ de quocumque instrumento loquuntur. Assentior Antonio Matthæi, qui ait, post Papiniani responsum demum constitutum, et receptum fuisse, ut recitator quoque Lege *Cornelia* teneretur; Vide eumdem, ubi supra num. 2.

(92. Disputari et de hoc solet, an Lege *Cornelia* teneatur is, qui non falsum testimonium dixit, sed verum reticuit? Distinguunt aliqui, utrum pecunia accepta id fecerit necne, et priori casu teneri volunt, non item posteriori. Sed Antonius Matthæi, loc. cit. n. 12, probat, et quidem solidissime, teneri, sive pecunia accepta, sive gratis tacuerit. Consule omnino ipsum.

(93. Gravior est quæstio, an in Legem *Corneliam* incidat, qui pecuniam ob testimonium dicendum accepit, nec tamen producentem, sed Adversarium ipsius testimonio suo juvit? Negant fere omnes ea de ratione, quod hic, tametsi accepit pecuniam, falsum testimonium minime dixit. Sed Antonius Matthæi, eodem loco num. 13, incidere tenet, quia verba Legis sine distinctione ita concepta sunt, ut si quis ob testimonium dicendum pecuniam acceperit, pœna falsi coerceatur, L. 1, § *Sed et si quis*, ff. dict. tit.

Digitized by Google

FAMA.

SUMMARIUM.

1. Fama quid significet. — 2. Unde sit dicta. — 3. Quid sit. — 4. Est duplex. — 5. Fama hominis quid sit. — 6. Quid Fama inter homines. — 7. Fama proprie loquendo non dicitur, nisi bona sit. — 8. Quid hæc sit. — 9. Famam bonam qui negligit, crudelis est. — 10. Fama interdum accipitur in malam partem. — 11. In quo differat Fama a Rumore. — 12. Rumor quid sit. — 13 ad 16. Ut Fama probet quatuor requiruntur. — 17. In concursu Famæ bonæ, et malæ, semper est præferenda bona. — 18. Fama probari potest per duos testes. — 19. Fama regulariter loquendo de per se non facit plenam probationem. — 20. Facit tamen semiplenam in causis civilibus: secus autem in Criminalibus. — 21 ad 26. Immo in variis casibus Fama facit etiam probationem plenam. — 27 ad 28. Immo Fama impedimenti sufficit sine alia probatione ad impediendum Matrimonium inter sponsos. — 29 ad 30. Quid ut Fama sufficiat pro plena probatione ad impediendum Matrimonium contrahendum. — 31. Ad deponendum contra hanc Famam admittuntur etiam propinqui, dummodo jurent. — 32. Relinquitur tamen arbitrio Judicis, an recipiendum, vel rejiciendum sit tale juramentum consanguineorum. — 33. Rumor an sufficiat ad impediendum Matrimonium. — 34. Fama impedimenti non sufficit ad dissolvendum matrimonium contractum. — 35. Fama publica existente contra Clericum fornicarium, si hic non se purget, puniendus est. — 36. Fama tamen sola, nisi sit de crimine notorio, non sufficit ad condemnandum. — 37. Fama non potest prævalere veritati. — 38. Fama affirmativa, vel prævalet, vel conquassat negativam. — 39. Nullum homini est dominium in famam suam. — 40. Quid inde sequatur. — 41. Alia *remissive*.

(1. Fama, opinio, et existimatio idem significant; Glossa final. in l. 1, Cod. *ex quibus causis infamia irrogatur*, et Glossa in l. *Cognitionum* 5, ff. *de extraordinariis Cognitionibus*, verb. *Existimatio*.

(2. Fama dicitur a *fando* sive *loquendo;* unde Fama dicitur quidquid de aliquo divulgatur, sive in bonam, sive in malam partem, ut tradit Calepinus in *Dictionario* verb. *Famæ*. (3. Hinc fama ut sic, secundum Bartolum in l. *De minore* 10, § *Plurimum num.*, 8, *de Quæst.*, est communis opinio voce manifestata ex suspicione proveniens, et grosso modo dicitur *Vax populi*, et in vulgari dicimus *Vax populi, Vox Dei*, quia opinio, in qua omnes concurrunt, vel major pars, præsumitur in se habere rationem, ut dicit Baldus in c. *Quoniam* 11, num. 62 ad probation. et in cap. *Vestra* 7, num. 2, *de Cohabitat. Cleric.* ac Fagnan. in dict. cap. *Vestra* num. 39, seu secundum Calderin. in dict. cap. *Vestra* num. 32, et Speculatorem in tit. *de Notor. crim.* § *Fama* num. 1, et 2. Fama est vulgi, loci, seu majoris partis vehemens opinio rei, de qua quæritur, consentiens, ut colligitur ex cap. *Inquisitionis* 21, in fin. *de Accusation.* cap. *Litteris* 12, et cap. *Tertio loco* 13, *de Præsumptionibus*.

(4. Fama ut sic est duplex, Fama hominis in se ipso et Fama hominis, quoad alios; seu Fama hominis, aut de homine, et Fama inter homines; Fagnan. in cit. cap. *Vestra* 7, n. 27, *de Cohabitat. Clericor.* Bartolus in cit. l. *de Minore* 10, § *Plurimum*, ff. de q. Mascard. *de Probation.* conclus. 749, cum. 1, Reiffenstuel lib. 2, *Decretal.* tit. 20, § 12, n. 387, et alii passim. (5. Fama hominis in se ipso, seu Fama hominis, aut de homine, est illæsæ Dignitatis status legibus, et moribus comprobatus, l. *Cognitionum* 5, § *Existimatio*, ff. *de extraordinariis Cognitionibus;* Glossa in cap. *Infames* 3, verb. *Infamia*, quæst. 7. Speculator in tit. *de notoriis Criminibus* § *Fama* in princip. Calderin. in cit. cap. *Vestra* n. 1, Fagnan. *ibid.* num. 27, et alii. (6. Fama hominis quoad alios, seu Fama inter homines est publica, seu famosa, ac communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, et certo auctore proveniens; Sic Joan. Andr. in cit. cap. *Vestra* num. 9, vers. *Fama inter homines*, Fagnan. *ibid.* n. 38. Anton. Nebrissensis *in Vocabulario juris* verb. *Fama*, Reiffenstuel l. c. n. 388, et alii, et sic dicitur respectu eorum inter quos viget seu circumfertur.

(7. Fama proprie loquendo non dicitur nisi bona sit, quia Fama est argumentum virtutis, ut recte inquit Baldus in cap. *in Genesi*, n. 96. *de Election.* et Fagn. loc. cit. num. 38. (8. Unde fama proprie loquendo, ut bona « est illæsæ dignitatis status legibus, et moribus comprobatus, et in nullo diminutus; » Glossa fin. in l. 1, Cod. *ex quibus causis infamia irrogatur;* Rota part. 17, recent. dec. 346, num. 17. (9. Et hanc Famam qui negligit, crudelis est; cap. *Nolo* 10, caus. 12, quæst. 1, ubi ex verbis Sancti Augustini sic expresse habetur: « Duæ sunt res, conscientia, et fama; conscientia necessaria est tibi, fama proximo; qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est: » Hinc Apostolus *I ad Corinth.* c. IX, num. 55, ait: *Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*, cui concinit cap. *Sacerdos* 9, caus. 1, quæst. 2, ibi: *Expedit mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*, et *Ecclesiastici* cap. XLI, n. 15, hoc datur pretiosum consilium: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni.* Et *Proverb.* cap. XV, num. 30, dicitur: *Fama bona impinguat ossa*, et *ibid.* cap. XXIII, num. 1: *Melius est bonum nomen quam divitiæ multæ.* (10. Quamvis igitur Fama proprie loquendo non dicatur, nisi bona sit, seu in bonam partem accepta, interdum tamen Fama accipitur in malam partem, et speciali nomine appellatur *Infamia*, id est Famæ privatio, seu diminutio. Et hæc mala Fama, seu infamia, est *læsæ dignitatis status, vita, et moribus reprobatus*, Calderin. in cit. cap. *Vestra* n. 31. Fagnan. *ibidem* num. 21. Reiffenstuel loc. cit., art. 2, n. 29, et alii. De infamia hac vide verb. *Infamia* per tot

(11. Fama in multis differt a Rumore. Primo, quia Fama proprie est, quando tota Civitas, vel vicinia, seu major pars populi aliquid asserit. Rumor autem est, quando aliqua minor pars, nempe media, tertia, seu quarta

Digitized by Google

pars in asserit; Nebrissensis in *Vocabulario juris* verb. *Rumor*. Abbas in c. *Super eo* n. 3, *de eo qui cognovit consanguin.* Fagnan. in cit. cap. *Vestra*, n. 44. Speculator in tit. *de Notoriis Criminibus* § *Nunc de Rumore* num. 1, et alii. Secundo, quia Fama proprie dicta procedit a certo Auctore aliquid asserente; Rumor vero ab incerto Auctore; Baldus in cap. *Tua* num. 4. *de cohabitat. Clericor.* Fagnan. loc. cit., n. 44. Reiffenstuel loc. cit. tit. 12. num. 392. et alii. Tertio, quia Rumor est quid minus, quam Fama, minusque probat, quam ipsa: Fama est enim communis populi assertio, Rumor autem est sola paucorum dictio; Abbas in cit. cap. *Vestra*, num. 12. vers. *Rumor. vero;* Fagnan. *ibid.* n. 44. Reiffenstuel loc. cit. n. 392. Nebrissensis loc. cit. verb. *Rumor* et alii. Quarto, quia Fama vires suas acquirit eundo, et perseverando extendit, juxta illud Virgilii *Æneidos* 4:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,

et juxta illud Psalm. XVIII.: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum:* Rumor vero quandoque cito deficit, ut l. ultim. ff. *De hæredibus instituend.* Fagnan. loc. cit. num. 44. cum Baldo ibi allegato, Reiffenstuel loc. cit. num. 392. et alii. (12. Unde Rumor definitur, quod sit particularis assertio ex incerto Auctore, et sola suspicione proveniens. Sic Hostiensis in cit. cap. *Vestra* n. 3. Joan. Andr. *ibid.* num. 11. Calderin *ibid.* num. 33. Fagnan. *ibid.* num. 44. Nebrissensis loc. cit. verb. *Rumor*, Speculator in tit. *de notoriis Criminibus*, § *Nunc de Rumore* num. 1. Reiffenstuel loc. cit. n. 392. et colligitur ex cap. *Super eo* 5. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*, ex cap. *Osius* 2. *de Election.* et ex cap. *Veniens* 19. *de Regularibus.*

(13. Ut fama probet, multa requiruntur. Primo requiritur, quod Fama originem duxerit a personis gravibus, honestis, fide dignis, et non interessatis: Unde non est attendenda Fama orta ab aliquibus malitiosis, suspectis, aut proprio commodo, suæque utilitati studentibus; cap. *Qualiter, et quando* 24. *de Accusationibus*, ibi: « Super clamorem, et Famam ad aures Superioris pervenit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis; » cap. *Licet ex quadam* 47. *de Testibus*, ibi: « Nec ab infamibus, et suspectis, sed a fide dignis, omni exceptione majoribus didicerint; » Rota recent. part. 4. tom. 1. decis. 76. num. 4. part. 12. decis. 419. n. 20. part. 17. decis. 207. n. 49. et sæpe alibi, et communis Doctorum.

(14. Secundo, ut Fama probet, requiritur, quod habeat certos Auctores, et rationabiles, ac probabiles causas, id est, quod testes super Fama deponentes teneantur exprimere certas personas, a quibus audierunt, et assignare causas probabiles, ex quibus populus inductus fuit ad sic credendum, v. g. quia audierunt a certis personis honestis, fide dignis, omnique exceptione majoribus, quæ asseruerunt ita se vidisse oculis suis, vel quia ille, de cujus morte dicitur publicam Famam extare, ingressus est bellicum conflictum, aut navigans passus est naufragium, aut in flumen cecidit, seu projectus fuit, et amplius non est inventus, nec comparuit, licet diu expectatus sit, vel hujusmodi. Unde non est attendenda vana vox vulgi, et rumor in populo, quæ nullos habet certos Auctores, nec rationabiles, seu probabiles causas inducentes ad sic credendum; l. *Decurionum* 12. Cod. *de Pœnis*, ibi: « Vanæ voces populi non sunt audiendæ, » cap. *Osius Episcopus* 2. *de Electione*, junctis concordantiis a Glossa ibi in verb. *Populi* relatis; Rota recent. part. 4. tom. 1. dec. 250. n. 5. part. 12. dec. 420. n. 15. part. 17. dec. 43. n. 11. et sæpe alibi, ac Doctores communiter.

(15. Tertio, ut fama probet, requiritur, quod testes deponant de tempore præciso ante motam litem; cap. *Licet ex quadam* 47. *de Testibus*, ibi: « Et ante litem motam testificata didicerint. » Alioquin præsumeretur orta Fama primum occasione litis motæ, seu ex contestatione ipsius, sicque talis Fama non probaret; Rota recent. p. 3. dec. 117. n. 13. et dec. 562. num. 6. p. 7. dec. 182. num. 28. p. 8. dec. 283. n. 14. p. 10. dec. 158. n. 15. dec. 299. n. 8. p. 19. tom. 1. dec. 100. num. 20. et sæpe alibi, ac communis Doctorum.

(16. Quarto, ut Fama probet, requiritur, ut ea sit uniformis, constans, perpetua et inconcussa. Alioquin si esset difformis, inconstans, et contrariis allegationibus debilitata et conquassata, non probaret; Rota recent. part. 1. dec. 182. n. 5. part. 2. dec. 277. n. 3. p. 8 dec. 211. n. 16. p. 10 dec. 158. n. 11. dec. 301. num. 27. part. 16. dec. 99. n. 8. et sæpe alibi. Generaliter enim Fama per testes probata destruitur, vel incerta, et inconstans redditur ex depositione aliorum testium de contraria Fama deponentium; Rota rec. part. 4. tom. 2. dec. 276. n. 13. part. 8. dec. 99. n. 22. p. 10. dec. 158. n. 10. quo casu una Fama destruit aliam; Rota recent. part. 6. dec. 205. n. 10. part. 14. dec. 276. n. 13. (17. In concursu tamen Famæ bonæ, et malæ, semper est præferenda bona, etiamsi testes deponentes de bona Fama essent pauciores; Rota recent. p. 2. dec. 277. num. 2. part. 8. dec. 249. n. 27. cum variis aliis decisionibus, et Doctoribus ibi citatis.

(18. Fama probari potest per duos testes graves, fide dignos, et omni exceptione majores; cap. *Inquisitionis* 21. § *Quæsivisti, de Accusationibus*, ubi Fama censetur probata per duos, vel tres testes, et concordant cap. *In omni* 4. et cap. *Licet universis* 23. *de Testibus*, et c. *Cum esses* 10. *de Testamentis*, ubi allegatur illud Dominicum *Matth.* c. XVIII. num. 16: *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum;* et c. *Si testes* 3. § *Ubi numerus* caus. 4. quæst 2 et 3. ibi: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficient; pluralis enim locutio duorum numero contenta est; » et leg. *Ubi* n. 12. ff. *de Testibus*, ibi: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficient; pluralis enim locutio duorum numero contenta est; » Sic expresse Glossa in l. *Testium fides* 3. verb.

Digitized by Google

Confirm. ff. *de Testibus*, dicens, quod Fama probatur per duos testes, cum jurant majorem partem populi ita sentire ; Bartolus in l. *De minore* 10. § *Plurimum* n. 19. *de Quæstionibus*, Felinus in c. *Tertio loco* 5. n. 4. *de Probationibus*, Farinac. lib. 1. *Prax. crimin.* q. 47. n. 208. 210. et seq. Jul. Clar. in *Practit. crim.* § final. q. 6. n. 12. Menoch. lib. 8. consil. 701. n. 49. Mascard. *de Probationibus*, concl. 750. num. 1. testans de communi.

(19. Fama regulariter loquendo de per se non facit plenam probationem ; Glossa in c. *Si testis* 3. caus. 4. qu. 3. vers. *Fama ;* Felinus in cap. *Per tuas* 10. n. 15. *de Probationibus*, Abbas in c. *Transmissæ* 3. n. 10. *Qui filii sint legitimi*, Mascard. *de Probationibus* concl. 754. n. 1. testans de communi : Fama enim sæpe est fallax, nam « dictum unius facile sequitur multitudo, » textu expresso in c. *Cum in juventute* 12. *de Purgatione canonica.*

(20. Facit tamen semiplenam probationem in causis Civilibus ; secus autem in Criminalibus, ubi requiruntur probationes indubitatæ, et luce meridiana clariores ; Glossa in c. *Veniens ad nos* 10. vers. *Illorum*, *de Testibus*, et Glossa in l. *Testium fides* 3. vers. *Confirm.* ff. *de Testibus* dicens cum aliis, quod Fama faciat probationem semiplenam ; unde facit deferri juramentum ; Speculator tit. *de notoriis Criminibus Fama est* num. 5. Sannig tit. *de Probationibus* c. 4. n. 12. Card. Tusch. Litt. *F.* concl. 66. num. 19. Alexander consil. 103. n. 3 et 5. lib. 7. Sigismund. Scaccia lib. 2. *de Judiciis* c. 9. n. 84, 85. Rota recent. part. 3, dec. 374. n. 4.

(21. Immo in variis casibus Fama facit etiam probationem plenam. Primo enim Fama plene, et concludenter probat in antiquis, quæ excedunt memoriam hominum ; c. *Cum causam* 13. *de Probationibus ;* Rota recent. part. 1. dec. 75. n. 1 et dec. 445. n. 6. p. 4. tom. 3. dec. 292. num. 4 p. 5. tom. 1. dec. 64. n. 26. p. 3. dec. 475. n. 3. et sæpe alibi ; Alexander consil. 83. n. 7. vol. 3. Reiffenstuel loc. cit. § 12. n. 406. Masc. loc. cit. concl. 754. n. 7. testans de communi. In antiquis enim cum sint difficilis probationis, atque ob temporum injuriam legitima documenta pereant, admittuntur etiam leviores probationes.

(22. Secundo, Fama plene probat, quando cum ea concurrunt alia adminicula : c. *de Appellationibus*, ibi : « Veritate per idoneas personas, et Famam loci sollicite inquisita, » cap. *Præterea* 27. *de Testibus*, c. *Illud quoque* 11. *de Præsumptionibus* juncta Glossa ibi : Verb. *Fama loci ;* ubi pluribus adductis dicit Famam sufficere ad probationem, si aliæ præsumptiones concurrant ; Card. Tusch. litt. *F.* concl. 66. n. 3 et 65. testans de communi Rota recent. part. 5. tom. 2. dec. 424. n. 5.

(23. Tertio, Fama facit plenam probationem in rebus modici præjudicii, et in causis levioribus, Bartolus in l. *De minore* 10. § *Plurimum*, ff. *de Quæstionibus*, Abbas in c. *Veniens ad nos* 10. n. 9. *de Testibus*, Felin. *ibid.* num. 9. Mascard. loc. cit. concl. 754. num. 8 et 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 407, et alii passim.

(24. Quarto, Fama plene probat, quando agitur Remedio Canon. *Redintegranda* 2. caus. 3. q. 1. ad recuperandam possessionem. Tunc enim, probata publica Fama, restitui debet possessio agenti hujusmodi Remedio ; Mascard. loc. cit. num. 24. Reiffenstuel loc. cit. num. 410. Ancharan. consil. 42. num. 2. testans de communi.

(25. Quinto, Fama plenam facit probationem in iis, quæ sunt difficilis probationis ; Rota recent. p. 3 dec. 481. n. 3. Bartolus in l. *De pupillo* § *Si quis ipse* q. 8. ff. *de novi operis nuntiat.* Alexandre consil. 66. n. 9. lib. 3. Card. Tusch. loc. cit. concl. 66. n. 66. Mascard. loc. cit. conc. 754. n. 22. Reiffenstuel loc. cit. n. 409, et alii passim.

(26. Sexto, Fama facit plenam probationem, quando agitur de periculo animæ, et peccato evitando, cap. *Super eo* 2. *de Consanguinit. et affinit.* ubi sola Fama loci de subsistenti impedimento impedit Matrimonium contrahendum, ibi : « Vel si non manifestum, Fama tamen loci hoc habet ; » et Glossa ibid. verb. *Fama*, ubi expresse dicit : « Nota, quod Fama impedit Matrimonium contrahendum, » cap. *Cum in tua* 27. *de Sponsalibus* « et plus facit Fama hic, quam dictum unius, ubi juramentum intervenit » c. *Præterea* 12. *de Sponsalibus.* « Alias dictum unius, sicut et Fama impedit matrimonium contrahendum, » cap. *Super eo* 22. § 1. *de Testibus.* Hæc dicta Glossa, Reiffenstuel loc. cit. num. 411. Panimol. dec. 19. adnot. 3. num. 4. cum plurimis ibi allegatis ; Sanchez *de Matrimon.* 1. disp. 72. num. 13. Mascard. *de Probationibus* lib 2. concl. 1031. num. 11. et 12. Piasecius in *Prax. Episcop.* part. 2. c. 4. n. 39. vers. *Sic et si in contrarium*, Ventriglia tom. 1. *de Testibus in caus. Matrimonal.* annotat. 3. § 1. n. 18. et alii passim.

(27. Immo Fama impedimenti sufficit sine alia probatione ad impediendum Matrimonium inter sponsos, etiamsi sponsalia fuerint firmata juramento, ut colligitur ex cap. *Super eo*, 2. *de Consanguinit. et affinit.* ubi deciditur, Famam impedire Matrimonium contrahendum, *fide imposita*, et ibi Glossa verb. *Fide* explicat, id est *juramento.* Sic Doctores in eodem textu, præsertim Cardinal. in fine, Abbas n. 5. Covarruvias 4. decretal. 2. par. c. 6. § 19. n. 11. Mascard. *de Probationibus* conclus. 1035. n. 12. Bossius *de Matrimon.* c. 7. § 13 et 125. cum seq. Piasec. loc. cit. Hurtad. *de Matrimon.* disp. 2. n. 68. vers. *Sic addidimus*, Guttierez *de Matrimon.* c. 26. n. 13. et 14. Panimoll. loc. cit. Ventriglia loc. cit. num. 19. Sanchez loc. cit. n. 14. ubi dicit non esse attendendum Paludanum contrarium tenentem.

(28. Et de facto non adversatur textus in c. *Cum in tua*, 27. *de Sponsalibus*, ubi videtur disponi, quod ultra personam fide dignam requiratur Fama ad impedienda sponsalia juramento firmata, ut prætendit dictus Paludanus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3.

Digitized by Google

casu 9. n. 27. Non adversatur, inquam, quia ibi persona fide digna non designatur ut testis, sed tamquam denuntiator, ut patet ex ipsismet verbis textus, ibi : « Quod si persona gravis, cui fides sit adhibenda, tibi denuntiet, quod hi, qui sunt Matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, et Fama, vel scandalo doceat. » Unde potius colligitur ex verbis textus Innocentium III disposuisse, quod etiam sola Fama sufficiat, si a denuntiatore fide digno justificata fuerit, ut explicat Glossa ibid. verb. *De fama*, ibi : « Et ita sola fama impedit Matrimonium. » Et ex Alexandro de Nevo, Guttierez, Barbosa, Sanchez tradit Bossius *de Matrimon.* cap. 7. § 32. num. 125. vers. *Neque obstat*, Panimoll. loc. cit num. 5.

(29. Ut autem Fama sufficiat pro plena probatione ad impediendum Matrimonium contrahendum, non debet esse privata, ut si de ea constet Judici ut privato, aut Judex de illa a multis in privato audiverit, sed est justificanda per legitimas probationes. Sic Glossa et Doctores in cit. c. *Cum in tua*, 27. *de Sponsalibus*, Butrius num. 7. Alexander de Nevo num. 16. Abbas num. 6. Guttierez loc. cit. num. 14. Sanchez loc. cit. num. 15. Bossius loc. cit. num. 126. 127. 128. Mascard. loc. cit. num. 13. Panimoll. loc. cit. num. 6. Ventriglia loc. cit. num. 20. et alii dicentes, quod Fama privata non sufficit ad impediendum Matrimonium, sed solum dat facultatem ad inquirendum et ad recipiendum probationes de tali Fama.

(30. Fama non sufficit ad impediendum Matrimonium, si ex adverso de contraria Fama clariores habeantur probationes. Glossa in cit. cap. *Cum in tua*, verb. *Famam;* Rota recent. p. 1. decis. 182. num. 7. p. 8. decis. 211. n. 18. p. 9. tom. 1. decis. 16 num. 4. p. 15. decis. 318. num. 6. Paris. consil. 64. num. 24. volum. 3. Mascard. loc. cit. num. 14. Sanchez loc. cit. num. 16. Panimoll. loc. cit. num. 8. Ventriglia loc. cit. num. 22. et alii passim.

(31. Et ad deponendum contra hanc Famam admittuntur etiam propinqui, dummodo jurent; cit. c. *Cum in tua* 27. *de Sponsalibus*, ibi : « Vel contra Famam hujusmodi secundum tuæ discretionis arbitrium juramentum exhibeant propinquorum. » Mascard. loc. cit. num. 15. Sanchez loc. cit. num. 17. Guttierez. loc. cit. num. 15. Ugolin. *de Offic. et potest. Episc.* cap. 15 § 11. num. 7. vers. *Atqui*, Panimoll. loc. cit. num. 9. Ventriglia loc. cit. num. 23, et alii passim.

(32. Relinquitur tamen arbitrio Judicis, inspecta qualitate personarum, et contrariæ Famæ, an recipiendum, vel rejiciendum sit juramentum consanguineorum super impedimento Matrimonii ad elidendam contrariam Famam, ac attestantium inter contrahere volentes nullum adesse impedimentum, cit. c. *Cum in tua*, ibi : « Secundum tuæ discretionis arbitrium. » Mascard. loc. cit. num. 16. Ugolin. loc. citat. § 7. Menoch. *de Arbitr.* casu 243. num. 7. et casu 454. num. 2. Ventriglia loc. cit. num. 24. Panimoll. loc. cit. num. 10. et alii.

(33. Rumor, qui ex dictis supra num. 16. in multis differt a Fama, et est quid minus, quam ipsa Fama, quamvis ex probabiliori opinione non sufficiat ad impediendum Matrimonium, sufficit tamen ad effectum suspendendi, ne contrahatur, donec veritas indagetur. Cum enim agatur de periculo animarum vitando, ne forte peccatum incurratur contrahendo cum affine, et agatur de modico præjudicio, si sponsalia inter sponsos inita dirimantur, cum facile possint reperire alium, vel aliam, cum quo, vel cum qua contrahant : hinc Rumor debet sufficere ad suspendendum Matrimonium, donec veritas sit indagata. Immo Butrius in cap. *Super eo* 5. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris* n. 7. et præpositus ib. n. 4. et alii relati a Sanchez loc. cit. n. 10. volunt, quod Rumor sufficiat etiam ad impediendum Matrimonium per text. in leg. *Pactum ejus* 92. ff. *de Hæred. instituendis*, ubi Rumor fuit creditus justa causa credendi mortem cujusdam *Magnæ*.

(34. Fama impedimenti non sufficit ad dissolvendum Matrimonium contractum, et præcipue consummatum, c. *Si duo* 4. caus. 35. quæst. 6. Mascard. *de Probationibus* lib. 2. concl. 1034. num. 21. Sanchez *de Matrim.* lib. 2. q. 45. num. 32. Panimoll. l. cit. num. 54. et alii passim, quia ut habetur in c. *Licet ex quadam* 47. in fine *de Testibus* : « Tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum relinquere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare. » Nam in constitutionibus suis potest Ecclesia, sive Romanus Pontifex conditor Canonum dispensare, non item in Lege Divina positiva de indissolubilitate Matrimonii legitime contracti, *Matth.* cap. XIX, num. 6. et *Marci* cap. X, num. 9. ibi : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

(35. Fama publica existente contra Clericum fornicarium, hic debet se purgare : quod si nolit se purgare, vel deficiat, puniendus est textu expresso in cap. *Tua nos* 7. *de Cohabitat. Clericor. et mulier.* (36. Fama tamen sola, nisi sit de crimine ita notorio, ut nulla possit tergiversatione celari, non sufficit ad condemnandum. cit. cap. *Tua nos.*

(37. Fama non potest prævalere veritate; Rota recent. par. 5. tom. 2. decis. 606. num. 18, præcipue si agatur de Fama mala producta ex vana populi voce, quæ non est attendenda; Rota recentior. part. 1. decis. 167. num. 29.

(38. Fama affirmativa, vel prævalet, vel conquassat negativam; Rota recentior. par. 6. decis. 28. numer. 13.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Magna est quæstio, an Homini sit dominium in famam suam? Qui famam cum externis bonis comparant, ii tenent esse Homini dominium in famam. Ac rectius alii neminem esse famæ suæ dominum sentiunt. Fama enim consequens est virtutis, si causam spectes. Quid ergo in famam tuam statuere poteris, si nihil potes contra virtutem, illæsa honestate? Si vero actum famæ *for-*

Digitized by Google

malem, ut dici solet, intelligas, ipsam nimirum aliorum de tua virtute existimationem, quomodo erit in dominio tuo actus in animo alterius? Deinde aut existimatio tuæ virtuti conformis est, aut difformis. Si difformis, hæc fama non est, sed error. Si conformis, obtinet hæc quidem veræ famæ indolem, minui vero haud potest, nisi vel boni desinant recte judicare, vel ipse desinas agere; Confer Stryk. *juridic. Dissert.* tom. 2. disp. 15. cap. 5. n. 2. et plur. seqq.

(40. Hinc sequitur I. Non posse aliquem se infamare, salva conscientia. II. Ob evitanda tormenta, vel levia, vel gravia, non posse aliquem sibi imponere falsum crimen, etiamsi pœna propter illud irroganda, illis tormentis gravior, et ultimi supplicii foret. III. Neminem posse obligare famam in commodum alterius, ut si hic ex. gr. non præstet datam fidem, ipse velit malefidus reputari, aut obnoxius esse arbitrariæ illius contumeliæ, cui fidejusserit; Idem Auctor *ubi supra*.

(41. An quis cum periculo suæ famæ alterius famam teneatur restituere? Quomodo teneatur, qui injuriam tantum materialem intulit; verb. gr. detulit apud Superiorem aliquem bona fide, seu ignoranter de falso crimine. Item quid juris, si damnum bonorum per meam infamationem aliquis passus sit? Vide Fagundez *ad Decal.* lib. 9. cap. 15. Molin. tract. 4. disput. 40. n. 3.

FAMILIA.

SUMMARIUM.

1. Familiæ nomen idem importat ac agnatio. — 2. Familia alia dicitur effectiva, et alia contentiva, et quæ sit utraque. — 3. Ut quis dicatur de familia contentiva, quid requiratur. — 4. Familia contentiva est duplex, una proxima, et altera remota, et quæ sit utraque. — 5. In concursu duarum linearum proximioris, et remotioris intelligitur vocata proximior, non remotior. — 6 ad 10. Familiæ appellatione, quando contentiva veniat, et quando effectiva. — 11 ad 12. Quando vocata est Familia in genere quæ sit intelligenda. — 13. Agens ad Fideicommissum quid de Familia probare debeat. — 14. Quid Contendens succedere in Majoratu. — 15. Quando in Majoratu masculi ex feminis non intelligantur vocati. — 16 ad 18. Quibus in casibus Feminæ non veniant appellatione familiæ. — 19. Dum plures familiæ successive vocatæ sunt ad Beneficium jurispatronatus, quid si proximior præsentandus tempore præsentationis sit inhabilis ex defectu ætatis. — 20. Inter plures passive vocatos potest Patronus, neglecto Clerico actuali, præsentare in fine quadrimestris, si agatur de jure patronatus Ecclesiastico, alium tunc effectum Clericum, qui de tempore vacationis, erat Laicus. — 21. Hoc autem procedit, ubi capacitas requiritur de tempore præsentationis. — 22. Capacitas quando censeatur requisita de tempore vacationis, et quando de tempore præsentationis. — 23. Vocatis proximioribus de duabus familiis distinctis, cui præsentatio competat. — 24. Vocatis pluribus familiis cum lege, quod præsentatio pertineat ad proximiores, et seniores, proximioritas, et senioritas quomodo intelligatur. — 25. Reservato jurepatronatus activo seniori de familia, et passivo omnibus de familia, in hoc jure passivo censetur inclusus etiam ipse senior habens jus activum. — 26. Præsentatus de familia Fundatoris in paritate vocum præfertur præsentato de familia patronorum. — 27. In paritate vocum præferendus est præsentatus, qui est unus de compatronis, et de familia Fundatoris. — 28. Et gratia, seu provisio Apostolica impetrata cum derogatione medietatis vocum, et gratificatione ad favorem impetrantis est subreptitia, et nulla, si non fuit expressum Summo Pontifici, quod alter præsentatus erat unus ex compatronis, et de familia Fundatoris. — 29. Major pinguedo vocis non dat prælationem, si præsentatus ab altero cohærede sit de familia, et genere Fundatoris. — 30. Verba concessionis *ipsis posterisque suis, et post illorum obitum seniori, et antiquiori dumtaxat de domo illorum* sunt personalissima, et restrictiva. — 31. Amplia, etiamsi concessio facta sit pluribus fratribus. — 32. Vocatis eis de parentela, seu familia in genere, præsentatus a Patrono instituendus est, non attenta qualitate proximioritatis. — 33. Quando vocatur *proximior, et antiquior de familia*, præcedentiam habet proximioritas supra senioritatem, et intelligitur senior inter solos proximiores. — 34. Spectante jurepatronatus ad tres familias proximiorum, si ex lege Fundatoris debeant præsentare solum duo ex proximioribus, tunc in proximo ingressu præferuntur duo seniores ex dictis proximioribus. — 35. Vocati per posterius non possunt impedire Clericatum favore prius vocati. — 36. Concurrente Laico de linea primo vocata, et Clerico de linea secundo vocata, Ordinarius tenetur Clericare Laicum de linea primo vocata, illumque instituere. — 37. Nec tali passive vocato currit tempus quadrimestris, seu semestris, si intra illud petit Clericatum, et Ordinarius ex sui culpa abstulit illum ei conferre. — 38. Tempus quadrimestris, seu semestris, sicut competit Patronis ad præsentandum, ita passive vocatis ad comparendum. — 39. Vocatus in jurepatronus passivo non potest præteriri per Patronum. — 40. Passive vocatus dicitur præsentatus per Fundatorem, et venit instituendus, etiamsi Patronus illum præsentare recusaverit. — 41. Vocatus per Fundatorem cum præcepto, quod hæres eum præsentet, dicitur præsentatus ab eodem Fundatore. — 42. Patrono recusante præsentare quem nominavit Fundator, potest hic nedum irrequisito, sed immo etiam invito Patrono, obtinere Institutionem. — 43. Oppositio passive vocati habetur pro præsentatione. — 44. Ordinarius conferendo jure devoluto tenetur, servata forma in fundatione Beneficii præscripta, conferre passive vocatis. — 45. Et id observat etiam ipsamet Sedes Apostolica in Beneficiis ad ipsam devolutis. — 46. Præsentatus per medietatem vocum, et habens gratiam Apostolicam cum derogatione alterius medietatis, præfertur alteri solam medietatem habenti. — 47. Habens unam vocem privativam, et alteram cumulativam præfertur habenti unam tantum cumulativam. — 48. Clericus, in paritate gradus, præfertur Laico. — 49. Item inter pares gradu æque dilectos præfertur ætate major, et Clericus antiquior. — 50. Item in Beneficio licet Sacerdotali in habitu præfertur Sacerdos Clerico. — 51. Ubi Fundator requisivit Sacerdotium in habitu, præfertur ille, qui est Clericus de tempore vacationis alteri, qui est Laicus, et Clericatum assumpsit tempore quadrimestris. — 52. Civibus, et Parochianis tamquam compatronis competit privilegium prælationis in paritate vocum. — 53. Compatronus in paritate vocum habet prælationem de jure ad Beneficium. — 54. Habens qualitatem sanguinis, et Patronalem ceteris paribus anteponendus est habenti tantum qualitatem Sanguinis. — 55. Compatronus in paritate vocum præfertur consanguineo alterius Compatroni præsentato. — 56. Item Compatronus habens etiam jus patronatus passivum in paritate vocum gratificandus est in concursu præsentati etiam passive vocati, sed non compatroni. — 57. Item præsentatis in paritate vocum semper præfertur in concursu extranei, quando est con-

Digitized by Google

sanguineus ipsius Patroni licet extranei. — 58. In Beneficiis etiam vere Sacerdotalibus Sacerdos aptitudine, et de sanguine præferri debet extraneo licet

(1. Familiæ nomen idem importat ac agnatio, seu denotat agnationem; Rota recent. part. 4. tom. 1. dec. 518. num. 11. et par. 19. tom. 1. dec. 588. numer. 3. Card. de Luca *de Jurepatr.* disc. 26. num. 6. Piton. *de controvers. Patronor.* allegat. 77. et alii passim (1).

(2. Familia alia dicitur effectiva, et alia contentiva. Familia effectiva dicitur illa, cujus ipse testator, seu disponens est causa efficiens vel stipes, ac ideo non est verificabilis, nisi in ejus descendentibus. Contentiva dicitur illa, quæ comprehendit omnes agnatos, et est verificabilis in omnibus transversalibus; Card. de Luca in summa *Fideicommissor.* num. 148, et alii communiter. (3. Ut quis dicatur de familia contentiva, requiritur concludens probatio descendentiæ a communi stipite, quod sit agnatus legitimus, quod justificetur identitas armorum, et insignium sine diversitate coloris, quæ solet inferre familiæ diversitatem; Rota recent. part. 7. dec. 15. num. 29. et seq.

(4. Familia contentiva est duplex, una proxima, seu proximior, altera remota, seu remotior. Proxima, seu proximior est, quæ descendit a patre, vel avo disponenti. Remota autem, seu remotior est, quæ originem trahit ab avo, vel alio ulteriori communi stipite; sic Cyriac. controv. 281. num. 72. et seq. Carolus Antonius de Luca *de Linea legali* art. 15. num. 31. Mansius consult. 368. num. 4. et seq. lib. 4. Rocca *disp. Select* cap. 2. num. 7, et alii.

(5. In concursu duarum linearum proximioris, et remotioris, intelligitur vocata proximior, non autem remotior. Bald. consil. 321 sub. n. 1. Socin. senior consil. 38. sub num. 8. vers. *Præterea*, et seq. lib. 3. Mansius d. consult. 368. sub num. 6. in fine; Rocca l. c. n. 8, et alii passim.

(6. Familiæ appellatione, quamvis in dubio veniat etiam contentiva, comprehendendo omnes agnatos etiam transversales ex adductis per Gabriel. consil. 132. qu. 6. num. 59. lib. 1. Simon. de Pretis *de Interpretat. ultim. volunt.* lib. 3. interpret. 3. dub. 1. solut. 11. n. 26. Rota in Romana Fideicommissi de Misinellis 17. Junii 1615. coram Patriarcha Pamphilio impressa a Farinac. dec. 707. num. 6. par. 2. recent. Cardin. Seraphin. decision.

(1) Posterioribus hisce temporibus Rota in contrariam abiit sententiam, nomine scilicet familiæ non minus Agnatos comprehendi quam Cognatos, ut in Mediolanen. Canonicatus Theologalis super reservatis 9. Februarii 1759, § 11 et 18. Junii ejusdem anni § 3, coram Ratta Decano in Placentina Canonicatus 17. Junii § 3, coram Paraciano, in Faventina Legati 26 Junii 1780, § 3, coram Soderino. Quin immo ut familiæ nomen solos indicet cognatos satis non est, ut ei adjungatur cognomen. Dupliciter siquidem potest adjungi *personaliter* nempe, et *impersonaliter*. Primo casu ut si dictum esset Familiam Titii instituo, ideo ex persona Titii *personaliter* adjectum cognomen censetur, ideoque in dispositione et Agnati comprehensi et Cognati, cum æque utrique merito dici possint ex familia Titii. Secus autem est si, nulla designata persona, nominata sit Familia *Montalcina*. Hoc quippe casu cum nonnisi Agnati Familiæ nominatæ cognomen ferant, ideo exclusis Cognatis Agnati tantum vocati censeri debent, ut distinguit eadem Rota coram Tanario decis. 99, num. 8, coram Rezonic. dec. 14, num. 6, in Pisauren. Immissionis, 15 Maii 1750. § 4, coram Cortiada, in Nepesina Fideicommissi super Re judicata, 15 Junii 1753, § 12, coram Matthæjo, in Placentina Canonicatus 27. Apr. 1759, § 7 et 27. Junii 1760, § 5, coram Paraciano, et pluribus collectis in Æsina Canonicatus 9. Junii 1780, § 4, coram Soderino, et in Faventina Legat. 26. Junii 1780, § 4, coram eodem. Ex his declara Auctoris opinionem, de qua n. 16, infra. (Edit. Barbiell.)

actu Sacerdoti. — 59. Pene omnia, quæ Auctor disseruit, ad quatuor inspectiones reducuntur. — 60. De singulis, *remissive*.

1438. num. 4. Stephan. Gratian. *Discept. forens.* cap. 645. num. 3 et 4. et Rota recent. part. 2. decis. 707. num. 2. et 6. par. 5. tom. 1. dec. 302. num. 6. et 7. par. 19. tom. 2. dec. 586. num. 1. Tamen, quando constat, testatorem, seu disponentem sensisse tantum de familia effectiva, tunc veniunt solum descendentes ab ipso testatore, seu disponente, non autem transversales, ut tradunt Simon. de Pretis loc. citat. Ruin. consil. 153. num. 10. lib. 2. Paris. consil. 51. numer. 10. et consil. 88. num. 36. lib. 2. et consil. 1. num. 59. lib. 3. Socin. junior. consil. 91. num. 61. lib. 1. Barbosa *de appellativa verborum juris significatione* verb. *Familia* num. 1. et 2. cum pluribus aliis ibi allegatis; Rota recent. part. 2. dec. 707. num. 3. cum aliis Doctoribus ibi citatis, ubi quod testator censerit tantum de sua familia effectiva, visum fuit colligi ex verbis testamenti, ibi: « Sed quandiu Deo placuerit, Casale in ejusdem Familia remanere debeat, » ponderando illud pronomen *ejusdem*, quod denotat personalitatem secundum jura ibi allegata, et Doctores citatos.

(7. Et quod testator, seu disponens senserit solum de familia effectiva, colligitur quoties vocavit illam addito pronomine *suæ*, vel *ipsius*, aut *ejusdem*, et similium; Rota recent. par. 2. dec. 707. num. 3. part. 5. tom. 1. dec. 362. num. 7. et seq. part. 8. dec. 203. num. 6. par. 12. dec. 254. num. 7. et dec. 318. num. 7. et part. 13. dec. 1. num 15. Menoch. consil. 233. num. 20. et consil. 1171. n. 3. *et de Præsumpt.* l. 4. præsumpt. 88. num. 2. Stephan. Gratian. *Discept. forens.* tom. 3. cap. 645. n. 5. Barbosa loco citato num. 2. cum pluribus aliis ibi citatis, Pitonius *de Controvers. Patronor.* allegat. 75. a num. 36. ad 46. cum iuribus, et DD. ibi allegatis.

(8. Limita primo, pronomen *ipsius* comprehendere etiam familiam contentivam, deficiente effectiva, ut quando dispositio facta ad favorem familiæ non potest verificari in descendentibus, ex quo non extant, vel quia vocati sunt illi, qui non possunt habere filios, ut Sacerdotes; nam tunc appellatione familiæ veniunt transversales de familia; Rota recent. par. 8. dec. 203. n. 7. Menoch. consil. 106. n. 229. et consil. 124. n. 12. et con-

Digitized by Google

sil. 1171. n. 22. et consil. 1171. n. 8. Ruin. consil. 149. n. 8. lib. 2. Fusar. *de Substit.* q. 351. num. 31. Peregrin. consil. 42. lib. 2. Barbosa loc. cit. num. 4. Pitonius loc. cit. allegat. 100. num 498. et 546. cum seq. ubi pluribus adductis probat, quod Fundator Presbyter reservando juspatronatus favore illorum de domo, et familia, intelligitur reservasse de domo, et familia contentiva.

(9. Limita secundo, si pronomen *ipsius* adjiciatur Cippo, quo casu denotat Stipitem totius agnationis, et comprehendit etiam familiam contentivam : Rota part. 3. rec. dec. n. 14. Paris. in addit. consil. 33. num. 14. lib. 3, et alii.

(10. Limita tertio, si a testatore, seu disponente vocata sit familia, et agnatio, quia tunc venit etiam familia contentiva, cum verbum *agnatio* comprehendat omnes per virilem sexum conjunctos; l. *Juris consultus* 10. § 2. ff. *de Gradibus*, Menoch. consil. 424. Paris consil. 22. n. 604. cum seq. lib. 3. Fusar. l. c. q. 351. n. 40. Decian. cons. 86. num. 98. et seq. lib. 3. Peregrin. consil. 149. num. 22. lib. 5. Barbosa loc. cit. n. 8, et alii.

(11. Quando vocata est familia in genere intelligitur illa, quæ est de Columnello disponentis, et descendit ab aliquo communi stipite, non autem illa, quæ non habet aliquem communem stipitem, sed solum identitatem cognominis, et Armorum, quia non identitas Cognominis, et Insignium, sed Agnatio, et descendentia ab uno stipite, quamvis remotissimo, operantur identitatem familiæ. Cardin. Celf. dec. 341. num. 2. Surd. consil. 316. num. 10. Menoch. lib. 4. præsumpt. 88. num. 2. et consil. 1177 n. 3. et 7. Peregrin. *de Fideicommiss.* art. 22. num. 26. Andreol. controv. 338. n. 15. et seq. Merlin. dec. 669. num. 32. Paris. consil. 1. num. 58. et seq. l. 3. Altograd. consil. 79. num. 54. et seq. leg. 2. Alexander consil. 213. l. 6. consil. 91. l. 7. Rocca *Disp. select.* cap. 2, num. 6. cum pluribus aliis ibi allegatis.

(12. Familiæ vocatio, quoties plures existunt Columnelli, intelligitur de familia, et Columnello, sub quo disponens continetur, considerato communi stipite ; Bartol. in l. *Filius familias*, § *Cum pater*, ff. *de Legatis* 1. et in leg. *Peto*, § *Fratre*, ff. *de Legatis* 2. Socin. in l. *Si cognatis* n. 31. ff. *de Rebus dubiis*, Fusar. consil. 107. num. 4. et seq. asserens, quod familia, seu agnatione vocata, intelligatur de familia, seu agnatione Columnelli, de quo est ipsemet disponens, non existentibus descendentibus de familia effectiva. Menoch. consil. 58. num. 1. et seq. Peregrin *de Fideic.* art. 32. n. 83. vers. *Si plures sunt Columnelli.* Mandel. consil. 32. num. 28. lib. 2. Altograd. jun. controv. 38. num. 63. Rocca loc. cit. num. 3. Rota recent. part. 1. decis. 300. num. 30. vers. *Et hinc vidimus*, et alii plures cum Barbosa loc. cit. num. 36. ubi dicit, quod familiæ appellatione in testamento, quando plures sunt familiæ ejusdem cognominis, venit illa, de qua ipse testator natus est.

(13. Agens ad Fideicommissum tamquam unus de familia testatoris, necessarie probare debet se esse unum de Columnello testatoris, per gradum, et stipitem; Paris consil. 51. num. 6. et duobus seq. lib. 2. Merlin. decis. 669. n. 27. Rocca loc. cit. nu. 16. et alii.

(14. Contendens succedere in Majoratu instituto ad favorem proximiorum Collateralium de familia, liquido probare debet non solum se esse agnatum, et de familia, sed etiam esse proximiorem. Mascard. *de Probation.* concl. 410. nu. 26. late aliis adductis, Merlin. dec. 669. num. 29. et seq. Ciriac. controv. 281. n. 11. et seq. Peregrin. consil. 82. num. 5. lib. 5. Rocca loc. cit. num. 11, et alii.

(15. Majoratus Institutor quoties non vocat masculos simpliciter, sed masculos de sua familia, tunc masculi ex feminis non intelliguntur vocati. Mansius cons. 220. num. 10. l. 3. Ubago dec. 24. num. 6. Rocca l. c. n. 13. et alii (1).

(16. Feminæ non veniunt appellatione familiæ, quando testator expressit proprium nomen familiæ, ut quando dixit, remaneat *in domo seu familia Ghilna*, quia tunc cum per solos masculos conservetur agnatio, feminæ erunt exclusæ ; Peregrin. *de Fideicommiss.* articul. 25. num. 24. et num. 47. ad Med. Hieron. Gabr. consil. 132. lib. 1. Barbosa loc. cit. num. 17, et alii.

(17. Fideicommissum quando tacite, vel expresse relictum est pro conservandis bonis in agnatione, feminæ sunt exclusæ. Peregrin. *de Fideicomm.* art. 25. num. 47. et consil. 23. num. 10. lib. 3. et consil. 149. num. 25. cum seq. lib. 5. Surd. cons. 96. num. 18. et 27. lib. 1. Menoch. *de Præsumpt.* 88. num. 5. et consil. 197. num. 48. et 49. et cons. 680. num. 24. Card. Mantica *de Conjectur.*

(1) Distinguendum est inter Majoratum *facti* et *saltecarium*, et inter majoratum *juris*, atque *regulare*. In majoratu facti ut plurimum Auctoris opinio procedit, secus vero in majoratu juris, in quo lineæ prerogativa vincit sexum, et ætatem. Quamobrem si in linea in qua ingressus actualiter est Majoratus juris nullis existentibus masculis si femina reperiatur hæc merito admittitur; Molin. *de Primogenit. Hispan.* cap. 4, num 37, lib. 3. Torr. *variar. Jur. quæst.* tit. 2, quæst. 12, num. 18 Palma Nepos. allegat. 293, num. 4. Valent. *de ultim. Volunt.* vot. 12, n. 69, tom. 1. Rot. post Torr. *de Majorat. et Primogenit.* Ital. dec. 14, num. 59, tom. 3, in Æsina Primogenituræ de Amicis 21. Junii 1717, §. Quæ porro, cor. Foscaro in Melevitana Primogenituræ Canonici Alexandri Bologna 11. Martii 1774, 28. Aprilis 1775, § 5, 4, coram Origo, et 10. Martii 1780, § 5, 4, cor. Riminaldo. Quin immo licet cum femina in linea primogeniali admissa existente masculus agnatus collateralis concurrat, nihilominus femina in linea admissa existens admittitur masculo excluso ex linea non admissa. Hugo Celsus cons. 120, num. 12, Ferdinand. de Valent. *de ultim. Volunt.* vot. 33, n. 19, *part.* 2. Rota coram Cerro dec. 99, num. 1, coram Crisp. decis. 487, num. 9, in Bononien. Primogenituræ de Cultellis 12. Martii 1717, § *Quæ cum ita*, et 16. Junii ejusd. anni § 51. *Si enim cor. Cerro*, et in Melevitana Primogenituræ Canonici Alexandri Bologna 10. Martii 1780, § 7, cor. Riminaldo. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ult. volunt. lib. 8. tit. 12. num. 8. Barbosa loc. cit. num. 18. cum aliis ibi allegatis (1).

(18. Quando testator constituit Fideicommissum successivum, et duraturum in familia, ut quia adessent verba in substitutione, quæ perpetuitatem important, puta in infinitum, vel in perpetuum, tunc non veniunt feminæ appellatione familiæ; Surd. consil. 96. num. 27. et seq. Cravet. consil. 180. num. 1. Nat. consil. 676. num. 42. Barbosa loc. cit. num. 22. cum aliis ibi citatis (2).

(19. Cum plures familiæ successive vocatæ sunt ad Beneficium jurispatronatus, proximior, qui est præsentandus, si tempore præsentationis sit inhabilis ex defectu ætatis, non tollit jus quæsitum remotiori præsentato; immo proximior in præjudicium remotioris jam præsentati, et habentis requisita, nec est dispensandus a Papa, Sac. Congregat. Conc. in Bononien. 16. Jul. 1695. in Cremonen. 8. Jul. et 30. Septembr. 1702. et in Novarien. Dispensationis 13. Aug. 1707. Monacell. tom. 3. tit. 2. formul. 7. n. 11, et tom. 4. supplem. ad tom. 3. num. 109. Piton. *de Controv. Patronor.* alleg. 85. num. 12.

(20. Inter plures passive vocatos potest Patronus, neglecto Clerico actuali, præsentare in fine quadrimestris, vel semestris, si agatur de jurepatronatu Ecclesiastico, alium tunc effectum Clericum, qui de tempore vacationis erat Laicus. Cum autem Patronus habeat quadrimestre, seu respective semestre ad præsentandum, et possit suo arbitrio præsentare ex pluribus sibi benevisum, non potest arctari ad præsentandum capacem, et habilem de tempore vacationis, sed differre præsentationem usque ad finem termini quadrimestris, seu respective semestris, ut interim præsentandus perveniat ad requisitam ætatem, et capacitatem, ac obtineat Clericatum; Cardin. de Luca *de Jurepatron.* disc. 45. num. 8. et seq. disc. 70. n. 17. et disc. 82. num. 5. Piton. loc. cit. num. 4. et *Discept. Eccl.* 13. n. 40. cum aliis ibi citatis, Barbosa alleg. 60. n. 77. Ventriglia t. 2. annot. 6. § 1. n. 8. et ibi Carolus Antonius de Luca n. 6. et 9.

(21. Hoc autem procedit, ubi capacitas requiritur de tempore præsentationis; secus vero, ubi capacitas requiritur de tempore vacationis, quia tunc Patronus arctatur ad illum præsentandum qui unice de hoc tempore est Clericus, et sic capax reperitur, ut distinguit ipsemet Card. de Luca *de Jurepatron.* disc. 45. num. 7, et 8. vers. *Sed quia*, et disc. 70. num. 16. Piton. dict. allegat. 85. n. 5. Rota in Civitatis Castelli, Canonicatus 12. Mart. 1714 § *Conciliati*, coram Scoto, cum aliis ibi citatis.

(22. Capacitas autem vocatorum censetur requisita de tempore vacationis Beneficii, quando eorum vocatio est directa, et e contra censetur requisita de tempore præsentationis ad Beneficium, quando eorum vocatio est mediata, et non directa. Tunc vero dicitur vocatio *directa*, quando absque præsentatione et facto Patroni Fundator vocat personas de certo genere, dirigendo verba ad Judicem, non ad Patronos, sicque vocatio censetur facta cum relatione ad dispositionem juris præferentis capacem incapaci. Dicitur autem vocatio *mediata*, id est mediante præsentatione, et facto Patroni, quando Fundator non dirigit verba directe in vocatos, sed in Patronum, dando ei facultatem præligendi, et præsentandi quem maluerit de certo genere, quamvis adveniat ejus capacitas solum de tempore præsentationis, et institutionis. Carolus Antonius de Luca *de Linea legali* art. 24. Piton. *in Parergon. ad discept. Eccl.* part. 2. num. 12. Rota. in cit. Civitatis Castelli, Canonicatus 12. Martii 1714. § *Conciliari* coram Scoto aoud Piton. cit. alleg. 85. num. 19.

(23. Vocatis proximioribus de duabus familiis distinctis, præsentatio competit proximiori in unaquaque familia, non autem duobus proximioribus de una familia tantum. Unicuique enim familiæ competere debet sua vox, cum duo proximiores intellecti fuerint per Testatorem de duabus distinctis familiis, non autem ut una tantum familia repræsentare debeat duos proximiores ad exclusionem alterius familiæ contra mentem Testatoris. Card. de Luca *de Fi-*

(1) Hoc antiquis : hodie tamen contraria invaluit opinio. Ubi exclusio feminarum per modum regulæ non concurrat, vel triplex concatenata masculorum vocatio, vel urgentiores contemplatæ Agnationis conjecturæ sola bonorum conservatio in familia per se satis apta non est ad excludendos masculos Cognatos, ideoque et feminas agnatas. Non minus enim bona conservantur in familia per masculos agnatos, quam per masculos cognatos, ideoque si masculi cognati non censentur exclusi, nec feminæ dici poterunt exclusæ, ut tradunt Ferdinand. de Valent. *de ult. Volunt.* par. 1, vot. 25, num. 23. Palma Nepos allegat. 221, num. 31 et seq. Rota coram Cerro dec. 682, num. 20, coram Ratto dec. 9, num. 20, in Ferrarien. Fideicommissi 21, Februarii 1759, § 15, coram Ubaldo, et nuperrime in Pisauren. Fideicommissi 16. Februarii 1681, coram Manelli § 18. (Edit. Barbiell.)

(2) Verba *tractum successivum*, et *perpetuitatem* significantia ubi *familiæ* nomen simpliciter prolatum est in contrarium potius sensum retorquentur inclusionis nempe feminarum, et earum descendentium. Facilius enim perpetuitati consulitur admittendo ad successionem post saltem masculos etiam feminas, et earum descendentes, quam solis masculis agnatis admissis; ideoque dum dicta verba occurrunt, feminæ, et earum descendentes non ita facile post masculos Agnatos a successione repelluntur, ut post multos allegatos fuse monet Rota in Pisauren. Fideicommissi 16. Febr. 1781, coram Mannelli § 17 et 18, sed præcipue vidend. Cæsenaten. Immissionis 5, Maii 1751, § 7, coram Migazzi, Sabinen. Immissionis 27 Januar. 1755, § 13, coram Elephantutio. Perusina Fideicommissi Marci Antonii de Cantagallinis 6. Maii 1763, § 10, coram Olivatio. Eugubina Immissionis, et Alimentorum quoad Fideicommissum Horatii de Benedictis 10, Junii 1765, § 5, coram Azpru. Interamen. Fideicommissi Leonis Fadulphi 14, Januar. 1771, § 16, coram Origo. « Si enim tantopere is voluit, ut suum Fideicommissum esset perpetuum, non utique credendum est deviationem coercere voluisse ad solos masculos Agnatos, quos non raro in primo gradu videmus intercidere. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

deicomm. disc. 27. num. 7. 8. et 12. Robles *de Repræsentat.* lib. 3. c. 4. num. 15 et 16. Carolus Ant. de Luca *de Linea legali* lib 2. art. 32. n. 3. in fin. et lib. 1. art. 22. Rota coram Cerro decis. 793. num. 5. et seq. et decis 839. num. 7. et seq. Piton *de Controv. Patron.* allegat. 94. num. 4, et alii.

(24. Vocatis pluribus familiis cum lege, quod præsentatio pertineat ad proximiores, et seniores, proximioritas, et senioritas intelligitur discretive in qualibet linea, seu familia ex proximioribus vocatis, non autem comparative ad aliam familiam, quia alias sequeretur magnum absurdum contra mentem Testatoris, qui si vocasset v. g. quinque proximiores seniores quinque familiarum, unica tantum familia, quæ haberet quinque Personas ætate Majores respective ad alias lineas, usurpare sibi deberet omnes quinque voces, denudando omnes alias quatuor familias; Balducci *Decis. et rer. judic.* tit. 3. decis. 33. num. 2 et seq. et decis. 37. num. 15. et seq. decis. 38. n. 22. et seq. Card. de Luca *de Fideicomm.* disc. 17. n. 8. et 11. Peregrin. *de Fideicomm.* 20. num. 6. Piton. loc. cit. n. 13. Carolus Ant. de Luca *de Lin. legali* art. 21. num. 38, et alii.

(25. Reservato jurepatronatus activo seniori de familia, et passivo omnibus de familia, in hoc jure passivo censetur inclusus etiam ipse senior habens jus activum. Rota recent. part. 4. tom. 2. dec. 49. num. 19. et 20. et dec. 84 num. 1. et 11. et in Auximana Jurispatronatus 17. Junii 1701. § *Minusque*, coram Ansaldo., et in Hortana Beneficii. 1. Junii 1708. § *Talisque*, coram Emin. Priolo et in Mediolan. Benefic. 31. Jan. 1711. § *Potissim.* coram Ansaldo; Card. de Luca *de Jurepatron.* disc. 29. num. 3. Piton. l. cit. allegat. 52. n. 34. et seq. cum aliis ibi citatis. Et ratio est quia si Fundator voluit seniorem de familia esse Patronum, et posse dare alteri Beneficium, multo magis dare sibi, cum propter quod unumquodque tale, et illud magis; si enim voluit illi tamquam prædilecto supra omnes alios de familia tribuere jus activum, a fortiori censendum est voluisse illi tribuere jus passivum, cum prædilectus in jure activo, quod est plus, merito censendus sit prædilectus etiam in passivo, quod est minus, ut dicunt allatæ Rotales decisiones, cum ibi majus conceditur, minus concessum esse videatur, cap. *Ex parte* 27. *de Decim.* et cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus, cap. *Cui licet* 53. *de Regul. juris* in 6. et l. *Non debet* 21. ff. *de Regul. juris*, et iste in tali casu diceretur nominatus, et præsentatus ab eodemmet Fundatore, ut dicunt Doctores apud Piton. cit. allegat. 52. a num. 35 ad 37.

(26. Præsentatus de familia Fundatoris in paritate vocum præfertur præsentato de familia Patronorum, seu præsentantium extraneorum. Rota in Mediolanen. Jurispatronatus 3. Julii 1648. coram Pauluccio impressa apud Piton. *Discep. Eccl.* part. 2. discept. 38. n. 6. et seq. Ventriglia tom. 2. annot. 1. § 3. num. 57. cum aliis ibi citatis. (27. Item in paritate vocum præferendus est præsentatus, qui est unus de compatronis, et de familia Fundatoris. Rota in cit. Mediolanen. et Piton. l. cit. n. 7. cum plurimis aliis ibi allegatis. (28. Et gratia, seu provisio Apostolica impetrata cum derogatione medietatis vocum, et gratificatione ad favorem impetrantis est subreptitia, et nulla, si non fuit expressum Summo Pontifici, quod alter præsentatus erat unus ex Compatronis, et de familia Fundatoris : si enim id fuisset expressum, aut retraxisset a concessione, aut saltem eam difficiliorem reddidisset, ac proinde talis gratia, et provisio tamquam subreptitia redditur nulla, c. *Constitutus* 18, c. *Super litteris* 20. c. *Postulasti* 27. *de Rescriptis.* Rota in cit. Mediolanen. et Piton. loc. cit. num. 8. cum aliis ibi allegatis.

(29. Major pinguedo vocis non dat prælationem, si præsentatus ab altero cohærede sit de familia, et genere Fundatoris, et iste debet institui, quamvis generaliter loquendo in paritate vocum præferendus sit præsentatus ab habente pinguiorem vocem, ex quo v. g. plus contulerit Ecclesiæ, seu majorem quotam hæreditariam habeat, ut omissis antiquioribus firmavit Rota in Lauden. Canon. 27. Junii 1696. § *Cessare*, coram Emerix, et 3. Martii 1697. § *Individuitas*, coram Tremoille, et scripsit Piton. *Disc. Eccles.* part. 1. disc. 4. n. 28. Non tamen in concursu consanguinei Fundatoris præsentati ab alio, licet non habente tam pinguem vocem, quia tunc non esset præferendus præsentatus ab habente pinguiorem vocem, si alter præsentatus ab alio Patrono esset de genere, et familia Fundatoris; iste enim tunc præferri deberet; Lambertin. *de Jurepatron*, lib. 2. part. 3. q. 5. art. 6. num. 5 et 6. Piton. loc. citat. num. 28 et 29. et tenuit Rota in d. Lauden. Canonicatus 27. Junii 1696. verb. *Cessare*, coram Emerix, et 3. Martii 1697. § *Individuitas*, coram Tremoille.

(30. Verba concessionis : « Ipsis, posterisque suis, et post illorum obitum seniori, et antiquiori duntaxat de domo illorum, » sunt personalissima, et restrictiva, et intelliguntur tantum de personis ibi expresse nominatis, et de earum familia effectiva, Gratian. *Disceptat.* num. 5. Card. de Luca *de Jurepatronat.* disc. 14, num 2, et seq. Ciarlin. controv. 507, num. 46 et 47. Vivian. *de Jurepatron.* lib. 4, cap. 9, num. 10. Piton. cit. part. 1, discept. 14, n. 26, cum aliis ibi citatis, et variis S. Rotæ decisionibus. Si enim dicta verba intelligerentur de tota familia tam effectiva, quam contentiva, maximum sequeretur absurdum, quod scilicet existente aliquo seniore in linea contentiva, iste succederet ad exclusionem descendentium de linea effectiva Fundatoris contra ipsius mentem, qui propriis descendentibus duntaxat prospicere voluit, ut ponderat Rota decis. 450, num. 9, vers. *Et similia*, et num. 10, coram Merlino.

(31. Amplia, etiamsi concessio facta sit pluribus fratribus; quia adhuc non venit familia contentiva aliorum transversalium in genere, uti in terminis plurium fratrum

Digitized by Google

eodem modo vocatorum cum ipsorum familia firmavit Altograd. consil. 79, n. 17. Rota decis. 233, num. 8, part. 12, decis. 406, num. 28, et seq. part. 13, decis. 199, num. 23, et seq. coram Priolo, et in Mantuana Beneficii 3 Junii 1689, impressa apud Piton. cit.; discept. 14, num. 28, vers. *Nec aliquid.*

(32. Vocatis eis de parentela, seu familia in genere, præsentatus a Patrono instituendus est, non attenta qualitate proximioritatis. Cum enim Fundator in jurepatronatus passivo vocaverit illos de parentela in genere, censetur reliquisse Patrono libertatem eligendi quemcumque voluerit, non attento gradu proximioris, aut remotioris. Card. de Luca *de Jurepatron.* disc. 45, n. 3, ibi: « Dixi prorsus vanam esse dicti Joannis Antonii præsentationem, quamvis esset capax, et proximior; quoniam ubi lex fundationis in jure passivo non vocat gradum proximiorem, sed solum mandat præsentari aliquem de parentela, vel de certo genere, tunc habens facultatem præsentandi, fundationis legem recte implere dicitur præsentando unum de genere quamvis remotiorem, dum sufficit non egredi genus præfinitum, » juxta dispositionem text. in l. *Unum ex familia*, ff. *de Legat.* 2. Carolus Ant. de Luca *de Linea legali* lib. 1, art. 24, num. 24, vers. *Ego pertranseo;* Amostaz. *de Causis piis* lib. 3, cap. 7, a num. 27, ad 42. Piton. *de Controvers. Patronor.* allegat. 7, num. 8, et seq. Rota in Valentina Beneficii 1 Junii 1703, § *Talis*, coram Lancetta, in Vincentin. Beneficii 25 Januarii 1704, § final, coram Eminentissimo Caprara, et in Hortana Beneficii 1 Junii 1708, coram Priolo relat. ab ipso Pitonio loc. cit.

(33. Quando vocatur proximior, et antiquior de familia, præcedentiam habet proximioritas supra senioritatem, et intelligitur senior inter solos proximiores. Unde non quæritur senior saltuarie inter lineas proximas et remotas, ut censuit Rota in Majoric. Beneficii 4 Julii 1696, § final, coram Card. Tremoille. Piton. loc. cit. allegat. 100, num. 554, et in *Disputat. Ecclesiastic.* part. 1, discept. 26, num. 18, in fine, ubi expresse dicit, quod vocato seniore, et proximiore de familia, intelligitur vocatus senior inter plures proximiores existentes in eodem gradu. Unde licet existens in gradu remotiori sit senior, non tamen præfertur alteri, qui sit proximior: nam in tali casu prærogativa proximioritatis vincit illam senioritatis.

(34. Spectante jurepatronatus ad tres familias proximiorum, si ex lege fundationis debeant præsentare solum duo ex proximioribus, tunc in primo ingressu præferuntur duo seniores ex dictis proximioribus. Cum enim Fundator voluerit jus præsentandi spectare tantum ad duos ex proximioribus, si reperiantur tres familiæ æque proximæ, tunc inter dictas tres familias præcedentia debetur duobus senioribus ex dictis tribus familiis, cum omnes tres præsentare non possint. Unde attendi debet qualitas senioritatis, veluti motivum prælationis duorum inter vocatos, juxta regulam, de March. consil. 158, num. 41, et seq. Card. de Luca *de Fideicommiss.* disc. 52, n. 14. Fusar. *de substitut Quæst.* 356, num. 5. Tiraquell. *de Primogen. in præfat.* numer. 106, et seq. Lambertin. *de Jurepatronat.* lib. 2, part. 2, quæst. 7, art 26, n. 2. Piton. loc. cit. allegat. 94, n. 3.

(35. Vocati per posterius non possunt impedire Clericatum favore prius vocati: Card. de Luca *de Jurepatron.* disc. 82. num. 5. Carolus Antonius de Luca *de Linea legali* respons. 22, num. 5. Piton. loc. cit. allegat. 65, num. 16. Rota in Tridentina Capellaniæ 5 Aprilis 1715, § fin. coram Cerro. (36. Concurrente enim Laico de linea primo vocata, et Clerico de linea secundo vocata, Ordinarius tenetur clericare Laicum de linea primo vocata, illumque instituere, excluso Clerico actuali de linea secundo, seu subsidiare, vocata; quia passive vocato ex lege fundationis tamquam arctato ratione Beneficii Ordinarius tenetur Clericatum conferre; Vivian. *de Jurepatr.* lib. 6, c. 6, num. 56. Garcias *de Benefic.* part. 5, cap. 7, num. 100, et p. 7, cap. 10, num. 37. Card. de Luca in *Miscellan. Eccles.* diss. 25, num. 8. Piton. loc. cit. allegat. 68, num. 23 et 27. Rota disc. 136, num. 3, et decis. 105, num. 1 et 2, coram Rambaldo, ac decis. 1150, n. 1, seq. coram Coccino.

(37. Nec tali passive vocato currit tempus quadrimestris, seu respective semestris, si intra illud petit Clericatum, et Ordinarius et sui culpa distulit illum ei conferre, quia dilatio Ordinarii causata ex ejus facto et culpa non debet nocere passive vocato ad Beneficium, qui intra tempus debitum instantiam fecit pro Clericatu, ei enim usque de tempore primæ instantiæ fuit jus quæsitum, ut censuit Rota part. 17, recent. decis. 80, num. 9, et seq. Piton. loc. cit. allegat. 95, num. 15, et allegat. 68, n. 20 et 27, ubi testatur sic etiam resolvisse Sacram Congregationem Concilii 27 Aprilis 1714, decernendo, quod ipsi tamquam vere impedito non currerit tempus.

(38. Tempus quadrimestris, vel semestris sicut competit Patronis ad præsentandum, ita passive vocatis ad comparendum; Rota in Barchinonen. 14 Martii 1692, § *Probata*, coram Ursino; Piton. *de Controvers. Patron.* allegat. 1, num. 10, allegat. 65, num. 4, et allegat. 10, num. 331. Cyrillus quæst. *Juris* cap. 93, et alii passim.

(39. Vocatus in jurepatronatus passivo non potest præteriri per Patronum; Rota part. 11, recent. decis. 122, num. 1, et seq. part. 19, decis. 331, n. 1 et 2, in Alexandrina, jurispatronatus 4 Decembris 1699, § 1, coram Cardinali de la Tremoille, et in Faventina Beneficii 11 Februarii 1704, § *Cum enim*, coram Muto, et in Hortana Beneficii 1 Junii 1708, fere per totam, coram Cardinali Priolo cit. et secuta a Pitonio allegat. 64, num. 46. (40. Passive enim vocatus dicitur præsentatus per Fundatorem, et venit instituendus, etiamsi Patronus illum præsentare recusaverit; Rota part. 19, recentior,

Digitized by Google

decis. 135, num. 2, et in Astensi Prioratus super institutione 7 Decembris 1708, § *Eoque magis*, coram Aldovrando, et in Senogallien. Canonicatus de Luchis 23 Junii 1710, § *Quin profecerit*, coram Aldovrando, et in Civitatis Castelli Canonicatus 12 Martii 1714, § *Ratio fiat*, coram Eminentissimo Scoto; Piton. allegat. 68, n. 10. Rocc. *Disp. juris* cap. 190, num. 22, et alii. (41. Nam vocatus per Fundatorem cum præcepto, quod heres eum præsentet, dicitur præsentatus ab eodem Fundatore; Rota coram Buratto dec. 755, num. 4, et coram Pamphilio decis. 99, num. 3. Piton. *de Controvers. Patron.* allegat. 82, num. 18. (42. Unde Patrono recusante præsentare quem nominavit Fundator, potest hic nedum irrequisito, sed immo etiam invito Patrono, comparere coram Superiore, et petere, ac obtinere Institutionem; Card. de Luca *de Jurepatronat.* discurs. 20, numer. 7, vers. *Etiam sine præsentatione;* Piton. cit. allegat. 82, num. 10. Rota coram Buratto dec. 755, num. 2, et in recentior. part. 12, decis. 68, num. 2, part. 15, decis. 335, num. 1, et seq. et in Valentina Beneficii 9 Januarii 1693, § *Moti*, et 4 Aprilis ejusdem anni § final. coram Molines Decano: (43. cum oppositio passive vocati habeatur pro præsentatione; Rota coram Pamphilio decis. 99, num. 3. Piton. allegat. 52, num. 37, et alii.

(44. Ordinarius conferendo jure devoluto, tenetur, servata forma in fundatione Beneficii præscripta, conferre passive vocatis; Garcias *de Beneficiis* part. 10, cap. 3, n. 42. Gonzalez ad regul. 8. *Cancellariæ* gloss. 46, num. 33. Lotter. *de Re Benefic.* lib. 2, quæst. 24, n. 26 et 63. Monacell. part. 1, tit. 2, num. 13. Piton. allegat. 75, num. 71, et Rota in Tusculana Capellaniæ 15 Mart. 1715, coram Ansaldo impressa apud Piton. loc. cit. (45. Et id observat etiam ipsamet Sedes Apostolica in Beneficiis ad ipsam devolutis, nullum unquam præjudicium inferens personis in fundatione passive vocatis; Rota coram Bich. dec. 489, num. 17, et in recentior. part. 17, dec. 321, num. 7, et in Barchinonen. Beneficii 2 Decembris 1701, § *Nec attendendum*, et 24 Mart. 1672, § 1, coram Cardinali Caprara, et 27 Mart. 1703, § fin. coram Lancetta, et in Vicentina Beneficii 27 Febr. 1713, § *Præterea*, coram Aldovrando, et in dict. Tusculana Capellaniæ 15 Maii 1715, coram Ansaldo, impressa apud Piton. loc. cit. num. 72.

(46. Præsentatus per medietatem vocum, et habens gratiam Apostolicam cum derogatione alterius medietatis præfertur alteri solam medietatem habenti; Rota part. 18, recent. decis. 667, num. 19, et in Romana Capellaniæ Sancti Nicolai 28 Jun. 1709, et in Majoricensi Beneficii 6 Decembr. ejusdem anni Quoque indubitantius coram Ansaldo, ac in Sorana jurispatronatus 22 Januar. 1712. Conclusio, coram Falconerio, Pitonius *de Controversiis Patronorum*, allegat. 94, n. 2, et alii.

(47. Habens unam vocem privativam, aliam cumulativam præfertur habenti unam tantum cumulativam; Lambertin. *de Jurepatronat.* lib. 2, part. 2, quæst. 7, art. 13, num. 7, vers. *Immo*, Pitonius loc. cit. allegat. 100, num. 36, et alii passim.

(48. Clericus in paritate gradus præfertur Laico; Pitonius loc. cit. allegat. 32, n. 6, 19 et 21, cum variis aliis ibi adductis. (49. Item inter pares gradu æque dilectos præfertur ætate major, et clericus antiquior, præsertim in beneficio Sacerdotali in habitu, ubi major aptitudo præfertur, quæ reperitur in eo qui est magis proximus ad Sacerdotium; Rota in Volaterrana Beneficii 7 Decemb. 1708, § *Verum quoque*, coram Crispo; Panimoll. dec. 106, adnot. 1, num. 12. Amostaz. *de Causis piis* lib. 3, c. 12, num. 46, in fine, Pitonius loc. cit. alleg. 83, num. 15, et alii.

(50. Item in Beneficio licet Sacerdotali in habitu præfertur Sacerdos Clerico. Dignior enim Clerico est Sacerdos; Vivian. *de Jurepatronat.* lib. 12, cap. 9, num. 3. Amostaz. *de Causis piis* lib. 3, cap. 7, d. num. 47 ad 42, et c. 9, num. 46. Seraph. dec. 968, n. 1. Rota coram Zarat. decis. 18, num. 4, et coram Cerro dic. 458, n. 3, et coram Peutinger. dec. 343, num. 4, et coram Emerix jun. dec. 911, numer. 6. Pitonius loco cit. allegat. 7, numer. 10.

(51. Ubi Fundator requisivit Sacerdotium in habitu, præfertur ille, qui est Clericus de tempore vacationis, alteri, qui est Laicus, et Clericatum assumpsit tempore quadrimestris. Cum enim Clericus antiquior, et ætate major sit magis proximus ad Sacerdotium, est omnino præferendus in præsentatione per Patronum, et in Institutione per Ordinarium ratione sic præsumptæ voluntatis Fundatoris requirentis præsentando, et instituendo Sacerdotium in habitu; Rota, par. 15, recent. dec. 241, n. 2. Garcias, *de Beneficiis*, part. 7, c. 1, n. 73. Pitonius, loc. cit. allegat. 85, n. 13, et alii.

(52. Civibus, et Parochiani s tanquam Compatronis competit privilegium prælationis in paritate vocum; Pitonius, loc. cit. allegat. 4, num. 20 et 22, cum aliis ibi allegatis per Text. in c. *Nullus invitis* 13, dist. 61, et cap. *Hortamur*, 8, dist. 61.

(53. Compatronus in paritate vocum habet Prælationem de jure ad Beneficium; Lambertin. *de Jurepatr.* lib. 2, part. 3, q. 5, artic. 7, per tot. Barbosa, *de Potest. Episcop.* alleg. 72, num. 203. Pitonius, loc. cit. allegat. 6, num. 5. Rota, in Mediolan. jurispatronat. 3 Julii 1584, coram Pauluccio, et in Placentina Parochialis, 16 Maii 1708, § final. coram Ansoldo.

(54. Habens qualitatem sanguinis, et patronalem, cæteris paribus, anteponendus est habenti tantum qualitatem sanguinis: pluribus enim insignitus prærogativis præfertur insignito paucioribus, et duæ qualitates magis prælationem merentur quam una, cum duo vincula magis stringant; Card. de Luca, *de Jurepatr.* disc. 49, num. 9. Lambertin. *de Jurepatronat.* lib. 2, part. 3, quæst. 5, art. 6, n. 6, et art. 7, num. 2. Carolus de Luca, *de Linea legali*, lib. 1, art. 24, num.

Digitized by Google

33, § *Si autem*, in fine. Fattinel. respons. 54, n. 8. Pitonius, l. cit. allegat. 6, n. 13.

(55. Compatronus in paritate vocum præfertur consanguineo alterius Compatroni præsentato; Pitonius, l. cit. allegat. 6, num. 7, et seq. et allegat. 7, num. 21, in fine cum aliis ibi citatis. (56. Item Compatronus habens etiam juspatronatus passivum in paritate vocum gratificandus est in concursu præsentati etiam passive vocati, sed non Compatroni. Pitonius, loc. cit. allegat. 52, num. 39, cum Fattinel. Cardin. de Luca, et alii ibi citatis. (57. Item præsentatus in paritate vocum semper præfertur in concursu extranei; quando est consanguineus ipsius Patroni licet extranei. Cum enim hæres Patronus licet extranei repræsentet personam Fundatoris, subrogatur in omnibus juribus eidem Fundatori competentibus, adeoque sicuti in paritate vocum præfertur præsentatus de sanguine Fundatoris compræsentato extraneo; per Glossam, in cap. *Neminem*, 1, dis. 70, et varias Rotæ decisiones, et doctores cum Pitonio, loc. cit. alleg. 100, num. 379, ita etiam in paritate vocum præferendus est compræsentatus de sanguine Patroni licet extranei, in concursu extranei, qui non sit de sanguine Patroni. Sic Rota in Altarina jurispatronatus 15 Junii 1705. coram Scoto, et in eadem Alatrina jurispatronatus 7 Dec. 1705. coram eodem Scoto, impressa apud Pitonium loc. cit. allegat. 20. num. 19 et 30. cum variis aliis ibi citatis, et Lambertin. *de Jurepatronat.* lib. 2. part. 3. artic. 4. num. 11. in fine, ubi testatur, quod ita vidit millies observari in facto.

(58. In Beneficiis etiam vere Sacerdotalibus Sacerdos aptitudine, et de sanguine præferri debet extraneo licet actu Sacerdoti; Rota in Melevitana Beneficiorum 16 Jun. 1710. coram Falconerio impresso apud Pitonium l. cit. allegat. 17. num. 17. expresse dicens, quod in Beneficiis vere Sacerdotalibus, si concurrat extraneus, qui sit Sacerdos in actu, et aliquis de sanguine in aptitudine, debeat iste ex præsumpta mente Testatoris præferri; Amostaz *de Causis piis*, lib. 3. cap. 3. num. 32. Pitonius loc. cit. et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. Multa hic consarcinavit Auctor, quæ quidem non sunt hujus Loci. Propriæ vero sunt inspectiones hæ quæ tum in Patronatibus tum in Fideicommissis sæpe occurrunt. *Prima*, vocata familia quando veniat effectiva tantum, et quando item contentiva, de qua agit et ipse Auctor. *Secunda*, quando vocata Familia veniant ii, qui quamvis sint de cognomine, tamen nec de Familia contentiva sunt. *Tertia*, quando vocata Familia, sive effectiva tantum, sive etiam contentiva, veniant non solum Agnati, sed etiam Cognati. Et *quarta* demum, quando vocata familia veniant Fœminæ, de qua Auctor quoque sed minus recte agit.

(60. Nimium autem esset de his omnibus pro dignitate agere. Vide si lubet de prima inspectione Rotam in Firmana Beneficii 26 Junii 1719. coram bon. mem. Gamach. in Baren. Beneficii super pertinentia patronali 23 Aprilis 1728. cor. clar. mem. Calcagnin. et in Romana Legatorum 28 Jun. 1745. cor. bon. mem. de Vais. De secunda inspectione Rotam in Melevitana Canonicatus 14 Maii 1725. cor. clar. mem. Corio, in Caven. celebrationis Missarum 17 Mart. 1727. cor. bon. mem. Gamaches, et in Placentina Beneficii 8 Aprilis 1737. cor. clar. mem. Calcagnin. De tertia inspectione Rotam in Lycien. Jurispatronatus 17. Jun. 1720. cor. bon. mem. Cerro. in Ravennaten. Fideicommissi 24 Febr. 1744. cor. R. P. D. Cantilliac. et 14. Maii 1745. cor. bon. mem. Vicecomite, in Novarien. Jurispatronatus 17. Aprilis 1744. et 26. Jun. ejusdem anni cor. clar. mem. Millin. Et de quarta et postrema inspectione idem Supremum Tribunal in Romana Tenutæ Campi Merli super associatione 28 Jun. 1745. et 16. Januar. 1754. cor. clar. mem. Aldovrando.

FAMILIARIS.

SUMMARIUM.

1. Familiarium nomine qui veniant. — 2. Ut familiaris quis dicatur quæ requirantur. — 3. ad 4. Familiaritas vera, et actualis. — 5. ad 7. Quomodo probetur vera familiaritas. — 8. ad 16. Privilegia familiarum Papæ. — 17. Qui sint Familiares Papæ. — 18. ad 29. Privilegia Familiarium Cardinalium. — 30. Nuncius nemini potest concedere Familiaritates qui sibi actu non serviat. — 31. ad 37. Quomodo possit Episcopus aliquem Familiaritatis titulo ordinare. — 38. ad 39. Et super irregularitate et interstitiis dispensare. — 40. Et dimissorias concedere. — 41. Quæ omnia facere Episcopus Titularis prohibetur. — 42. Familiaritas quoad ordinationem Romæ. — 43. Quoad ordinationem in Minoribus. — 44. — Ad Familiaritatem quæ requirantur. — 45. ad 46. Triennium Familiaritatis quomodo intelligendum. — 47. Quot Canonicos Familiares assumere possit Episcopus. — 48. Canonicus Familiaris Episcopi lucratur integros fructus suæ præbendæ. — 49. Familiares Episcopi, etiam laici, gaudent privilegio Fori. — 50. Familiares etiam Episcopi Titularis. — 51. Familiares Episcopi, et Ministri suæ Curiæ sunt omnino exempti a Foro laico. — 52. ad 57. Quomodo et de quibus id intelligendum. — 58. ad 63. Quibus gaudeant privilegiis Familiares Inquisitionis. — 64. ad 65. Quibus vinculis teneantur. — 66. Familiares Regularium quoad præceptum Paschale. — 67. Quando Familiares Episcoporum gaudeant privilegio fori. — 68. ad 69. De triennalibus Episcoporum Familiaribus. — 70. Quæ conditiones requirantur ut Episcopus Familiares suos possit ordinare. — 71. Vel litteras demissoriales impertiri.

(1. Familiarium nomine intelligi debent illi, qui vel patriæ potestatis subjiciuntur, vel Dominicæ, et expensis Domini continuo aluntur, indeque Commensales dicuntur; cap. ult. *de verbor. Signific.* in 6. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part. 2. alleg. 5. n. cum plurimis aliis ibi citatis. (2. Unde ut Familiaris quis dicatur mens, et dens, et sic præstatio victus; Rota part. 1. recent. dec. 584. n. 3. (3. Familiaritas enim vera, et actualis est, quæ contrahitur mente, et dente; Rota part. 5. tom. 1. dec. 22. num. 6.

Digitized by Google

part, 12. dec. 257. num. 11. part. 17. dec. 33. num. 5. (4. Requiritur etiam ad contrahendam certam familiaritatem destinatio ad certum servitium; Rota part. 1. dec. 584. n. 3. part. 5. tom. 9. dec. 22. num. 6. (5. Ut probetur vera familiaritas debet concurrere consensus Domini, et mens Familiaris illam contrahendi; Rota part. 2. dec. 711. num. 7. part. 4. tom. 1. dec. 403. num. 7. (6. Et mens probatur ex servitute a Familiari præstita Domino, v. g. Cardinali ex declaratione, et confessione ipsius Familiaris, et ex receptione servitii ex parte Cardinalis, et præstatione victus; Rota part. 4. tom. 1. dec. 453. num. 2, 4 et 6. (7. Dens vero probatur ex eo, quod quis habuerit partem a Cardinali in pecunia, victum, et habitationem, Rota *ibidem* num. 8 et 9.

(8. Familiares Papæ sunt exempti a solutione pretii pro expeditione literarum pro suis Beneficiis; Sixt. IV. constit. 16. incip. *Divina.* (9. Familiares Papæ subduntur jurisdictioni Ordinariorum; Leo X. Constit. 10. incip. *Regimini.* (10. Familiares Papæ inferioris familiæ, etiamsi habeant pensiones, non tenentur gestare vestem clericalem;

(11. Sixt. V. Constit. 92. incip. *Cum sacrosancta* § 3. (12. Reliqui vero familiares Papæ tenentur, *ibidem.* Familiares Papæ exempti sunt a Gabellis, et ceteris oneribus camerálibus, et non includuntur in revocatione facta ab Innocentio X. (13. Idem Innocent. X, Constitut. 7, incip. *Et si ea.* Familiares Papæ non residentes possunt percipere fructus Beneficii; cap. *Cum Dilectus, de Clericis non residentib.* (14. Familiares tamen Papæ non percipiunt in absentia distributiones quotidianas; cit. cap. *Cum dilectus*, junctâ Glossa communiter accepta in verb. *Fructus;* Fagnan. lib. 3, *Decretal.* in cap. *Licet*, 32, *de Præbend.* num. 99. Rota, part. 5, tom. 1, dec. 22, num. 16. (15. Papæ Familiarium, et Officialium Beneficia ubicumque morientium vacant in Curia; Extravagant. *de Election.* cap. *Ex debito*, Extravagant. *de Præbend.* cap. *Ad regimen.* (16. Papæ Officiales, Capellani, Nuncii, Delegati, etc., dicuntur tales durante Officio. Ibidem.

(17. Familiares Papæ ad effectum reservationis suorum Beneficiorum factæ in quarta regula Cancellariæ, sunt Cubicularii, et Scutiferi, ex Constit. 14 Leonis X. Milites Sancti Pauli, ex Constit. 36 Leonis X. Milites S. Petri, ex Constit. 23 Pauli III. Milites Pii, ex Constit. 5 et 16 Pii IV. Milites Lauretani, ex Constit. 35 Sixti V. Conclavistæ, ex Constit. 32 Sixti V, incip. *Circumspecta;* Commissarius Cameræ, ex Constit. 44 Sixti V, incip. *Ad excelsum;* Auditor Cameræ Confidentiarum, ex Constit. Sixti V, incip. *Divina Dei providentia*, et denique Paulus III, Constit. incip. *Sanctissimus*, declaravit reputari veros Papæ Familiares, et continuos commensales Referendarios, et alios Officiales ex Palatio pares habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolythos, Secretarios, Litterarum Apostolicarum scriptores, Cubicularios, reliquosque Officiales deservientes, et custodiam facientes in Palatio Romani Pontificis pro tempore existentis, licet in eodem non habitaverint, nec in tinello comederint: quamvis enim illi revera non sint commensales Papæ, nec ullam partem victus illorum aliqui ab eo recipiant; tamen ex quo ipse Papa vult quod habeantur pro veris Familiaribus, et continuis Commensalibus, perinde est ac si realiter essent tales; et consequenter eorum Beneficia sunt reservata per regulam quartam Cancellariæ; Gonzal. *ad Reg.* 8 *Cancellar.* Glossa, 51, num. 16. Simoneta, *de Reservat.* q. 75, n. 25 et 27. Barbosa, *de Offic. et potest. Episcop.* part. 3, allegat. 57, n. 16, et alii.

(18. Familiares Cardinalium actu servientes sunt ab Ordinariorum jurisdictione exempti; Leo X. Const. 10. incip. *Regimini.* Qui tamen actu Cardinalibus non inserviunt, non sunt exempti. *Ibidem.* (19. Familiaritatis enim privilegio non gaudent, qui habent literas Familiaritatis Cardinálium, si non sint vere Familiares; Rota part. 2, dec. 265. num. 5. cum requiratur vera, et non ficta, vel ex privilegio Familiaritas; Rota part. 12 dec. 174. n. 40 et 54. (20. Sunt tamen Familiares Cardinalium exempti ab Ordinariis, esto distent ab ipsis Cardinalibus ad recreationem; Leo X. in d. Constitut. incip. *Regimini.* (21. Familiares Cardinalium coram Auditore Cameræ conveniuntur; Julius II. Constit. 28. incip. *Decet.* (22. Familiares Cardinalium, et Famuli moriente Cardinali non possunt ab hærede exigere aliquid, quod sibi ex pacto non debetur. (23 S. Pius V. Constit. 15. incip. *Sanctissimus.* Beneficia, vel Dignitates Familiarium Cardinalium, etiam in Metropolitanis (ubicumque ii moriantur) vacant in Curia. Urbanus VIII. Constit. 6. incip. *Sanctissimus* cap. 4. (24. Si excedant valorem decem Florenorum, *ibidem.* Beneficia Familiarium Cardinalium etiamsi apud Sedem Apostolicam vacent, conferuntur cum consensu Cardinalium; Urban. VIII. in d. Constit. incip. *Sanctissimus*, cap. 32. (25. Beneficia Familiarium Cardinalium non censentur illa, quæ habent ratione officiorum, sed alia, quæ habent sive in Curia, sive extra. Urban. VIII. *ibid.* cap. 32. (26. Beneficia Familiarium Cardinalium morientium, si alias collatio eorum spectaret ad alium Cardinalem, tunc dari possunt ab isto, non expectato consensu illius Cardinalis, cujus erat Familiaris, Urbanus VIII. *ib.* cap. 33. (27. Quod si talis Familiaris moriatur in Curia, tunc Beneficia illa conferuntur a Papa cum consensu Cardinalis Collatoris, non vero Cardinalis Domini Familiaris mortui. Urban. VIII. *ibid.* (28. Familiaris Beneficium dicitur reservatum, etiamsi is mortis suæ tempore Familiaris esse desierit: sufficit enim ad hunc effectum, quod durante familiaritate Beneficia obtinuerit, quantumcunque parvo tempore duret familiaritas; Garcias part. 5. cap. 1. num. 279. Barbosa *de offic. et potest. Episcop.* alleg. 57. num. 113. et alii ibi citati. (29. Familiares Cardinalium non dicuntur, qui in eorum domibus habent expensas,

Digitized by Google

seu partem, non ut Familiares, et Servitores, sed ut amici, et consanguinei; Rota in una Salmant. et Abul. Benefic. 6 Jun. 1599, coram D. Penna, et in Hispalen. Archidiaconat. 20 Februar. et 26 Junii 1606, coram D. Justo. (30. Nuncius non potest concedere familiaritates, et exemptiones ab Ordinario alicui, qui sibi actu non serviat, ne a se victum habeat; Sacra Congr. Episcop. in Florentina 16 Jul. 1617.

(31. Episcopus Familiarem suum non subditum ordinare potest, si per triennum secum fuerit commoratus, et Beneficium, quacunque fraude cessante, statim reipsa illi conferat; Concil. Trid. sess. 23, cap. 9; *de Reformat.* (32. Debet tamen Episcopus quoad hoc attendere novam dispositionem Innocentii XII, in Constit. incip. *Speculatores Domus Israel*; ubi sic expresse statuitur: « Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum Familiarem suum ad aliquos Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam Tonsuram promovere; seu ordinare præsumat absque ejus proprii, Originis scilicet, seu Domicilii Prælati, testimonialibus litteris, et nisi ad præscriptum Concilii Tridentini Familiarem prædictum per integrum, et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit. Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superius præfinitum sufficiat, quacumque fraude cessante, statim hoc est saltem intra terminum unius mensis, a die factæ ordinationis reipsa illi conferat, ac in ordinationibus hujusmodi Testimonio expressam itidem Facultatis, ac Litterarum prædictarum mentionem facere teneatur. » (33. Unde stante tali Constitutione Innocentii XII, non potest Episcopus Familiarem suum triennalem ad titulum Patrimonii promovere ad Sacros Ordines, ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, nullo collato Ecclesiastico Beneficio. Sic expresse decrevit Sac. Congr. Conc. in Tricaricen. 27 Jul. 1697, in qua proposito dubio: « An stante novissima Constitutione Sanctissimi Domini nostri possit Episcopus Familiarem triennalem ad titulum Patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, nullo collato Ecclesiastico Beneficio? » Respondit negative, est contra Garciam *de Benefic.* part. 2, cap. 5, num 81. Barbosam in summ. *Dec. Apostolic.* verb. *Familiares* n. 14, et alios afferentes antiquum Decretum.

(34. Familiarem suum ordinare non potest Episcopus, si illi non contulit Beneficium, quamvis possideat aliquod in alia Diœcesi; Sacr. Congr. Conc. 22 Apr. 1617. (35. Immo Familiaris ordinatus ad titulum Beneficii, quod in alia Diœcesi possidet, tamquam illicite ordinatus Suspensionem incurrit; Sac. Congr. Conc. in Fulginaten. 6 Septemb. 1687 in qua etiam monuit Ordinantem, ut consuleret conscientiæ suæ. (36. Non potest Episcopus ordinare Fratrem, seu Nepotem suum absque dimissoriis proprii Ordinarii, sub prætextu quod illum uti Familiarem retinuerit domi propriis expensis, etiamsi ei conferat Beneficium; Sac. Congr. Conc. in Calatina 7 Februar 1654. (37. Episcopus Sacros Ordines conferens in aliena Diœcesi de licentia Ordinarii potest etiam ibidem ad Ordines promovere Familiarem sibi non subditum, in quo tamen requisita ex dispositione Sacri Concilii Tridentini concurrant; Sac. Congr. Conc. 22 April. 1604. (38. Episcopus dispensare non potest cum suo Familiari triennali alias non subdito super Interstitiis; Sac. Congr. Conc. 25 Jun. 1590, et sic decisum fuisse referunt Garcias *de Benefic.* part. 2, cap. 5, num. 86. Barbosa *de Offic. et potest Episcop.* part. 2, alleg. 3, n. 14, (39. et ab ipso cibi citati: Episcopus tamen dispensare potest quoad Interstitia cum Familiari suo jam ordinato, cui collatum fuit statim Beneficium, quia ratione Beneficii collati, jam fuit effectus suus subditus; Sac. Congreg. Conc. 26 Maii 1594. (40. Episcopus in casibus, in quibus potest ordinare suum Familiarem potest et illi dimissorias concedere; Barbosa loc. cit. num. 16. Campanil. *Divers. Juris Canonici* rub. 9, num. 6, et sic declarasse Sacram Congreg. Concilii refert Garcias *de Benefic.* part. 2, cap. 5, num. 97. (41. Episcopus Titularis prætextu cujuslibet Familiaritatis, aut continuæ commensalitatis suæ, aliquem absque proprii Prælati expresso consensu, aut Litteris dimissoriis ad aliquos Sacros, vel Minores Ordines, vel primam Tonsuram promovere seu Ordinare non potest, quia ei, ex quo tantum sit Titularis, talis promotio est expresse interdicta per Conc. Trid. sess. 14, *de Reform.* c. 2, ibi: « Nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam excepto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis Privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ, commensalitatis suæ, absque sui proprii prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis ad aliquos Sacros, aut Minores Ordines, vel primam Tonsuram promovere, seu ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. »

(42. Familiares Papæ, vel Cardinalium (etsi Cardinales habitassent Romæ) atque etiam Episcoporum in Curia residentium, post triennium servitutis possunt de licentia ipsorum a Vicario Sanctissimi promoveri, dummodo tamen supradicti omnes sufficientem titulum habeant, et alia a Jure requisita. Sic decisum fuisse referunt Armendar. in addit. ad recompilat. legum; Navarr. lib. 1, tit. 18, lib. 7, *de Episcop. in declar.* n. 49 Barbosa loc. cit. n. 19, et alii apud ipsum. (43. Cardinales Presbyteri possunt conferre suis triennalibus Familiaribus Tonsuram, et ceteros Ordines Minores; Rota dec. 731. n. 10. part. 1. diversor. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part. 2. allegat. 3. n. 15. cum pluribus aliis ibi citatis. (44. Familiaris ut qui ad hunc et similem effectum dicatur, duo requiruntur: *Primum*, ut habeat victum; *Se*

Digitized by Google

cundum, ut fuerit destinatus ad aliquod certum servitium; Rota part. 1. recent. dec. 564. n. 3. (45. Barbosa loc. cit. n. 15. Triennium, in quo Familiaribus commorandum est cum Episcopis ad effectum, ut possint ordinari, sufficit, quod inceperit antequam fuissent Episcopi. Sic decisum fuisse referunt Garcias cit. cap. 5. n. 83. Barbosa loc. cit. alleg. 5. n. 8. et super Tridentin. sess. 23 *de Reformat.* cap. 9. num. 9. et plures alii ibi citati. (46. Et sic pariformiter est dicendum de triennio Familiarium Cardinalium. Triennium hujusmodi debet esse continuum; Campanil. in *Diversor. Juris canonici* rub. 9. cap. 9. n. 12. Navarr. in *Singul. canon.* concl. 103. n. 3. Barbosa d. alleg. 5. n. 9. et super Trident. loc. cit. n. 8. cum aliis ibi citatis.

(47. Familiares duos Canonicos sive de Cathedrali sive de Collegiata, et non plures pro servitio suæ Dioecesis assumere potest Episcopus; Sacra Congr. Concil. in Colonien. 9. Septemb. 1628. (48. Familiaris Episcopi Canonicus, quem ille declaravit velle pro servitio suo retinere, lucratur integros fructus suæ præbendæ, quamvis numquam accesserit ad Ecclesiam, nec primam residentiam a statuto illius Ecclesiæ requisitam fecerit; Sacr. Cong. in Compostellana 2 Julii 1633. (49. Familiares Episcopi etiamsi sint Laici gaudent privilegio Fori; S. Cong. Episcop. et Regul. in Regien. 15 Febr. 1581. et in Turritana 18 Maii 1603, et Sacr. Congreg. Immunit. in una Montis Polationi 13 Jul. 1647. ubi declaravit ipsos Familiares Episcopi gaudere privilegio Fori, et posse deferre arma. (50. Familiares etiam Episcopi Titularis gaudere debent privilegio Fori, ita tamen ut conveniri debeant, et sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, non vero ab Episcopo, seu Archiepiscopo Titulari; Sac. Congreg. Immun. in Regiens. 17 Jan. 1628. (51. Familiares Episcopi, et Ministri suæ Curiæ sunt omnino exempti a Foro Laico, Sac. Congregat. Immun. in Adjacen. 11. Jun. 1704. Etiam Familiares Eminentissimorum Cardinalium gaudent privilegio Fori; Sacr. Cong. Immun. in Cesenaten. 30 Jul. 1680. (52. Episcopi tenentur dare nomen suorum Familiarium Curiæ Laicali; Sac. Congr. Immun. in Panormitana 16 Aug. 1634. (53. Cognitio causæ Familiaris actualis Archiepiscopi, scilicet Pincernæ, deferentis arma prohibita vigore Edicti publicati a Curia Legationis spectat ad Forum Ecclesiasticum; Sac. Congreg. Immun. in Ravennat. 17 Decemb. 1680. (54. Quoad carcerationem Præfecti Cameræ Nuncii factam a Curia Laica ob delationem armorum prohibitorum, licet die sequenti excarcerati de ordine Regis, Nuncius declaret Excommunicatos et carcerantes, et Corrigitorem, qui ordinavit, ut detineretur in carceribus; Sac. Cong. Immunit. (55. in Ulissipon. 6. Junii 1730. In eadem causa datur Nuncio facultas absolvendi Corrigitorem, et alios carcerantes Præfectum Cameræ d. Nuncii qui ob hanc causam missi fuere in exilium a Rege; Sac. Congr. Immunit in Ulissipon. 16. Februar. 1681. (56. Ob attentata facta a Regiis ministris in Personam Familiaris Archiepiscopi, scilicet Aurigæ, carcerati, processati, et justitiati, iidem Ministri Regii fuere ab eodem Archiepiscopo absoluti in forma Ecclesiæ consueta. Ex decreto Sacr. Congreg. Immunit. in Neapolitana 22. Julii 1660. (57. Fiscalis, quem Episcopus tenet in aliqua Civitate vel Castro in quo spiritualem, et temporalem jurisdictionem exercet, tamquam ipsius Episcopi Familiaris gaudet privilegio Fori; Sac. Congreg. Episcop. 11. Decembris. 1625.

(58. Familiares, et Ministri Inquisitionis fruuntur indulgentiis, aliisque privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus concessis Crucesignatis. Paramus *de Origin. Inquisit.* lib. 2. tit. 1. cap. 3. num. 8. et cap. 4. per tot. Carena p. 1. *de Offic. Inquisit.* tit. 14. § 6. n. 25. card. Petra tom. 4. *Comment in Constit.* 19. *Innocentii IV.* n. 3. et alii passim. (59. Et præsertim possunt deferre arma; Cardinal. Petra *ibidem.* n. 4. Familiares Inquisitionis fruuntur privilegio Fori inquisitionis. (60. Ita communis apud Paramum l. cit. lib. 3. q. 6. num. 27. et Card. Petram loc. cit. num. 5. et 6. et plurimos alios ibi citatos. (61. Familiares, et ministri Inquisitionis in Officio delinquentes puniri debent privative ab Inquisitore, ut statuitur in Clement. 2. *de Hæretic.* et notant Gonzalez in c. *Dilecto de Offic. Archidiacon.* num. 12. Decian. *Tract. crimin.* lib. 5. cap. 22. Bobadil. in *Polit.* lib. 2. c. 17. num. 127. Petra loc. cit. num. 9. et pluries a Suprema inquisitione resolutum refert. Card. Albitius *de Inconst. fide* cap. 29. num. 48. (62. Familiares, et Ministri censentur in Officio delinquere, si in usu armorum delinquant, et per hoc puniri debent ab Inquisitore; Carena loc. cit. tit. 14. § 4. Card. Albit. cit. cap. 29. num. 10. Card. Petra loc. cit. n. 10. (63. Tales Familiares, et Ministri necessarii Inquisitioni, ii scilicet, sine quibus Inquisitores eorum munus commode explere nequeunt, gaudent privilegio Fori, etiamsi extra Officium delinquant. Sic in casu Nuntii inquisitionis Senensis fuisse discussum in Suprema inquisitione, refert Card. Albit. cit. c. 29. num. 48. vers. *Ministri*, et vers. *Et in puncto*, et cum pluribus aliis tenent. Card. Petra loc. cit. num. 22. (64. Familiares, et Ministri inquisitionis, sicuti nec ipsi inquisitores, si sint Beneficiati, in eorum absentia non lucrantur de jure distributiones, nisi ad id speciale privilegium obtinuerint. Sic pluries resolvit Sac. Cong. Concilii, et signanter in Toletana 4. Junii 1595. lib. 8. dec. pag. 40. et in Mediol. 4. Febr. 1635. lib. 15. decret pag. 156. (65. Familiares, et ministri Inquisitorum non satisfaciunt præcepto annuæ Communionis per hoc quod in Communione Generali fieri solita Feria V. in Cœna Domini, ab inquisitoribus Eucharistiam sumpserint, sed illam sumere debent a proprio Parocho, ut resolvit Sacr. Congr. Concil. in Neapoli-

Digitized by Google

tana 3. Julii 1666. (66. Familiares, domestici, et continui commensales in Monasteriis Regularium degentes satisfaciunt præcepto Paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus. Vid. verb. *Eucharistia* num. 17.

(67. Familiares Episcoporum illi solum gaudere debent privilegio Fori, quos in jure, et justa consuetudine loci cujuslibet, usque ad hunc diem pro Familiaribus, et Officialibus habitos, et deputatos esse, et haberi, ac deputari solitum est. Bened. XIV. tom. 1. Const. 85. incip. Alias § 9.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Agit hic Auctor de Familiaribus Papæ, Cardinalium, tum Episcoporum, at parce pro vastitate materiæ. Disserere de iis omnibus latius possemus, sed ne nimii simus, de Familiaribus tantum Episcoporum verba faciemus.

(68. Ex consuetudine primum Episcopi ordinare cœperunt Familiares suos *triennales*, quamvis nec originis, nec domicilii, nec Beneficii ratione sibi subditos; Gallier *de Sacr. Elect. et Ordinat.* part. 2. cap. 3. § 2. ubi quod hæc consuetudo ortum habuit a Concilio Arausicano 1. sub Leone Papa I. celebrato. (69. Consuetudinem hanc approbarunt deinde Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 9. *de Reformat.* et S. M. Innocentius XII. in celebri constitutione, quæ incipit: *Speculatores*; sed certis additis conditionibus. Et constitutionem hanc comprehendere etiam Cardinales Episcopos, ut nequeant Familiares suos ordinare non servatis Legibus ab ipsa præscriptis, refutato Moreno, probat Monacell. in *Formular.* tom. 3. pag. 231. num. 46. *et* sequent.

(70. Plura vero concurrant oportet, ut Episcopus ordinare valeat Familiares suos triennales. I. Quod ordinet cum Litteris testimonialibus Episcopi originis, seu domicilii. Idque additum fuit a dict. Constitutione, et a Sac. Congregat. Concilii interp. in Laquedonien. seu Bituntina Ordinationis 16. Novembris 1709.

II. Quod triennium sit continuum, nec notabili aliquo spatio temporis interruptum, ut refutato pariter Moreno firmat Monacell. in *Formular.* pag. 232. n. 43. et seq. Sufficit vero, quod triennium sit inceptum ante promotionem ad Episcopatum, ut rejecto Lamperez probat Riganti in *Comment. ad Regul. Cancellar. Regul. XXIV.* § 3. a num. 14. ad plur. sequent.

III. Quod familiaris toto triennii tempore manserit sub his, oculis et præsentia Episcopi, illius obsequio, et servitio addictus. Quare si manserit extra Diœcesim, et Civitatem in qua Episcopus residet, quamvis expensis Episcopi, non poterit ab eo ad Ordines promoveri; Monacell. *eodem loco* pag. num. 38. ubi refutat Morenum, qui tenet Familiarem non in ædibus Episcopalibus, sed tantum intra Diœcesim Episcopi domini sui, aut licet extra Diœcesim, prope tamen ipsum manentem, non prohiberi ad Ordines ratione absentiæ promoveri. Cohabitatio vero in eodem palatio Episcopali non requiritur, ut, reprobato Lamperez, firmat Riganti ubi supra num. 151. Nequit autem Episcopus, ut recte monet Auctor num. 36. Nepotes, et consanguineos secum simul in eodem Palatio, etsi per triennium habitantes, et ab ipso victum recipientes, ordinare, nisi revera inserviant, ita ut sint Familiares. De eo vero quæstio est an Episcopus ordinare valeat Familiarem triennalem Familiaris sui. Et affirmat Riganti eodem loco, num. 163 et seq. dummodo Subfamiliaris ille vivat expensis ipsius Episcopi, et sub ejus oculis una cum Familiari semper manserit.

IV. Quod conferat ordinato intra mensem a die factæ ordinationis Beneficium sufficiens ad congruam substentationem juxta taxam Diœcesis ejusdem Episcopi domini, et ea deficiente juxta morem Regionis. Quod si Beneficium sit tenue, nequit quod deest suppleri adjectione patrimonii, vel etiam pensionis, et quidem non obstante necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. Cæterum si Episcopus Familiari seu Clerico, ante completum triennium familiaritatis, Beneficium sufficiens conferat, non prohibetur illum ulterioribus Ordinibus insignire triennio nondum elapso. Hoc enim casu ordinatio non sequitur ratione familiaritatis, sed Beneficii, Rigant. loc. cit. num. 161.

(71. Reliquum est, ut examinemus an Episcopus, sicuti potest ordinare Familiarem suum triennalem, ita impertiri ipsi possit litteras dimissoriales ut ab alio Episcopo ordinari valeat. Negat post alios Fermosin. in cap. *Quoad translationem* quæst. 5. num. 28. *de Tempor. ordin.* At cum Auctore affirmat Riganti ubi supra num. 167. et plur. seq. Idque quia si licet Episcopo, quod plus est, ordinare, licere debet, quod minus est, concedere dictas litteras dimissoriales.

FAMULI, FAMULÆ.

SUMMARIUM.

1. Famuli, et Famulæ Monialium nullum habent privilegium sumendi Sacramenta, neque Sepulturam habendi in Ecclesia Monialium; sed subjiciuntur Parocho, sicut ceteri Parochiani. — 2. Famuli Regularium, qui non sunt eorum commensales, sed cum Sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, subjacent quoad Sacramenta et sepulturam proprio Parocho, ac alii Parochiani. — 5. Famuli autem, qui sunt continui Commensales in Monasteriis Regularium degentes, subjacent omnino ipsis Regularibus quoad Sacramenta, et Sepulturam. — 4. Famuli, et Famulæ tenentur suis Dominis aliquo modo præstare ea quæ filii præstant parentibus. — 5. Hinc peccant graviter, et tenentur ad compensationem damni, si non laborant, nec serviunt juxta debitum. — 6. Item graviter peccant, si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum impedire possint. — 7. Et si tale damnum inferatur in rebus, quarum cura est eis specialiter commissa, tenentur insuper ad restitutionem. — 8. Item graviter peccant, si sine gravissima causa discedant a Domino ante elapsum terminum. — 9. Item graviter

Digitized by Google

peccant si in rebus magni momenti non obediant Dominis suis. — 10. Item graviter peccant esculenta, et poculenta domo asportando, aut vendendo, et licet hæc solum per pauca furta faciant magnam summam totalem, adhuc sub mortali tenentur ad restitutionem. — 11. Excusantur tamen facilius, si ea domi consumant, et non sint in magna quantitate, nec sint Domini expresse invitj. — 12. Famulus illicite cooperatur peccato Domini per actiones, quæ per se, et proxime ad illud peccatum concurrunt. — 13. Etiam peccat ponendo actiones de se indifferentes quoties hic, et nunc sunt proxime ordinatæ ad peccatum. — 14. Etiam probabilius peccat mortaliter tales actiones multoties ponendo; nec potest a culpa excusari ob quemcumque metum. — 15. Item peccat Famulus, qui scribit, vel ad alterum defert litteras, aut nuntia directe tendentia ad peccatum. — 16. Si Famulus dubitet, an litteræ deferendæ contineant turpia, vel aliquid intrinsece malum, licite potest eas deferre. — 17. Famuli et famulæ, coacti laborare die Festo, si non audeant recusare, ex quo prudenter timeant se posse Dominos suos ad gravem indignationem commovere, et inde sibi magna evenire incommoda, possunt aliquoties licite laborare: quod si tamen frequenter contingit, eos deserere debent. — 18. Famuli et Famulæ excusantur ab audienda Missa die festo, si ministerium, quod præstant, secundum communem æstimationem et vivendi modum sit necessarium, et non permittat audiri Missam. — 19. Famuli et Famulæ nequeunt licite famulari Judæis in propriis domibus. — 20. Licite tamen eis famulari extra proprias domus, v. g. conduci ad operas, esse Colonum, vel Agricolam. — 21. An liceat die sabbati eos adire, et illis coquere, et alia ministeria præstare. — 22. Non licet famulari hæreticis, si ob conversationem illam Famuli, et Famulæ sint in periculo proximo deficiendi a Fide, sed tales tenentur statim discedere cum quocumque etiam incommodo. — 23. Nec etiam licet famulari hæreticis, si famuli, et famulæ impedientur ab observantia præceptorum Ecclesiæ. — 24. Possunt tamen famuli licite famulari hæreticis, nec tenentur ipsos deserere, quando impediuntur ab observantia præceptorum Ecclesiæ ex justa causa. — 25. Famuli, et Famulæ priusquam se obligent famulari hæretici, debent expresse pacisci quod non impediantur observare præcepta Ecclesiæ, aliter se exponerent proximis periculis illa non servandi, et sic peccarent. — 26. Famuli, et Famulæ, quamvis judicent salarium suum esse nimis parvum, non possunt retinere pecuniam aliunde suis Dominis debitam. — 27. Nec Famuli, et Famulæ Sartorum, licet judicent salarium suum esse nimis parvum, possunt retinere fragmenta panni, fila serica, et alia hujusmodi. Et idem dicendum videtur de ipsismet Sartoribus, si invitis illis, qui vestes constituunt, retineant ejusmodi reliquias. —28. Quando autem Famuli, et Famulæ possint, vel non uti occulta compensatione, *Remissive*. — 29. Quando, et de quibus Famuli, et Famulæ possint facere eleemosynam? *Remissive*. — 30. ad 51. De Sacramentorum administratione Famulis Regularium.

(1. Famuli, et Famulæ, quæ inserviunt Monasteriis Monialium, quamvis exemptarum, nullum habent privilegium; sed, sicuti cæteri alii Parochiani, tenentur adimplere præceptum Paschale in Ecclesia Parochiali, et ibi sepeliri debent, si alibi non elegerint sepulturam, nec habeant proprium sepulchrum majorum. Ad proprium Parochum spectat eisdem ministrare Sacramenta, dum sint infirmi, et ad Sepulchrum eosdem associare, non autem ad Confessarium Monialium, ut respondit Sac. Congreg. Concil. in una Leodien. 24. April. 1685. et in alia Spoletana 19. April. 1691. in casu inter Famulas Monialium S. Matthæi Congr. Lateranensis, quæ habitabant in domo exstructa inter Cortile, sive atrium Monasterii, et Parochum S. Martini, intra cujus Parochiæ limites Monasterium existit; et novissime in Ulixiponen. occidentali 19. Sept. 1722. (2. Famuli Regularium qui tantum ipsorum Monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de Familia, nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, subjacent quoad Sacramenta, et sepulturam proprio Parocho, sicuti cæteri alii Parochiani. Vid. verb. *Approbatio*, num. 69. et verb. *Eucharistiam* 18. (3. Famuli autem, qui sunt continui commensales in Monasteriis Regularium degentes, subjacent omnino ipsis Regularibus quoad Sacramenta, et Sepulturam independenter ab Episcopis, et Parochis. Vid. verb. *Approbatio* a num. 66. ad 68. et d. verb. *Eucharistia* num. 17.

(4. Famuli et Famulæ tenentur suis Dominis aliquo modo præstare ea, quæ filii parentibus, scilicet amorem, reverentiam, et obedientiam; sunt enim illis quasi loco parentum. Est communis cum S. Thom. 1. 2. quæst. 203. Reginald. lib. 20. n. 62. (5. Hinc peccant graviter, et tenentur ad compensationem damni, si non laborant, et fideliter non serviunt juxta pacta conventa, et juxta conditionem, et qualitatem suæ servitutis; Lessius l. 2. cap. 24. et communis aliorum. (6. Item graviter peccant, si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum impedire possint; Navarr. cap. 4. num. 22. Reginald. loc. cit. et alii communiter. (7. Et si tale damnum inferatur (sive a confamulis, sive ab extraneis) in rebus, quarum cura est eis specialiter commissa, ultra quod graviter peccant, tenentur insuper ad restitutionem; Lessius cap. 13. num. 75. Filliuc. tom. 35. numer. 114. Molina, et alii passim. (8. Item graviter peccant, si sine gravissima causa discedant a Domino ante terminum elapsum. Communis. (9. Item graviter peccant, si in rebus magni momenti non obediant Dominis. Communis. (10. Item graviter peccant, esculenta, et poculenta domo asportando, aut vendendo, et licet hæc solum per pauca furta faciant magnam summam totalem, adhuc sub mortali tenentur ad restitutionem, unde merito Innocent. XI. 2. Martii 1679. inter alias damnavit sequentem propositionem 38. in ordine: « Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. » (11. Excusantur tamen facilius, si ea domi consumant, cum in his Dominj, sæpe tantum sint inviti quoad modum accipiendi clam, non quoad rem; dummodo tamen non sint extraordinaria, et in magna quantitate, vel Domini expresse ipsis prohibeant uti talibus esculentis, et poculentis. Layman Escobar. cum Busemb. lib. 3. p. tract. 5. cap. 1. dub.

Digitized by Google

4. num. 10. Less. loc. cit. num. 47. ubi docet, quod furta minima Famulorum ex comestibilibus, quæ claudi non solent, non coalescant, si non ad vendendum, sed ad comedendum tantum accipiantur (1).

(12. Famulus illicite cooperatur peccato Domini per actiones quæ per se, et proxime ad illud peccatum concurrunt; La Croix lib. 2. num. 253. (13. Etiam peccat ponendo actiones de se, et secundum suum esse physicum indifferentes, quoties hic et nunc sunt proxime ordinata ad peccatum, ut admovere scalas, aut humeris sustentare volentem ascendere ad stuprandam Virginem, vel ad occidendum hostem. Viva supra proposit. 51. num. 4. *ex damnatis ab Innocentio XI.* La Croix loc. c. n. 253. (14. Etiam probabilius (2) peccat mortaliter tales actiones multoties ponendo, nec potest a culpa excusari ob quemcumque metum; Viva loc. cit. num. 4. La Croix loc. cit. n. 254. et ratio est, quia actiones, seu operationes illæ positæ in illis circumstantiis videntur per se, et proxime tendere ad peccatum, unde sunt intrinsece malæ nec possunt ex alia causa cohonestari. Hinc justissime Innocentius XI. 2. *Martii* 1679. inter alias damnavit sequentem propositionem 51. in ordine: « Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. » (15. Item peccat Famulus, qui scribit, vel ad alterum defert litteras, aut nuntia directe tendentia ad peccatum, v. g. ad fornicationem, vel Duellum. Ita Sanchez, Bonacina, Rebellus cum La Croix loc. cit. n. 273. Et ratio est, quia, dicunt ipsi, hæc nuntia, et hæ litteræ sunt intrinsece malæ, et sic sentit Viva loc. cit. numer. 5. ubi cum Navarr. contra Sanch. lib. 1. can. 8. num. 12. docet peccare Famulum comitando herum ad lupanar, et comitando concubinam ad domum heri. Immo Viva ibid. num. 5. in fine, nec subscribit sententiæ Sanch. loc. cit. num. 29. putantis, quod sola ratio famulatus sufficiat, ut licite possit Famulus jussu heri deferre concubinæ munuscula, aut esculenta; cum enim hæc munuscula, dicit ipse, foveant ignem tartareum, major causa videtur requiri ad reddendas licitas hujusmodi actiones. (16. Si Famulus dubitet, an litteræ deferendæ contineant turpia, vel aliquid aliud intrinsece malum, licite potest eas deferre, quia Famulus tenetur obedire, ubi non est peccatum, et in dubio stat præsumptio pro Domino. Castropal. Rebell. et alii cum La Croix loc. cit. n. 273 (3).

(17. Famuli, et Famulæ coacti laborare die festo, si non audeant recusare, ex quo prudenter timeant se posse Dominos suos ad gravem indignationem commovere, et inde sibi magna evenire incommoda, possunt aliquoties licite laborare. Quod si tamen frequenter contingit, eos deserere debent. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 3. Illsung t. 5. num. 177. La Croix lib. 3. part. 1. num. 595. Busemb. lib. 3. part. 1. tract. 5. cap. 1. dub. 2. Suar. et alii passim. (18. Famuli, et Famulæ excusantur ab audienda Missa die festo, si ministerium quod præstant, secundum communem æstimationem, et vivendi modum sit necessarium, et non permittat audiri Missam, ut domum custodire, greges educere, si pastores ovium et armentorum et similes non habeant alios quos ad pecorum, aut domus custodiam relinquant, nec possint diversis horis, et alternis vicibus omnes Sacro interesse. Communis. (19. Famuli, et Famulæ nequeunt licite famulari Judæis in propriis domibus, cap. *Judæi* 5. cap. *Ad hæc* 8. c. *Nulli* 19. *de Judæis.* (20. Licet tamen eis famulari extra proprias domos, v. g. conduci ad operas, esse Colonum, vel Agricolam, ut patet experientia; hi enim proprie non sunt servi. Ita Layman lib. 2. tract. 1. c. 16. num. 1. La Croix lib. 2. num. 86. qui ibidem subjungit: (21. Item licebit die sabbati eos adire, et illis coquere. At rectissime faciunt Ordinarii illi, qui hoc expresse vetant, ut sapientissime, et justissime fecit D. Albertus Mugiasca Episcopus Alexandrinus, in Edicto edito 30. Januar. 1686. ibi: « Comandiamo a tutti li Fedeli di Gesù Cristo consegnati alla nostra Custodia l' osservanza di quanto dispongono li suddetti Concilii Provinciali, proibendo sotto pena dell' Interdetto personale dall' ingresso della Chiesa tanto agli Uomini, quanto alle Donne, . . . l' andare il Venerdì alla sera, ed il Sabbato nelle case loro per accenderli il foco, scaldarli il letto, e far altri esercizi vili, e di manifesta servitù. »

(22. Non licet famulari hæreticis, si ob conversationem illam Famuli, et Famulæ sint in periculo proximo deficiendi a Fide; sed tales tenentur statim discedere cum quocumque etiam incommodo, quia non licet permanere in proximo periculo peccandi. Unde Innocentius XI. die 2 Martii 1679. merito damnavit sequentes propositiones 62. in ordines: « Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit, » et 63. in

(1) Quomodo sententia Laymani, Escorbarii, Busembaum, et Lessii sustineri possit post damnationem Propositionis 38. inter Damnatas ab Innocentio XI. prorsus ignoro. Scio Theologos, etiam magni nominis, in hac esse sententia, ut si quando Famuli comestibilia degustent, non statim eos peccati esse damnandos. At vero asserere, quod furta minima famulorum ex comestibilibus non coalescant, salvo meliori judicio, a nimia laxitate non excusarem. (Nota ex Edit. Rom.)

(2) Non modo probabilius est, sed plane certum, mortaliter peccare famulum, et quidem toties, quoties formaliter actione sua heri peccato cooperatur. Vide Milante, Exercitat. XXVIII. in propositiones damnatas a Ven. Innocentio XI. (Edit. Barbiell.)

(3) Debet tamen Famulus dubium, suspicionemve, si quam forte imbuit animo, deponere. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ordine : « Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. »

(23. Nec etiam licet Famulari hæreticis, si Famuli, et Famulæ impediantur ab observatione præceptorum Ecclesiæ, v. g. quia debent negligere Missam, laborare serviliter diebus festis, carnes comedere diebus vetitis, et hujusmodi, nisi excuset notabile incommodum, uti recte Navarr. Sanch. Layman, Bonac. et alii communiter cum Castrop. tom. 22. quæst. ult. n. 6. La Croix ibi. 2. n. 103. (24. Possunt tamen Famuli licite famulari hæreticis, nec tenentur deserere ipsos Dominos hæreticos, quando impediuntur ab observantia præceptorum Ecclesiæ. v. g. ab audiendo Sacro, et hujusmodi, ex justa causa, quia nempe occupantur in ministerio juxta communem æstimationem, et vivendi modum necessario, uti si debeant educere et custodire gregem, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per aliquot menses, et hujusmodi. Et ratio est, quia illa etiam apud Dominos Catholicos excusant ab auditione Sacri, et hujusmodi, uti fuit dictum supra num. 18. Sic Layman, Sa, Gobat, cum La Croix loc. cit. num. 105. (25. Famuli tamen, et Famulæ, priusquam se obligent famulari hæreticis, debent expresse pacisci quod non impediantur observare præcepta Ecclesiæ, aliter se exponerent proximis periculis illa non observandi, et sic peccarent. Communis.

(26. Famuli, et Famulæ, quamvis judicent salarium suum esse nimis parvum, non possunt retinere pecuniam aliunde suis Dominis debitam. Sic cum variis aliis Carden. in 2. Cris. dis. 23. a num. 66. La Croix lib. 3. part. 1. num. 972. (27. Nec Famuli, et Famulæ Sartorum, licet judicent salarium suum esse nimis parvum, possunt retinere fragmenta panni, fila serica, et hujusmodi. Et idem dicendum videtur de ipsismet Sartoribus, seu Magistris, si invitis illis, qui vestes constituunt, retineant ejusmodi reliquias. Sic Villalob. Diana, et alii Lugo dis. 16. n. 83. et 85. cum La Croix loc. cit. num. 973. contra Sanchez, et *alios*. (28. Non censentur autem inviti, nec solent ordinarie talia fragmenta rependere illis, quibus vestes fractæ non reficiuntur. Quando autem Famuli, et famulæ possint, vel non uti occulta compensatione, vide verb. *Compensatio* per tot. ubi assignantur conditiones ad licitam compensationem requisitæ, et traditur etiam sequens propositio ordine 37. inter damnatas ab Innocent. XI. 2. Martii 1679. « Famuli, et Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. » (29. Quando, et de quibus Famuli, et Famulæ possint facere eleemosynam, vide verb. *Eleemosyna*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Frequentes in foro sunt controversiæ Parochos inter et Regulares, circa administrationem Sacramentorum Famulis ipsorum Regularium, tum sepulturam eorumdem. Cæterum si agatur de Famulis non particularis alicujus Religiosi, sed Communitatis et præterea *actu servientibus*, *intra eorum septa, et domos residentibus*, tum *viventibus sub eorum obedientia ;* scilicet non *religiosa*, sed *servili*, possunt iis Regulares administrare Sacramenta Eucharistiæ etiam tempore Paschatis, ac Extremæ Unctionis, nec non sepulturam dare, ut rescripsit S. Congregatio Concilii interpr. in Uratislavien. Jurium Parochialium 25 Januarii 1738.

(31. Patet hinc Regulares a Superioribus Ordinis tantum approbatos ad excipiendas confessiones non posse Sacramentum Pœnitentiæ administrare Famulis Communitatis tametsi habentibus mox dictas tres conditiones. Posse vero censet P. Gaudent. a Janua *de Visitat.* tom. 2. cap. 7. dub. 17. sect. 4. num. 39. si induant præterea *distinctum habitum a Sæcularibus*, ut sunt oblati, donati, Tertiarii. Immo addit, quod possint etiam eos absolvere a casibus, quos Episcopus sibi reservavit. Intellige vero semper de iis, qui Communitati servitium præstant.

FEMINA.

SUMMARIUM.

1. ad 4. Femina non est capax Ordinum. — 5. ad 7. Est tamen capax jurisdictionis, et quid possit hoc titulo.— 8. ad 12. Jurisdictionis actus, qui a Femina nequeunt exerceri. — 13. ad 19. Femina, quoad vestium et ornamentorum honestaetm. — 20. ad 30. Quoad aspectus et tactus mala intentione. — 31. ad 34. Quoad munerum receptionem. — 35. Femineus sexus in quo sensu dicatur *devotus*. — 36. Successivæ poligamiæ novum exemplum. — 37. Expenditur dictum Ecclesiastici de mulieris beneficentia. 38. ad 41. Celebris de Femina regula juris. — 42. Ratio hujus prohibitionis.

(1. Femina non est capax Ordinum ; cap. *Novæ* 10. *de pœnit. et remis.* et est communis inter Catholicos cum D. Cyrillo super cap. 6. *Joann.* D. Ambrosio (sive Auctore Commentarii in Epistolas S. Pauli olim S. Ambrosio tributi) cap. 15. *in Epist ad Roman.* D. Chrysostom. *in Epist. secund. ad Tim.* II. D. Toma in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. et alii communiter. (2. Quidquid dixerint, et fecerint Hæretici, qui feminas ad sacros Ordines admittebant, inter quos numerantur primo Cataphrigæ, quorum meminit D Ambrosius *in prima ad Timoth.* c. III. Secundo Peputiani, et Papuritæ (1), de quibus D. Epiphanius hæres. 49, Tertio Gnostici, de quibus Tertullianus lib. *de præscript Hæret.* cap. 41. Ultimo Wicleffus, et Lutherus, qui docuerunt, mulieres sacri Baptisma

(1) Sive ut apud S. Epiphanium loc. cit. ab Auctore, Quintiliani, qui et Peputiani appellantur, Artotyritæque ac Priscillani. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

tis fonte ablutas statim Sacerdotissas consecrari, de quibus Thomas Valdensis liber. *de Sacrament.* c. 59. et Roffensis art. 13. *contra Lutherum.* (3. Nec officit, quod in Jure fiat mentio Diaconissæ (1), Presbyterissæ et Episcopissæ, ut in cap. *Diaconissam* 27. q. 1. et cap. *Mulieres* 19. dist. 32. et sæpe alibi. Non officit, inquam, quia, ut recte notant Baronius ad annum Christi 34. n. 280. Campanil. in *div. Juris Canonic.* rubr. 11. c. 2. Vasquez t. 3. in 3. part. disp. 245. c. 3. et alii passim, ipsæ feminæ tali nomine appellabantur, non quod sic essent ordinatæ, sed quia Viri earum erant assumpti ad Diaconatum, Presbyteratum, et Episcopatum, et ideo uxores Diaconorum Diaconissæ, Presbyterorum Presbyterissæ, et Episcoporum Episcopissæ dicebantur, denominatione desumpta ab earum maritis. (4. Nec etiam officit id, quod ab aliquibus asseritur, quod quædam femina, Joanna nomine, ad Summum Pontificatum fuerit assumpta. Non officit, inquam, quia id, quod dicitur de Joanna, est mera fabula, talemque esse probant Bellarm. lib. 3. *de Pontifice Romano* c. 24. Baronius t. 10. anno Christi 853. num. 86. Papirius Masson. Gallus in lib. *de Urbis Episcopis*, Onuphrius Panvinius in suis annotat. ad Platinam. Floremundus de Remundo in lib. *Error popularis de Joanna, seu pontifice dicta Papissa*, Graveson, Ursaya, et alii passim. Vide verb. *Ordo* art. 2. n. 26.

(5. Potest tamen Femina habere potestatem Jurisdictionis, quamvis non possit habere potestatem Ordinis. *Comm.* Hinc Femina succedens in aliquo Officio, seu Dignitate, quæ habeat aliquam Jurisdictionem annexam, quamvis alias capax non sit exercitii Curæ animarum, tamen efficitur capax, et potest per scipsam administrare Jurisdictionem, et committere exercitium Curæ Viro capaci talis potestatis, et Beneficia conferre, ut deducitur ex cap. *Dilecta, de Majorit. et obedientia,* et Rota part. 10. decis. 44. num. 23. et tenet Abbas in cap. *Cum Dilectus* num. 20. *de Consuetud.* Felin. in cap. *Cum venerabilis* numer. 36. *de Except.* Fagnan. in capit. *Judæorum* 3. *de Ætat. et qualitat.* num. 14. Joann. de Selva *de Benefic.* q. 5. num. 1. et 5. et alii passim. (6. Unde Femina habens Jurisdictionem, ut v. g. Abbatissa, Priorissa, et hujusmodi, est capax conferendi Parochialem, et Parochum nominandi, et instituendi, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbavit, ut declaravit Sacr. Congr. Concilii in una Mediolanens. 17 Dec. 1701. (7. Femina virtute talis Jurisdictionis potest cum legitima causa privare Clericos sibi subjectos Beneficiis jam illis collatis, auferendo scilicet quod illis dedit, nempe titulum, et possessionem, nam posita hac ablatione censetur Pontifex conferre jus spirituale, quia sicuti Beneficium confertur dependenter a designatione Feminæ et collatione tituli, et possessionis, ita etiam censetur conservari Jurisdictio a Summo Pontifice dependenter ab iisdem, quibus sublatis etiam reliqua alia tolluntur; Rota part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 10. et 20.

(8. Non potest autem Femina ipsos Clericos suspendere, prout suspensio est Censura Ecclesiastica, sicuti neque interdicere, aut excommunicare; nequit enim Femina Censuras ferre, quia caret spirituali Jurisdictione, ut colligitur ex cap. *Dilecta, de Majorit. et Obedient.* et Rota dicta part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 17. et 18. (9. Femina quamvis sit docta, et sancta, non debet docere, maxime publice, textu expresso in c. *Mulier* 19. *de Consecratione*, ibi: « Mulier quamvis docta, et sancta, viros in Conventu docere. . . . non præsumat. » (10. Feminæ in Ecclesiis debent tacere, 1. *ad Corinth.* cap. XIV. n. 34. et sequent. . . . . ibi: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim Mulieri loqui in Ecclesia.* (11. Femina quamvis habeat jurisdictionem, ut Abbatissa, seu Priorissa in subditas, non potest publice benedicere, sed solum eo modo, quo parentes solent benedicere propriis filiis, cum munus benedictionis proveniat ex potestate clavium, quæ non competit Feminæ. Communis. (12. Femina non potest pro ministro servire Sacerdoti ad Altare; sic expresse prohibetur in *Missali* § 1. *de Defectibus*, et in c. *Inhibendum.* 1. *de Cohabitat. Clericor. et mulier*, ibi: « Prohibendum quoque est, ut nulla femina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. » — « Et si mulier subjungit La Croix lib. 6. part. 2. num. 388, et si mulier in Ecclesia tacere debeat, uti habetur 1. *ad Corinth.* XIV. multo magis abstinere a ministerio altaris. »

(13. Femina, si tantum ex levitate utatur veste virili sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, peccat tantum venialiter, alias mortaliter; *Deuteronomii* enim cap. XXII. num. 5. sic præcise habetur: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminæ, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Nullo autem modo, si utatur ex necessitate, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam* 1. q. 7. cap. *Omnes* 1. *de Fer.* cap. *Consuluisti* 3. *de celebratione Missar.* cum multis similibus; in qualibet enim dispositione intelligitur excepta; cap. *Licet, de Pœnit. et remis.* (14. Femina tenetur etiam abstinere ab ornatu muliebri ex se nimis turpi, et ad lasciviam provocante, et hoc sub mortali, si prævideat aliquem in particulari probabiliter lapsurum. Et ratio est, quia nullum habet jus ad illum nimis turpem et lascivum ornatum, immo est ei prohibitus, adeoque tenetur ab eo abstinere ad evitandum peccatum

(1) Etsi uxores Diaconorum vocatas fuisse Diaconissas constet, præter has tamen aliæ fuerunt, quæ *proprie* Diaconissæ appellabantur, quæque iisdem fere ac Diaconi ritibus initiabantur, quamquam Ecclesiasticæ hierarchiæ membra nec essent, nec haberentur. Vide Chardonium *Histor. Sacramentor., de Sacramento Ordinis*, lib. 1, cap. 12. Confer verb. Diaconissæ. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

alicujus in particulari ab ipsa prævisi probabiliter lapsuri; Busembaum lib. 2. cap. 2. et ibi La Croix, numer. 343. Sporer tom. 2. tract. 5. *in quint. præcep. Decal.* c. 1. sect. 2. num. 39. et alii (1).

(15. Femina vane se ornans, et pigmentis seu picturis se fucans ea intentione, ut aliorum oculos ad se trahat, et viros ad lasciviam provocet, peccat mortaliter; cap. *Nec solo affectu, et tactu* 12. et cap. *Qui viderit mulierem* 13. caus. 42. quæst. 5. Unde S. Joan. Chrysostom. relatus, et secutus a Fagnan. lib. 3. *Decretal.* et c. *Multa* 1. *Ne Clerici, vel Monachi* num. 68. sic ait: « Mulier si se decoraverit et vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam; venenum enim obtulit, etsi nullus qui bibat, inventus sit; » et concordant S. Augustinus *Epist.* 255. alias 73. in cap. *Fucare* 38. *de Consecrat.* dist. 5. S. Cyprian *tract. de Habitu Virg. post med.* S. Clemens Alexandr. in *Pedagog.* lib. 3. cap. 2. S. Thomas 2. 2. qu. 169. art. 2. in corpor. S. Antoninus, et alii communiter. Quamobrem *Eccles.* 4. expresse dicitur: *Ne accipias faciem adversus faciem tuam*, scilicet faciem picturæ adversus faciem naturalem: et contrafaciens debet timere illud; *Joel.* 2: *Omnis vultus redigetur in ollam*, id est vultus depictus in ollam infernalem, ut explicat Fagnan. loc. cit. numer. 62. et S. Cyprianus *de Disciplina et habitu Virginum* sic expresse dicit: « Opus Dei est quod nascitur, Diaboli quod mutatur. » Et in libro *de habitu Virginum* incipiente *Disciplinæ Custos*, post med. sic ait: « Non virgines tantum, aut Viduas, sed et nuptas puto, et omnes omnino feminas admonendas, quod opus Dei, et facturam ejus, et plasma adulterare nullo modo debeant adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine. » Et postea subdit: « Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt, impugnatio ista divini operis prævaricatio est veritatis; Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt quos Deus fecit, sed quod Diabolus infecit (2). » *De inimico tuo compta cum illo pariter ardura.*

(16. Si autem Femina se ornet, et fucet ex quadam levitate, vel etiam quadam vanitate propter instantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale; S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. in corpor. Fagnan. loc. cit numer. 69. et alii passim. (17. Immo si Femina se ornet, et fucet, servata recta intentione, consuetudine patriæ, et conditione status, non est peccatum. Sic S. Thomas 2. 2. quæst. 169. art. 1. in corpor. et in c. 3. 1. *Epist. ad Timoth.* lect. 2. sub. fin. Alexander Alens. in *Summ. Theolog.* p. 2. qu. 134. membro 1. ubi sic præcise dicit: « Licet secundum nobilitatem personæ, secundum consuetudinem Terræ, secundum Dignitatem Officii ornare se vestibus pretiosis, ita tamen quod absit libido in voluntate, et scandalum in exteriori opere. » (18. Unde S. Thomas in cit q. 169. art. 2. ad 2. subjicit, quod non est vetitum feminis faciei vitia occultare, quod probat his verbis auctoritatem Apostoli adhibens: « Aliud est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliqua hujusmodi, hoc enim licitum est. » Quia secundum Apostolum I. *ad Corinth.* XII: *Quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, his honorem abundantiorem circumdamus.* Quo fit, ut forte non peccaverit quidam ex Proceribus, qui cum morbo gallico tabesceret, ostro pingebat pallentes genas, de quo Urbanus VIII. festive fertur dixisse: « Foris minio pictus Ibero, intus autem Gallico. » (19. Et sic etiam licitum est feminæ se ornare sine pictura, ut viro suo magis placeat, vel ut futuri mariti præ aliis mulieribus licitam benevolentiam captet; S. Thomas in cap. 3. *Isaiæ* in fin. ubi sic expresse dicit: « Similiter si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel quem accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur, non peccat; » Pontas verb. *Ornatus muliebris* cas. 2. et alii.

(20. Femina denudans collum, vel pectus ex intentione mala, et maximo illum morem inducens, peccat mortaliter (3); Elizalde in *Regul. morum* lib. 8. q. 13. § 9. Pignatell. tom. 3. consult. 35. a num. 27. usque ad fin. La Croix lib. 3. n. 248. cum plurimis ibi citatis. Unde Ursaya *Instit. crimen.* lib. tit. 5. n. 50. notat sub excommunicationis pœna prohiberi posse ab Episcopis, ne mulieres incedant discoopertæ brachiis, vel pectore nudatæ, quia sunt incitamenta ad libidinem, et peccata, ut re mature perpensa in Urbe mandavit San. mem. Innocent. XI. cujus Edictum referunt, et exornant P. Maraccius in libercul. cui titulus: *Rimedio per curare la vanità feminile;* Franc. *de Re moral.* consult. 37. Raynald. tom. 3. cap. 27. § 3. num. 1. Quamobrem S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. *Pædagog.* cap. 3. sic expresse scribit: « Nullo modo permittendum est mulieribus, ut appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur, hi quidem, ut qui ad videndum incitentur, illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attra-

(1) Peccat mulier, si non abstineat ab ornatu nimis turpi, etiamsi non prævideat aliquem probabiliter lapsurum; cum enim prohibitus ei sit turpis ornatus, qui ad peccandum homines provocet, palam est graviter eo utentem peccare, etsi non prævideat aliquem lapsurum. In verbo illo nimis habentur fortasse insidiæ, et deceptiones lasciviæque mulieres nunquam nimis turpem credent turpem ornatum. Legantur Auctores citati a Benedicto XIV. de Synodo Diœces. lib. 11, c. 12. (Non, Romt. Tupol.)

(2) Vide S. Cypriani opus citat. edit. Venet. 1728, col. 358, seq. Nam Auctor integrum ejus testimonium non profert, sed multa omittit, et aliqua paulo aliter affert. (Edit. Barbiell.)

(3) Etiam, seclusa intentione mala, graviter peccat mulier illa. Nam denudatio illicita est, non solum ob pravam mulieris intentionem, sed etiam quia de se mala est, inducens homines ad peccatum. (Romani Theologi Notæ.)

Digitized by Google

hant; Semper autem tamquam præsente Domino honeste versandum est, ne nobis quoque sicut Corinthiis succensens dicat Apostolus : *Convenientibus vobis non licet Dominicam cœnam manducare;* » et S. Hieronymus *Epist.* 8. *ad Demetriadem* de publicis pedissequis illam informans, sic ait : « Illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, et procedens ad publicum non pectus, et colla denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit, sed quæ celat faciem, et vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur. »

(21. Femina sciens se turpiter amari ab aliquo particulari, quoties eum aspicit, vel ab eo aspicitur, peccat graviter, si data opera ei se conspiciendam offert; Layman lib. 2. tract. 3. cap. 13. Sanchez, Bonacina, Diana, et alii passim cum Busembaum, et la Croix lib. 2. dub. 5. art. 2. numer. 243. Sporer tom. 2. tract. 5. *in quinto præcepto Decalogi* cap. 1. sect. 2. num. 35. (22. Hinc peccat Femina pergens ad hoc templum, ad hoc sacrum, in quo est aliquis particularis, a quo turpiter amatur, quando commode potest aliud templum adire eo periculo vacans. (23. Item quando it per hunc vicum potens commode ire per alium. Item quando domo egreditur sciens eum expectare spectandam, sic cum aliis Sporer loc. cit. numer. 36. Immo volunt multi absolute cum Busembaum loc. cit. et probabilius cum La Croix, loc. cit. num. 244. Feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse, et debere non tantum publico, sed etiam Sacro abstinere die Festo, semel, atque iterum, ad peccatum illud evitandum. (24. Alii tamen cum Castropalao tract. 6. disp. 6. part. 16. Diana part. 5. t. 7. resolut. 21. et 22. et Pasqualig. *de Sacrificio*, qu. 1347. universaliter sustinent quod, ob vitandum præcise scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta; Unde Tamburin. *in Decalog.* l. 4. c. 2. § 2. n. 8. docet, quod Femina sciens se ardenter amari ab aliquo particulari, qui erit in templo, possit quidem die Festo abesse a Missa propter caritatem, non tamen teneatur, quia hoc est scandalum non datum, sed acceptum, quod omnino non tenetur vitare cum tanto detrimento omissionis Missæ die Festo; sic docet etiam Illsung. tract. 3. num. 111. dicens, ne quidem semel teneri omittere. (25. Concedunt tamen Castropal. Diana, et alii apud ipsos loc. cit. omitti debere, vel ad aliquod tempus differri actionem bonam, quæ est tantum consilii.

(26. Femina in publicum prodiens, quamvis sciat se ab aliquo in particulari turpiter amari, si hoc faciat ex necessitate, nullimodo peccat, et saltem non mortaliter, si faciat ex utilitate, aut ne se privet sua libertate, vel jure exeundi domo, aut standi ad ostium domus, vel fenestram; Sanchez, Cajetan, Bonacina, Diana part. 2. tom. 15. resolut. 20. Sporer loc. cit. n. 35. qui num. 37. subjungit consentire omnes, Feminam ob illam causam non teneri ad longum tempus abstinere a publico, vel actionibus de se indifferentibus, v. g. ad longum tempus non aspicere per fenestram, non ad januam domus suæ stare, vel assidere; sed solum semel, et iterum, donec alter advertere possit se fugi ab illa. Quod si enim alterius turpis amor diutius duret, non erit amplius ex infirmitate, et scandalo pusilli, sed potius ex occasio erit ex propria amantis malitia, et non ex Femina, quæ libertate sua jure utitur : unde deinceps non est de his curandum (1).

(27. Femina permittens tactum sui impudicum ex objecto, vel osculum turpe, ac venereum in secreto, peccat mortaliter si non impediat, quando commode potest, quia concurrit ad actum intrinsece, et mortaliter malum; Sporer loc. cit. num 41. La Croix loc. cit. num. 249. et alii communiter. (28. Si vero tactus sint ex objecto honesti, ut oscula in facie, tactus genarum, compressio manuum, et sola tangentis prava intentione libidinosi sint, id advertente Femina, distinguendum est : vel fiunt in publico, ut in Choreis, in convivio, etc., ubi juxta morem regionis non possunt repelli, nisi ingerendo animis adstantium suspicionem peccati, et infamando alterum, et tunc Femina non peccat permittendo similes tactus, quia in re per se non mala adest excusatio sufficiens, ne scilicet ratione moris, et consuetudinis regionis in suspicionem malitiæ apud spectantes veniat tangens repulsus, alias bonæ famæ; (29. Aut tactus fiunt in secreto, seu etiam in publico, et sine suspicione illa, et periculo infamiæ, repelli possunt : tunc Femina peccat graviter permittendo similes tactus, oscula, et amplexus, si moraliter certo advertat malitiam, et libidinosum affectum tangentis, osculantis, vel amplectentis; Sporer loc. cit. num. 41. Azorius, aliique cum Bonacina *de Matrim.* q. 5. p. 9. num. 10. (30. Si autem dubitet, an similes tactus, oscula, et amplexus ab altero fiant malo animo, Filliucius, et Tamburin. *in Decalog.* lib. 5. cap. 1. § 4. num. 25. La Croix loc. cit. n. 249. Sporer loc. cit. num. 41. et alii, negant teneri impedire, quia in dubio nemo præsumendus est malus; Bonacina tamen probabilius affirmat, quia vix abest culpa, et Femina utitur jure suo, consulitque saluti proximi (2). (31. Femina acceptans mu-

(1) Volunt multi absolute cum Busembaum (inquit Auctor num. 23.) Feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse et debere non tantum publico, sed etiam Sacro abstinere die festo; num. vero 26, vult, feminam iisdem in circumstantiis constitutam peccare tantum venialiter, si, ne se privet sua libertate, domo exeat, per fenestram aspiciat, ad januam domus suæ stet, vel assideat. Harum autem fere contradictoriarum opinionum quænam sit amplectenda, prudens judicet lector. (Romani Theologi Notæ.)

(2) Si mulier dubitet actus illos malo fieri animo, impedire, et prohibere illos tenetur : alioquin proximi saluti non consuleret, et semetipsam quoque periculo exponeret peccandi, cum sine commotione, ac delectationis periculo vix amplexus, et oscula illa contingant. (Notæ Romani Theologi.)

Digitized by Google

nera ab amasio, quando ei moraliter certo constet de ejus libidinosa intentione quamvis ipsa non consentiat ejus pravæ intentioni, regulariter peccat mortaliter, quia sic fovet impurum ejus amorem, ac desiderium, et spem copulæ aliquando obtinendæ. (32. Nec refert, quod Femina dicat se nolle consentire ejus pravæ intentioni, quamvis munera acceptet, nam re ipsa acceptando adhuc relinquit spem in amasio, quod vi munerum possit tandem facilius eam expugnare; Sporer tom. 2. tract. 5. *in septim. et decim. præcept. Decalogi* cap. 3. n. 141. La Croix loc. cit. num. 264. et alii. (33. Si autem semel tantum, ac iterum accipiat ab amasio munera, nec certo constet ei de libidinosa intentione, ac affectione donantis, tunc non peccat sic accipiendo; Sporer loc. cit. num. 141. et alii. (34. Femina ob munera sibi liberaliter donata ab amasio, quamvis illicite accepta ob ejus notam libidinosam intentionem, non tenetur ad ullam restitutionem, sed licite retinere potest; et ratio est, quia Femina accipiendo non peccavit contra justitiam; impurus enim amasius liberaliter ea donavit sciens Feminam non accepturam cum pacto copulæ, ut supponitur, quamvis ipse eam speraverit. Unde si sua spe frustratus amasius munera prodegit, sibi imputet, et suæ libidinosæ credulitati; Molina tom. 1. disp. 95. Lugo disp. 18. num. 49. et cum aliis Sporer loc. cit. num. 41 (1).

(35. Femineus sexus in quo sensu dicatur *Devotus* notat Macr. in *Hierolexic.* verb. *Antiphona* in fin. ibi: « Est etiam alia difficultas in illa B. M. Virginis Antiphona, quæ inter consuetas Officii commemorationes habetur super verba: *Intercede pro devoto femineo sexu*, ac si sexus alius devotus non esset. » Respondetur tamen hoc nomen *Devotus* hic non significare piam, ac teneri cordis erga Deum personam, sed quæ Deo se devovit, ut sunt Moniales, et similes; quæ Antiphona desumpta est ex D. Augustino, in *Serm.* 21. *de Annunc.* cujus mens fuerat distinguere Clerum, et Moniales a populo juxta Ecclesiæ universalis consuetudinem in Feria sexta Parasceves, ubi de iisdem habentur distinctæ orationes. In hoc etiam sensu D. Agatha dixerat: « Soror mea Lucia Virgo Deo devota, » quia voto perpetuæ Virginitatis se Deo dedicaverat. Ita pariter in Concil. Tolet. canon. 16. habetur devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam. Sic apud Ursayam in *Miscellaneo secundo Sacro, et Profano, Canonico et Civili*, verb. *Femineus sexus.*

(36. Femina quædam viginti duos successive habuit maritos, et deinde nupsit viro, qui viginti sepelierat uxores: qui postmodum vincens superstes remansit; et Populus Romanus coegit eumdem virum abstinere a lugubri funere, et lauro coronatum, Palma in manibus tenta, tamquam victorem uxoris cadaver ad tumulum associare jussit. Sic Vincent. de Justis *de Dispensat.* lib. 2. cap. 9. num. 6. Majolus *de Irregularitatibus* lib. 1. cap. 33. Corrad. in *Praxi dispen.* lib. 7. cap. 2. n. 81. et alii apud ipsos.

(37. Expenditur dictum Ecclesiastici cap. XLII, ibi: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens:* id est, melior est pro bono tuo spirituali, quatenus magis tibi proderit, minoris periculi erit, minusque tibi nocebit vir iniquus, quia sua iniquitate, et malitia injuste te vexet, ac bonis temporalibus spoliet, quam Mulier blanda, et benefaciens, quæ suis blanditiis, et beneficentiis ad ejus concupiscentiam te adducat, bonisque omnibus spiritualibus te denudet: vir enim iniquus ac malignus te injuste vexando tuam exercebit patientiam, quæ necessaria est, ut æternæ reportentur promissiones, sicut docet Apostolus *ad Hebræos* cap. X, n. 36. ibi: *Patientia enim vobis necessaria est, ut reportetis promissiones;* et *Luc.* cap. XXI, num. 19. ibi: *In patientia vestra possidebitis animas vestras;* mulier vero benefica munusculis, et blanditiis labiorum suorum venenum libidinis, et ignem lasciviæ usque ad perditionem devorantem in te succendet, ac in laqueum æternæ captivitatis te protrahet juxta illud *Proverbiorum* cap. VII, a num. 21. ad 23. ibi: *Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum; statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus; velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Unde *Ecclesiastici* cit. cap. XLII, antequam. num. 14. dicatur: *Melior est enim iniquitas viri, quam,* etc. numero immediate antecedenti dicitur: *In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Sic Sacri Expositores passim in prælaudat. c. XLII. num. 14. *Ecclesiastici.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. « Feminæ (ait Ulpianus in l. 2. ff. *de Regular. jur.*) ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt, et ideo nec Judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. » Varii Auctores varie celebrem hanc de Feminis Regulam juris sunt interpretati. Unus autem Jacobus Gothofredus meo judicio verum ejus sensum est assequutus.

(39. Publica, et civilia officia non sunt hic pro eisdem accipienda, ut accipiunt Cujacius, et Petrus Faber, sed observante Jacobo Gothofredo distinguenda sunt publica officia ab officiis civilibus, ita quidem, ut publica civilia quoque sint, non retro omnia civilia publica. Et in hunc modum particula posita

(1) Rogarem hic Auctorem, num credat mulierem peccare, quæ impurum in amasio foveat amorem? Si ita opinetur, ut opinari revera censeo, rursum rogo, num acceptatio donorum amorem illum foveat? Num prudenter suspicari possit ab hujusmodi amore prava oriri posse desideria? Ita sane. Ergo acceptando dona nequit ea mulier esse immunis a culpa.

Digitized by Google

est inter genus et speciem, quod non est novum.

(40. Publica autem officia, ut monet idem Jacobus Gothofredus, non dicuntur hic ratione finis, vel loci, verum ratione auctoritatis, quæ scilicet cum publica exercentur auctoritate, cujusmodi duo tantum exempla hac Regula commemorantur, Judicem esse (pedaneum scilicet, seu causæ disceptatorem) et Magistratum gerere cum jurisdictione, et imperio, a quibus obeundis Feminæ prohibentur. Civilia vero sunt ea quoque ministeria, si actus, qui partim in Civitatis vel Judiciorum conspectu in Comitiis exercentur, partim privatim in cœtus alicujus Virorum ore, seu conspectu, modumque excedunt domesticæ curæ, cujusmodi tria exempla hic commemorantur, *Postulare*, id est *Advocare, pro alio intervenire, et procuratorem existere*, a quibus quoque obeundis prohibentur Feminæ.

(41. Male autem Græci Interpretes, ut et Glossa, Cujacius, et alii, *interventionem pro alio*, hic de *Fidejussoria intercessione* accipiunt. Interveniendi voce, ut post Petrum Fabrum probat Jacobus Gothofredus, non fidejussoria intercessio intelligi debet, verum judicialis quædam opera, et civile officium, cognitoriæ et procuratoriæ simile.

(42. Rario vero hujus prohibitionis, sive Regulæ circa Feminas non fuit Mulieribus sexus levitas, non item infirmitas, et conditio fragilitatis, nec periculum rei familiaris; verum remotæ fuere Feminæ ab officiis publicis, et civilibus ob nonestatem sexus, ob verecundiam, et stolæ matronalis decus. Consule toties laudatum Jacobum Gothofredum *hic*.

FENESTRÆ.

SUMMARIUM.

1. Nemo potest in Muro alieno sine servitute fenestram construere, et aperire. — 2. Hoc præcipue locum habet in Ecclesia propter reverentiam illi debitam. — 3. Unde S. Pius V. mandavit claudi omnes fenestras vicinorum, ex quibus haberi poterat prospectus in Ecclesias. — 4. Pro cujus S. Pontificis oraculi punctuali executione Sacr. Congr. semper respondere solet, vel denegando facultatem fenestras aperiendi, vel mandando claudi illas quæ de facto apertæ sunt. — 5. Sic etiam respondit novissime in Lodiensi 7. Aug. 1705. et in Ulixiponen. 5. Mart. 1710. Et Sacr. Congr. Visitationis Apostolicæ in Romana, Fenestræ 25. Januar. 1717. — 6. Affertur singulare Decret. Sac. Cong. Episcop. in Avellina indulti 5. Julii 1719. — 7. Non sunt permittendæ fenestræ respicientes in Monasteria Monialium. — 8. Ne quidem a fenestris Campanilis Ecclesiæ vicinæ potest haberi prospectus in Monasteria Monialium, sed pleno muro tales fenestræ debent obstrui. — 9. Debent obstrui etiam fenestræ illæ, quæ sunt in Monasterio Monialium, per quas videre possunt, et videri. — 10. Nec debet permitti alicui ædificium tollere, si per illud haberetur prospectus in Monasterium. — 11. Immo sunt demoliendæ mansiones constructæ in viculo intermedio, et claudendum est ambulacrum, quod a tecto imminet Monasterio, eique prædominat, non obstante qualibet appellatione, vel recursu. — 12. Fenestræ, et quævis alia foramina Regularium spectantia in hortum, vel Clausuram Monialium, omnino claudenda sunt. — 13. Fenestræ Monialium tam altæ debent esse, ut ad lumen tantummodo serviant. — 14. Et quando aliunde nequeant lumen habere, fenestræ quæ respiciunt in publicas vias, debent tubis muniri, et ita aptari, ut per ipsas nequeant Moniales videre, nec alloqui cum transeuntibus. — 15. Nec tolerari debet, quod propter vicinitatem, et correspondentiam fenestrarum, Moniales possint videre vicinos, vel videri. — 16. Fenestræ Communionis inservire non debent pro Colloquutoriis Monialium. — 17. Fenestræ Regularium quomodo, et quando claudi debent, quando habent prospectum in vicinas Ædes sæcularium? *Remissive.* — 18. Fenestrarum aperitioni quando locus sit in Monasteriis Monialium? *Remissive.* — 19. Prohibetur Monialibus sub gravibus pœnis usus telescopii, sive conspicilli tubati longioris — 20. Quomodo intelligenda prohibitio non habendi fenestras, ex quibus pateat aspectus in Monasteria Monialium.

(1. Nemo potest in muro alieno sine servitute, fenestram construere, et aperire. l. *Altius*, Cod. *de Servitut.* ibi: « In pariete vero tuo si fenestram Julianus vi, vel clam fecisse convincatur, sumptibus suis opus tollere, et integrum parietem restituere compellitur. » (2. Hoc præcipue locum habet in Ecclesia propter honestatem, et reverentiam illi debitam Clement. 1. *de Sentent. excomm.* ibi: « Aut in eis factis fenestris, » ibidemque Butrius in fine, ubi quod temerarie agunt, qui construunt hujusmodi fenestras, et in illis audiunt divina; Sabell. in *select. Canon.* cap. 3. num. 119. Barbosa lib. 1. *Jur. Eccles. univers.* cap. 11. num. 28. Pignatell. tom. 4. consult. 129. num. 1. (3. Unde S. Pius V. anno 1566. mandavit claudi omnes fenestras vicinorum, ex quibus haberi poterat prospectus in Ecclesias, ut refert Tusc. *de Visitat.* lib. 1. cap. 11. num. 10. in cujus sequelam Decret. suum edidit Card. Sabellius ejus Vicarius præciptens omnibus has fenestras habentibus, quod deberent illas claudere, relatum a Quaranta in *summ. Bullar.* verb. *Reverentia Divinorum.* (4. Pro cujus S. Pontificis Oraculi punctuali executione Sacr. Congregation. Episcop. semper respondere solet, vel denegando facultatem fenestras aperiendi, vel mandando claudi illas, quæ de facto apertæ fuerunt. Cujus Sac. Congreg. multa Decreta referunt, et sequuntur Pignatell. tom. 4, consult. 129, a num. 3, ad 9. Nicol. in *Floscul.* verb. *Fenestra*, num. 1. Pacichel. *de Distantiis*, cap. 6, membr. 4, num. 28. Barbosa, lib. 1, *Jur. Eccles. univers.* cap. 11, numer. 28. Card. de Luca, *de Servitut.* disc. 17, num. 2. Monacell. tom. 1, tit. 5, formul. 8, num. 14. Ursaya, tom. 4, part. 2, discept. 13, a num. 40, et signanter in Nullius, 11 Septembr. 1615, et in alia Nullius, 5 Mart. 1619, in Casertana, 8 Junii 1646, in Cosentina, 13 Decemb. 1646, in Calven. 26 Septembr. 1652, in Veronen. 14 Junii 1655, in Alexanen. 14 Novemb. 1659, in Pisaurien. 3 Octobris 1692. (5. Quem sane rigorem non sine bonorum laude nostris temporibus inexorabiliter ad praxim reduxit tam in Leodien. 7 Aug. 1705, quando (effectu punctualiter subsecuto) injunxit Nuncio Coloniensi clausuram fenestræ aper-

Digitized by Google

læ in ecclesia Carmelitarum, quam in Ulixiponen. 5 Martii 1710. Nolens exaudire preces primariæ Nobilitatis viri Comitis de Sousa, pro simili gratia se exhibentis assignare capitale bismillium Cruciatorum ecclesiæ, in qua prætendebat aperire fenestram; et novissime Sac. Congreg. Visitationis Apostolicæ in Romana, fenestræ, 25 Januar. 1717, ut refert Ursaya, loc. cit. num. 95, qui *ibidem*, num. 46, refert sequens Decr. Sac. Congregat. Episcopor. in Avellina Indulti, 5 Julii 1719, (6. Ponente Card. Paracciano, in qua licet ageretur de petitione nedum insignis Benefactricis Antoniæ Spinolæ Principissæ Avellini, sed etiam Patronæ ejusdem Civitatis, ubi aderat Ecclesia Patrum Dominicanorum, qui eorum pariter humillimas preces porrigebant pro eadem gratia. Nihilominus dicta Sacra Congregatio Episcoporum gratiam restrinxit ad vitam solius Oratricis per hæc præcisa verba: « Pro gratia quod fenestram cum duplici Crate ferrea, et ad vitam Oratricis tantum. » Vid. verb. *Ecclesia*, art. 5, verb. *Porta*, et verb. *Prospectus*.

(7. Non sunt permittendæ fenestræ respicientes in Monasteria Monialium, ut pluries declaravit Sac. Congreg. Episc. et signanter in Mediolanen. 5 Mart. 1602, ibi: « Non esse permittendas fenestras respicientes Monasterium, et statim claudi debere ab Ordinario, » et in Liciensi 28 Febr. 1605, (8. in qua dixit; quod nullo modo debet esse prospectus in Monasteria Monialium; et in Portugallen. 16 Apr. 1605; in qua statuit quod ne quidem a fenestris Campanilis Ecclesiæ vicinæ potest haberi prospectus in Monasteria Monialium, sed pleno muro tales fenestræ debent obstrui, ut in Aquilana, 13 Julii 1612. (9. Debent obstrui etiam fenestræ illæ, quæ sunt in Monasterio Monialium, per quas videre possunt, ac videri; ut in Parmensi, 28 Novemb. 1636, ibi: « Doversi murare a muro pieno alcune aperture con gelosie fatte nella faccia della Chiesa, per le quali potevano vedere, ed essere vedute. » (10. Nec debet permitti alicui ædificium tollere, si per illud haberetur prospectus in Monasterium, ut in Interamnensi, 15 Maii 1612, et in Barensi, 18 Februar. 1617. (11. Immo sunt demoliendæ mansiones constructæ in vinculo intermedio, et claudendum est ambulacrum, quod a tecto imminet Monasterio, eique prædominat, ut in Assisiensi, 11 Jun. 1653. Non obstante qualibet appellatione vel recursu, ut in Conversanensi, 8 Augusti ejusd. anni 1653. (12. Fenestræ, et quævis alia foramina Regularium spectantia in hortum, vel Clausuram Monialium omnino claudenda sunt; Sacr. Congregat. Episcoporum et Regularium, in Amelien. 23 Decembris 1693, et in Neapolitana, 2 Decembris 1639. (13. Fenestræ Monialium tam altæ debent esse, ut ad lumen tantummodo serviant; eadem Sac. Congr. in una Civitatis Castell. 12 Martii 1601. (14. Et quando aliunde nequeant lumen habere, fenestræ, quæ respiciunt in publicas vias; debent tubis muniri, et ita aptari, ut per ipsas nequeant Moniales videri, nec alioquin cum transeuntibus; cad. Sacr. Congr. in Teanen, 16 Octobet 1613, ibi: « Quando le stanze de' Monasteri, che hanno le fenestre in strada, possino avere il lume altronde, le farete ad ogni modo mutare, ma quando restassero cieche, ordinarete, che si mettano le trombe alle medesime fenestre, e si acconcino di maniera, che non si possa nè vedere, nè parlare con chi passa per la via. (15. Nec tolerari debet, quod propter vicinitatem, et correspondentiam fenestrarum Moniales possint videre vicinos, vel videri: cad. Sac. Congregat. in Neocastren. 16 Augusti 1594. (16. Fenestræ Communionis inservire non debent pro Collocutoriis Monialium, minusque Confessionaria; exceptis Sacris functionibus solitis fieri ab Episcopis; Sac. Congreg. Episcop. in Encyclica Epistola sub die 30 Octobr. et 3 decemb. 1766. (17. Fenestræ Regularium quomodo, et quando claudi debeant, quando habent prospectum in vicinas Ædes sæcularium; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Camerinen. Fenestrarum, 13 Augusti 1717. Ponente Card. Scrattembac. Vide Ursaya, tom. 2, part. 2, discept. 6, per totam. (18. Fenestrarum aperitioni quando locus sit in Monasteriis Monialium? Sacr. Congreg. Episc. in Neapolit. 16 Januar. 1711. Ponente Card. Corsino. Vide Ursayam, tom. 5, part. 2, discept. 5, per tot. (19. Prohibetur Monialibus sub gravibus pœnis usus telescopii, sive conspicilli tubati longioris; Sacra Congregat. Episcop. in Anconit. 1 October 1627.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. Nemini licet habere Fenestras, ex quibus pateat aspectus in Monasteria Monialium, ut firmat Auctor, n. 7 et seq. Cæterum hac cum distinctione est procedendum: si e conspectu antiquæ domus novum Monasterium Monialium sit constructum, non sunt statim claudendæ Fenestræ domus illius, aut repagula ipsis apponenda. Sed remedium est adhibendum ex parte sentientis minus præjudicium. Idque summa ratione; quia nihil in hoc casu imputari potest domino antiquæ domus. Idem est, et quidem ex eadem ratione, si utrumque ædificium sit antiquum, sed ex innovatione aliqua facta a Monialibus, e fenestris domus aspectus pateat in Monasterium. Sin autem e conspectu Monasterii Monialium domus antiqua sit elevata, vel nova sit constructa, ex cujus fenestris pateat in Monasterium aspectus, non attento majori, vel minori præjudicio, semper adhibendum est remedium ex parte domus. Quod procedit, etiamsi bona fide innovatio illa facta sit. Confer de his omnibus Rot. in Romana Fabricæ super reservatis, 13 Januar. 1744, et 5 Jun. ejusdem anni, coram bo. me. Lana, ubi explicantur decisiones in Calagurritana Fabricæ, 11 Feb. 1729, et 4 Jun. 1731, cor. Cl. mem. Millin.

Digitized by Google

FERRAGOSTO.

SUMMARIUM.

FERRAGOSTO ETYMOLOGIA.

(1. Ferragosto etymologia his verbis explicatur a Bertino *nell' Istoria di tutte l' Eresie*, to. 2, sæcul. 6, cap. 13, fol. 138, sub Pelagio 2, et ab Ursaya in *Miscellaneo Sacro Profano Canonico et Civili*, part. 2, litt. F, n. 19. È fama, che alla Catena di Erode per Divina virtù; con Celeste simpatia si congiungesse quella di Nerone, con cui fu legato il medesimo S. Apostolo nel Carcere Mamertino, sotto il Campidoglio di Roma; e che di ambedue ne divenisse una, inanellate, ed unite insieme senza applicazione di umana industria. E come che la collocazione di queste due Reliquie, o la dedicazione del loro Tempio successe appunto nel primo giorno di Agosto; volle il Pontefice S. Sisto, che regnava all'ora nel Pontificato Romano (1), con miglior augurio rendere celebre quel giorno, e quel mese con la memoria di un tanto successo, consecrandolo alle Catene di S. Pietro; le quali si dissero *li Ferri di Agosto*, che tra noi, con più abbreviata, ma corrotta parola, diciamo *Ferragosto* (2); E non senza gran mistero parvè che volesse Dio abbattere il fasto di Augusto Imperatore con le Catene, e Ferri di S. Pietro, conciossiacosachè le Calende di Agosto erano di già da prima dedicate dalla Gentilità alla felice ricordanza di quel Monarca, che in tal giorno era stato la prima volta dichiarato Console, aveva molti trionfi riportati, soggiogato l'Egitto, e terminata la lunga Iliade delle civili discordie. Onde per pubblico Decreto del Senato non più *Sextilis* fu denominato quel mese, ma *Augustus* (3). Aliis tamen hujusce nominis etymon e *Feriis Augusti*, quæ ab antiquis Romanis ineunte Sextili mense celebrabantur, placet desumere (4).

FESTA, FESTIVITATES.

SUMMARIUM.

1. Festa, quæ non sunt de præcepto enumerantur. — 2. Episcopi hodie ab indictione sub præcepto novorum Festorum debent abstinere. — 3. Hinc promissio facta ab Universitate servandi sub præcepto Festum alicujus Sancti, non obligant populum. — 4. Affertur Decretum super electione Sanctorum in Patronos. — 5. Hoc Decretum irritat solum electiones posteà faciendas. — 6. Et est in viridi observantia. — 7. In hujusmodi Patronorum electione fieri non debent promissiones servandi diem Festum Patroni electi tanquam de præcepto. — 8. Nulla Potestas sæcularis potest instituere dies Festos. — 9. ad 11. Quid populo spectet in novis Festis servandis. — 12. Festa de præcepto sunt ab omnibus sanctificanda. — 13. Quid sit Festa sanctificare. — 14. Neque à Festorum observantia excusat prætextus contrariæ consuetudinis. — 15. Propter necessitatem tamen, et causam pietatis, et circa res, quæ facile pereunt, potest in diebus Festis laborari. — 16. Ut sciatur, quæ diebus Festis fieri licent, vel non, dantur hic novissimæ dispositiones emanatæ sub Clem. XI, et Benedict. XIII. *usque ad n.* 19. — 20. Licentia laborandi diebus Festis semper est requirenda. — 21. Concessio licentiarum laborandi speciat ad Episcopum. — 22. Debet dari in scriptis. — 23. Non est adhibenda Judicibus Laicis. — 24. Sic etiam licentiæ vendendi diebus Festis sunt dandæ a solo Episcopo. — 25. Laicus non potest indicere, nec publicare bannimenta diei Festivi. — 26. Edictum curiæ Laicalis super diebus Festivis contra facultatem ab Episcopo concessam est nullum. — 27. Nec Curia Sæcularis potest impedire quin Curia Ecclesiastica procedat etiam ad mulctas contra exercentes opera servilia in diebus Festis sine licentia. — 28. Pœna pro transgressione Festorum imponenda debet esse moderata. — 29. Neque debet excedere 5. vel 6. Julios in loca pia distribuendos, deducta tertia parte pro Executoribus. — 30. Neque pro pœna debent bona confiscari, etc., sed tamen standum est novissimis dispositionibus anno 1705 et 1727 emanatis. — 31. Si causæ laborandi in die Festo vere subsint, Ordinarius tene-

(1) Fallitur Berninius. Quo tempore Sixtus III. Pontificatum gerebat, nondum Vincula S. Petri Romam ab Eudoxia Augusta Theodosii II. uxore ad Eudoxiam filiam, et Valentiniani III. uxorem missa Hierosolymis fuerant. Leone M. Pontifice Eudoxia Romæ fuit, prodigiumque utriusque catenæ concutis verosimilius contigit; nec tamen a Leone ipso in Exquilinium S. P. Petri templum ab Eudoxia iterum excitatum sacra illa vincula illata sunt. Id factum a Pelagio, qui Eudoxianum hoc templum sacris ritibus dedicavit. Extat ea de re satis vetus Inscriptio apud Gruterum p. 1174. num. 7. et Card. Thomasium tom. 5. Oper. p. 483 atque in illa hæc ad rem nostram leguntur.

Eudoxia quidem totum renovavit ibidem :
Pelagius rursus sacravit Papa beatus.
Corpora Sanctorum condens ibi Machabeorum
Apposuit Petri pretiosa ligamina ferri,
Illustris mulier quæ delulit ab Hierusalem;
Et quibus est Petrus Neronis tempore vinctus.

Pelagius igitur Vincula, quorum prodigium Leone Pontifice Romano patratum, primo in Exquilino illo S. Petri templo reposuit, cum alibi antea servata fuissent. Vide de tota hac re disserentem Cl. P. Abbatem Monsacratum in egregia dissertatione de *Catenis S. Petri* Romæ 1750. (Edit. Barbiell.)

(2) Berniniane huic conjecturæ merito adversatur P. Carmeli ex Franciscanorum, quos *Minores Observantes* vocant, illustri Familia in præclaro opere inscripto : *Storia di varj costumi sacri, e profani dagli Antichi sino a noi pervenuti* lib. 11, cap. 10 ubi ait p. 176. « Si può credere, non contraddico, che i Sommi Pontefici volessero forse far celebrare la Festa di S. Pietro in Vincula per toglierè ai Cristiani l'occasione di celebrare la Festa profana in memoria di Cesare ; ma che la formola di dire *ferrare Agosto*, dalle Catene di S. Pietro sia nata, non mi par verisimile. E che sia vero, *in ferrare Agosto* non significa in nostra lingua far la festa di S. Pietro in Vincula ; ma bensì stare in allegrezza, ed in convito; la qual cosa certamente non ha risguardo alla festa sagra; ma alla profana, in memoria di Augusto. » (Edit. Barbiell.)

(3) Romani Senatus ea de re consultum exstat apud Macrobium, *Saturnal.* lib. 1, c. 12. (Edit. Barbiell.)

(4) Atque ita omnino sentiendum cum codem P. Carmeli ; neque enim aliud nobis Italis esse potest *Ferragosto* quam *Feriatus Augustus*. Neque mirum est apud veteres quoque Christianos hasce ferias obtinuisse; non enim eodem quo ab Ethnicis modo a Christianis servabantur, sed solum in lætitiæ argumentum. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

tur licentiam dare. —32. Et gratis. — 33. Aliter monendus est, ut consulat conscientiæ suæ. — 34. Si tamen alicubi loca pia maxima egestate laborarent, tunc licite per modum hortationis pro illis aliqua eleemosyna recipi posset. — 35. Dispensare super observatione Festorum spectat etiam ad Vicarium licet Foraneum. — 36. Dies Festos ab Episcopo indictos Exempti tenentur omnes observare. — 37. Episcopi tamen nequeunt novos dies Festos instituere vigore hujus Decreti. — 38. Facultatem laborandi diebus Festis possunt etiam prælati Regulares concedere suis subditis. — 39. Sed non sæcularibus, non continue Commensalibus, neque pro servitio suorum Monasteriorum. — 40. Dictum notabile Rodriquez, et Portel. — 41. Festa mobilia in die Epiphaniæ publicare debet Canonicus Junior juxta formam libri Cæremonialis, nisi alius ex consuetudine Ecclesiæ sit assignatus. — 42. Dies Festos in suis Ecclesiis annuntiare nullatenus prohibentur Regulares. — 43. Dierum Festorum ad observantiam cogi possunt Regulares, sed non quoad Octavam; et sunt servandæ Rubricæ Breviarii, et Decreta novissima. — 44. Dies Festus Titularis quoties sine abusu celebretur, non potest Monialibus prohiberi. — 45. Festivitas alicujus Sancti cum majori pompa celebrari debet in Ecclesia ejus nomini dicata. — 46. Eadem die duæ Ecclesiæ vicinæ non celebrant idem Festum, sed Ecclesia moderna debet eligere aliam diem. — 47. Festum S. Antonii de Padua potest ipso solemnitatis die celebrari tam a Patribus de Corpore observantiæ, quam a PP. Conventualibus. — 48. Affertur similis decisio in Alexandrina. — 49. ad 53. De translatione Festi Annuntiationis B. M. V. et S. Joseph. — 54. Necnon S. Mathiæ. — 55. Festum SS. Corporis Christi instituit Urban. IV. de an. 1262. — 56. Assignantur motiva præcipua institutionis hujus Festi. — 57. Institutio Festi Corporis Christi quomodo fuerit revelata B. Julianæ. — 58. Idem Festum fuit primò celebratum in Ecclesia Leodiensi. — 59. Convenientia hujus institutionis. — 60. A. Tridentino commendatæ. — 61. An Urbanus IV. simul cum Festo decreverit processionem solemnem, quæ hodie peragitur. — 62. Ex quodam libello relato a Nicolao Serrario colligitur processionem solemnem fuisse ordinatam a Joanne Papa XXII. — 63. Festum Corporis Christi cum ejus Octava potest celebrari etiam tempore Interdicti. — 64. In Festo Corporis Christi non est jejunandum, licet incidat in Vigilia S. Joannis Baptistæ. — 65. In Festo Corporis Christi est deferenda in Processione Eucharistia Celebrantis manibus. — 66. Non sunt canendæ cantiones vulgari sermone. — 67. A quo deferenda sit Eucharistia. — 68. Si Episcopus non deferat Eucharistiam, Canonici tamen induant Sacras Vestes. — 69. Non convenit quod prima Dignitas celebret Missam ante Processionem SS. Sacramenti, et deinde altera Dignitas Minor gestet illud in Processione. — 70. In Festo SS. Corporis Christi non est facienda Processio cum Sacramento sine pluviali. — 71. Festum Concept. B. M. V. Immacul. est ob omnibus ubique observandum de præcepto. — 72. Festum S. Josephi est ubique de præcepto. — 73. Necnon Festum S. Annæ. — 74. Festum S. P. Francisci non est amplius connumeratum inter Festa de præcepto. — 75. Festum omnium Sanctorum celebrandum est ad supplendas negligentias commissas in propriis eorum Festivitatibus. — 76. Festum SS. Fabiani, et Sebastiani una simul celebratur. — 77. Festa etiam de Sanctis veteris Testamenti possunt celebrari. — 78. Festum de Patrono principaliori loci est præceptivum. — 79. Mercatus fieri non potest in diebus Festivis de præcepto. — 80. Quoad peregrinos, et Advenas circa Festa, *remissive*. — 81. Circa Festa attendenda sunt varia, quæ hic traduntur *ad num.* 114. — 115 ad 139. Nonnulla ex Bened. XIV. operibus circa festorum celebrationem. — 140. Catalogus Diœcesum, quæ numerum festorum dierum reducendi facultatem impetrarunt. — 141. Quis possit indicere dies festos. — 142. Quid importet observatio dierum festorum. — 143. Quis possit dispensare super eorum observantiam. — 144. Quis animadvertere possit in violatores dierum festorum.

(1. Festa, quæ nunc sunt sub præcepto, sunt sequentes ; scilicet Dominicæ totius anni, Nativitas Domini Nostri Jesu Christi, Circumcisio , Epiphania , Resurrectio cum duabus sequentibus diebus, Ascensio, Pentecostes dum duabus sequentibus, Sanctissima Trinitas, Solemnitas Corporis Christi , Inventio S. Crucis, Festivitates B. M. Virginis, ut Purificationis , Annunciationis , Assumptionis , Nativitatis (et Conceptionis, ex Decreto Clementis XI. edito 6. Decembris 1708. incipien. *Commissi nobis*) Dedicatio S. Michaelis Archangeli, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Festa SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis S. Thomæ, Sanctorum Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Sanctorum Simonis et Judæ, et S. Mathiæ Apostolorum. Item Festa S. Stephani Protomartyris, Sanctorum Innocentium , Sancti Laurentii Martyris, Sancti Silvestri Papæ, Sancti Joseph Sponsi B. M. V. Sanctæ Annæ Matris B. M. V. et Omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contigerit ; Urban. VIII. Constit. incip. *Universa* § 2.

(2. Episcopali licet de jure communi in c. 1. dist. 3. *de Consecrat.* et in cap. *Conquestus, de Feriis*, valeant in propria Diœcesi, vocato Clero et Populo, dies Festos indicere, Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part 3. allegat. 105. num. 36. cum multis ibi citatis, Pignatell. tom. 4. consult. 184. Hodie tamen, quamvis talis potestas non sit ablata, nihilominus ab indictione sub præcepto novorum Festorum debent abstinere, prout illos monuit Urbanus VIII. in cit. Constitut. incip. *Universa*, § 3. ibi: « Ne autem dies Festos a Locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, iidem Ordinarii in Domino monentur, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum Festorum studeant abstinere. » (3. Hinc promissiones et vota, quæ frequenter fieri solent ab Universitatibus servandi sub præcepto Festum alicujus Sancti, ac jejunandi in Vigilia, non obligant Populum, qui tamen potest sponte promissa servare, et nullus est pœnis cogendus, ut illa die abstineat ab operibus servilibus ; Barbosa in *Collect. decis. Apostolicar.* verb. *Festum in communi*, num. 8. ubi affert Decretum Sac. Congreg. Rit. in Brundisina Massagnæ 21 Augusti 1604. Monacel. par. 2. tit. 13. formul. 1. n. 15. ubi testatur se vidisse, plures supplices Libellos hac in re Sacræ Congreg. Rit. porrectos pro confirmatione hujusmodi promissionum, et Votorum fuisse rejectos, et præcise in Urbevetana 6 Oct. 1696. in Messan.

Digitized by Google

loci Milazzi 25. Januarii, et in Alessanen. Terræ Corsani 6 Septemb. 1698.

(4. Hic juvat afferre Decretum super electione Sanctorum in Patronos a Sacra Rit. Congregatione de Ordine S. D. N. Urbani VIII. emanatum die 23. Martii 1630. « Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo D. N. in electione Patronorum mandavit infrascripta in posterum servari debere, declarans quod aliter facta electio nulla sit ipso jure.

« *Primo*, quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificatorum duntaxat.

« *Secundo*, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante consilio Generali illius Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus solum, et quod accedere debeat consensus Episcopi, et Cleri illius Loci. Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo, singularum Civitatum Provinciæ; et quod Repræsentantibus Regnum Civitatem, vel Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et ulterius interveniat consensus Episcopi, et Cleri dictarum Civitatum.

« *Tertio*, quod causæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, et ab ea examinari, ac demum causa cognita ab eadem Congregatione approbari, et confirmari.

« Et ne præmissorum ignorantia ullo umquam tempore possit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi, et publicari mandavit.

(5. Hoc decretum licet irritet electiones postea f tas, non irritat tamen electiones Patronorum jam antea celebratas, ut respondit Sacra Rit. Congr. in Trojanensi, Patronatus 15 Junii 1633. et in Pampilonensi Patronatus S. Francisci Xaverii, in qua fuit approbata electio facta in Comitiis Regni Navarræ. Quæ resolutio tamquam juridica fuit per Rotam, proponente Reverendissimo Decano, approbata, considerato solum quod ad evitandum præjudicium electionis antiquissimæ S. Firmini, debeat uterque tamquam Patronus coli, quod certo præsupponit validitatem electionis. Et in Neapolitana Patronatus ejusdem S. Francisci sub die 15 Septembris 1656. et in terminis electionis Patroni, qui ab Ecclesia universali titulo Sancti non celebratur, post dictum Decretum fuit observatum in admissione Beati pro tunc et nunc Sancti Jacobi de Marchia, cujus electio anno 1620, atque adeo ante Decretum editum, celebrata fuit, et deinde anno 1647 admissa, et solemni repositione Statuæ in Thesaurum Neapolitanum comprobata. (6. Quoad electiones ex post factas et faciendas, est in viridi observantia, nam recurrentibus Universitatibus ad Sacram Cong. Rit. pro approbatione electionis in Patronum alicujus Sancti, si preces dictis requisitis sunt destitutæ, rescribi solet: « Doceant de servato decreto Urbani VIII. » prout non semel se vidisse testatur Monac. par. 2. tit. 16. formul. 10, num. 11. vel *pro concessione servata, forma decreti Urbani VIII.* Aliis vero Universitatibus, quæ in electione requisita talis decreti observarunt, et locus non est celebris notæ, conceditur approbatio cum clausula: « Dummodo alium principalem Patronum, seu Protectorem non habeant, » et in una Mazzarien. 30. Martii 1697. pro Universitate Castri Veterani, et in alia Lyciensi 11 Julii 1687. pro universitate Terræ Monteroni. (7. Unde hic est advertendum quod in hujusmodi Patronum electione fieri non debent promissiones servandi diem Festum Patroni electi, tamquam de præcepto, etiamsi ab Ecclesia universali sub tali ritu non colatur, nam has promissiones, et vota Sacra Congregatio non admittit, nec approbat, sed rejicit, et tantum ex devotione servari posse concedit, ut respondit in Theatina 15 Martii 1694. pro Clero, et populo nonnullorum Oppidorum, et sæpe alibi, ut patet supra n. 3.

(8. Nullus Princeps Laicus, et nulla Potestas sæcularis potest instituere, vel indicere, dies Festos, seu præcipere observationem alicujus diei Festi. Sic expresse declaravit Innocentius X. 6. Octobris 1653. per suas litteras in forma Brevis, ut sequitur.

INNOCENTIUS PAPA X, ETC.

Cum nuper ad notitiam nostram non sine gravi animi nostri molestia pervenerit, quod dilecti Filii Senatus Mediolani per litteras circulares datas die 20. Junii proxime præteriti, et dilectus Filius nobilis vir modernus Gubernator Status Mediolani, per Edictum publicum publicatum die 30. ejusdem mensis Junii mandaverint observari diem Festum S. Dominici die 4. mensis Augusti cujuslibet anni in toto illo Statu, præcipientes, ut Populi, et subditi illius status abstineant ab operibus servilibus, et artifices tabernas, et apothecas clausas teneant, prout servatur ceteris diebus Festis ex præcepto, et ulterius in Edicto prædicto exprimatur festivitatem esse celebrandam cum omni devotione, ac pietate Christiana: nos, quibus universalis Ecclesiæ regimen a Domino commissum est, considerantes quam perniciosum auctoritati Ecclesiasticæ id esse possit, cum Principes Laici, quos in rebus Ecclesiæ obsequendi potius tenet necessitas, quam auctoritas imperandi, non habeant facultatem imperandi dies Festos in honorem Sanctorum; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum, quibus hoc negotium discutiendum commisimus, consilio prædictas litteras, et Edictum emanatum auctoritate Laicali super observatione prædictæ Festivitatis S. Dominici, fuisse, et esse omnino nulla, nulliusque roboris, et momenti, nec aliquo modo servanda Apostolica Auctoritate tenore præsentium declaramus. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et quos-

Digitized by Google

vis alios quacumque auctoritate, fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus, etc. Non obstantibus quibuscumque.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 6. Octobris 1653. Pontificatus nostri anno decimo.

(9. Festum novum non potest cogi populus servare, nisi sit indictum ab Ecclesia, et si novum institui petitur, supplicet populus, Sac. Cong. Rit. in Pacen. 20. Aprilis 1602. (10. Festa nova de præcepto servanda non possunt institui invito populo. Sacr. Congr. Rit. in Brundusina 2. Martii 1602. et in Hispalen. 21. Augusti 1604. (11. Festa Sanctorum, quæ de præcepto non servantur, si populus sponte voluerit observare, non est prohibendus, sed nullus est sub pœna cogendus, ut illa die ab operibus abstineat; Sacr. Congr. Rit. in Brundusina Massagnæ 21. Augusti 1604.

(12. Festa de præcepto sunt inviolabiliter ab omnibus observanda, et sanctificanda; *Exod.* 34. ibi: *Sex diebus operaberis, et die septimo cessabis arare, et metere;* c. *Licet, de Feriis*, c. Unic. *de Reliquiis, et venerat.* in 6. Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. *de Regular.* et ead. sess. *de Reform.* in fine *de Delectu ciborum, jejuniis, et diebus Festis.* S. Pius V. Const. incip. *Cum primum.* Urbanus VIII. Const. incip. *Universa.* (13. Festa sanctificare est in illa die non laborare, sed Hymnis, et Canticis vacare. Concil. Coloniens. 2. part. 9. cap. 9. (14. Neque a Festorum observantia excusat prætextus contrariæ consuetudinis, quia consuetudo inveterata quanto diuturnior tanto periculosior; cap. *Schisma* 24. qu. 1. et cap. *Cum tanto* 11. *de Consuetudine*, ibi: « Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, » et ideo Mercatores Barchinonenses, qui sub clypeo assertæ consuetudinis prætendebant retinere apertas Apothecas diebus Festis, et in illis vendere merces, et necessitatem (ratione loci) vendendi, per testes, et legitimam consuetudinem auctoritate DD. reddere conabantur, fuerunt Sacr. Congregatione Concilii (in qua causam proponere curarunt) sub die 14. Maii 1679. rejecti, et rescriptum non licere: et cum non acquiescerent, reproposita eorum instantia 21. Mart. 1692. iterum repulsi fuere, et injunctum ut amplius non audirentur, l. 33. decret. fol. 87. (15. Propter necessitatem tamen, et causam pietatis, et circa res, quæ facile pereunt, potest in diebus Festis laborari, c. *Licet, de Feriis.* Concil. Toletan. 22. cap. 7. ut pluries decrevit Sac. Cong. Rit. et signanter in Ravenn. 9. Novem. 1600. in Ulixiponen. 30. Martii 1621. et Sacr. Cong. Conc. teste Quaranta in summa Bullar. verb. *Dies Festus* et Piasec. in *Praxi Episc.* part. 2. c. 8. n. 25. et sic etiam S. Pius V. Constit. incip. *Cum primum.*

(16. Ut autem sciatur quæ diebus Festis fieri liceant, vel non, dantur hic novissimæ dispositiones emanatæ sub Clemente XI. et Bened. XIII

EPISTOLA ENCYCLICA.

(17. Jussu Clemen. Pp. XI. ad Archiepiscopos, et Episcopos Romandiolæ, ac Provinciæ Urbinatis, necnon ad D. Cardinalem Abbatem Commendatarium Abbatiæ Nonantulanæ jussu Summi Pontificis conscripta, quæ Festorum dierum sanctificatio, ac irrepentium abusuum extirpatio illis impense commendatur.

Essendo che la Santità di Nostro Signore sempre più coltivi nel suo cuore la sollecitudine, che nelli giorni Festivi dedicati specialmente al culto di Dio, si esercitino li Fedeli nell' assistenza a' Divini Offizj ed opere di pietà, e siccome in essi è ingiunto dalle sacre pagine l' astinenza dall' opere servili, così maggiormente devesi ciascuno astenere dall' esercizio, ed applicazione ad atti vani ed inonesti. Onde nella Lettera circolare spedita nell' anno 1701. primo del suo Pontificato giudicò essere delle prime cure del suo Apostolico Ministero ricordare agli Ordinarj il procurare l' Osservanza delle Feste con ingiungere, che si celebrino con modestia e divozione, e senza spettacoli, e profanità vietate dalli sacri Canoni; Ora essendo giunto alle sue orecchie, che per avere più concorso di Popolo, che nei giorni festivi si suole radunare nelle Città, e Luoghi, si pratichino nei detti giorni Spettacoli d' Istrioni, Ciarlatani, maschere, e simili voluttuosi e vani trattenimenti; Per tanto la Santità Sua m' ha imposto, che io ecciti seriamente il zelo pastorale di V. S. come con questa eseguiseo, a porgere rimedj a simili abusi, quando vi siano, e che onninamente con la sua autorità ordinaria, e con le pene dovute proibisca, che nelli giorni festivi non si facciano maschere nè spettacoli, e radunazione d' Istrioni, Ciarlatani, Saltimbanchi, e simili, anche con pretesto di solamente vendere e distribuire medicamenti; e dove per l' uso tollerato si facciano in giorni di festa, nè si possa altrimente, e con prudenza, e soavità ovviare, almeno proibisca, che le cose espresse non seguano la mattina, ma dopo li Divini Offizj, e Vespero, e che detti Istrioni, Ciarlatani, e Saltimbanchi non usino parole, e gesti osceni, o distribuiscano simili canzoni, nè che segua avanti, o vicino le Chiese, e Monasterj di Monache, o Conservatorj di Zitelle. Non dubito che V. S. con tutta prontezza si conformerà al Zelo di S. B. invigilando con tutta attenzione a quanto se le ingiunge ec.

Roma 11. Gennaio 1719.

G. D. *card.* PARACCIANI *prefetto*

E. Arciv. di Damasco Segretario.

Digitized by Google

EPISTOLA ENCYCLICA

Jussu ejusd. Summi Pontificis ad universos ditionis Ecclesiasticæ Archiepiscopos, et Episcopos conscripta, qua Monita alias data quoad Festorum dierum sanctificationem, et invectorum abusuum extirpationem instaurantur, eorumque executio ipsis enixe commendatur.

La Santità di Nostro Signore eccitata dal debito del suo Apostolico Ministero sino da' primi mesi del suo Pontificato per fare a tutti palese quanto avesse a cuore la puntuale Osservanza, e santificazione delle Feste, con lettera spedita da questa Sacra Congregazione in data delli 30. Luglio 1701. fe' strettamente inculcare a' Vescovi di dovere con tutta la maggior attenzione procurare, che li giorni delle medesime Feste da' Fedeli commessi alla loro cura veramente si santificassero, con impiegarli nel culto di Dio, nell' assistenza a' Divini Officj, nell' ascoltar la Divina parola, e opere di pietà, dovendosi per tal cagione astenere dall' opere servili, e molto più da' divertimenti vani, e scandalosi. L'istesso ricordo per ordine della Santità Sua fu rinnovato a' detti Vescovi con altra lettera della medesima Sacra Congregazione in data delli 16. Marzo 1703. § Secondo vuole ec. Susseguentemente avendo Sua Beatitudine considerato, che nel tempo del Carnovale si moltiplicano le occasioni de' mentovati divertimenti troppo ripugnanti alla Santità delle feste, con altra lettera similmente circolare delli 11. Gennaio 1716. fe insinuare a' medesimi Vescovi di proibire ne' suddetti giorni di Festa assolutamente, se fosse possibile, le Maschere di qualsivoglia sorta, come anco li spettacoli, radunanze d' Istrioni, Ciarlatani, e Saltimbanchi, ancorchè questi si valessero del pretesto di voler solo dare qualche divertimento al Popolo, per più facilmente vendere, e distribuire i loro medicamenti. Quando poi per la lunga tolleranza avutasi di simili abusi, eziandio ne' giorni Festivi, non si fosse giudicato opportuno di farne per detti giorni un' assoluta e generale proibizione, come la Santità Sua avrebbe desiderato, dovessero almeno onninamente e strettamente ordinare, che in quei giorni tanto le Maschere, quanto le altre accennate azioni, non si facessero mai la mattina, solo potessero tollerarsi dopo pranzo, cioè dopo finiti li Vesperi, e altri Officj Divini, come parimente dovessero invigilare, che in qualsivoglia tempo da' suddetti Istrioni, Ciarlatani, e Saltimbanchi si osservasse la dovuta modestia, nè si usassero parole, atti, e gesti osceni, anzi nè pure si distribuissero Canzoni simili; nè mai le accennate o altre somiglianti azioni si permettessero in tali vicinanze delle Chiese, o Monasterj di Monache, o Conservatorj di Zittelle, che, o dall' une, o dall' altre potessero udirsi li suoni, o altri strepiti carnevaleschi.

Non ostante però gli accennati Ordini dati replicatamente, come si è detto, essendo pervenuto a notizia di Nostro Signore, che li medesimi in alcuni luoghi dello Stato Ecclesiastico siano poco osservati, nè dubitando la Santità Sua, che da tale inosservanza siano provenuti, e provengano quei flagelli, co' quali il Signore Iddio ci ha percossi, e ci percuote, anzi giustamente temendo, che dall' istesso fonte possano derivarne altri più gravi, che ci minaccia, come lo stesso Dio se ne dichiarò in Ezechiele : *Sabbata mea violaverunt vehementer : dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos, et consumerem eos*, mi ha perciò strettamente comandato la Santità Sua, che io eciti di nuovo l' attenzione, e zelo di V. S. come faccio, a invigilare dal canto suo, che puntualmente, e intieramente venga osservato tutto ciò che si contiene nella suddetta lettera circolare, e che inoltre le notifichi, come parimente faccio, esser sua mente, che in niuna maniera, e in niun tempo sia permesso alli Ciarlatani, Saltimbanchi, e Istrioni di far recite, commedie, o Rappresentazioni, nelle quali operino, recitino, cantino, o compariscano Donne, ancorchè mascherate; Scrivendosi perciò dalla Segretaria di Stato alli Signori Legati, e dalla Segretaria Consulta alli Governatori dello stato Ecclesiastico, che debbono onninamente tutto ciò proibire sotto gravi pene. Non dubito, che ella sia per conformarsi pienamente, ed esattamente alle rette e sante determinazioni del Sommo Pontefice, come ben richiede quell' efficacia, con cui per ordine della Santità sua gliene s'ingiunge l' esecuzione. E auguro a V. S. dal Signor Iddio ogni maggiore felicità.

Roma 4. Gennaio 1721.

G. D. card. Paracciani *prefetto.*

V. Arciv. di Damasco Segretario.

(18. Sub Benedicto vero XIII promulgatum fuit sequens edictum.

EDITTO, PER L' OSSERVANZA DELLE FESTE.

Prospero del titolo di San Callisto della S. R. C. Prete Card. Marefoschi, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, ecc.

I. Avendo la Santità di Nostro Signore opportunamente provisto sino dal principio del suo Pontificato, che le Funzioni Ecclesiastiche si facciano con quella divozione, e decoro che si conviene, e col suo Pastoral zelo, che appartiene anche principalmente al culto divino la Santificazione delle Feste, per il rispetto dovuto alla Maestà Divina che le ha istituite, e riservate alla sua venerazione, e che i peccati particolarmente pubblici dei Profanatori, e Trasgressori di esse sogliono maggiormente provocare li castighi di Dio, siccome l' attestano le Divine Scritture, e lo dimostrano gli avvenimenti seguiti in diversi tempi : Onde per togliere alcuni abusi, e corruttele insorte nell' osservanza delle medesime in quest' alma Città, inerendo Sua Beatitudine alla disposizione de' Sacri Canoni, ai Decreti del

Digitized by Google

Sacro Concilio di Trento, ed alle Costituzioni Apostoliche della San. mem. di Pio V. che incomincia *Cum primum Apostolatus*, e di Urbano VIII. che incomincia *Universa*, ed agli Editti altre volte emanati da' Sommi Pontefici suoi Predecessori, particolarmente della San. mem. di Clemente IX. sotto li 12. Luglio 1668. e della San. mem. di Clemente XI. li 8. Febbraio, e 25. Maggio 1703. ricorda primieramente a tutti i Fedeli l' obbligo di santificare imposto dalla Divina Legge sotto precetto di peccato mortale. Indi ordina, e comanda a ciascheduna Persona di qualsivoglia stato, grado, e condizione, che nei giorni Festivi di precetto, non ardisca lavorare, vendere, aprir Botteghe, far mercati, ed altri negozj profani ed illeciti in detti giorni, come anche qualunque opera servile, sotto pena, oltre la perdita delle Robe, e merci che si venderanno, contratteranno, o porteranno, di carcere, ed altre pene pecuniarie, e corporali, ad arbitrio nostro, per le quali pene dovranno esser tenuti li Padroni, o Maestri per li Garzoni, li Padri di Famiglia per li Figliuoli, ed i Capi di Casa per li Servitori.

II. Di più espressamente proibisce Sua Beatitudine a tutti i Padroni, ed Affittavoli di Casali, Vigne, ed altri Territorj, di far lavorare in giorni di Festa i Lavoranti di Campagna sotto le medesime pene, le quali si eseguiranno contro di loro, e de' loro Contadini irremissibilmente, ed in caso di necessità di vendemmia e raccolta, gli si concederà *gratis* da Noi, o dal Nostro Vicegerente licenza proporzionata al bisogno.

III. E perchè la dovuta Osservanza non venga a rilasciarsi, sotto pretesto delle cose necessarie al vitto, ed uso quotidiano, ed agl' Infermi, ea' Convalescenti, sarà a piedi di questo annotato tutto quello che per tal causa si tollera, dichiarando che tutto il rimanente resta proibito, e col presente Editto si rivocano tutte le licenze, che da qualunque persona fossero state concesse nel particolare dell' Osservanza delle Feste; però occorrendo precisa necessità, o motivo di pietà, si concederà parimente *gratis* la licenza da Noi, o dal nostro Vicegerente.

IV. Intanto Sua Beatitudine per maggiormente avvertire il popolo del detto obbligo di osservare le Feste, incarica alli PP. Predicatori *pro tempore*, alli RR. Parochi, e Confessori tutti d' inculcare frequentemente a' Fedeli, quanto importi al vivere Cristiano, ed alla salute delle Anime, e quanto sia opportuna per placare lo sdegno della Maestà divina la Santificazione delle Feste; la quale non solo consiste in astenersi dall' opere servili, ma anche nell' impiegare quel Sacro tempo fruttuosamente, con assistere divotamente alla Santa Messa, e far altri esercizj di pietà Cristiana in Ringraziamento de' Benefizj ricevuti, e che continuamente si ricevono dall' Altissimo, e per implorare dal medesimo gli ajuti necessarj alla salute eterna; e quei che sono ignoranti de' Misterj della santa Fede, devono in detti giorni intervenire anche alla Dottrina Cristiana per essere istruiti, incaricando gravemente di quest' obbligo la Coscienza de' Padri di Famiglia, de' Capi di Casa, Padroni di Botteghe ec. acciò facciano istruire quelli, ches ono raccomandati alla loro Cura, delli quali perciò dovranno render stretto conto al Tribunale di Dio.

QUEL CHE SI TOLLERA NEI GIORNI DI FESTA.

1. A' Mercanti, Librari, Setaroli, ed Artisti, Berrettari, Coronari, Medagliari, Rigattieri, ed altre Professioni ed Arti di cose non comestibili in evento, che l' ingresso alla Casa sia per la Bottega, si tollera, che possano solamente aprire e serrare la Porta, e tener lo Sportello aperto, cioè quello di sopra per ricever il lume, purchè non lavorino, nè vendano. Quelli che tengono la Casa separata dalla Bottega, o benchè unita, ma con Porta distinta, tengano sempre serrato anche lo Sportello, nè vendano, ed avvertano particolarmente li loro Giovani in detti giorni.

2. A' Speziali, che possino dare le Medicine ogni giorno, ed ogni ora, purchè non tengano l'Insegna di fuori, e tengano aperta la Porta tanto che basti a vedere.

3. A' Macellari, Caprettari, e Salsicciari, se averanno Botteghe, vendano dentro di quelle, e tanto essi, quanto quelli che hanno Botteghe tengano le tende, le quali coprano il Banco del Macello in modo che le Carni non si vedano.

4. A' Pescivendoli, che possano vendere il Pesce, e portarlo ancora alle Poste, e venderlo per Roma.

5. A' Pizzicaroli, Fruttaroli, Erbaroli, e Melangolari, che vendano dentro le Botteghe con l' uscio solamente aperto, senza tener in mostra cosa alcuna.

6. A' Contadini, Vignaroli, Ortolani, e simili, che vengono a vendere Frutti o Erbaggi ancora con bestie, non si dia molestia alcuna.

7. Alli Rivenditori di Frutti, Erbaggi, ed Agrumi, si tollera, che possano venderli per le strade o per se stessi, o con bestie. Ma stando fermi non li tengano sopra Banchi d'alcuna sorte, nè gridino, il che s' intende proibito a tutti quelli a' quali in luogo fermo si permette di vendere qualunque cosa ne' giorni di Festa.

8. A' Pollaroli, che vendano dentro le loro Botteghe senza tenere in mostra Gabbia, nè altra cosa, e bisognando loro per necessità de' Polli, di tenere la Porta aperta, siano obbligati a mettere la tenda che copra la Porta.

9. Li Fornari non si molestino per tre ore dopo la levata del Sole: E li Molinari dalle 20. ore sino alla sera, in conformità del rescritto della San. mem. d'Innocenzo XII. sotto li 29. di Luglio 1693.

10. A' Ciambellari, che possano vendere dopo le prime Messe, purchè non tengano Tavola, ma solamente un Canestro in Collo, o in terra lontano dalle Chiese, ed il medesimo si tollera a quelli che vendono Confortini.

Digitized by Google

11. I Pelapiedi e Tripparoli possano dopo aver udita la Messa andar vendendo per Roma sino a mezzo giorno, e questo si tollera per esser cosa che si adopra la mattina.

12. Il medesimo si permette a coloro che vendono i Latticini freschi, ed alli Contadini, che portano di fuori Formaggi, Salami, Presciutti, e simili, che possano andarli vendendo per Roma, o tenerli per le Piazze nelle Ceste in terra senza Banco d' alcuna sorte.

13. Li Contadini, che vengono di fuori a vendere Grani, Biade, ed altre cose simili, potranno posarli in terra, e venderli, purchè si faccia senza gridare.

14. Ad Osti, e Pasticcieri, che possano tener l' uscio aperto, dare da mangiare, e vendere, purchè tengano le mostre coperte in modo, che dalle strade non si vedano quelli che stanno a mangiare. Il medesimo si permette a Magazzinieri di vino, e Bettolieri.

15. I Barbieri potranno solamente in caso di necessità medicar Feriti, ed altri mali, non altro, purchè ciò facciano a Bottega serrata, e con lo Sportello aperto, o colle tende all' Invetriata.

16. A Sarti, che possano rendere li lavori finiti colla Bottega serrata, tenendo lo Sportello aperto, ed il medesimo si permette a' Berrettari.

17. A' Calzolari, che possano calzare le scarpe fatte dentro le Botteghe, tenendo solamente lo sportello aperto.

18. Alli Collarai il poter restituir collari, manichini di già inamidati, o biancheria di già imbiancata, tenendo lo sportello della Porta solamente aperto.

19. All' Artebianca il vendere robe comestibili a minuto, ed anche Carbone, e Fascine, con lo sportello della Porta solamente aperte.

20. Alli Fenaroli si tollera il poter tagliare, o falciare, raccogliere, ed ammucchiare il fieno, ed anche di rimetterlo fuori della Città in luogo sicuro, ma non già di trasportarlo dentro Roma.

21. Alli Cacciatori, Uccellatori, e loro Garzoni il vendere qualsivoglia sorte di carne di Caccia, ed Uccellami, tanto andando per Roma, come stando fermi in luoghi particolari.

22. Alli Orzaroli il poter vendere a minuto, a porta chiusa, e col solo sportello aperto.

23. A quelli che vendono Carbone, e Fascine a minuto si tollera l' istessa abilità.

24. A quelli che vendono Acqua acetosa, Acqua-santa, o simili, portarli per Roma, e vendere ancora con bestie.

25. Parimente si tollerano quelli, che nell' Estate vanno vendendo per Roma Acque rinfrescative, o che le vendono nelle Botteghe, e con la sola porta aperta.

26. Avvertendo, che tanto alli sudetti Ciambellari, come alli Venditori di Confortini, di Frutti, di Caccie, Erbaggi, Agrumi, Acque rinfrescative, ed altre cose, che si portano a vendere per la Città, che per la suddetta tolleranza non si permette loro il poter appoggiarsi, o fermarsi a vendere sopra muri, scalinate, muriccioli, cimiterj, e sottoportici d' alcuna Chiesa.

27. Li Ferracavalli dopo le Messe non s' impediscono di ferrar Cavalli, ed altre bestie, purchè non lavorino nella Fucina.

28. Li Ferrari, ed Arrotatori dopo le prime Messe potranno dare a' Contadini li ferri appartenenti alla campagna, purchè ciò facciano tenendo solamente lo sportello aperto. E per tutto il mese di Giugno si tollera alli medesimi il poter arrotare, ribattere, ed accomodare le Falci, ed altri istromenti spettanti alla mietitura.

29. Li Contadini e Vetturali, che hanno portato in Roma Grani, o Biade ed altri frutti, potranno ritornarsene con i lori Animali, dopo che avranno udita la Messa. Il simile dovranno fare coloro, che partono da Roma per portar robe a' Casali, o Procoi, concedendosi solamente a questi, ed alli sopraddetti che riportino robe mangiative per servizio, e bisogno proprio, e delle loro genti, ed il medesimo si permette a' Vignaroli, che ritornano alle Vigne, e Case loro,

30. L' Acquavita essendo cosa, che si adopra solamente la mattina, si permette che si venda la mattina sino a due ore avanti mezzo giorno, e non più.

31. Li Commedianti, Saltimbanchi, Ciarlatani, Scrimatori, Ballarini, Saltatori, Ciechi, o altri Cantatori di Canzoni, o Istorie, eziandio di Divozione, non possano esercitar datti atti, nè fare Circoli, nè con quelli rivendere acque, rimedj, o altra cosa.

32. Non si spandano su le piazze, o altrove, nè si portino per Roma Stracci, Panni, Cappelli, Armi, Ferramenti, o cose simili per vendere.

33. Gli Ebrei tengano le loro Botteghe serrate, non lavorino in pubblico, non vendano, nè prestino cosa alcuna a' Cristiani, nè portino fardelli sotto, nè altre robe di sorte veruna.

34. Si proibisce giocare etiam a giuochi leciti appresso le Chiese e Monasterj di Monache.

35. Li Semplicisti, e distillatori possano vendere, come li Speziali, cioè, purchè non tengano l'Insegna, nè cosa alcuna in mostra, o colla porta mezz' aperta in modo, che basti a vedere, però senza manipolare.

36. Li Lattaroli potranno vendere la mattina solamente, però dentro le Botteghe, con mezz' uscio solamente aperto, nè tener in mostra cosa alcuna.

37. Li Caprari, e Gioncatari potranno vendere il latte, e latticini rispettivamente in conformità della tolleranza 12. posta nel primo Editto, e secondo il solito.

38. Li Fornari e Vermicellari potranno vendere tutto il giorno il Pane, e le Paste, però dentro le Botteghe, con l' uscio solamente mezz' aperto, senza tener in mostra cosa alcuna.

39. Li Vaccinari secondo il rescritto della San. mem. di Urbano VIII, sotto li

Digitized by Google

26 Maggio 1629..potranno, per evitare ogni pericolo d'infezione, trasportar le pelli dalli Macelli alla Dogana, indi al Fiume per lavarle, se sono d'Agnelli, e poi alle Concie; così anche li Stringari, con farci il lavoro puramente necessario, e che non patisce dilazione secondo le dichiarazioni notificate alli medesimi in un foglio a parte, tenendo però le Botteghe continuamente serrate; ed il detto trasporto solo se li permette nella seconda Festa un'ora avanti niezzo giorno, quando sono due Feste unite, e nel Sabbato all'istess'ora, se occorre in detto giorno Festa di precetto. E li Cordari per la medesima causa potranno pigliare dalli Macelli gl'intestini degli Animali, lavarli nel Fiume, e portarli in Bottega, però dalle 21 ora sino alla sera.

40. Li Cartari potranno cavar fuori ne' soliti Vicoli le carte pergamene senza però farci lavoro alcuno, ma solo per asciuttarle.

41. Li Copisti, si tollerano per copiare solamente le scritture necessarie alli Tribunali per l'istesso, o seguente giorno, però tenendo chiusa tutta la Porta colli sportelli di vetro, ovvero con tele, o in altro modo, che non siano visti, e per la medesima ragione si tollera allo Stampatore Camerale per le scritture necessarie come sopra, e per li Bandi, che non patiscono dilazione.

42. Gli Osti potranno nel modo che se l'è insinuato, trasportare dalle Grotte il vino secondo il solito, però dal primo di Maggio per tutto Ottobre.

43. Gli Orzaroli secondo la tolleranza 22. son tollerati per vendere a minuto, ed a porta chiusa, però in cambio dello sportello, se li permette di tenere mezza porta aperta.

44. Quelli, che portano Erba per li Cavalli, ed altri Animali, potranno ciò fare senza però lasciare la Santa Messa, il che anche s'incarica a tutti li suddetti, ed altri Venditori, Bottegari, ed Artisti compresi nelle tolleranze espresse di sopra.

E perche nel cap. *Licet, de Feriis* tutte le dette tolleranze non devono permettersi *in Majoribus Anni solemnitatibus*, quali sono secondo la Glossa le Feste di Natale, Pasqua, Ascensione, Pentecoste, ed Epifania, ne' quali giorni solo si permette alli Speziali, e Caprari la mattina per conto degl'Infermi, ed alli Fornari di vendere il Pane, e dopo il mezzo giorno alli Osti, Macellari, Fruttaroli, Erbaroli, Pollaroli.

Per ultimo incarichiamo d'Ordine di N. S. alli Capinotari, Speziali, ed a tutti li Padroni di Botteghe, li quali sono tollerati di vendere, o di operare ne' giorni di Festa, non solo di procurare, che i loro Giovani, o Garzoni respettivamente vadano a sentire la Santa Messa, ma anche concederli qualche spazio di tempo, per fare le loro Divozioni, e per assistere alla Dottrina Cristiana, o alla Predica, mandando or l'uno or l'altro a vicenda, acciò tutti siano pienamente istruiti nelle cose necessarie per la salute eterna.

Avverta ciascheduno puntualmente al presente Editto, e di non eccedere li termini discreti delle tolleranze suddette, perchè contro li trasgressori si procederà alle pene imputate, non ostante qualsivoglia pretesto, e consuetudine in contrario, perchè N. S. affatto l'abolisce.

E affinchè non si possa allegare ignoranza alcuna da tutti quelli, che sono compresi, ed esclusi nelle suddette tolleranze, e per evitare li sbagli, che potessero seguire per parte delli Esecutori, ordiniamo, che tutti, e ciaschedun Artista, Mercante ec. nominato nelle dette tolleranze debba tenere affisso nel suo Fondaco, Bottega ec., il presente Editto, sotto la medesima pena, ed altre a nostro arbitrio.

Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 8 Febbraio 1727.

P. *card. vicario*,
N. A. Cuggiò Segr.

(19. His aque quod ad dubium, an liceat Communitati, et hominibus Ripæ habere mercatum die Sabbati, intus, vel extra Civitatem, quando occurrat quod sit dies festivus in casu; Sac. Congr. Conc in Ripana Mercat. die 2 Maii 1711, rospondit *negative, et amplius*.

(20. Licentia laborandi diebus Festis semper est requirenda, etiamsi necessitas urgeat, aut pietas suadeat juxta notabile rescriptum Sac. Congreg. Conc. 22 Aprilis 1599, amplexum a Sac. Congr. Episc. et Regular. 12 Martii 1601, in quo hæc formalia verba leguntur: « Ceterum quoniam verendum est, ne privatis affectibus domesticarum rerum aliqui eo perdueantur, ut hac Sacrorum Canonum indulgentia in aliis etiam casibus abutantur, iidem P. P. Illustrissimi adjiciunt ad Ordinarii cujuscumque judicium, et censuram pertinere, ut dignoscant num vere ulla ex causis supradictis subsit, propter quam liceat diebus Festis rebus servilibus vacare, ut nec dierum Festorum observantia ulla in re violetur, nec opera illis diebus summa cum ratione permissa impediantur. » (21. Concessio licentiarum laborandi diebus Festis spectat ad Episcopum, non autem ad Gubernatorem, vel Judicem Laicum; Sac. Congr. Immun. in Theatina 20 Septemb. 1630, et Sac. Congr. Conc. in Ruben. 1 Maii 1635. (22. Hæc licentia laborandi diebus Festis debet dari in scriptis; Sac. Congr. Episcopor. in Civitatis Castellanæ 21 Aug. 1615. (23. Licentiæ laborandi diebus Festis non sunt exhibendæ Judicibus Laicis, nec toleranda est hujusmodi prætensio, sed Episcopus illam concedat in scriptis, et in forma ad hoc, ut ostendi possit Ministris Laicis prætendentibus inobservantiam diei Festivi; S. Congr. Immunit. in Castren, 2 Maii 1629. (24. Sic etiam licentiæ vendendi diebus Festivis sunt dandæ a solo Episcopo, non autem a Gubernatore; S. Congreg. Immunit. in Alatrina 11 Martii 1645, lib. 3, *Decret. Pauluc.* q. 168.

(25. Laicus non potest indicere, nec

Digitized by Google

publicare bannimenta diei Festivi, sed spectat ad solum Episcopum hujusmodi publicatio; Sac. Congregat. Immun. in Theatina 20 Septembr. 1539, lib. 3, *Decret. Paulue.* p. 192. Quare Syndici Communitatis, qui excommunicati fuere ob proclamationem, et publicationem habitatoribus Loci Festorum S. Rochi; et Conceptionis B. M. Virginis (tunc enim hæc Festivitas nondum erat de præcepto) tanquam de præcepto, si petant absolutionem, datur facultas Episcopo eos absolvendi, prævia tamen revocatione dictarum proclamationum; ead. Sac. Congreg. in Bitecten. 7. Sept. 1695, lib. 1. *Decr. Valleman.* p. 214. (26. Edictum Curiæ Laicalis super diebus Festivis contra facultatem ab Episcopo concessam, est nullum, et injungitur Nuncio Apostolico, ut informet, et interim curet, ne lædatur jurisdictio, et Immunitas Ecclesiastica; ead Sac. Congr. in Bitecten. 16 Novembr. 1694. lib. 1. *Decret. Valleman.* p. 156, et 1 Martii 1695, ibid. p. 174. (27. Nec Curia Sæcularis potest impedire, quin Curia Ecclesiastica procedat etiam ad mulctas contra exercentes opera servilia, et rusticalia sine licentia, et absque necessitate in diebus Festivis de præcepto juxta dispositionem Sacri Conc. Triden. ead. Sac. Cong. Segovien. 2 Jun. 1693. lib. 1. *Decret. Valleman.* pag. 51. (28. Pœna pro transgressione Festorum imponenda debet esse moderata, et si fuerit exorbitans, reduci debet ad arbitrium Ordinarii, et reliquum, si fuerit exactum, restitui; Sac. Cong. Episcopor. in Ravennatensi 16 Januar 1601. in Bellicastrensi 1 Sept. 1603. et in Cornetana 12 Decembr. 1642. (29. Neque debet excedere 5. vel 6. Julios in loca pia distribuendos, deducta tertia parte pro Executoribus, licet quis deprehensus fuerit in flagranti post publicatum Edictum; Sac. Cong. Episcop. in Terracinensi 14 Septemb. 1594. Neque pro pœna debent bona confiscari; Sac. Cong. Episcop. in Termolensi 29 Aprilis 1603. et in Crotonensi 21 Junii. 1604. (30. Nam Constitutio S. Pii V. incip. *Cum primum Apostolatus*, de amissione Animalium, uti rigidior, non fuit quoad nanc partem usu recepta; Unde Sac. Cong. Episc. in Camerina 11 Augusti 1617. mandavit restitui merces simul cum Animalibus pro transgressione Festorum confiscatas, seu ablatas: Data tamen idonea cautione de solvendo quod ordinatum fuerit ab eadem S. Cong. ut in Bovinen. 11 Apr. 1645. et 14 Septemb. 1646 et 11 Jan. 1647. Non obstante quod Animalia fuissent vendita, et eorum pretium distributum, quia ea jussit redimi ac Dominis restitui, retenta aliqua modica pœna locis piis applicanda 15 Julii 1606. sic apud Pignatell. tom. 8. consult. 10. n. 16. sed tamen standum est novissimis dispositionibus anno 1703 et 1727. emanatis, et supra adductis n. 17. 18. 19.

(31. Si causæ laborandi in die Festo vere subsint, Ordinarius tenetur licentiam dare; Sac. Congreg. Episcopor. in Beneventana 12 Maii 1645. Et tenetur ipsam dare *gratis*. (32. Urban. VIII. Const. incip. Universa. Sac. Congreg. Concil. in Cremonen. 12 Maii 1635. in Messanen. 9 Julii 1644. in Syracusana 13 Novemb. 1647. (33. Episcopus aliter faciens monendus est, ut consulat conscientiæ suæ, prout monuit Sac. Congr. Episcopum Bisacciæ, vulgo Umbriatico 15 Jan. 1619. et Archiepiscopum Ulyssiponen. 7 Decembris 1691. qui constitutione synodali prohibuerat Barbitonsoribus, ne tonderent barbas diebus Festis, quibus tamen aliquando licentia concedebatur recepta pecunia. Unde Recurrentibus Barbitonsoribus rescriptum fuit: « Servandam esse Constitutionem Synodalem, et non esse concedendas licentias per pecunias. » (34. Si tamen alicubi loca pia maxima egestate laborarent, tunc licite per modum hortationis pro illis sublevandis aliqua eleemosyna recipi posset, ut declaravit Sac. Congr. Episcop. in Casertana 29 Novembris 1594. (35. Dispensare super Festorum observatione spectat etiam ad Vicarium, licet Foraneum, non autem ad Archipresbyterum, sive Curatum, nisi Vicario absente, Sac. Congregat. Episcop. in Cerentina 2 Aug. 1594. et in Materanen. 18 Novembris 1597.

(36. Dies Festos, quos Episcopi in sua Diœcesi servandos præceperint, deberi etiam ab exemptis omnibus etiam Regularibus observari, statuit Trident. sess. 25, cap. 12. *de Regularibus*, ibi: « Dies etiam Festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur. » (37. Sed num Episcopus possit in Diœcesi sua novos dies Festos instituere vigore hujus Decreti, et ex hoc Decreto, Sacra Congregatio censuit non esse hanc facultatem datam Episcopo; sic refert, et tenet Pignatell. tom. 8. consult. 53. num. 3. et hoc magis adhuc viget ex Constit. Urban. VIII. incip. *Universa* § 3. per verba adducta supra num. 2. (38. In casibus, in quibus Episcopi possunt suis subditis concedere facultatem laborandi diebus Festis, videtur etiam idem posse facere Prælatos Regulares respectu suorum etiam subditorum Regularium, cum sint veri ipsorum Prælati, habentes in illos jurisdictionem quasi Episcopalem; Azonarius t. 2. *Instit. moral.* l. 1. cap. 28. Portell. in dub. Regular. verb. *Abbas*, numer. 11. Lezana in summa Quæstion. Regularium, verb. *Festi dies*; n. 12. et alii. (39. Hanc autem facultatem non possunt concedere Sæcularibus, neque pro servitio suorum Monasteriorum, cum non sint ipsorum Prælati. Portell. l. c. num. 11. Lezana l. c. num. 12. Rodr. tom. 2. q. Regular. q. 70. art. 2. (40. Ubi quoad privilegia Regularium dicit nullum esse, quod viderit, Regularibus « concessum Privilegium, quo diebus Festivis possint in opere suorum Monasteriorum operibus servilibus seculares, et ipsi Religiosi occupari; quapropter, ut id licite facere, aut permittere possint, petere licentiam ab Episcopis, et Ordinariis tenentur, qui ad hæc, et alia minima dispensanda habent a consuetudine auctoritatem; sine dicta enim licentia laborantes, et Prælati permittentes laborare in dictis diebus, peccato sunt irretiti, nisi ali-

Digitized by Google

qua necessitate præsenti, aut imminenti excusentur. » Hæc ille, et refert etiam Lezana l. c. n. 10. Unde, ut dicit Portell. in dub. Regular. verb. *Laborare;* « Videant Prælati se peccare mortaliter, et facere peccare mortaliter alios, si... invitent, vel patiantur, quod in suis Conventibus sæculares laborent, etiam gratis. Sed ut licito fiat, et magna necessitas urgeat, debet obtineri licentia Ordinarii, vel ejus Vicarii, » quem sequitur Henno tom. 1. *tract. in Decalogum*, disp. 3. q. 4. concl. 5.

(41. Festa mobilia in die Epiphaniæ publicare debet Canonicus junior juxta formam libri Cæremonialis, nisi alius ex consuetudine Ecclesiæ sit assignatus; Sacr. Cong. Rit. in Asculana 16 Januar. 1617. (42. Dies Festos in suis Ecclesiis annunciare nullatenus prohibentur Regulares; Sac. Cong. Conc. in Bononien. 2 Julii 1620. (43. Dierum Festorum ad observantiam cogi possunt Regulares, sed non quoad Octavam, et sunt servandæ Rubricæ Breviarii, et Decreta novissima Sacr. Congr. Rit. Sacr. Congr. Concil. 21 Julii 1629. penes Sellium *in select. Canon.* c. 2. num. 13. et Barbosa collectan. in *summa Apostolic. dec.* verb. *Dies Festi* num. 4. (44. Dies Festus Titularis quoties modeste, et sine abusu celebretur, non potest Monialibus prohiberi, ut respondit Sac. Congreg. Concil. in Hieracen. 26 Januar. 1692. (45. Festivitas alicujus Sancti cum majori pompa celebrari debet in Ecclesia ejus nomini dicata; Sacr. Congr. Concil. in Bisinianen. 22 Februar. 1719. (46. Eadem die duæ Ecclesiæ vicinæ non celebrent idem Festum, sed Ecclesia moderna debet eligere aliam diem; Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in una Messanen. 19. Martii 1581. et in Sabinen 20 Novembris 1684. his verbis : « Non debet eodem die celebrari Festum in duabus Ecclesiis vicinis, sed moderna debet eligere alium diem, » et in simili habetur Decisio Sac. Rit. Cong. quæ in controversia vertente inter PP. SS. Vincentii, et Anastasii in Trivio (quibus per speciale Breve Innocentius XII. concesserat, ut in feria secunda cujuslibet hebdomadæ publice adorandum exponerent Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum) et PP. SS. duodecim Apostolorum de Urbe, qui eadem die in propria Ecclesia eamdem functionem explent, sub die 13 Junii 1597. censuit « consulendum esse Sanctissimo pro translatione Indulgentiæ ad feriam quartam, addita perpetuitate; et facta relatione Sanctitas sua benigne annuit, et translationem Indulgentiæ approbavit. »

(47. Festum S. Antonii de Padua ex declaratione Sacr. Cong. Episc. et Regular. potest ipso solemnitatis die celebrari, tum a PP. de corpore Observantiæ, tum a conventualibus, pro ut infra; Sac. Congr. etc. « attentis narratis, auditisque partibus super hinc inde allegatis, censuit licere tam Fratribus Minoribus Conventualibus, quam Observantibus Reformatis S. Francisci in propriis suorum Ordinum Ecclesiis solemnizare Festum S. Antonii de Patavio Confessoris ea ipsa die, in quam inciderit : modo tamen Reformati a Processionibus abstineant, Decretis, seu Litteris ejusdem Sacræ Congregationis alias circa præmissa emanatis, et reliquis in contrarium eductis, minime obstantibus. Romæ 20 Septembr. 1685. »

M. cardinalis Ginettus

Emil. Episcop. Camerinen. Secret.

In Regula hujus Congregationis fol. 334.

(48. Et consimiliter fuit pronunciatum in Prætorio A. C. die Febr. 19. 1701. in Alexandrina inter minores de Observantia, et Minores Conventuales, non obstante quacumque ea de re inducta transactione, seu alia quavis adstipulata amicabili compositione. Vide verb. *Confraternitas* art. 1. numer. 35 et 36.

(49. Si Festum Annunciationis B. M. Virginis occurrerit in feria sexta in Parasceve, vel in Sabbato Sancto, transfertur ejus Officium una cum præcepto audiendi Missam, et vacandi ab operibus servilibus ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, protracto ad aliam diem Festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis; Sacr. Congr. Rit. 11. Febr. 1692. approbante Alexandro VIII. die 12. ejusdem mensis et anni. (50. Si tale Festum venerit in Feria quinta in Cœna Domini, non est transferendum præceptum audiendi Missam, et abstinendi a servilibus, sed omnino servandum est in prædicta Feria quinta, adeoque per Ordinarios Locorum providendum est, ut eo die pro Civitatum, et Pagorum qualitate, ac Christifidelium in iis degentium numero, plures Missæ privatæ ante Celebrationem Missæ Conventualis pro præcepti adimplemento celebrandæ non desint, ita tamen, ut antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni ejus diei nullatenus omittatur. Sic Sac. Cong. Rit. 20 Mart. 1660. et die 12 Septemb. 1716. approbante Clem. XI. die 27. ejusdem mensis et anni 1716. et reperitur in Bullario Clementis XI. inter decreta Sacr. Congr. Rit. decret. 24. et Clem. XIV. anno 1783. et Pius VI. anno 1784. (51. Idem pariter est dicendum, si in ipsa die inciderit Festum S. Joseph, ut decrevit eadem. Sac. Cong. Rit. 18 Septemb. 1692. (52. Si simul transferenda sint Festa S. Joseph, et Annunciationis, prius debet reponi Festum Annunciationis, deinde S. Joseph, seu cujuslibet æqualis ritus, non obstante Decreto edito in contrarium sub die 11 Junii 1682. Sic eadem Sac. Rit. Cong. servari mandavit die 14 Junii 1692. (53. Hic advertendum venit, ut recte advertit La Croix, lib. 6, part. 2, num. 2055. decret. 296. quod si alicubi in prædicta Feria 2. post Dominicam in Albis, occurreret duplex primæ Classis, ibidemque Annunciatio celebraretur sub eodem ritu, adhuc duplex illud esset transferendum, et celebranda Annunciatio. Similiter licet Annunciatio sit secundæ Classis, tamen si haberetur reponendum Officium primæ Classis, nihilominus in prædicto casu esset agendum de Annunciatione. Quod si Annunciatio ulterius protraheretur ob Festum

Digitized by Google

altioris Ordinis in ea Feria secunda alicubi occurrens, non ideo protrahenda esset obligatio audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus. (54. Si Festum S. Matthiæ occurrat Feria 4. Cinerum, non potest anticipari ejus Vigilia, sed jejunium omnino servandum est ultimo die Bacchanalium; Sac. Cong. Rit. 23. Januar. 1694 (1).

(55. Festum SS. Corporis Christi instituit Urbanus IV, de anno 1262. Constit. incipient. *Transiturus*. (56. Motiva præcipua, et propriora, quæ ad ejusmodi celebritatem instituendam summum Pontificem impulerunt, duo præsertim fuerunt. Unum refertur a D. Antonino 3, part. tit. 19, cap. 13, § 1, his verbis : « Tunc cum Curia residebat Urbanus in Urbe Veteri, ubi in loco non multum distanti apud Vulsinium in quadam Ecclesia Sacerdote celebrante, miraculum factum est ex ipso Sacramento; nam cum post confectionem Sacramenti guttæ aliquæ sanguinis ex Calice profluxissent in Corporale, Sacerdos ad occultandum defectum suæ negligentiæ cooperuit partem Corporalis pluribus plicis hoc faciens; sed repertum est per omnes plicas illas transiisse, et reliquisse ibi rubram admodum Sanguinis formam Hostiæ in pluribus partibus Corporalis; quod quidem Corporale ad perpetuam rei memoriam in Ecclesia Cathedrali Urbis Veteris reservatum est. » Alterum motivum exhibuit revelatio institutionis ejusdem Festi quibusdam Religiosis personis facta; quod etiam indicat Urb. Pont. in d Constit, ibi : « Intelleximus autem olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis divinitus revelatum Festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum. » (57. Certe id prius revelaverat Deus B. Julianæ virg. Leod. Cistercien. Ordinis, quod uti acciderit, refert Joan. Chapeavilius Canonicus Leodiensis in tract. *de vera origine Festi Corporis Christi*, his verbis : « Tempore juventutis suæ quoties Christi virgo Juliana orationi incumbebat magnum Dei signum, et mirabile apparebat; apparebat, inquam, ei Luna in splendore, cum aliquantula tamen sui sphærici corporis fractione, quam cum multo tempore conspexisset, mirabatur multum, ignorans quid illi portenderet. » Exinde S. Juliana humiles preces Deo profundens divini consilii particeps fieri meruit. « Tunc, subdit idem Auctor, revelavit ei Christus in Luna præsentem Ecclesiam, in Lunæ autem fractione defectum unius solemnitatis in Ecclesia figurari, quam adhuc volebat a suis Fidelibus celebrari. » (58. Inde Juliana nonnullis piis, et Religiosis viris hæc detexit, præsertim Roberto Episcopo Leodiensi, ac Jacobo ejusdem Ecclesiæ Archidiano, qui postea fuit idem Urban. IV. Hinc Ecclesia Leodiensis prævio gravissimorum Theologorum consilio SS. Corporis Christi Festivitatem celebrare cœpit; idque primo contigit in Ecclesia S. Martini ejusdem Civitatis, ut refert Bolland. tom. 1, ad mensem April. pag. 459, 465 et 477, et inde Urbanus IV, in d. Const. Festivitatem generaliter in Ecclesia celebrandam statuit.

(59. Quamvis enim quotidie in SS. Missæ Sacrificio Augustissimo Eucharistiæ Sacramentum veneretur, « Conveniens tamen, dicit ipse Pontifex in d. Const Conveniens tamen arbitramur, et dignum, ut de ipso semel saltem in anno ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam, et insaniam, memoria solemnior, et celebrior habeatur. » Itidemque, et si in Feria quinta Sanctioris Hebdomadæ id specialius ab Ecclesia præstetur, tamen, ut subdit idem Pontifex : « In die Cœnæ Domini, quo die ipse Christus hoc instituit Sacramentum, Universalis Ecclesia pro Pœnitentium reconciliatione, sacri confectione Chrismatis, adimpletione Mandati, circa lotionem pedum, et aliis plurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi hujus maximi Sacramenti. » Hinc, ut tanto Sacramento debitus, pro humanis viribus, cultus exhiberetur, ejus specialem celebritatem pro Feria V, post Octavam Pentecostes instituit ipse Urban. IV, in d. Const. incip. *Transiturus*. (60. Et hanc solemnitatem maxime commendavit Concil. Trident. sess. 13, cap. 5, *de Sacramento Eucharistiæ*, ubi declaravit : « Pie et Religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis præcelsum hoc, et venerabile Sacramentum singulari veneratione, et solemnitate celebraretur, utque in Processionibus reverenter, et honorifice per vias, et loca publica circumferretur : » et infra *Canon*. 6. Anathema declaravit, qui dixerit Eucharistiæ Sacramentum, « nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus secundum laudabilem, et Universalem Ecclesiæ ritum, et consuetudinem, solemniter circumgestandum. » Hæc omnia habentur apud Card. Petram, t. 3. *Comment. in Constit.* 1 *Urban. IV*, a num. 4, ad 10.

(61. An autem Urbanus simul cum Festo decreverit Processionem solemnem, quæ hodie peragitur, non satis constat. Affirmativam partem tenent aliqui ducti verbis ipsius Urbani in Bulla institut. Festi, ibi : « Tunc singulari alacri animo, pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exequendo; » et iterum : « Tam Clerici, quam Populi gaudentes in cantica laudum surgant, tunc enim omnium corda, et vota, ora, labia, hymnos persolvant lætitiæ salutaris, » quæ revera proprie fiunt in Processionibus. Pro parte negativa allegatur testimonium Genebrardi, qui postquam Festi hujus institutionem descripsisset, pergit hoc modo : « Centum annis post Papiæ cœpit lustratio Sacramenti, qua Corpus Christi in ferculum fertur. Chronica Bossii : » atque hinc ad reliquas Occidentis partes manavit. (62. Diestemii autem editus est libellus, quem citat Nicolaus Serrarius lib. *de Processionibus*, ubi art. 9, hæc leguntur : « Verum quamquam Apostolica mandata omnibus Ecclesiis directa fuissent super celebranda nova de

(1) Nisi aliter visum fuerit Summo Pontifici. Sic Benedictus XIV anticipari permisit anno 1751. et Clem XIV. anno 1773. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Venerabili Sacramento solemnitate, omnes tamen Ecclesiæ obedire dissimulaverunt præter Ecclesiam Leodiensem, quæ ubi Apostolicum nuncium cum Bullis Decretalibus, ac Officio apportatis honorifice suscepit tamquam devota filia, mox quam celerrime obedivit, rejecto Officio, quod V Juliana confici fecerat. (a Joan. scilicet Monacho Leodiensi, quod incip. *Animarum cibum*, ut refert Card. Petra loc. cit. num. 9.) utens illo Officio, quod B. Thom. Aquinas confecerat. Itaque ab adventu præfatarum Bullarum tota, et sola Leodiensis Diœcesis præfatam solemnitatem singulis celebravit annis usque ad tempora Domini Joan. Papæ XXII, qui floruit anno Domini 1315, qui omnes Constit. Clementis publicavit, et ad Universalia studia transmisit. Et ultra illas Ordinationes Urbani IV. Clementis Constitut. insertas, novas Indulgentias concessit, atque Processionem ordinavit; Ex tunc igitur, et deinceps Solemnitas hæc per totius Orbis Ecclesias devotissime accepta est ad honorem Patris, Filii, et Spiritus Sancti Amen. » Sic præcise habetur in *Theatro vitæ humanæ*, verb. *Processio*, sub litt. D. et E.

(63. Festum Corporis Christi cum ejus Octava tempore Interdicti, pulsatis Campanis, januis apertis, et alta voce celebrari posse concessit Martinus V. Constit. incip. *Ineffabile*. (64. In die Festo Corporis Christi non est jejunandum, licet incidat in vigilia S. Joannis Baptistæ; sed anticipandum est jejunium die antecedenti, feria nimirum quarta, prout jejunatur in ipsa Vigilia, de Vigilia vero nihil eo anno fiet; ex Decr. Sac. Rit. Cong. edito 24 Septemb. 1638, et Constit. Urban. VIII, incip. *Cum evenire*. (65. In Festo Corporis Christi non est deferenda in Processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed Celebrantis manibus; Sacr. Rituum Congr. 2. Julii 1618. (66. In Festo Corporis Christi non sunt canendæ cantiones vulgari sermone. Eadem Sacr. Cong. Rit. 21 Martii 1609. (67. In Festo Corporis Christi deferatur Eucharistia a Celebrante, et in Vesperis diei octavæ, si fiat Processio, deferatur ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis; Ead. Sac. Congr. Rit. 12. Junii 1627. (68. Si Episcopus in Festo Corporis Christi non deferat Eucharistiam, Canonici tamen induant sacras vestes; ead. Sacr. Congr. Rit. 17. Martii 1628. (69. Non convenit quod prima Dignitas celebret Missam ante Processionem SS. Sacramenti, et deinde altera Dignitas minor gestet illud in Processione; Ead. Sacr. Congr. Rit. 31, Junii 1632. (70. In Festo SS. Corporis Christi non est facienda Processio cum Sacramento sine pluviali; ead. Sacr. Congr. Rit. 22. Januar. 1701.

(71. Festum Conceptionis B. M. V. Immaculatæ est ab omnibus ubique servandum de præcepto, ex Decr. Clem. XI, edito 6. Decemb. 1708, incipien. *Commissi Nobis*. (72. Et ipsa die omnibus Christi fidelibus Confessis, et Sacra Communione refectis visitantibus aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum Ordinis Minorum S. P. Francisci de Observantia, et Reformatorum nuncupatorum, quam Monialium dicti Ordinis, et ibid. orantibus, etc. Benedictus XIII, die 12. Decembr. 1729. Decreto incip. *Ad augendum*, concessit Indulgentiam plenariam perpetuam; (73. Festum S. Joseph est ubique de Præcepto Sacr. Congregationis Rit. 8 Maii 1621 mandante, et approbante Greg. XV, et Urb. VIII, in cit. Const. incip. *Universa*. Festum S. Annæ est ubique de præcepto; Gregor. XV, 23 *April*. 1622, Const. incip. *Honor Laudis;* et Urban. VIII, in Constit. incip. *Universa*. (74. Festum S. P. Francisci fuit indictum de præcepto observandum ubique a Sixto IV, in Bulla, quæ habetur in Bullario; Rodriquez fol. 317 et 318, et a Sacr. Cong. Rit. 3 Januar. 1622, et 21 April. 1640. At postea 13 Septemb. 1642, ab Urbano VIII, Constit. *Universa* hoc Festum non fuit amplius connumeratum inter Festa de præcepto, sed tantum de Devotione. (75. Festum omnium Sanctorum celebrandum est ad supplendas negligentias commissas in propriis eorum solemnitatibus, et Festivitatibus; Clement. *de Reliquiis, et veneratione Sanctorum* cap. unico. (76. Festum SS. Fabiani, et Sebastiani una simul celebratur, licet Titulus Ecclesiæ sit tantum de S. Sebastiano, ut Sac. Congr. Rit. respondit in Cremon. 22 Nov. 1698, in qua sic declaravit : « Festum S. Fabiani non transfertur, sed celebratur una cum S. Sebastiano. » (77. Festa etiam de Sanctis Veteris Testamenti possunt celebrari, et patet experientia de septem Fratribus Machabæis cum Matre, de quibus 3, *Machabæor* cap. VII, et eorum Festum celebratur Kal. Augusti. Item de S. Jeremia, S. Daniele, Elia, et Eliseo prophetis, aliisque in Martyrologio Romano descriptis, quibus sunt ædificatæ Ecclesiæ. Item de S. Joanne Baptista, et SS. Innocentibus, ut in c. 1, *de Consecr.* dist. 3, de S. Anna, et S. Joseph, et Venetiis coluntur SS. Job, Hieremias, Simeon, Moyses, Daniel, Samuel, et Zacharias Prophetæ, et in tota Religione Carmelitana solemniter celebrantur Festivitates SS. Eliæ et Elisei ex concessione plurimorum Summorum Pontificum, apud Lezanam consult. 3, num. 7, 13 et 86, et sic expresse defendit Pignatell. tom. 5, consult. 39, per tot. et Ursaya *Instit. crim.* lib. 4, tit. 10, in additionibus n. 65, 66, 67, ubi refert, quod cum aperitioni Ecclesiæ in honorem S. Job in Civitate Albani, impedimenta apposuisset Suffraganeus ejusdem Civitatis, proposita causa in Sacr. R. Congr. die 22 Junii 1680, prodiit rescriptum : « Removenda esse impedimenta. » Cumque tali resolutioni non acquiesceret idem Suffraganeus, reproposita causa die 31, Augusti ejusdem anni, rescriptum fuit: « In decisis, et amplius causa non proponatur. » (78. Festum de Patrono principaliori loci est præceptivum cum obligatione audiendi Missam, et vacandi ab operibus servilibus; Sac. Congr. Rit. 13 Septembris 1642. (79. Mercatus fieri non potest in diebus Festivis de præcepto; Sac. Cong. Episcop. Sarnen. 11 Julii 1681.

Digitized by Google

(80. Quoad Peregrinos, et Advenas circa Festa, Vide verb. *Lex* a n. 40, ad 42.

(81. Quoad Festa attendenda sunt varia quæ sequuntur.

Sanctissimus Dominus noster Bened. XIV, in sua Encyclica Epistola incip. *Ab eo tempore*, ad Archiepiscopos, Episcopos, et Ordinarios Status Ecclesiastici die 5 Nov. 1745, inter alia eruditissime suo more de Festivitatibus tradita, refert, quod ab eo tempore, quo ad Summum Pontificatum fuit evectus, complures diversi Ordinis illustres viri, itemque Episcopi, et Archiepiscopi in Italia, et extra commorantes, iteratis precibus institerunt, ut dies Festos ubique fere nimis auctos in sublevamen pauperis Christiani populi, et ad adimenda gravia absurda, quæ ex Festorum dierum multitudine, ac frequenti violatione, non sine aperto Religionis dispendio, oriri solent, imminuere dignaretur; Quare re expensa, negotii difficultatem probe intelligens, peculiari scripto publicis etiam typis vulgato, rationes varias, quibus ea imminutio fieri poterat, indicavit; Consilium pariter exquirens nonnullorum S. R. E. Cardin. Episcoporum Italiæ, aliorumque Regionum, Ecclesiasticorum Præsulum, Theologorum, Jurisconsultorum, aliorumque virorum doctorum, an hujusmodi petitio esset exaudienda. Si vero illam exaudiri æquum esset, et congruens, ipsi quoque rationes significarent, quibus utiliter, ac prudenter imminutio præscriberetur.

(82. Quia vero petita ad id consilia, et responsa tam varia fuere, ut fere sua cuique fuerit sententia quoad substantiam, et modum imminuendi dies Festos, in aliud tempus negotium tam arduum rejecit, eam in spem adductus, ut Episcopi cujusque Provinciæ, vel ditionis unanimes possent, concordi pariter suffragio medium aliquod suggerere ex tot memoratis in laudato suo peculiari scripto, ac pro illius executione Pontificium assensum exposcerent.

(83. Interim plurima ad rem pergit adducere, et signanter, quod cum postremi Tarraconensis Conc. Patres regulam quamdam constituerint dierum Festorum, quibus pro illorum conditione, et discrimine populi Divino interesse Sacrificio, et servilibus operibus abstinere, et aliorum, quibus Missæ tantum interesse deberent, tributa postmodum libertate vacandi Operibus servilibus, felic. record. Benedictus XIII, disposita in eadem Provinciali Synodo ad preces Episcoporum approbavit; quo exemplo alii subinde Hispaniarum Antistites excitati, ipsi humiliter supplicarunt, ut ad minuendum, nimis auctum Festorum numerum, liceret eis etiam servare Regulam in præfato Tarraconensi Concil. provide constitutam, quorum instantiæ ipso annuente, exinde omnium fere Hispaniarum diœceseon uniformitas in dierum Festorum celebratione, et ritu exorta est.

(84. Varii etiam Regni Poloniæ Episcopi ipsi per litteras significarunt, suis in amplis Diœcesibus æstivo tempore incolas, agrorum culturæ, et aliis servilibus operibus, quibus vivunt et sustentantur, dantes operam, difficillime ab illis abstinere posse diebus Festis inter hebdomadam occurrentibus; enixe propterea ipsum rogarunt, ut quæ per hebdomadam æstivo tempore occurrunt Festa, in dies Dominicos transferret, excepto Festo Assumptionis B. M. V. Quorum petitio per ipsum Sanctissimum, maturo præmisso examine exaudita, in Regionibus illis optatam ab Episcopis, et populis tranquillitatem peperit.

(85. Complures alii Catholici Orbis, et præsertim Italiæ Episcopi, qua voce, qua scriptis improbantes abusum Mercatuum, et Nundinarum, quæ fieri solent diebus Festis, rationem ab ipso petierunt, qua grassanti in die malo occurri possit? Et ipse respondit, quod inter modos propositos, atque servandos in imminutione, ac celebratione Festorum præcipuus ille est, quo inter ipsos Festos dies discrimen constituitur. Etenim in diebus Dominicis, itemque in Celebritatibus Domini, B. M. V. ac in aliis solemnioribus in memorato peculiari suo scripto indicatis, debet Christianus populus, nedum interesse Divino Sacrificio, sed etiam abstinere ab operibus vetitis. In ceteris vero Festis minus solemnibus imposita est Christi fidelibus obligatio interessendi Missæ Sacrificio, tradita in reliquis cuique illorum potestate ea faciendi, quæ fieri solent diebus ferialibus.

(86. Postremo, plurimis ab ipso eruditissime ad rem adductis, a nobis brevitatis gratia omissis, concludit, quod in transgressione Festorum nulla valet consuetudo, etiam immemorabilis, ut in Barchinonen. *Observationis Festorum*, Mercatores Barchinonenses, qui contendebant posse vendere merces suas diebus Festis, consuetudine ad id immemorabili fulti; Sac. Congreg. Conc. die 13 Maii 1669, respondit; « Id Mercatoribus non licere, quacumque consuetudine immemorabili nequaquam obstante. » Et denuo reproposita causa a dictis Mercatoribus validiore conatu objectæ consuetudini immemorabili insistentibus, eadem Sacra Congr. 27 Martii 1683, in priori sententia, et Decreto perstitit, silentiumque Mercatoribus imposuit; et *in Ripana Mercatus*, contendentibus Civibus Ripanis contra Edictum Episcopi prohibentis fieri Mercatus diebus Festivis, id sibi licere ex consuetudine immemorabili; ac proposito Dubio, « An liceat Communitati, et hominibus Ripæ habere Mercatum die Sabbati, intus vel extra Civitatem, quando occurrat quod sit dies Festivus in cursu, » etc. Sacra Congr. Conc. die 2 Maii 1711. respondit, *Negative, et amplius.* Quod decretum sua auctoritate Apostolica comprobans instar Regulæ esse vult, ac in omnibus temporalis suæ ditionis Urbibus, et locis S. Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjectis inviolabiliter observari præcipit; refertque ad id c. *Omnes* 1, *de Feriis*, Constitut. 5, in ordine Bullarii S. Pii V, dicitque communem esse sententiam quod Mercatus fieri non possit diebus Festis, sed sit transferendus in antecedentem, vel sub-

Digitized by Google

sequentem diem, si Festum inciderit; Ac huic Regulæ inhærens ipsemet facultatem concessit die 9 Maii 1742. Viro nobili Ferrariensi habendi Mercatum in suo rure qualibet feria quinta, dummodo in illa non inciderit Festum de præcepto, quo casu Mercatus transferretur in feriam quartam. Qua de re omnem dubitandi ansam præcidens, mandat Episcopis omnibus temporalis suæ Ditionis, ne in Diœcesium suarum urbibus, et locis Mercatus fieri Festis diebus patiantur.

(87. De Nundinis autem inter alia hæc ad literam habet. « Inter Nundinas, quæ in Provinciis Nostris aguntur, illustriores, ut bene nostis, sunt Senogallienses protractæ multis diebus; cum Anconitanam Ecclesiam Senogalliensi finitimam regeremus non sine mœrore intelleximus tempore Nundinarum ea omnia fieri Festo etiam die, quæ aliis hebdomadæ diebus Divino cultui non consecratis, peragebatur; Huic malo occurrere satagentes, die 24 Augusti superioris anni Constitutionem nostram de Nundinis Senogalliensibus publicavimus, qua præter cætera jussimus, ut diebus Festis apothecæ claderentur, neque matutinis horis, aut vespertino tempore, quibus Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, vel Dei Verbum populo annunciatur, contractus fierent. Imminutum vero hac de causa sæcularibus negotiis tempus compensaturi, Nundinarum dies cum iisdem privilegiis, et immunitatibus opportune multiplicavimus : executioni debitæ jussa Nostra hoc anno mandata, meliorem, atque utiliorem rerum ordinem pepererunt, magnum omnium Civium, et bene moratorum hominum solatio.

(88. « Idipsum, Venerabiles Fratres, et Vos agite. Constituite Auctoritate Nostra, matutinas, et vespertinas horas, quibus Festo die, quo Nundinæ habentur, claudi debeant apothecæ, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad Nundinas confluxerint, Missæ Sacrificio, et Divinis Officiis intersint, aliisque Christianis operibus Festum sanctificent. Vigilate, ut plene, et exacte impleantur. Nos autem per publicum edictum non prætermittemus extendere Nundinarum privilegia ad diem sequentem, qui Festus non erit, temporalia negotia paucarum horarum spatio propter Dei cultum, et animarum salutem intermissa, integri diei accessione commode peragantur.

(89. « Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ post maturum examen, auditamque gravium, atque doctorum Virorum sententiam de proposita quæstione, Vobis significanda censuimus, quibus omnibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die quinta Novembris 1745. Pontificatus nostri anno sexto. »

(90. Regulares teneri inter Festa de præcepto observare Festum sui Sancti Fundatoris, tam quoad Forum, quam quoad Chorum, colligitur ex concessione facta Ordini Sancti Benedicti a Benedicto XIII, die 24 Januarii 1727, omnibus utriusque sexus sub regula ipsius Sancti militantibus indulgendo, quod quoties Festum Sancti Benedicti incidit in aliquam diem Majoris hebdomadæ, transferatur tamquam ad diem propriam, ad feriam tertiam post Dominicam in Albis, « ut in celebratione Festi, et Officii Sancti Patriarchæ omnes Monachi, et Moniales ejusdem Regulam profitentes uniformiter conveniant; » sunt hæc verba Indulti, ubi, ut vides, cum Festum, et Officium distincte ponantur, videntur importare diversa, adeoque festivationem quoad Forum per Festum, et Horas Canonicas quoad Chorum per Officium; qualem Decreti sensum facit Doctissimus P. Merati, dum in Indice Decretorum ad Breviarium spectantium num. 350, hæc notat verba : « Festum S. Benedicti quoties incidit in aliquam diem majoris hebdomadæ, ab omnibus utriusque sexus sub Regula Sancti Benedicti militantibus transferendum est tam quoad Forum, quam quoad Chorum, » ut dictum est in allegato Decreto supra in Indice num. 270, emanato die 23 Januar. 1727, sub quo num. 270, sequens affert Decretum : « Festum S. Benedicti, quod habet annexum Forum, incidens in aliquam diem majoris hebdomadæ, transfertur ad feriam tertiam post Dominicam in Albis, tamquam diem propriam, translato quocumque alio Officio etiam æquali ritus in eo occurrente; » Sac. Rit. Cong. 6 Sept. 1727, in Fulden. Idem antea statuerat pro omnibus Monachis, et monialibus Ord. S. Benedicti, Bened. Papa XIII, die 23 Januar. 1727. Hæc ibi.

(91. Ejusdem opinionis est Gujetus qui lib. 1, cap. 14, qu. 2, 3 et 4, lib. 2, cap. 19, qu. 3, vult Festum S. Fundatoris debere esse de præcepto, etiam quoad Forum, cum in Religione a se fundata instar Patroni principalis loci habeatur. Nec id repugnare videtur Constitutioni Urbani VIII, incipien. *Universa*, § 2, quum ibi statuat inter Festa de præcepto observanda etiam esse Festum principalis Patroni cujuscumque Civitatis, Oppidi, vel Pagi. Tum quia in occurrentia Fundatoris, seu Patroni Religionis, et Patroni principalis loci Regulares, præferenter ad Patronum loci, solemnizant Festum sui Fundatoris, ex variis Decretis Sacræ Rit. Congreg. et signanter in Senogallien. 22 Januar. 1680, in una Urbis; et Orbis 2 Jul. 1704, in Burgen. 25 Jul. 1736, et in Mechlinen. 16 Februar. 1737. relatis a Merati in Indice Decretorum ad Breviarium spectantium; et a P. Cavalieri tom. 2. par. 1. c. 26. *de Occurrentia, seu translatione Festorum*. Unde si Regulares tenentur ad festivandum etiam quoad Forum Festum principalis Patroni loci, quod apud ipsos cedit Festo sui Fundatoris, a fortiori tenebuntur ad Festum sui S. Fundatoris per tritam Regulam, « Si id de quo minus videtur inesse, et inest, igitur et de quo magis, » Authent. *Multo magis*, Cod. *de Sacrosanctis Eccl.* Accedit inveterata consuetudo apud Regulares celebrandi Vigiliam etiam cum Officio, et jejunio et solemnizandi præ omnibus tamquam de præcepto Festum sui respectivi

Digitized by Google

Fundatoris, quæ consuetudo est optima Legum interpres, c. *Cum dilectus* 8. *de Consuetud.* l. *Si de interpretatione* 37. ff. *de Legibus.* Quamvis alioquin eruditissimus P. Cavalieri loc. cit. cap. 13. num. 2. in fine, reputet Festum Fundatoris Religionis feriationem non importare, sed solemnitatem.

(92. In veteri Lege celebrabantur, et adhuc celebrantur in dies ab Hebræis, ultra Sabbatum qualibet hebdomada in memoriam creationis Mundi, quolibet anno septem aliæ peculiares Festivitates, nempe Pascha, Pentecostes, Scenopegia, Encœnia, Neomenia, Expiatio, et Collecta.

(93. Prima igitur solemnitas erat Pascha, in qua Agnus immolabatur, et interdicto fermento, solis azymis panibus vesci licebat: Hæc solemnia septem diebus celebrabantur primo mense Hebræorum *Nisan*, nostro Martio, in plenilunio correspondente, Deo sic præcipiente in gratiarum actionem liberationis Israelitici populi ab Ægypto, et servitute Pharaonis, uti habetur *Levitici* cap. XXIII. num. 6. ibi: *Quinta decima die mensis hujus, solemnitas Azymorum Domini est, septemque diebus Azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, et Sanctus; omne opus servile non facietis in eo.*

(94. Secunda erat Festivitas Pentecostes, hebraice nuncupata etiam *Sabahot*, id est Festivitas post septem hebdomadas solemnizata 50. diebus post Pascha mense *Sivan*, nostro Maio correspondente, in memoriam Legis a Deo traditæ Moysi in duabus lapideis tabulis *Levitici* cap. XXIII. num. 16. imperata his verbis: *Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum, omne opus servile non facietis in eo.*

(95. Tertia erat Scenopegia, id est Festivitas Tabernaculorum vulgo *Frascate*, et hebraice *Sukot* solemnizata septem diebus mense *Tirsi*, correspondente nostro Septembri, et ad commemorandum beneficium Divinæ protectionis, et deductionis per desertum, ubi sub tentoriis, seu tabernaculis ipsi Hebræi habitaverunt, pasti manna eis de Cœlo præstita; et hæc Festivitas habetur præcepta *Levitici* c. XXIII. n. 34. ibi: *A 15. die mensis hujus erunt Feriæ tabernaculorum septem diebus Domino.*

(96. In his tribus assignatis Solemnitatibus tenebantur Hebræi quotannis Hierosolymitanum Templum invisere, juxta præceptum eis impositum *Deuteronomii* cap. XVI. ibi: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei in loco quem elegerit, in solemnitate Azymorum, et in solemnitate Hebdomadarum, et in solemnitate Tabernaculorum.*

(97. Quarta erat Festivitas Encœniorum, id est novæ purgationis, seu dedicationis Templi, et celebrabatur per dies octo mense *Casleu* correspondente nostro Novembri, in memoriam novæ dedicationis Templi factæ sub Juda Malchabæo juxta id quod habetur 1. *Machabæor.* cap. IV. num. 59. ibi: *Et statuit Judas et Fratres ejus, et universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis Altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo a quinta, et vicesima die mensis Casleu cum lætitia, et gaudio.*

(98. Quinta erat Neomenia, id est novilunium, quæ Festivitas *Tubarum* celebrabatur prima die mensis septimi, id est Septembris, in memoriam liberationis Isaac, quando Abraham invenit arietem hærentem cornibus, quem repræsentabant per cornua, quibus buccinabant: Hæcque Festivitas erat eis indicta *Levit.* cap. XXIII, n. 24. ibi: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel. Mense septimo, prima die mensis, erit vobis Sabbatum memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur Sanctum; omne opus servile non facietis in eo.*

(99. Sexta erat Solemnitas Expiationis nuncupata a Judæis *Jomakiphurim*, ac celebrabatur decima die mensis septimi, id est Septembris in memoriam illius beneficii, quo Deus ad preces Moysis propitiatus est peccato Idololatriæ populi de adoratione Vituli in Deserto, et tenebantur tali die ad strictum jejunium in signum veridicæ pœnitentiæ, juxta præceptum eis impositum *Levit.* cap. XXIII. num. 27. ibi: *Decima die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus.*

(100. Septima erat Festivitas Collectæ, seu Cœtus celebrata die 22. mensis septimi, id est Septembris in octava Solemnitatis Tabernaculorum, ut sicut illa erat in memoriam Divinæ protectionis, et deductionis per desertum, sic hæc ultima in ejus octava commemoraret singulare Divinum beneficium, quo omnes in unum collecti, et unitim introducti fuerant in Terram Promissionis; et hæc Festivitas legitur eis indicta *Levitic.* cap. XXIII. num. 36. ibi: *Dies quoque octavus erit celeberrimus, atque Sanctissimus; et offeretis holocaustum Domino; est enim cœtus, atque collectæ, omne opus servile non facietis in eo.*

(101. Extincta veteri lege una cum dictis suis Festivitatibus, Sancta Mater Ecclesia nova Domini Sponsa, in nova Lege usque in Mundi finem perseveratura, afflata Sancto Spiritu, alias celebrandas Solemnitates substituit, uberius, ac vivius figuras, ac Mysteria in illis contenta exprimentes. Sabbati igitur loco substituta est Sanctificatio Dominicæ, quæ est prima dies a Deo creata, in qua manna primum Deus pluere fecit in deserto, in qua Christus resurrexit, in qua Spiritus Sanctus in Apostolos descendit, ex Concilio Palæstino celebrato sub Victore II.

(102. Paschati Azymorum successit Pascha Resurrectionis pro stabilienda puritate, et sinceritate vitæ Fidelium in evitando malitiæ, et peccati fermento, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth.* cap. v. num. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, et veritatis. Ipse enim resurrexit propter sanctificationem nostram: ad Roman.* cap. IV. n. 25.

Digitized by Google

(103. Festivitati Pentecostes Hebræorum pro Lege a Deo data Moysi in duabus lapideis tabulis, respondet nostra Solemnitas Pentecostes, in qua Spiritus Sanctus in igneis linguis supra Apostolos, et Discipulos descendit, imprimens in eorum cordibus Legem Caritatis in his duobus præceptis restrictam; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... et proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet, et Prophetæ; Matth.* cap. XXII. n. 27. et seq.

(104. Festivitati Scenopegiæ, seu Tabernaculorum pro manna comesta ab Hebræis in deserto, respondet Solemnitas Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, quæ est vera cœlestis manna summa Dei clementia ad spiritualem et perpetuam vitam animabus nostris elargita: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt... Ego sum Panis vivus, qui de Cœlo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Joann.* c. VI. n. 49. et seq.

(105. Pro Festivitate Encœniorum, seu nova dedicatione, et restauratione Templi indictæ sunt dedicationes, et Consecrationes Ecclesiarum, et Solemnitates Beatæ Mariæ Virginis, quæ est *Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti*, ut canit Ecclesia in Officio ejusdem Præsentationis 21 Novemb. Antiph. ad *Magnificat.* in 2. Vesp.

(106. Neomeniæ, seu Festivitati Tubarum successit Solemnitas Apostolorum, qui sunt tubæ Spiritus Sancti, et annunciatores Christi Mystici Isaac, per universum orbem: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines Orbis terræ verba eorum. Psalm.* XVIII. n. 5. *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Marc.* cap. XVI. num. 15,

(107. Festivitati Expiationis Idololatriæ commissæ in adoratione Vituli aurei in deserto, subingressæ sunt solemnitates Sanctorum Martyrum, *qui tradiderunt corpora sua in mortem, ne servirent Idolis*, ut canit Ecclesia in 2. Antiph. tertii Nocturni eorum Officii.

(108. Tandem Collectæ Hebræorum pro ingressu in terram Promissionis, correspondent Festivates omnium Sanctorum, Confessorum, Virginum, et non Virginum, suis pro meritis ad cœlestem Patriam, veram Promissionis terram, evectorum: Quorum cuilibet dictum est a Domino: *Euge, serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui Math.* cap. XXV. num. 21. Et omnes a nobis sic suppliciter deprecantur. « Quicumque in alta Siderum regnatis aula Principes, favete votis supplicum, qui dona Cœli flagitant. » Ecclesia in Hymno ad Laudes Festi omnium Sanctorum. Sic D. Thomas in *Summa* 1. 2. qu. 102. art. 4. ad decimum. Clericatus in suis apicis italice impressis, verb. *Encænia* per tot. et alii.

(109. Pro Sanctificatione Festorum juvat hic adducere varia loca, et motiva Sacræ Scripturæ.

Benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret. Genes. c. II. n. 3.

Requies Sabbati sanctificata est Domino. Exod. c. XVI. n. 23.

Sex diebus colligetis manna, in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur. Exod. XVI. n. 26.

Videte ut Sabbatum custodiatis, quia signum est inter me, et vos in generationibus vestris. Exod. c. XXXI. n. 13.

Custodite Sabbatum meum, Sanctum est enim vobis. Qui polluerit illud, morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui... Omnis, qui fecerit opus in hac die morietur. Exod. c. XXXI. n. 14. 15.

Custodiant Filii Israel Sabbatum, et celebrent in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me, et Filios Israel, signumque perpetuum. Exod. c. XXXI. n. 16 et 17.

Septimus dies erit vobis Sanctus, Sabbatum, et requies Domini; Qui fecerit opus in eo occidetur. Exod. c. XXXV. n. 2.

Custodite Sabbata mea... dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur. Levitic. cap. XXVI. n. 2. et 4.

Filii Israel invenientes hominem in solitudine colligentem ligna in die Sabbati, jussu Dei, eum interfecerunt. Num. c. XV. n. 32. ad 36.

Dies septimus celeberrimus, et Sanctus erit vobis; omne opus servile non facietis in eo. Num. c. XXVIII. n. 25.

Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. Deuteron. cap. V. num. 12.

Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento, idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbati. Deuteron. c. V, n. 15.

Quæ est hæc res mala, quam facitis, et profanatis diem Sabbati? Numquid non hæc fecerunt Patres vestri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super Civitatem hanc. Et vos additis iracundiam super Israel, violando Sabbatum; 2. Esdræ c. XIII. n. 17. 18.

Neomeniam, et Sabbatum, et Festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri; Kalendas vestras, et Solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Isai. c. I. n. 13. 14.

Beatus vir... custodiens Sabbatum, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat omne opus malum. Isai c. LVI. n. 2.

Qui custodierint Sabbata mea..... dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Isai c. LVI. n. 4. 5.

Nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem, et nolite ejicere onera de domibus vestris in die Sabbati, et omne opus non facietis; Sanctificate diem Sabbati. Jerem. c. XVII. n. 21. 22. *Sabbata mea violaverunt vehementer, dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et*

Digitized by Google

consumerem eos; Ezech. cap. xx. num. 13. *Odi et projeci Festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum. Amos* c. v. n. 21.

Judæi, qui per necessitatem Nicanorem sequebantur eum increpabant, quod in Sabbato vellet committere prælium. Ne ita ferociter, inquiebant, *et barbare feceris, sed honorem tribue diei Sanctificationis;* et post pauca *: Est Dominus in Cœlis, qui jussit agi septimam diem* 2. *Machabeor.* cap. xv. n. 2 et 4.

(110. Lepidum est quod in Anglia Judæus quidam nomine Salomon, postquam Sabbato in fœtidam cloacam decidisset, nolletque ex ea extrahi, ne Sabbatum violasse videretur, coactus fuit etiam Dominico die in eadem remanere. Nam cum ille diceret,

Sabbata Sancta colo, de stercore surgere nolo :

Respondit Judex ;

Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem.

Sic ex aliis refert Beyerlinck in *Theatro vitæ humanæ* tom. 3. verb. *Festum* litt. F.

(111. Hic ad eruditionem minus peritorum addere lubet quæ de Sancto Bubone, seu Bovo Confessore, ac ejus Festo traduntur.

Bobo, seu Bovus, aut Bobus, vulgo *S. Bovo*, Nugherii, vulgo *Noghiers*, in Gallia Narbonensi ex nobilissimis, opulentissimis, ac Christianissimis Parentibus, Patre scilicet Adelfredo, et Matre Olinda natus, licet militarem vitam Patrem imitatus ageret, virtutibus tamen Christianis magis ac magis in dies emicabat. Factus grandior Regionem ab irruentibus hostibus ex Hispania (quo tempore illa occupata Mauri, seu Saraceni vicina Galliæ loca excurrentes populabantur) tuebatur. Cum vero Fraxinetum insulam continenti, in quo Bovus arcem loco ditiore habebat, proximam occupassent, finitimosque populos assiduis excursionibus, et deprædationibus vexarent, arcemque Bobonis demoliri niterentur, is Beatissimis Apostolis Petro, et Paulo vovit, se depositis armis, orphanorum, et viduarum curam suscepturum, semelque quovis anno per totum vitæ suæ spatium ipsorum limina deinceps petiturum, si de dictis hostibus victoriam reportasset. Quare cum illi per visum eum bono, ac fidenti animo esse jussissent, non modo arcem illam cum paucis per medios hostes ingressus defendit, sed etiam illos ab insula depulit. Nam cum Rex illius Præfecti conjuge per vim potitus esset, Præfectus injuriam ulturus Bubonem clam in insulam cum peditibus, et equitibus admittit, qui plurimus ex hostibus repente eos adortus occisis Regi, et aliis ad nostram veram Fidem conversis parcens, insula penitus devastata, Regionem omnem finitimam omnino ab hostium metu liberavit.

(112. Exinde vita Fratris sui occisori, Dei pro amore, concessa, quod vovit fideliter adimplens, orphanorum, et viduarum cura suscepta, ac singulis annis limina Apostolorum petens, hoc in itinere Roma in Patriam rediens, tandem gravi morbo correptus, animam Deo reddidit circa annum 986. die 22. Maii apud Viqueriam, seu Vicheriam, aut potius, ut antiquis placuit Vicum Iriæ, quod Derthonensis Diœcesis inter ipsam Derthonam, et Papiam, ad fluvium Stafforam Oppidum est præclarum, nobile, et opulentum ibique sepultus est, et si quod pecus, vel armentum transisset super ejus tumulum, illico corruens moriebatur, donec locus elatis ligneis septus est; deindeque ad ipsius honorem fuit constructum Monasterium Ordinis Benedictini cum Ecclesia illi sacrata, posita per viam, quæ Magistra dicitur, in capite Suburbii S. Petro dicati, distante viginti circiter passus ab Ecclesia nova eidem S. Boboni, seu Bovo etiam sacrata cum Conventu PP. Capuccinorum.

(113. In Ecclesia Collegiata S. Laurentii dicti præclari oppidi quiescit Corpus ipsius S. Bobonis, qui aliter Bobus, vulgo S. Bovo appellatur, et ut Protector Principalis, et Advocatus tam Cleri, quam Oppidi, et Territorii Viqueriensis dicta die 22. Maii, solemni veneratione colitur, atque in officio quotidiano, dum Suffragia Sanctorum recittantur, ejus commemoratio celebratur; ibique, et alibi variis claruit, et in dies claret miraculis, ut videre est in ejus Legenda, quæ extat Viqueriæ in pervetusto Legendario de Vitis Sanctorum; quo utebantur Canonici Collegiatæ Sancti Laurentii in recitandis lectionibus ad Matutinum in Festivitatibus Sanctorum et apud eruditissimos Bollandianos ad dictam diem 22. Maii doctissimum Philippum Ferrarium in *Catalogo Sanctorum Italiæ* et in *Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt;* et apud alios, ex quibus sunt hæc nostra collecta.

(114. Quamvis tamen non omnes conveniant quoad diem sui decessus, et Festivitatis, aliis, inter quos dictus Ferrarius loc. citat. assignantibus ad diem 23. Maii, aliis ad diem 25. ejusdem Maii, ut Veronæ coli asserit idem Ferrarius, aliis ad diem 22. ut rectius ex multis dicti Bollandiani loc. cit. insuper referentes, quod in Missali Mediolanensis Ecclesiæ anni 1522. et in Breviario ejusdem Ecclesiæ anni 1529. et 1550. secundum institutionem Sancti Ambrosii in Kalendario præfixo ista leguntur; XI. Kalendas Junii S. Bovi Confessoris, qui et Bovus appellatur, Laudæ Pompeiæ, et Viqueriæ, et passim alibi, tum in Officio, tum Missa de Communi Confessoris non Pontificis primo loco : Et discrepant insuper Scriptores quoad locum, in quo ipsius Sancti Corpus quiescat, aliis volentibus, ut supra, ipsum quiescere Viqueriæ, aliis autem Papiæ : Qui tamen facillime conciliari possunt si asseratur, primitus fuisse quidem sepultum Viqueriæ, et ibidem per multum temporis quievisse, ubi adhuc in præsentiarum existit maximo culto venerata insignis ejus Reliquia in Ecclesia præclarissimorum PP. Cappuccinorum ipsi Sancto sacrata; et ob ingruentium bellorum pericula, et hostiles incursiones Papiam translatum, ac multis evolutis annis fuisse ibidem in Ecclesia S. Apollinaris repertum in arca lapidea die 6. Februarii cum ejusmodi inscriptione : *Hic requiescit Corpus S. Bobonis;* multis luminaribus statim in ea

Digitized by Google

Basilica, ac Stella supra tectum visis, ut ex aliis tradit dictus eruditissimus Ferrarius l. c. in fine.

(115. Viqueriæ autem nihilominus recitantur sequentes Orationes mihi illinc fideliter transmissæ, una cum pia ipsius Sancti Imagine impressa, et inscriptione adjecta.

Oratio S. Bovi Conf. 22. Maii.

« Propitiare nobis, quæsumus Domine, tamulis tuis per hujus Sancti gloriosi Confessoris tui Bovi, qui in præsenti requiescit Ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum, etc. »

Alia Oratio ejusdem.

« Deus qui in præclara S. Bovi Confessoris tui inventione præfulgidam de Cœlis stellam visibiliter radiare fecisti, ut ipsum in S. Apollinaris Ecclesia vere requiescere demonstrares : concede propitius, ut quod a Te suppliciter petimus, ejus pia nobis intercessione donetur. Per Dominum, etc. »

Inscriptio vero supradictæ ipsius Sancti Imagini adjecta, hæc est.

« Imagini di S. Bovo Confessore, e Protettore dell' Insigne Luogo di Voghera, e difensore delli Armenti, una Reliquia del quale è con ogni riverenza collocata nella Chiesa de' Padri Cappuccini del detto Luogo, quale divotamente viene da Popoli adorata, e tale Immagine è dedicata alla gloria di Dio, ed al merito dello stesso Santo, che ci preservi li bestiami, ed armenti, e ci difenda da ogni male. »

Can. Graminea scul. super. lic. 1717.

SUPPLEMENTA AUCTORIS.

(116. Festi dies in pietatis operibus, non in negotiis sæcularibus sunt transigendi. Benedictus XIV. tom. 1. Constit. 144. incip. *Ab eo tempore* § 17. Festi dies non sunt omnes æque solemnes. (117. Idem *ibid.* § 7. (118. Festorum dierum observantia arctiori præcepto fuit in lege veteri injuncta, quam nunc in Ecclesiasticis legibus. (119. Idem *ibid.* § 10. Festis diebus prohibentur mercatus rerum venalium. (120. Nundinæ vero tolerantur sub certis conditionibus, nempe ut ipsis diebus Festis tempore nundinarum occurrentibus apothecæ claudantur, et Religioni, ac pietati opera detur. Idem *ibid.* et Constitut. 105. incip. *Paternæ Caritatis*, in (121. qua ut in Civitate Senogalliensi tempore nundinarum diebus Festis de præcepto a servilibus operibus abstineatur, prorogatur tempus ad dictas nundinas per alios quinque dies peragendas.

(122. In Diœcesi, ubi adest consuetudo exercendi artem barbitonsoriam, etiam die festo, permitti potest; sed tantummodo definitis diebus, non vero omnibus. Benedict. XIV. *Institut. Eccl.* 43. per tot. Opus est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum; *ibid.* § 2.

(123. Opera servilia diebus festis prohibentur, ne ruralibus quidem exceptis. Conceduntur tamen, si urgeat vera et non affectata necessitas. Affectata vero illa diceretur in qua opera, quæ diebus præcedentibus fieri possent, ad diem sanctum transferrentur. Petenda est tamen a Superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc vero facultatem dare solet Episcopus Parochis ruralibus in ordine ad opera agrestia, qualia se haberent oneratio plaustrorum, collectio frugum, et fructuum, herbam secare, colligere fœnum, quando periculum imminet veræ tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in Civitatem, nec posset commode id differri. *Instit. Eccles.* 55. § 33. et seqq.

Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi molendinum aqua, vel vento, seu jumentis volvatur ; non possunt, inquam seclusa consuetudine, vel necessitate : quæ necessitas si adsit, in Diœcesi Bononiensi facultas non a Parocho, sed ab Archiepiscopo conceditur, *ibid.* § 27.

(124. Piscatio inter opera servilia, die festo vetita, referenda est ; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla fieret; tunc pauperioribus piscatoribus datum est, ut operi illi incumbere possint, dummodo id non præstent die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, et Corporis Christi, juxta ac olim concessum fuit Trevirensibus ab Alexandro III. de Synodo Diœc. lib. 13. cap. 18. § 10. nov. edit.

(125. Festi dies in Ecclesiis non Parochialibus ita sunt celebrandi , ut non avertatur populus ab Ecclesia Parochiali. Idem Constitut. 42. incipien. *Etsi minime* § 15. (126. Festi dies Ecclesiæ Latinæ observari debent a Græcis degentibus in Italia, et insulis adjacentibus. Idem Constitut. 57. incip. *Et si Pastoralis* § 9. (127. Festorum dierum distributio per annum juxta Kalendarium Gregorianum ab Italo Græcis est servanda. Idem *ibid.*

(128. Festorum dierum imminutio communiter expetita ; absque Episcoporum consensu a Pontifice declaratur non statuenda. Idem in cit. Constitut. *Ab eo tempore* § 15. (129. Festorum dierum reductio conceditur pro nonnullis Diœcesibus Hispaniæ. Idem Constitut. 62. incip. *Cum sicut.* (130. Festorum dierum reductio conceditur pro Diœcesi Niciensi cum conditionibus opportunis adhuc in ipsis Sacrum audiendi. Idem Constit. 128. incip. *Inter sollicitas.* (131. Festi dies æstivis mensibus occurrentes infra hebdomadas, ad dies Dominicos transferuntur pro nonnullis locis Regni Poloniæ ob agriculturæ necessitatem. Idem Constitut. 138. incip. *Nuper.* Excepto Festo assumptionis B. M. V. idem *ibid.* Et nihil immutato quoad ordinem Divinorum Officiorum. Idem *ibid.*

(132. Festorum dierum imminutio ab Urbano VIII. olim facta assignatur a Benedicto XIII. tom. 2. Constitut. 63. incip. *Non multi menses.* (133. Nova eorumdem imminutio a multis Episcopis, aliisque gravibus viris optatur. Idem *ibid.* (134. Pontifex

Digitized by Google

decreturus sine consilio, rationes in utramque partem colligit, et varios illius exsequendæ modos demonstrat in peculiari dissertatione, quæ per Ecclesias fuit transmissa. Idem *ibid.* (135. Acceptis quadraginta diversi Ordinis Consultorum sententiis, ex consensione majoris partis nihil generaliter præcipere statuit, sed peculiarem Episcoporum instantiam exspectare. Idem *ibid.*

(136. Modum vero illum sibi servandum proponit, quem Tarraconensis Concilii Patres excogitarunt, ipsisque petentibus Benedictus XIII approbavit; Ut scilicet firmum remaneat præceptum audiendi Missam, sed liceat in aliquibus Festis opera servilia exercere. Idem *ibid.* (137. Dissentiones inter doctos viros diversa sentientes exortæ cum in Ecclesiasticæ pacis perturbationem vergerent, a Pontifice sedantur, interdicta scriptorum quorumcumque publicatione super hujusmodi reductionis negotio sub gravissimis pœnis, ac Censuris Papæ reservatis, ne quis in posterum libros, scripturas, vel alia opera quæcumque audeat typis imprimere, seu aliter in lucem edere, in quibus de imminutione dierum Festorum de præcepto, sive pro ea, sive contra eam, agatur. Idem *ibid.*

(138. Festorum aliquot dierum observantia in Regno Siciliæ citra Pharum, et in Diœcesibus Messanensi et Panormitana reducitur juxta methodum supra expositam. Idem tom. 2. Const. 65. incip. *Cum sicut quadam.* (139. Festis diebus personatos incedere fideles in universa ditione Ecclesiastica prodere fideles in universa ditione Ecclesiastica prohibetur. Idem Constitut. 45. incip. *Inter cætera.* Item circumforanei saltatores, scurrones, et hujusmodi saltem matutinis horis, et ante expleta Officia Vespertina populum detinere vetantur. Idem *ibid.*

(140. Hic juvat adducere Catalogum italico idiomate impressum de' Vescovi, e Diocesi, che sinora, cioè sino all' anno 1748. hanno ricercata, ed eseguita la facoltà di sminuire le Feste di precetto, quanto sia per potere attendere alle opere servili.

NE' REGNI DELLE SPAGNE.

Le Città e Diocesi

Di Ceuta.	Di Monaognedo.
Di Siviglia.	Di Malaga.

PER ISTANZE FATTE DAL FU RE CATTOLICO FILIPPO V.

Le Città e Diocesi

Di Vagliadolid.	Di Calahorra.
Di Salamanca.	Di Olivares.
Di Jaen.	

Le Città e Diocesi

Di Compostella.	Di Tui.
Di Plasenzia.	

Le Città e Diocesi

Di Guadix.	Di Balbastro.
Di Huesca.	Di Tarazona.
Di Tervel.	

Le Città e Diocesi

Di Saragozza.	Di Oviedo.
Di Pamplona	Di Tudella, e Villa
Di Albarazin.	di Fiteto Nullius
Di Jacca.	

La Città e Diocesi di Cadice.
Alcune Università della Diocesi di Badajoz.

IN FIANDRA.

La Città e Diocesi d'Ipri.

IN SARDEGNA.

La Città e Diocesi di Cagliari.

IN POLONIA.

Le Città e Diocesi

Di Cracovia.	Di Posnania.
Di Vilna.	Di Uladislevia.

IN GERMANIA.

Le Città e Diocesi

Di Liegi.	Di Basilea.

IN SICILIA.

Le Città e Diocesi

Di Siracusa.	Di Girgenti.
Di Patti.	Di Cefalù.

NELLO STATO ECCLESIASTICO.

Le Città e Diocesi

Di Fermo	Di Ferentino.
D'Ascoli.	Di Sezza.
Di Montalto.	Di Terracina.
Di Ripa Transona.	Di Piperno.

IN TOSCANA.

Le Città e Diocesi

Di Pienza.	Di Chiusi.
Di Masra di Siena.	Di Grosseto.
Di Montalcino.	Di Soana.

NEL CONTADO DI NIZZA.

La Città e Diocesi di Nizza.

Sic expresse in fine Libri *Raccolta di Scritture*, sub dat. In Lucca 1748.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Quatuor potissimum hic sunt discutienda. I. Quis possit indicere dies festos? II. Quid importet observatio dierum Festorum? III. Quis possit dispensare super observatione dierum festorum? IV. Quis animadvertere possit in Violatores dierum Festorum?

(141. Ad primum quod attinet, Potestati sæculari jus haud est indicendi hos, de quibus agimus, dies festos; Capon. discept. 208. num. 25. Cortiad. decis. 171. num. 8. et sequent. Jus hoc est Summi Pontificis in toto Orbe, et Episcopi in sua Diœcesi. Non ignoro quod sunt, qui autumant, Episcopum post Constitutionem Urbani VIII. haud posse amplius dies festos indicere; Capon. dict. discept. 208. num. 36. Ventriglia in *Prax. Jur. Eccles.* part. 1. adnot. 16. § 1. n. 3.

Digitized by Google

Sed posse alii, et quidem rectius, sentiunt « quum (ut ait Romaguer. *ad Synodal, Gerunden.* lib. 2. tit. 1. c. 1. num. 11.) textualiter in ea solum legatur admonitio facta Episcopis, ut se abstineant publicare novas festivitates ultra in dicta Constitutione præscriptas, non autem clausula aliqua facultatem eis de jure competentem abdicans. » Confer. etiam Gonzal. in cap. final. num. 17. *Feriis.*

Debet vero Episcopus dies festos indicere, cum consensu Cleri. An item adhibere debeat consensum Populi, controversia est. Adhibere utique debere de jure, vigore mox dicti cap. final. *de Feriis*, nequaquam vero de consuetudine, quæ jus in hac parte abrogavit, tenent Romagur. ubi supra num. 12. Fagnan. in cit. cap. final. num. 31. et sequent. *de Feriis.* Zypæus in *nov. Jur. pontific.* tit. *de Feriis*, n. 3. Cortiad. dist. decis. 171. num. 16.

Hinc autem patet quid sentiendum sit de propositione illa generali ab Auctori n. 10. his verbis firmata : « Festa de præcepto servanda institui non possunt invito Populo. » Si enim intellexit Auctor de diebus festis indictis a Summo Pontifice, manifesto erravit, quum Summus Pontifex adhibere haud teneatur consensum Populi. Sin autem de diebus festis intellexit ab Episcopo indictis, improbari nequit, quum sint et hodie qui sentiant, teneri Episcopum adhibere consensum Populi.

Tametsi autem Potestas sæcularis indicere haud valeat dies festos, potest tamen dies festos a Summo Pontifice, vel Episcopo indictos munire adjectione pœnas ; Fagnan. in cap. *Conquestus* n. 72. *de Feriis.* Pignatell. consult. *Canon.* tom. 1. consult. 8. num. 2. Bellet. *disquisit. Cleric.* tit. *de fav. Cler. real.* § 5 num. 101. Barbos. *de offic. et potestat. Episcop.* allegat. 105. num. 42.

(142. Quod concernit secundum, duo observantia festorum imoortat præcepta : alterum *affirmativum* audiendi Missam, *negativum* alterum cessandi ab operibus servilibus. Plures circa utrumque hoc præceptum occurrunt quæstiones. De piscatione præsertim disputatur, an ea veniat sub præcepto negativo ? Vide si lubet Romaguer. *ad Synodal. Gerund.* lib. 2. tit. 1. cap. 5. per tot.

(143. Quoad tertium, solius superioris Ecclesiastici est dispensare super observatione dierum festorum. Potestati sæculari minime est jus hoc ; Pignatell. *Consult. Canon.* tom. 1. consult. 8. num. 3. Pilaja *Decis. Canon.* lib. 1. decis. 7. num. 98. An autem dicta dispensatio gratis, et quibus in casibus concedi debeat, tradunt Capon. discept. 211. et Rursus discept. 212. utrobique fere per tot. Barbos. *de Paroch.* cap. 16. per tot.

(144. Restat, ut de quarto et ultimo disseratur. Porro separandi sunt ii, qui ratione personæ subjecti sunt Episcopo : nam hos punire non potest nisi ipse Episcopus ob violationem dierum festorum. Quoad vero cæteros, locum esse prævention inter Judicem Ecclesiasticum aut sæcularem post Constitutionem Sancti Pii V. tenent Capon. discep. 208. num. 27. Tondut. *de Prævent.* part. 2. cap. 29. num. 3. et seq. Nicol. *Lucubrat. Canon.* lib. 2. tit 9. num. 6. Romaguer. *ad Synod. Gerund.* lib. 2 tit. 1. cap. 1. n. 21. qui num. 22. subdit : « Non tamen si ab Episcopo, aut alio ad quem spectat, verbo, aut scriptis sit data licentia laborandi in talibus diebus, nam tali casu non possunt Potestates sæculares eos punire, etiam non exhibeantur tales licentiæ.

Verum si violatio versetur circa præceptum non *negativum*, sed *affirmativum*, congruentius videtur, ut procedat unus Judex Ecclesiasticus, non item Judex sæcularis; Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia Canonica*, verb. *Festi dies*, num. 7.

FEUDUM.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Feudum quoad ea quæ concernunt ejus Originem Naturam et Divisionem.*

. Feudum, unde originem habeat et trahat controvertitur inter Doctores. — 2. Probabilius originem trahit a Longobardis. — 3. Feudi nomen derivatur a fide, seu fidelitate. — 4. Feudum definitur. — 5. Exponuntur singulæ particulæ definitionis, usque ad n. 9. — 10. Feudum dividitur primo in Feudum proprium, et improprium, et quid sit utrumque. — 11. In dubio omne Feudum præsumitur proprium. — 12. Secundo, dividitur Feudum in Regale. et non Regale, et quid sit. — 13. Tertio, dividitur Feudum in Nobile, et Ignobile, et quid sit utrumque. — 14. Quarto, dividitur Feudum in Ligium, et non Ligium, et quid sit Feudum Ligium, et unde derivatur nomen *Ligium.* — 15. Non potest quis a duobus Dominis distinctis, seu Regibus Feuda Ligia accipere. — 16. Feuda Ligia non nisi a Supremis Principibus Superiorem non agnoscentibus dari possunt. — 17. Feudum non Ligium quid sit. — 18. Quinto dividitur Feudum in Ecclesiasticum, et Sæculare, seu Laicale, et quid sit utrumque. — 19. Episcopi, et alii Clerici habentes Feudum Sæculare, seu Laicale in causa Feudali subjiciuntur Domino Sæculari. 20. Sexto, dividitur Feudum in Novum, et antiquum, et quid sit utrumque. — 21. Septimo, dividitur Feudum in Hæreditarium, et in Feudum Familiæ, seu ex pacto, et providentia, et quid sit utrumque. — 22. Octavo, dividitur Feudum in Masculinum, et femineum, et quid sit utrumque. — 23. Alii dicunt etiam illud Feudum esse femineum, in quo ex speciali Investitura feminæ succedere possunt, etsi primitus collatum sit Masculo. — 24. In utroque tali Feudo femineo feminæ nequeunt succedere, nisi Masculis deficientibus. — 25. Nono, dividitur Feudum in Francum, et non Francum, et quid sit utrumque. — 26. Decimo dividitur Feudum in Reale, et Personale, et quid sit utrumque. — 27. Feudum Personale aliud dicitur *de Camera*, et quid sit. — 28. Aliud dicitur *de Cavena*, et quid sit. — 29. Cavena quid sit. — 30. Aliud est *Guardiæ*, et quid sit. — 31. Aliud est *Gastaldiæ*, et quid sit. — 32. Aliud est *Soldatæ*, et quid sit. — 33. Cuncta dicta Feuda Personalia dicuntur tantum improprie Feuda. — 34. 35. Quid sit Feudum Ecclesiasticum in sensu stricto. — 36. De ejus origine et occasionibus. — 37. 39. An in dubio *proprium* vel *improprium* censeri debeat. — 40. An subsit juri communi feudali.

ARTICULUS II. — *Quoad ea quæ concernunt illos, qui dare, accipere, et succedere possunt in Feudum.*

1. In Feudum dare possunt omnes, et soli rerum

Digitized by Google

suarum administrationem habentes. — 2. Etiam Plebei, et Feminæ dare possunt in Feudum bona sua allodialia, — 3. Episcopi, Abbates, ac cæteri Prælati, et Superiores Ecclesiastici, adhibitis requisitis Juris solemnitatibus, possunt in novum Feudum concedere bona Ecclesiæ. — 4. Imo Ecclesiarum Prælati possunt etiam sine Juris solemnitatibus in Feudum concedere bona Ecclesiastica ab antiquo in Feudum dari solita. — 5. Etiam minor potest Antiquum Feudum concedere, licet non possit Novum. — 6. Papa noviter assumptus in Summum Pontificem debet promittere, et jurare de non infeudandis Civitatibus, Oppidis, et locis S. R. E., et post Coronationem debet suis litteris confirmare. — 7. Hujusmodi infeudationes consulentes, easque Summo Pontifici per se, vel alium insinuantes, vel suadentes Excommunicationis pœnam, confiscationis bonorum, et privationis Dignitatum, ac Beneficiorum eo ipso incurrunt. — 8. Cardinales in assumptione pilei, et Sede Vacante in Conclavi jurare debent Constitutionem S. Pii observare, eique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, nec absolutionem a juramento petere, nec oblatam, aut concessam acceptare. — 9. Civitates, Oppida, Loca Romanæ Ecclesiæ etiam infeudari, seu alienari solita ad Sedem Apostolicam quomodolibet devoluta, et pro tempore devolvenda, eo ipso Cameræ Apostolicæ absque alia declaratione incorporata censentur. — 10. Et etiam antequam devolvantur, non obstante declaratione contraria Gregorii X. V. pro ut ex post statuit Innocentius XI. — 11. Dictam Bullam S. Pii V. declaratam ab Innocentio IX. confirmavit, et innovavit seque servaturum promisit, ac juravit Clemens VIII. et declarationem Gregorii XIV revocavit, et annullavit, quod et fecerunt alii Pontifices successores, ut patet ex Regula 64 Cancellariæ. — 12. Stantibus supradictis, clarum est hodie Papæ non licere quemquam investire de Feudo non aperto. — 13. Feudum accipere potest quilibet, qui nominatim non reperitur prohibitus. — 14. Feudum accipere potest Femina. — 15. Etiam Minorennis, et Pupillus. — 16. Etiam Superior potest accipere Feudum ab inferiore, — 17. Etiam Clerici Feuda accipere possunt. — 18. Succedunt in Feudis primo loco descendentes Filii, et Nepotes. — 19. Filii succedunt in capita æqualiter, et Nepotes in stirpes. — 20. Filii æqualiter succedunt, quamvis sint ex diverso Matrimonio. — 21. In Feudis individuis solus Primogenitus succedit, cujus filius tanquam nepos Patris præfertur secundo genito. — 22. Filii adoptivi non succedunt in Feudis. — 23. Nec succedunt filii illegitimi, quamvis legitimati, nisi forsan per subsequens Matrimonium legitimentur. — 24. Imo succedere possunt etiam legitimati per rescriptum Principis, si Princeps specialiter ad similem successionem eos legitimat. — 25. Quinimo filii quoque etiam juste exhæredati, in Feudo succedunt, nisi Feudum dependeat ab hæreditate. — 26. Ascendentes regulariter in Feudo non succedunt. — 27. Dantur varii casus, in quibus ascendentes succedunt. — 28. Deficientibus descendentibus, regulariter succedunt Collaterales Agnati, tam consanguinei quam Germani, non item Cognati. — 29. Deficientibus descendentibus, et fratribus, succedunt nepotes ex fratribus in capita, non in stirpem. — 30. Deficientibus etiam nepotibus ex fratre, succedunt agnati illi, qui ex linea Defuncti Vassalli descendunt, quamvis adsint alii proximiores primo acquirenti ex alia linea venientes. — 31. Tam descendentes, quam agnati collaterales succedunt in infinitum. — 32. Quæ hactenus de successione Collateralium dicta sunt, intelligi debent de solis Feudis antiquis. — 33. Clerici, et Religiosi in Feudis propriis servitium personale inconveniens statui indispensabiliter requirentibus succedere non possunt, imo prius habita dimittere debent. — 34. Clerici, et Religiosi succedere possunt in Feudis propriis, si sint annexa Dignitati Ecclesiasticæ, aut in vi investituræ, statuti, vel consuetudinis id eis competat. — 35. Clerici, et Religiosi succedere possunt in Feudis Francis, hæreditariis, femineis et in aliis impropriis. — 36. In prædictis Feudis succedit etiam Monasterium bonorum capax loco sui Religiosi professi. — 37. Solummodo tamen quandiu talis Religiosus vivit, quo mortuo, transit ad alios agnatos proximos, vel agnatis deficientibus, ad Dominum. — 38. Nisi sit Feudum perfecte hæreditarium, in quo non minus Monasterium, ac alii hæredes perpetuo succedere possunt. — 39. In Feudis Regalibus Monasterium loco professi non succedit. — 40. Succedit tamen in Oppidis, et Castris Juris lictionem habentibus. — 41. Feminæ et descendentes ab eis etiam masculi regulariter in Feudis non succedunt. — 42. Succedunt tamen in Feudis Femineis, vel ubi vi specialis pacti etiam feminis succedere licet. — 43. Dummodo tamen nullus masculus exstet. — 44. Femina in Feudo investita non repellitur a masculo postea nato. — 45. Nisi tamen hic masculus tempore Investituræ jam fuerit in utero Matris. — 46. Olim nulla debetur in Feudis successio; at postea fuit moribus, et legibus introducta, et successive magis extensa. — 47. De Feudorum Ecclesiasticorum Constitutione, Remissive. — 48. ad 49. De infeudatione ex allodialibus laicorum rebus.

ARTICULUS III. — *Feudum quoad ea quæ concernunt modos, quibus acquiritur, causas, ob quas amittitur, et Jura, ac obligationes, quas ratione ipsius habent tam Dominus, quam Vassallus.*

1. Quibus potissimum modis Feudum acquiri potest. — 2. Per pactum quid intelligatur. — 3. Investitura quid sit. — 4. Investitura alia propria, alia impropria. — 5. Investituræ necessitas. — 6. Sufficit impropria. — 7. Investitura potest per alium, tam dari, quam accipi. — 8. Feudum acquiritur etiam præscriptione triginta annorum. — 9. Ad sic autem præscribendum contra Ecclesiam, vel alia loca pia requiritur spatium quadraginta annorum. — 10. Ad hanc præscriptionem requiritur bona fides. — 11. Sufficit bona fides, etiamsi sit sine titulo. — 12. Dominus directus contra Vassallum præscribere potest, ut propria, et Allodialis res Vassalli evadat Feudalis. — 13. Ita etiam Vassallus contra Dominum directum præscribere potest, ut ex re Feudali fiat allodialis Vassalli. — 14. Feudum acquiritur etiam successione. *Remissive.* — 15. Feudum ob quatuor præsertim causas, amitti, ac finiri potest, scilicet primo ob malam alienationem, secundo ob non petitam investituram, tertio ob rem refutatam feudalem, quarto ob commissam feloniam. — 16. Primo Vassallus Feudum amittit, si illud absque Domini consensu alienet in casibus, in quibus consensus requiritur. — 17. Secundo amittitur Feudum, si contingente mutatione, sive ex parte Domini, sive ex Parte Vassalli ob mortem, vel alium casum, intra annum, et diem de novo non petitur Investitura. — 18. Ut ob neglectam Investituræ renovationem Feudum amittatur, necesse est, quod dolose, vel culpabiliter negligatur. — 19. Hæc renovatio investituræ non est in usu in statu Mediolani. — 20. Tertio amittitur Feudum per refutationem, seu renunciationem, seu resignationem. — 21. Feudum etiam absque consensu Domini licite, et valide resignari potest in proxime successurum. — 22. Extraneo nequit absque consensu Domini renunciari. — 23. Resignatio, seu Refutatio Feudi antiqui cum consensu Domini facta Extraneo, seu etiam ipsi Domino tenet solum quandiu talis Vassallus resignans vivit; eo autem mortuo, redit ad proximos agnatos æque, ac si non resignasset. — 24. Quarto amittitur Feudum ob commissam, et quid sit felonia. — 25. Ad quos autem revertatur, an ad Dominum, vel Agnatos Vassalli Feudum amissum ob aliquam ex supradictis causis. *Remissive.* — 26. Assignatur jus competens Domino directo Feudi. — 27. Assignantur obligationes Domini di-

Digitized by Google

recti erga Vassallum. — 28. Assignatur jus competens Vassallo. — 29. Assignantur obligationes Vassalli erga Dominum directum. — 30. Obligatur Vassallus, ut contingente mutatione, sive ex parte sui, sive ex parte Domini petat renovationem investituræ, et Domino Fidelitatem juret. — 31. Vassallus sine consensu Domini potest alienare Feuda hæreditaria concessa sibi pro suis hæredibus, et quibuscumque dederit. — 32. Item potest Vassallus sine consensu Domini alienare Feudum proximiore agnato immediate in Feudum successuro. — 33. Item potest Vassallus etiam absque consensu Domini Feudum alteri in Feudum dare, dummodo subinfeudandus sit ejusdem conditionis cum Vassallo principali. — 34. Item sine consensu Domini potest Vassallus Feudum ad modicum tempus locare, dummodo locatio non sit fraudulenta alienatio. — 35. Non potest tamen Vassallus sine consensu Domini Feudum donare. — 36. Nec hypothecare. — 37. Nec permutare. — 38. Nec testamento relinquere, aut legare. — 39. Nec in solutum, nec in dotem dare. — 40. Posset tamen Feudum in dotem dari sine consensu Domini, ubi particularis lex, vel consuetudo id concederet. — 41. Item in dotem dari potest sine consensu Domini, ubi mulier, pro cujus dote Feudum datur, esset dotanda in Feudo proxime successura. — 42. Item sine consensu Domini Mulier Feudataria potest sibi ipsi in dotem Feudum dare, dummodo det inæstimatum. — 43. In Regno Neapolitano mulier nequit id facere sine consensu. — 44. Vassallus sine consensu Domini nequit Feudum vendere, nec alio quocumque contractu, quo jus reale transfertur, alienare. — 45. Feudum novum potest Vassallus cum consensu Domini quocumque contractu alienare. — 46. Non item antiquum, accedat etiam consensus agnatorum. — 47. Feudum antiquum male alienatum, si proximus agnatus suo tempore non revocat, possunt illud, eo mortuo, agnati remotiores revocare. — 48. Agnatis competit jus retractus Feudi absque eorum consensu alienati. — 49. Licitum est alienare Feudum ad ratificationem Domini, seu sub clausula et conditione : si Dominus consenserit. — 50. 55. De successione in Feuda Ecclesiastica. — 56. De Felonia in his Feudis commissa. — 57. De ejus remissione. — 58. De Feudo Ecclesiastico in sensu lato. *Remissive.*

ARTICULUS I.

Feudum quoad ea quæ concernunt ejus originem, naturam et divisionem.

(1. Unde originem trahat Feudum, controvertitur inter Doctores. Aliqui enim cum Zasio in l. 2. verb. *Curias*, ff. *de Origine Juris*, et Cujac. in *Commen. ad. l. Feud.* in princ. volunt Feuda originem habere ex antiquo Romanorum Jure. Alii cùm Luca de Penna in l. *Quicumque*, C. *de omni Agro desert.* l. 11. sustinent Feuda cœpisse tempore Justiniani. Alii dicunt, Feuda a Gallis ad Germanos, Italos, Hispanos, et alias Europæ Provincias venisse, ut potest videri apud Fachin. lib. 7. cap. 1. (2. Communior tamen, ac probabilior tenet Feuda originem habere, ac primitus concessa fuisse a Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, quorum Feudorum consuetudines Obertus de Orto, et Gerardus reduxerunt ad earum legum Feudalium formam, quam habemus, ut testatur Card. de Luca lib. 1. *de Feudis* disc. 2. num. 5. Fachin. lib. 7. cap. 1. Harprecht. in *annotat. ad Jul. Clar.* in § *Feudum* q. 1. num. 11. Engel. lib. 3. *Decret.* tit. 20. num. 1. Reiffenstuel *ibidem* num. 3. et complures alii. Et ratio est, quia in libris Feudorum sæpius fit mentio Longobardorum, et legum Longobardicarum ; ut in lib. 2. tit. 1. *de Feudi cognitione.* Item lib. 2. tit. 8. *de Investitura*, rursus lib. 2. tit. 58. *de Notit. Feud.* et sæpe alibi. Tum quia multa vocabula Feudalia arguunt linguam Longobardorum, velut Morgenatica, Marchia, Marchio et Fachin. lib. 7. *Controv.* cap. 1. Harprecht loc. cit. Engel. loc. cit. et alii. (1) (3. Feudi nomen derivatur a Fide seu Fidelitate, lib. 2. *Feud. tit.* 3. *Per quos fiat Investitura*, ibi : « Cum a Fidelitate Feudum dicatur, vel a Fide. » Natura enim Feudi proprie est obligare Feudatarium, ut specialem exhibeat fidelitatem erga Dominium suum directum, cujus est Vassallus, cit. lib. 2. *Feud.* tit. 3. *Per quos fiat Investitura*, ubi sic dicitur : « Nulla investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat ; » Sic Rosental c. 1. *de Feud.* conclus. 7. lib. 1. Engel lib 3. *Decretal.* tit. 29. num. 2. et alii communiter.

(4. Feudum proprie dictum est res immobilis alicui, quoad dominium utile, liberaliter, et perpetuo concessa sub onere fidelitatis, et obsequii personalis præstandi. Est in re communis, et habetur clare ex § fin. l. 2. *Feud.* cap. 33, ubi ita describitur : « Est beneficium illud : quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat, ususfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum heredesque suos Masculos, sive Feminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat ad hoc ut ille, et sui heredes fideliter Domino serviant (2). (5. Dicitur primo *res immobilis*, ut denotetur, quod res mobilis Feudum esse nequit, arg. cit. § fin. lib. 2. *Feud.* cap. 23. ibi : « Rei immobilis. » Nomine autem Rei immobilis non tantum veniunt res corpora-

(1) De Feudorum origine, nomine, et diversis speciebus vide magistralem dissertationem 2, apud Ludovic. Anton. Murat. Antiquit. Medii Evi. Ubi quamplura afferens authentica documenta multos submovet errores, et in fine addit tractatum de Feudis usque tunc ineditum et Dissert. in Veneta edit. præmis. comment. Cujac. in 5, lib. Feudorum tom. 2, pag. 1033, et seq. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Magis propriam, et ad feudorum naturam explicandam accommodatam ex Cujacio habemus definitionem comment. in lib. 5. *Feud.* in princ. pag. 1067, circa med. « Jus pretio alieno in perpetuum utendi fruendi, quod pro beneficio Dominus dat ea lege, ut qui accepit sibi fidem, et Militiæ munus, aliudque servitium exhibeat; » vel ex Hotomano disput. de Feudis, cap. 4. « Feudum est clientela militaris ea lege contracta, ut Cliens pro beneficio accepto militarem operam præbeat, vicissimque Patronus suam illi fidem, benevolentiamque præstet : » cui definitioni si id addas, quod fere ab omnibus omitti solet : firmissam adeo hanc militarem clientelam esse, ut nisi certis de causis certaque forma exigendis dissolvatur ; Rursus beneficium intelligendum illud jus traditum re aliena perpetuo utendi, fruendi, et demum feudatarium præcipuas notas complexum esse, quibus ab alio quocumque contractu, nexuque civili Feudum distinguas, perfectam feudorum habebis definitionem. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

rales, et solo cohærentes, ut Castra, et prædia, sed etiam Jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, ut Jura piscandi, venandi, jurisdictionem exercendi, vectigalia accipiendi, et similia; arg. l. et § fin. Cod. *de Præscript. longi temp.* juncta Clem. 1. *de rebus Eccl. alien. vel non.* Sic etiam census, et redditus annui, Clement. *Exivi* § *Cumque annui de V. S.* ibi : « Cumque redditus annui inter immobilia censeantur a Jure.» (6. Dicitur secundo *Quoad Dominium utile*, ut denotetur, Dominium directum, seu proprietatem remanere penes Dominum, qui Feudum concedit arg. cit. § fin. lib. 2. *Feud.* cap. 23. ibi : « Ut proprietas quidem re immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat. » (7. Dicitur tertio *Liberaliter*, ut denotetur, Feudum proprie dictum esse « beneficium ex benevolentia ; » ut dicitur in cit. § fin. l. 2. *Feud.* cap. 23. per quod differt ab Emphyteusi, in qua Domino directo ab Emphyteuta præstari debet canon annuus. Unde, si etiam in Feudo annua pensio constituatur; prout interdum fieri solet; tunc non est Feudum proprium, sed solum improprium. Non est tamen de substantia Feudi, ut mere gratuito fiat, nam etiam Feudo emi posse constat ex c. unico, *de Natura Feudi* et c. unic. *de Beneficio fratris.* Dummodo minori pretio ematur, ut adhuc speciem Beneficii retineat. (8. Dicitur quarto *Perpetuo*, ut denotetur, quod Feuda proprie dicta non præcise ad certum tempus, vel generationem, uti aliquæ Emphyteuses, sed perpetuo concedunt, ita ut ad Feudatarium, et ejus heredes in perpetuum pertineant, ut expresse habetur in cit. § fin. l. 3. *Feud.* cap. 23. (9. Dicitur quinto « sub onere fidelitatis, et obsequii personalis præstandi. » ut denotetur, quod principale onus, et obligatio Feudatarii est, ut Domino directo, a quo tantum beneficium accepit, et sit fidelis, et numquam aliquid contra eum machinetur, sed potius consilio, et auxilio adjuvet, præsertim euntem ad bellum personaliter sequatur, vel alium sui loco *Domino* acceptabilem mittat, vel dimidium redditus Feudi unius anni Domino subministret pro belli expensis ; l. 2. c. 55. § 1. *de Prohibita Feudi alienatione.*

(10. Feudum dividitur primo in Feudum proprium et improprium. Feudum proprium est illud, quod in omnibus veram naturam Feudi retinet, juxta descriptionem, et explicationem supra datam, et simpliciter, et pure conceditur nulla temporis aut servitiorum facta determinatione. § penul. et ult. C. *Quid sit Investitura :* et *de concess. recti Feudi* Item cap. 1. *Quibus modis Feud. const. potest.* Calvin. *Lexico Jurid.* verb. *Feud.* Feudum improprium est illud, in quo per pacta specialia ; seu per investituram specialem a propria natura Feudorum recessum est. Feudum enim improprium censetur, quod conditionibus, vel obsequiis nominatim definitis est alligatum ; c. 1. *de not. Feud.* et § fin. *de cap. cur. vendi ;* Calvin. loc. cit. (11. In dubio autem omne Feudum præsumitur rectum, et proprium, et si forsan in uno degeneret, in reliquis tamen adhuc propriam naturam retinet; c. unico, *de Feudo non habente propriam naturam*, Engel. loc. c. sub num. 6. (12. Secundo, dividitur Feudum in Regale et non Regale. Feudum Regale est, quod ab Imperatore, vel a Rege conceditur cum annexa Regali Dignitate, id est cum Jure Regalium : hujusmodi Feuda sunt Regnum, Electoratus, Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus, et cætera id genus honoris beneficia, arg. l. 1. tit. 14. *de Feud.* cap. 1 *Quis dicatur Dux ;* Calv. l. c. Vultejus *de Feudis* cap. 8. num. 10. et alii passim. Non Regale est, quod Personam accipientis quidem nobilitat, absque tamen Jure Regalium ; arg. cit. num. 1. tit. 14. *Feud.* c. unic. *Qui Feudare possunt ;* Calv. loc. cit. Vultejus loc. cit. Engel. l. c. num. 10. Reiffenstuel lib. 3. decr. tit. 20. n. 19. et alii. (13. Tertio dividitur Feudum in Nobile et Ignobile. Feudum Nobile est illud, quod accipientis Personam nobilitat, vel si prius fuit, Nobilem ostendit, ut cum ab Imperatore, vel alio Supremo Principe conceditur ; c. 1. *Quis dicatur Dux.* Feudum Ignobile est, quod a plebe, vel privatis personis dari solet, quæ ex defectu potestatis nullam nobilitatem conferre possunt Feudum ab ipsis accipientibus ; cap. 1. *de his, qui Feudum dare possunt*, et arg. l. 2. *Feud.* Tit. 10 et 53. Calvin. l. c. Reiffenstuel l. c. num. 18. Vultejus l. c. num. 9. et alii.

(14. Quarto dividitur Feudum in Ligium, et non Ligium. Feudum Ligium est illud, pro quo Vassallus ita strictam fidelitatem jurat uni Domino, ut ei militare, et servire teneatur contra quemcumque alium ; cap. 2. *de Feudo Ligio* lib. 2. tit. 99. *de Feudo Ligio.* Unde hoc nomen *Ligium* videtur derivatum a *ligando*, seu verbo *Ligo*, quod fœdus, et societatem arctissimam significat ; Calvin. l. c. verb. *Ligius homo ;* Engel. l. c. n. 11. Reiffenstuel l. c. n. 20. (15. Hinc non potest quis a duobus Regibus Feuda Ligia accipere ; arg. cit. lib. 2. tit. 99. *de Feudo Ligio*, Glossa in Clement. *Pastoralis*, verb. *Homo Ligius*, *de Re judicata.* Impossibile enim est promittere fidelitatem duobus contra quemcumque, cum hoc ipso quod uni jam promiserit fidelitatem contra quemcumque nullo excepto, necessario, alter a fidelitate videatur exclusus ; Clarus § *Feudum* quæst. 11. Engel. l. c. n. 11. Reiffenstuel l. c. n. 21. (16. Hujusmodi Feuda Ligia non nisi a Supremis Principibus Superiorem non agnoscentibus dari possunt, alias enim necessario Superior dantis in juramento fidelitatis excipi deberet, sicuti semper censetur exceptus in quovis Feudo Ligio Romanus Pontifex, eo quod contra ipsum nullum fidelitatis juramentum præstare possit ; arg. c. *Venientes* 19. *de Jurejurando*, ibi : « Cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum (1). » (17. Feudum non Ligium est illud, pro quo Vassallus ita jurat, et de-

(1) Potest tamen alterum ligium, alterum non ligium una et eadem persona retinere. Casum posuit

Digitized by Google

bet fidelitatem Domino, ut tamen alicui alteri in eadem, vel simili causa fidelitatem debitam præstare valeat. Unde potest quis duo, vel plura Feuda non ligia a diversis Regibus, et Principibus accipere, dummodo in nullo fidelitatem contra Dominum aliquem Feudi juret; Sic praxis communis.

(18. Quinto, dividitur Feudum in Ecclesiasticum, et Sæculare, seu Laicale. Feudum Ecclesiasticum est, quod ab Ecclesiasticis Prælatis de bonis ad Ecclesiam spectantibus datur alicui sive Clerico, sive Laico; Vultejus *de Feud.* lib. 1. c. 8, num. 19. Engel. l. c. n. 9. Reiffenstuel l. c. n. 15 et alii communiter. Feudum sæculare, seu Laicale est, quod a Principibus, vel aliis Dominis Sæcularibus, aut etiam a Clericis, de bonis tamen patrimonialibus, et sæcularibus datur. Unde pro cognoscendo an aliquod Feudum sit Ecclesiasticum, vel sæculare, debet spectari non tam Persona Feudum concedens, quam res ipsa in Feudum concessa, ita ut, si res sit Ecclesiastica, seu proprie ad Ecclesiam pertinens, Feudum quoque erit Ecclesiasticum, etiamsi Laico sit concessum; et econtra, si res sit Laicalis vel Sæcularis, ipsum quoque Feudum erit Laicale, vel Sæculare, etiamsi concedatur Personæ Ecclesiasticæ, sive ipsimet Ecclesiæ, vel Monasterio; arg. cap. *Ex transmissa* 6. *de Foro Competent.* (19. Unde multi Episcopi, et Prælati Ecclesiastici, qui specialia Territoria in Feudum ab Imperatoribus acceperunt, ratione istorum Territoriorum considerantur ut cæteri Vassalli Sæculares Imperatorum, et coram eis in causa Feudali comparere, et judicari, debent, eo quod universaliter quæstiones Feudales per Dominum Feudi terminentur; cap. *Ex transmissa* 6. et cap. *Verum* 7. *de Foro Competent.* Andreas Gailus lib. 1. observ. 30. num. 4 et sequent. Engel. loc. cit. num. 9. Reiffenstuel loc. cit. num. 16. et alii cum Fagnano lib. 2. *Decretal.* in cap. *Verum* 6. *de Foro Competent.* n. 1. 10 et 12.

(20. Sexto, dividitur in Feudum novum et antiquum. *Feudum novum* est, quod Vassallus possessor non ab aliquo antecedente vi successionis, sed ab ipsomet Domino primum accepit, et cœpit in sua Persona. *Feudum antiquum* est, quod prius jam ab alio ascendentium acquisitum per successionem ad alios devolvitur; c. 1. *de Succes. Feud.* c. 1. *de Succes. frat. et grad. succed. in Feud.* cap. 1. *de Natur. succes. Feud.* cap. 1. § *Novam: Quot testes sint necess.* et cap. 1. *de Frat. de novo Benefic. Invest.* Calvin. loc. cit. verb. *Feudum antiquum;* Jul. Clarus § *Feudum* quæst. 8. num. 1. Engel. loc. cit. num. 7. Reiffenstuel loc. cit. num. 12. Pirhing lib. 4. *Decretal.* tit. 20. num. 3. et alii communiter. (21. Septimo, dividitur in Feudum hæreditarium, et in Feudum Familiæ, seu ex pacto, et Providentia. *Feudum hæreditarium* est illud, in quo vigore Investituræ, non solum agnati primi vassalli, seu acquirentis, sed etiam quicumque hæredes extranei, sive masculi, sive Feminæ, sive ex Testamento, sive ab intestato venientes succedere possunt. Tale Feudum esse censetur, si in Investitura hæc, vel similis clausula habeatur: « Concedo Feudum pro te, et tuis hæredibus quibuscumque; » Rota part. 3. recent. dec. 391. num. 8. p. 11. dec. 112. n. 7. et sæpe alibi, Jul. Clarus § feudum. q. 9. n. 2. Fachin. lib. 7. cap. 6. Pirhing loc. cit. n. 2. Reiffenstuel loc. cit. num. 24. et alii communiter. *Feudum Familiæ, seu ex pacto, et providentia* est illud, in quo soli masculi a primo Vassallo per legitimum Matrimonium descendentes, jure agnationis, et sanguinis succedunt, quia ordinarie in favorem, et conservationem Familiæ conceditur; arg. lib. 2. *Feud.* tit. 1. in fine. Vultejus *de Feudis* c. 8. num. 23. Engel. loc. cit. num. 8. Reiffenstuel loc. cit. num. 23. et alii passim.

(22. Octavo, dividitur Feudum in masculinum et femineum. *Feudum masculinum* est illud, in quo vigore Investituræ soli masculi succedere possunt. Communis. *Feudum femineum* est illud, quod primitus collatum est Feminæ, indeque Feminas succedere petitur; lib. 2. *Feud.* tit. 30 et 50. (23. Alii dicunt, etiam illud Feudum Femineum esse, in quo ex speciali Investituræ Feminæ succedere possunt, etsi primitus collatum sit masculo. (24. In utroque tali Feudo Femineo Feminæ nequeunt succedere, nisi masculis deficientibus; ita ut, quandiu masculus aliquis, qui succedere poterit, superstes est, nulla femina, etsi propinquior, ad successionem Feudi admittatur, textu expresso in cit. l. 1. *Feud.* tit. 8. ibi: « Tunc enim succedit filia, filiis non exstantibus; » Et lib. 2. tit. 30. ibi: « Femineum Feudum, deficientibus masculis ad filias pertinebit. » (25. Nono, dividitur in Feudum Francum, id est liberum, et in non Francum. *Feudum Francum* est illud, pro quo Vassallus ad nulla servitia præstanda obligatur, et quod Francum liberum, dicatur, allegatur lex in cap. *Ex litteris* 1. *de Sponsalibus.* Calvinus loc. cit. verb. *Feudum Francum. Feudum non Francum* est illud, pro quo Vassallus obligatur ad certum genus servitii, prout in Investitura determinatur; arg. lib. 2, *Feud.* tit. 25. Est Communis. (26. Decimo, dividitur Feudum in Reale, et Personale. *Reale* est illud, quod cum primo acquirente non exstinguitur, sed etiam ad hæredes regulariter est transitorium, tam respectu Domini, quam Vassalli, ut in c. § *Cum vere Conradus, de iis, qui Feud. dare poss.* cap. 1. *de duod. fratrib.* a cap. *Invest.* et cap. 1. § fin. *quibus mod. Feud. amitt.* nam quilibet censetur suis hæredibus prospicere, l. *Pactum,* ff. *de Probationibus*; Calvin. loc. cit. verb. *Feudum reale* Reiffenstuel loc. cit. n. 30. et alii communi-

Cujacius *Comment.* ad 7 lib. Feudorum lib. 4, tit. 99, in fratre habente Feudum Ligium, qui successit Fratri prædefuncto habenti Feudum non ligium, et tenet a fratre superstite posse utrumque Feudum retineri, aeco ut alteri ex dominis per se ipsum, alteri per substitutum servitium, et fidelitatem præstare teneatur. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

ter. *Feudum Personale* est illud in quo nullus hæres succedit, sed cum primo acquirente exstinguitur. Communis.

(27. Feudum Personale varie subdividitur, aliud enim Feudum Personale dicitur *de Camera*, et est, cum alicui, ex arca, seu ærario Domini directi certum stipendium solvitur, quamdiu vivit, lib. 2. *Feud.* tit. 1. § *Sciendum*. Calvin. loc. cit. verb. *Feudum de Camera*; Reiffenstuel loc. cit. num. 30. et alii passim. (28. Aliud dicitur *de Cavena*, et est, cum alicui, dum vivit, præstantur annonæ ex cellario, horreo, vel penuario Domini. (29. Cavena enim locus est, in quo frumentum, vinum, oleum, et similia servantur; Calvin. loc. cit. Reiffenstuel loc cit. Rosental. cap. 2. concius. 30. et alii passim, et de ipso etiam fit mentio in cit. lib. 3. *Feud.* tit. 1. § *Sciendum*. (30. Item Feudum Personale aliud est *Guardiæ*, et est, quod datur alicui ad dies vitæ, vel certum tempus sub onere, ut Vassallus Castrum, Arcem, Territorium, Domum, etc., custodiat; cap. *Feud. habit.* d. cap. Conrad. cap. unic. *de Feud. Guardiæ*, Calvin. loc. cit. verb. *Feudum Personale*. Reiffenstuel loc. cit. num. 21. et alii. (31. Aliud est *Gastaldiæ*, et est, quod datur alicui eo fine, ut domum, aut aliam rem Domini gubernet, administret, aut procuret, libr. 1. *Feud.* tit. 2. Calvin. loc. cit. verb. *Feud. Gastaldiæ*; Reiffenstuel loc. cit. num. 31. (32. Aliud est, *Soldatæ*, et est, cum alicui, non quidem ex certa Camera, vel Cavena, sed simpliciter annua quantitas pecuniæ, vel vini, seu frumenti sub obligatione fidelitatis, et servitiorum præstatur, ita tamen, ut non tantum per mortem ipsius Vassalli, sed etiam per mortem Dantis expiret, lib. 2. *Feud.* tit. 10. ibi : « Soldata est præstatio quædam annua gratuita, quæ a neutra parte transit in hæredem; morte enim dantis, et accipientis interveniente finitur. Soldata vero dicitur, quia plerumque in solidorum donatione consistit, quandoque autem in vino et annona consistit; » Azorius lib. 10. *de Feud.* cap. 2. quæst. 5. Reiffenstuel loc. cit. n. 32. Calvin. loc. cit. verb. *Feudum Soldatæ*, ubi dicit, quod secundum Cassiodorum, Vegetium, et Frontinum, Solidatum in militia appellabant eum, cui stipendia ab Imperatore promissa erant; cum enim Populus Romanus supra ducentos annos (ut Livius testatur) propriis impendiis militasset, Auxuro capto, decreverunt Patres, ut stipendium miles acciperet, cui, et vestem, et frumentum ultra pecunias, equiti etiam equum dare solebant, Qui delecti auctorati dicebantur, temporis vero successu Matriculati, et Solidati. Hæc ille. (33. Cuncta hactenus recensita Feuda personalia, dicuntur tantum improprie Feuda, cum non durent perpetuo, et non necessario constituantur super immobilibus, ut requiritur ad Feudum proprie dictum, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 23. et ut fuit dictum supra a num. 4. in expositione Definitionis Feudi proprie dicti.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34 De Feudis Auctor agit in hoc et sequentibus duobus articulis. Nos autem in additionibus ad eos disseremus de feudis dumtaxat Ecclesiasticis, non item sæcularibus; idque ne longe excedamus præfixos limites. Feudum Ecclesiasticum in sensu stricto a feudo sæculari distingui debet *solo objecto*, ut illud dicatur, quod in re Ecclesiastica; hoc vero, quod in re profana constituitur; Struvius in *Syntagm. Jur. Feudal.* cap. 3. § 4.

(35. Alii feudum Ecclesiasticum et illud dicunt, quod Ecclesia vel a Rege, vel a Principe, vel etiam a Privato accepit, propterea quod in hoc genere Feudi non tam consideratur persona Episcopi, aut Prælati quam potius ipsa Ecclesia; Vide Cragium lib. 1. *Feudor.* § 10. sed contradicentibus mox citato Struvio ubi supra, Horn. in *Jurisprud. Feudal.* cap. 3. § 13. Vultejo in *Jure Feudal.* cap. 8. num. 8. Et non immerito, nam hoc et sæculare esse dicitur in *c.* 6. *de For. Compet.* ut etiam in Foro sæculari, non Ecclesiastico, agendum sit de quæstionibus, quæ circa id genus feuda exoriuntur, ut innumeros allegans firmat Lanfredin. *Respons. Eccles.* 21. num. 3. Diversa autem est ratio Feudi Ecclesiastici in sensu stricto, nam de eo in judicio Ecclesiastico feudali decernitur ab Episcopo; cap. 7. *de For. Compet.* non habito respectu Vassalli, sive Clericus, sive laicus sit, quum etiam hic in re Ecclesiastica judicio Ecclesiæ, seu Episcopi subsit.

(36. De origine, tum occasionibus Feudi Ecclesiastici in mox dicto sensu stricto, non est una omnium sententia; Adi Bohemer. in *Decretal.* lib. 3. tit. 20. § 1. et plur. sequent. qui potissimam occasionem reponit in oblatione Bonorum Ecclesiis hac intentione facta, ut rursus ab iisdem in Feudum offerentibus darentur. Hujus moris mentio habetur in *Lege Bajovariorum* apud Baluz. tom. 1. capit. p. 95. de anno 630.

(37. Nec convenit inter Auctores, utrum Feudum Ecclesiasticum in dubio *proprium*, an *improprium* censeri debeat. Utilis autem est hæc inspectio, nam *proprium* a communi Feudorum natura haud declinat, in *improprio* vero a propria Feudi natura receditur.

(38. Sunt qui tenent, Feudum Ecclesiasticum magis *proprium*, quam *improprium* in dubio præsumendum esse; propterea quod ea semper capienda est interpretatio, quæ faveat Ecclesiæ; Confer Kloch tom. 2. consult. 10. num. 57.

(39. At qui antiquitates perscrutati sunt, deprehenderuntque primariam occasionem Feudorum Ecclesiasticorum natam esse, ut paulo ante innuimus, ex oblationibus Bonorum factis Ecclesiis ea intentione, ut rursus ab iisdem darentur offerentibus in Feudum Ecclesiasticum in dubio potius *improprium*, quam *proprium* dijudicandum esse : Consule Bohemer. in *Decretal.* lib. 3. tit. 20. § 26, qui et aliis rationibus, iisque urgentibus hanc tuetur opinionem. Rationem hanc attulit et Gazon. *de Femin. ad Feud. recipiend.* num. 126. Quod, scilicet, « Ecclesiæ a Summo Pontifice, et Deo defensæ non indigent auxilio manuali vel armato, quum lacrymæ

Digitized by Google

et jejunia sint arma Ecclesiæ, quæ magis congruunt feminis quam masculis, et illarum sint sanctiores, eoque magis acceptæ: » ex quo infert, Feuda Ecclesiastica esse promiscua. At « lepida (ut inquit Bohemer. loco citato) est hæc ratio, et ex ignorantia veterum causarum nata. » Maluit tamen Garzon. « aliquam afferre rationem, quam nullam. Forsan etiam respexit ad Feudorum horum plerumque naturam, quæ frequentius loco servitiorum militarium onus Censum præstandi adjunctum habent, qualia Feuda censualia impropria esse nemo negabit. »

(40. Major est dissensio, num Feudum Ecclesiasticum subsit *juri communi Feudali*. Loquor de Feudo Ecclesiastico in sensu stricto, nam Feudum, quod Ecclesia tenet a Laico, subesse juri communi Feudali plerique conveniunt. Quod vero attinet ad Feudum hoc Ecclesiasticum in sensu stricto, alii distinguunt inter Feudum, quod Ecclesia primordialiter ex suo allodio concessit, et illic quidem, non hic jus commune Feudorum obtinere sentiunt, et quidem quatenus juri Canonico non contrarietur, ita ut in subsidium ad jus commune Feudale sit recurrendum; Consule hic omnino Bohemer. in *Decretal.* lib. 3, tit. 20, § 28.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt illos, qui dare, et accipere, et succedere possunt in Feudum.

(1. In Feudum dare possunt omnes, et soli rerum suarum administrationem habentes, textu expresso in lib. 2 *Feud.*, tit. 3, ibi : « Investitura Feudi non ab alio recte fit, nisi ab eo, qui legitimam bonorum suorum administrationem habet; » Communis. (2. Etiam Plebei, et Feminæ dare possunt in Feudum bona sua allodialia, quorum liberam administrationem habent. De Feminis habetur textus expressus in cit. lib. 2, *Feud.* tit. 3, ibi : « Feminam quoque etiam novi Feudi investituram facere posse plerique consentiunt; » et pro Plebeis stat ratio, quia, ubi Juris dispositio non resistit, « Quilibet rei suæ moderator, atque Arbiter existit; » l. in re mandata, Cod. *Mandati*. Nullibi autem reperitur dispositio Juris quo ad hoc Plebeis resistens, quinimo ipsi libri Feudales eis positive assistunt, dum universaliter absque ulla limitatione concedunt, quod quilibet habens bonorum legitimam administrationem possit ea dare in Feudum, ut patet in verbis adductis sub n. 1. (3. Episcopi, Abbates, ac cæteri Prælati, et Superiores Ecclesiastici, adhibitis requisitis Juris solemnitatibus, possunt in novum Feudum concedere bona Ecclesiæ; Extravagant. *Ambitiosæ, de Rebus Eccles. alienandis*, ubi nova *Infeudatio* de bonis Ecclesiæ prohibetur solum fieri sine debitis Juris solemnitatibus; Communis. (4. Imo Ecclesiarum Prælati possunt etiam sine Juris solemnitatibus in Feudum concedere bona Ecclesiastica ab antiquo in Feudum dari solita, seu antiqua Feuda, quando redeunt ad Ecclesiam, textu expresso in lib. 1, *Feud.* tit. 1, ibi : « Feudum autem dare possunt Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit Feudum dare, » et in cap. *Ex parte* 2, *de Feudis*, ibi : « Ex parte tua nostro est Apostolatui reservatum, quod sæpius *dubitasti*, utrum, cum contingit Vassallum tuum decedere, et ad te Feudum ipsius redire, Feudum ejus alii liceat tibi dare, quamvis juramento tenearis adstrictus non infeudare de novo, Romano Pontifice inconsulto. » Ad quod dubium inter alia a Mediolanensi Archiepiscopo sibi proposita, sic respondit Innocentius III. Summus Pontifex : « In priori ergo casu Feudum decedentis libere si videris expedire, concedas; » Communis. (5. Etiam minor potest antiquum Feudum concedere, licet non possit novum, textu expresso in cit. lib. 2. Feud. tit. 3. ibi : « Investitura, quæ de veteri fit, etiam a Minore poterit dari; » Azorius lib. 10. *de Feudis* cap. 5. quæst. 8. Reiffenstuel. lib. 3. *Decretal.* tit. 20. num. 48. et alii.

(6. Papa noviter assumptus in summum Pontificem debet promittere, et jurare de non infeudandis Civitatibus, Oppidis, et Locis Sanctæ Rom. Ecclesiæ, et post Coronationem debet suis litteris confirmare. Sic statuit S. Pius V. in Constit. 35. incip. *Admonet*, § 9, quam Constitutionem confirmarunt Pontifices successores, Greg. XIII. Const. 3 incipien. *Inter cætera*, Sixtus V. Constit. 26. incipien. *Quanta;* Gregor. XIV. Constit. 1. incipien. *Romanus Pontifex*, Innocent. IX. Constit. 1. incipien. *Quæ ab hac Sancta Sede.* (7. Hujusmodi infeudationes consulentes, easque Summo Pontifici per se, vel per alium insinuantes, vel suadentes Excommunicationis pœnam, ac læsæ Majestatis etiam in primo capite, et confiscationis bonorum, privationisque Dignitatum, ac Beneficiorum eo ipso incurrunt. S. Pius V. in citat. Constitutionem incipient. *Admonet.* § 3. (8. Cardinales in assumptione pilei, et Sede vacante in Conclave jurare debent prædictam Constitutionem observare, eique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, nec absolutionem a juramento petere, nec oblatam ut concessam acceptare. S. Pius V. in cit. Constit. *Admonet* § 9. (9. Civitates, Oppida, et Loca S. Romanæ Ecclesiæ, etiam infeudari, seu alienari solita, ad Sedem Apostolicam quomodolibet devoluta, et pro tempore devolvenda, ei ipso Cameræ Apostolicæ absque alia declaratione incorporata consentur. S. Pius V. in cit. Constit. *Admonet.* § 2. (10. Et etiam antequam devolvantur, non obstante declaratoria contraria Gregorii XIV, facta in Consistorio secreto Romæ apud S. Marcum die Vener. 13 Sept. 1591. quia postea Innoc. IX. Const. 1. incip *Quæ de hac Sancta Sede* § 4 definivit dicta Constit. S. Pii V. prohiberi quamcumque infeudationem, et alienationem Civitatum, et Locorum eidem Sedi tam immediate, quam mediate subjectorum, non solum post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, et quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationem, et extensionem infeudationum, et concessionum hujusmodi nondum finitarum, ipsorumque incorpora-

Digitized by Google

tionem quoad effectum impediendæ alienationis, prorogationis, et extensionis hujusmodi non a die eorum devolutionis, factam censeri, et in § 5. præcepit S. Pii V. Constitutionem jurari debere juxta prædictam declarationem.

(11. Dictam Bullam S. Pii V. ut præfertur, declaratam ab Innocentio IX. confirmavit, et innovavit, seque servaturum promisit, ac juravit Clemens VIII. Constit. 1. incip. *Ad Romani Pontificis;* ubi etiam in § 9. declarationem Gregorii XIV. tamquam destruentem S. Pie Constitutionem alienandique occasionem præbentem, ac minime necessariam revocavit, et annullavit, perinde ac si nunquam emanasset, declarans eadem S. Pii V. Constitutione prohiberi Civitatum, et Locorum in ea contentorum, tam quæ numquam antea in Feudum concessa, quam quæ alias sæpius infeudata, ac postmodum devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt, infeudationes, et prorogationes investiturarum etiam ex causa necessitatis, aut evidentis, et veræ utilitatis factas, et faciendas, ut latius in eadem Bulla § 8. Idque exemplo firmavit, dum Ducatum Ferrariæ devolutum, sub Ecclesiæ ditione reposuit, et sub dispositione Bullæ Pianæ comprehendi voluit, ut in Constit. 2. incip. *Sanctissimis*, et confirmavit Urbanus VIII. Constit. 4. incip. *Sacrosancti*, et Innocentius X. Constit. 3. inc. *In supremo*, et alii, ut patet expresse in Regula 64. Cancellariæ. (12. Unde supradictis stantibus, clarum est hodie Papæ non licere quemquam investire de Feudo nondum aperto, et sic dispositio cap. 1. *Qui success. Feud. dare tenean.* et cap. *Ex part.* 2. *de Feudis*, quatenus permittit, ut infeudari possunt, bona Feudalia ad Ecclesiam devoluta, juramento non habet in Summo Pontifice, sed tantummodo in inferioribus Prælatis. Forma enim juramenti, qua se obstrinxit Papa, est longe diversa a juramento de non infeudando quo se adstringunt Prælati inferiores in terminis dicti cap. *Ex parte* 2. *de Feudis*, ut expresse dicit Fagnanus *ibid.* num. 35.

(13. Feudum accipere potest quilibet, qui nominatim non reperitur prohibitus lib. *Feud.* tit. 3. ibi : « Personam investituram accipientis non distinguimus; nam etiam servus investiri poterit. » (14. Hinc Feudum accipere potest etiam Femina; lib. 2. *Feud.* tit. 23, § final. et tit. 30. et patet experientia, cum passim videantur etiam Feminis Feuda concedi. (15. Etiam Minorennis, et Pupillus, quia Minorennis, et Pupillus etiam absque Tutore, vel Curatore potest conditionem suam meliorem facere, et consequentur Feudum acquirere, arg. cit. lib. 2. *Feud.* tit. 3. et in princ. *Instit. de Auctorit. Tutor.* ibi : « Namque placuit meliorem quidem conditionem licere eis (pupillis) facere, etiam sine Tutoris auctoritate, deteriorem vero non aliter, quam cum Tutoris auctoritate. » (16. Etiam Superior potest accipere Feudum ab inferiori. arg. cit. lib. 2, *Feud.* tit. 3, et l. 14, ff. *de Jurisdict.* In tali tamen casu Superior potest alium substituere ad servitia præstanda, ut docet experientia, et tenet Communis. (17. Item etiam Clerici Feuda accipere possunt, lib. 2, *Feud.* tit. 40. § final. cap. *Ex transmissa* 6, et verum 7, *de Foro competent.* ut patet experientia, præsertim in Germania, ubi Episcopi, et Abbates ut plurimum habent Feuda imperialia, ob quæ Imperatori, tamquam Domino directo, in Bello servitia personalia per alios præstant. Communis.

(18. Succedunt in Feudis primo loco Descendentes Filii, et Nepotes, lib. 2, *Feud.* tit. 11, princ. ibi : « Mortuo enim eo, qui beneficium tenebat, prima causa liberorum est, filiis enim existentibus masculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per masculinum sexum descendentibus, cæteri removentur agnati. » Commun. (19. Servatur autem hic ordo succedendi, ut si plures sint Filii succedant æqualiter in capita, nepotes vero cum Filiis concurrentes, in stirpes loco Patris Defuncti, jure nempe repræsentationis, lib. 1, *Feud.* cap. 8, ibi : « Si quis decesserit, filiis superstitibus succedunt filii æqualiter, vel Nepotes ex filio loco Patris sui. » Communis. (20. Filii æqualiter succedunt, quamvis sint ex diverso matrimonio, lib. 1, *Feud.* tit. 1, § 1, ibi : « Quod hodie ita statutum habetur, ut ad omnes æqualiter filios pertineat. » Communis. (21. In Feudis individuis, sunt Marchionatus, Comitatus, Ducatus, etc., solus Primogenitus succedit, cujus Filius tamquam nepos Patris præfertur secundo genito, ut patet experientia, et tenet Comm. Talia enim Feuda dividi expresse prohibentur, l. 2, tit. 55, § 1, vers. *Præterea*, ibi : « Præterea Ducatus, Marchionatus, Comitatus de cætero non dividantur. » (22. Filii adoptivi non succedunt in Feudis, lib. 1, *de Feud.* tit. 26. § *Omnes communis.* (23. Nec succedunt filii, illegitimi, quamvis legitimati, lib. 2, *de Feud.* tit. 26, § *Mulier*, ibi : « Naturales filii licet postea fiant legitimi ad successionem Feudi, nec soli, nec cum aliis admittuntur : » nisi forsan per subsequens matrimonium legitimentur, quia in tali casu æqualiter succedunt cum aliis legitimis. *Communis.* (24. Imo succedere possunt etiam legitimati per rescriptum Principis, si Princeps specialiter ad similem successionem eos legitimat; Fachin. lib. 7, capit. 49. Engel. lib. 3, *Decretal.* tit. 20. numer. 22. Reiffenstuel. ibid. numer. 77. (1) (25. Quinimo filii quoque etiam juste exheredati in Feudo succedunt, nisi

(1) Quoad legitimationem per subsequens matrimonium moribus receptum est, ut hoc modo legitimati ad Feuda succedant, quamvis de jure feudali idem obtineat, quod de naturalibus dictum est, cum lib. 2. Feudor. tit. 26, § 4, vers. *Naturales* nulla fiat inter varios legitimandi modos distinctio. « Naturales filii licet postea fiant legitimi ad successionem Feudi nec soli nec cum aliis admittuntur. » Hinc accuratiores Interpretes ex feudalis juris rigore omnes prorsus etiam per subsequens matrimonium legitimatos a Feudi successione exclusos censent. Vultejus de Feudis lib. 1, tit. 9, num. 183, et seq. præcipue num. 195. Rittershusius lib. 1, c. 13, num. 2. Meyerus Colleg. Argentorat. ad Pandect. tit de Concubinis num. 10, in fin. Quoad vero legitimationem Principis non modo opus est, ut quis ad feu-

Digitized by Google

Feudum dependeat ab hæreditate, arg. leg. 114. § 15, ff. *de Legatis* 1. Filii enim succedunt in Feudo proprie dicto non vi dispositionis testamentariæ, sed vi Investituræ : sic tum Julio Claro Reiffenstuel l. c. n. 78, et alii.

(26. Ascendentes regulariter in Feudo non succedunt, lib. 2 *Feud.* tit. 5. ibi : « Successionis Feudi talis est natura, quod ascendentes non succedant, v. g. Pater Filio. » (27. Dantur tamen casus, in quibus ascendentes ordinarie succedunt, quando Feudum est hæreditarium, lib. 2. *de Feud.* tit. 48. Secundo quando Filius propter merita Patris acquisivit Feudum ; Corvin. *Synop. Jur. Feud.* l. 2. tit. in fin. Encel. loc. cit. num. 26. Reiffenstuel. loc. cit. num. 8. Tertio, quando ita habet consuetudo, et statutum loci. Quarto, quando in Investitura ita expresse cautum, et conventum fuit, arg. l. 2. *Feud.* tit. 14. et 84. quia ex *Regula* 85. *Juris* num. 6. « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. »

(28. Deficientibus descendentibus, regulariter succedunt collaterales agnati tam consanguinei, quam germani, non item cognati ; l. 2. *Feud.* tit 11. ibi : « Descendentibus deficientibus vocantur primo fratres, cum fratrum præmortuorum filiis ; » Deinde agnati ulteriores ; et quod non succedant cognati habetur etiam expresse ibi : « Ad cognatos beneficium non pertinet, nec beneficii successio ; » Communis. (29. Deficientibus descendentibus, et fratribus succedunt Nepotes ex fratribus in capita, non in stirpem, quia in tali casu non succedunt jure repræsentationis, sed quivis jure proprio ; arg. *Novell.* 118. cap. *Communis*. (30. Deficientibus etiam Nepotibus ex fratre, succedunt agnati illi, qui ex linea defuncti Vassalli descendunt, quamvis adsint alii proximiores primo acquirenti ex alia linea venientes ; lib. 2. *Feud.* tit. 50. ibi : « Ad quos perveniat (Feudum) quæritur ? Respondetur ad solos, vel ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex qua iste (Defunctus) fuit, et hoc est, quod dicitur ad proximiores pertinere ; » Communis. (31. Tam descendentes, quam agnati collaterales succedunt in infinitum : de Descendentibus est textus apertus in l. 1. *Feud.* tit. 1. § in fin. ibi : « In masculis descendentibus novo jure extenditur in infinitum. » De agnatis collateralibus habetur in l. 2. *Feud.* tit. 11 et 50. ibi : « Ex latere omnes masculos descendentes usque in infinitum ; » Communis. (32. Quæ tamen hactenus de successione collateralium dicta sunt, intelligi debent de solis Feudis antiquis, quia in Feudo novo nullus Collateralium succedit, sed succedunt soli descendentes, quibus deficientibus, Feudum ad Dominum redit, textu expresso in lib. 1. *Feud.* tit. 1. § 2. ibi : « Si unus ex fratribus a Domino acceperit, eo defuncto sine legitimo herede, frater ejus in Feudum non succedit ; » et concordat t. 8, 14 et 20 (1).

(33. Clerici, et Religiosi in Feudis propriis servitium personale inconveniens statui Clericali indispensabiliter requirentibus, succedere non possunt, imo prius habita dimittere debent, cum fiunt Clerici, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 30. ibi : « Ex hoc illud descendit, quod dicitur, Clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiamsi posteaquam habitum Religionis assumpsit, postposuerit. Idem in omnibus, qui habitum Religionis assumunt, ut Conversi. Hi enim nec postea in Feudo succedunt, et si quod habent, perdunt ; » concordat textus tit. 26. § *Qui Clericus*, ibi : « Qui Clericus efficitur ; aut votum Religionis assumit, hoc ipso Feudum amittit, » cujus ratio redditur in cap. unico, *de Vassallo milite qui eorum*, etc., his verbis : « Eo quod desiit esse miles sæculi, qui factus est miles Christi, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium ; » Commun. (34. Clerici, et Religiosi succedere possunt, in Feudis propriis, si sint annexa dignitati Ecclesiastica, aut si vi Investituræ, statuti, vel consuetudinis id eis competat ; arg. lib. 2. *de Feud.* tit. 40. et cap. *Verum* 7. *de Foro comp.* et patet experientia, præsertim in Germania, ubi plures Episcopi, et Abbates in Feudis propriis succedunt ; Fachin. lib. 7. cap. 45. Pirhing. lib. 3. *Decr.* tit. 25. num. 21 et 22. Reiffenstuel ib. num. 99. et alii passim. (35. Clerici, et Religiosi succedere possunt in Feudis Franchis, Hereditariis, Femineis, et in illis, quæ nullum servitium personale requirunt, sed solum reale, v. g. pensionem pecuniariam, imo etiam in illis, quæ requirunt servitium personale, compatibile tamen cum statu Clericali, vel si incompatibile, supplebile tamen per substitutum et vi Investituræ, seu ex speciali concessione Domini ; Communis, cum Pirhing loc. cit. n. 22. Fagnan. in cap. *Quæ in Eccl.* 7. *de Constit.* Reiff. loc. cit. n. 100.

(36. In prædictis Feudis succedit etiam Monasterium bonorum capax loco sui Religiosi professi ; Fagn. in cit. cap. *Quæ in Ec-*

dalem successionem legitimetur, sed ulterius requiritur ut natura Feudorum exprimatur. Legitimati enim ad Feuda, non censentur ad Feuda nobilia legitimati, ad quam legitimationem desideratur agnatorum assensus ideo per legitimandum citandi in plerisque saltem locis. Hugo Grotius *Manuduct ad jurisprud. Holland.* lib. 2, cap. 41, num. 46. Neostad. *de Feud.* c. 6, n. 79 et seq. Petrus Bort. *de Feud. Holland.* part. 5, tit. 3, cap. 2, reg. 7. num. 24 et seq. præsert. n. ult. Neque satis est ut ab uno Principe legitimetur ut legitimatus succedere valeat in omnibus Feudis extra legitimantis Principes ditionem existentibus. Quot enim sunt Principes in quorum provinciis Feuda legitimati reperiuntur, tot requiruntur legitimationes, cum unusquisque ad bona illegitime natorum succedenti spem habeat, nec debet sine facto proprio hac spe fraudari. Voet. in *Pandect.* l. 25, t. 7, n. 16, ubi plurium Doctorum affert testimonia (Edit. Barbiell.)

(1) Sed plures excipiendi sunt casus, in quibus agnati Collaterales in Feudis etiam novis succedunt, ut si fratres indivisum possideant patrimonium, et ex pecunia communi Feudum unus eorum emerit, vel etiam ex propria pecunia, sed communi nomine, vel si simul in eadem domo habitent, et alios plures recenset Voet. in *Pandect.* lib. 38. *diuress. de Feud.* n. 58. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

clesiarum 7. *de Const.* num. 60. Barb. lib. 3. *Jur. Eccles. univ.* cap. 31. num. 19. Jul. Clarus § *Feud.* q. 78. num. 2. Pirhing loc. cit. num. 25. Reiffenstuel loc. cit. num. 101. Rota p. 12. recent. decis. 433. num. 15. et communis aliorum.

(37. Solummodo tamen, quandiu talis Religiosus vivit, quo mortuo, transit ad alios agnatos proximos, vel agnatis deficientibus, ad Dominum; Communis, cum mox citatis Doctoribus. Et ratio est, quia, ut recte observat Engel. lib. 3. *Decr.* tit. 20. num. 24, alias conditio Domini directi fieret deterior, cum Monasterium nunquam moriatur, et Feudum ordinarie, non ad quosvis, sed tantum ad heredes sanguinis transeat. (38. Nisi sit Feudum perfecte hereditarium, in quo non minus Monasterium, ac alii heredes perpetuo succedere possunt; Felinus in cap. *In præsentia* 8. num. 48. *de probat.* Pirhing loc. cit. num. 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 102. et patet ex ipsa natura Feudi hereditarii, utpote cui proprium est ad quosvis heredes transire, ut fuit dictum art. 1. num. 21. (39. In Feudis autem Regalibus, scilicet Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus et hujusmodi, Monasterium loco professi non succedit; Communis cum Barbosa loc. cit. num. 1. Jul. Clarus qu. 78. Engel. l. c. num. 24. Pirhing. l. c. numer. 27. Reiffenst. loc. cit. num. 103. Et quantum ad Regna ratio est, quia, ut recte dicit Barb. l. c. num. 1. valde indecens videtur, quod Regia Dignitas, seu Imperatoria Majestas per Monachum, seu potius Monasterium repræsentetur; arg. c. *Hoc nequaquam* 45. caus. 7. q. 1. et Glossa in cap. *Scripsit.* 26. verb. *Dignitate*, caus. 26. q. 7. recepta communiter, ut per Molin. *de Primog.* lib. 1. cap. 13. num. 80. et per Barb. loc. cit. n. 1. et alios apud ipsos. Et quantum ad Ducatus, Marchionatus, et Comitatus, tenet communis Doctorum, ac teste Barb. loc. cit. n. 2. recepta consuetudo, quia, ut recte dicit ipse, prædictæ Dignitates ea mente, ac tacita conditione a Regibus creantur, et conferuntur, ut Vassalli sua præsentia personali, et apparatu Regiam Majestatem in publicis actibus condecorare possint. (40. Aliqui etiam tenent, quod Monasterium neque possit succedere in Oppidis, et Castris jurisdictionem annexam habentibus; Ast Barb. loc. cit. n. 3. cum multis aliis contrarium verius Jurique conformius censet, eo quod nullum assignari queat Juris fundamentum, vi cujus Monasterium succedere non possit in Feudis habentibus jurisdictionem, cum ipsam jurisdictionem exercere, et justitiam administrare possit per alios ad id idoneos, ut esse de praxi recte observat Reiffenstuel loc. cit. num. 104

(41. Feminæ, et descendentes ab eis etiam masculi, regulariter in Feudis non succedunt, textu expresso in lib. 5. *Feud.* tit. 1. § 3 ibi: « Hoc autem notandum, quod licet filiæ, ut masculi, Patribus succedant, legibus tamen a successione Feudi removentur, similiter et earum filii, nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat; » et tit. 8. § *Filia*, ibi: « Filia vero non succedit in Feudo, nisi Investitura fuerit facta, ut filii, et filiæ succedant in Feudo; » Communis cum Rota recent. p. 3. decis. 780. num. 2. p. 4. tom. 2. dec. 107. n. 36. et t. 3, dec. 741. num. 39. p. 7. dec. 132. n. 12. p. 14. dec. 78. num. 6. (42. Succedunt tamen in Feudis femineis, id est primitus Feminæ concessis, vel ubi vi specialis pacti etiam feminis succedere licet; cit. lib. 5 tit. 1. et tit. 8. et lib. 2. tit. 50. ubi sic expresse habetur: « Non succedit filia, nisi ex pacto, vel nisi sit femineum, tunc enim succedit filia Patri, et Matri; » Annotat. ad dec. 262. num. 195. par. 8. Rotæ recent. et decis. 362. num. 4. part. 2. Dominus enim concedendo Feminæ Feudum, videtur recedere a Jure Feudali, et Feminas ad ejus successionem habilitare; Annot. ad dec. 262. n. 169. et seq. p. 8. (43. Dummodo tamen nullus masculus exstet quia, quandiu adhuc superest aliquis Masculus, Feminæ non succedunt neque in Feudo Femineo, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 3. ibi: « Si Femina habens Feudum decesserit, quia Femineum est Feudum, et sine pacto speciali, deficientibus masculis, ad filias pertinebit. » Idem est de Feudis, in quibus ex speciali pacto succedere possunt Feminæ; lib. 1. cod. tit. 6. ibi: « Si quis eo tenore, acceperit Feudum, ut ejus succedentes Masculi et Feminæ illud habere possint, relicto Masculo, Feminæ ulterius non admittuntur, » ut tit. 8. ibi: « Tunc succedit filia, filiis non exstantibus; » Rota rec. pag. 1. dec. 155. num. 5. et annotat. ad decis. 262. num. 209. et sequent. pag. 8. et dec. 137. num. 7. part. 12. (44. Femina autem in Feudo investita non repellitur a masculo postea nato; Engel. loc. cit. num. 20. et communis aliorum; arg. *Regul.* 73. *Juris* in 6. ibi: « Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari. » (45. Nisi tamen hic masculus tempore Investituræ jam fuerit in utero Matris. Fœtus enim in utero gaudet privilegiis nati, l. 7. et l. penult. ff. *de Statu hominum*, ibi: « Qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quæritur (1). »

(1) Neque nullum ponendum est discrimen inter Feudum gratis acquisitum, et pretio emptum. Ubi enim vere propria sint Feuda pretii interventus ea allodialia non reddit, sed ad tramites feudalium consuetudinem eorumdem successio regulanda est. Haneronius *de Feudis* lib. 2, cap. 8, n. 5. Vultejus *de Feudis* lib. 1, cap. 9, n. 50, 51, 52. Rittersinsius *de Feudis* lib. 1, cap. 14, n. 1 et 2. Ut vero femina in feudo succedat ex pacto, satis non est ut investitura nomen unius feminæ exprimatur, nisi verba sint generalia, vel omnes complectatur feminas; aliae post primam feminam nulla alia admittitur, post Vultej. loc. cit. n. 61 et 62. Gudelin. *de Feudis* part. 3, cap. 5, n. 12, in fin. At in feudo franco, conditionato et in iis regionibus sito, in quibus urget consuetudo favore feminarum, aliisque in casibus, quos numerat Voet. in *Pandect.* lib. 58, *digres. de Feud.* n. 60, feminæ succedant. Zoes. *de Feudis* cap. 10, n. 28 et 29. Præter feminas a feudali successione removentur muti, surdi, cæci, furiosi, aut aliter im-

Digitized by Google

(46. Ad complementum hujus articu. observandum est quod olim nulla dabatur in feudis successio. Postea tamen fuit moribus, et legibus introducta, ac successive magis extensa, ut clare habetur, lib. 1, *Feud.* tit. 1, ibi : « Antiquissimo enim tempore sic erat in Dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in Feudum a se datam. Postea vero eo ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent; deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis produceretur, sed cum hoc jure successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, ut ad filios deveniret, in quem scilicet Dominus hoc vellet beneficium confirmare, quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes (Filios) æqualiter veniat; et infra. Hoc quoque sciendum est, quod beneficium hoc adveniens ex latere ultra fratres patrueles non progreditur successionem secundum usum ab antiquis constitutum, licet moderno tempore usque ad septimum gradum sit usurpatum, quod in masculis descendentibus novo Jure usque in infinitum extenditur. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. Inspecta jam in additione ad articulum præcedentem origine tum natura Feudorum Ecclesiasticorum, agendum esset de legitima eorum Constitutione. In hac autem legitima Constitutione. Ecclesiasticorum Feudorum, ad personas constituentes, tum recipientes, ad res, quæ in Feudum aliis dantur, et denique ad modum respiciendum esset. At quia Constitutionibus Summorum Pontificum adempta videtur ea, quæ de jure communi competebat potestas infeudandi; prorsus inutile hodie videtur, de legitima Feudorum Ecclesiasticorum Constitutione disserere. Vide tamen de ea, si lubet, Bohemer. in *Decret.* lib. 3, tit. 20, § 29, et plur. seq.

(48. Illud vero hic haud est prætereundum, quod sub quavis prohibitione non venit infeudatio illa quæ nascitur non ex bonis Ecclesiæ, sed ex allodialibus Laicorum rebus per oblationem illam solemnem, de qua in additione ad articulum superiorem verba fecimus; idque quia infeudatio hæc non est alienatio, sed potius directi dominii acquisitio.

(49. Neque obstare potest, quod Prælatus ita brevi manu rem Ecclesiæ antea donatam rursus tradere videatur. Non est enim in effectu talis alienatio, quæ prohibita sit jure Canonico, immo commendata et approbata est.

ARTICULUS III.

Feudum quoad ea quæ concernunt modos, quibus acquiritur, causas, ob quas amittitur, et jura, et obligationes, quas ratione ipsius habent tam Dominus, quam Vasallus.

1. Tribus potissimum modis Feudum acquiri potest, scilicet primo, Pacto et Investitura, secundo, Præscriptione, tertio, Successione. (2. Per pactum intelligitur contractus ille Feudalis, quo Dominus sub certis conditionibus aut oneribus rem suam in Feudum concedit Feudatario, et Feudatarius a Domino recipit. (3. Investitura vero est actus ille solemnis, quo Feudatarius a Domino directo, vel actualiter mittitur in possessionem rei Feudalis, vel signum aliquod, verb. gr. Vexillum, ensem, hastam, annulum, etc., juxta Regionis consuetudinem accipit ab ipso Domino sibi dicente, quod tali signo intendat, et velit ei Feudum revera concedere, et illum actualiter investire; lib. 2. *Feud.* tit. 2. (4. Actus autem ille, quo Feudatarius a Domino directo vel ejus deputato actualiter mittitur in possessionem Feudi, est, et dicitur Investitura propria. Actus vero ille, quo traditur signum, est, et vocatur investitura impropria, seu abusiva; lib. 2. *Feud.* tit. 2, ibi : « Investitura quidem proprie dicitur possessio, abusive autem modo dicitur investitura, quando hasta, vel aliud corporeum quodlibet porrigitur a Domino Feudi, se investituram facere dicente. » (5. Investitura necessario requiritur ad acquirendum Feudum, textu expresso in lib. 1. *Feud.* tit. 25, ibi : Sciendum est, Feudum sine investitura nullo modo constitui posse; » Rota, part. 1, recent. decis. 127, num. 9, part. 5, tom. 1, dec. 93, num. 36. (6. Sufficit tamen sive sit investitura propria, sive impropria, et abusiva; lib. 2. *Feud.* tit. 31, in princ. ibi : « Sciendum itaque est, Feudum acquiri investitura, etc. vel eo, quod habetur pro investitura. » (7. Investitura potest per alium, tam dari, quam accipi, lib. 2. *Feud.* tit. 3, circa finem, ibi : « Verum ipse, vel alius pro te investituram faciat, vel suscipiat, nihil interesse putamus (1). »

(8. Feudum acquiritur etiam præscriptione triginta annorum, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 26, § *Si quis per* ibi : « Si quis per triginta annos rem aliquam in Feudum possedit, et servitium Domino exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest. » (9. Ad sic autem præscribendum contra Ecclesiam, vel alia loca pia requiritur spatium quadraginta annorum, cum tale spatium, seu tempus requiratur universaliter ad præ-

perfecti, qui tamen iis casibus succedunt, in quibus succedunt feminæ, Zoes. loc. cit. n. 6. Gudelin. *Ibid.* cap. 5, n. 13 et 14. Vultejus loc. cit. n. 123, usque ad num. 148. Rittershusius *Ibid.* cap. 15, n. 18 et seq. His tamen imperfectis lib. 1. *Feud.* tit. 6, § ult. ex feudorum redditibus alimenta conceduntur. Voet. loc. cit. n. 64. (EDIT. BARB.)

(1) Circa varias Investituræ solemnitates videnda Gudelin. *de Jure novissim.* tract. *de Feud.* part. 2, cap. 6 et 8. Vultejus *de Feudis* lib. 1, cap. 7, n. 34. Tholosan. *Syntagm. jur. civil.* lib. 6, cap. 7, 8, 9, 10 et 14. Rittershusius in *Novel. Justin.* tract. *de Feudis* lib. 1, cap. 8, n. ultim. Voet. in *Pandect.* lib. 38, *digress. de Feudis* n. 37 et plur. seq. (EDIT. BARBIELL.

Digitized by Google

scribenda bona immobilia contra Ecclesiam, vel aliam piam causam, cap. *de Quarta* 4, cap. *Ad Aures* 6, cap. *Illud autem.* 8, et cap. *Quia judicante* 9, *de Præscriptionibus*, Engel. lib. 3, *Decret.* tit. 20, n. 17. Reiffenstuel, *ibid.* n. 16. Rosental, *de Feud.* cap. 6, conclus. 78, num. 7, et alii passim. (10. Ad hanc præscriptionem requiritur bona fides, cap. final. *de Præscript.* ubi universaliter statuitur: « Ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quam Civilis. » Unde *Regula* 2, *Juris*, in 6, sic expresse habet: « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. » (11. Sufficit autem bona fides, etiamsi sit sine titulo, quia universaliter ad præscriptionem longissimi temporis bona fides absque titulo sufficit, l. *Sicut in rem*, Cod. *de Præscript.* 30 vel 40 annor. cap. *Sanctorum* 3, *de Præscriptionibus*, et cap. 1, *de Præscript.* in 6. Engel. loc. cit. n. 17. Reiffenstuel, l. c. n. 60, et alii passim. (12. Dominus directus contra Vassallum præscribere potest, ut propria, et allodialis res Vassalli evadat Feudalis, si nempe per annos triginta a Vassallo ratione rei alicujus præstantur servitia, vel alia onera Feudalia; Jul. Clar. § *Feud.* q. 19, et num. 1. Engel. loc. cit. num. 17. Reiffenstuel, loc. cit. num. 16, et alii communiter. (13. Ita etiam Vassallus contra Dominum directum præscribere potest, ut ex re Feudali fiat allodialis ipsius Vassalli, si nempe per annos triginta bona fide nulla servitia vel onera Feudalia præstat, arg. l. *Omnes.* 4, Cod. *de Præscript.* Abbas, in cap. *Ad audientiam*, 13, *de Præscript.* num. 17. Engel. loc. cit. num. 42. Reiffenstuel, loc. cit. num. 67, et alii (1).

(14. Feudum acquiritur etiam successione, et de hac dictum est abunde articulo antecedenti a num. 18, usque in finem. vide ibi (2).

(15. Feudum ob quatuor præsertim causas amitti, ac finiri potest, scilicet *Primo*, ob malam alienationem; *Secundo*, ob non petitam investituram; *Tertio*, ob refutatam rem Feudalem; *Quarto*, ob commissam Feloniam. (16. *Primo* igitur Vassallus Feudum amittit, si illud absque Domini directi consensu alienet in casibus, in quibus consensus requiritur; lib. 1. *Feud.* tit. 21, §. final. et lib. 2, *Feud.* tit. 30, ubi sic expresse habetur: « Si Vassallus contra Constitutionem Lotharii Regis beneficium alienaverit, si totum, perdat totum, si partem, partem perdat, et ad Dominum revertatur. » Communis. (17. *Secundo*, amittitur Feudum, si contingente mutatione, sive ex parte Domini per mortem, sive ex parte Vassalli intra annum, et diem, de novo non petatur investitura, textu expresso in lib. 2 *de Feud.* tit. 24, ibi: « Prima causa beneficii amittendi hæc fuit, et adhuc est in plerisque Curiis, quod, si Vassallus per annum, et diem Domino sub mortuo steterit, quod heredem Domini sui investituram petendo, fidelitatem pollicendo non audierit, tamquam ingratus existens, beneficium amittit; et e converso, si Domino superstite Vassallus decesserit, et filius ejus per jam dictum tempus neglexerit petere investituram, beneficio carebit. » (18. Ut autem ob neglectam investituræ renovationem Feudum amittatur, necesse est, quod dolose, vel culpabiliter negligatur; lib. 2. *Feud.* tit. 52, § fin. ibi: « Sancimus, si Vassallus non dolose per annum et diem steterit, quod a Domino sui beneficii investituram non petierit, Feudum non ob hoc amittat. » (19. Hæc tamen renovatio investituræ non est in usu in statu Mediolani, Card. de Luca, *de Feud.* disc. 59, sub num. 7, et plures alii cum Borell. in summa decis. lib. 1, tit. 34, *de Feudis*, num. 94. (20. *Tertio*, amittitur Feudum per refutationem, seu renunciationem, sive resignationem; l. 2. *Feud.* tit. 38. (21. Feudum etiam absque consensu Domini licite, et valide resignari potest in proxime successurum; arg. lib. 2, tit. 36, ibi; « Vassallus etiam sine Domini voluntate recte Feudum refutare potest. » Card. de Luca, *de Feud.* disc. 13, num. 12, et communis aliorum. (22. Extraneo tamen nequit absque consensu Domini renunciari, eo quod talis refutatio, seu renunciatio esset vera alienatio, quæ absque consensu Domini fieri nequit; lib. 9. *Feud.* tit. 52 et 55. et sæpe alibi. Communis. (23. Resignatio seu refutatio Feudi antiqui cum consensu Domini facta extraneo, seu etiam ipsi Domino, tenet solum, quandiu talis Vassallus resignans vivit, eo autem mortuo, redit ad proximos agnatos, æque ac

(1) Præter allatos acquirendi Feudi modos, alius addi potest per ultimam voluntatem « dum is qui liberam habet rerum suarum administrationem, et Feudi concedendi simulque testandi facultatem, et alteri testamento vel codicillis relinquit jus Feudi in aliqua re allodiali, immobili, aut ea, quæ immobilibus accensetur et in qua Feudum consistere potest. Quo casu legatario danda non videtur rei vindicatio ad Feudi illius legati persecutionem, sed potius adversus hæredem legantis actio ex testamento ad id, ut de re tali sibi jure Feudi relicta investiatur, atque ita utile dominium et jus Feudi re ipsa nanciscatur. Cumque mortis causa donatio in plerisque legato similis sit, non dubium quin et per eam recte Feudum acquiratur. Voet. loc. cit. n. 30. » (Edit. Barbiell.)

(2) Hactenus dicta novi Feudi acquisitionem respiciunt. Successio vero potius locum habet in Feudo jam constituto, quam constituendo. Dum enim quis in Feudo succedit non novum constituitur Feudum, sed in novum successorem antiquum transfertur, idque fit vel ex testamento, vel ab intestato. Voet. loc. cit. n. 42 et 43. Sed Vassallus neque de omnibus Feudis testari potest, verum de solis hæreditariis, et de iis, qui sunt ex pacto et providentia; accedente tamen consensu domini directi, et eorum, quorum interest. Vultejus *de Feudis* lib. 1, cap. 9, num. 154, cum plur. seq. et ut infra n. 31, cum seq. De petita, et obtenta de Feudis testandi licentia, et de ipsius licentiæ effectu plura vide apud. Voet. loc. cit. a n. 44, usque ad 56. Circa modum vero succedendi in feudis, et leges in his successionibus observandas, vide late disputata per eumdem Voet. loc. cit. a n. 67, ad n. 85. Tiraquell. *de jur. Primogenit.* Molin *de primogenit. Hispan. orig. et natur.* Zoes. *de Feudis* cap. 11. Plura alia de Feudis, quæ longum esset referre reperies in erudito tractatu Francisci Duaren *Comment. in consuetud. feudal.* tom. 4, p. 133, cum seq. Anton. Contii *Method. de Feudis* ad tit. 20, lib. 3. *Decretal.* (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

si non resignasset; lib. 2. *Feud.* tit. 26. § *Titius*, quia jus, quod agnatis ex antiqua investitura competit, alieno facta auferri non potest; arg. l. *Id quod nostrum*, 11. ff. *de Reg. Jur.* (24. *Quarto*, amittitur Feudum ob commissam Feloniam, quæ Felonia est terminus Feudalis, qui delictum Vassalli Feudo privans significat, lib. *Feud.* tit. 35. (25. Ad quos autem revertatur, an ad Dominum, vel agnatos Vassalli Feudum amissum ob aliquam ex supradictis causis, vide apud Feudistas præsertim Jul. Clar. § *Feudum*, Rosental *de Feudis;* Fachin. lib. 7. per totum, et alios. (26. Jus competens Domino directo Feudi est jus proprietatis, et dominii directi in ipso Feudo, seu re Feudali, lib. 2. *Feud.* tit. 23. et ultra habet jus positivum consistens in obligationibus, quibus eidem adstrictus manet Vassallus, quæ obligationes infra enumerabuntur. (27. Obligationes autem ipsius Domini erga Vassallum sunt specialiter sequentes. *Primo*, ut præstito fidelitatis juramento, Vassallum illico in possessionem mittat, et si moram fecerit, omnem utilitatem Vassallo præstat, lib. 2. *Feud.* tit. 7. *Secundo*, si Vassallum in re aliena, sive scienter, sive ignoranter, investiverit, tenetur eidem de evictione lib. 2. *Feud.* tit. 8. dummodo Vassallus tempore investituræ nesciverit Feudum sibi conferendum rem esse alienam, cit. lib. 2. tit. 8. ibi: « Qui enim alienæ rei sciens investituram acceperit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de evictione agere non poterit, » et dummodo Vassallus post litem motam, Dominum, ut se defendat, debite monuerit, lib. 2. tit. 25. *Tertio*, debet Vassallo reciproce fidelitatem; cap. *de Forma* 18. caus. 22. quæst. 5. ibi: « Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet. Quod si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille qui eorum prævaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus, et perjurus. »

(28. Jus competens Vassallo est Dominium utile in Feudo, ita ut rem Feudalem libere administrare, Feudo uti, et frui, et ea omnia circa illud disponere possit, quæ meliorem, non item quæ deteriorem reddunt conditionem Feudi; lib. 2. *Feudor.* tit. 8. (29. Obligationes autem ipsius Vassalli erga Dominum directum sunt specialiter sequentes, enumeratæ in cap. *de Forma* 18. caus. 22. q. 5. ibi: « Qui Domino fidelitatem jurat, ista sex semper in memoria habere debet. Incolume, Tutum, Honestum, Utile, Facile, vel Possibile. Incolume videlicet ne sit in damnum Domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit in damnum de secreto suo, vel munitionibus, per quas tutus esse potest. Honestum, ne sit in damnum de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur. Utile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facile, vel possibile, ne id bonum, quod Dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile, neve id, quod Possibile erat, reddat ei impossibile; Ut fidelis hæc omnia nocumenta caveat, justum est; sed quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat id quod bonum est, restat ut ex supradictis consilium, et auxilium Domino suo fideliter præstet, si beneficium dignus vult, et salvus esse de fidelitate, quam juravit, » qui textus habetur etiam in lib. *Feud.* tit. 6. (30. Obligatur insuper Vassallus, ut contingente mutatione sive ex parte sui, sive ex parte Domini per mortem, vel alium casum, petat renovationem investituræ et Domino Fidelitatem juret; lib. 2. *Feud.* tit. 21.

(31. Vassallus sine consensu Domini potest alienare Feuda hereditaria concessa sibi pro suis heredibus, et quibuscumque dederit, textu expresso in lib. *Feud.* tit. 48. ibi: « Si quis eâ lege alicui dederit Feudum, ut ipse, et sui heredes, et cui ipse dederit habeat, respondeo, iste qui accepit, poterit id vendere, vel donare, vel aliter, si placuerit, etiam sine voluntate Domini alienare. » *Communis.* (32. Item potest Vassallus sine consensu Domini alienare Feudum proximiori agnato immediate in Feudum succeduro. Communis, arg. l. 1. *Feud.* tit. 13. § fin. et lib. 2. tit. 38. (33. Item potest Vassallus etiam absque consensu Domini Feudum alteri in Feudum dare, dummodo subinfeudandus sit ejusdem conditionis cum Vassallo Principali, ne fiat deterior conditio Domini, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 9. et tit. 34. ibi: « Nec Vassallus Feudum sine voluntate Domini alienabit; In Feudum tamen recte dabit, si secunda Persona sit talis, quæ Feudo servire possit, ut si dans miles est, et ille, qui accepit Feudum, inveniatur miles, ad hoc ut Feudum si contigerit, Domino similiter servire, ut et prior possit. » Idem habetur tit. 26. § 5. verb. *Beneficium.* Jul. Clar. § *Feud.* q. 32. Pirhing. l. b. *Decretal.* tit. 20. num. 13. Reiffenst. vel *ibid.* num. 124. et communis aliorum. (34. Item sine consensu Domini potest Vassallus Feudum ad modicum tempus locare, dummodo locatio non sit fraudulenta alienatio, ubi esset locatio ad longum tempus, textu expresso in lib. 2. tit. 9. ibi. « Potest locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio. »

(35. Non potest tamen Vassallus sine consensu Domini Feudum donare, lib. 1. *Feud.* tit. 9. Communis. (36. Nec hypothecare, lib. 2. *Feud.* tit. 55. Communis. (37. Nec permutare, cit. lib. 2. *Feud.* tit. 55. Communis. (38. Nec testamento relinquere, aut legare, lib. 1. *Feud.* tit. 8, Communis. (39. Nec in solutum dare, nec in dotem dare, lib. 1. *Feud.* tit. 9. § *Donare;* Rota p. 5. tom. 1. decis. 167. Card. de Luca de *Feud.* disc. 20. num. 2. et alii passim.

(40. Posset tamen Feudum in dotem dari sine consensu Domini, ubi particularis lex vel consuetudo id concederet, cum his leges, vel consuetudines generales cedant arg. c. *Cum tanto* 11. *de Consuetud.* Card. de Luca *de Feud.* disc. 20. n. 4. (41. Item in dotem dari potest sine consensu Domini, ubi mulier, pro cujus dote Feudum datur, esset dotanti proxime in Feudo successura, quia tunc speciem refutationis continere dicerentur, quæ non est prohibita alienatio, cum

Digitized by Google

sit præventiva successio; Card. de Luca *de Feud.* c. disc. 20. n. 5. (42. Item sine consensu Domini mulier Feudaria potest sibi ipsi in dotem Feudum dare, seu assignare, dummodo det, seu assignet inæstimatum; secus autem, si æstimatum ea vera æstimatione, quæ faciat emptionem, cum tunc esset formalis alienatio per viam contractus emptionis, et venditionis, qui occultari dicitur, ut ita distinguendo firmant Isternia, et Bald. in c. 1. § *Donare, Qualiter olim Feud. poter. alien.* Capyc. *Investit. Feud.* verb. *Pro dote* vers. *Aut sumus in mulier.* A ponte, *de Potest. Proreg. de ascens. Reg. super dot.* in princ. num. 3. Lerata, *Theatr. Feud.* part. 10. dilucid. 60. n. 6. Borell. in *Summa decis.* part. 3. tit. 4. *de Jure dotium*, num. 268. Rosental, *de Feud.* c. 9. concl. 9. n. 9. Card. de Luca *de Feud.* cit. Disc. 20. n. 7. et alii passim. (43. Non sic autem in Regno Neapolitano, ubi neque mulier id facere potest sine assensu. Ita cum aliis Card. de Luca *de Feud.* cit. dic. 20. num. 8. (44. Vassallus sine assensu Domini nequit Feudum vendere, nec alio quocumque contractu, quo jus Reale transfertur, alienare, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 52. ibi: « Hac Edictali, Deo propitio, perpetuo valitura lege sancimus, ut nulli liceat Feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quoquo modo distrahere, vel alienare, vel pro anima judicare sine permissione illius Domini, ad quem Feudum spectare dignoscitur. » (45. Feudum novum potest Vassallus cum consensu Domini quocumque contractu alienare; lib. 1. *Feud.* tit. 13. § final. (46. Non item antiquum; nisi accedat etiam consensus agnatorum, aliter, mortuo alienante, redit iterum ad proximum agnatum sine refusione ullius pretii, nisi per annum sciens taceat, textu clarissimo in lib. 2. *Feud.* tit. 26. § *Titius.* Comm. (47. Feudum antiquum male alienatum, si proximus agnatus suo tempore non revocat, possunt illud, eo mortuo, agnati remotiores revocare; Fachineus lib. 7. c. 13. Reiffenstuel. loc. cit. num. 128. et communis aliorum. (48. Agnatis competit jus retractus Feudi absque eorum consensu alienati; arg. l. 2. *Feud.* tit. 9. § *Porro*, et tit. 28. § *Titius.* Communis. (49. Licitum est alienare Feudum ad ratificationem Domini, seu sub clausula, et conditione: *Si Dominus consenserit*, Jul. Clarus § *Feudum*, quæst. 14. num. 5. et communis aliorum

ADDITIONES EX EDITIONE ROMANA.

(50. De successione in Feuda Ecclesiastica jam constituta, paucis hic agendum. Spectandæ autem in primis sunt litteræ Investituræ, et juxta eas successio regulanda est.

(51. Quod si Litteræ investituræ lateant, successio in Feuda hæc Ecclesiastica regulari haud potest secundum jus Longobardicum, propterea quod, ut supra in additione ad primum articulum diximus, ut supra feudum Ecclesiasticum non proprium, sed improprium censeri debet; Confer, Bohemer. in *Decretal.* lib. 3. tit. 2. § 57. et plur. seq. Hertium in *Paræmiis Juris* lib. 2. paræm. 10. in fin. Schilter. ad *Rubric. Jur. Feudal. Alaman.* § 15. Sand. tit. 3. *Consuetud. Feud. Geldr.* § 7. n. 2. et duob. sequent.

(52. Hinc autem non sequitur, feuda Ecclesiastica esse hæreditaria, et alienabilia, quum qualitates hæ Feudi rationem, quoad maximam partem, destruant, efficiantque, ut fere nunquam ad Ecclesiam reverti queant, et directum ipsius dominium fere annihilent. Consuetudine vero feuda Ecclesiastica accipere posse hanc naturam, ut mere hæreditariæ sint, ita ut de iis testandi facultas permissa sit, probat post alios Bohemer in *Decretal.* lib. 1. tit. 2. § 64.

(53. In dubio autem femina potius, quam hæreditaria Feuda Ecclesiastica præsumi debent, ut firmat idem Auctor loco mox citato sequenti § 65.

(54. Num autem in Feuda Ecclesiastica succedant Ascendentes et Collaterales, qui a primo acquirente sanguinem haud trahunt, non levis quæstio est. Porro si feuda hæc Ecclesiastica mere hæreditariæ sint, succedunt in ea et hi. Quoniam vero non omnia feuda Ecclesiastica habent naturam hanc irregularem, contrarium in dubio est statuendum. Confer itidem Bohemer. ubi supr. § 66.

(55. Quæ dicta hactenus sunt de successione in Feuda Ecclesiastica, quæ constituta reperiantur, eadem locum sibi vindicant, quoad successionem in Feuda Ecclesiastica, si qui in posterum constituantur ex solemni oblatione.

(56. Reliquum est, ut verba faciamus de Felonia in his Feudis commissa. Porro Prælatus non adeo rigide circa Feloniam commissam procedere valet præsertim si culpa magis, quam dolo, commissa ea fuerit utpote si debito tempore renovatio investituræ non sit petita, Feltmann. lib. 1. *de Tilul. honor.* c. 45. § 21. Alias si gravius quid per dolum in Prælatum commissum sit, privari Feudo Vassallus potest. Vide exempla apud Bohemer. eod. loco § 69.

(57. Remissio Feloniæ spectat ad Prælatum, etiamsi inconsulto Capitulo suscipiat, nisi forsan collatio simul Capitulo debeatur. Cæterum, an post Constitutionem Urbani VIII. qua tum infeudandi, tum reinfeudandi, potestas omnis ad impta penitus est, compedere amplius Prælato possit remissio Feloniæ, dubitari, et non immerito potest.

(58. De altera ilia specie Feudi Ecclesiastici in sensu lata, in quo scilicet ipsa Ecclesia recipit in Feudum, consule Bohemer. plur. citat. loc. a § 70. ad fin.

FIDEICOMMISSUM.

SUMMARIUM.

. Fideicommissum quid sit. — 2. Hæres, qui jubetur restituere hæreditatem, vocatur *Hæres Fiduciarius*, item *Hæres gravatus*, item *Hæres Fideicommissarius*. — 3. Is vero, cui jubetur restitui, vocatur *Fideicommissarius* simpliciter. — 4. Fidei-

Digitized by Google

commissum dicitur ambitiosum Hominis placitum ad conservationem bonorum in familia. — 5. Ante legem XII Tabularum erat incognitum, et ejus usus incœpit temporibus Augusti Cæsaris. — 6. Fideicommissum aliud est universale, et aliud particulare, et quid sit utrumque. — 7. Fideicommissum particulare sequitur naturam Legati, et jure novo reipsa non differt. — 8. Item fideicommissum aliud est purum, seu absolutum et aliud est conditionale. Quid sit Fideicommissum purum, seu absolutum. — 9. Quid sit fideicommissum conditionale. — 10. Item dictum fideicommissum subdistinguitur in restitutorium, et conservatorium, et quid sit utrumque. — 11. Rursus, fideicommissum in casu mortis aliud est, quod simplex, ac ordinarium dicitur non excludens Successorum pluralitatem, et simultaneum concursum, et aliud contra. — 12. Substitutio quid, et quotuplex sit. — 13. Substitutio fideicommissaria quid sit. — 14. In fideicommisso universali ordinato ab ascendente, substitutiones intelliguntur factæ sub tacita conditione. *Si institutus, vel gravatus, sine filiis decesserit;* ita ut quævis Proles præferatur extraneo substituto. — 15. Non decedit sine liberis, qui unicam prolem, sive masculum sive femellam habet. — 16. Si filius gravatus in testamento Patris hæreditatem alteri restituere, *si sine liberis decesserit*, ingrediatur Monasterium bonorum capax ibique profiteatur, excluditur substitutus, et succedit Monasterium. — 17. Limitatur primo conclusio in casu, quo Testator veram, et naturalem filiationem voluerit, puta si dixerit *sine veris filiis*, vel *sine filiis legitimis, et naturalibus*, aut *ex corpore suo natis*, cum *similibus*. — 18. Limitatur secundo in casu, quo Testator tacite, vel expresse consideraverit conservationem agnationis. — 19. Limitatur tertio in casu, quo hæres iniquo animo fraudandi substitutum fideicommissum ingreditur Religionem. — 20. Limitatur quarto in casu, quo hæres gravatus inductus est ad ingressum Religionis suasionibus, et blanditiis Monachorum. — 21. Limitatur quinto in casu, quo hæres ingreditur Monasterium bonorum in communi, et successionis omnino incapax. — 22. Limitatur sexto in casu, quo alia causa pia sit substituta. — 23. Fideicommissum regulariter loquendo vendi, pignorari, vel hypothecari nequit. — 24. Limita primo, si alienatio est necessaria pro solutione debitorum Testatoris. — 25. Limita secundo, si alienatio est necessaria pro competenti dote, vel pro alimentis hæredis gravati, et suorum descendentium, vel pro liberatione possessionis ab hostibus, et latronibus. — 26. Limita tertio; si est necessaria distractio pro distractione Legitimæ, et Trebellianicæ. — 27. Limita quarto, si distractio est utilis. — 28. Limita quinto, si alienentur res, quæ servando servari non possunt. — 29. Limita sexto, si omnes vocati, et substituti ad alienationem consensiunt. — 30. 31. De Fideicommisso hæredi præsenti injuncto. — 32. An requiratur promissio hæredis. — 34. Fideicommissum conventionale. — 35. An possit esse universale. — 36. An constitui possit in favorem tertii. — 37. Nec est locus beneficio quartæ Trebellianicæ. — 38. Fideicommissum reciprocum simpliciter et reciprocum lineare. — 39. De Fideicommissis per acta inter vivos constitutis. — 40. 41. Quomodo a Fideicommissis ultima voluntate relictis differant. — 42. De jure liberorum in hujusmodi Fideicommissi successionem.

(1. Fideicommissum est hæreditas, vel pars illius, quam Hæres a Testatore rogatur, vel jubetur alteri restituere. Est in re communis; arg. tot. tit. Cod. *de Fideicomm.* et Inst. *de Fideicomm. hæred.* (2. Hæres, qui jubetur, vel rogatur restituere hæreditatem, vel partem ejus, vocatur *Hæres Fiduciarius;* item *Hæres gravatus.* l. *Scias* 46. ff. *S. C. Trebellian.* item vocatur *Hæres Fideicommissarius.* (3. Is vero, cui jubetur restitui, vocatur *Fideicommissarius* simpliciter. § *Sed quia* 7. *Instit. de Fideicomm. hæred.* (4. Fideicommissum dicitur ambitiosum hominis placitum ad conservationem bonorum in Familia. Rota p. 6. rec. dec. 312. num. 4. (5. Ante legem XII Tabularum erat incognitum, et ejus usus incœpit temporibus Augusti Cæsaris; Rota par. 5.; tom. 1. dec. 36. n. 44. et part. 10. decis. 1. num. 64.

(6. Fideicommissum aliud est universale et aliud particulare. Universale est quando tota hæreditas, vel certa quota ejus debet alteri restitui : § *In primis, et* § *Prælerea, Instit. Fideicomm. hæred.* Particulare est, quando non tota hæreditas, vel certa quota, sed solum res aliqua particularis restitui debet; *Instit. de singulis rebus per Fideicommiss. relict.*

(7. Fideicommissum particulare sequitur naturam Legati, et jure novo re ipsa non differt, lib. 1. ff. *de Legat.* 1. Piring. lib. 3. tit. 26. n. 72. Reiffenstuel. ib. n. 605. et alii passim (1). (8. Item Fideicommissum aliud est purum, seu absolutum, et aliud est conditionale. Fideicommissum purum, seu absolutum est, quod fit absque omni conditione apposita, et tale est, si Testator verb. grat. dicat : Petrum hæredem instituo, eumque rogo, vel mando eidem ut totam, vel modicam hereditatem restituat Paulo. Est in re communis, argument. § 1. *Instit. de Fideicom. hæred.* (9. Fideicommissum conditionale est, quod fit apposita aliqua conditione, ut si Testator dicat : Petrum hæredem instituo, voloque, ut si sine liberis decesserit, hæreditas restituatur Paulo. Hoc autem Fideicommissum conditionale, eveniente, seu purificata conditione evadit purum, seu absolutum; arg. l. *Cedere diem* 113. ff. *de V. S.* et l. 1. ac 4. ff. *Quando dies legat.*

(10. Dictum Fideicommissum subdistinguitur in restitutorium, et conservatorium : Fideicommissum restitutorium est illud, quod pure et simpliciter ordinatur pro casu mortis, ut cum Testator Hæredem instituit, V. G. Titium, eique mandat, ut in casu suæ mortis totam, vel mediam hæreditatem restituat Cajo, et de hoc Fideicommisso raro audiuntur quæstiones in Tribunalibus; cum in claris, et in expressis non intrent quæstiones, et argumenta, textu expresso in V. *Ille aut ille* 25. ff. *de Legatis* 2. ibi : « Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio. » Fideicommissum conservatorium est illud, quod instituitur cum expressa prohibitione alienationis, seu confiscationis, ad hoc ut pro majori splendore, ac decore familiæ bona conser-

(1) Sed Duarenus *Oper.* t. 2, in tit. *ad leg. Falcid.* pag. 444, discrimen, quod inter legata, et particularia fideicommissa intercedit, mirifice distinguit. Heinec. *Element. jur.* lib. 2, tit 24, § 673. Vin. *Instit.* lib 2, tit 20, § 3, n. 3 et 4. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

ventur in agnatione vocata, et ne extra illa exeant, et tunc Hæres gravatus non potest illa alienare, vel obligare, l. *Sancimus* 7. cod. *de Rebus alienis non alienandis* cum similibus.

(11. Rursus Fideicommissum in casu mortis aliud est, quod simplex, ac ordinarium dicitur, non excludens Successorum pluralitatem, ac simultaneum concursum omnium, qui eumdem proximitatis gradum, vel æqualem statum habent; et tunc Hæres gravatus non potest alterare ordinem a Testatore præscriptum, uni gratificando, et alium excludendo; l. *Omnia* 32. § *in Fideicommisso*, ff. *de Legatis* 2. alias l. cum ita legatur; l. fin. Cod. *de verborum Signific.* cum similibus; Card. de Luca *de Fideicomm.* disc. 16. num. 3. Peregrin *de Fideicommissis* artic. 14. numer. 7. Bellon. jun. consil. 1. a numero 32. ad numer. 36. Rota apud Seraſin. decis. 874. et apud Coccinum decis. 495. Et aliud est quod pluralitatem successorum seu plurium simultaneum concursum non admittit, sed uni tantum Personæ convenit atque istud sub duplici vocabulo explicatur *Primogenituræ*, scilicet, ac *Majoratus;* et hoc Fideicommissum regulatur eodem fere jure ac Feudum; cum a Primogenituris ad Feuda, vel econtra, quoties lex Feudorum non urget, licitum sit arguere. Card. de Luca *de Feudis* discurs. 45. num. 4. Molina *de Primogenituris* lib. 1. c. 1. num. 7. Surdus consil. 241. et alii Juristæ passim, apud quos plurima de omnibus istis.

(12. Substitutio est unius in alterius locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio; est in re communis. Substitutio est duplex: directa et indirecta. Directa est, per quam substitutus hæreditatem Testatoris consequitur immediate, et sine ministerio alterius primi instituti, uti si Testator dixerit: Petrus sit hæres, aut si hic non erit, sit Paulus. Indirecta est per quam committitur fidei directi hæredis, ut hæreditatem tradat alteri, ideoque etiam dicitur Fideicommissaria, quia substitutus accipit hæreditatem, non directe a Testatore, sed a Fideicommissario. Ut si Testator dixerit: Petrus sit meus hæres, quem rogo, seu gravo, ut quando morietur, hæreditatem totam, seu partem aliquam v. g. mediam, vel tertiam, vel certam rem Paulo restituat. (13. Unde substitutio Fideicommissaria est, qua hæres ex testamento, vel ab intestatu decedens, vel absolute, vel sub conditione gravatur, seu obligatur hæreditatem totam, vel certam aliquam partem ejusdem mediam v. g. vel tertiam, vel certam rem alteri restituere. Est in re communis; arg. § 1 et 2, *instit. de Fideic. hæred.*

(14. In Fideicommisso universali ordinato ab ascendente substitutiones intelliguntur factæ sub tacita conditione: « Si institutus vel gravatus sine filiis decesserit, » ita ut quævis proles præferatur extraneo substituto textu expresso in l. *Cum avus* 10 ff. *de Cond. et demons.* et l. *Cum acutissimi* 30 Cod. *de Fideic.* ibi: « Si quis filium suum hæredem instituit et restitutionis post mortem onere subegit, non aliter hoc videtur disposuisse, nisi cum filius ejus sine sobole vitam suam reliquerit. » Ubi etiam hæc ratio subjungitur: « Quia merito præsumitur hæreditatem suam potius propriis descendentibus, quam alienis relinquere voluisse. » Est communis cum Rota part. 5. recentior. tom. 1. decision. 329. numer. 11. part. 12 dec. 380. num. 5. par. 16. dec. 132. num. 2. et seq. par. 17 dec. 170. num. 8. par. 18. tom. 1. dec. 102. n. 3 et 15. et sæpe alibi. (15. Non decedit sine liberis, qui unicam prolem, sive masculum, sive femellam, habet textu expresso in l. 148. *de V. S.* ibi: « Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est. » Communis. (16. Si filius gravatus in testamento Patris hæreditatem alteri restituere *si sine liberis decesserit*, ingrediatur Religionem, seu Monasterium bonorum capax, ibique profiteatur, excluditur substitutus, et succedit Monasterium. Rota par. 8 dec. 34. num. 4 et seq. par. 12 dec. 433. n. 17 et sequent. Testator enim præsumitur diligere Monasterium, sicut filium instituti, et proinde sicuti prætulit substituto filio instituti ita censetur voluisse præferre Monasterium. Rota par. 3. dec. 358. num. 3 et seqq. par. 8. dec. 134. num. 10 et seq. Covarruvias lib. 2. *Variar. resolut.* cap. 19. Layman lib. 1. tract. 5. c. 9. Piringh. lib. 3. *Decretal.* tit. 26. num. 74. Reiffenstuel loc. cit. num. 624. Authent. *Nisi rogati*, Cod. *ad S. C. Trebellian.* quæ desumpta est ex Authent. de S. S. Episcop. § *Sed et hoc*, Coll. 8. et cap. *In præsentia* 8. *de Probat.* ubi in simili casu proposito judicatum est ad favorem Monasterii contra substitutos (1).

(17. Limitatur tamen prima conclusio in casu quo Testator veram et naturalem filiationem voluerit, puta si dixerit, *sine filiis*, vel *sine filiis legitimis, et naturalibus, aut ex corpore suo natis* cum similibus. Rota par. 3. dec. 358. num. 3. et seq. part. 6. decis. 179. n. 16. cum sequent. par. 8. dec. 131. num. 6. par. 12. dec. 434. num. 6. Si enim Testator in conditione *si sine filiis*, expresserit qualitates non competentes, nisi naturalibus, tunc Monasterium non censetur consideratum loco filii. Rota part. 3. dec. 358. numer. 12. et sequent. part. 6. dec. 179. n. 17. par. 8. dec. 134. num. 6. part. 12. dec. 434. n. 6. (18. Limitatur secundo, in casu quo Testator tacite, vel expresse considera-

(1) Quin imo non dicitur quis decedere sine filiis licet filios tantum naturales habeat, quorum ideo existentia repellit substitutum, et fideicommissum caducitatem impedit, sive masculus, sive femina fideicommisso gravata sit, ut tenet, et exemplis confirmat post multos allegatos Voet. in *Pandect.* lib. 36, tit. 1, n. 13, præsertim si fuerint legitimati. Hoc tamen limita in casu, quo fuerint in conditione positi filii legitimi, et ex legitimo matrimonio geniti, tunc nec subsequente matrimonio legitimati ellicere valent, ut conditio deficiat, ut per eumdem *Auctor. n. seq.* Anton. Fabr. Cod. lib. 6, tit. 24, defin. 19. Mantic. *de Conject. ult. voluni.* lib. 11, tit. 12, n. 17 et seq. Fachin. *Controvers.* lib. 4, c. 53. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

verit conservationem agnationis, quo casu omnes Doctores conveniunt. Monasterium non excludere substitutos. Rota par. 8. dec. 134. num. 15. et sic contingit in Primogeniturís, ac Majoratibus, qui ad conservandum splendorem Familiæ eriguntur; In iis enim, excluso Monasterio, succedere proximum agnatum fatentur Doctores communiter cum Covarruv. l. c. c. 19. Layman l. c. c. 9. Molin. disp. 628. Azor. tom. 1. lib. 12. c. 8. q. 5. (19. Limitatur tertio, in casu quo hæres iniquo animo fraudandi substitutum Fideicommisso ingreditur Religionem. Menochius lib. 4. *Præsumpt.* 83. num. 56. Abbas in cap. *In Præsentia* 8. *de Prob.* num. 46. Pirhing loc. cit. n. 76. Reiffenstuel loc. cit. num. 626. Sanchez lib. 7. cap. 16. num. 54. et 55, et alii. Et ratio est quia fraus, et dolus nulli patrocinari debet; cap. *Sedes* 15. cap. *Ex tenore* 16. *de Rescripsit*, c. *Tuæ* 12. *de Clericis non resid.* l. in fundo, ff. *de Rei vindic.* l. *Cum hi*, ff. *de Transact.* l. *Si Legatarius*, Cod. *de Legatis.* (20. Limitatur quarto in casu, quo hæres gravatus inductus est ad ingressum Religionis suasionibus, et blanditiis Monachorum, tunc enim Monasterium nulla bona hujus Professi consequetur, adeoque nec substitutus excluderetur. Menochius loc. cit. n. 87. Sanchez loc. cit. num. 62. Pirhing loc. cit. sub. num. 76. per Jura mox allegata. (21. Limitatur quinto, in casu quo hæres ingrediatur Monasterium bonorum in communi, et successionis omnino incapax; ut sunt Monasteria Minorum de toto corpore Observantiæ, et Capuccinorum; Tunc enim substitutus succedit statim a die professionis, quia professio in talibus Monasteriis quo ad successionem æquiparatur morti naturali. Menochius loc. cit. n. 81. Piringh loc. cit. sub num. 76. Reiffenstuel loc. cit. num. 626. (22. Limitatur sexto, in casu quo alia causa pia sit substituta, ut si Testator dixerit, Si hæres meus sine liberis obierit, substituto Hospitale, Pauperes, Ecclesiam Parochialem, et hujusmodi, quando enim privilegiatus concurrit cum privilegiato, tunc privilegiis non attentis, servatur Jus commune, et sic. licet hæres ingrediatur Monasterium, et ibi profiteatur, adhuc hæreditas est restituenda piæ causæ substitutæ, arg. cap. *Cum causa, de Præbend.* Communis cum Piringh loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. n. 627. Abbas, et Glossa in cap. *In Præsentia* 8. *de Probat.*

(23. Fideicommissum regulariter loquendo vendi, pignorari, aut hypothecari nequit, textu expresso in l. final. § *Sed quia* 2. C. communia, *de Legat.* ibi: « Nemo itaque hæres ea, quæ pure sub certa die relicta sunt, vel quæ restitui aliis disposita sunt, vel substitutionis supposita, putet in posterum alienanda, vel pignoris, vel hypothecæ titulo assignanda; quia satis absurdum est et irrationabile rem, quam in suis bonis pure non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothecæ, pignorisque nomine obligare, vel alienam spem decipere » Rota par. 5. t. 1. dec. 408. num. 9. par. 12. dec. 310. num. 1. (24. Limita tamen primo, si alienatio est necessaria pro solutione debitorum Testatoris, dummodo non alienentur immobilia, si pecunia, vel alia mobilia ad solvendum sufficientia adsint. Card. de Luc. *de Fideicomm.* disc. 161. num. 5. et 8. et summa n. 305 et 306. item. disc. 162. n. 8. Tuschus lit. C. consil. 283. num. 16. Glossa in l. *Filius familias* § *Diu*, ff. *de Legat.* 1 et alii passim; et ratio est quia non intendit prohibere alienationem cum præjudicio Creditorum; arg. l. *Creditoris arbitrio*, ff. *ad l. Paleid.* (25. Limita secundo, si alienatio est necessaria pro competenti dote. Authent. *Res quæ*, Cod. *Communia*, *de Legat.* Tusch. lit. F. consil. 284. n. 1. citans communem. Vel pro alimentis hæredis gravati, et suorum descendentium. Card. de Luca *de Fideicommis* disc. 170 et 171. Tusch. loc. cit. Vel pro liberatione possessoris ab hostibus, vel latronibus, Card. de Luca *de Fideicomm.* in summa num. 294. Reiffenstuel lib. 3. *Decretal.* tit. 26. num. 618. et alii communiter (1). (26. Limita tertio, si est necessaria distractio pro detractione competentis legitimæ, et Trebellianicæ. Baldus l. 4. consil. 163. n. 4. Parisius lib. 2. consil. 17. et 18. Reiffenstuel loc. cit. num. 617. Tusch. et alii communiter; et ratio est, quia detractio Legitimæ, et Trebellianicæ debetur de Jure, *Novell.* 18, c. 1. Authent. Novissima, Cod. *de inof. Testam.* l. 33. Cod. *de inoffic. Testam.* § *Sed quia* 7, *Inst. de Fideic. hæred. cum Consordantiis*, adeoque si non aliunde, quam vendendo haberi potest, vendi debet. (27. Limita quarto, si distractio est utilis, uti sit in casu permutationis Fideicommissi pro bono utiliori ipsi gravato, ac aliis substitutis. Card. de Luca, *Disc. de Fideicomm.* disc. 157, num. 7, et 8. Reiffenstuel, loc. cit. num. 619, et alii communiter. Cum enim in tali casu nulli fiat injuria, et damnum sed commodum omnibus vocatis, et substitutis, præsumitur adesse tacitus omnium consensus. (28. Limita quinto, si alienentur res, quæ servando servari non possunt, dummodo pretium inde comparatum postea restituatur substitutis, ut applicetur in re immobili, Card. de Luca, *de Fideic.* disc. 90, n. 9, et communis aliorum. (29. Limita sexto, si omnes vocati, et substituti, in quorum favorem Fideicommissum factum est, ad alienationem consentiunt, textu expresso in l. *Quoties* 11, ff. *de Fideicomm.* ibi: « Quoties ab omnibus, qui alienatione facta ad Fideicommissum petitione adspirare possunt, venditio celebretur, aut quibusdam vendentibus alii consenserunt, contractus auctoritas convelli nequaquam potest (2). »

(1) De alienatione fideicommissi propter Dotem Sesiæ actum est supra *de Dote quoad Fideicommis.* artic. 4. (Edit. Barbiell.)

(2) Supra firmatum fuit prohibitam esse alienationem, debitorumque contractionem, quid vero dicendum de Creditorum exactione pendente saltem fideicommissi conditione; Jure exigi nomina debitorum ab hærede fiduciario, et hæreditarias perimi obligationes tenet Gratian. *Discept. forens.* cap. 556, n. 8 et 9, et late Voet. in *Pandect.* lib. 36, tit. 1, num. 63. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Si qua in jure materia occurrit summopere illustranda, hæc certe est de Fideicommissis, quum vix condatur Testamentum, in quo Fideicommissum haud ordinetur. Sed quum sciam me intra limites additionem continere debere, materiam, ut vellem, illustrare nequeo, sed agam dumtaxat de Fideicommisso Hæredi præsenti injuncto, tum de Fideicommisso conventionali, de quibus cæteroquin non omnes disserunt.

(31. Quod attinet ad Fideicommissum hæredi præsenti injunctum, hoc inductum est Lege finali Cod. *de Fideicommissis*, nullamque penitus requirit solemnitatem, sed debet a Testatore præsenti Hæredi injungi. Inde namque tota hujus Fideicommissi validitas dependet, quod Testator præsentis hæredis Fidei commiserit restitutionem hæreditatis, ut monstrat contextus, et illustrat Harprecht. *de Remed.* Leg. final. Cod. *de Fideicomm.* cap. 4, § 10, et sequent. Non igitur subsistit Fideicommissum hoc, si hæres absens fuerit, ita ut ne valeat quidem schedula ad Absentem missa, cum deficiat fundamentum hujus Fideicommissi *privilegiati;* Idem Auctor citato loco, § 13.

(32. Num ad validitatem hujus Fideicommissi requiratur insuper promissio hæredis, non conveniunt inter se Doctores. Negativa mihi opinio semper arrisit. Disponit enim hic Testator in vim mortis, et ita tota illa dispositio ex ejus debet dependere arbitrio, nec factum hæredis requiritur, alioquin dicendum foret, hæredem contradicere posse, et contradicentem minime obligari, quod tamen admitti nequit; Idem Auctor ubi supra, § 34. Sicuti autem tota hujus Fideicommissi substantia a Fide hæredum dependet, ita tantum per solam confessionem hæredum constare de eo debet, adeo ut si confessionem edere nolint, « necesse habent, vel Sacramentum subire, et omni inquietudine sese relaxare, vel si recusandum existimaverit Sacramentum, omni modo exactioni Fidei commissi subjacere: » sunt ipsa verba Legis finalis Cod. *de Fideicomm.* Ubi enim recusant subire juramentum habentur pro confessis; confidentes autem absolvere obligantur ad Fideicommissum præstandum. Ricter. dec. 62, n. 20, et seq.

(33. Adeo autem sola Fides hæredum hoc sustinet Fideicommissum, ut ne quidem sufficiat loco jurisjurandi delati uti aliis probationibus, si fortassis duo adfuissent Testes, quorum testimonio probari posset, Defunctum præsenti hæredi Fideicommissum injunxisse, quia ita Fideicommissum dependeret a Fide Testium, non a Fide hæredum; Quoties autem a Testium præsentia dependet Fideicommissum, quinque ad minus esse debent, minimeque duo sufficiunt. Hæres vero, si delatum ipsi sit juramentum, non prohibetur conscientiam suam per alias probationes exonerare, veluti si probare absentiam possit, Ricter. dict. dec. 62, num. 29. Finckelth. observ. 51, num. 7 et 11. Hactenus de Fideicommisso hæredi præsenti injuncto.

(34. Fideicommissum conventionale est illud, quod in actu inter vivos constituitur. Inductum est autem hoc Fideicommissum moribus gentium.

(35. An hoc Fideicommissum conventionale esse possit universale, scilicet de tota hæreditate, vel parte ipsius, dubitatur, et non immerito. Sicuti enim hæreditas pactis dari nequit, ita quoque per modum Fideicommissi factitii haud transfertur. At apud plerasque gentes prævaluit opinio affirmativa; Strykius, *in usu modern. Pandect.* lib. 26, tit. 1, § 6. Harprect. *de Fideicomm. conventional.* § 2, et ita quidem, ut nec requiratur confirmatio superioris.

(36. Major dubitatio est, an Fideicommissum hoc conventionale constitui possit in favorem Tertii? De jure enim Alteri per pactum Alterius actio acquiri nequit. Sed et posse receptum est, Strykius *in usu modern. Pandect.* lib. 26, dist. tit. 1, § 4.

(37. Inter omnes vero convenit, in hoc Fideicommisso conventionali, licet universali, locum haud esse beneficio quartæ Trebellianicæ. Beneficium enim quartæ in Fideicommisso condito in Testamento in favorem hæredis inductum est; idque quia cum hic suo facto se haud obstrinxerit ad restituendum, sed ad hoc ex solius Testatoris dispositione teneatur, merito ei ex bonis defuncti aliquid concedendum erat, quo eo promptius invitaretur ad adeundam hæreditatem, eamque restituendam. At hæ rationes applicari nequeunt ad conventionale Fideicommissum, quum gravatus ex data Fide obligetur ad restituendum, propterea que minime oporteat per beneficia juris eum allicere ad implementum suæ obligationis; Pirckm. consil. 1 n. 203. Harprect. *de Fideicom. conventional* § 41.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(38. Rursus Fideicommissum esse potest reciprocum simpliciter, et reciprocum lineare. Reciprocum simpliciter est dum plures ab initio instituuntur, et invicem alter alteri per fideicommissum substituitur. Reciprocum vero lineare est dum non modo primi heredes, sed eorum insuper descendentes ad invicem substituuntur. Primo casu mortis primis heredibus cum filiis fideicommissum favore coheredum expirat, licet filii unius ex heredibus institutis, deinde sine prole decedant: non ita tamen secundo casu. Ubi enim constat de reciproca lineari non modo unus alteri succedit, sed una linea defecta altera subingreditur. Plura de his fideicommissis dicenda, quæ videri possunt apud Anton. Fabr. *Cod.* lib. 6. tit. 22. definit. 22. et 23. Peregrin. *de Fideicomm.* art. 13, n. 72. usque ad fin. ubi etiam de fideicommisso graduali, et quando tale judicari debeat, fuse agit. Rursus consule Rotam coram Falconer. tit. *de Dote* dec. 18. num. 12; coram Lancetta dec. 40. num. 3. 4. 5. dec. 217 num 11, dec. 522. a num. 1. ad 5. dec. 637. 761. 1250. 1294. cor. Crescent. dec. 287. 184. 478. et 491.

(39. Hactenus de fideicommissis ultima

Digitized by Google

voluntate relictis, nunc pauca addenda de fideicommissis per actum inter vivos constitutis, cum per ultimam voluntatem non minus quam per actum inter vivos fideicommissa induci possint, ut dum donationi adjicitur pactum de rebus donatis alteri personæ, seu filiis donatarii restituendis; l. *Cum quis decedens* 37. § *Pater* ff. *de legat.* 3. Bruneman. *ibid.* et communiter Doctores. Ita et pactis dotalibus fideicommissa induci possunt, quæ tamen ut fideicommissi vinculo afficiantur actis insinuanda sunt adinstar donationum, de quibus late Peregrin. *de fideicomm.* art. 51. Grœnewegen. ad leg. 3. Cod. *de Condic. ob caus. dator.* Zoef. in *Pandect.* lib. 39. tit. 5. num. 62 et 63. Anton. Mathæi *de Succession. disput. ult. de divort. leg.* et *Usus.* num. 51. (40. Hæc tamen fideicommissa a fideicommissis ultima voluntate relictis differunt. In his competit actio non minus personalis, quam in rem; in fideicommissis vero inter vivos constitutis personalis tantum actio datur ex æquitate ad persequendum tale fideicommissum, l. *quoties* 3. Cod. *de Donat. quæ sub modo* Vinnius tractat. *de Pactis* cap. 15. n. 11 et 12. Voet. *in Pandect.* lib. 36. tit. 1. num. 9. Perez in *Cod.* lib. 8. tit. 55. n. 15. Vinc. de Franch. dec. 74. Guid Papæ dec. 512. Vide tamen Carpzov. par. 3. cap. 8. defin. 12. Fusar. *de Substit.* quæst. 14. Bruneman. in *Cod.* lib. 8. t. 55. in leg. 3. per tot. (41. Differunt secundo, ut fideicommissa per ultimam voluntatem constituta ad nutum fideicommittentis, quousque vivit, revocari possint, non ita tamen fideicommissa inter vivos relicta, quæ semel a fideicommissario acceptata amplius liberum non est fideicommittenti fideicommissum revocare. Jul. Clar. § *Donatio* quæst. 13. n. 5. Fachin. *Controver.* lib. 8. c. 89. et 91. Mantic. *de tacit. et ambig. Convent.* lib. 13. tit. 48. num. 8 Zoes. in *Pandect.* lib. 39. tit. 5. numer. 65 et seq. Perez. loco citat. num. 6

(42. Dubitari autem potest utrum hujusmodi fideicommissum inter vivos relictum ea lege, ut donata bona ad donantem revertantur, *si donatarius sine liberis moriatur*, jus aliquod iisdem liberis tribuat, adeo ut æqualiter succedant, an potius liberum sit donatario de donatis bonis disponere eaque inæqualiter etiam inter eosdem liberos dividere. Tota hæc quæstio dependet ex determinatione controversiæ an filii in conditione positi censeantur dispositive vocati, adeo ut ubi lex, vel consuetudo, vel statutum viget, prout Romæ ex c. 142. lib. 1. *Statut. Urb.* Rot. Coram Lancett. dec. 217. num. 2. cujus vigore filii in conditione positi tamquam dispositive vocati reputantur, tunc cum iisdem liberis jam sit jus quæsitum, nullum ipsis potest detrimentum afferri ex dispositione patris donatarii, secus vero ubi consuetudo, in contrarium observatur. Voet. in *Pandect.* lib. 39. tit. 5, n. ultim. sed hanc quæstionem accuratius exposuimus supra *de Donationibus.* Art. 3. novis addit.

FIDEJUSSIO, FIDEJUSSOR.

SUMMARIUM.

1. Fidejussio quid sit. — 2. Fidejussor unde dicatur, et quid sit. — 3. Fidejussio quavis verborum forma, oretenus, et inscriptis, immo inter absentes et per Epistolam fieri potest. — 4. Fidejussor dari, et Fidejussio constitui potest super quovis debito, vel obligatione quomodocumque contracta. — 5. Potest quis de sistenda persona incarceranda fidejubere, quam si non sistit, ipse Fidejussor non incarceratur, sed punitur pœna pecuniaria. — 6. Fidejussor dari potest non solum pro præsenti, sed etiam pro futura obligatione. — 7. Fidejubere possunt omnes qui liberam rerum suarum administrationem habent, et a lege non prohibentur. — 8. Prohibentur autem primo Fidejubere milites, exceptis tamen veteranis honeste a militia dimissis. — 9. Secundo, Fidejubere prohibentur mulieres etiam pro conjunctissimis personis. — 10. Tertio, Fidejubere prohibentur Ecclesiarum Prælati, et Clerici. — 11. Limitatur conclusio, si raro tantum in uno, vel altero casu fiat ex causa præsertim pietatis, vel charitatis. — 12. Clericus Fidejubens debet de Patrimonialibus, vel quasi talibus, et non de Ecclesiasticis satisfacere, nisi forsan ex causa necessitatis, ac pietatis pro egeno, vel alia causa pia contingeret Fidejussio, *ad n.* 13. — 14. Item Fidejubere potest Clericus pro alio Clerico. — 15. Item Clericus potest Fidejubere pro sua Ecclesia. — 16. Clerici Fidejussio facta nimis frequenter de bonis Patrimonialibus, vel de aliis Ecclesiasticis redditibus ad ipsum pro honesta sustentatione plene spectantibus, quamvis sit illicita, est tamen valida. — 17. Quarto Fidejubere prohibentur Religiosi omnes, non tantum privati, sed etiam Superiores sine consensu majoris. — 18. Limitatur conclusio in casu quo Prælatus pro modica quantitate, et raro fidejubet. — 19. Fidejussio a prælato, vel privato Religioso contra Jura facta non solum est illicita, sed etiam invalida. — 20. Fidejussor tenetur solvere totum, quod debitor principalis tempore Fidejussionis debebat, si hic non est solvendo, immo etiam usuras, si ita promisit. — 21. Fidejussor non obligatur ad plus quam debitor principalis. — 22. Nec Fidejussor potest prius obligari, quam obligatus sit debitor principalis. — 23. Si Fidejussor ad certum dumtaxat tempus fidejussit, et Creditor sine consensu Fidejussoris tempus prorogat debitori, ad nihil amplius tenetur Fidejussor. — 24. Fidejussor, quantum est ex simplici Fidejussione, non tenetur ad usuras, aut alias novas accedentes obligationes. — 25. Tenetur tamen ad ipsas, si specialiter vel universaliter ad has quoque se obligavit. — 26. Fidejussoris obligatio transit etiam ad ejus hæredes. — 27. Si plures sint Fidejussores super eodem debito, tenentur omnes in solidum ita ut, si solvendo non sint, ille solus, qui solvendo est, ad totum in solidum solvendum teneatur. — 28. Si tamen alii confidejussores etiam sint solvendo, non potest creditor convenire unum solum pro toto debito, et conventus potest excipere, et dicere ut singulus æqualiter pro suis partibus conveniat. — 29. Si post factam legitime divisionem debiti inter fidejussores, aliqui fiant non solvendo, id accidit damno Creditoris. — 30. Fidejussor Regulariter conveniri non potest, nisi postquam fuit conventus, et excussus debitor principalis, et inventus, quod ipse non sit solvendo, sive in totum, sive in partem. — 31. Hoc privilegio gaudet Fidejussor, si debitor principalis sit absens, et ipse præsens, nisi promittat sistere præsentem debitorem principalem intra tempus a Judice determinatum. — 32. Nec Fidejussor gaudet tali beneficio, seu privilegio, si notorie constet debitorem principalem non esse solvendo. — 33. Nec Fidejussor gaudet tali Beneficio, si debitor sit difficilis conventionis. — 34. Nec Fidejussor gaudet tali Beneficio excussionis, si ipsi expresse, vel tacite renuntiavit, ut facere po

Digitized by Google

test. — 35. Nec Fidejussor gaudet tali Beneficio excussionis, si malitiose neget Fidejussionem, et postea convincatur. — 36. Fidejussor in pluribus casibus potest petere liberationem a Fidejussione, etiam antequam solvat. — 37. Primus casus est, si debitor diu negligit solvere, seu in culpabili mora solvendi diu fuit. — 38. Secundus casus est, si debitor principalis incipit esse prodigus, et dissipare bona sua. — 39. Dummodo tamen tempore Fidejussionis sciente Fidejussore non cœperit debitor dilapidare bona. — 40. Tertius casus est, si Fidejussor, ut pro debitori principali solvat, a judice condemnatur. — 41. Quartus casus est, si inter Fidejussorem et debitorem conventum sit, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore, liberaretur Fidejussor. — 42. Quintus casus est, si Fidejussor ex rationabili causa vellet peregre proficisci in longinquas regiones. — 43. Sextus casus est, si inter debitorem et Fidejussorem graves, vel capitales exortæ sint inimicitiæ, dummodo non sint exortæ culpa Fidejussoris. — 44. Principalis debitor tenetur de jure Fidejussorem relevare, et eumdem reintegrare, de omnibus per eum solutis. — 45. Immo non solum tenetur conservare indemnem Fidejussorem pro summa, pro qua fidejussit, sed etiam pro omni damno, et interesse passo ratione Fidejussionis. — 46. Fidejussor potest pacisci, et de jure aliquid recipere in compensationem imminentis periculi, quod subit in fidejubendo. — 47. Etiamsi debitor existat idoneus. — 48. Regulariter de stylo mercatorum persolvuntur pro Fidejussione duo in singula centenaria. — 49. Creditor potest acceptare moderatum pretium, ut Fidejussorem liberet a Fidejussione periculosa, vel molesta, quam suscepit pro debitore. — 50. Creditor compelli non potest, ut habito uno Fidejussore, admittat alium. — 51. Si tamen creditor admiserit alterum Fidejussorem, liberatur primus. — 52. Fidejussores plures, quando sunt omnes in solidum obligati, sicuti respectu debitoris principalis sunt confidejussores; ita alter alteri ad invicem sunt etiam Fidejussores pro rata, et ratione solidi alter pro altero tenetur, et conveniri potest. — 53. Ac ideo, si alter ex confidejussoribus in solidum obligatis, solvat Creditori principali, potest repetere ratam partem adversus alios confidejussores. — 54. Quilibet tamen confidejussor pro eo, quod solvit, habet actionem mandati contra debitorem principalem. — 55. Insuper habet etiam Fidejussor actionem negotiorum gestorum adversus principalem debitorem, ad repetendum id quod solvit et indemnitatem consequendam. — 56. 59. An jure civili et canonico prohibiti sint Clerici in universum fidejubere. — 60. De Fidejussore criminalibus *Remissive*. — 61. Altera exceptio, qua Fidejussor non gaudet privilegio expectandi debitoris excussionem. — 62. Salvo tamen regressu ad Fidejussorem. — 63. Sequitur divisionis exceptio. — 64. Quæ pro omnibus debitis indistincte competit. — 65. Dempto qui pro tutore vel cum muliere fidejubeat. — 66. Et qui huic beneficio expresse renuntiat. — 67. 68. De cedendarum actionum remedio. — 69. Quando Fidejussor solutum repetere nequit. — 70. Alteri casus recensentur quibus Fidejussor a fidejussione liberatur. — — 71. Tria Fidejussorum genera. — 72. De solidali fidejussione. — 73. Ejus effectus. — 74. 80. Et consequentiæ. — 81. De Fidejussore indemnitatis. — 82. Quomodo liberetur.

(1. Fidejussio est contractus, quo quis alienam obligationem suscepit implendam, si debitor principalis non solverit. Est in re communis, arg. *Institut. princ. de Fidejuss.* et l. *Sicut* 65. ff. eod. (1). (2. Fidejussor (sic dictus a *fide* et *jubeo*, quasi fide sua jubens, ut alteri credatur, l. *Creditor* 60. § 1. ff. *Mandati* et l. *Ubi* 75. § *Qui vero* ff. *de V. O.*) est is, qui alienam obligationem in se suscepit, seu fidem suam interponit de solvendo debito, casu quo ipse illud non solverit; Est in re communis, arg. *Instit. princ. de Fidejuss.* (3. Fidejussio quavis verborum forma oretenus, et in scriptis, immo inter absentes, et per Epistolam fieri potest; Engel. lib. 3. *Decret.* tit. 12. num. 2. Reiffenstuel *ibidem* num. 11. et communis aliorum. (4. Fidejussor dari, et Fidejussio constitui potest super quovis debito, vel obligatione quomodocumque contracta, textu expresso l. 1. ff. *de Fidejuss. et mandat.* ibi: « Omni obligationi Fidejussor accedere potest, » l. *Græce* 8. § 1. ff. eod. ibi : « Præterea sciendum est Fidejussorem adhiberi omni obligationi posse, sive re, sive verbis, sive consensu; » § 1. *Instit de Fidejuss.* ibi : « Omnibus autem obligationibus adsumi potest, idest, sive re, sive verbis, sive litteris, sive consensu contrahatur, ac nec illud quidem interest, utrum civilis, an naturalis sit obligatio, cui adjicitur Fidejussor. »

(5. Potest quis de sistenda persona incarceranda Fidejubere, quam si non sistit, ipse Fidejussor non incarceratur, sed punitur pœna pecuniaria, vel taxata a Jure, decreto, consuetudine, vel arbitraria Judicis; et quidem extraordinaria, si reus ex dolo Fidejussoris exhibitus non est, vel aufugit, textu expresso in l. *Si quis* 4. ff. *de Fidej.* ibi : « Si quis reum criminis, pro quo satis dedit, non exhibuerit, pœna pecuniaria plectitur; puto tamen, si dolo non exhibeat, etiam extra ordinem esse damnandum; sed si neque in cautione, neque in decreto Præsidis certa quantitas comprehensa est, ac nec consuetudo ostendit, quæ certam formam habet, Præses de modo pecuniæ quæ inferri oporteat statuet. » (6. Fidejussor dari potest non solum pro præsenti, sed etiam pro futura obligatione, l. *Stipulatus* 6. § 2 ff. *de Fidejuss.* ibi : « Adhiberi autem fidejussor tam futuræ, quam præcedenti obligationi potest. »

(7. Fidejubere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent, et a lege non prohibentur; Communis, arg. l. 3. ff. *de Fidejuss.*

(8. Prohibentur autem fidejubere : Primo, milites, l. 8. § 1. ff. *Qui satis dare coguntur*, et l. *Miles* 31. Cod. *de Locato*, ibi : « Milites fidejussores fieri prohibemus. » Excipiuntur tamen milites veterani honeste a militia dimissi, quia ipsi cum non teneantur amplius armis occupari, et bello interesse, possunt libere privata negotia, et commercia tractare, argum. leg. 1. Cod. *de Veteranis* (2) (9. Secundo, fidejubere prohibentur mulieres, l. 1. ff. ad Sac. Congr. Vellejan. ibi : « Vellejano Senatusconsulto plenissime comprehensum

(1) Hæc definitio procedit in simplici fidejussione, non in solidali, ut Artic. 2. (Edit. Barbiell.)

(2) Excipe casum quo decipiendi animo, vel cum sciret se non teneri tamen fidejussit, et tunc non juvatur Vellejano; l. 1, § 3, l. 3, princip. ff. *ad S. C. Vellej.* Item si aliquid in præmium fidejussoris a debitore receperit; quod a publico instrumento a tribus testibus subscripto, leg. 23, per tot. Cod. *ad*

Digitized by Google

est, ne pro ullo feminæ intercederent, » id est fidejuberent ; et hæc prohibitio adeo stricte ligat mulieres, ut nec mater possit fidejubere pro filiis, leg. *Si cum*, Cod. *S. C. Vellejan.* Nec filia pro parentibus, l. *Si paternum* 8. Cod. eod. Nec uxor pro Marito l. 1. Cod. *Ne uxor pro Marito*. (10. Tertio, fidejubere prohibentur Ecclesiarum Prælati, et Clerici, cap. *Te quidem* 39. caus. 11. quæst. 1. ibi : « Te quidem (Episcopum alloquitur Papa) oportet irreprehensibiliter vivere, et summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias, ne fidejussor existas, » etc. et cap. 1. *Fidejuss.* ibi : « Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur, » et concordat *Novell.* 123. cap. 6. (11. Limitatur tamen conclusio, si raro tantum in uno, vel altero casu fiat ex causa præsertim pietatis, vel charitatis, arg. cit. c. *Clericus* 1. *de Fidejuss.* ubi solum prohibetur, ne Clericus sit *inserviens* Fidejussioni, quæ particula frequentiam denotat, uti docet Glossa *ibid.* verb. *Inserviens* Abbas, *ibid.* n. 1. cum communi aliorum. (12. Clericus autem Fidejubens debet de patrimonialibus, vel quasi talibus, et non de Ecclesiasticis satisfacere, nisi forsan ex causa necessitatis, ac pietatis pro egeno, aut alia causa pia contingeret Fidejussio; Abbas in cit. cap. *Clericus* 1. *de Fidejuss.* et alii passim, quia Ecclesias debitis gravare Clericus non potest, textu expresso in cap. *Quorumdam* 2. *de Solutionibus*, ibi : « Firmiter inhibemus, ne quis præsumat Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis. » (13. Dicitur notanter : « Nisi forsan ex causa necessitatis, aut pietatis pro egeno, aut alia causa pia contingeret Fidejussio; » quia cum in similibus casibus possit, immo subinde teneatur donare, arg. cap. *Gloria Episcopi* 12. quæst. 12. juxta dict. verb. *Beneficiatus* art. 1. num. 35. et seq. multo magis poterit per Fidejussionem interim obligare redditus Ecclesiasticos etiam superfluos.

(14. Item fidejubere potest Clericus pro alio Clerico. Communis, arg. Cap. *Pervenit* 2. *de Fidejussionibus*, ubi Papa fidejussionem Clerici pro Clericis factam non solum non improbat, sed mandat, ut a debitoribus eidem satisfiat, sicque tacite approbat. (15. Item Clericus potest fidejubere pro sua Ecclesia; Communis; arg. cap. *Quod quibusdam* 4. *de Fidejuss.* l. *Cum Clericis* 25. et l. *Omnes* 33. § 2. *de Episcop. et Cleric.* (16. Clerici Fidejussio facta nimis frequenter de bonis patrimonialibus vel de aliis Ecclesiasticis redditibus ad ipsum pro honesta sustentatione plene spectantibus, quamvis sit illicita, est tamen valida, et Clericus tenetur ei stare, et in defectum principalis debitoris de præfatis bonis satisfacere. Glossa in cit. cap. *Clericus* 1. *de Fidejuss.* verb. *Inserviens*; Barbosa *ibid.* in fin.. ubi plures citat. Menoch. *de præsumption.* lib. 2. præsumpt. 46. num. 5. Engel lib. 3. *Decretal.* tit. 22. num. 5. Reiffenstuel *ibid.* num. 34. Et ratio est, quia nullibi in Jure reperitur pro nulla declarata Fidejussio Clerici sæcularis. Neque refert quod sit prohibita : quia, ut expresse dicitur in cap. *Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus* : « Quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem. »

(17. Quarto, fidejubere prohibentur Religiosi omnes, non tantum privati, sed etiam superiores sine consensu majoris partis Capituli. De Religiosis privatis habetur textus expressus in c. *Quod quibusdam* 4. *de Fidejus.* ibi : « Quod quibusdam Religiosis a Sede Apostolica est prohibitum, volumus et mandamus ad universos extendi; ne quis videlicet Religiosus absque majoris partis Capituli, et abbatis sui licentia pro aliquo fidejubeat. » Idem est de Prælatis, si debitas Juris solemnitates non adhibeant, per textum ex cap. *In quorumdam* 2. *de Solutionibus* ; Barbosa in cit. c. *Quod quibusdam* 4. *Fidejus.* n. 5. Engel loc. cit. num. 6. Reiffenstuel loc. cit. num. 34, et communis aliorum : Religiosi enim omnes sive Prælati, sive subditi, nihil proprii habent, de quo fidejubere possint. (18. Limitatur tamen conclusio in casu quo Prælatus pro modica quantitate, et raro fidejubet, quia talis facultas ad liberam administrandi facultatem pertinet; Pirhing lib. 3. *Decretal.* tit. 22. num. 11. Reiffenstuel *ibid.* n. 35. Engel *ibid.* n. 6. Silvester verb. *Fidejus.* quæst. 4. et alii passim. Immo etiam privatus Religiosus, qui beneficium cum potestate administrandi redditus habet, etiam tacitam licentiam, raro et in modica quantitate fidejubendi habere censetur; Pirhing. loc. cit. n. 13. Reiffenstuel l. c. num. 35. et alii. (19. Fidejussio a Prælato, vel privato Religioso contra Jura facta, non solum est illicita, sed etiam invalida. Nec obligat Monasterium, et privat etiam Prælatum administratione, tam spiritualium, quam temporalium. Communis. Et quod talis fidejussio sit invalida, et Monasterium, seu Ecclesia ad nihil teneatur, habetur expresse ex cap. *In quorumdam* 2. *de Solutionibus*, ibi : « Decernentes ad solutionem talium debitorum Ecclesiam non teneri : » et ex c. *Quod quibusdam* 4. *de Fidejus.* ibi : « Non tenetur conventus pro his aliquatenus respondere. » Et quod Prælatus incurrat dictam pœnam privationis, patet ex cit. cap. *Quorumdam* 2. *de Solutionibus*, ibi : « Si quis autem contra præmissa venire contempserit, ab administratione spiritualium, et temporalium noverit se suspensum. »

S. C. Vellejan. ibique *Bruneman.* Rursus si pro servo intercedat, ut is consequatur libertatem, vel pro alia muliere ob dotem l. 24, et l. ultim. Cod. eod. ibique Bruneman. Hering. *de Fidejuss.* cap. 7, n. 37. Hilliger. in *Donell.* lib. 12, cap. 52, quibus posterioribus casibus remissas veteris juris solemnitates esse tenet. Bruneman. loc. cit. ad leg. 12, sub num. 12. Si vero suam juramento firmet obligationem, indistincte tenetur ad implementum, non obstante Vellejano Zoes. in *Decretal.* lib. 3, tit. 22, num. 4. Rota cor. Falconer. tit. de S. C. Vellejan, decis. 4, num. 18, cui mulier potest renunciare. Rot. cor. eod. tit. eod. dec. 6, n. 2. Quamvis autem pro marito uxor fidejubere non possit. Rot. loc. cit. decis. 4, 5 et 6, num. 1, pro eo tamen a carceribus liberando, uti et pro alia quacumque causa pia valide obligatur ; Rota loc. cit. dec. 6, n. 2. (Edit. Barbell.)

Digitized by Google

(20. Fidejussor tenetur solvere totum id, quod debitor principalis tempore fidejussionis debebat, si hic non est solvendo, immo etiam usuras, si ita promisit; arg. l. *Fidejussores* 68. ff. *de Fidejussor.* l. *Fidejussor* 10. Cod. eod. l. *Si mandato* 8. c. *Quod cum eo, qui alienat,* ibi : « Et sorti, et usuris te parere oporteret, si te his omnibus obligasti. Quod si Fidejussor Credito pecunia intercessisti, teneri te ex obligatione exp.orati Juris est. » (21. Fidejussor non obligatur ad plus, quam debitor principalis, textu expresso in l. 8. § 7. ff. *de Fidejuss.* ibi : « Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur; Nam eorum obligatio est accessoria principalis obligationis, nec plus in accessione potest esse, quam in principali. » (22. Nec Fidejussor potest prius obligari, quam obligatus sit debitor principalis; textu expresso in l. *Fidejussor* 57. ff. *de Fidejuss.* ibi : « Fidejussor. antequam reus debeat, conveniri non potest. » (23. Si Fidejussor ad certum duntaxat tempus fidejussit, et Creditor tempus sine consensu Fidejussoris prorogat debitori, ad nihil amplius tenetur Fidejussor, l. *Item quæritur.* 13. § *Qui impleto* 11. ff. *Locati;* Et ratio est, quia ex Regula 85. *Juris* in 6. « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, » et sic Glossa in § *Si quid.* vers. *Solverit*, Instit. *de Fidejuss.* Layman lib. 4. tract. 4. cap. 29. in fine; Reiffenstuel l. c. num. 47. et alii passim (1).

(24. Fidejussor quantum est ex simplici Fidejussione, non tenetur ad usuras, aut alias novas accedentes obligationes, textu expresso in leg. *Fidejussores* 68, § 1. ff. *de Fidejuss.* ibi : « Pro Aurelio Romulo conductore vectigalis centum annua Petronius, et ani fidejusserant, bona Romuli Fiscus obligata sibi occupaverat, et conveniebant Fidejussores, tam in sortem, quam in usuras, qui deprecabantur, lecta subscriptione Fidejussionis, quoniam in sola centum annua se obligaverant, non in omnem conductionem; decrevit Fidejussores in usuras non teneri. » (25. Tenetur tamen ad ipsas, si specialiter, vel universaliter ad has quoque se obligavit, textu expresso in l. *Fidejuss.* 10. Cod. *de Fidejuss.* ibi : « Fidejussor, seu mandator, si in usuras quoque obligatus est, justam causam recusandi eas solvere non habet, » et concordat l. *Quæro* 54. ff. *locati.* (26. Fidejussoris obligatio transit, etiam ad ejus hæredes, textu expresso in l. *Fidejussor.* 24. Cod. *de Fidejuss.* ibi : « Fidejussoris quidem hæres exemplo Fidejussoris tenetur, » et § 2. Instit. *de Fidejussor.* ibi : « Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed hæredem relinquit obligatum. » Communis.

(27. Si plures sint Fidejussores super eodem debito, tenentur omnes in solidum, ita ut si reliqui solvendo non sint, ille solus, qui solvendo est, ad totum in solidum solvendum teneatur, textu expresso in § *Si plures*, 4. Instit. *de Fidejuss.* ibi : « Si plures sint Fidejussores super eodem debito constituti, quotquot erunt numero singuli in solidum tenentur. » (28. Si tamen alii confidejussores etiam sint solvendo, non potest Creditor convenire unum solum pro toto debito, et conventus potest excipere, et dicere, ut singulos æqualiter pro suis partibus conveniat, prout expresse habetur ex Epistola Domini Adriani Imperatoris, in § *Si plures* 4. Institut. *de Fidejussor.* ibi : « Ex Epist. D. Adriani compellitur Creditor a singulis, qui modo solvendo sunt, litis contestatæ tempore partes petere. » Concordat l. *Si contendat* 28. ff. eodem, l. *Non recte* 3. l. *Fidejussor* 10. Cod. *de Fidejuss.* ibi : « Is qui cum altero fidejussit non solus conveniatur, sed dividatur actio inter eos qui solvendo sunt (2). » (29. Si post factam legitime divisionem debiti inter confidejussores, aliqui fiant non solvendo, id accidit damno Creditoris, qui sibi imputare debet, quod illos tempestive non excusserit, dum adhuc erant solvendo. Non enim debet hoc damnum imputari aliis confidejussoribus, qui semel liberati, non possunt inviti reduci in pristinam obligationem, l. *Inter eos* 5, § *Cum inter*, ff. *de Fidejuss.* l. *Liberum* 16. C. eod. Zœsius ff. eod. tit. num. 29. Pirhing l. cit. n. 21. in fine (3).

(30. Fidejussor regulariter conveniri non potest, nisi postquam fuit conventus, et excussus debitor principalis, et inventus quod ipse non sit solvendo, sive in totum, sive in partem; textu expresso in Auth. *Præsente*, C. *de Fidej.* ibi : « Præsente tamen utroque (scilicet Debitore principale et Fidejussore) non convenit intercessorem convenire, prius quam reus inventus est minus idoneus, sive in totum, sive in partem. » Communis. (31. Hoc tamen privilegio non gaudet Fidejussor, si debitor principalis sit absens, et ipse sit præsens, nisi promittat sistere, seu afferre præsentem debitorem principalem intra certum tempus a Judice determinatum, cit. Authent. *Præsente*, C. *de Fidejuss.* ibi : « Absente autem reo præsens intercessor jure quidem convenitur, ipso tamen desiderante Judex definiet tempus, intra quod deducat reum primum conveniendum, ipsum in subsidium reservando, nam transacto tempore compellitur satisfacere, cessis a Creditore

(1) Quod tamen intelligendum est quando agitur de fidejussione facta ad tempus *tantative*, non ad tempus *simpliciter*; vel quando terminus finiendæ obligationi, non solutioni peragendæ adjectus videtur, in quibus posterioribus casibus ob non interventum novationis pro sorte, et fructibus in vim primi contractus ante tempus dilationis decursis obligatus semper remaneat. l. *Si cum Hermes.* ibique Glos. in verb. *Non ignor.* Cod. *Locat. et Conduct.* Bruneman. in *Cod.* lib. 4, tit. 65, leg. 7, n. 3. Rot. cor. Lancett. dec. 110, n. 9 et 10. Vinn. *Select. jur.* quæst. 40. (Edit. Barbiell.)

(2) Intellige de simplici fidejussore. (Edit. Barbiell.)

(3) Hoc procedit si tempore litis contestatæ reliqui Fidejussores erant solvendo. Si enim tempore litis contestatæ solvendo non erant, Creditor potest etiam deinde idoneum fidejussorem convenire pro aliorum portionibus Voet. *in Pandect.* lib. 46, tit. 1, sub. n. 24. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

sibi actionibus (1). » (32. Nec Fidejussor gaudet tali privilegio et beneficio si notorie constet debitorem principalem non esse solvendo, quia tunc frustra fieret excussio ; Engel lib. 3, *Decret.* tit. 22, num. 9. Pirhing *ibid.* num. 21. Reiffenstuel *ibid.* num. 52, et alii passim. (33. Nec Fidejussor gaudet tali beneficio, si debitor sit difficilis conventionis, quia potens, injuriosus, et rixosus, ita ut difficiliter excuti possit; in tali enim casu æque incommodum est creditori principalem debitorem convenire ac in casu absentiæ illius : Gail. lib. 2, observ. 77, num. 21. Mising. cent. 2, observ. 15. Pirhing loc. cit. num. 21. Reiffenstuel loc. cit. numer. 54, ex Haunoldo citante communem. (34. Nec Fidejussor gaudet tali beneficio excussionis, si ipsi expresse, vel tacite renuntiavit, quod facere potest, quia tantum in favorem illius est concessum; l. pen. Cod. *de Pactis*, ibi : « Est regula Juris antiqui, omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare. » Et in ead. l. pen. Cod. *de Pact.* sic etiam expresse habetur : « Pacta autem conventa quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnino observanda sunt, » et concordat *Regula* 85. *Juris* in 6, deducta supra num. 23, et sic tenet Communis cum Molina disp. 545, num. 12. Engel loc. cit. num. 10. Reiffenstuel loc. cit. n. 56. Pirhing loc. cit. num. 21. Mising. loc. cit. (35. Nec Fidejussor gaudet tali beneficio, si malitiose neget Fidejussionem, et postea convincatur. Communis. cum Barb. in c. *Perveniet* 2, *de Fidejuss.*, num. 6. Molina loc. cit. vers. *Item Fidejussor*. Engel loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. num. 55. Et ratio est, quia mendacium aufert privilegium l. penult. Cod. *Contra jus, et utilitatem*, ibi : « Et si legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulerit, creat penitus impetratis. »

(36. Fidejussor in pluribus casibus potest petere liberationem a Fidejussione, etiam antequam solvat; sic habetur expresso in cap. *Eum pro quo* 5 *de Fidejussoribus*, ubi Gregorius IX enumerat tres his verbis : « Eum pro quo te Fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua cœpit, seu super hoc condemnatus fuisti, jure poteris convenire, ut te a Fidejussione debeat liberare, » et concordat l. *Lucius*, 38, in fine ff. *Mandati*.

(37. Primus itaque casus, quo Fidejussor liberationem a Fidejussione petere, eamque debitor præstare tenetur, est si debitor diu negligit solvere, seu in culpabili mora solvendi, diu fuit, cit. cap. *Eum pro quo*, et cit. leg. *Lucius*, Pirhing loc. cit. num. 18. Reiffenstuel loc. cit. num. 66, et alii communiter. (38. Secundus casus est, si debitor principalis incipit esse prodigus, et dissipare bona sua, ita ut Fidejussor sit in periculo, tunc enim petere potest a Judice, ut liberetur, etiam antequam solvat : cit. cap. *Eum pro quo;* et cit. l. *Lucius*. Communis. (39. Dummodo tamen tempore Fidejussionis sciente Fidejussore non cœperit debitor dilapidare bona sua, quia tunc Fidejussor hoc periculum sponte in se suscepisse censeretur, ut recte docet Glossa communiter recepta in l. *Si pro ea* 10. Cod. *Mandati;* Pirhing loc. cit. n. 18 ; Gailus l. c. n. 9; Reiffenstuel l. c. n. 68, arg. l. *Si creditores*, ff. *de Privilegiis creditorum*, et l. *Si Fidejussor* 7, ff. *Qui satis dare cogantur*. (40. Tertius casus est, si Fidejussor, ut pro debitore principali solvat, a Judice condemnatur, tunc enim illico, antequam solvat, agere potest adversus debitorem, ut eum Fidejussione liberet, ac indemnem servet ; cit. c. *Eum pro quo*, et c. l. *Lucius*, et l. *Fidejussor* 45, ff. *de Fidejuss.* (41. Quartus casus (ultra prædictos tres contentos in cit. c. *Eum pro quo*, et cit. l. *Lucius*) est, si inter Fidejussorem, et debitorem conventum sit, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore, liberaretur Fidejussor; arg. l. penult. Cod. *de Pactis*, ubi expresse dicitur : « Pacta autem conventa, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnino observanda sunt, » et Regul. 85. *Juris* in 6, ibi : « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » Communis. (42. Quintus casus est, si Fidejussor ex rationabili, et justa causa, v. g. negotiationis, Officii, studiorum, et hujusmodi, vellet peregre proficisci in longinquas regiones diu abfuturus, ideoque periculum immineret; Abbas in cit. cap. *Eum pro quo* 5, *de Fidejussoribus* num. 4. Barb. *ib.* num. 16. Pirhing l. c. num. 18. Reiffenstuel loc. cit. num. 74, arg. l. *Filius Familias* 8, § fin. ff. *de Procurat*, l. *Aut si* 9, et l. *Aut longa* 23, ff. cod. (43. Sextus casus est, si inter debitorem et Fidejussorem graves, vel capitales exortæ sint inimicitiæ, dummodo non sint exortæ culpa Fidejussoris, quia alias posset sic pro suo libitu se liberare a Fidejussione ; Barbosa loc. cit. num. 14. Pirhing loc. cit. num. 18. Surd. *de Aliment.* tit. 1. q. 45. num. 73. Reiffenstuel loc. cit. num. 72. arg. l. *Filius Familias* 8, § final. ff. *de Procurat.*

(44. Principalis debitor tenetur de jure Fidejussorem relevare, eumque ab omni molestia indemnem conservare, ac eumdem reintegrare de omnibus per eum solutis; Rota part. 1. dec. 373. n. 2. in fine, part. 4. tom. 2. dec. 206. num. 1. cum sequent. et numer. 10, cum sequent. part. 13, dec. 305, num. 1, cum seq. part. 17. dec. 310. num. 1. part. 18. tom. 1, dec. 43, n. 1, dec. 89, n. 8, part. 18, tom. 2. dec. 561. num. 1. et sæpe alibi. (45. Immo non solum tenetur conservare indemnem Fidejussorem pro summa, pro qua fidejussit, sed etiam pro omni damno, et interesse passo ratione fidejussionis ; Rota part. 17. decis. 287. num. 7.

(1) Ut Fidejussor hoc valeat perfrui beneficio illud ante litis contestationem allegare debet, secus eodem non juvatur l. 19. Cod. *de Probat. Baton. Fab.* Cod. lib. 8, tit. 4, *de Except. definit.* 1, quamvis contrarium sentire videatur Lancerus *Except.* part. 2, c 16, n. 8, et seq. Carpzov. *Defin. forens.* Distinct. 5 sect. 7. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

part. 11. dec. 270. num. 2: part. 17. dec. 310 num. 1. (46. Fidejussor potest pacisci, et de jure aliquid recipere in compensationem imminentis periculi, quod subit in fidejubendo; Rota part. 2, dec. 69, n. 3. part. 3, dec. 139, n. 3. part. 13, dec. 121, num. 8, et seq. et dec. 139, num. 9 et seq. (47. Etiamsi debitor existat idoneus, quia semper aliquod Fidejussori imminet periculum; Rota part. 13, dec. 121, num. 15, et dec. 539, n. 16 et seq. (48. Regulariter de stylo Mercatorum persolvuntur pro fidejussore duo in singula centenaria; Rota part. 13, dec. 121, n. 5 et 15, et dec. 539, num. 6 et seq. (49. Creditor potest acceptare moderatum pretium, ut Fidejussorem liberet a Fidejussione periculosa, vel molesta, quam suscepit pro debitore. Molina, Sà, Roderic. Alloza cum La Croix lib. 2. part. 2, num. 1107. (50. Creditor compelli non potest, ut habito uno Fidejussore, admittat alium; sicuti compelli non potest, ut loco prioris hypothecæ admittat aliam, quia habet jus standi primo contractui; Roderic. q. 12, num. 25. La Croix l. c. num. 1107, et alii. (51. Si tamen Creditor admiserit alterum Fidejussorem, liberatur primus; Castropal. § 2, num. 5 et 6, La Croix loc. cit. num. 1107, et alii passim. (52. Fidejussores plures, quando sunt omnes in solidum obligati, sicuti respectu debitoris principalis sunt Confidejussores, ita alter alteri ad invicem sunt etiam Fidejussores pro rata, et ratione solidi alter pro altero tenetur, et conveniri potest; Rota part 5, tom. 2, decis. 267, n. 1, 2 et 3. (53. Ac ideo, si alter ex Confidejussoribus in solidum obligatis solvit Creditori principali, potest repetere ratam partem adversus alios confidejussores; Rota part. 1, dec. 362, num. 5, et sequent. part. 3, dec. 350, num. 1, part. 5, tom. 2, dec. 487, num. 8 et seq., et dec. 617, num. 1 et sequent., part. 16, dec. 135, n. 15, et sequent. part. 17, dec. 330, n. 1, cum seq. (54. Quilibet tamen Confidejussor, pro eo, quod solvit, habet actionem mandati contra principalem debitorem; l. *Si remunerandi* 6, § 2, ff. *Mandati*, et § 6. Instit. *de Fidejuss.* ibi: « Siquidem autem Fidejussor pro reo solverit, ejus recuperandi causa habet cum eo mandati judicium; » Rota part. 7, tom. 2, decis. 386, num. 23, part. 6, decis. 222, num. 9 et seq. (55. Insuper habet etiam Fidejussor actionem negotiorum gestorum adversus principalem debitorem ad repetendum id, quod solvit, et indemnitatem consequendam; l. *Sed videamus* 4, ff. *de Negotiis gestis;* Rota part. 6, dec. 223, n. 10, et seq. part. 10, decis. 232, num. 13. Fidejussor enim solvendo non suum gerit, sed principalis debitoris negotium; Rota part. 2, decis. 487, num. 5.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. Inter eos, qui fidejubere prohibiti sunt, refert Auctor num. 10, et Clericos, eosque fidejubere prohibitos esse contendit tam jure Civili *in Novella* 123, c. 6, quam jure Canonico in cap. 29, caus. 11, quæst. 1, et in cap. 1, *de Fidejussor.* Censet tamen

num. 16, quod facta a Clerico fidejussio illicita, non item irrita sit. At si revera prohibiti fuissent Clerici fidejubere, irrita quoque est fidejussio, nam in *Novella* 123, cap. 6, quæ hanc in rem allegatur, habetur: « Quod contra fidejussores Clericos nulla sit danda actio: » et ita quoque sentiunt Brunemann. *Jur. Eccles. univers.* lib. 2, c. 15, § 32. Stryk. *in jus modern. Pandect.* lib. 46. tit. 1, § 3. Lauterb. ad tit. *de Fidejussor.* § 13. Cyriac. *Controv. forens.* 212, nu. 9. et seq. Hering. *de Fidejussor.* cap. 7, num. 239 et seq.

(57. Meo autem judicio, nec jure Civili, nec jure Canonico prohibiti in universum sunt Clerici fidejubere. Quod enim attinet ad jus Civile, *Novell.* 123, cap. 6, non omnem Clericorum, sed illam tantum prohibet fidejussionem, quæ « pro exactionibus fiscalium sanctionum, aut conductione publicarum et alienarum possessionum, aut curatione domus, aut procuratione litis suscipitur; » idque quia, quum administratio negotiorum sæcularium Clericis sit interdicta, congruum visum fuit Justiniano irritam declarare fidejussionem illam, quam Clerici suscipiunt pro memoratis causis, ex quibus obligari nequeunt. Si itaque in *Novella* hac adest exceptio, Regula in contrarium formanda est, quod Clerici ex fidejussionibus obligari nequeunt. Solet et allegari *Novella* 86 *Leonis.* At eæ prohibentur Clericis *sponsiones*, quæ sane fidejussiones haud sint.

(58. Nec Jus Canonicum Fidejussiones Clericorum prohibuit. Affertur primo loco Canon Apost. 19, quem alii 20 dicunt. At Canones Apostolicos *sublestæ fidei* esse, nec ullum inde idoneum argumentum strui posse, noto hodie notius est. Canon 29, caus. 11, qu. 1, desumptus est ex quisquiliis Isidori. Accedit, quod in eo inter alias qualitates, quæ in Episcopo desiderantur, hæc quoque ponitur: « Ne fidejussor existat. » At hinc, ut nemo non videt, erui nequit generalis prohibitio omnibus Clericis facta ne fidejubeant. Restat ut disseramus de cap. 1, *de Fidejussor.* ubi legitur: « Clericus Fidejussionibus inserviens abjiciatur: » Desumptus dicitur textus hic ex Concilio Cantuariensi, ut indicat rubrica. At secundum nonnullos interpretes referre videtur Canonem 19, vel 20, Apostolicum. Quidquid autem hujus rei sit, de Clerico fidejubente vix videtur loqui. Lectio adhuc dubia est. Alii enim legunt *Fidejussoribus inserviens*, alii *Fidejussionibus inserviens.* Pirheo in not. ad dict. c. 1. At utra lectio amplectatur sermo est de iis Clericis, qui fidejussiones procurant, conciliant, et instar Proxenetarum sunt; Bohemer, in *Decretal.* lib. 22, § 10. Proxima quoque est interpretatio Grananiet. in dict. cap. sub nu. 4. *Verius* (sunt ipsissima verba) « dicendum est ideo in specie nostri Textus fidejussionem Clericis fuisse prohibitam, non ex eo, quod ipsi Fidejussores esse non possunt, sed ex eo, quod principaliter spe lucri fidejussores se præbebant, et sic quasi fidejussionibus inservientes seu debitorum Proxenetæ, quod illicitum Clericis, et animadversione dignum erat, ideo justa de causa

Digitized by Google

tam gravi pœna puniebantur, quæ interpretatio deducitur ex verbis illius textus, » ibi : « Fidejussionibus inserviens : quod idem est ac si textus diceret : Fidejussionibus pro lucro se offerens : » Eademque fuit interpretatio Morl. *in Empor. jur.* tit. 8, quæst. 25, num. 34. Quod si etiam standum sit interpretationi Grananiet. et Morl. patet, non regulam, sed exceptionem tradi, adeoque male regulam ab exceptione peti.

(59. Visum est, quod nec jure Civili, nec jure Canonico prohibiti sunt Clerici fidejubere. At si rem ex vero æstimare velimus, jus Canonicum potius fidejussiones Clericorum obligatorias supponit. Expresse enim in cap. 2 *de Fidejussor.* supponitur Clericos fidejussores coactos fuisse ad solvendum debitum fidejussorium, nec tamen Pontifex revocavit eam sententiam, prout sane revocasset, si fidejussio eorum irrita fuisset. Idque ipsum supponitur in cap. 3, eod. titul. Non ignoro, plures reponere solere, ideo huic fidejussioni robur adscriptum fuisse, quod Clericus pro Clerico intercesserat. At se fundat hæc interpretatio in erroneo illo principio, quod generatim fidejussio Clericorum omni juris vinculo sit destituta, id quod tamen jure Canonico, ut recognitum est, demonstrari nullo pacto potest.

(60. De fidejussore in Criminalibus plures occurrunt quæstiones, eæque in Foro frequentes. At de iis vide, ubi res postulat, Strych. *in us. modern. Pandect.* lib. 46, tit. 8, et plures sequent.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(61. Ulterius hoc denegatur beneficium Fidejussoribus de judicato solvendo. Voet. in *Pandect.* lib. 2, tit. 8, num. 16, qui iterum lib. 46, tit. 1, num. 18, monet « esse denegandum beneficium ordinis ei, qui pro naturali tantum debito, cujus intuitu actio intentari, adeoque exsecutio fieri non potest, intercessit, vel pro debitore, qui rescripto moratorio sese potest tueri, vel si fidejussor per mendacium negaverit se fidejussisse, vel impediverit, quatenus principalis debitor excutiatur, vel in antecessum jam a debitore principali acceperit eam quantitatem, pro qua fidejussit, aut alias penes se habeat bona debitoris, ex quibus solutionem facere potest, » et alios quamplures recenset casus, de quibus loc. cit. num. seq.

(62. Sicuti vero hæc tantum dilatoria est exceptio, ideo post excussum principalem debitorem datur regressus ad fidejussorem *Novell.* 4, cap. 1. Dubitari autem potest, si principalis debitor jam excussus, dum contra fidejussorem agitur, lite pendente, locupletior factus sit, vel per hæreditatis acquisitionem, vel alio quocumque modo idoneus esse cœperit, an fidejussor excussionis beneficium opponere denuo possit. Si lis revera contestata sit, et pendeat, magis receptum est iteratam ordinis beneficii exceptionem fidejussori denegari. Voet. in *Pandect.* lib. 46, tit. 1, num. 15. Sed si lis intermissa fuerit, et inter moras repetenti denuo moveatur, repetita ordinis exceptio non denegatur Fidejussori. Fachineus *Controv.* l. 8, c. 56. Bertich. *Conclus. practic.* 2, num. 139, ad 141.

(63. Sequitur divisionis exceptio. Hæc auctorem habet Hadrianum ut innuit Auctor. super num. 29, et quamvis contrarium sentiat Cujacius *Comment. ad tit. Instit. de Senat. Consult. Vellejan.* nihilominus doctissime refellitur a Voet. loc. cit. num. 21, et Heinec. *Antiquitat. Roman.* lib. 3, tit. 21, § 9. Procedit vero ubi plures sint Fidejussores, quorum unus sit in solidum pro solutione conventus, dummodo tempore litis contestatæ omnes sint idonei, secus eorum, qui solvendo non sunt fidejussiones, tamquam non appositæ habentur, et inter idoneos obligatio dividitur, et si unus tantum idoneus reperiatur, in ipsum solum transfertur. Voet. ubi super. Quamvis vero fidejussor hanc acceptionem usque ad sententiam opponere valeat l. 10, § 1. Cod. *de Fidejus.* Zoes. in *Pandect.* lib. 46, et num. 34, in quo differt a beneficio ordinis, quod tempore contestationis litis allegandum est, nihilominus si conventus hoc differat beneficium allegare, et solitum solvat, postea nullam contra confidejussores actionem habet, nisi a Creditore actionum cessionem obtineat l. 39, ff. *de Fidejuss.* Vinnius *Partit. jur.* lib. 1, cap. 61, contrarium sentire videtur. Voet. loc. cit. num. 25, quam cessionem jure potest a creditore postulare l. 2, et l. 11 Cod. *de Fidejussor.*

(64. Ut autem locum habeat inspiciendum non est utrum publicum, an privatum debitum respiciat cum pro omnibus indistincte competat. Ant. Mathæus *de Aution.* lib. 2, c. 9, num. 14. Wisembach. *ad Pandec.* lib. 46, tit. 1, n. 18, exceptis tantum tutorum Fidejussoribus quibus hoc denegatur beneficium a l. ultim. ff. *Rem pupill. salvam fore.* (65. Item si quis cum muliere fidejubeat, quæ Vellejano juveatur l. *Si Titius* 48, § 1, ff. *de Fidejus.* Zoes. *in Pandect.* lib. 46, tit. 1, n. 31. Quin obstet argumentum a dicta lege desumptum, quod ibi statuitur majorennem cum minorem fidejubentem pro virili tantum posse conveniri. Majorennis enim alterius ætatem ignorare potuit, vel sibi suadere a Judice denegaturum eidem in integrum restitutionem, quod tamen in muliere præsumi nequit, quam nulliter obligari, et Vellejano juvari, nemo potest, vel debet ignorare. Zoes. loc. cit. num. 32. Voet. loc. cit. num. 23. (66. Hoc beneficium amittit, qui eidem expresse renuntiat, quæ renunciatio debet esse specifica, cum renunciatio sit stricti juris, nec præsumatur, quemquam suum jactare. Zoes. ubi supra n. 20. Item qui pro facto, vel debito individuo fidejussit. Hugo Grot. *Manuduct. ad jurisprud.* lib. 3, cap. 3, num. 53. Gomez. *Variar. resolut.* tom. 2, cap. 13, n. 15, in fin.

(67. Si vero fidejussor ordinis, et divisionis beneficio nequeat, vel nolit uti, tunc altero cedendarum actionum remedio succurritur, ubi unus ex fidejussoribus in actu solutionis petit sibi actiones cedi contra debitorem principalem, fidejussores reliquos,

Digitized by Google

et pignorum possessores, casu quo fidejussoribus simul, et pignoribus cautum sit, nisi ob aliam causam pignora retineatur, et si creditor cedere recuset ab actione repellitur; Zoes. loc. cit. num. 36 et 37. Hæc autem cessio omnino necessaria est, ut fidejussor solvens contra reum principalem, et confidejussores suam valeat actionem experiri, l. 39, ff. *de Fidejuss.* l. 11. *Cod. eam tit.* et quamvis contrarium in Tutore observetur, hoc tamen eorum respectu speciale est, qui cum coacte tutoris officio fungatur, ita expedit ut juris præsidio majori eorum indemnitati consulatur, quod tamen non verificatur in aliis fidejussoribus, quorum voluntaria est obligatio, ideoque nisi expresse caveant de actionum cessione, frustra contra confidejussores, et reum principalem agunt, l. 7, § 1, ff. *Qui satis dare cogantur*, ibique Bruneman. et Voet. loc. cit. num. 28. Fidejussor enim solvens absque actionum cessione non alienum, sed proprium negotium gessisse videtur, ut semetipsum a contracta obligatione liberet; Voet. ubi supra.

(68. Quæri posset quandonam hæc actionum cessio peti oporteat, utrum, nempe ante solutionem, vel tempore solutionis, an vero post solutionem. Hoc non obscuris verbis statuit Modestinus in l. 76, ff. *de Solut. et liberat.* ubi distinguit, vel ante solutionem, sive solutionis tempore convenit, ut actiones mandarentur, et hoc casu etiam post solutionem utilis erit hujusmodi cessio, vel nihil de hoc convenit, et tunc cum nulla supervenerit in creditore actio, omnesque per solutionem exstinctæ remanserint actiones præcedentes, inutilis propterea remanet subsequens actionum cessio. Zoes, loc. cit. n. 38. Voet. ibid. n. 30. In vim nihilominus nonnullorum peculiarium statutorum, vel consuetudinum in aliquibus locis seclusa etiam hac actionum cessione, ex æquitate conceditur fidejussori facultas conveniendi confidejussores pro virilibus portionibus, et pro solido debitorem principalem. Voet, dict. n. 30, in fin.

(69. Quamvis fidejussor a debitore relevari debeat, sunt tamen casus in quibus solutum repetere nequit: I. Si pro pupillo sine tutoris auctoritate intercesserit l. 11, et l. 12, ff. *Mandati* § 2. II. Si solverit voluntarie, vel coacte per injuriam judicis, omisso appellationis remedio, plus quam debiti ratio postularet l. 8, l. 10, l. 12, ff. *Mandati* l. 32, l. 76, ff. *de Fidejus.* l. 10. Cod. *Mandati*. III. Si inutiliter solverit veluti si per errorem non creditori, sed ei, quem putabat creditorem, solverit l. 26, § 5, ff. *Mandati* l. 14, ff. *de Condict. causa data*, quo casu ab eo potius, cui solvit, repetere debet. IV. Si post solutionem non certioravit debitorem principalem, qui deinde ignorans præcedentem solutionem idem debitum solverit l. 29, § 3, ff. *Mandati*.

(70. Liberatur ulterius fidejussor a Fidejussione eo ipso quod molestiam patitur. Rot. cor. Falconer. tit. *de Fidejuss.* decis. 11, num. 4. Rursus per novationem contractus, quoties tamen secundus cum primo omnino, vel in aliqua parte incompatibilis, sit vel ex secundo damnum patiatur Fidejussor. Rot. in Nuper. tom. 5, decis. 45, num. 6, decis. 512, num. 9 et 10, et tom. 6, decis. 246, num. 15, 16, 23 et 25, et cor. Falconer. de S. C. Vellej. decis. 4, num. 20. Liberatur pariter ob mutatam Debitoris conditionem culpa Creditoris. Ansald, *de Commerc. et mercat.* disc. 16, num. 21, Constantin. *Vot.* decis. 193, num. 7, et 124, cor. Roxas. decis. 168, num 15, in Nuperrim. tom. 7, decis. 40, num. 22, quod tamen intelligendum est de simplici non de Solidali fidejussore. Magon. *Decis. Florent.* 38, num. 7, post. Zachiam. *de Oblig. camer.* decis. 143, per tot. præsertim num. 2, *in Nuper.* t. 7, decis. 40, numer. 22, et quando fidejussor interpellavit creditorem, ut principalem debitorem conveniret. Rot. in Nuper tom. 7, decis. 40, num. 23. Fidejussor denique liberatur, si diu steterit in obligatione. Rot. in Nuper. decis. 232, num. 1, tom. 3, et tom. 5, decis. 157. num. 3. Quando autem dici possit fidejussorem diu in obligatione stetisse non statuunt doctores, quorum alii unius anni, alii biennii spatium præfiniunt a die præstitæ fidejussionis ad diem petitæ liberationis, sed eorum receptior opinio est, qui id judicis arbitrio relinquunt. Constantin. *ad Stat. Urb. de liberat. fidejus.* tom. 2, Annot. 47, num. 86. Dicitur autem diu stare in obligatione ubi quis Debitor diu cessat dum solveret. l. 38, ff. *Mandavit* ubique Bruneman. *Commen. in Pandect.* et *Commen.* in Cod. lib. 4, tit. 35, leg. 10, sub num. 2, in fin.

ADDITIONES NOVISSIMÆ EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(71. Tria sunt fidejussorum genera, alii appellantur simplices, alii Solidales, alii Indemnitatis. De simplici fidejussore satis in præcedenti Articulo; nunc superest, ut aliquid afferamus de aliis fidejussoribus, eo vel magis quia juxta mores nostros numquam, aut pene numquam de illis in foro disputetur. (72. Adinstar rei debendi hodie reputatur solidalis Fidejussor Rot. in Nuper. tom. 7, decis. 40, num. 2, cor. Ansald, decis. 302, num. 3, ideo quidquid in jure de reo debendi traditum reperitur, id mirifice ad solidales Fidejussores accommodatur. Quapropter solidales esse dicuntur fidejussores, ubi duo vel plures, vel unus tantum singulis in solidum uno eodemque tempore rem eamdem principaliter promittunt ea mente, ut singuli quidem rem totam debeant, omnes tamen unam tantum, quin unus ab altero fidejussore, vel debitor a fidejussore respectu creditoris distinguatur. Neque rem mutat, quod Debitor pure obligetur, Fidejussor vero in diem, vel sub conditione, ille promittat Romæ, hic Athenis, dummodo eodem tempore uterque accedat; et ita nominatim fidejubeat, ut velit *tamquam principalis, principaliter et in solidum obligari*. Voet. in *Pandect.* lib. 46, tit. 2, n. 2, vers. *Deinde*. Quod si hæc clausula omittatur, simplex non solidalis dicetur fidejussor. Cum enim in dubio

Digitized by Google

solidalis fidejussor non præsumatur; Wisembach. *ad Pandect.* tit. *de duob. Reis constit.* num. 25, circa med., ideoque in solidum numquam tenebitur, nisi hoc sit specialiter inter partes conventum. Groenevegen. in Auth. *Hoc ita Cod. de duob. Reis const.* et ita definitum legimus. in l. 11, in fin. ff. de eod. tit. « partes viriles deberi, quia non fuerat adjectum singulos in solidum spopondisse, » ita ut duo rei promittendi fierent ibique Brunem. n. 6. Corvin. in *Cod.* lib. 8, tit. 40, § ut plures.

(73. Solidalis obligationis plures sunt effectus. I. Ad omne id tenetur ad quod tenetur principalis debitor. Rot. in Romana Pecuniaria 27 Jun. 1760, § 3 et seq. cor. bon. mem. Ratta. II. Perempta principalis debitoris obligatione, ut si fidejussor accesserit ad obligationem minoris sine tutoris auctoritate, adhuc remanet obligatus fidejussoris Rot. in Romana Cambii 21 Januarii 1755, § 9, cor. Borull. Cum enim hoc casu utriusque fidem secutus fuerit Creditor, æquum est, ut uno deficiente alterum conveniat cui prioris privilegium non competit. III. Ad solutionem potest compelli antequam Creditor principalem debitorem excutiat, in quo omnes juris Interpretes, et Doctores conveniunt. Rot. in Albanen Salviani 5 Decembris 1755, impres. 1756, § 4, cor. Elephantutio. Spoletana Pensionis 3 Junii 1757, § 3. cor. Canniliac. ubi ratio affertur, quod respectu creditoris debitor, et fidejussor habentur tamquam duo rei debendi. IV. Non ita tamen conventum Doctores circa beneficium divisionis, quod a nonnullis solidati etiam Fidejussori conceditur inter quos Vinn. *Instit.* lib. 3, tit. 17, § 1, n. 1. Zœs. in *Pandect.* lib. 45, tit. 2. Coruin. in *Cod.* lib. 8, tit. 40, in fin. Cujac. ad *Novell.* 99. Alii vero illud eidem omnino negant, et redarguunt contrarios. Heinecc. *ad Vinn.* loc. cit. et in *Instit.* lib. 3, tit. 17, § 845. Jac. Curtius *Conjectur.* lib. 1, c. 8. Donell. in auth. *Hoc ita* Cod. *de Duob. reis Constit.* Voet. in *Pandect.* lib. 45, tit. 1, num. 4, sed apud nostros omnis sublata fuit controversia a S. Rota, quæ definivit omnia simplici Fidejussori competentia privilegia amitti in solidali Fidejussione. cor. Emerix. decis. 972, in fin. cor. Lancet. decis. 875, num. 13, cor. Falconer. tit. *de Fidejuss.* decis. 5, n. 6. V. Ob dilationem concessam debitori a creditore solidalis fidejussoris obligatio non tollitur. Rot. cor. Lancet. diet. decis. 875, n. 9, et 10.

(74. Creditoris igitur arbitrio omni exceptione remota potest fidejussor solidalis conveniri, quod adeo verum est, ut, si Creditor primo elegerit Debitorem, hunc potest relinquere, et a fidejussore debitum petere quia non electione, sed solutione tantum extinguitur obligatio l. ultim. Cod. *de Fidejuss.* Bruneman. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, in leg. 9, num. 2, et 5, et in leg. ultim. per tot. Coruin. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, circa fin. (75. Quinimmo si electo debitore principali vel fidejussore contra alterutrum jam lata sit sententia, sed tamen Creditor difficilem ipsius exsecutionem cognoscat, eodem parirelicto, potest creditor alterum pro expeditiore solutione conveniri. Guido Papæ decis. 348. Voet in *Pandect.* lib. 45, tit. 2, num. 4, et lib. 46, tit. 1, num. 20. (76. Quamvis vero divisionis beneficio Fidejussor solidalis se defendere nequeat, si tamen Creditor, qui ex pluribus reis debendi unum in solidum convenire poterat, singulos in partem virilem non modo convenerit, sed insuper exegerit partem ab aliquibus sponte oblatam, vel in vim judicii solutam, liberum eidem amplius non est deficientium portiones a reliquis exigere l. 16. Cod. *de Fidejuss.* Herincius *de Fidejuss.* c. 27, part. 2, num. 48. Voet loc. cit. num. 26.

(77. Unice solidalis fidejussor liberari potest per novationem prioris contractus, ut si Cambialis contractus in censum immutatus sit, dummodo tamen vera sit novatio, et prior cum posteriore contractu incompatibilis, nec fuerit interpellatus fidejussor, ut superiori Articulo observavimus; præsertim si deinde ob posteriorem contractum adeo immutata appareat Debitoris conditio, ut maximo Fidejussor detrimento afficiatur. (78. Solidalis quippe obligatio naturam fidejussionis non immutat, sed tantum hoc casu privat fidejussorem iis privilegiis, et exceptionibus, quæ secus ipsi competerent. Rot. in Romana, seu Albanen Pecuniaria, 10 Januarii 1752, § fin. cor. Cannilliac. in Romana Pecuniaria super translatione Locorum Montium 19 Martii 1760, § 5, cor. Frangipane.

(79. Dum dicitur, per unius rei solutionem alterum liberari, intelligendum est respectu creditoris, non vero respectu debitoris principalis, vel confidejussoris. Quamvis enim ante solutionem nullam contra eumdem habeat actionem Coruin. in *Cod.* l. 8, t. 41, p. 672, in princ. post tamen expletam solutionem, si a creditore actionum cessionem reportaverit, debet a principali debitore indemnis servari tam quoad sortem, quam quoad fructus, et omnia quæcumque damna ob id passa. Rot. cor. Falconer. tit. *de Legit. decis.* 3. num. 13. præcipue si inter partes hoc expresse conventum appareat. Rot. in Ferentina Salviani, 29 Januarii 1751. § 12. Cortiada. (80. Sed cum indemnitatem nonnisi judicis officio consequatur actione mandati vel negotiorum gestorum, ideo opus est, ut in judicio separato principalem debitorem conveniat, nisi Fidejussor sit de judicio solvendo, vel contractus paratam habeat exsecutionem vel munitus obligatione Camerali, quibus casibus a novo judicio abstinere potest, et principalem debitorem convenire in vim judicii, in quo causa cecidit; Voet. in Pandect. lib. 46. tit. 1. num. 35. Concer. *Variar. resolut.* part. 2. cap. 5. num. 126.

(81. Tertia fidejussorum species est, indemnitatis, quæ inter simplicem. et solidalem obligationem medium obtinet locum. Talis enim fidejussor nec principaliter ligatur, nec integram principalis obli-

Digitized by Google

gationem suscipit, sed spopondit id, quod a debitore principali consequi creditor non poterit. Coruin. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, pag. 670, coll. 2. Zœs. in *Pandect.* lib. 46, tit. 1, num. 24. Hic proprie ex legis præsidio excussionis, et divisionis beneficio non gaudet, sed ex natura pacti neque ante principalem Debitorem potest conveniri, neque in plus eo condemnari, quod creditor vel a Debitore, vel a pignoribus perceperit. l. 41, l. 63, ff. *de Fidejuss.* et l. 17, Cod. eod. *ibid.* Bruneman. Quapropter licet omnibus legum beneficiis renuntiaverit, non tamen dicta privilegia amittit, nec ad solvendum compellitur, nisi post excussum principalem debitorem. Zœsius. loc. cit. Parladorius. 2, *Rer. quotidian.* cap. fin. part. 4, §7, num 9 et 10. Hering. *de Fidejus.* cap. 27, num. 142, et seq. Dum enim excussionis beneficio renuntiat, contra naturam pacti agere videtur, ideoque erronea reputatur, nec attenditur. Wosembac. cons. 13, n. 31. Franc. *de Fidejuss.* cap. 5, num. 169, Hering. loc. cit. Gail. lib. 2, observat. 27, n. 13, Bruneman. in *Cod.* lib. 8, tit. 41, leg. 17, num. 6. Tum quippe Creditor, tum Fidejussor convenisse videtur, ut sub conditione fidejussor teneretur, quatenus vel a debitore, vel a pignoribus integre non satisfieret, ideoque pendente conditione repugnat, ut creditor contra ipsum agere possit, cum nondum principali debitore excusso, constare non possit quantum Creditor a Debitore consequi debeat. Bruneman. loc. cit. n. 5.

(82. Liberatur autem hic fidejussor, si cum Creditor tum Debitorem principalem, tum pignora excutere potuisset, id neglexerit in causa fuerit, cum Debitor principalis in deteriorem inciderit conditionem. Sibi enim imputet creditor si, dum potuit aliunde quam a Fidejure subsidiarie tantum obligato integrum creditum consequi, eousque principali debitori molestias inferre distulit, donec a facultatibus laberetur, et pignora idonea esse detinerent. Hoc quippe casu licet salvum creditum non habeat, cum tamen id ex propria culpa proficiscatur idem est, ac si salvum illud haberet, cum quis damnum pati non dicatur, damno causam dedit. Voet in *Pandect.* lib 46, tit. 1, num. 38. Quid vero si, antequam Creditor Debitorem principalem interpellet, decedat debitor, et hoc casu si creditor a Fidejussore monitus, ut debitorem conveniret, dolose non distulit, Fidejussor obligatus remanebit l. 16, in fin. ff. *fidejussor.* « Sed et si antequam appellaretur, decessisset, fidejussor obligatus erit, qui hoc quoque casu verum esset, reum non solvisse. » — ut contra dispositionem text. in lib. 62, ff. eod. tenent Brun. in leg. supr. relat. et Hering. *de Fidejus.* cap. 20. §15, num. 21, et seq.

FIDES.

SUMMARIUM.

1. Fidei vocabulum in Jure, et in S. Scriptura plures habet acceptiones. — 2. Insuper fides accipitur pro credulitate, et alia est Divina, et alia humana. — 3. Fidei nomen accipitur ulterius pro collectione articulorum fide Divina credendorum. — 4. Traditur fidei definitio. — 5. Hac fide fidelis credit Deum, credit in Deum, credit Deo. — 6. Hæc fides vocatur Catholica, et quare, nec non Orthodoxa. — 7. Eadem fides fuit Patrum Veteris Testamenti, et nostra. — 8. Affertur, et solvitur instantia. — 9. Fides Divina quid sit secundum habitum, et secundum actum, et quomodo una, vel multiplex? — 10. Fides non solum habitualis, sed et actualis fuit, est, et erit omnibus usum rationis habentibus pro quocumque statu necessaria necessitate medii ad salutem. — 11. Fides explicita de existentia veri Dei, et quod sit justus remunerator, est necessaria ad salutem necessitate medii. — 12. An autem Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi sit explicite credendum necessitate medii? Variæ sunt Doctorum sententiæ. — 13. Affertur prima sententia. — 14. Affertur secunda. — 15. Affertur tertia. — 16. Affertur quarta. — 17. Ex dictis sententiis prima tanquam probabilior est tenenda. — 18. Affertur et solvitur notabilis instantia. — 19. Omnes fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, tenentur sub mortali necessitate præcepti explicite credere, et saltem quoad substantiam, seu crasso modo scire mysteria contenta in Symbolo Apostolorum, Orationem Dominicam, Præcepta Decalogi, Sacramenta maxime necessaria; reliqua vero tunc quando volunt suscipere. — 20. Non sufficit fides ex testimonio humano, aut simili naturali motivo. — 21. Omnes fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, obligantur præcepto Divino ad eliciendum quandoque actum internum fidei. — 22. Non sufficit autem actum Fidei tantummodo semel in vita elicere. — 23. Ad eliciendum actum fidei tenetur quilibet rationis capax, cum primitus ei sufficienter fides proponitur. — 24. Item ad eliciendum actum fidei tenetur quisque, cum graviter tentatur interius contra fidem. — 25. Item ad eliciendum actum fidei internum tenemur, quando urget præceptum confitendi fidem exterius. — 26. Item tenemur elicere actum Fidei per accidens quoties urget præceptum alicujus virtutis exercendæ, quam sine fide non possumus exercere. — 27. Item tenemur sæpius, et frequenter in vitæ decursu actus fidei elicere. — 28. Nullo unquam casu, adeoque nec mortis vitandæ causa, licet fidem negare externe, omnino quamvis ea retineatur interne. — 29. Immo nedum nullo unquam casu licet fidem negare externe, sed insuper tenemur de præcepto aliquando eam externe profiteri. — 30. Duplex est præceptum Confessionis externæ fidei, scilicet negativum obligans semper, et pro semper, et affirmativum obligans quidem semper, sed non pro semper, ac solummodo pro aliquo determinato tempore. — 31. Per hoc affirmativum præceptum tunc præsertim obligamur ad externam fidei confessionem, quando per ejus omissionem subtraheretur honor debitus Deo, aut utilitas proxime impendenda. — 32. Per se loquendo, si quis de fide interrogetur a persona privata, non peccat, si tacet. — 33. Potest licite fides occultari fugiendo. — 34. Non possunt tamen licite fugere Episcopi, aut Pastores, ubi eorum præsentia esset Ovibus pascendis, aut in fide confirmandis necessaria, etiamsi mors ipsis immineret. — 35. Item licitum est occultare fidem signis, quæ ex se sunt indifferentia. — 36. Illicitum tamen est occultare fidem signis illis, quæ ad profitendam falsam Religionem sunt instituta. — 37. Laicis personis de mysteriis fidei publice, vel privatim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ. — 38. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, sed etiam disputationem fidei confirmativam. — 39. Talis pro-

Digitized by Google

mibitio comprenendit omnes Laicos, necnon indoctos, sed etiam doctos. — 40. Possunt tamen Laici docti de fide disputare in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 41. Possunt etiam Laici dicti disputare de fide disputatione materiali, hoc est fieta, sive academica. — 42. Non autem disputatione formali, hoc est vera, nisi in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 43. Qui sint Orthodoxi, et qui Heterodoxi, ubi etiam innuitur fides grande donum Dei. — 44. Quæ sit fides mortua, et quæ fides viva? — 45. In damnatis, et Dæmonibus non adest fides Divina; quæ tamen est in animabus Purgatorii. — 46. Fidei divinæ mysteria non sunt præsumptuose exploranda, sed captivato intellectu in obsequium fidei firmiter credenda; licet autem non sint evidenter scibilia, sunt tamen evidenter credibilia: ubi et de voce *Neophytus*. — 47. Nonnulla ex Bened. XIV. — 48. 51. De Fidei, Spei et Charitatis actibus. — 52. De Turcicis nominibus. — 53. De apostasiæ abjuratione. — 54. De legum interpretatione. — 55. 61. Qui facto suo Fidem abnegasse arbitrentur. — 62. 66. Qui implicite contra Fidem confessionem peccent. — 67. 69. An de Fide cum hæreticis et infidelibus liceat disputare. — 70. Quibus conditionibus id liceat Missionariis. — 71. Decretum Sac. Cong. de Propag. Fide, quo reprobantur nonnullæ praxes Christianorum occultorum Maumethanam sectam simulantium. — 72. De nomine turcico.

(1. Fidei vocabulum generatim acceptum varias in jure habet significationes, quas refert Glossa ad Rubricam de Summa Trinitate, et Fide Catholica, verb. *Fides*, et alia Glossa in c. *Movet*. 22, qu. 1, verb. *Neque*. Quandoquidem enim Fides sumitur pro fidelitate, seu securitate in servandis promissis, ut in c. *Noli* 23, q. 1, ibi: « Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, quanto magis amico? » quo sensu videtur intelligendum illud ad Roman. III. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* id est fidelitatem, et veracitatem in promissis. Interdum pro fidelitate seu castitate thori, prout est unum ex tribus bonis matrimonii, ut in c. *Omne* 27, q. 2. Aliquando pro Fidei Sacramento, sive pro Baptismo ut inc. *Nihil est aliud, de Consecrat.* dist. 4. Nonnunquam pro ipsamet promissione, ut in cap. 1, *de Sponsa duorum*, et § *Venditæ*, Instit. *de Rerum divis.* ibi: « Si is, qui vendit, Fidem (hoc est promissionem) emptoris prosecutus fuerit, » et sic accipitur fides 1, *ad Timoth.* c. V, dum dicitur, *Juniores viduæ primam fidem irritam fecerunt*. id est voti promissionem non impleverunt. Idem pro fiducia consequendi rem desideratam, aut promissam, ut *Matth.* XIV. ibi: *Modicæ fidei quare dubitasti?* et *Jacobi* cap. 1, ibi: *Postulet in Fide nihil hæsitans*. Sumitur etiam pro conscientia, seu dictamine ipsius, ut *Roman.* 14, et c. ult. *de Præscriptionibus*. ibi: *Quoniam omne quod non est ex Fide* (id est secundum dictamen conscientiæ) *peccatum est*, et in hoc sensu dicitur quis *Possessor bonæ Fidei*, vel *malæ Fidei*, juxta quod possidet rem, ut suam, cum dictamine, seu credulitate conscientiæ quod sit sua, vel quod non sit sua. Item sumitur pro æquitate in contractibus considerata, qua ratione actiones quædam dicuntur esse bonæ Fidei, et aliæ stricti juris, § *Actionum autem*, Institut. *de Actionibus*. Item Fides sumitur pro Jure, et fama, quam quis habet ut ei credatur, quo sensu illud Ecclesiastici 27, « Qui denudat arcana amici, Fidem perdit. »

(2. Insuper et magis ad propositum Fides accipitur pro credulitate, seu assensu intellectus, qui adhibetur alicui aliquid affirmanti, seu dicenti, quod non videtur, propter ejus auctoritatem; quo sensu dicitur probis adhibendam esse Fidem; et quidem auctoritas hæc si sit Hominis, dicitur *Fides humana*; si Dei, *Fides Divina*. Unde ut habetur in c. *In Domo* 11, dist. 4, *de Pœnit.* « Fides est Fide re non visa, et unde est meritum fidei. (3. Tandem Fidei nomen accipitur pro collectione Articulorum Fide divina credendorum, sive pro objecto materiali ipsius, juxta illud Symboli D. Athanasii: « Hæc est fides Catholica, » et c. *Hæc est fides* 24, q. 1, ibi: « Hæc est fides, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus, et tenemus, » et distinctissime habetur in c. « Firmiter credimus 1. de Summa Trinitate, et fide Catholica. » (4. Hæc Fides definitur ad Apostolo *ad Hebræos* XI, his verbis: « Est autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (1). » (5. Hac fide fidelis credit Deum, credit in Deum, et credit in Deo. Credere Deum est credere ipsum esse; credere in Deum, est credendo Deum amare, et amando in eum ire, ac membris ejus incorporari; credere autem Deo est credere verbis ejus, Monacell. part. 2, tit. 16, form. 3, num. 28. (6. Hæc Fides vocatur Catholica, id est Universalis, quia per prædicationem Evangelicam toto Orbe Terrarum longe, lateque diffusa existit, juxta illud Propheticum, *Psalm.* XVIII ibi: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines Orbis terræ verba eorum;* et illud Christi Domini, *Marc.* cap. ultim. ibi: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ;* et *Actor* cap. 1. ibi: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Insuper est Universalis etiam quoad tempus, nam nunquam deficiet, sed semper durabit usque ad finem mundi, non obstantibus quibuscumque persecutionibus, sicut et ipsa Sancta Ecclesia Catholica juxta infallibilem Christi Domini promissionem, *Matth.* XVI, Divo Petro factam, ibi: « Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam »; et aliam itidem infallibilem promissionem ab ipso factam, *Matth.* XXIX. ibi: « Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, » cum aliis similibus. Item Fides hujusmodi dicitur Orthodoxa, vide infra num. 43.

(7. Eadem Fides fuit Patrum Veteris Testamenti, et nostra Est. communis inter Catholicos, et expresse tradit D. Augustinus, Epist. 157 *ad Optatum*, ibi: « Unius mediatoris Dei, et hominum Jesu Christi saluberrima fide etiam illi Justi salvi facti sunt, qui

(1) Hanc fidei definitionem explicat S. Thomas 2, 2, quæst. 4, art. 1. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum: Eadem fides est, et illorum, nostra, » et in tract. 45. *in Joan.* n. 9. sic expresse dicit : « Ante adventum Domini nostri Jesu Christi, qui humilis venit in carne, præcesserunt justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides, quin et ipsa verba pro tempore variantur, cùm varie declinantur. » « Alium sonum habet, *Venturus est*, alium sonum habet *Venit*. Mutatus est sonus *Venturus est, et Venit ;* eadem tamen fides utrosque *conjungit*, et eos qui *Venturum esse*, et eos qui eum *Venisse* crediderunt, diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, hoc est per Christum videmus ingressos. » Et ad hoc propositum adducit Apost. II. *ad Corinth.* IV. dicentem : *Habentes eumdem spiritum fidei.* Et facit ad hoc id, quod idem Apostolus scribit *ad Hebræos* cap. XI. ibi : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti* (scilicet Patres antiqui Testamenti) *non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes*, ex quo patet quod licet a longe aspicientes, et solum implicite, multa crediderint de Christo venturo, nondum acceptis repromissionibus, realiter tamen quo ad substantiam juxta Fidem nostram defuncti sunt omnes isti, et sic una, et eadem Fides fuit Patrum Veteris Testamenti, et nostra.

(8. Non valet objicere, quod multa nunc sint credenda de Fide, quæ prius de Fide non erant, adeoque mutata sit Fides. Non valet, inquam, quia aliud est dicere quod multa prius non erant tenenda de Fide, *quoad nos*, cum nondum fuissent ab Ecclesia, ut talia, declarata, et nobis proposita, et aliud est dicere, quod multa prius non erant de Fide *quoad se*. Quamvis enim prius non obligaremur ad multa credenda de Fide explicite, ad quæ nunc post definitionem Ecclesiæ obligamur, nihilominus tamen jam in se, et quoad se erant de Fide æque, ac nunc sint, et quoad Fidem in hoc sensu acceptam nulla facta est mutatio, nec unquam fiet per quamcumque declarationem Ecclesiæ, ex quo immutabiliter idem semper fuerit, sit, et semper erit objectum Fidei, ejusque articulorum, quoad substantiam, et mutatio solum facta est quantum ad majorem ipsorum explicationem, et obligationem expresse profitendi, et credendi explicite illos articulos, qui solum antea credebantur implicite, utpote contenti in aliis credibilibus, sive articulis Fidei. Unde Fides *quoad substantiam, et quoad se* nunquam mutatur, neque creverunt successu temporis ejus articuli in hoc sensu, sed solum *quoad nos*, nempe quoad nobis impositam obligationem credendi multos articulos explicite, qui prius credebantur implicite. Ita S. Th. 2. 2. quæst. 1. art, 9. et 10. S. Bonavent. in 3. dist. 25. art. 2. quæst. 2. S. August. *in Psalm.* L. circa fin. et serm. 7. *de Sanctis*, et lib. 1. *Retract.* cap. 13. S. Leo. serm. 3. cap. *de Nativit.* et communis aliorum.

(9. Fides Divina spectatur secundum habitum, et secundum actum. Fides habitualis a Theologis dicitur virtus, principium, et qualitas quædam supernaturalis, qua elevamur, et inclinamur ad credendum Deo, et illis, quæ nobis divinitus revelantur propter summam, et infallibilem ipsius supremi Revelantis auctoritatem. Fides actualis sunt actus, seu assensus ex illa virtute procedentes, quibus firmiter Deo revelanti, ac revelatis assentimur, unde Fides secundum habitum dicitur Una, juxta illud Apostol. *ad Ephes.* IV. *Unus Deus, Una Fides;* Secundum actum vero est multiplex : videlicet multi sunt actus Fidei, seu actus credendi ; quandoque enim actum Fidei eligimus circa unum articulum, quandoque circa alium, quandoque circa omnes.

(10. Fides non solum habitualis, sed et actualis, seu accepta pro ipso actu credendi aliquod supernaturale objectum, fuit, est, et erit omnibus usum rationis habentibus pro quocumque statu necessaria necessitate medii ad salutem. Communis, et patet expresse ex Apostolo *ad Hebræos* XI. ibi : *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* quæ verba communiter a Doctoribus intelliguntur non solum de Fide habituali, quam solam suscipiunt parvuli in Sacramento Baptismi, sed etiam de Fide actuali quorumdam mysteriorum, quandoque ab Adultis habenda. Unde merito ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, fuit damnata sequens propositio inter alias ordine 16. « Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se. » (11. Fides explicita de existentia veri Dei, et quod is sit justus Remunerator decernens præmia justis, et improbis supplicia, omnibus adultis usum rationis habentibus est necessaria ad salutem necessitate medii. Communis, et desumitur ex citatis verbis Apostoli *ad Hebræos* XI: *Sine fide impossibile est*, etc., et expresse habetur ex propositione 22. inter damnatas ab Innocentio XI, die qua supra : « Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris. » (12. An autem Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi sit explicite credendum necessitate medii? variæ sunt Doctorum sententiæ.

(13. Prima sententia docet, Fidem explicitam SS. Trinitatis, et Incarnationis post promulgationem Evangelii esse necessariam necessitate medii ad justificationem, et salutem æternam. Ita San. Thom. in 3. disp. 25. q. 2. art. 1. quæst. 1. ad 2. S. Bonaventura *ibid.* art. 2. qu. 3. Durand. *ibid* q. 1. n. 9. Gabriel. *ibid.* art. 2. conclus. 3. Molina 1. p. q. 1. art. 1. ad 2. Valentina 2. 2. d. 1. q. 2. punct. 4. Sanchez lib. 2. *in Decalog.* c. 2. n. 8 et seq. Granado controv. 1. *de Fide* tract. 10. disput. 2. sect. 2. n. 13. Felix Potestas tom. 1. n. 275. Mastrius, Sannig, Filliucius, Bassæus, et quamplurimi. (14. Secunda sententia docet, Fidem explicitam SS. Trinitatis, et Incarnationis etiam post promulgationem Evangelii non esse simpliciter necessariam necessitate

Digitized by Google

medii ad justificationem, et salutem æternam. Ita Sotus in 4. d. 5. q. 2. art. 2. Vega lib. 3. *in Trid.* c. 19. et 20. Medina lib. 4. *de recta in Deum fide*, cap. 10. Corduba in *Quæstionario* lib. 2. q. 5. Sà, verb. *Fides*. Castrop. tom. 1. tra. 4. d. 1. punct. 9. n. 7. Hurtad. *de Fide* d. 8. diff. 7. Azorius t. 5. lib. 8. c. 6. q. 9. et alii plures. (15. Tertia sententia docet, talem Fidem explicitam esse necessariam necessitate medii, non ad justificationem, sed ad glorificationem. Ita M. Canus *de Sacramentis in genere* part. 2. Ledesma in. 2. part. q. 9. art. 2. Castrop. l. 2. *de Lege pœnit.* cap. 14. Bannes 2. 2. q. 2. art. 8. dub. ult. et alii. (16. Quarta sententia docet, Fidem explicitam horum Mysteriorum esse per se necessariam necessitate medii ad justificationem, et salutem æternam; per accidens autem, scilicet ratione ignorantiæ invincibilis, sufficere Fidem explicitam eorum in voto; sicut enim Baptismus est necessarius necessitate medii in re, vel in voto, ita Fides explicita eorum Mysteriorum est necessaria in re, vel in voto. Ita Suarez, disp. 12. *de Fide* sect. 4. n. 11. Lugo Cardin. disp. 12. *de Fide* sect. 4. num. 88. Leander part. 6. tract. 2. quæst. 6. et probabilius Viva ad proposit. 65. Innocent. XI. n. 10. et alii.

(17. Ex supradictis sententiis prima tamquam probabilior est tenenda. Colligitur ex Symbolo Sancti Athanasii, ibi : « Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem... Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur... Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. » Et ratio est quia hæc duo mysteria sunt fundamentum totius nostræ salutis, nam in nomine SS. Trinitatis confertur Baptismus, sine quo nemo potest salvari. Per Christum vero sumus redempti, atque salvati, ipseque simul est verus Deus, verique Dei Filius, per quem creati sumus. (18. Nec valet objicere, quod, data nostra conclusione, sequeretur, quod Gentilis, qui ignorantia invincibili horum Mysteriorum laboraret, et simul observasset præcepta naturæ, ac Deum ex toto corde diligeret, salvari non posset, ex quo non crederet explicite hæc mysteria, quæ ignoraret; Hoc autem nullimode est dicendum : non valet, inquam, sic objicere, quia, si quis Gentilis, vel alius a pueritia enutritus in sylvis invincibiliter ignoraret hæc Mysteria, utpote nunquam sibi proposita, servasset legem naturæ, et nunquam mortaliter peccasset, Divina providentia provideret, ut vel speciali lumine supernaturali interius illustraretur, vel ut ab aliquo alio hæc Fidei Mysteria idem proponerentur, ut ea explicite credere posset, prout in simili factum legitur Ennucho Reginæ Candacis, *Actorum* cap. 18. et Cornelio Centurioni, *Actorum* cap. 10. Sic S. Thom, *de Veritate* quæst. 14. art. 11. ad 1. Scotus in prologo quæst. 1. cum suis.

(19. Omnes Fideles postquam ad usum rationis pervenerint, tenentur sub mortali necessitate præcepti explicite credere, et saltem quoad substantiam, seu crasso modo scire mysteria contenta in Symbolo Apostolorum, Orationem Dominicam, Præcepta Decalogi, Sacramenta maxime necessaria, ut Baptismum, Eucharistiam, et Pœnitentiam. Reliqua vero tunc, quando volunt suscipere. Communis; Unde merito ab Innocentio XI, die 2 Martii 1579, fuit damnata sequens propositio ordine 64. « Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationem Domini nostri Jesu Christi. » (20. Non sufficit Fides ex testimonio humano, aut simili naturali motivo, quia Fides ad salutem supernaturalem necessaria, et quæ est radix nostræ justificationis, ex Tridentino sess. 7. cap. 8. ibi : « Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis; » est Fides stricta supernaturalis innixa testimonio divino, et nequit haberi ex puris naturalibus, quidquid olim contradixerint Pelagiani et Semipelagiani hæretici. Immo meritum Fidei consistit in hoc, quod independenter a naturalibus rationibus revelata credimus, præcise, quia revelavit Deus, qui est infallibilis veritatis. Hinc justissime fuerunt proscriptæ ab Innocentio XI, die et anno citatis, sequentes propositiones, scilicet 19. in ordine, ibi : « Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium; » 20. ibi : « Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habet supernaturalem; » et 21. ibi : « Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus, » et 23. ibi : « Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit. »

(21. Omnes Fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, obligantur præcepto Divino ad eliciendum quandoque actum internum Fidei, Communis; et colligitur ex pluribus Sacræ Scripturæ testibus, et signanter ex c. XVI. Marci, ibi : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, ex c. I. *ad Romanos*, ibi : *Justus autem ex Fide vivit;* et cap. III. *ad Galatas*, ibi : *Ex fide justificat gentes Deus;* ex cap. XI. *ad Hebræos*, ibi : *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet, etc.* Unde rectissime Alexander VII. die 24 Septembris 1665, damnavit sequentem propositionem primam in ordine, ibi : « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. » (22. Non sufficit autem actum Fidei tantummodo semel in vita elicere. Communis. Unde merito Innocentius XI die 2 Martii 1679, damnavit sequentem propositionem in ordine 17. Ibi : « Satis est actum Fidei semel

Digitized by Google

in vita elicere » : et hanc aliam in ordine 65. ibi : « Sufficit illa mysteria (scilicet Trinitatis, et Incarnationis) semel credidisse. »

(23. Ad eliciendum actum Fidei tenetur quilibet rationis capax, cum primitus ei sufficienter Fides proponitur : Communis; et colligitur ex XVI. 16, *Marci*, ibi : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Hinc Infideles adulti non excusantur amplius ab infidelitate, cum Mysteria Fidei ita illis credibilia, proponantur; ut recta ratio eis dictet nostram Fidem esse veram, et contrariam sectam esse falsam. Unde Innocentius XI, die et anno citatis, juste damnavit sequentem propositionem in ordine 4. ibi : « Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. » (24. Item ad eliciendum actum Fidei tenetur quisque, cum graviter tentatur interius contra Fidem, tunc enim tempus est resistendi contrariis actibus Fidei, ut ex *I. Petri* cap. V, ibi : *Cui* (Diabolo) *resistite fortes in fide.* (25. Item ad eliciendum actum Fidei internum tenemur, quando urget præceptum confitendi Fidem exterius; hanc enim debite ac veraciter confiteri non possumus, nisi interior Fidei assensus accedat. Herincx disp. 7. *de Fide* quæst. 8. n. 77. Bassæus verb. *Fides*. 1. n. 16. Sanchez lib. 2. *in Decalog.* cap. 1. n. 2. seq. et alii passim. (26. Item tenemur elicere actum Fidei per accidens, quoties urget præceptum alicujus virtutis exercendæ, quam sine Fide non possumus exercere, et sic eliciendus est actus Fidei saltem implicitus, quoties eliciendus est actus Spei, aut Charitatis; unde S. Augustinus cap. 7. *Enchir.* sic habet : « Fides credit, Spes et Charitas orant, sed sine Fide esse non possunt; » quia nisi quis Deum credat, Deum sperare, aut diligere non potest. (27. Item tenemur sæpius, et frequenter in vitæ decursu actus Fidei elicere. Huic autem obligationi satisfacimus per actus Fidei, qui concurrunt in exercitio aliorum actuum bonorum, v. g. Spei, Charitatis Dei, Pœnitentiæ, Orationis, recitationis Symboli, formationis signi Crucis, auditionis Missæ, et hujusmodi; Sannig dist. 1. *de Fide.* qu. 21. n. 3. Herincx disp. 7. *de Fide.* qu. 6. n. 76. Reiffenstuel tract. 4. *de Virtutibus Theologicis* dist. 2. q. 3. n. 34 et 35. La Croix lib. 2. n. 51. et alii communiter.

(28. Nullo unquam casu, adeoque nec mortis vitandæ causa licet Fidem negare externe, quamvis ea retineatur interne. Est de Fide, et communis inter Catholicos, atque in Concilio Romano sub Cornelio Papa definita contra hæresim Elceseitarum, et contra Gnosticos, et Priscillianistas, qui dicebant, posse instante persecutione negari Fidem exterius; dummodo servaretur interius; teste enim Baronio ad annum 254. fuit in dicto Concilio damnata tamquam hæretica sequens propositio : « Licitum est exterius Fidem negare instante persecutione, et sufficit eam in anima suo interius retinere. » Et veritas nostræ conclusionis habetur expresse ex verbis Christi, *Matth.* X : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* Idem habetur *Marci* VIII, et idem dicit Apostolus *II ad Timoth.* c. II. ibi : *Si negaverimus eum, et ille negabit nos*, et patet ex gloriosis exemplis tot millium SS. Martyrum, qui mori maluerunt quam Fidem exterius negare. (29. Immo nedum nullo unquam casu licet Fidem negare externe, sed insuper tenemur de præcepto aliquando eam externe profiteri. Communis, et patet ex verbis Christi *Matth.* X. ibi : *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* : et *Lucæ* ibi : *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* (30. Dicitur autem notanter *aliquando*, quia duplex est præceptum confessionis, seu professionis externæ Fidei, scilicet præceptum negativum de non denegando Fidem externe, quod obligat semper, et pro semper, cum numquam liceat Fidem exterius negare, quamvis retineatur corde, et interius; et præceptum affirmativum de confitendo Fidem externe, quod obligat quidem semper, sed non pro semper; et solummodo pro aliquo determinato tempore. (31. Unde per hoc affirmativum præceptum tunc præsertim obligamur ad externam Fidei confessionem, quando per ejus omissionem subtraheretur honor debitus Deo, aut utilitas proximo impendenda; sic communis cum S. Thoma 2. 2. quæst. 3. art. 2. ubi dicitur quod tale præceptum affirmativum obligat, « quando per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et utilitas proximo impendenda, puta si aliquis interrogatus de Fide taceret, ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, vel quod Fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a Fide. In hujusmodi enim casibus confessio Fidei est de necessitate salutis. » Hinc merito Innocentius XI. die 2. Martii 1679. damnavit sequentem propositonem in ordine 18. ibi : « Si a potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri, ut Deo, et Fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno. »

(32. Per se loquendo, si quis de Fide interrogetur a persona privata, non peccat si tacet, quia tunc est potius contemptus personæ, quam Fidei ipsius : Si vero tale silentium sit signum negatæ Fidei, vel erubescentiæ de confitenda Fide, aut proximo generet scandalum, et occasionem spiritualis ruinæ, tunc sic tacens graviter peccat. Communis. (33. Potest licite Fides occultari fugiendo; tempore enim persecutionis licitum est Christianis fugere, seu se occultare, ne interrogentur, et Fidem confiteri compellantur; Unde idipsum non tantum docuit Christus *Matth.* XX. dicens : *Cum persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam*, sed etiam ipsemet practicavit fugiens Herodis et Judæorum persecutionem, ut notavit Gregorius Papa in cap. *Sciscitaris* 7. qu. 1. et ipsum imitati sunt inter plures alios S. Athanasius, et S. Paulus Apostolus, ut habetur

Digitized by Google

II ad Corinth. XI. ibi : *Per murum in sportam dimissus sum, et sic effugi manus ejus.* (34. Non possunt tamen licite fugere Episcopi, aut Pastores, ubi eorum præsentia esset ovibus pascendis, aut in Fide confirmandis necessaria, etiamsi mors ipsis immineret, quia tenemur magis diligere proximum in spiritualibus, quam nos in temporalibus. *Joannis* enim X. dicitur expresse : *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis ; Mercenarius autem videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit.* (35. Item licitum est occultare Fidem signis, quæ ex se sunt indifferentia, ut in Terris Turcarum, et Hæreticorum, uti vestibus secundum morem eorum ad vitandum mortis periculum, seu ad habendam permissionem inibi habitandi pro servitio aliorum Catholicorum, seu pro alio justo fine. Sic etiam non delinqueret adversus Fidei confessionem, qui ad occultandam Religionem, et ad evadendum mortis periculum diebus jejunii carnibus vesceretur in locis Hæreticorum, cum esus carnium sit etiam de se signum indifferens. Viva ad propositionem 18. Innocent. XI. n. 14 et 15. Sanchez l. 2. c. 4. n. 25. Reiff. l. c. n. 47 et alii passim (1).

(36. Illicitum tamen est occultare Fidem signis illis, quæ ad profitendam falsam Religionem sunt instituta. Sic illicitum est, immo peccatum esset contra præceptum negativum Fidei sacrificare idolis, coram illius genua flectere, et hujusmodi. Illicitum esset uti vestibus Infidelium, si ab ipsorum Principibus essent institutæ in signum ad eorum sectam profitendam. Item illicitum esset templa Hæreticorum adire, eorum concionibus, et precibus interesse, si talia essent præcepta ad eorum sectam profitendam. Item illicitum esset diebus vetitis comedere carnes ab Infidelibus, et Hæreticis appositas ad dignoscendum, an quis sit Catholicus, si inde sequeretur notabilis Divini honoris diminutio, vel proximi scandalum. Unde Apostolus *I. ad Corinth.* VIII. expresse dicit : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.*

(37. Laicis personis de Mysteriis Fidei publice, vel privatim disputare prohibitum est sub pœna Excommunicationis ferendæ, textu expresso in cap. *Quicumque* 2. *de Hæreticis* in 6. § *Inhibemus* ibi : Inhibemus quoque ne cuiquam Laicæ personæ liceat publice, vel privatim de Fide Catholica disputare ; qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Ita etiam iisdem expressis verbis habetur in Constitut. 2. Nicolai III. incip. *Noverit* § 19. ibi : « Item firmiter inhibemus, ne cuiquam Laicæ personæ liceat publice, vel privatim de Fide Catholica disputare ; qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur. » Et concordat Constitutio Gregorii IX. incip. *Excommunicamus.* Et Constitutio Innocentii IV. incip. *Noverit*, et cap. *Mulier.* 29 dist. 23 et c. *Cum ex injuncto* 12. *de Hæretic.* et tenent communiter Doctores apud Barb. in cit. c. *Quicumque* n. 14. et apud Card. Petram tom. 3. *Comment. in Constitut.* 1. *Nicolai III*, n. 17 (2). (38. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem Fidei dubitativam, quæ fiat animo improbandi, seu revocandi in dubium aliquem Fidei articulum, quia hoc sensu disputare de Fide est prohibitum tam Clericis quam Laicis ; l. *Nemo Clericus*, Cod. *de summa Trinitate*, sed comprehendit etiam disputationem Fidei confirmativam, qua quis Laicus constans in Fide ejus veritatem propugnat contra Hæreticos et Infideles ex motivo eos convincendi. Card. Petra loc. cit. n. 19, et alii. (39. Talis prohibitio comprehendit omnes Laicos nedum indoctos, sed etiam doctos, et quantumvis ad tales disputationes cum Hæreticis suscipiendas idoneos ; Glossa in cit. c. *Quicumque* 2. *de Hæretic.* in 6. verb. *Laicæ*, Albertin. de *agnoscen. Assertion.* quæst. 13. num. 5 et sequent. Alphons. de Castro *de justa Hæretic. punit.* c. 19. Villalob. *in Summa* tract. 1 diffic. 7. § 4. Salel. *de mater Tribunal. Fidei* lib. 1. cap. 10. regul. 86. n. 85. Del Bene *de Offic. Inquisit.* p. 1. dubit. 155. petit. 6. num. 7. Verricelli *de Apost. mission.* tit. 2. *de Fide.* quæst. 38. n. 11. Petra loc. citat. n. 22. et alii. Et ratio est, quia hujusmodi disputatio non solum interdicitur Laicis, quia ipsi præsumuntur ad id minus idonei, et de rebus Fidei minus instructi, sed quia conveniens videtur, disputationes de rebus sacris a solis Ecclesiasticis, sacrisque personis suscipiantur, et non Laicis, quemadmodum ipsis omnibus interdicitur prædicationis officium, cap. *Mulier* 29. dist. 23. cap. *Cum ex injuncto* 12. et cap. *Sicut* 14. *de Hæreticis*, ibi : « Cum igitur nonnulli Laici prædicare præsumant, et verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum subintrent, nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi præcipuus, mandamus quatenus cum alios Dominus Apostolos dederit, alios Prophetas, alios vero Doctores, interdicas Laicis universis, cujuscumque ordinis censeantur, usurpare officium prædicandi. » Pegna *Direct. Inquisit.* comm. 25. vers. *Verum*, Petra loc. cit. n. 2. et alii.

(40. Possunt tamen Laici docti de Fide disputare in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis, veluti si nullus esset Ecclesiasticus idoneus, qui Hæretico simplicem plebem seducenti opponeretur, vel si disputationem

(1) In iis vero debet abesse scandalum, quo posito usus illi vestium, esus carnium, et alia hujusmodi illicita omnino sunt ; abesse quoque debet periculum contemptus præcepti Ecclesiæ in eo, qui carnibus vescatur diebus jejunii, ut alibi ab Auctore expositum est. (NOTA ROMANI THEOL.)

(2) Vide notam in Tom. II, ad verb. *Clericus* art. 1, n. 78, ubi ostensum est, iis temporibus, quibus Canones prohibentes Laicis cum Hæreticis de Fidei articulis disputare editi sunt, Clericos vocari consuevisse illos, qui studiis erant addicti, et e contra Laicos nominari illitteratos. Hinc patet, non absolute damnandum fore Laicum in controversiis apprime versatum, qui justis de causis cum Hæretico de Fidei controversiis certamen iniret ; cum cap. *Quicumque*, et cap. *Noverit*, et alia ab Auctore citata eum nullatenus spectent, nec præfatis prohibitionibus comprehendatur.

Digitized by Google

suscipiat rogantibus Clericis; arg. cap. *Mulier* 29 dist. 23. Sic Coninch *de Infidelit.* disp. 18. dub. 9. n. 145. Becan. *de Fide* cap. 15. q. 7. num. 6. Petra loc. cit. num. 23. Sive Catholici sint in locis, ubi permixtim vivitur cum Hæreticis; Ledesma in *Summa* tom. 12. tract. 1. cap. 5. conclus. 13. Cajetan. in 2. 2. qu. 10. art. 7. Sanchez lib. 2. *Moral.* cap. 6. n. 7. Salell. cit. regul. 86. num. 100. Petra loc. cit. num. 23. Vericelli *de Apostolic. Mission.* tit. 2. *de Fide* quæst. 83. ubi alios casus enumerat, in quibus Laici docti disputare possunt de Fide. (41. Et sic pro aliquo ex dictis casibus intelligendi sunt Doctores sentientes Laicos doctos disputare posse de Fide, ut sentiunt aliqui, quos sequitur Diana tom. 5. tract. 13. resolut. 22. vel intelligendi sunt de Fidei disputatione materiali, hoc est ficta, quæ cum fiat inter Catholicos, uti contingit in nostris Academiis, ubi exercitii gratia etiam de rebus Fidei cum Laicis disputamus, ut melius veritatem attingamus, errores propulsemus, etiam Laicis est permissa, et licita; servatis tamen conditionibus, aut circumstantiis debitis, quas recenset Doctiss. Suarez *de Fide* disp. 20. sect. 1. scilicet tum ex parte disputantium, ne sint viri indocti, seu rixosi, tum ex parte audientium, ne ob eorum simplicitatem decipi, aut scandalum pati contingat, ut etiam notaverat S. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 7. (42. Fidei autem disputatio formalis, hoc est vera, quæ habetur a Catholicis cum Hæreticis, vel Infidelibus ex motivo eos convincendi, et suadendi eis veritates nostræ veræ Fidei, et in qua disputantes non solum verbis, et argumentis, ut in disputatione materiali, et ficta, sed etiam animo, et sententiis inter se pugnant, est Laicis universis prohibita per Jura adducta sub n. 26. et citat. Doctores, et allatam rationem sub n. 28.

(43. Catholici dicuntur etiam Orthodoxi, quasi dicas sanæ fidei, ab *Orthos* græce, latine idem quod *rectus*, et *Doxa* græce, latine idem ac *opinio*; e contra vero alii, videlicet Hæretici, et Schismatici dicuntur Heterodoxi, id est alterius opinionis a recta fide, quæ est grande Divinæ Misericordiæ donum secundum illud Apost. *I. ad Corinth.* cap. VII. *Misericordiam consecutus a Domino, ut sim Fidelis.* (44. Quod si, qui Catholice credit, peccati lethalis foret obnoxius, ejus fides dicitur mortua, eo quia est in homine mortuo ad gratiam ratione peccati, quod est mors animæ, et propter idem lethale fides est sine merito: e contra vero dum fidelis est in gratia, ejus fides dicitur viva, quia est in homine informato charitate, et gratia, quæ est vita animæ; et ratione ejusdem charitatis, et gratiæ fides est meritoria: ex quibus patet in quo differant fides viva, et fides mortua, de qua *Jacobi* cap. II. vers. 20. *Fides sine operibus mortua est.*

(45. In damnatis, et Dæmonibus non adest Fides Divina, hæc namque supernaturale Dei donum est, et quoddam animæ ornamentum: damnati autem et Dæmones tamquam finaliter proscripti supernaturalibus omnibus, ut de facili patet, denudantur a supremo justissimo Judice: et ideo, etc. Quod si divus Jacobus *Epist. Cathol.* cap. II. n. 19, ait: *Et Dæmones credunt, et contremiscunt,* non est sensus, quod Dæmones Fidem Divinam habeant; sed quia cum experiantur finaliter infideles, et finaliter declinatos a Fide Catholica in æternum periisse, manifeste concludere coguntur ejusmodi Fidem esse verissimam, ac de ejus auctore contremiscere: tum quia ad idem necessitantur Dæmones ex evidenti credibilitate num. seq. posita; igitur licet, etc., non autem, etc. Accedit etiam principalius, quod Dæmones credunt non Fide infusa, sed naturali, convicti scilicet miserabili experientia, qua primo in seipsis Vindicem Dei manum experiuntur; unde dum comparatur fides Peccatorum fidei Dæmonum id accidit, non quantum ad naturam, sed quantum ad sterilitatem, quantus neutra proficit ad salutem. Est tamen Fides Divina in animabus Purgatorii, quia ex una parte tamquam ad Gloriam destinatæ, donis supernaturalibus sunt capaces; et ex alia parte cum adhuc in patria non sint, adhuc per speculum, et in ænigmate vident, et non facie ad faciem, sicut vident Beati, atque ideo, etc. Nec obstat, quod sint in termino, quia licet sint in termino meriti, non sunt tamen in termino satisfactionis.

(46. Tandem pro complemento præ oculis habendum præsertim in tentationibus, quod sint Judicia Dei abyssus multa, et imperscrutabilia, ut Sacræ litteræ testantur, et consequenter non spiritu præsumptionis investiganda, sed fideliter timenda, ita ut Fidei Divinæ Mysteria natura sua viatorum mentes excedentia, non sunt præsumptuose exploranda, sed captivato intellectu in obsequium Fidei sunt propter summam, et infallibilem Dei revelantis auctoritatem firmiter credenda. His accedit, quod plurima ex naturalibus, vel difficile, vel nullo modo capimus: *Sapient.* enim IX. vers. 16. legitur: *Difficile æstimamus ea, quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem Cœli sunt, quis investigavit?* et *Ecclesiastes* cap. I. vers. 8. *cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone,* sicut de facto liquet de fluxu et refluxu maris, de Systemate mundi, ac de natura continui, ubi et arenula est lapis Lydius tenuitatem intellectus humani ultro contestans; et ita de innumeris aliis in tantum, quod philosophari quasi non videatur nisi pulchre imaginari. Supernaturalia ergo nostrum quis pertingere poterit? Unde *Prov.* XXV. vers. 27. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria;* et *Jerem.* XXXII. vers. 19. Dominus est *magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu,* et *Ecclesiastici* III. vers. 22. *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus,* quare *Joan.* XX. num. 29: *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Licet autem Fidei Divinæ Mysteria non sint evidenter scibilia, sunt tamen, ut optime docent Theologi, evidenter credibilia, juxta illud *Psal.* XCII. *Testimonia tua credibilia facta*

Digitized by Google

sunt nimis; et quidem ex multis motivis, sed præsertim ex octo illis a meo Doctore q. 2. *Prolog.* allatis : nempe ex pronunciatione prophetica, Scripturarum concordia, auctoritate Scribentium, diligentia Recipientium, rationabilitate contentorum, irrationabilitate aliorum, et ex Ecclesiæ stabilitate, ac miraculorum claritate; his, inquam, nostram Fidem, Scripturam, et Ecclesias veras esse, et non nisi a Deo profectas, evincitur evidenter credibile; de quibus singillatim Doctor Subt. loc. citat. Mastrius disc. 6. *de Virtut. Theolog.* qu. 10. art. 1. Frassen. et alii passim. Consulantur ipsi præsertim a Missionariis, qui neophytos facere student, id est novos in fide; Neophytos enim dicitur a *Neos*, quod est *novus*, et *Phytos* quod est *planta* : unde dist. 84. cap. *Quoniam* Neophytus is dicitur, qui novus est in Fide, vel Religione; quasi nostræ Fidei, et Religionis planta novella.

(47. Fidei Christianæ occultatio cum simulatione Mahumetismi damnatur a Benedicto XIV. tom. 1. Constitut. 89. incip. *Inter omnigenas* § 3. In Fidei causa conniventiæ locus esse nequit. Idem Constitut. 114. incip. *Reddite* § 5. Fides plurium Mysteriorum explicita requiritur necessitate medii; Aliorum vero necessitate præcepti. Idem Constit. 42. incip. *Etsi minime*, in qua ad id commendat præsertim Libellum de Clementis VIII. mandato a cardinali Bellarmino editum, et approbatum pro tradenda Doctrina Christiana.

(48. Hinc actus Fidei non debet comprehendere tantum in genere quidquid Fides dictat; sed debent etiam credi explicite ea mysteria, quæ sciri debent; idem *Instit. Eccles.* 72.

(49. Actus Fidei, Spei, et Charitatis debent per accidens elici, quum aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valemus, nisi efficacia illorum actuum; *ibid.* § 20.

(50. Nec sufficit ad implenda tria ista præcepta, seu Charitas virtualis, quæ in obsequendo divinis præceptis exercetur, nec etiam Fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur, *ibidem.*

(51. Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus Fidei, Spei, et Charitatis, illum versari in periculo æternæ salutis, firmatur *ibid.* § 21.

(52. Non licet Christianis degentibus sub Turcarum imperio, vel Turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, turcica nomina vel retinere vel sibi imponere; hoc enim pertinet ad externam Fidei professionem. Idem Constitut. incip. *Inter omnigenas* ad incolas Regni Serviæ, et finitimarum regionum : et Congregatio universalis inquisitionis in rescripto ad postulata Episcoporum Albanensium idem edixit. *De Synodo Diœces.* lib. 13. cap. 20. § 9. nov. edit. Idque non licet etiam ad evitandas pœnas, vel quamcumque utilitatem captandam. Idem Constit. incip. *Quod Provinciale* § 1. Eisdemque nominibus utentes Sacramentorum incapaces declarantur, ac suffragiorum post mortem indigni, *ibid.* § 4.

(53. Christiani ad Turcas apostatantes, deinde redeuntes ad fidem, tenentur coram fidelibus publice abjurare apostasiam : at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsæ Religionis; et curent, ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem, etiam cum periculo vitæ. Ita ex decreto S. Inquisitionis. *De Synod. Diœces.* lib. 13. c. 22. n. 17. At in Decreto servato in Archivo S. Inquisitionis non legitur hoc additamentum : « curent, ut successu temporis, etc., » quare ad id non esse obligandos fideles, additur *ibid.* § 18.

(54. Fidei Christianæ favor, Legum rigori congruas interpretationes adhiberi suadet. Idem tom. 2. Bullar. Constit. 28. incip. *Postremo mense* § 16.

APPENDIX EX ALIENA MANU.

(55. Hactenus exposita (nempe a Patre Ferraris) satis perspicue, ac solide demonstrant, Christianum hominem ita paratum esse debere ad Fidem tuendam, et eam dum debitus Deo honor, ac proximi utilitas exigat, palam quoque profitendam, ut persecutiones, carceres, cruciatus, mortemque potius debeat subire, quam eam verbis, vel factis explicite, vel implicite negando, Deum debito per Fidei confessionem honore privare, atque contemnere. Quo autem facilius dubia solvi, et explicari queant, quæ orthodoxæ Religionis Ministris in Infidelium partibus solent passim occurrere circa particularia facta, ac casus nonnulla, quibus vel facto, vel implicite Catholica Fides violari videtur, brevem hanc instructionem addendam esse existimavimus, quam partim ex decretis deprompsimus, quæ hac super re ex suprema Inquisitione, pro solvendis propositis a Missionariis dubiis, prodiere; partim ex Pontificiis Constitutionibus, quibus abusus damnatur, qui in nonnullis Infidelium, Hæreticorumque Regionibus, contra divinæ Fidei puritatem, in Christianam Religionem irrepserant.

(56. *Primo* itaque, Fidem facto suo negare dicitur, qui ea faciat, quæ ad falsi numinis, hæreticique hominis obsequium, et cultum referantur; Is enim facto suo falsam Religionem profitetur. Atque hanc ob rem supremæ Inq. decretis an. 1626 et an. 1669. definitum est, « nullo modo licere Christianis, nec ulla causa, aut motivo posse permitti, aut tolerari, » ut operam suam navent ædificandis, instaurandis, verendisque Templis falsis Numinibus, vel auctoribus falsarum sectarum dicatis; aut eorumdem purgandis parietibus, et pavimentis, mundandis altaribus, et aperiendis, claudendisque foribus. Atque hic sequitur, rei de se malæ operam dare, ac facto negare Fidem, qui Idola, quæ Infideles colunt, construant, vel falsi Numinis imagines pingant, quippe falsis Numinibus famulatum præbent, iisque si non per se, per alios saltem obsequium, cultumque exhibent.

(57. *Secundo*, facto Fidem negant, qui ea faciunt, quæ ritum falsum, sacrilegumque

Digitized by Google

cultum comprobent, ratumque habeant; Id enim est Fidem orthodoxam, quæ hæc damnat, contemnere, falsamque Religionem opere profiteri. Ratum habent ritum, falsumque cultum, qui in Schismaticorum, Hæreticorum, Infideliumque Templis, organa, vel alia instrumenta pulsent, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exerceant. Hinc Constitut. quæ incipit : *Omnium sollicitudinum*, qua Prædecessorum Decreta confirmantur circa ritus Madurenses, etc. Benedictus XIV approbat, et mandat observari Decretum Cardinalis Tournon, quo prohibetur : « Ne in posterum Christifideles audeant nec in Pagodis, nec extra, tum occasione Sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare, aut canere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire. Ideoque subdit, Missionarii non solum eos monere tenebuntur de prædicta prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, et contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, et publicis pœnitentiæ signis patratum scandalum emendaverint. » Hoc modo Fidem negant etiam ii, qui in Infidelium, et Hæreticorum scholis falsos eorumdem ritus, et profana a Catholica Fide aliena dogmata doceant, ex Decret. Sup. Inq. 2. Maii 1711. Nam dum docent, facto suo approbant, falsamque profitentur Religionem.

(58. *Tertio*, qui facto aliquo Orthodoxam Religionem in odium Fidei contemnat, ut qui imperante Infidele Principe in Catholicæ Fidei contemptum, Sacros Ritus spernat, carnes, quo prohibentur tempore, comedat, immolatis utatur, Christianorum Templa evertat, ex equo descendat dum ante fores transit Templi Idolorum; ex Decret. Sup. Inq. 1674. Is, et Fidei professionem omittit, quam vigente illo Principis præcepto, quod vim interrogationis habet, palam facere debet, et Fidem ipsam exteriori contemptu negat.

(59. *Quarto*, qui vestem induat, quæ ex instituto hominum usu recepto, et approbato, falsæ sectæ Professorem, sive falsæ Religionis Ministrum designet, ut linteam vestem talarem, quæ Mahumetanis Sacerdotibus est propria, vel fasciam quamdam qua apud Indos Idolorum Sacerdotes utuntur; Is enim hoc modo falsæ sectæ professorem sese ostendit, ac virtualiter saltem Fidem negat; Decret. Supr. Inq. 8 Julii 1630.

(60. *Quinto*, « *qui nomina* Turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumunt : abominanda Infidelium Templa, quæ Moschæas vocant, frequentant : Ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanant, et hæc eo fine ut Mahumetani credantur, opera faciunt, quæ mendacium in re gravissima continent, et virtualem Fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includunt » quemadmodum legitur Constit. quæ incipit *Inter omnigenas*, tom. 1. *Bull.* p. 32. in qua Benedict. XIV. abusus damnat nonnullos Fidei puritati contrarios, qui in Regno Serviæ, finitimisque regionibus, in Christianam Religionem irrepserant; atque decernit, eos, « qui obstinate in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces esse Sacramentorum in vita; et si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem, ad quæ nullus Ecclesiæ Minister illos admittere præsumat; alioquin a proprio Episcopo Canonicis pœnis plectendus erit. »

(61. *Sexto*, qui ritus usurpent falsæ Religionis protestativos; hujusmodi enim usu errores contra Christianam Fidem, quos indicant, se se approbare demonstrant, ac falsæ sectæ professores exterius manifestantur. Hinc in citata Const. *Inter omnigenas*, circumcisionis usus Mahumetanorum more damnatur; Constit. *Omnium sollicitudinum* de qua supra, *Mulieribus*, in Regno Madurensi, et eis finitimis Regionibus, « prohibetur deferre collo appensum in signum contracti Matrimonii Taly, quod præfert imaginem licet informem Pullejaris, seu Pyllejaris Idoli nuptialibus Cæremoniis præpositi; » et Christianis omnibus prohibetur, « cineres ex vaccæ stercore confectos, et impiam Gentilium Pœnitentiam a Rutren institutam redolentes, benedicere, eosque fronti Sacro Chrismate delinitæ impingere, sive quæcumque alia signa albi, vel rubri coloris, quibus Indi superstitiosissimi, vel in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre : » Et Constit. *Ex quo singulari*, quæ est *de Ritibus Senensibus*, t. 1. p. 118. damnantur « cærimoniæ, ritus, et oblationes, quæ fiunt tum singulis mensibus in novilunio, et plenilunio, tum a Litteratis, et Magistratibus, dum in gradus, sive dignitatis possessionem adeunt, vel post adeptam : Item oblationes, quæ fiunt in Templis, seu ædibus, Progenitoribus dicatis, et ritus oblationesque coram Progenitorum Tabellis in privatis domibus, sive eorum sepulchris, una cum Gentilibus, et etiam seorsim ab illis : ac prohibetur, domi retinere Progenitorum tabellas cum inscriptione, qua Thronus, sive sedes Spiritus designetur. » Quod spectat ad ritus superstitiosos, vide Appendicem ad caput *de Superstitione* (1).

(62. Implicite contra Orthodoxæ Fidei confessionem peccat, qui dum debitus Deo honor id postulet, libere Orthodoxam Fidem non profitetur, sed tacet, atque silentio suo alios in suspicionem ducit, se, vel Fidem negare, vel eam profiteri erubescere. In Deum enim injuriosus est, qui veritatem ab ipso revelatam libere confiteri erubescit. *Primo* itaque peccat, qui interrogatus a publica potestate de sua Religione taceat, si interrogatio fit in odium Religionis; Si enim 1

(1) Si ritus indifferentes occurrant, tutius est, ut Catholici quoad fieri possit ab illis abstineant, ne cultu peregrino, et Ecclesiæ Catholicæ ignoto verum Deum venerentur. Numquam vero licet « Gentilium ritus adoptare, eosque in Christianos usus convertere, inconsulta Apostolica Sede, » ut Constitut. decernitur antea laud. *Omnium sollicitudinum*.

Digitized by Google

ob politicas Status rationes ueret, ut pecunia v. g. a Catholicis extorqueretur, debitus Deo honor ex confessionis silentio non subtrahetur. 2. Si silentium, attentis circumstantiis, non appareat omnibus implicita Orthodoxæ fidei confessio.

(63. *Secundo* peccat etiam, qui interrogatus a privata persona, Fidem palam non fateatur in iis circumstantiis, in quibus confessionis omissione Deus injuria afficeretur, et proximus pateretur scandalum, hæc enim duo semper vitare tenemur; Ut si interrogatus prospiceret ex suo silentio fluctuaturos in Fide Catholicos audientes, vel Infideles Christianos derisuros, quod Fidem Christianam palam confiteri erubesceret.

(64. *Tertio*. Quamquam persecutio in odium Fidei adversus Orthodoxos excitata, in Deum injuriosa est, et interrogationem, quæ ad Fidem confitendam cogit, involvit; tamen, ut optime Auctor demonstravit; qui eam fuga declinare studeat, non modo non negat, sed ipso facto Fidem quodammodo fatetur. Fuga autem non modo licita, sed quandoque etiam necessaria est; Quoties fideles timent, prævidentque periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque negandi. Nam qui hujus periculi conscius Tyranni sævitiam non devitaret, Deum tentaret, qui sicuti non deficit in necessariis, ita non abundat in superfluis. 2. Quando persona necessaria, ac maxime utilis sit communi Ecclesiæ bono, ut Augustinus tract. 46. *in Joann.* exemplo demonstrat Apostoli Pauli, qui ob Ecclesiæ utilitatem se furori Præpositi Damaschi subducit. 3. Declinandum martyrium est, dum prævideatur nemini profuturum, sed Tyrannum magis irritandum fore, et crudelius in Christianos sæviturum. 4. Licite etiam Episcopi, Parochi, et Missionarii fugiunt, ac quandoque sævientem Tyrannum declinare debeant, si in ipsos solos sæviat, nec alii Ministri adsint, qui relictis ibi Christianis spiritualia subsidia suppeditare possint. « Manifestum est, inquit S. Thom. lect. 3. in c. x. *Joan.* quod si quæratur sola persona Prælati, possunt alii loco ipsius ad Gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, et gubernent gregem: unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves, et hoc modo, et casu fugere licet. » Immo expedit aliquando hæc fuga, si ea impediri possit ne Tyrannus in alios quoque Christianos sæviat, vel si redire posse sperent majori cum fructu; Sed Pastoribus Sacrisque Ministris fugere non licet, si oves eorum indigent spirituali subsidio, si periculum sit ne dispergantur, et Fidem amittant, ac si eorum fuga scandalum paterentur fideles, atque infideles contemnendi Religionem occasionem sumerent. Tunc enim non solum charitatis, verum etiam justitiæ debito, tenentur rudes instruere, dejectos roborare, et erigere, nutantes confirmare, omnesque ad dimicandum totis viribus, pro Dei gloria, et honore adhortari. Hinc proposito dubio, « An ad evitandum periculum liceat Missionariis a Missione discedere absque licentia Sacræ Congregationis? » Anno 1646. Sac. Congr. de Propaganda Fide respondit: *Tempore persecutionis esse magis necessariam Pastorum præsentiam, ne Fideles pervertantur.*

(65. *Quarto* dum Infideles, vel Hæretici Sacras Imagines conterant, et Crucifixum contumeliis afficiant, tenentur fideles palam orthodoxam Fidem profiteri; debent enim, quoad fieri possit, injuriam Deo, et Sacris Imaginibus irrogatam propulsare, ac per publicam Confessionem palam facere orthodoxam Fidem, sacrasque Imagines honore dignas esse. Secluso vero periculo contemptus, licet Missionariis sacras Imagines donare Infidelibus, qui iis deberentur, tum amicitiæ pacisque fovendæ gratia, tum ad eos alliciendos ad amplectendam Fidem; Ex Decret. Supr. Inq. 1674. Nefas vero est ex eodem Decreto iis Sacros libros, ac vasa sacra tradere, qui in Religionis contemptum uti possint.

(66. *Quinto*, dum Infideli, vel Hæretico Magistratu imperante, Christianorum Ecclesiis, ædibus, aliisque locis libelli assignantur, orthodoxæ Religioni detrahentes, eamdemque contumeliis, et calumniis deturpantes, orthodoxi præcepto illo, quo illatam Deo injuriam vindicare, ac sublatum ei honorem restituere tenentur, in ea necessitate constituuntur, ut schedas auferre, libellis respondere, ac ad Judices delati palam orthodoxam Fidem profiteri debeant. At scripturis, quæ non publica auctoritate, sed privata fiunt, quæque Evangelicos Ministros injuriis, calumniisque afficiunt, et orthodoxæ Fidei adversantur, Ministri Sacri contraria opponere non prohibentur, dum tamen inde imminere non videant gravioris persecutionis periculum. Satius tamen erit injurias, calumnias, et blasphemias patienti animo ferre, ac negative se habere: Sup. Inquisit. Decret. 1674.

(67. Quæri hic etiam potest, « num de Fide cum Hæreticis et Infidelibus disputare liceat? quibus et quomodo id liceat? » Quod ut rite expendatur, notare oportet, disputari de Fide idem esse ac ad examen revocare Religionis Dogmata, atque argumentis demonstrare a Deo esse revelata. Id autem duplici fieri potest modo, privatim scilicet, et publice. Privata disputatio est, quæ in privato loco inter privatos fit, ita ut nulli, aut pauci auditores adsint; quomodo passim in Hæreticorum præsertim Regionibus Hæreticos inter atque Orthodoxos de Fide certari solet. Publica vero disputatio dicitur, quæ fit publico in loco, spectante populo, ac quandoque etiam arbitris constitutis. Privata disputatio cuique viro docto ab Hæretico provocato licita est, ac etiam expediens; primo, si prudenter judicet, Hæreticum desiderio cognoscendæ veritatis, vitandique erroris ad disputationem provocare; secundo, si prudenter speret disputatione illa privata ad orthodoxam Fidem provocantem hæreticum conversum iri: tertio, si silere non possit, quin audientes in Fide vacillent, Hæretici magis in errore confirmentur, ac Orthodoxa Fides contemptui exponatur; Nam quisque tene-

Digitized by Google

tur proximi saluti, dum potest, consulere, contemnentes Fidem Orthodoxam ita compescere, ut inde Hæretici majoris contemptus, et derisionis occasionem non arripiant, et ne Deo injuria fiat, impedire, illatamque vindicare. Sed, remotis hujusmodi circumstantiis, « disputatio de rebus Fidei Laicis est prohibita. Sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere, excusando se bonis verbis, et prætextibus; » ex Decreto Sac. Cong. de Prop. Fide, 26 Februarii 1630. Sed licet periti sint Sacerdotes, sive Missionarii, cavere omnino debent ne Hæreticos ad disputandum provocent: in causa enim essent, ut Hæretici Orthodoxa dogmata refellendo, Hæreseos actus exercerent, ac Catholicam Fidem contemnerent: quæ duæ res grave per se peccatum ferunt: et colloquiis privatis disputationes de Fide miscendo, eosdem Hæreticos sine fructu ullo moveant ad Orthodoxæ Fidei contemptum, et ad Catholicorum, non sine Religionis detrimento persecutionem « Hæretici enim, inquit Augustinus, lib. 15, *contra Faustum*, cap. 12, non disputationem amant, sed quomodo superare impudentissima pertinacia, ut congregent, quæ non pepererunt. » Et Sanctus Bernardus, serm. 66, *in Cantis*. « Nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt, nec auctoritate corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. »

(68. A publicis autem disputationibus cum Hæreticis, Missionarii abstinere omnino debent. Sacr. enim Cong. de Prop. Fide, 8 Martii 1625. « Jussit publicas disputationes non fieri cum Hæreticis, quia plerumque vel ob loquacitatem, vel audaciam, aut circumstantias Populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, opprimitur, et si aliquando hujusmodi disputationes recusari non possent, primum de illis certior fiat Sacra Congregatio, quæ juxta temporis, et personarum qualitatem, quid agendum sit præscribet. » Quamobrem, cum Missionarii nonnulli, an. 1635, publicas de Religione disputationes cum Batavis Constantinopoli coram Vicario Patriarchali instituissent, « Sanctissimus mandavit, significari Generalibus Regularium Peræ commorantium, ut illis interdicerent, ne hujusmodi congressus, aut disputationes publicas in posterum facere præsumerent sub pœnis arbitrio. » Sac. Congregationis Sup. Inq. Et Sacra Congregatio de Propaganda Fide, die 18 Januarii 1654, cuidam Missionario in Armenia mandavit, « ut a disputationibus cum Patriarcha Armenorum in Eruam circa Articulum duarum naturarum in Christo se abstineret. »

(69. Multo minus licitum est Missionariis sine expressa Romani Pont. licentia conventum indicere Ecclesiasticum, in quo cum Hæreticis de Religione disputent. Hinc eadem Congregatio, die 27 Maii 1644, reprehendendum censuit P. D. Joannem Judischi Missionarium, « Quod susceperit onus convocandi dictum conventum, sine Sedis Apostolicæ speciali mandato. »

(70. Porro si Romanus Pontifex hujusmodi conventum permittat, quinque sunt necessariæ conditiones, ut rite fiat. I. Ut Hæretici, non ut Judices, et cum jure suffragii conveniant; sed ut instruantur, convincantur errores, et corrigantur. II. Ut non definiantur Fidei dogmata, sed definita a Conciliis, vel Apostolica Sede, a Deo revelata esse demonstrentur. III. Ne fiant coram plebe, sed coram doctis. IV. Ne sedeant tamquam Judices Laici, etiamsi sint Principes. V. Non debent Catholici Prælati a Laico Principe cogi ad conventum, sed tantum invitari, et peti debet a Summo Pontifice licentia, ut possint ea de causa a propriis Ecclesiis abesse; Hæreticos autem, et Schismaticos poterit Princeps cogere, ut vocati a Prælatis Catholicis veniant ad reddendam rationem sui erroris, ut ita corrigi, et convinci possint.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(71. Huc pertinet decretum S. Congr. de Propaganda Fide, quo reprobantur nonnullæ praxes Christianorum occultorum Mahumetanam sectam simulantium, est autem hujusmodi, « Decretum Sac. Congregationis generalis de Propaganda Fide habitæ, die 31 Januarii 1774. Cum ad aures Sac. Congregationis pervenerit, in quibusdam Albaniæ Diœcesibus, aliisque finitimis provinciis Christianos nonnullos adhuc existere, qui, non obstante saluberrimo Synodi Albanensis decreto, ac repetitis san. mem. Benedicti XIV Constitutionibus, videlicet *Inter Omnigenas*, die 2 Februarii 1744, et *Quod Provinciale*, die 1 Augusti 1754, Christum erubescentes, ejusque præcepta, Infidelitatem simulare audent, actusque peragere a veræ Fidei sinceritate prorsus alienos: sollicitudinis suæ partes esse duxit, facto verbo cum SSmo Domino Nostro Clemente XIV, die 6 Februarii 1774, declarare sequentes præfatorum Christianorum praxes innoxias nec esse, nec ullo modo tolerandas.

« In primis itaque a simulatæ Infidelitatis nota excusari non posse declarat subdolam agendi rationem illorum, qui, dum diebus solemnioribus Missæ Sacrificio intersunt, adstantium ex curiositate Turcarum præsentiam formidantes, numquam omnino caput operiunt, nec signant se Crucis signo abstinentque a ceteris Catholicæ religionis actibus, qui ab aliis, qui Christiano consentur nomine, palam solent exerceri; atque ita agentes id obtinent, ut Mahumeticæ superstitionis Sectatores reputentur, nec alia quam curiositatis, aut levitatis causa ad Ecclesiam, vel ad conventus locum advenisse, ibique manere credantur.

« Quoniam vero non desunt, qui conantur excusare excusationes suas in peccatis, asserentes, se simili prorsus modo gerere, cum, nemine Turcarum adstante aliis diebus Missæ, ceterisque functionibus præsentes sunt: ideo eademmet Sacra Congregatio pariter declarat, hujusmodi responsum non tam valere ad purgandam eorum agendi rationem, quam ad ostendendam desidiam, ac Fidei languorem in his quæ sunt ad Deum, vel potius indicio esse posse, jam tunc ab

Digitized by Google

eis præconceptam mentem esse falsæ Religionis simulandæ, cum tempus et occasio tulerit.

« Præterea gravi culpa non caret, quod iidem occulti credentes, cum, diebus Ecclesiastico Jejunio, aut abstinentiæ consecratis, Turcarum mensis accumbunt, vetitis in illis diebus ab Ecclesia vescuntur cibis, aut se manducare fingunt; simulatio enim hæc non alio animo facta præsumi potest, quam ut Christianorum legibus nequaquam obstricti videantur, sed plane Mahumetani inter Mahumetanos existimentur.

« Nec quidquam eis prodest, quod identidem propositum jactant palam profitendi Catholicam Religionem, quoties a publica potestate interrogentur; id enim fieri ab eis necessario debet, sed simul opus est, ut in privatis actibus ab illis simulationibus abstineant, per quas fieri nequit, quin veræ Fidei exortes, et falsæ sectæ addicti exterius appareant.

« Multo minori dubitatione damnanda Sacræ Congregationi visa est illorum agendi ratio, qui, Turcarum verentes offensionem, profana eorum Templa ingrediantur, precationesque apud Mahumetanos in more positas peragere fingunt, factum enim ipsam nimis apertam præsefert Mahumeticæ Religionis simulationem, licet ab aliis damnatæ Sectæ observationibus, et cæremoniis abstineant.

« Idipsum dicendum de praxi illorum censet, qui ad funera deducenda Mahumetanum Ministrum advocant, ut vel ipsi, vel defuncti a falsa secta non recessisse existimentur. Quare, si ex Defunctorum voluntate quomodocumque explicata, nec ante obitum retractata id fieri constiterit; Sacra Congregatio eosdem Defunctos Ecclesiasticæ sepulturæ, et Suffragiorum beneficio incapaces esse decernit: si vero ex solo damnabili superstitum arbitrio supradictus Mahumetanus Minister assistentiam funeri præstabit, eo in casu illorum crimine defunctos non illigari; bene vero superstites ipsos gravissimæ impietatis reos, et canonicis pœnis obnoxios fore declarat. Hoc enim, ut cetera omnia superius expensa in enuntiatis circumstantiis, (et fortasse aliæ etiam praxes, quæ ad notitiam Sacræ Congregationis nondum advenere). Mahumeticæ sectæ simulationem, Christianæque Fidei negationem saltem virtualiter includit, summamque Christo Domino injuriam, et proximo scandalum parit.

« Ceterum Eminentissimi Patres Archiepiscopos, Episcopos, et Superiores Missionum Albaniæ, Serviæ, aliarumque Provinciarum, quæ Turcarum Imperio subsunt, in Domino hortantur, ut zelo Fidei succensi a gregibus pastorali suæ curæ commissis supradictos damnatos abusus avertere satagant; pari zelo, et charitate unumquemque illorum, qui præmissa factitare non verentur, arguentes, increpantes, admonentes, se in nullo casu posse Christum erubescere, falsamque Religionem simulare, quin spem æternæ retributionis abjiciant. Factum insuper magni Eleazari ante illorum oculos constituant, qui cum compelleretur simulare de sacrificiis carnibus lege vetitis manducasse, ut vitæ periculum effugeret, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam elegit, memorandam illam sententiam pronuntians: *Et si in præsenti tempore supplicitis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

« Quod si forte, hac solerti Pastorum cura non obstante, aliqui adhuc obstinati, ac cœlestis vocationis immemores reperiantur, qui impiorum viam insistere pergant, detestabiles simulationes in Fidei negotio adhibentes, iidem Archiepiscopi, Episcopi, et Missionum Superiores, ut supra illos Sacramentorum participatione in vita, et, si impœnitentes decesserint, Ecclesiastica Sepultura, et Suffragiorum beneficio post mortem incapaces declarabunt.

« Datum Romæ ex Ædibus dictæ Sacræ Congregationis die 19 Februarii 1774.

« I. M. card. CASTELLI *Præfectus.*

« Loco ✠ Sigilli

« Stefanus Borgia *Secretarius.* »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Nomina Turcica, seu Mahumetana non licet Christifidelibus assumere, sibique imponere, ad evitandas pœnas, vel quamcumque utilitatem captandam; Benedicti XIV Constitut. incip. *Quod Provinciale*, § 1. Eisdem utentes Sacramentorum incapaces, ac suffragiorum post mortem indigni declarantur; Idem *ib.* § 4.

FIDEI PROFESSIO.

SUMMARIUM.

1. Jure Ecclesiastico obligantur ad emittendam Fidei professionem omnes baptizandi. — 2. Hæretici ad Ecclesiam Catholicam redeuntes tenentur prius arbitrio Episcopi publice suam Hæresim abjurare, et Fidei Catholicæ professionem emittere. — 3. Fidei professionem emittere tenentur Magistri, Regentes Universitatem, et docentes scientias etiam Grammaticam, et alii cujuscumque artis, et facultatis professores, sive Laici, sive Clerici etiam Regulares illi fuerint, et qui ad aliquem gradum promoveri voluerint. — 4. Fidei professionem emittere debent Advocati, Procuratores, Judices, Medici, Chirurgi, Confessarii omnes, et Concionatores saltem semel; respectu Prædicatorum tamen Sacra Congregatio Concilii in una Brugnaten. declaravit neque Regulares prædicare volentes emittere teneri professionem Fidei, nisi ab Episcopo exigatur. — 5. Item Fidei professionem emittere tenentur Bibliopolæ, et Typographi. — 6. Contra Lectores, Magistros, Rectores, vel Cancellarios Gymnasiorum, promovendos ad Doctoratus, aliosve recensitos in Constit. Pii IV. incip. *In Sacrosancta*, si non emittant Fidei professionem, imponitur pœna nullitatis actorum, et aliæ imponuntur contra Rectores, et Superiores quoscumque Universitatum, et Gymnasiorum. — 7. Episcopus non exigens, nec recipiens a Doctoribus, et Scholaribus Fidei professionem, incurrit pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ. — 8. Inferiores vero non recipientes ut supra, Excommunicationis latæ sententiæ, privationis Dignitatum, Beneficior. Offic. et Feudo-

Digitized by Google

rum incurrunt pœnam. — 9. Fidei professio est facienda a Græcis, et sub propria sua formula. — 10. Fidei professio facta ab Imperatore Græcorum Lugduni eadem fuit cum illa, quam faciunt Latini. — 11. Fidei professio, simul ac specialis promissio de eadem usque in finem sincera cordis devotione, ac constantissime retinenda debet emitti ab omnibus illis, qui ad Sacros Ordines sunt promovendi. — 12. Item Fidei professionem facere tenentur promoti ad Episcopatum. — 13. Omnes Episcopi in principio Concilii provincialis debent Fidei professionem emittere, et jurare observantiam Sac. Concilii Tridentini. — 14. Item Beneficiati omnes, et ii, qui in Synodo Diœcesana convenire debent, Fidei professionem tenentur emittere in prima Synodo, cui adfuerint. — 15. Canonici, et Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses Fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. — 16. Hanc Fidei professionem Canonici, et Dignitates Cathedralis tenentur facere per seipsos personaliter, et non sufficit per procuratorem. — 17. Coadjutores Canonicorum, seu Dignitatum Cathedralium de rigore Juris communis, seu Concilii Tridentini non tenentur emittere professionem Fidei. — 18. Nec talem professionem Fidei tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, et alii provisi de Cappellaniis in Ecclesia Cathedrali. — 19. Nec ad ipsam Fidei professionem emittendam tenentur jure Tridentini, et cit. Constitutionis Pii V. Canonici, et Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, et possidentes Beneficia inferiora non curata. Vide tamen verb. *Canonicus*, ubi late de spectantibus ad hanc Fidei professionem. — 20. Prælati Regulares, qui præficiuntur Monasteriis, Conventibus, Domibus, et aliis quibuscumque locis Regularium, an teneantur ad Fidei professionem? *ad num.* 21. — 22. Regulares Concionatores non tenentur ad emittendam Fidei professionem, nisi ab Episcopis exigatur. — 23. Additur ad rem notabilis Resolutio Sacræ Congregationis Concilii. — 24. Nonnulla ex Benedicto XIV.

(1. Jure Ecclesiastico obligantur ad emittendam Fidei professionem omnes baptizandi; arg. cap. *Prima igitur* 73, dist. 4, *de Consecr.* Si autem aliqui baptizandi per se ipsos professionem Fidei emittere nequeant, ex quo credere et loqui non valeant, ut parvuli, amentes, vel muti, tunc debet talis Fidei professio fieri per alium, nempe Patrinum, textu expresso in cap. *Parvuli alio profitente* 74, dist. 4, *de Consecrat.* ibi: « Parvuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere nesciunt, sicut etiam ægri, muti et surdi, quorum vice alius profitetur, ut pro eis respondeat, dum baptizantur. » (2. Hæretici ad Ecclesiam Catholicam, et Apostolicam redeuntes tenentur prius arbitrio Episcopi publice suam hæresim abjurare; c. *Ad abolendam* 9, *de Hæreticis*, et hoc rectissime fit emittendo Fidei Catholicæ professionem juxta formam de facto in Ecclesia usitatam, a Pio IV, ab omnibus uniformiter observandam præscriptam in sua Const. incip. *Injunctum nobis*. Immo antiquitus hæretici redeuntes ad unitatem Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ tenebantur Fidei professionem etiam per scripturam atque oblatum libellum exhibere; cap. *Si quis voluerit* 3. c. *Maximum* 19. et cap. *Donatum* 20, caus. 1, quæst. 7. (3. Fidei professionem emittere tenentur Doctores, Magistri, Regentes Universitatum, vel Gymnasiorum docentes quascumque scientias, etiam Grammaticam, et alii cujuscumque artis, ac facultatis professores, sive Clerici, aut laici illi sint, vel cujuscumque Ordinis Regulares, qui docere, vel ad aliquem gradum promoveri voluerint; Pius IV, Constitut. incip. *In Sacrosancta*, ad cujus calcem tradit etiam propriam formulam. Et Sacra Congregatio Concilii declaravit comprehendi in dicta Bulla Pii IV, etiam docentes principia Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ et aliarum artium, licet publicam scolam non faciant, sed in propriis domibus doceant. Sic refert Hieronymus a Sorbo in compendio privilegiorum Mendicantium, verb. *Professio Fidei* notabil. 4. (1).

(4. Fidei professionem emittere debent Advocati, Procuratores (2), Judices, Medici, Chirurgi, Confessarii omnes, et Concionatores saltem semel: Concil. Provincial. Mediolan. V, tit. de Professione Fidei; et sic statutum reperitur fere in omnibus Synodis Diœcesanis, et signanter in Synodo Alexandrina de an. 1733, tit. 1, de Fidei professione; respectu Concionatorum tamen S. Cong. Conc. in una Brugnat. declaravit, neque Regulares prædicare volentes emittere teneri professionem Fidei, nisi ab Episcopo exigatur, ut refert Nicolius *Lucubrat. canon.* l. 1, tit. 1, num. 6, verb. *Concionatores* (5. Item Fidei professionem emittere tenentur Bibliopolæ et Typographi, Concil. Provincial. Mediolanens. VI, verb. *Librorum editio* num. 21. (6. Contra Lectores, Magistros, Rectores, vel Cancellarios Gymnasiorum, promovendos ad Doctoratum, aliosve recensitos in d. Constitut. Pii IV, incip. *In Sacrosancta*, si non emittant Fidei professionem, imponitur pœna nullitatis actorum, et aliæ imponuntur contra Rectores, et Superiores quoscumque Universitatum, et Gymnasiorum; Pius IV, *ibid.* (7. Episcopus non exigens, nec recipiens a Doctoribus, et Scolaribus Fidei professionem, incurrit pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ; Pius IV, in d. Constit. incip. *In Sacrosancta*. (8. Inferiores vero non re-

(1) In Concilio Provinciali Romano 1725, tit. 1, cap. 1, inter illos, qui professionem fidei emittere debent, n. VIII et IX, recensentur « Docentes publice, vel privatim Theologiam, Philosophiam, Jus canonicum aut Civile, vel inferiores quaslibet disciplinas, etiam Grammaticam; ac tandem Medicinam, et Chirurgiam exercentes. » (Edit. Barbiell.)

(2) Non de omnibus Advocatis, et Procuratoribus agitur in eo Concilio, sed de illis tantum, qui causas sanctæ Inquisitionis suscipere, aut agere velint. Sic enim habet Constit. Part. 1. *Quæ ad fidei tuendæ studium pertinent* Collectio Concil. Edit. Ven. anno 1733, tom. 21, col. 339. « Advocati præterea, et Procuratores in causis sanctæ Inquisitionis suscipiendis agendisve, nullum ante aditum locumve habeant, quam fidei professionem Episcopo præstiterint. » De Judicibus autem in ejus Concilii Decreto nulla est mentio. In Concilio Romano loc. cit. n. 5, præscribitur, ut fidei professionem emittant: « Novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei: Procuratores, et Promotores fisci Episcopalis, Cancellarii, ceterique Ministri ejusdem Curiæ. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

cipientes, ut supra, Excommunicationis latæ sententiæ, privationis Dignitatum, Beneficiorum, Officiorum, et Feudorum incurrent pœnam, Pius IV, *ibid.*

(9. Fidei professio est facienda a Græcis, et sub propria sua formula; Gregor. XIII, Const. incip. *Sanctissimus.* Talis tamen forma reformata fuit ab Urbano VIII, quam refert Nicolius in suo *Compendio Episcop.* verb. *Fides.* (10. Fidei professio facta ab Imperatore Græcorum Lugduni, eamdem fuit cum illa, quam faciunt Latini; Gregor. X, Const. incip. *Exultare.*

(11. Fidei professio simul, et specialis promissio de eadem usque in finem, sincera cordis devotione, ac constantissime retinenda, debet emitti ab illis, qui ad Sacros Ordines sunt promovendi; c. *Quamquam* 6. dist. 23. (12. Item Fidei professionem facere tenentur promoti ad Episcopatum; cap. *Qui Episcopus* 2, dist. 23, c. *Optatum* 4, dist. 100. Conc. Trid. sess. 24, cap. 1, *de Reform.* Gregorius XIV, Constitut. incip. *Onus Apostolicæ.* Forma autem hujus professionis Fidei, ac Juramenti traditur in Pontificali Romano jussu Clementis VIII edito; vid. verb. *Episcopus* art. 2, num. 17, et sequent. (13. Omnes Episcopi in principio Concilii Provincialis debent Fidei professionem emittere, et jurare observantiam Sacr. Concilii Tridentini, ut est injunctum in ipso Tridentino sess. 25, cap. 2, *de Reformat.* ubi insuper statuit, quod si quis renuerit, statim denuntietur Summo Pontifici a Coepiscopis sub pœna divinæ indignationis, et interim prædictus renuens communione aliorum privetur. (14. Item Beneficiati omnes, et ii qui in Synodo Diœcesana convenire debent, Fidei professionem tenentur emittere in prima Synodo, cui adfuerint. Concil. Trident. cit. sess. 25, cap. 2.

(15. Canonici, et dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses Fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. Concil. Trid. sess. 24, *de Reformat.* c. 12, vers. *Provisi*, et Pius IV. (16. Constitut. incip. *Injunctum Nobis.* Hanc Fidei professionem Canonici, et dignitates Cathedralis tenentur facere per se ipsos personaliter, et non sufficit per Procuratorem, ut pluries censuit Sac. Congreg. Concil. et signanter in Seguntina 18 Aprilis 1590, et iterum in alia causa die 12 Sept. 1620, et in Calaguritana 22 Septemb. 1696, et in Cathacen. 6 Febr. 1726, adeoque propter talia decreta non sunt attendendi Doctores sustinentes posse Fidei professionem emitti per Procuratorem specialiter deputatum. (17. Coadjutores Canonicorum, seu dignitatum Cathedralium de rigore Juris communis, seu Conc. Trid. non tenentur emittere professionem Fidei, quia Coadjutor durante Coadjutoria nondum est verus Canonicus; Barbosa *de Offic. et potest. Episc.* part. 3, allegat. 61, num. 13 et 14, et *de Canonic.* c. 27, num. 12. Gonzalez. ad regul. 8. *Cancell.* gloss. 5, num. § 9, num. 110. Garcias *de Benefic.* part. 4, cap. 5, num. 74 et 76, et alii passim. (18. Nec talem Fidei professionem tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, et alii provisi de Capellaniis in Ecclesia Cathedrali; Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 2, num. 64, et *de Canon.* cap. 17, n. 13. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 1, § 8, num. 166. Sanchez lib. 2, *in Decal.* c. 5, num. 1, et alii passim; et ratio est, quia supradicti omnes non comprehenduntur sub illis personis, quas Concil. Trident. cit. sess. 24, cap. 12, *de Reformat.* et Pius IV, in Constit. incip. *Injunctum nobis*, obligavit ad Fidei professionem, ut legenti patet; Unde cum ibi sancita a Tridentino, et Pio IV, sint pœnalia, et novi Juris inductiva, non debent extendi ultra personas expressas, nam pœnæ sunt restringendæ juxta Regul. 15 et 49. Juris in 6. Jurium enim correctio, quantum fieri potest, est evitanda, cap. *Cum expediat, de Election.* in 6, proinde non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum; l. *Præcepimus.* Cod. *de Appell.* (19. Nec ad ipsam Fidei professionem emittendam tenentur jure Tridentini, et cit. Constitut. Pii IV. Canonici, et Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, et possidentes Beneficia inferiora non curata: sic decisum fuisse a Sacr. Congreg. Conc. die 12 Febr. 1588, refert Garcias *de Benefic.* part. 3, cap. 3, numer. 11, et Barbosa in *Summa Apostolicar. decis.* verb. *Professio Fidei* num. 6. Vide tamen verb. *Canonicus* art. 4, num. 32, 33, et per totum articulum, ubi late de iis, quæ Fidei professionem Canonicorum concernunt.

(20. Prælati Regulares, qui præficiuntur Monasteriis, Conventibus, Domibus, et aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine appellentur, tenentur eamdem Fidei professionem emittere intra duos menses ab adepta possessione suæ Præfecturæ per extensionem factam a Pio IV, in d. sua Constitutione incip. *Injunctum.* (21. Hanc tamen Pii IV. Constitutionem quo ad hoc non esse in usu, et sic Eminentissimos Cardinales, aliosque Viros doctissimos consuluisse notat Hieronymus a Sorbo in compendio privilegiorum Mendicant. verb. *Professio Fidei*, notab. l. 1, et sic tenent Sanchez l. 2, *in Decalog.* cap. 5, num. 3. Portell. in *Dub. Regul.* verb. *Professio Fidei*, num. 3. Tamburin. *de Jur. Abbat.* tom. 1, disp. 8, qu. 3, n. 3. Villalob. in *Summa* tom. 2, tr. 1, difficult. 6, num. 3. Diana *Moral. resolut.* part. 3, tract. 2, resolut. 78. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 1, num. 161, et alii, qui dicunt, in iis Religionibus, in quibus viget contraria consuetudo, non teneri Prælatos earum ad emittendam Fidei professionem, et hoc per generalia Juris principia, quod in ipsis vel d. Constitutio Pii IV, quo ad hoc numquam fuerit recepta, vel contraria consuetudine denuo abrogata; arg. cap. *Quanto* 11, *de Consuet.* Barbosa autem *de Offic. et potest Episcop.* part. 3, allegat. 61, n. 7, cum variis aliis ibi citatis non improbat istum usum: (22. Et idem Barbosa in *Summa Apost. dec.* verb. *Professio fidei* n. 3, refert, Sacr. Congregationem Concilii decre-

Digitized by Google

visse, quod « professionem Fidei emittere per Episcopos Locorum Ordinarios, si ita iliis videbitur, sunt compellendi Regulares, antequam prædicationis munus incipiant, » quod decretum, ut vides, concordat cum allato sub num. 4, in una Brugnaten. relato a Nicolio, et clare demonstrat, quod Regulares Prædicatores tenentur solum Fidei professionem emittere, quando Ordinariis ita videtur, et ab illis exigitur.

(23. Attendenda est hic sequens Epistola Sacræ Congregationis Concilii directa Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali de Lambertinis, postea summo Pontifici, et ab ipso relata Volumine tertio, notificatione 19, in fine, ut sequitur.

Eminentiss. et Reverendiss. D. Observand.

Negotium, de quo agitur in adjunctis precibus nonnullorum Canonicorum istius Metropolitanæ, aliorumque Parochorum tam Civitatis quam Diœcesis, Eminentissimi PP. Sacr. Congregationis Concilii remittendum esse duxerunt arbitrio, et prudentiæ Eminentiæ Vestræ, cui proinde facultatem faciunt, ut Canonicos, et Parochos præscriptos, qui Fidei Professionem coram Ordinario, pro ut exponitur, erronee, et contra dispositionem Sacri Concilii Tridentini emittere prætermiserunt, ad novam Fidei Professionem faciendam coram Eminentia Vestra, sive ejus Vicario Generali admittere possit, eisdemque fructus suorum respective Beneficiorum a die adeptæ possessionis perceptorum, erogata tamen aliqua summa arbitrio Eminentiæ Vestræ taxanda in eleemosynam Christi Pauperum, liberaliter condonare valeat. Id Eminentiæ Vestræ significo, ejusque manus humillime deosculor.

Romæ 10 Novembris 1736.

Eminentiæ Vestræ

Humill. et addictiss. Servus.

A. card. GENTILI *pro eminentiss. præfecto.*

(24. Fidei professio exposcitur a Græcis ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ redeuntibus. Bened. XIV. Constit. incip. *Allatæ sunt*, § 17.

Alia ad rem. Vide verb. *Canonicatus* art. 4, per tot. tum additiones ex aliena manu ad verb. *Beneficiatus* art. 1, et ad verb. *Canonicatus* art. 4, et superius allata in verb. *Fides* a num. 47 ad 60.

Fidei, Spei, et Charitatis actus a Paroche elata voce emittendi in Missa Parochiali; vid. infra sub verb. *Parochus*.

FILIUS. FILII.

SUMMARIUM.

1. Filii alii sunt legitimi, et alii illegitimi, et qui sint legitimi, et naturales. — 2. Filii nati ex Matrimonio clandestino inito in gradu, licet ignoranter, prohibito, sunt illegitimi. — 3. Sic etiam illegitimi censendi sunt filii nati ex matrimonio inito a parentibus scientibus impedimentum legitimum, quamvis non clandestine, sed in facie Ecclesiæ præter omne interactum contrahere præsumpserint. — 4. Si autem unus tantum ex conjugibus ante matrimonium, vel ejus consummationem, scivit impedimentum dirimens, alter vero idem ignorans bona fide contraxit, et consummavit matrimonium, filii inde nati censendi sunt legitimi. — 5. Talis autem bona fides ex parte saltem unius conjugis debet perseverare, et adesse etiam tempore conceptionis, aliter si ante prolis conceptionem ei innotescat impedimentum dirimens, et consequenter cesset bona fides, proles erit illegitima. — 6. Si cum dubio de latente impedimento, et non adhibita debita diligentia ad indagandam veritatem, conjuges contrahant et consummant matrimonium, postea impedimentum detegatur, filii ex tali matrimonio procreati, erunt illegitimi. — 7. Si autem dubium superveniat matrimonio jam contracto, et consummato, filii concepti stante hoc dubio erunt legitimi, quamvis lis de valore matrimonii in foro externo esset mota, et adhuc pendens, dummodo ante sententiam sint concepti. — 8. Filii nati septimo mense post initum matrimonium habendi sunt pro legitimis. — 9. Etiamsi nascantur ad initium dicti mensis. — 10. Sic etiam legitimi sunt habendi filii illi qui nascuntur mense decimo. — 11. Filii autem, qui nascuntur undecimo mense jam completo ordinarie pro illegitimis habentur. — 12. Filii nati duobus diebus post decem menses, seu etiam circa medium undecimi mensis, secundum multos censendi sunt legitimi, maxime si Mater sit bonæ famæ, et Maritus usque ad ultimum suæ vitæ fuerit aptus ad generandum. — 13. Immo multi volunt, quod in casu extraordinario etiam post completum undecimum mensem filius natus reputandus sit legitimus, præsertim, si mater nedum sit optimæ famæ, sed etiam sit cujusdam specialis corporalis dispositionis, et complexionis. — 14. Filii stante matrimonio nati censendi sunt legitimi, quamvis constet uxorem pluries adulterasse, et ipsi filii magis assimilentur adultero, quam Matris Marito. — 15. Limita tamen in casu, quo ex Mariti absentia, infirmitate, vel alio impedimento probetur tempore conceptionis non potuisse Maritum copulam habere cum uxore. — 16. Filii censendi sunt legitimi, quamvis Mater fateatur esse adulterinos, *et n.* 114 *et seq.* — 17. Filii expositi, quorum parentes ignorantur, an censendi sint legitimi nec ne, *ad num.* 20. — 21. Filii illegitimi qui sint. — 22. Filii illegitimi alii sunt Naturales; alii Spurii et alii ex damnato coitu. — 23. Naturales qui sint de jure Canonico. — 24. Et qui sint de jure civili. — 25. Qui sint *Manzeres*. — 26. Qui sint *Bastardi*. — 27. Qui sint *Spurii* de Jure Canonico. — 28. Qui sint *Spurii* de Jure Civili. — 30. Filii *ex damnato coitu*. — 31. Horum *Spuriorum*. — 32 ad 38. Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens Matrimonium, et quomodo. — 39. ad 42. Filii ex damnato coitu, quomodo per subsequens Matrimonium legitimentur. — 43 ad 45. Effectus hujus legitimationis. — 46. Filii illegitimi legitimantur etiam per Rescriptum Principis. — 47 ad 56. Qui Principes possint legitimare et ad quos effectus. — 57 ad 69. Illegitimi quoad Ordines, Prælaturas et Beneficia. — 70 ad 75. De filio Presbyteri quoad Beneficium Patris. — 76 ad 80. Filiusfamilias quatuor præstare tenetur parentibus. — 82 ad 86. De furtis Filiifamilias in bona paterna. — 87 ad 90. De ejus salario. — 91 ad 99. Quo ordine debeat filius parentibus et propinquis subvenire. — 100 ad 104. Filius quando ob Patris necessitatem Religionem ingredi prohibeatur, vel jubeatur relinquere. — 105 ad 112. De filii venditione in subventionem parentum. — 113 ad 117. Filius non tenetur credere Matri asserenti ipsum non esse legitimum. — 118 ad 125. Quot modis filius liberetur a patria potestate. — 126. Filii alendi sunt a suis parentibus. — 127. Non solum legitimi, sed etiam spurii. — 128. Mater tenetur alere filium primo triennio, et pater post triennium usque ad emancipationem. — 129. Nomine alimentorum respectu Matris intelligitur solum lac. — 130. Si autem Mater nequeat ipsa lac præbere

Digitized by Google

filio, tenetur Pater suis expensis Nutricem conducere. — 131. In defectu Patris tenetur alere filios avus paternus vel alii ascendentes, et in defectu Mater. — 132. Deficiente autem Matre, tenetur filios alere Avus, aliique ascendentes Materni. — 133. Filii, etiam Spurii, alendi sunt ab hæredibus parentum, aut a Fisco. — 134. Clericus potest filio Spurio alimenta suppeditare etiam ex bonis Ecclesiasticis. — 135. Supradicta tamen de præstandis alimentis filiis intelligi debent, si filii non possint habere unde se alant. — 136. Filii spirituales an alendi sint a Patribus spiritualibus, scilicet a Patrinis. — 137. Filii an possint, et ob quas causas exhæredari. *Remissive.* — 138 ad 141. Alia quoad Filios. *Remissive.* — 142 ad 146. Nonnulla ex operibus Bened. XIV. — 147 ad 148. An proles legitimetur per subsequens Matrimonium, si tempore conceptionis inhabiles erant Parentes ad Matrimonium. — 149 ad 151. An hujusmodi legitimatio locum habeat, si a morte primæ uxoris ad nativitatem prolis effluxerint 182 dies. — 152 ad 153. An legitimatio ex dispensatione in radice Matrimonii ad omnes effectus extendatur. — 154 ad 157. Legitimatio per subsequens quoad ejus effectus. — 158. De filio viduæ Naim.

(1. Filii alii sunt legitimi, et alii illegitimi. Comm. Legitimi, vel sunt legitimi tantum, quales sunt filii adoptivi, qui non a natura, sed a sola lege filii facti sunt, vel sunt legitimi, et naturales simul, et isti filii legitimi, et naturales sunt, et dicuntur omnes illi, qui ex vere legitimo Matrimonio, aut saltem putative tali, publice, seu in facie Ecclesiæ absque contradictione, ac bona fide inito, nati existunt. Communis; arg. l. *Filium* 6. ff. *de His. qui sui, vel alieni*, et princ. *Instit. de Patria potest.* et cap. *Cum inter* 1. *Qui filii sint legitimi*, ubi filii nati etiam in putativo matrimonio declarantur *legitimi* præcisis his verbis : « Filii eorum (qui bona fide nulliter contraxerant) non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice et sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur; Ideoque sancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerint, et qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, et quod in bona paterna hæreditario jure succedant, et de parentum facultatibus nutriantur » (2. Dicitur autem notanter « aut saltem putative tali publice, seu in facie Ecclesiæ, et absque contradictione inito, » quia in cap. *Cum inhibitio* 3. *de Clandestin. Despons.* expresse statuitur, quod si quis *clandestine*, seu sine prævиis denunciationibus, aut contradicente Episcopo, vel Parocho, « Matrimonium inire præsumpserit in gradu prohibito (Consanguinitatis, v. g. vel affinitatis) etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. » Et subjungitur ratio his verbis : « Cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. »

(3. Dicitur etiam notanter *ac bona fide inito*, quia in d. c. *Cum inhibitio* statim sic expresse subjungitur : « Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint. » (4. Si autem unus tantum ex conjugibus ante matrimonium, vel ejus consummationem scivit impedimentum *dirimens*, alter vero idem ignorans bona fide contraxit, et consummavit matrimonium, filii inde nati reputantur legitimi, quia textus cit. cap. *Cum inhibitio* dicit *ambo parentes*, et sic recte docet Glossa communiter recepta ibidem in d. verb. *Ambo parentes*, et habetur clare in cap. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, et tenent ibi Barbosa n. 2. et Abbas num. 3. et alii communiter. (5. Talis vero bona fides ex parte saltem unius conjugis debet perseverare, et adesse etiam tempore conceptionis, aliter si ante prolis conceptionem ei innotescat impedimentum dirimens, et consequenter bona fides cesset, proles erit illegitima, arg. cap. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi;* Pirhing. l. 4. *Decret.* tit. 17, n. 14. Pontius l. 11, cap. 8, num. 3, et communis aliorum.

(6. Si cum dubio de latente impedimento, et non adhibita debita diligentia ad indagandam veritatem conjuges contrahant, et consumment matrimonium, et postea impedimentum detegatur, filii ex tali matrimonio procreati, erunt illegitimi; c. *Cum inhibitio* 3, *de clandestina Desponsat.* Et ratio est, quia adesset ignorantia affectata, quæ æquiparatur scientiæ; arg. l. *Ne supina* 6, ff. *de Jur. et fact. ignor.* et c. *Eos* 2, *de temp. ord.* in 6, ibi : « Qui scienter, vel affectata ignorantia. » (7. Si autem dubium superveniat Matrimonio jam contracto, et consummato, filii concepti stante hoc dubio erunt legitimi, quamvis lis de valore Matrimonii in foro externo esset mota, et adhuc pendens, dummodo ante sententiam sint concepti, arg. cap. *Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi*, ibi : « Qui concepti fuerant ante sententiam, non minus habeantur legitimi, » et sic Barb. ibi cum communi aliorum.

(8. Filii nati septimo mense post initum matrimonium habendi sunt pro legitimis, textu expresso in l. septimo 12, ff. « de statu hominum ibi septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem Doctissimi Viri Hippocratis; et idcirco credendum est, eum qui justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse. » (9. Etiamsi nascantur ad initium dicti septimi mensis; arg. l. *Intestato* 3, § fin. ff. *de Suis et legit.*, ubi expresse deducitur : « eum, qui centesimo octogesimo secundo, idest 182 die natus est, justo tempore videri natum, » quod tempus ut clare patet septem menses solum inchoatos constituit. (10. Sic etiam legitimi sunt habendi filii illi, qui nascuntur mense decimo; l. *Gallus* 29, ff. *de Lib. et Posthum.* ibi : « Si post mortem in decem mensibus proximis natus erit, hæres sunto. » (11. Filii autem qui undecimo mense jam completo nascuntur, ordinarie pro illegitimis habentur; l. *Intestato*, ff. *de Suis et legitim.* et *Novella* 19, c. 2, ibi : « Mulier, etc., undecimo mense perfecto peperit, ut non esset possibile dicere quia

Digitized by Google

de defuncto fuisset partus, neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est.» (12. Dicitur tamen notanter *Undecimo mense jam completo*, quia Glossa ad cit. *Novell.* verb. *Perfecto* vult, quod si filii nascantur duobus diebus post decem menses, seu etiam circa medium undecimi mensis, ut cum aliis vult Engel lib. 4 *Decret.* tit. 17, num. 7. Reiffenstuel *ibid.* num. 22. Haunoldus *de Justit. et Jur.* tract. 4, num. 139, censendi sint legitimi, maxime si Mater existat bonæ famæ, castis et honestis prædita moribus, et maritus usque ad ultimos suæ vitæ dies fuerit ad generandum aptus; arg. cit. *Novella* 39, cap. 2, ubi Imperator loquitur, de undecimo mense perfecto, seu completo: ibi: « Undecimo mense perfecto peperit, » (13. Immo multi volunt, quod in casu extraordinario etiam post completum undecimum mensem filius natus reputandus sit legitimus, maxime si Mater nedum sit optimæ famæ, sed etiam sit specialis cujusdam corporalis dispositionis, et complexionis, seu alia in ipsa concurrant, propter quæ ex Medicorum judicio potuerit sic tarde parere, ut quibusdam adductis exemplis probat sic evenisse Gothofredus in *Notit. ad cit. Novell.* 39, c. 2, litt. *C.* Quinimmo ex Judicio Parisiensi fuit reputatus legitimus partus quatuordecim mensium ex eo, quod inter alia concurrentia Mater esset honestissimis prædita moribus, ut refert Reiffenstuel. loc. cit. num. 23, et ratio est, quia delictum non præsumitur, donec probetur, arg. l. *Merito* 61, ff. *pro socio*, et cap. *Estote* 2, *de Regul. Juris*, et in dubio pro favore innocentium prolium sentiendum, ac judicandum est, arg. cap. *Ex 14 tenore Qui filii sint legitimi*, ibi: « In favorem prolis potius declinamus », et l. *Nuper*, Cod. *de Naturalibus liber*, ibi: « Et hoc favore sancimus liberorum. » Accedit quod « in dubiis semper benigniora præferenda sint; » l. *Semper* 56, ff. *de Regul. Juris.*

(14. Filii stante Matrimonio nati censendi sunt legitimi, quamvis constet uxorem pluries adulterasse, et ipsi filii magis assimilentur adultero, quam Matris Marito; arg. l. *Titium*, ff. *de His qui sui, vel alieni Jur.* ibi: « Non tamen ferendum, Julianus ait, eum, qui cum Uxore sua assiduo moratus noluit filium agnoscere quasi suum: » Et l. *Miles* 11, § *Defuncto*, ff. *ad Leg. Jul. de adult.* ibi: « Nam non utique crimen adulterii, quod mulieri, Infanti præjudicat; cum possit et illa adultera esse, et impubes defunctum Patrem habuisse.» In dubio enim favendum est proli; arg. cit. c. *Ex tenore*, et cit. l. *Nuper*. (15. Limita tamen in casu, quo ex Mariti absentia, infirmitate, seu impotentia, vel alio impedimento probetur, tempore conceptionis non potuisse maritum copulam habere cum uxore, tunc enim filius sic natus, esset censendus illegitimus, arg. c. *Causam* 4. *Qui filii sint legitimi*, et l. *Filium* 6, ff. *de His qui sui, vel alieni*, ibi: « Mihi videtur si constat aliquandiu maritum cum uxore non concubuisse infirmitate interveniente, vel alia causa... ut generare non possit, hunc, qui in domo natus est licet vicinis scientibus, filium non esse. » Communis.

(16. Filii censendi sunt legitimi, quamvis mater fateatur eos esse adulterinos, arg. c. *Per tuas, de Probationib.* Barbosa *ibid.* num. 3. et Abbas num. 4. Engel loc. cit. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. n. 11. ubi asserit, quod Legistæ communiter reputant fatuum filium, qui credit matri asserenti eum ex adulterio esse natum, alleganti enim suam turpitudinem nulla cum alterius præjudicio debetur fides; cap. *Officii* 9. et ibi Glossa *de Pœnit. et remiss.* Nicolius *in Flosculis* verb. *Fides* num. 14. aliter Mater odio habens aliquem filium facile posset ei præjudicare, et hæreditatem ei auferre. (17. Filios quoque expositos, quorum parentes ignorantur, censendos esse legitimos tenet Menochius *de Præsumptionib.* lib. 6. quæst. 54. num. 20. Mascard. *de Probationib.* concl. 799. Gonzalez in c. *Conquestus* 1. *Qui filii sint legitimi* num. 8. Reiffenstuel loc. cit. n. 14. Barbosa tit. *de Infant. et languid. exposit.* num. 3. et *de Offic. et potest. Episcop.* part. 3. allegat. 51. num. 150. ubi dicit hanc sententiam esse magis communem, et pro ea citat plusquam 24 Doctores, qui moventur ea ratione, quod in dubio sumenda est conjectura, quæ delicti præsumptionem excludat, cum delictum non præsumatur, donec probetur; arg. l. *Merito* 51. ff. *pro socio*, etc. *Estote* 2. *de Reg. Juris.* Adducunt etiam c. *Lator* 5. et c. *Pervenit* 11. *Qui filii sint legitimi*, ubi adversario injungitur onus probandi illegitimum esse filium; Et afferunt etiam c. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, et l. *Nuper*, Cod. *de Natural. lib.* ubi in dubio sit præsumptio pro favore prolis per verba adducta sub num. 13. Non enim solum ob pudorem, et metum infamiæ, sed etiam ob necessitatem parentum, instans periculum, vel aliam urgentem causam liberi exponi solent, ut patet in Moyse, Paride, et aliis. Vide infra n. 18. et seqq.

(18. Quod autem tales infantes expositi illegitimi censeri debeant, docent multi Doctores apud Amostraz. *de Causis piis* lib. 4. cap. 11. num. 73. et juxta communiorem, et tutiorem sententiam late Pignatell. tom. 7. consult. 34. per tot. Garcias *de Benefic.* p. 7. cap. 2. num. 9. et seq. ubi quod debeat attendi universalis causa projectionis, quæ verificari solet in illegitimis, et rarissime in legitimis, Corrad. in *Prax. dispen.* lib. 3. c. 2. num. 1. Rota in noviss. decis. 790. num. 2. Seraphin. decis. 1081. num. 3. ubi expositionem infantis in Hospitali Sancti Spiritus Urbis valde repugnare legitimæ filiationi, et Romæ expositi apud Hospitale prædictum pro illegitimis ab omnibus habentur, et dispensatione indigent; Mandos apud Garciam cit. part. 7. c. 2. nu. 6. Corrad. cit. num. 9. Gratian. disceptat. 34. n. 31. Garcias in addit. ad part. 7. c. 7. n. 7. Cardin. Petra *Comment.* 12. Const. 22. Sixti IV. n. 14. ubi sub n. 11. cum variis aliis dicit, quod tenenda sit tutior opinio, nempe quod censeri debeant illegitimi, quoad susci-

Digitized by Google

piendos Ordines, et indigeant dispensatione, cum urgens conjectura sit pro illegitimitate eorum projectio. (19. Et Sac. Congreg. Concilii in Sulmonensi 23. Februar. 1710, censuit: In casu, de quo agitur pro dispensatione ad cautelam, quia aderant conjecturæ hinc inde pro legitimitate. (20. Et hanc sententiam comprobat praxis Romanæ Curiæ, cum obtineantur pro expositis dispensationes Apostolicæ ad Sacros Ordines; Corrad. cit. num. 2 et num. 9, dicit Hospitale Sanctissimæ Annuntiationis Neapolis obtinuisse privilegium, quod inibi expositi promoveri valeant ad Ordines per Archiepiscopum Neapolitanum sine alia dispensatione, sicque hoc privilegium præsupponit illegitimitatem eorum.

(21. Filii illegitimi sunt illi, qui non nascuntur ex Matrimonio legitimo, vel saltem putative tali, bonaque fide in facie Ecclesiæ contracto. Communis, arg. l. *Filium* 6, ff. *de His qui sui; vel alieni*, et princ. *Institut. de Patria Potest.* et cap. *Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi* et cap. *Cum inhibitio* 3, *de clandestina Dispensatione.* (22. Filii illegitimi alii sunt, et dicuntur *naturales*, alii *spurii*, et alii *ex damnato coitu.* (23. Naturales de Jure Canonico sunt illi, qui nati sunt a parentibus solutis, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitatis suæ poterat esse legitimum matrimonium, sive dein Mater fuerit meretrix publica, sive concubina patris. Communis. (24. De Jure tamen Civili soli illi dicuntur *naturales*, qui nati sunt ex concubina soluta domi retenta a soluto, loco Uxoris, et non ex furtivo accessu; l. 1 et sequent. ff. *de Concub.* (25. Illi qui nascuntur ex scorto, seu publica meretrice solent vocari *manzeres*, vel *manseres.* Glossa in cap. *Nisi cum pridem* 10, *de Renuntiat.* verb. *Manzeres.* (26. Illi qui nascuntur ex soluta, quæ nec est concubina, nec publica meretrix, dicuntur *bastardi*, Reiffenstuel lib. 4. *Decretal.* tit. 16, num. 25, in fin.

(27. Spurii de Jure Canonico vocantur illi, qui sunt nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis non poterat esse matrimonium; arg. cap. *Quanta* 4. *Qui filii sint legitimi*, et dicuntur *spurii* a spurcitia per leges reprobata; Reiff. lib. 1. *Decretal.* tit. 17, n. 2. (28. De jure civili autem non solum præfati, sed etiam illi *spurii* dicuntur, qui a meretrice pluribus accessum præbente, ita ut certus pater demonstrari nequeat, gignuntur, arg. l. *Vulgo* 23, ff. *de Statu hominum*, ibi: « Vulgo quæsiti sunt qui patrem demonstrare non possunt, vel possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet, qui et spurii appellantur. » (29. Ex qua lege, ut vides, *spurii* appellantur etiam *quæsiti.*

(30. Filii *ex damnato coitu* dicuntur illi, qui nascuntur a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis potuit esse matrimonium. *Novella* 74, c. 6. Unde nati ex damnato coitu de Jure Canonico cum spuriis conveniunt. Immo etiam de Jure civili, excepto quod nati ex concubina de Jure civili etiam *spurii*, non vero ex damnato coitu, vocari possunt; l. 1. et sequent. ff. *de Concubin.* qui tamen concubinatus per Leges Ecclesiæ sublatus est; cap. 8. *Nemo* 4. caus. 32. quæst. 4. et Conc. Trident. sess. 24. cap. 8. *de Reformat.* (31. Horum *spuriorum*, seu notorum ex *damnato coitu* alii, sunt, et vocantur *nothi*, quia videlicet nascuntur ex conjugato, et soluta. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 27. n. 2. Alii *adulterini*, qui scilicet ex adulterio ex parte utriusque gignuntur. Alii *sacrilegi*, id est qui ex Religioso, aut moniali, vel clerico in sacris constituto generantur. Alii *incestuosi*, qui nempe ex parentibus affinitate, vel consanguinitate collaterali conjunctis nascuntur; § *Inter eas, Instit. de Nuptiis.* Alii *nefarii*, id est qui ex patre, et filia, aliorumque ascendentium et descendentium copula procreantur; § *Ergo, Instit. de Nuptiis.*

(32. Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium inter parentes eorum legitime contractum. c. *Conquestus* 1. et c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi* ibi: « Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. » Concordat. l. *Divi Constantini* 5. l. *Cum quis* 18. Cod. *de natural. Liber.* (33. Etiamsi Matrimonium non sit consummatum, sed præcise ratum. Encel. lib. 4. *Decretal.* tit. 17. num. 9. Pirhing. ibid. n. 36. Reiffenstuel. ibid. num. 13. Barbosa in c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi* et alii communiter. (34. Et hoc quamvis Matrimonium contrahatur a senibus infirmis aut etiam in periculo mortis. Barb. loc. cit. num. 8. Pirhing. loc. cit. Reiffenstuel. loc. cit. n. 32. Covarr. part. 2. *de Matrim.* cap. 8. § 2. num. 10. Pontius lib. 11. cap. 1. § 2. num 16. Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 13. q. 11. et communis aliorum. (35. Sive matrimonium immediate, vel mediate sequatur generationem filii illegitime nati, adeo ut legitimetur filius, quamvis pater ejus non statim cum matre, sed cum alia prius contrahat, et postea hac defuncta, matrimonium ineat cum Matre filii illegitimi. Pirhing. loc. cit. num. 36. Reiffenstuel. loc. cit. num. 33. Pontius loc. cit. num. 15. Abbas. in c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi* num. 3. Barb. ib. num. 7. alii communiter. Et ratio est, quia Jura allegata supra num. 32. plus non requirunt, quam ut matrimonium legitimum inter parentes prolis illegitimæ sequatur, nec specificant an mediate, vel immediate fieri debeat, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, *de Privil.* et l. *de Pretio*, ff. *de Publiciana in rem action.* eo vel maxime quod favores sunt ampliandi, cap. *Odia* 15. *de regulis Juris* in 6. ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » præsertim quando agitur de favore liberorum: cap. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, ibi: « In favorem prolis potius inclinamus. »

(36. Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium, etiam si fuerit clandestine contractum, dummodo fuerit validum, uti est in locis, ubi Concil. Trid.

Digitized by Google

non est receptum; Barb. in cit. c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, Sanchez. lib. 3. disp. 44. num. 2. Pirhing. loc. cit. num. 36. Reiffenstuel loc. cit. num. 34. et alii. (37. Quinimo filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium, etiamsi tale matrimonium non sit verum, sed tantum putativum ratione bonæ fidei, et ut verum existimatum; Si quis enim ex consanguinea fornicario concubitu suscipiat prolem, et postea ignarus consanguinitatis cum ea contrahat bona fide matrimonium, proles illa erit legitima, ratione talis subsequentis matrimonii; arg. c. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*. Gonzalez. in cap. *Cum inter* 2. eod titul. num. 6. Pirhing loc. cit. num. 36. Pontius lib. 7. cap. 1. § 2. num. 13. Covarruv. in 4. *Decretal.* part. 2. c. 8. § 2. Gabriel in *commun. Conclus.* lib. 6. *de Legitim.* Conclus. 1. n. 4. et 5. et alii: Et ratio est, quia filii nati ex putativo matrimonio pro legitimatis declarantur, textu expresso in cap. *Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi*, ergo filii prius illegitime nati per subsequens putativum matrimonium legitimantur; non enim apparet ratio cur idem matrimonium putativum habeat vim faciendi ut filii legitime nascantur, et non habeat vim legitimandi filios prius illegitime natos. Tum quia in dubiis favorabilior Juris interpretatio est assumenda; cap. *Estote* 2, *de Regulis Juris*, præsertim cum agitur de favore liberorum; c. *Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*. (38. Non desunt tamen magni nominis Doctores contrarium sentientes, ut Abbas in cap. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi;* Engel lib. 4. *Decretal.* tit. 17, n. 9. Reiffenstuel *ibid.* num. 36. Zoesius *ibid.* num. 13. Fachin. lib. 1. *Controv.* cap. 55. Molina tom. 1, tract. 2, *de Justitia et Jure* disp. 172, num. 11, et alii.

(39. Filii spurii, seu nati ex damnato coitu, id est a parentibus inter quos nec tempore conceptionis, nec nativitatis poterat esse matrimonium, per subsequens matrimonium non legitimantur. Communis Doctorum, arg. cit. cap. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, in cujus summario sic præcise habetur: « Naturales legitimantur per subsequens parentum conjugium. Spurii vero non. » (40. Hoc tamen procedit in casu, quo uterque parens scit tale impedimentum contrahendi inter se pro tunc matrimonium, ex quo v. g. unus reperiatur uxoratus, et sic filius sciente utroque parente susceptus sit ex adulterio. Non autem in casu, quo unus ex parentibus sciverit, et alter ignoraverit; tunc enim bona fides alterius parentis ignorantis adulterium facit, ut filius ille legitimus fiat subsecuto inter eosdem parentes matrimonio, textu expresso in cap. *Ex tenore* 14, *Qui filii sint legitimi*, et tenet communis Doctorum. (41. Dicitur autem notanter, « inter quos nec tempore conceptionis, nec nativitatis poterat esse matrimonium, » quia si parentes fuerint inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium pro tempore quo fuit concepta proles, et facti sint habiles pro tempore quo proles nata est, ut si v. gr. vir vivente uxore sua aliam imprægnet, et postea uxor moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimatur per subsequens parentum matrimonium. Engel. lib. 4. *Dec.* tit. 17, num. 11. Reiffenst. *ibid.* num. 39. Covarr. *de Matr.* p. 2, c. 8, § 2, num. 2. Pontius lib. 11, cap. 3, num. 2. Sanchez lib. 8, disp. 7, num. 19. Molina cit. disp. 172, num. 4 et alii plurimi. Et ratio est, quia universaliter in quæstionibus, in quibus est dubitatio de statu liberorum attenditur tempus partus, vel conceptionis, prout nempe exigit favor, aut utilitas liberorum, textu expresso in l. *Nuper.* 11. Cod. *de Natural. lib.* et concordat *Novell.* 89, cap. 8. (42. Sic etiam per subsequens matrimonium legitimatur proles concepta tempore, quo parentes ratione affinitatis, vel consanguinitatis erant inhabiles ad contrahendum inter se, si ante nativitatem, sublato per dispensationem Apostolicam impedimento, facti sint habiles, et matrimonium contraxerint. Barb. in cap. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi* num. 31. Reiff. loc. cit. n. 41, et alii passim.

(43. Legitimati per subsequens matrimonium habentur in omnibus pro vere legitimis perinde ac si ab initio ex legitimo matrimonio concepti fuissent, unde æque ac legitime concepti succedunt in hæreditate ex testamento, et ab Intestato, sunt habiles ad Ordines, et Dignitates, tum sæculares, tum Ecclesiasticas, arg. cit. cap. *Tanta*, et l. *Cum quis* 10, *de Natural. lib. Novell.* 12, c. 4. *Novell.* 74, c. 2, § 2. *Instit. de Hæred. ab intest.* et sic communis Doctorum cum Glossa in cit. cap. *Tanta*, verb. *Legitimi*, ubi pro ratione adducit, quod per subsequens matrimonium omnia præcedentia purgantur. (44. Legitimatis per subsequens matrimonium possunt dari litteræ, seu attestationes, quod sint legitime nati, et sic legitimati veniunt in dispositione hominum, et statutorum volentium, quod quis debeat esse legitime natus. Richter p. 2, decis. 80, num. 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 43. (45. Ex speciali tamen dispositione Sixti V facta anno 1590, in Constit. incip. *Postquam verus*, tales legitimati per subsequens matrimonium non possunt promoveri ad Cardinalatum.

(46. Filii illegitimi, nedum legitimantur per subsequens matrimonium, sed etiam per Rescriptum Principis. Communis. Et quidem Papa habet potestatem legitimandi quoscumque illegitimos quoad ordines, honores, dignitates, ac Beneficia Ecclesiastica ubique terrarum, et quoad successionem hæreditariam, honores, et dignitates sæculares in Terris temporali suæ jurisdictioni immediate subjectis; Communis, textu expresso in cap. *Venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*. (47. Immo potest Papa legitimare illegitimos quoscumque, etiam quoad successionem in hæreditate, et bonis temporalibus in Terris alienis, non tamen solet regulariter hoc facere. Pirhing lib. 4. *Decret.* tit. 17. num. 43. Barbosa in cit. cap. *Per Venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*, num. 3. ubi pro hac sententia citat

Digitized by Google

Hostiensem, Goffredum, Germonium Præpositum, et Sac. Rotam Romanam, quæ, ut observat ipse, reprobat omnes alios contrarium sentientes. (48. Et revera in casu extraordinario, et ubi communis necessitas, vel alia ardua causa urgeat, posse Papam legitimare quoad temporalia etiam illegitimum non subditum, ultra quam quod concedunt omnes Doctores, habetur expresse in cit. cap. *Per Venerabilem* § *Rationibus igitur*, ubi Papa dicit hoc competere, tam ex Veteri, quam ex Novo Testamento, ibi : « Causam tam ex Veteri quam ex Novo Testamento trahentes, quod non solum in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in aliis Regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem causaliter exercemus. »

(49. Principes supremi superiorem non agnoscentes possunt legitimare suos subditos sæculares illegitime natos. (50. Communis ac certa. Ex privilegio possunt legitimare etiam Legati Sedis Apostolicæ, et Comites Palatini. Communis. (51. Ad quos autem illegitimos, et ad quæ se extendat eorum facultas legitimandi, desumendum est ex tenore Rescripti, aut privilegii a Supremo respective Principe eis concessi, quia eorum facultas non potest se extendere ultra tenorem Rescripti, arg. c. *Cum dilecta* 22. *de Rescript.* et l. *Diligenter*, ff. *Mandati*. (52. De jure solum illegitimi naturales, de consuetudine autem solent legitimari Rescripto Principis etiam omnes alii illegitimi. Comm. (53. Legitimati Rescripto Principis sæcularis non fiunt habiles, nisi ad effectus politicos, et sæculares, et nullatenus ad effectus Ecclesiasticos. Communis. (54. Legitimati vero a Papa fiunt habiles ad effectus Ecclesiasticos, et ad effectus politicos, maxime existentes sub ejus jurisdictione temporali. Communis. (55. Legitimati per subsequens matrimonium per omnia æquiparantur legitime natis, et etiam vocari possunt legitime nati, et comprehenduntur in dispositione hominum et statutorum requirentium, ut quis sit legitime natus, arg. l. *Cum quis* 10. *de Natur. lib. Novell.* 12. c. 4. *Novell.* 74. c. 2. § 2. *Instit. de Hæred. ab intest.* et c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, et ibi Glossa communiter recepta. (56. Non sic autem legitimati per Rescriptum Principis, qui in iis tantum æquiparantur legitime natis, ad quæ se extendit gratia Rescripti, quod est maxime attendendum, arg. cap. *Cum dilecta* 22. *de Rescriptis.*

(57. Illegitimi omnes prohibentur ordinari, nisi vel Religionem approbatam ingrediantur, vel cum aliquo rite fuerit dispensatum, textu expresso in c. *Ut filii* 1. *de filiis Presbyterorum ordinandis, vel non*, et in cap. *Is, qui* 1. eod. tit. in 6. (58. Illegitimi, si Religionem approbatam ingrediantur, possunt ordinari, non vero ad Prælaturam assumi; c. *Presbyterorum* 1. dist. 56. et cit. c. *Ut filii*. (59. Ad ordines majores et Beneficia Curata, sicut et ad Dignitates, Personatus, atque Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum dispensat cum illegitimis solus Papa, et is, cui nanc facultatem ex speciali privilegio concesserit, Communis. Et ratio est, quia irregularitas ex defectu natalium proveniens, est solius Juris positivi humani, seu Ecclesiastici, supra quod sine dubio Papa, et is, cui id concesserit, potest dispensare, textu expresso in cap. *Proposuit* 4. *de Concession. Præbendæ*. Et quod solus Papa possit dispensare ad supradicta, patet ex cap. *Nimis* 18. *de filiis Presbyterorum*, et cap. *Is, qui* 1. eodem tit. in 6. et cap. *Quamvis* 4. *de Præbendis* in 6. (60. Episcopus cum illegitimis dispensat quo ad Ordines minores, ac Beneficium simplex, et ad Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ, quoties non requirunt Ordinem Sacrum, cap. *Is, qui* 1. *de filiis Presbyter.* in 6. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* p. 2. alleg. 45. num. 20. et *de Canonicis et Dignitatib.* c. 13. num. 25. Zerola in *Praxi Episcopor.* quæst. 1. verb. *Canonica*, Garcias *de Benefic.* p. 7. cap. 2. num. 69. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 17. num. 11. et alii passim. (61. Dicitur autem, quoties non requirunt Ordinem Sacrum, quia, cum in tali Ordine nequeat dispensare Episcopus cum illegitimis ex c. *Ut filii* 1. *de Filiis Presbyterorum*, et c. *Is qui* 1. eod. tit. in 6. neque poterit dispensare in Beneficiis simplicibus, et Canonicatibus Collegiatæ, quoties requirunt Sacrum Ordinem; arg. cap. *Translato* 3. *de Constit.* ac notat Glossa in cap. *Is, qui* 1. verb. *Tale*, *de Filiis Presbyterorum* in 6. (62. Capitulum Sede vacante potest dispensare cum illegitimis in iis, in quibus potest Episcopus, cum succedat Episcopo in iis, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, sicut est talis dispensatio; Zerola p. 2. *Praxis Episc.* vers. *Capitulum*, § *Tertio*, Navarrus consil. 7. *de Filiis Presbyterorum*, Barbosa loc. cit. num. 25. Reiffenstuel loc. cit. n. 15. et alii passim.

(63. Filius illegitimus dispensatus ad Ordines minores, non censetur dispensatus ad Beneficium etiam simplex, quia hæc duo sunt separabilia, atque executio Ordinum potest stare sine Beneficio; Barbosa in tract. *de Appellativa verborum Signific.* verb. *Ordo* in 6. Reiffenstuel loc. cit. num. 21. Garcias *de Beneficiis* p. 1. cap. 6. num. 70. *et seq.* cum aliis ibi citatis. (64. Si vero sit dispensatus ad Ordines Sacros, hoc ipso videtur dispensatus ad obtinendum simplex Beneficium, ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur; arg. c. *Proposuit* 6. *de Filiis Presbyterorum*, ibi : « Quia indignum est, ut ipse postquam est in Subdiaconatu ordinatus, omnino debeat Ecclesiastici Beneficii provisione carere, » etc. et ibi : (65. Glossa verb. *Carere*, Abbas num. 1. et alii. Illegitimus simpliciter dispensatus ad Beneficia non potest obtinere nisi unicum, non autem duo simul, textu expresso in cap. *Is, qui* 1. *de Filiis Presbyteror.* in 6. § *Ille vero*, ibi : « Nisi unicum Beneficium obtinere. » (66. Sic dispensatus simpliciter ad Beneficium potest solummodo obtinere simplex, non autem Beneficium Curatum, Dignitatem, aut Personatum, Garcias *de Beneficiis* p. 1. c. 6. num. 59. citans Rotam decis. 2. *de Filiis Presbyterorum*, in novis,

Digitized by Google

Rebuff. tit. *de Dispensatione super defectu natalium* num. 51. et seq. Reiffenstuel loc. cit. num. 19. Barbosa, et alii passim. Et ratio est, quia talis dispensatio veluti odiosa est stricte interpretanda, sicque ly *Beneficium* simpliciter positum, pro solo simplici accipi debet, arg. cap. *Nimis* 18. *de Filiis Presbyteror.* et cap. *Is, qui* 1. eod. in 6. et c. *Quamvis plenissima* 4. *de Præbend.* in 6.

(67. Filius illegitimus nequit in Ecclesia, ubi Pater ejus beneficium habet, vel habuit, quodcunque Beneficium obtinere, cap. *Ad præsentiam* 2. cap. *Cum decorem* 15. et cap. *Ad abolendam* 16. *de Filiis Presbyteror.* et expresse Concilium Trid. sess. 25. c. 15. *de Reformat.* ibi : « Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat Filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt Matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum Patres Beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere. Nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. » (68. Immo Filius illegitimus in tali Ecclesia nec etiam potest sacristam, Musicum, aut alium ministrum agere, ut colligitur ex Concil. Trid. loc. cit. ibi : « Nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, » et sic fuisse decisum a Sac. Congreg. refert Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* p. 3. allegat. 65. n. 20. et tenent Navarr. consil. 1. quæst. 17. *de Constit.* Garcias *de Beneficiis* part. 3. c. 3. num. 68. Reiffenstuel loc. cit. num. 31. et alii passim. (69. Etiamsi fuerit illigitime natus ante Clericatum parentis ; et ratio est, quia etiam illegitime procreatis ante Clericatum urget ratio allata a Concil. Trident. loc. cit. scilicet : « Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis arceatur, » et sic fuisse a Sacra Congregat. decisum refert Garcias loc. cit. cap. 3. numer. 15. et sequitur Barbosa loc. cit. allegat. 65. numer. 6. cum aliis.

(70. Filius Presbyteri quamvis legitimus, id est procreatus legitime ante Clericatum, nequit immediate succedere in Beneficio paterno, textu expresso in c. *Quoniam* 10. et c. *Ad extirpandas* 11. et c. *Michael.* 13. *de fil. Presbyt.* (71. Potest tamen Filius legitimus Presbyteri succedere mediate in Beneficio paterno, textu expresso in c. *Ex transmissa* 2. *de Filiis Presbyteror.* Barbosa loc. citat. alleg. 65. num. 16. Garcias loc. cit. cap. 3. numer. 18. Pirhing. lib. 1. *Decretal.* num. 50. Reiffenstuel. loc. num. 34. et alii communiter. (72. Filius legitimus Presbyteri potest habere illud dissimile Beneficium in Ecclesia, in qua Pater ministrat, textu expresso in cap. *Ad hæc* 12. *de Filiis Presbyter.* (73. Immo Filius legitimus Presbyteri potest etiam præesse Ecclesiæ, in qua Pater sine titulo quandoque ministravit, textu claro in cap. *Constitutus* 8. *de Filiis Presbyter.* Tunc enim non fit successio in Ecclesia, vel beneficio, cum istud Pater non præhabuerit. (74. Solus Papa dispensat, ut Filius immediate succedat Patri in Beneficio, textu expresso in cap. *Dilectus Filiis* 17. *de Filiis Presbyteror.* (75. Potest tamen absque alia dispensatione Pater succedere immediate in Beneficio præhabito a suo Filio legitimo ; sic fuisse decisum a Sacra Congreg. Conc. 22 Decemb. 1594. refert Garcias *de Beneficiis* p. 7. c. 3. n. 29. et tenet Engel. lib. 1. *Decr.* tit. 17. n. 3. Reiffenstuel. *ibid.* num. 39 Barbosa *de offic. et potest. Episcop.* part. 3 alleg. 65. num. 17. et alii communiter.

(76. Filius familias (idem est de Filia familias) qui est filius naturalis, vel adoptivus sub patria potestate constitutus, quatuor præstare tenetur parentibus ; scilicet amorem, obedientiam, reverentiam, et auxilium. (77. Contra amorem graviter peccat filius, si signa odii parentibus ostendit, et aspere tractet, si torvis oculis fere semper eos intueatur, ac ita aspere et dure loquatur, ac si odio haberet, si grave malum v. g. mortem eis optet. Ad hoc faciunt duæ propositiones merito damnatæ ab Innocentio XI. die 2 Mart. 1679. *Prima*, quæ est in ordine 14 : « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia scilicet ei obventura est pinguis hæreditas. » *Secunda*, quæ est 15. in ordine : « Licitum est Filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. » (78. Contra reverentiam graviter peccat Filius, si parentes percutiat etiam leviter, si graviter contristet, ad gravem iram provocet, si maledicta, convitia, et hujusmodi in eos conjiciat, si pauperes despiciat vel nolit eos pro parentibus agnoscere, si in foro externo etiam de vero crimine accuset, extra crimen hæresis, proditionis, vel conjurationis in Principem, cum non est alius corrigendi modus. (79. Contra obedientiam graviter peccat Filius, si in re gravi sit inobediens circa ea quæ pertinent ad gubernationem domus, ad bonos mores, vel ad animæ salutem ; si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam, id est cum qua juxta suæ regionis praxim nequeat contrahere sine decore ; si sine justa causa nolit eam ducere, quam juste vult parens. (80. Contra debitum auxilium graviter peccat filius si non subveniat eis in gravi necessitate spirituali, vel corporali.

(81. Bona Filiorum familias alia sunt Castrensia, alia quasi Castrensia, alia Adventitia, et alia Profectitia. Quæ sint talia bona, et quid circa ipsa possint, vel non, Filii, vid. verb. *Bona* art. 4. a num. 38. usque ad finem. (82. Filius peccat graviter, et tenetur ad restitutionem, si rationabiliter invito Patre notabilem quantitatem subripiat de bonis paternis ; Communis. (83. Quæ autem sit notabilis quantitas sufficiens ad peccatum mortale, non satis conveniunt in hac assignanda Doctores ; Lessius enim lib. 2. cap. 12. dubit. 23. n. 76. *de Injurtis fortunarum ;* Navarr. Filiucius, et alii volunt filium non esse condemnandum pecca-

Digitized by Google

mortalis si duos, vel tres aureos auferat a Patre divite : secus si a Mechanico exiguæ fortunæ. Salas de hoc rogatus respondit, filium unicum Patris habentis annue mille quingentos aureos, posse sine mortali auferre singulis annis viginti vel triginta aureos, quod Lugo dist. 16. sect. 4. non improbat si parens non sit tenax, et filius jam adoleverit, simulque furetur ad usus honestos: Bonnes dicit ad furtum grave filii parentis prædivitis requiri saltem quinquaginta aureos, quod Lugo cit. disp. 16. num. 78. merite rejicit, nisi forte esset Filius principis, aut Magnatis; Ceneto apud Tamburin. lib. 8. t. 2. c. 5. n. 3. dicit non fore mortale, si filius intra annum non furetur ultra sexdecim solidos Hollandicos ; Fagundez, si non ultra quatuor, vel quinque. At quia in hoc generalis regula statui nequit; Sporer tom. 2. tract. 5. *in sept. et decim. præcept. Decalog.* cap. 3. sect. 2. num. 57. merito dicit, quod prudens Confessarius arbitrari debet, non solum ex materia ablata, sed etiam ex circumstantiis personarum, scilicet ex statu, et facultatibus parentis, ejus genio, et affectu in filium, ex filiorum pluralitate, vel paucitate ex filii accipientis ætate, et rei acceptæ usu, et similibus, semper tamen vitando extrema, ut nec temere peccati mortalis scrupulus iis injiciatur, nec etiam ansa præbeatur ad furandum nimium de bonis parentum.

(84. Filius peccat graviter, si expendat in res turpes, aut vanas (ut in ludum, in compotationes, in fœminas) contra voluntatem parentum notabilem summam ex pecunia sibi tradita ad honestos usus, v. g. ad emendos libros, vestes, ad solvendum didactra Magistris; Navarr. c. 17. num. 164. Lessius loc. cit. n. 77. et alii passim. (85. Insuper latis filius tenetur ad restitutionem, cum ad alium usum jus non habuerit, maxime si parens inde damnum acceperit, ita ut ratione talis mali usus facti a filio, plus quam expendisset, debuerit pater expendere. Et si non possit restituere, tenetur adducere in divisionem, nisi forte constet aliosfratres tantumdem expendisse, vel nisi parens condonaverit, aut pater et fratres tales vanas, et turpes expensas scientes non petant satisfactionem, quia in tali casu censentur condonare; Lessius l. c. n. 77. Burgh. centuria 2. cas. 36. et alii. (86. Si Filius alatur in loco distante a parentibus, poterit ex alimentis moderate aliquid insumere in usus honestos, et similes honestas recreationes, v. g. 5. ex 100. item illud, quod parcius vivendo reservat ex pecunia sibi emissa ; Communis. (87. Filius in domo paterna laborans probabilius non potest petere salarium, nec, si illud negatur, uti occulta compensatione : Glossa in l. *Cum oportet*, Cod. *de Bonis quæ liberis*, etc. verb. *Ejus substantia ;* Petrus Navar. lib. 3. c. 1. num. 75. Silvester verb. *Peculium* 2. quæst. 12. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 234. Diez in *Pract. qq.* q. 8. § 2. Layman. lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 8. num. 12. La Croix lib. 3. p. 1. num. 1084. aliique plurimi, quos citat. et sequitur Moya tom. 6. d. 4. q. 1. Et ratio est, quia Jura indistincte aiunt, quæ ex re, sive substantia patris proveniunt, ipsi patri acquiri. *Inst. Per quas personas nobis acquiritur* § 1. et c. l. *Cum oportet*, Cod. *de Bonis, quæ liberis*, etc. Quid enim magis rationis congruum est, inquit Card. de Lugo disp. 5. num. 44. quam ut filius agricolæ juvet patrem in agricultura, filius mercatoris in mercatura ? præsertim cum sic addiscant illas artes, ut inquit recte Molina l. c. addens non facile fore tam audacem filium, qui ideo petat salarium. Tum qui si salarium petat, pater juste subtrahit victum, et vestitum, non enim tenetur hæc dare filio potenti ea lucrari, adeoque salarium compensatur per sustentationem.

(88. Contraria tamen sententia est etiam probabilis et hanc post Bartolum sustinent Navar. cap. 17. num. 144. Angelus verb. *Peculium*. n. 11. Lopez. par. 2. *Instruct.* c. 21. Dicastil. l. 2. tom. 2. d. 9. num. 187. Burgh. cas. 80. Lessius lib. 2. cap. 12. num. 81. aliique apud Moyam t. 6. d. 4. q. 1. qui num. 7. vocat hanc sententiam probabilissimam ; Dian. par. 4. tom. 4. resolut. 66. vocat. tutam. Et ratio iterum est, quia talis filius est veluti socius negotiationis, neque debet esse deterioris conditionis, quam famulus, vel extraneus, qui cum hero lucretur juncta industria ; quod magis valet, si filius sit emancipatus, aut illegitimus, uti notat Sanchez in *Consil.* l. 1. cap. 2. d. 8. Vel si opera, et obsequia præstita non sint ex iis, quæ pater a filio potest jure paterno exigere, sed sint supra debitum filii, tunc enim, ut recte notat Lugo cit. disput. 5. n. 42. posset filius velle stipendium sibi reddi. (89. Si autem ob metum reverentialem Patris filius salarium petere non audeat vel probe sciat, si petat, se repulsam laturum esse, volunt citati Doctores pro secunda sententia, quod licitum sit filio uti occulta compensatione. (90. Quod tamen non auderem ego admittere, quia occulta compensatio non est licita, nisi ubi jus est certum, id est ubi moraliter certo constet rem esse tuam, aut tibi ex justitia deberi ; l. 4. *de Compensationibus*, ut dictum est verb. *Compensatio*, num. 3. et recte dicit La Croix lib. 3. part. 1. num. 962 et n. 1035. Jus autem filii non est hic certum, quia nostra sententia est saltem probabilis, adeoque, etc., et videtur sic tenendum etiam ratione propositionis 37. inter damnatas ab Innocentio XI. 2 Mart. 1679. ibi : « Famuli, et Famulæ domesticæ possunt occulte hæris suis subripere ad compensandum operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. »

(91. Filius in extrema necessitate Patris, et Filii proprii tenetur potius subvenire Patri, quam Filio, quando non potest utrique; D. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 9. ad tertium, Magister sentent. in 3. dist. 29. Abulensis in *Matth.* cap. XXII. qu. 311. Coninch. *de Caritate* disp. 25. num. 109. Ovied. *de Caritate* contr. 8. punct. 5. num. 106. Diana part. 10. tract. 13. resolut. 3. vers. *Sed ego in ejus favorem*, Busembaum lib. 2. tract. 3.

Digitized by Google

dub. 1. sub. num. 4. La Croix lib. 3. part. 1. num. 721. Sporer. tom. 1. tract. 3. in 4. *præcept. Decalog.* c. 6. num. 138. ubi dicit esse communissimam; Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 291. et num. 2040. et alii plurimi ex Theologis. Ex Juristis autem Cinus in lib. 2. in fine Cod. *de Patribus qui filios distrax.*; Ascanius *de Patria potest effectu* 16. num. 34. Bellamera in cap. *Parcimoniam* lib. 41. Præpositus in cap. *Cum haberet, de Eo qui duxit in Matrimonium*; (92. Surdus *de Alimentis* tit. 1. quæst. 94. num. 6. et varii alii. Immo multi volunt potius Patri, quam filio esse subveniendum etiam in alia æquali necessitate, quando non potest utrique; sic Paschalis *de patria Potest.* part. 2. cap. 3. num. 63. Pontanus *de Alimentis* tit. 1. cap. 9. num. 3. Præpositus in cit. capit. *Cum haberet, de Eo qui duxit in Matrimon.* Surdus *de Alimentis* tit. 1. qu. 94. num. 3. et sequent. Salicetus, seu Auctor ab eo relatus in lib. 2. num. 7. in fine; Cod. *de Patribus qui filios distrax.* et alii. Et ex Theologis D. Thomas 2. 2. qu. 26. art. 6. ad Tertium, Magister in 3. sent. dist. 29. Cajetanus 2. 2. q. 31. art. 1. ad quartum, Valentia 2. 2. disp. 3. q. 4. punct. 5. vers. octavo sequitur, Sanchez *de Matrimonio* lib. 9. disp. 4. num. 26. Suarez *de Caritate fraterna* disp. 9. sect. 4. n. Ovied. *de Caritate* controv. 8. punct. 5. n. 107. et alii plures apud Joannem Angelum Bossium tract. *de Effect. Matrimonii* part. 2. cap. 22. § 6. num. 1215.

(93. E contra multi alii tenent absolute oppositum, scilicet quod quis in concursu necessitatis Patris et Filii, tenetur potius alere filium; Sic Rocafull. in sua *Praxi quid agendum* part. 3. lib. 2. num. 45. Bartolus in lib. *Nam. quemadmodum*, ff. *de Liber. agnos* Paleotus in c. *Cum haberet, de Eo qui duxit in Matrimonium*, Merlinus *de Legit.* lib. 1. tit. 3. dec. 5. n. 32. Franciscus Maria Pratus *Lib. Practic.* observat. 891. Alexander in l. *Insuis*, num. 7. ff. *de Lib. et posth.* Fabr. in § *Jus naturale* num. 8. *Instit. de Jure nat.* Ancharanus in cap. *Cum haberet*, n. 13. *de eo, qui duxit in Matrimonium*, Corduba a Lara in l. *Si quis a liberis* in princip. num. 35. ff. *de Lib. agnosc.* Joannes de Lignano in tract. *de Amicitia* § *de Subventione paterna, et filiali numer.* 16. Andisiodorensis l. 3. *Summæ* tract. 3. c. 5. Fagundez. *in Decalogum.* lib. 4. cap. 1. num. 12. et alii apud Bassium loc. cit. num. 1213. et 1214. et sequent. et fuse Rosignolus Contract. XV. *de Matrim.* disp. 2. § 19. n. 5. ubi absolute concludit, quod etiam stante extrema necessitate utriusque, potius sit subveniendum filio quam Patri, et adducit varias probationes, et resolvit argumenta contraria. Sic etiam tenent in tomo *de Patria Potestate* discept. 3. cap. 4. num. 25. et 26.

(94. Filius in extrema necessitate Matris, et Filii proprii, quando non potest utrique subvenire, tenetur etiam potius subvenire Matri, quia antiquius et excellentius debitum est erga parentes, qui nobis existendi causa, et principium post Deum fuerunt. (95. Unde æquitas postulat, ut in extrema necessitate eos ab interitu ante omnes alios liberando, eis veluti vicem rependamus, et quidem patri prius, et potius quam matri, quia pater priorem, et excellentiorem principii locum, et ordinem obtinet, quam mater, sicuti notaverunt S. Hieronymus in cap. 44. *Ezechieles*, S. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 20. Richard. dist. 29. art. 1. quæst. 9. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 3. n. 6. Sporer loc. cit. num. 138. ubi testatur esse communissimam. (96. Filius in extrema necessitate tenetur subvenire potius Patri, et Matri, quam propriæ Uxori; Communis cum S. Thoma loc. cit. art. 9. et Magister Sent. in 3. dist. 29. teste Sporer loc. cit. propter rationem numero antecedenti assignatam. Immo prius quam uxori tenetur in extrema necessitate potius succurrere propriis filiis, quia potior est conjunctio parentum ad filios tanquam aliquid sui existentes. Hanc quoque Sporer loc. cit. dicit esse communissimam, quamvis alii non improbabiliter aliter sentiant.

(97. Extra autem extremam necessitatem debet potius filius subvenire propriæ uxori, quam parentibus, et filiis, quia Maritus cum Uxore sit una caro, Genes. 2. *Relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhærebit Uxori*, et ad *Ephes.* 5. *Vir diligit Uxorem tanquam carnem suam*; Sporer loc. cit. n. 139. et alii passim. (98. Sunt tamen qui volunt nedum in extrema, sed etiam in gravi necessitate debere Filium potius subvenire Patri, et Matri, quam Uxori, et Filiis; Sic Tamburinus l. 5. c. 3. § 5. (99. La Croix lib. 3. part. 1. num. 722. et alii. In communi necessitate tenetur Filius potius subvenire proli suæ, quam parentibus, quia proles est sub cura parentum, et ab illis etiam extra extremam et gravem necessitatem jure postulat alimenta, non item parentes; 2. enim ad Corinth. cap. XII. sic habetur: *Non enim debent Filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*; Communis. Vide verb. *Necessitas.*

(100. Filius quantumvis obstrictus voto Religionis non potest Religionem ingredi existentibus parentibus in extrema necessitate, cui non possint obsistere sine ope Filii: Communis cum S. Thoma 2. 2. qu. 101. art. 4. ad tertium et quartum; Silvester verb. *Religio* 6. quæst. 9. Navarr. in *Manual.* cap. 14. num. 14. Astens. in summa part. 1. lib. 1. tit. 24. art. 3. qu. 4. Cajetan. 2. 2. qu. 189. art. 6. Nec officit, quod Filius sit vinculo voti obstrictus, quia ut recte notat Joannes Angelus Bossius *de Effect. Matrimon.* part. 2. cap. 23. num. 268. et Rosignol. *de Patria potest.* discept. 3. n. 17. obligatio naturalis subveniendi parentibus extreme indigentibus antiquior est, et fortior obligatione voti, nec voto tolli potest. (101. Si Filius existentibus suis parentibus in extrema, vel gravi necessitate Religionem ingrediatur, et profiteatur professio est valida, sed illicita, unde si aliter ipsis subvenire nequeat, tenetur exire. Non tenetur autem, nec potest exire, si sine egressu possit ipsis subvenire suis

Digitized by Google

operibus, et industria, v. g. si a pœnitentibus, aliisque sibibenevolis petat eleemosynas ad subveniendum suis parentibus in extrema, seu gravi necessitate constitutis, vel si ex sibi a Religione attributis aliquid subtrahat, et illud conferat parentibus, vel si impletis consuetis muneribus præstandis in favorem Monasterii, se exerceat in pingendo, scribendo, concionando, vel aliis operibus, ex quibus mercedem, seu eleemosynam aliquam acquirat, et conferat in subventionem Parentum, petita facultate a Superiore, et hujusmodi; Valentia 2. 2. disp. 7. q. 1. punct. 2. vers. *Puto omnes;* Suarez tom. 3. *de Relig.* c. 6. n. 10. Sayrus lib. 1. *Clavis* c. 6. num. 17. La Croix lib. 4. n. 180. Rosignol *de Patria potest.* l. c. n. 39. et alii passim.

(102. Filius Religiosus professus nequit e Religione exire ad subveniendum suis parentibus in extrema, vel valde gravi necessitate, nisi accedat suorum Superiorum placitum et facultas; S. Thom. 2. 2. quæst. 201. art. 4. et ibi Cajetanus, et quodlib. 3. art. 16. et quodlib. 20. art. 9. Alexander tertia part. quæst. 33. memb. 4. quæst. 2. Astensis in *Summæ* prima parte lib. 1. tit. 24. art. 3. quæst. 4. Liranus in *Matth.* cap. xv. Silvester verb. *Religio* 6. quæst. 9. Tabiena verb. *Pietas* num. 3. S. Antoninus, Armilla, Sa, Sanchez, Layman, aliosque plures allegat Joannes Angelus Bossius part. 2. *de Effect. Matrim.* cap. 24. num. 1297. La Croix lib. 5. n. 180. Et ratio est, quia professus in Religione non habet posse, nec velle, cum suam voluntatem, seque ipsum transtulerit in potestatem Religionis, a qua in omnibus dependere debet, adeo ut quidquid agit contravoluntatem Superiorum ejusdem, inique agat, et consequenter non accedente Superiorum consensu, non poterit a Religione exire ad subveniendum extremæ, seu valde gravi necessitati parentum, cum talis necessitas superveniens professioni jam emissæ inveniat subjectum impotens ad sic subveniendum. (103. Non desunt tamen magni nominis Doctores sustinentes, posse Filium e Religione exire etiam contra voluntatem suorum Superiorum ad subveniendum parentibus in tali necessitate, quia dicunt ipsi, professus adhuc manet Filius, et obligatio Filii erga parentes ita est naturalis, et intrinseca, ut nequeat per ullum statutum eximi; Sic Palatius in 4. *dist.* 38. *disp.* 1. Silvius part. 1. verb. *Egressus e Monasterio;* Viguerius lib. *Instit.* cap. 6, § 7. aliique plures apud Sanchez in *Decalog.* lib. 4. cap. 20. n. 25. et apud Mendo d. 3, n. 2, et apud Rosignol *de Patria potest.* loc. citat. n 49.

(104. Filius familias si sui parentes non sint in extrema, vel gravi necessitate constituti, potest etiam ipsis invitis statum Religiosum assumere: S. Thom. 2. 2. qu. 189. art. 6. Bartolus in l. § *Si parens,* ff. *Si quis a Parent. fuer. man.* Palatius in cap. *Per vestras,* § 11. n. 1. *de Donat. inter Vir. et Uxor.* et communis aliorum. Et ratio est, quia Filius in statu eligendo est sui Juris, præsertim in his quæ sunt Divini obsequii; Tum quia magis est obediendum vocanti Deo quam parentibus carnalibus; Hinc Christus Matth. 8 reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ; Et S. Hieronymus in *Epist. ad Heliodorum,* quam refert D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4. ait: « Per calcatum perge Patrem, per calcatam perge Matrem. Ad vexillum Crucis evola, summum genus pietatis est in hac re fuisse crudelem. »

(105. Filius non solum inspecto jure naturali, sed etiam jure civili potest vendi a patre in extrema et valde gravi necessitate, cui aliter subveniri non possit. Quod hoc possit de jure naturali, colligitur ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ, ubi habentur plures venditiones filiorum factæ a parentibus, ut 2, *Nehemiæ* c. 3, *Exod.* 21, *Deuteron.* 19, quæ tamen ibidem non reprobantur, et certe non subsisterent, si essent jure naturali vetitæ, et sic tenent Covarr. *Variar. resolut.* lib. 3, cap. 14. Angelus verb. *Servitus* n. 1. ad fin. Sotus *de Instit.* lib. 4. quæst. 2 et in quarto dist. 29. qu. 1. art. 4. Silvester verb. *Emptio*, q. 3, num. 6. Rosella, verb. *Emptio*, n. 26. Tabiena verb. *Emptio*, n. 7. ad fin. Azorius *Instit. moral.* p. 2. lib. 2. c. 19. vers. *Mihi vero probatur,* et alii passim. Quod hoc etiam possit de Jure civili, colligitur ex textu in l. 2. Cod. *de Patrib. q. fil. distrax.* et sic tenet Salicetus *in d. l.* 2. n. 1. ff. *de Patrib. qui fil. distrax.* et ibi Baldus num. 3. et Glossa, Navarr. in *Manual.* cap. 13. n. 24. Rubellus *de Obligat. just.* p. 1 lib. 1. quæst. 9. n. 9. Joannes Angelus Bossius tract. *de Patr. Potest.* cap. 3. num. 5. Villalobus *in Summa* tom. 2. tract. 10. diffic. 9. n. 7. Lessius *de Justit.* lib. 2. c. 5. vers. *Adverte.* Rosignol. *de patr. Potest.* l. cit. n. 5. et alii passim. (106. Immo antiquitus sancitum fuerat in lege Romuli, de qua mentionem faciunt Covarruvias *Variar. resolut.* lib. 3. cap 14. num. 3. vers. secundo, Azorius *Instit. moral.* part. 2. lib. 2. cap. 19. vers. *secundus effectus,* Rosignol. loco citato num. 1. quod absolute posset pater indistincte, et sine ulla necessitate filium cuicumque voluerit, vendere, sed barbara illa lex Romuli correcta est per textum in l. *Celsus,* et l. *Si in Emptione* § *Liberum.* ff. *de Contrahen. Empt.* l. *liberis* § *Si quis scient,* ff. *de liberorum Caus.* per quæ jura est absolute statutum, quod patres nequeant vendere, seu alienare filios, nec quisquam possit hominem liberum vendere.

(107. Filius tamen Sacerdos non posset a Patre vendi, neque in extrema egestate famis; Surdus *de Aliment.* tit. 8. privil. 38. n. 16. Barbosa *Collect.* ad l. 2. num. 8. Cod. *de Patrib. qui fil. distrax.* Covarruvias lib. 3. *Variar. resolut.* cap. 14. num. 4. Paschalis *de Virib. patr. potest.* part. 1. cap. 1 num. 15. Molina *de Justit. et jur.* tract. 2. disp. 35. vers. *Sciendum,* Azorius par. 2. lib. 2. cap 19. quæst. 6. vers. *Si verum roges;* Joann. Angel Bossius tract. *de patria Potest.* cap. 3, num. 9. et alii, qui omnes adducunt pro ratione privilegium concessum statui Sacerdotali, cui derogare nequit necessitas patris, cum venditio caderet in dedecus talis sta-

Digitized by Google

tus. (108. Nec filius, nec filia Matrimonio copulati possunt a parte vendi ob necessitatem famis ; Covarruvias lib. 3. *Variar. resol.* cap. 14. num. 5 et seq. Castropalus *de Justitia* tract. 1. disp. *unica* punct. 9. num. 6. vers. *At spectato;* Molina *de Justitia et Jur.* tract. 2. disp. 33. vers. *Sciendum*, Azorius *Instit. moral.* par. 2. lib. 2. cap. 19. vers. *Si iterum roges*, et alii : quamvis enim stando Juri communi filii, et filiæ per Matrimonium non solvantur patria potestate, quia tamen venditio illorum caderet in detrimentum alterius conjugis, facultas parentum ad illam non extenditur. (109. Nec etiam filius emancipatus potest vendi a Patre ob necessitatem famis ; Paschalis *de Vir. patr. potest.* part. 1. cap. 1. num. 12. Lessius *de Justitia* lib. 2. c. 5. num. 17. Pinellus in rubr. *Cod. de Bonis mater.* part. 2. n. 23. et alii magis communiter. Facultas enim concessa Patribus in cit. leg. 2. Cod. *de Patrib. qui filios distrax.* non est solum ratione sanguinis, sed etiam ratione patriæ potestatis, a qua sunt exempti filii legitime emancipati, per textum in § *Admonendi; Instit. quib. mod. jus patriæ potest. solv.* et l. *Cum in adoptionibus*, vers. *Si vero* in fin. Cod. *de Adopt.*

(110 Inspecto jure naturali, in extrema necessitate famis potest filius vendi etiam a Matre, et Avo, Filii enim de jure naturæ post Deum sunt obligati parentibus, a quibus esse acceperunt, adeoque parentum vitæ jure naturali compelluntur suam libertatem postponere. Hinc in Sacris paginis *Exod.* xxi. *Deuteron.* xv. *Nehemiæ* cap. 1. non solum in ordine ad Patrem, sed etiam ad Matrem permittitur talis venditio; sic tenent Covarruv. lib. 3. *Variar. resolut.* c. 14. num. 4. Sotus lib. 3. *de Just.* qu. 2. art. 2. Tiraquell. lib. 1. *de Retract.* § 26. num. 17. Ascanius Clemens *de patria Potest.* part. 2. cap. 1. num. 9. Molina *de Justitia* tom. 1. disp. 33. vers. *Sciendum*, Silvester verb. *Emptio* num. 6. Lessius *de Justit.* lib. 2. cap. 5. num. 17. et alii. (111. Inspecto autem præciso Jure civili, talis facultas vendendi filios ob famis extremam ægestatem non competit Matri, quia Mater non habet tantam potestatem in filios, quantam habet Pater, prout colligitur ex textu in l. *Transactione*, Cod. *de Transaction.* adeoque in hoc non venit nomine patris, cui specialiter hoc privilegium concessum est in cit. l. 2 Cod. *de Patribus, qui filios distrax.* quod, cum sit contra filium, adeoque contra jus tertii, non est extendendum, sed strictissime accipiendum ; arg. c. *Odia* 15. *de Regul. Juris* in 6. Et sic tenent Salicetus in d. l. 2. n. 2. Cod. *de Patribus, qui filios distraxer.* Et ibi Glossa verb. *Vendiderit*, Baldus n. 4. Pinellus *de Rubr.* part. 2. a num. 20. Cod. *de Bonis matern.* Gloss. in princip. *Instit. de patria Potest.* Ascanius Clemens *de patria Potest.* cap. 6. effect. 1 num. 20. Sanchez *de Matrim.* lib. 7. disput. 24. n. 16, et *Consil. moral.* lib. 1. cap. 1. dub. 13. num. 2. Rebellus *de Obligat. just* par. 1. lib. 1. q. 9. Joannes Angelus Bossius *de patria Potest.* c. 3. n. 28. Molina loc. cit. tract. 2. disp. 33. vers. *Sciendum*, et alii. (112. Nec etiam talis facultas inspecto præcise jure civili competit Avo, seu aliis Ascendentibus, quia quamvis appellatione Patris quandoque veniat etiam Avus, l. *Parentum appellatione*, ff. *de verb. Signific.* in lege tamen strictissima, in qua ex dispositione juris speciale privilegium consistit, venit solummodo pater naturalis; Salicetus in d. l. 2. num. 3. Cod. *de Patribus, qui alios distraxer.* Montalvus lib. 7. ad fin. tit. 17. part. 4. Barbosa collectan. ad d. l. 2. num. 10. Cod. *de Patribus qui filios distrax.* et ibi Baldus, Surdus *de Aliment.* tit. 8. privileg. 38. num. 20. Sanchez lib. 7. *de Matrim.* disp. 24. num. 16. et alii.

(113. Filius non tenetur credere Matri asserenti ipsum non esse legitimum. Mater enim est incerta ad dignoscendum, an conceperit ex coitu mariti, an vero adulteri, cum supponatur pro eo tempore cohabitare cum marito, prout colligi potest ex textu in l. 1. § *Si mulier.* ff. *de Lib. dignoscend.* ubi quod possit contingere casus, quod femina carnaliter cognita non sentiat conceptionem, adeoque ejus dicto non videtur firmiter credendum ; arg. l. *Lucius Titius* ff. *de Condit. demonstrat.* Tum quia alleganti suam turpitudinem, maximo ubi hæc potest esse in præjudicium tertii, ex vulgata regula non est fides præstanda; Glossa in cap. *Officii de pœnit. in remiss.* hocque satis evincit textus in l. *Mercedem*, Cod. *de Condit. ob turp. caus.* l. *Transactione*, Cod. *de Transact.* præcipue cum jura possint, semper præsumere, quod assertio fuerit ex odio, vel aliquo alio pravo prætextu, prout haberi videtur in l. fin. ff. *de Probat.* Sic tenet Bartolus in l. *Filius*, ff. *de Iis, qui sunt sui, vel alieni juris;* Menochius *de Arb. Judic.* lib. 2. cent. 1 cas. 89. num. 5. et num. 27. vers. *Extenditur quarto*, Mantica *de Conject. ult. volunt.* lib. 2. tit. 14. num. 8 Decius in cap. *Per tuas* num. 4. *de Probat.* Boerius dec. 299. num. 6. in fin. Joan. Nevizani in *Sylva nupt.* lib. 1. num. 50. vers. *Præsertim quando filius*, Rosignolus *de patria Potest.* discept. 1. cap. 7. num. 2. Suarez *de Censuris* disp. 50. sect. 4. n. 5. Bonacina *de His quæ pertinent ad usum Matrimonii* q. 4. punct. 15. n. 21. Sayrus, et alii plures.

(114. Filius nec pro foro interno tenetur sic credere Matri, prout signanter notat Mantica *de Conjectur. ult. volunt.* lib. 2. tit. 14. num. 6. et 27. Rosignolus l. c. n. 6. Filius enim ille habet fundatam intentionem suam in viribus matrimonii, cujus favor semper prævalet; argum. l. *Miles* § *Defuncto*, ff. *de Adult.* (115. Etiamsi Mater juret ipsum non esse legitimum, c. *Per tuas* 10. *de Probat.* et ibi Felinus in princip. et n. 14. et communiter Canonistæ, et ex Theologis Suarez tom. 5. *de Censur.* disp. 50. sect. 4. Silvester verb. *Adulterium* num. 5. Bannes 2. 2. qu. 62, art. 6. Bonacina *de iis quæ pertinent. ad usum matrim.* qu. 4. punct. 15. num. 22. et alii. (116. Etiam si Mater in exonerationem suæ conscientiæ juret in articulo mortis, et mandaverit suo Confessario, ut post suum obitum hoc propalaret, quia nihilominus filius non tenetur eidem credere ; Boerius dec. 229. n. 7. vers.

Digitized by Google

Et hoc etiam; Joan. Baptista de Barbobus *de Filiis famil.* quæst. 45. n. 15. Rosignol. loc. cit. sub num. 9. et alii. Unde Legistæ in l. *Filium.* ff. *de His, qui sunt sui, vel alieni Juris*, quos citat Fagnan. lib. 3. *Decretal.* in cap. *Cum esset* 10. *de Testament.* numer. 104. et sequitur Menochius *de arbitrariis Judicum* l. 2. cent. 1. num. 28. et Bartolus in d. l. *Filium, de iis, qui sunt sui, vel alieni juris* fatuum reputant filium, si credat Matri asserenti eum ex adulterio esse genitum, ut fatuum reputarunt Regem, qui renunciavit, et dimisit Regnum, eo quod Mater Regina in articulo mortis asseruisset, Filium, qui jam Regnum assumpserat, non esse ex se, et marito rege procreatum, sed ex se, et quodam milite; et teste Fagnano loc. cit. conveniunt Doctores, quod talis non tenebatur Matri credere in foro conscientiæ, quia ei non credit lex, cui debebat se conformare, et merito Bartolus loc. cit. ipsum arguit nimiæ levitatis, eo quod fiderit verbis maternis, et subdit, quod, si ipse in tali casu fuisset, non deposuisset, quia matris verba non possunt filiis præjudicare quoad filiationem, per textum in l. *Neque professio*, C. *de testamentis*, et l. *Non nudis*, C. *de probationib.* et aliis concordantibus. (117. Intellige hæc tamen de filio, qui non habet conscientiam læsam. arg. d. l. *Filium, de Iis qui sunt sui, vel alieni juris*, alioquin si veniat contra conscientiam, ædificat ad gehennam; c. fin. *de Præscript.* Fagnan. cum aliis in lib. 5 *Decretal.* c. *Officii* 9, *de Pœnit. et remiss.* num. 20, ubi in summario sub n. 18, dicit præcisis verbis, quod « filius, qui matri eum spurium asserenti, fidem adhibuit, et Regno renunciavit, deluditur a Legistis, laudatur a Canonistis. »

(118. Filius pluribus modis liberatur a patria potestate. *Primo*, per mortem naturalem patris, per textum in § 1, vers. *Hic vero, Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv.* (119. *Secundo*, per ejusdem patris mortem civilem, scilicet per deportationem in insulam ob maleficium, prout habetur in § *Cum autem, Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv.* (120. *Tertio* per lapsum patris in hæresim, etiam ante condemnationem, textu expresso in cap. 2. § *Illorum autem filiorum, de Hæreticis* in 6. (121. *Quarto* per electionem filii ad patritiam, vel Consularem dignitatem; leg. ult. Cod. *de Decurionibus* l. 10, et l. ult. Cod. *de Consulibus* l. 12 et § *Filius Familias, Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv.* (122. *Quinto*, per electionem filii in Episcopum; cap. *Per venerabilem, qui filii sint legitimi.* Sic etiam per assumptionem ad Cardinalatum filius liberatur a patria potestate; Glossa in Extravag. *Execrabilis, de Præbend. inter communes*, vers. *Solemnitatem* Bartolus in tract. *de Præstantia Card.* p. 1, q. 1, num. 69. Covarr. in c. *Quia nos* num 5, *de Testament.* Bossius *de patr. Potest.* c. 2, n. 76, et communis aliorum; (123. *Sexto*, per professionem Filii, seu Patris in Religione; Sic communior Doctorum, tum Juristarum, tum Theologorum. Ex Juristis Baldus in l. *Sacrosancta* num. 1. Cod *de Episcopis, et Clerici*, Mysingerius in § *Filius Familias, Instit. Quibus modis Jus patr. potest. solv.* Covarr. in cap. *Qui nos* num. 5, *de Testament.* et alii plures quos allegat, et sequitur Joan. Angel. Bossius *de patr. Potest.* cap. 2, n, 36. Ex Theologis Molina *de Justitia* tom. 1, tract. 2, disp. 140, vers. *Utrum autem*, Sanchez *in Summa* lib. 3. cap. 5. num. 29. Azorius *Instit. moral.* part. 2, lib. 2, cap. 29, vers. sexto Armilla verb. *Patria Potestas*, Layman lib. 3, *de Justitia* tract. 3, par. 3, cap. 8, sub num. 13, ubi testatur de communi. (124. *Septimo*, per emancipationem filii coram Judice factam; l. ult. cod. *de Emancip.* l. *Instit.* (125. *Quibus modis jus patr. potest. solv.* Octavo per adoptionem filii familias factam non ab extraneo, sed ab Avo paterno vel materno, l. *Cum. in adoptivis* § *Si vero*, Cod. *de Adoptionibus.*

(126. Filii alendi sunt a suis parentibus: l. *Si quis a liberis, ff. de agnoscend. et alend. Liberis.* (127. Non solum legitimi, sed etiam spurii. Quamvis enim Jure Cæsareo parentibus interdictum esset alimenta præstare Spuriis, seu ex coitu damnato ortis; Authent. *Quibus modis naturales*, etc. § penult. Authent. *Ex complexu*, Cod. *de Incest. nuptiis*, Authent. *Licet*, Cod. *de naturalibus Liberis*; Jure tamen Canonico sancitum est, quod a parentibus moderata alimenta debeant præstari quibuscumque illegitime natis, c. *Cum. haberet* 5, *de Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluerat adulterio*, ibi in fine: « Sollicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque parentum liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret. »

(128. Cum hac tamen advertentia, quod mater tenetur alere filios primo triennio, et post triennium tenetur pater usque ad emancipationem, ut colligunt recte Doctores ex l. *Nec filium*, Cod. *de patria Potest.* et cap. *Ex litteris, de Convers. infidelium*, ubi decernitur filium a patre alendum post triennium. Unde deducti sunt hi vulgati versiculi:

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem
Majorem vero pascere patris erit.

(129. Nomine alimentorum aliud intelligitur respectu Patris, et aliud respectu matris; respectu enim matris intelligitur solum lac, plus enim quam lac non tenetur filio exhibere; Unde si proli alia necessaria subministraverit sine animo donandi, potest repetere a patre; leg. *Alimenta*, Cod. *de Negotiis gestis*, et cit. l. *Si quis a liberis* § *Si mater alimenta*, Azorius *Instit. moral.* par. 2, l. 2, cap. 5, qu. 8. Bonac. *de Leg.* disp. 6, quæst. unic. punct. 6, § 2, num. 3. Gobat. in *Quimario* tract. 5, cap. 28, num. 15 et 16. La Croix l. 3, par. 1, num. 697, et alii passim. (130. Si autem mater nequeat ipsa lac præbere filio, tenetur pater suis impensis nutricem conducere. Si vero possit ipsamet, tenetur præbere, vel suis impensis nutricem conducere; Azorius loc. citat. Bonac. loc. cit. punct. 6, num. 5. Gobat. loc. cit. 697, num. 19 et 20. La Croix loc. cit. num. et alii. (131. In defectum patris, si is videlicet pauper sit, tenetur alere filios avus

Digitized by Google

paternus, vel alii ascendentes, et in defectum ascendentium paternorum, hæc obligatio devolvitur ad matrem uti colligitur *ex l. Si quis a liberis, ff. de Liber. agnoscend. § Utrum autem*, et Authent. *Si pater*, Cod. *de Divortio* in fine, et tenent Thesaurus dec. 212, num. 9. Layman loc. cit. num. 7. Angelus Armilla, Silvester verb. *Alimenta*, et alii apud Gobat. in *Experient.* tract. 10, num. 782, (132. quamvis addat usum præsentium temporum esse contrarium. Deficiente autem matre, tenetur filios alere avus aliique ascendentes materni; l. penult. ff. de *Filiis agnoscendis*; Layman loc. cit. et alii. Vide verb. *Parentes* num. 8.

(133. Filii etiam Spurii alendi sunt ab hæredibus parentum; Authent. *Licet* Cod. *de naturalibus Liberis*; Gobat. in *Quinario* loc. cit. num. 31. Covarruv. in *Epitome decret.* part. 2. cap. 8. § 6. num. 21. La Croix loc. cit. num. 698. et alii. Aut a Fisco, si bona patris ei sint addicta ob crimen distinctum a crimine hæresis, vel læsæ Majestatis; Gobat. loc. cit. La Croix loc. cit. Bonacinal. c. n. 10. (134. Clericus potest filio Spurio alimenta suppeditare etiam ex bonis Ecclesiasticis; Navarr. in tract. *de Spoliis Clericorum* § 10. num. 11. Azorius loc. cit. cap. 12. qu. 4. Filiuc. tract. 28. par. 2. num. 31. Bonacina loc. cit. num. 4. Gobat. loc. cit. n. 29. et alii argum. cap. *Pasce* dist. 86 et c. *Cum haberet* 5. *de eo, qui duxit in Matrimonium.* (135. Supradicta tamen de præstandis alimentis Filiis, intelligi debent, si Filii non possunt habere, unde se alant, cit. l. *Si quis a liberis, ff. de Filiis agnoscend.* § *Sed si Filius.* Covarruv. loc. cit. num. 13. cum cæteris Jurisconsultis, Gobat. loc. cit. numer. 24. Layman loc. cit. num. 7. Regin. lib. 20. num. 39. et alii: Alimenta enim debent præstari, si necessitas adsit, et non aliter; Thesaurus loc. cit. num. 16. Gobat. loc. cit. num. 24. et alii passim. Unde si filius aliunde habeat sufficientem sustentationem, vel laborando honeste acquirere possit spectata qualitate personæ, ac status sui, vel si sit artifex, parentes non tenentur ipsum alere: tunc enim præsumitur posse seipsum alere; Thesaurus loc. cit. num. 24. quandoquidem quilibet præsumitur ex suo opificio posse non solum ali, sed etiam ditari; Sic ex Baldo Gobat. loc. cit. numer. 24. Thesaurus loc. cit. et alii.

(136. Filios spirituales esse alendos a patribus spiritualibus, docent quidam Juristæ apud Tiraquell. *Commentar.* in l. *Si unquam* Cod. *de revocat. Donat.* Glossa in verb. *Susceperit. liberos* num. 31. At, ut recte notant Gobat. loc. cit. num. 29. La Croix loc. cit. n. 703. et alii, nulla lex, vel consuetudo hoc probat, quod Filii Spirituales alendi sint a patribus Spiritualibus, si desint Parentes naturales, unde talis opinio videtur minus probabilis. Citati Doctores.

(137. Filii an possint, et ob quas causas, exhæredari; Vid. verb. *Exhæredatio.*

(138. Filii quorum bonorum dominium habeant, et quid possint, vel non, circa sua bona. Vid. verb. *Bona* art. 4. et verb. *Dominium.*

(139. Filii quas eleemosynas facere possint; Vide verb. *Eleemosyna.*

(140. Varia de filiis expositis; Vid. verb. *Parentes* a n. 20. ad 32. et verb. *Expositi.*

(141. Filius, an et quando teneatur ad restitutionem mutui sine consensu Patris accepti; Vide verb. *Mutuum* a n. 5. ad 19.

SUPPLEMENTA AUCTORIS.

(142. Filii ex matrimoniis occultis nati, fraudari nequeunt bonis paternis, et avitis; Bened. XIV, t. 1, Constitut. 35, incip. *Satis Vobis* § 9. Filii nati ex soluto, et soluta legitimantur per subsequens Matrimonium; Idem Constit. 113, incip. *Redditæ* § 2. Filii nati ex Adulterio, et nati constante Matrimonio, non legitimantur per subsequens Matrimonium; idem *ibid.* § 3, et per tot. Si autem filii generati ex adulterio, nati sint post mortem legitimæ uxoris, cum quantum ad hoc inveniantur Textus Textibus contrarii, cumque Doctores Doctoribus, Tribunalia Tribunalibus adversentur, non aliter disponeret in hoc casu Pontifex, quam secundum sententiam in Tribunalibus, et Curia illius Regionis receptam, in qua esset pronunciandum. Et in dubio, proli favendum esse censet; Idem *ibid.* § 3.

(143. Filii nati ex incestu, legitimantur accedente dispensatione *in Radice matrimonii*; Idem *ibid.* Ut autem obtineatur dispensatio in radice Matrimonii requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative Matrimoniali, quodque impedimentum, quo Matrimonii nullitas inducta est, non a jure Divino, aut naturali, sed a jure dumtaxat Ecclesiastico proveniat; Sicque, et non aliter, legitimatur proles incestuosa vigore dispensationis, quæ dicitur *in radice Matrimonii*; Idem *ibidem* § 40.

(144. Filii mulierum Christianarum ex Turcarum contubernio geniti, quando ad Baptismum admitti debeant, nec ne, Vid. tom. 1, verb. *Baptismus.*

(145. Filii in potestate sunt Patris, non vero Matris; Idem tom. 2. Constit. 28, incip. *Postremo mense* § 15. Ubi tamen Fidei Christianæ favor intercedit, potest Mater, invito Patre, Filios ad Baptismum offerre; Idem *ibid.* § 16.

(146. Filii Judæorum in parentum potestate sunt; Idem *ibidem* § 9. Non ideo tamen ipsis relinqui debent, quando constat baptizatos fuisse etiamsi illicite; Idem *ibid.* § 30.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(147. Pacifica haud est opinio Auctoris num. 41, quod habilitas ad Matrimonium, quam in parentibus exigit legitimatio per subsequens Matrimonium, non requiratur tempore nativitatis. Communior tamen est sententia, Prolem non legitimari per subsequens Matrimonium, si tempore conceptionis inhabiles erant Parentes ad Matrimonium; Zoef. in *Decretal.* lib. 4, tit. 17, num. 18, rursus in *Pandect.* lib. 25, tit. 7, num. 14, et demum in *Cod.* lib. 4, tit. 27, qu. 5, Stryk

Digitized by Google

in *us. modern. Pandect.* lib. 4, tit. 6, § 1, Wames. *Consil.* canon. 545, num. 6, Sarmien. lib. 1, *select. Interpret.* c. 5, n. 5, optime Marend. *controvers. jur.* lib. 24, c. 5, num. 20. Pax Jordan. *Elucubrat.* tom. 2, lib. 10, tit. 18, n. 46. Cocceius, *Jur. Controvers.* lib. 1, tom. 6, qu. 10. Peregrin. *de Fideicommis.* art. 24, num. 50. Fusar. *de Substitut.* quæst. 409, num. 10. Garz. *de Benefic.* part. 7, c. 2, num. 36. Rot. in recent. decis. 100, num. 51, part. 5, tom. 1.

(148. Non obstat allegata ab Auctore Lex *Nuper*, Cod. *de Natural. liber*, ubi in fine habetur, quod in quæstionibus de statu liberorum non conceptionis, sed nativitatis tempus, si iis sit favorabile, attendi debeat. « Non obstat (ait ex proxime allegatis Zoes. in *Codic.* lib. 5, tit. 17, quæst. 5), quia quum dicat inspiciendam esse qualitatem, quæ est tempore nativitatis, si ea sit Proli favorabilior non est accipienda de qualitate ex delicto complexus, sed ea quæ causatur ex instrumentis dotalibus confectis vel ante nativitatem, vel postea, cui subjungitur supradicta decisio, ut ne utiquam sit dicenda respicere qualitatem conjunctionis damnatæ, quæ uti dictum non purgatur per nativitatem Prolis eo tempore, quo conjuges esse possunt. Nam alias Imperator sibi contradiceret in dict. l. Nuper, in cujus principio ad legitimationem desiderat, ut ea in contubernio habeatur, cum qua connubium esse poterat, quæ res respicit omnino copulam, quomodo si ea damnata fuerit non procedat legitimatio, utpote deficiente uno ex requisitis. »

(149. Posita hac sententia, hoc venire solet in quæstionem, an locum habeat legitimatio per subsequens Matrimonium si a morte primæ uxoris ad nativitatem Prolis effluxerint dies 182, in quibus concipi ea, et nasci potuit; l. 12, ff. *de stat. Homin.* et l. 3, § 12, ff. *de suis et legitimi Hæred.* et sic concurrerit habilitas ad matrimonium utroque tempore conceptionis et nativitatis?

(150. Porro negari haud potest, quod non obstante discordia Philosophorum, et Medicorum prævaluit in jure opinio Hippocratis, qui in lib. *de Partu septimestri* (ab Eruditis apocrypho existimato teste Fabroto in *Exercit. de tempor. Human. Part.* pag. mihi 14), scripsit septimo mense incœpto, id est diebus 182, hominem nasci posse, ut videre est in dict. l. 12, ff. *de stat. Homin.* et in dict. l. 3, § 12, ff. *de suis et Legitim. Hæred.* At ponderandum est, quod in jure nostro non aliter opinio hæc Hippocratis admissa sit, quam si is, de quo agitur, ex justo præterea Matrimonio natus sit, ut satis eruitur ex ipsa l. 12, ff. *de stat. Homin.* et innuunt Noodt in *Comment. ad Pandect.* l. 1, tit. 6, § superest, ac Boemer. in *Exerc. in Pandect.* t. 1, exerc. 20, § 12. Ita scilicet favore Matrimonii prudenti consilio statutum fuit, ad amputandas dissensiones, quæ perpetuo inter conjuges duraturæ essent, si Partus septimo mense a die contractus Matrimonii editus alii quam viro attribueretur. Quapropter non est, cur nativitas tempore septimestri, quæ per naturam non est semper certa, et in jure unice admissa est in gratiam eorum, qui ex Matrimonio geniti sunt, extendatur ad eum, qui extra Matrimonium natus est.

(151. Neque id novum in jure est. Favore quoque ejusdem Matrimonii receptum est, ut qui partus nascitur Marito cum uxore cohabitante, nec manifesta impotentia præpedito, is attribuatur ipsi Marito, quantumvis Uxor sui copiam aliis fecerit, ad vulgatissimum Textum in l. *Miles* 11, § *Quæ propter*, ff. ad l. *Jul. de Adult.* At si extra Matrimonium genitus quis sit ex Muliere, quæ cum pluribus commercium habuit, quum cesset favor Matrimonii, nec ei partus adscribi valet quem Muliere Patrem designavit, ut cum eodem postea Matrimonium contraxerit.

(152. Gravior est quæstio, an ex dispensatione in *radice Matrimonii* obtenta, post contractum ipsum Matrimonium legitimetur ad omnes effectus Proles antea nata, perinde ac si ex justo Matrimonio nata esset?

(153. Invaluit distinctio, quod aut impedimentum in Parentibus ad ineundum Matrimonium erat juris divini, et dicta dispensatio in radice Matrimonii efficere nequit, ut filii nati perinde legitimentur ac si ex justis nuptiis nati essent, sed vix eis tribuit legitimationem, quæ dicitur *per rescriptum*, quum nequeat Summus Pontifex dispensando tollere nullitatem Matrimonii a jure divino inductam. Aut vero impedimentum erat juris Ecclesiastici, rursus distinguendum est, quod videlicet si Matrimonium nec de facto præcessit, dispensatio in radice Matrimonii operatur, ut in casu præcedenti, legitimationem Filiorum natorum per rescriptum, idque quia ubi nullum præcessit Matrimonium, non est radix in qua dispensetur. Sin autem de facto præcessit Matrimonium, quantumvis irritum ex dicto juris Ecclesiastici impedimento, dubium nullum esse potest, quia attenta summa, qua Summus Pontifex pollet, potestate tollendi legem Ecclesiasticam quoad omnes effectus non solum incurrendos sed et incursos, dispensatio in radice Matrimonii vim habeat plenissime legitimandi Filios natos, eodem prorsus modo ac si ex legitimo Matrimonio nati essent; Molin. *de Primogenit. Hispan.* lib. 3, cap. 2, num. 2. Fajard. *de Legitim. per subseq. Matrim.* Torre, *de Majorat. Ital.* tom. 1, cap. 29, § 4, numer. 28, de plur. seq. De Justis, *de dispensat. Matrimon.* lib. 1, cap. 7.

(154. Nec admitti potest opinio Auctoris, n. 44, quod Legitimati per subsequens Matrimonium veniant sub dispositione Hominis directa *ad Legitime natos*. Quum enim in his terminis qualitas legitimitatis tanquam proprie, et vere requisita tempore nativitatis, prædicari nequeat de Legitimatis per subsequens Matrimonium, qui nonnisi per quamdam juris fictionem habentur pro legitimis usque ab initio; hinc est quod legitimati per subsequens Matrimonium venire nequeunt sub dicta dispositione ad legitime natos directa; Marend. *Controv. jur.* lib. 17, cap. 22, num. 18, et rursus lib. 24, c. 5, num. 34. Peregrin. *de Fideicom.* art. 24, a n. 25 ad

Digitized by Google

plur. seq. Fajard. *de Legitim. per subsequens Matrim.* memb. 4, n. 337. Torr. *de Majorat. Ital.* tom. 1, cap. 29, § 9, a num. 95 ad seq. Rot. in Romana Immissionis 21 Junii 1726, § *Receedere*, coram bon. men. Crispol. et in Romana Salviani 8 Maii 1728, § *Ut igitur* cor. clar. mem. Calcagnin.

(155. Legitimati per subsequens Matrimonium quoad omnes juris effectus exæquati sunt vere legitimis in his quæ proveniunt, vel a providentia ipsius Legis, vel ab Hominis dispositione Legi tamen conformi, nequaquam vero in his quæ dependent a dispositione Hominis, quæ a Lege recedendo unice ad vere legitimos directa est, quum in his prout in aliis materiis dispositio Hominis faciat cessare dispositionem Legis, ut ex mox allegatis optime præ cæteris disserit Rot. in Romana Immissionis 21 Jun. 1726, § *Siquidem*, plur. seq. cor. bon. mem. Crispolto.

(156. Non incongrue hic quæritur, an quæ a statutis proveniunt, attribui debeant Legis providentiæ, ita ut ad ea indiscriminatim admittendi sint Legitimati per subsequens Matrimonium?

(157. Si sermo sit de statutis conditis a Communitate, sive Ecclesiastica, sive Laicali superiorem recognoscente, non Legis sed Hominis providentiæ attribui debent, quæ ab ipsis proveniunt, nam ea nequeunt legibus accenseri, obligantque non uti Leges, sed uti pacta; Huber. in *Prælect. Jur. Roman. et Hodiern.* part. 2, lib. 1, tit. 3, n. 11. Strauch. *ad jus. Justin.* dissert. 1, thes. 9. Stryk. *Jurisdic.* dist. 5, disp. 11, cap. 1, a num. 7, ad plur. seq. Ziegler. *de Jurib. majest.* lib. 1. cap. 4, § 16. Atque hinc nequeunt Legitimati per subsequens Matrimonium indiscriminatim admitti ad ea quæ proveniunt a statutis; Eo vel maxime quod Legitimati per subsequens Matrimonium pro vere legitimis habeantur, quoad ea dumtaxat, quæ proveniunt a jure communi; Add. ad Zoes. *in Codic.* lib. 5, tit. 27, l. F. Fajard *de Legitim. per subsequens Matrim.* membr. 4 num. 302.

ADDITAMENTA NOVISSIMA AUCTORIS.

(158. Quis fuerit filius Viduæ Civitatis Naim a Christo e mortuis revocatus, tradit inter alios eruditissimus Clericatus parte prima *delle Spighe raccolte*, italico idiomate edita, dicens, quod vocabatur *maternus*, ætatis viginti circiter annorum, dives, et nobilis, lubricam vitam ducens cum Maria Magdalena tunc in dicta Civitate Naim commorante, solo milliario a suo Castro Magdalo distante: « Et erat mulier in Naim molliens virum ex mollitie pestis alliciendo ad libidinem, » ut tradit Victor Antiochenus, relatus ab Alberto Magno cap. VII *in Lucam*. Mortuo, Deo sic disponente, Materno, et a Christo in vitam restituto; is Madgdalenam monuit de visis horrendis suppliciis, quibus torquentur peccatores, ipsam serio exhortans ad pœnitentiam de peccatis commissis, et ad omnimodam conversionem, ut et ipse decreverat, et facto jam cœperat. Magdalena, monitis et exhortationibus *Materni* obtemperans, illico penitus contrita convolavit ad pedes Jesu Christi existentis in eadem civitate, et ad mensam accumbentis in domo Pharisæi: *Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus et unguento ungebat. Luc.* cap. VII, 17. Et exinde uterque ad meliorem frugem vere conversi, fidelissimi sequaces facti sunt Jesu Christi, ut et fecit vidua Materni mater facta discipula, et sectatrix Deiparæ Virginis, ut notat laudatus Albertus Magnus in cit. cap. VII, *Luc.* Tandem post passionem, mortem, Resurrectionem, et Ascensionem Domini Nostri Jesu Christi a D. Petro Apostolo una cum Eucherio, et Valerio, ordinatus Maternus Episcopus, et ad convertendos Tungrenses, Colonienses, et Trevirenses, aliosque finitimos populos missus, sanctissime obiit Treviris Episcopus, et ejus festum colitur die 14 Septembris (1)

FISCUS.

Vide verb. POENA, *art.* 2, *num.* 7.

FORNICATIO.

Vide verb. LUXURIA, *a num.* 3 *ad* 9, *et verb.* POENA, *art.* 2, *num.* 102, 103.

FORTITUDO.

Vide verb. VIRTUS, *num.* 120.

FORUM, SEU FORUS.

SUMMARIUM.

1. Nomen Fori varias habet significationes. — 2. Forum in neutro genere, unde veniat, et pro quo accipiatur? *ad num.* 3. — 4. Forus in masculino genere quid sit? — 5. ad 6. Forus competens qui sit. — 7. Reus coram incompetente Judice conventus impune non comparet. — 8. Orta quæstione de competentia Fori inter Judicem Ecclesiasticum, et Laicum, debet cognoscere Ecclesiasticus. — 9. Plurimi sunt modi generaliter loquendo sortiendi Forum. — 10. At modi ordinarii, et speciales sortiendi Forum

(1) Hæc historia, si vera foret, quæstionem illam perantiquam, et perobscuram solveret de muliere, quam D. Lucas peccatricem appellat. Verum quum de illa nondum liqueat (nec unquam liquebit, ait Ant. Sandini in Histor. Familiæ Sacræ cap. X.) hæc ab auctore nostro proposita pura puta, fabella credenda est. Alia etiam falsitatis argumenta occurrent, si auctores, qui de S. Materno scripserunt, consulas. (NOTA EX EDIT. ROM.)

Digitized by Google

Hostiensem, Goffredum, Germonium Præpositum, et Sac. Rotam Romanam, quæ, ut observat ipse, reprobat omnes alios contrarium sentientes. (48. Et revera in casu extraordinario, et ubi communis necessitas, vel alia ardua causa urgeat, posse Papam legitimare quoad temporalia etiam illegitimum non subditum, ultra quam quod concedunt omnes Doctores, habetur expresse in cit. cap. *Per Venerabilem* § *Rationibus igitur*, ubi Papa dicit hoc competere, tam ex Veteri, quam ex Novo Testamento, ibi : « Causam tam ex Veteri quam ex Novo Testamento trahentes, quod non solum in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in aliis Regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem causaliter exercemus. »

(49. Principes supremi superiorem non agnoscentes possunt legitimare suos subditos sæculares illegitime natos. (50. Communis ac certa. Ex privilegio possunt legitimare etiam Legati Sedis Apostolicæ, et Comites Palatini. Communis. (51. Ad quos autem illegitimos, et ad quæ se extendat eorum facultas legitimandi, desumendum est ex tenore Rescripti, aut privilegii a Supremo respective Principe eis concessi, quia eorum facultas non potest se extendere ultra tenorem Rescripti, arg. c. *Cum dilecta* 22. *de Rescript.* et l. *Diligenter*, ff. *Mandati*. (52. De jure solum illegitimi naturales, de consuetudine autem solent legitimari Rescripto Principis etiam omnes alii illegitimi. Comm. (53. Legitimati Rescripto Principis sæcularis non fiunt habiles, nisi ad effectus politicos, et sæculares, et nullatenus ad effectus Ecclesiasticos. Communis. (54. Legitimati vero a Papa fiunt habiles ad effectus Ecclesiasticos, et ad effectus politicos, maxime existentes sub ejus jurisdictione temporali. Communis. (55. Legitimati per subsequens matrimonium per omnia æquiparantur legitime natis, et etiam vocari possunt legitime nati, et comprehenduntur in dispositione hominum et statutorum requirentium, ut quis sit legitime natus, arg. l. *Cum quis* 10. *de Natur. lib. Novell.* 12. c. 4. *Novell.* 74. c. 2. § 2. *Instit. de Hæred. ab intest.* et c. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, et ibi Glossa communiter recepta. (56. Non sic autem legitimati per Rescriptum Principis, qui in iis tantum æquiparantur legitime natis, ad quæ se extendit gratia Rescripti, quod est maxime attendendum, arg. cap. *Cum dilecta* 22. *de Rescriptis.*

(57. Illegitimi omnes prohibentur ordinari, nisi vel Religionem approbatam ingrediantur, vel cum aliquo rite fuerit dispensatum, textu expresso in c. *Ut filii* 1. *de filiis Presbyterorum ordinandis, vel non*, et in cap. *Is, qui* 1. eod. tit. in 6. (58. Illegitimi, si Religionem approbatam ingrediantur, possunt ordinari, non vero ad Prælaturam assumi; c. *Presbyterorum* 1. dist. 56. et cit. c. *Ut filii*. (59. Ad ordines majores et Beneficia Curata, sicut et ad Dignitates, Personatus, atque Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum dispensat cum illegitimis solus Papa, et is, cui nanc facultatem ex speciali privilegio concesserit, Communis. Et ratio est, quia irregularitas ex defectu natalium proveniens, est solius Juris positivi humani, seu Ecclesiastici, supra quod sine dubio Papa, et is, cui id concesserit, potest dispensare, textu expresso in cap. *Proposuit 4. de Concession. Præbendæ*. Et quod solus Papa possit dispensare ad supradicta, patet ex cap. *Nimis* 18. *de filiis Presbyterorum*, et cap. *Is, qui* 1. eodem tit. in 6. et cap. *Quamvis* 4. *de Præbendis* in 6. (60. Episcopus cum illegitimis dispensat quo ad Ordines minores, ac Beneficium simplex, et ad Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ, quoties non requirunt Ordinem Sacrum, cap. *Is, qui* 1. *de filiis Presbyter.* in 6. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* p. 2. alleg. 45. num. 20. et *de Canonicis et Dignitatib.* c. 13. num. 25. Zerola in *Praxi Episcopor.* quæst. 1. verb. *Canonica*, Garcias *de Benefic.* p. 7. cap. 2. num. 69. Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 17. num. 11. et alii passim. (61. Dicitur autem, quoties non requirunt Ordinem Sacrum, quia, cum in tali Ordine nequeat dispensare Episcopus cum illegitimis ex c. *Ut filii* 1. *de Filiis Presbyterorum*, et c. *Is qui* 1. eod. tit. in 6. neque poterit dispensare in Beneficiis simplicibus, et Canonicatibus Collegiatæ, quoties requirunt Sacrum Ordinem; arg. cap. *Translato* 3. *de Constit.* ac notat Glossa in cap. *Is, qui* 1. verb. *Tale, de Filiis Presbyterorum* in 6. (62. Capitulum Sede vacante potest dispensare cum illegitimis in iis, in quibus potest Episcopus, cum succedat Episcopo in iis, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, sicut est talis dispensatio; Zerola p. 2. *Praxis Episc.* vers. *Capitulum*, § *Tertio*, Navarrus consil. 7. *de Filiis Presbyterorum*, Barbosa loc. cit. num. 25. Reiffenstuel loc. cit. n. 15. et alii passim.

(63. Filius illegitimus dispensatus ad Ordines minores, non censetur dispensatus ad Beneficium etiam simplex, quia hæc duo sunt separabilia, atque executio Ordinum potest stare sine Beneficio; Barbosa in tract. *de Appellativa verborum Signific.* verb. *Ordo* in 6. Reiffenstuel loc. cit. num. 21. Garcias *de Beneficiis* p. 1. cap. 6. num. 70. *et seq.* cum aliis ibi citatis. (64. Si vero sit dispensatus ad Ordines Sacros, hoc ipso videtur dispensatus ad obtinendum simplex Beneficium, ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur; arg. c. *Proposuit* 6. *de Filiis Presbyterorum*, ibi : « Quia indignum est, ut ipse postquam est in Subdiaconatu ordinatus, omnino debeat Ecclesiastici Beneficii provisione carere, » etc. et ibi : (65. Glossa verb. *Carere*, Abbas num. 1. et alii. Illegitimus simpliciter dispensatus ad Beneficia non potest obtinere nisi unicum, non autem duo simul, textu expresso in cap. *Is, qui* 1. *de Filiis Presbyteror.* in 6. § *Ille vero*, ibi : « Nisi unicum Beneficium obtinere. » (66. Sic dispensatus simpliciter ad Beneficium potest solummodo obtinere simplex, non autem Beneficium Curatum, Dignitatem, aut Personatum, Garcias *de Beneficiis* p. 1. c. 6. num. 59. citans Rotam decis. 2. *de Filiis Presbyterorum*, in novis,

Digitized by Google

Rebuff. tit. *de Dispensatione super defectu natalium* num. 51. et seq. Reiffenstuel loc. cit. num. 19. Barbosa, et alii passim. Et ratio est, quia talis dispensatio veluti odiosa est stricte interpretanda, sicque ly *Beneficium* simpliciter positum, pro solo simplici accipi debet, arg. cap. *Nimis* 18. *de Filiis Presbyteror.* et cap. *Is, qui* 1. eod. in 6. et c. *Quamvis plenissima* 4. *de Præbend.* in 6.

(67. Filius illegitimus nequit in Ecclesia, ubi Pater ejus beneficium habet, vel habuit, quodcunque Beneficium obtinere, cap. *Ad præsentiam* 2. cap. *Cum decorem* 15. et cap. *Ad abolendam* 16. *de Filiis Presbyteror.* et expresse Concilium Trid. sess. 25. c. 15. *de Reformat.* ibi : « Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat Filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt Matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum Patres Beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere. Nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. » (68. Immo Filius illegitimus in tali Ecclesia nec etiam potest sacristam, Musicum, aut alium ministrum agere, ut colligitur ex Concil. Trid. loc. cit. ibi : « Nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, » et sic fuisse decisum a Sac. Congreg. refert Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* p. 3. allegat. 65. n. 20. et tenent Navarr. consil. 1. quæst. 17. *de Constit.* Garcias *de Beneficiis* part. 3. c. 3. num. 68. Reiffenstuel loc. cit. num. 31. et alii passim. (69. Etiamsi fuerit illigitime natus ante Clericatum parentis ; et ratio est, quia etiam illegitime procreatis ante Clericatum urget ratio allata a Concil. Trident. loc. cit. scilicet : « Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis arceatur, » et sic fuisse a Sacra Congregat. decisum refert Garcias loc. cit. cap. 3. numer. 15. et sequitur Barbosa loc. cit. allegat. 65. numer. 6. cum aliis.

(70. Filius Presbyteri quamvis legitimus, id est procreatus legitime ante Clericatum, nequit immediate succedere in Beneficio paterno, textu expresso in c. *Quoniam* 10. et c. *Ad extirpandas* 11. et c. *Michael.* 13. *de fil. Presbyt.* (71. Potest tamen Filius legitimus Presbyteri succedere mediate in Beneficio paterno, textu expresso in c. *Ex transmissa* 2. *de Filiis Presbyteror.* Barbosa loc. citat. alleg. 65. num. 16. Garcias loc. cit. cap. 3. numer. 18. Pirhing. lib. 1. *Decretal.* num. 50. Reiffenstuel. loc. num. 34. et alii communiter. (72. Filius legitimus Presbyteri potest habere illud dissimile Beneficium in Ecclesia, in qua Pater ministrat, textu expresso in cap. *Ad hæc* 12. *de Filiis Presbyter.* (73. Immo Filius legitimus Presbyteri potest etiam præesse Ecclesiæ, in qua Pater sine titulo quandoque ministravit, textu claro in cap. *Constitutus* 8. *de Filiis Presbyter.* Tunc enim non fit successio in Ecclesia, vel beneficio, cum istud Pater non præhabuerit. (74. Solus Papa dispensat, ut Filius immediate succedat Patri in Beneficio, textu expresso in cap. *Dilectus Filiis* 17. *de Filiis Presbyteror.* (75. Potest tamen absque alia dispensatione Pater succedere immediate in Beneficio præhabito a suo Filio legitimo ; sic fuisse decisum a Sacra Congreg. Conc. 22 Decemb. 1594. refert Garcias *de Beneficiis* p. 7. c. 3. n. 29. et tenet Engel. lib. 1. *Decr.* tit. 17. n. 3. Reiffenstuel. *ibid.* num. 39 Barbosa *de offic. et potest. Episcop.* part. 3 alleg. 65. num. 17. et alii communiter.

(76. Filius familias (idem est de Filia familias) qui est filius naturalis, vel adoptivus sub patria potestate constitutus, quatuor præstare tenetur parentibus ; scilicet amorem, obedientiam, reverentiam, et auxilium. (77. Contra amorem graviter peccat filius, si signa odii parentibus ostendit, et aspere tractet, si torvis oculis fere semper eos intueatur, ac ita aspere et dure loquatur, ac si odio haberet, si grave malum v. g. mortem eis optet. Ad hoc faciunt duæ propositiones merito damnatæ ab Innocentio XI. die 2 Mart. 1679. *Prima*, quæ est in ordine 14 : « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia scilicet ei obventura est pinguis hæreditas. » *Secunda*, quæ est 15. in ordine : « Licitum est Filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. » (78. Contra reverentiam graviter peccat Filius, si parentes percutiat etiam leviter, si graviter contristet, ad gravem iram provocet, si maledicta, convitia, et hujusmodi in eos conjiciat, si pauperes despiciat vel nolit eos pro parentibus agnoscere, si in foro externo etiam de vero crimine accuset, extra crimen hæresis, proditionis, vel conjurationis in Principem, cum non est alius corrigendi modus. (79. Contra obedientiam graviter peccat Filius, si in re gravi sit inobediens circa ea quæ pertinent ad gubernationem domus, ad bonos mores, vel ad animæ salutem ; si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam, id est cum qua juxta suæ regionis praxim nequeat contrahere sine decore ; si sine justa causa nolit eam ducere, quam juste vult parens. (80. Contra debitum auxilium graviter peccat filius si non subveniat eis in gravi necessitate spirituali, vel corporali.

(81. Bona Filiorum familias alia sunt Castrensia, alia quasi Castrensia, alia Adventitia, et alia Profectitia. Quæ sint talia bona, et quid circa ipsa possint, vel non, Filii, vid. verb. *Bona* art. 4. a num. 38. usque ad finem. (82. Filius peccat graviter, et tenetur ad restitutionem, si rationabiliter invito Patre notabilem quantitatem subripiat de bonis paternis ; Communis. (83. Quæ autem sit notabilis quantitas sufficiens ad peccatum mortale, non satis conveniunt in hac assignanda Doctores ; Lessius enim lib. 2. cap. 12. dubit. 23. n. 76. *de Injuriis fortunarum ;* Navarr. Filiucius, et alii volunt filium non esse condemnandum pecca-

Digitized by Google

mortalis si duos, vel tres aureos auferat a Patre divite : secus si a Mechanico exiguæ fortunæ. Salas de hoc rogatus respondit, filium unicum Patris habentis annue mille quingentos aureos, posse sine mortali auferre singulis annis viginti vel triginta aureos, quod Lugo dist. 16. sect. 4. non improbat si parens non sit tenax, et filius jam adoleverit, simulque furetur ad usus honestos : Bonnes dicit ad furtum grave filii parentis prædivitis requiri saltem quinquaginta aureos, quod Lugo cit. disp. 16. num. 76. merite rejicit, nisi forte esset Filius principis, aut Magnatis; Coneto apud Tamburin. lib. 8. t. 2. c. 5. n. 3. dicit non fore mortale, si filius intra annum non furetur ultra sexdecim solidos Hollandicos ; Fagundez, si non ultra quatuor, vel quinque. At quia in hoc generalis regula statui nequit; Sporer tom. 2. tract. 5. *in sept. et decim. præcept. Decalog.* cap. 3. sect. 2. num. 57. merito dicit, quod prudens Confessarius arbitrari debet, non solum ex materia ablata, sed etiam ex circumstantiis personarum, scilicet ex statu, et facultatibus parentis, ejus genio, et affectu in filium, ex filiorum pluralitate, vel paucitate ex filii accipientis ætate, et rei acceptæ usu, et similibus, semper tamen vitando extrema, ut nec temere peccati mortalis scrupulus iis injiciatur, nec etiam ansa præbeatur ad furandum nimium de bonis parentum.

(84. Filius peccat graviter, si expendat in res turpes, aut vanas (ut in ludum, in compotationes, in feminas) contra voluntatem parentum notabilem summam ex pecunia sibi tradita ad honestos usus, v. g. ad emendos libros, vestes, ad solvendum didactra Magistris; Navarr. c. 17. num. 164. Lessius loc. cit. n. 77. et alii passim. (85. Insuper latis filius tenetur ad restitutionem, cum ad alium usum jus non habuerit, maxime si parens inde damnum acceperit, ita ut ratione talis mali usus facti a filio, plus quam expendisset, debuerit pater expendere. Et si non possit restituere, tenetur adducere in divisionem, nisi forte constet alios fratres tantumdem expendisse, vel nisi parens condonaverit, aut pater et fratres tales vanas, et turpes expensas scientes non petant satisfactionem, quia in tali casu censentur condonare; Lessius l. c. n. 77. Burgh. centuria 2. cas. 36. et alii. (86. Si Filius alatur in loco distante a parentibus, poterit ex alimentis moderate aliquid insumere in usus honestos, et similes honestas recreationes, v. g. 5. ex 100. item illud, quod parcius vivendo reservat ex pecunia sibi emissa; Communis. (87. Filius in domo paterna laborans probabilius non potest petere salarium, nec, si illud negatur, uti occulta compensatione : Glossa in l. *Cum oportet*, Cod. *de Bonis quæ liberis*, etc. verb. *Ejus substantia ;* Petrus Navar. lib. 3. c. 1. num. 75. Silvester verb. *Peculium* 2. quæst. 12. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 234. Diez in *Pract. qq.* q. 8. § 2. Layman. lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 8. num. 12. La Croix lib. 3. p. 1. num. 1084. aliique plurimi, quos citat. et sequitur Moya tom. 6. d. 4. q. 1. Et ratio est, quia Jura indistincte aiunt, quæ ex se re, sive substantia patris proveniunt, ipsi patri acquiri. *Inst. Per quas personas nobis acquiritur* § 1. et c. l. *Cum oportet*, Cod. *de Bonis, quæ liberis*, etc. Quid enim magis rationis congruum est, inquit Card. de Lugo disp. 5. num. 44. quam ut filius agricolæ juvet patrem in agricultura, filius mercatoris in mercatura? præsertim cum sic addiscant illas artes, ut inquit recte Molina l. c. addens non facile fore tam audacem filium, qui ideo petat salarium. Tum qui si salarium petat, pater juste subtrahit victum, et vestitum, non enim tenetur hæc dare filio potenti ea lucrari, adeoque salarium compensatur per sustentationem.

(88. Contraria tamen sententia est etiam probabilis et hanc post Bartolum sustinent Navar. cap. 17. num. 144. Angelus verb. *Peculium*. n. 11. Lopez. par. 2. *Instruct.* c. 21. Dicastil. l. 2. tom. 2. d. 9. num. 187. Burgh. cas. 80. Lessius lib. 2. cap. 12. num. 81. aliique apud Moyam t. 6. d. 4. q. 1. qui num. 7. vocat hanc sententiam probabilissimam ; Dian. par. 4. tom. 4. resolut. 66. vocat. tutam. Et ratio iterum est, quia talis filius est veluti socius negotiationis, neque debet esse deterioris conditionis, quam famulus, vel extraneus, qui cum here lucraretur juncta industria ; quod magis valet, si filius sit emancipatus, aut illegitimus, uti potat Sanchez in *Consil.* l. 1. cap. 2. d. 8. Vel si opera, et obsequia præstita non sint ex iis, quæ pater a filio potest jure paterno exigere, sed sint supra debitum filii, tunc enim, ut recte notat Lugo cit. disput. 5. n. 42. posset filius velle stipendium sibi reddi. (89. Si autem ob metum reverentialem Patris filius salarium petere non audeat vel probe sciat, si petat, se repulsam laturum esse, volunt citati Doctores pro secunda sententia, quod licitum sit filio uti occulta compensatione. (90. Quod tamen non auderem ego admittere, quia occulta compensatio non est licita, nisi ubi jus est certum, id est ubi moraliter certo constet rem esse tuam, aut tibi ex justitia deberi ; l. 4. *de Compensationibus*, ut dictum est verb. *Compensatio*, num. 3. et recte dicit La Croix lib. 3. part. 1. num. 962 et n. 1035. Jus autem filii non est hic certum, quia nostra sententia est saltem probabilis, adeoque, etc., et videtur sic tenendum etiam ratione propositionis 37. inter damnatas ab Innocentio XI. 2 Mart. 1679. ibi : « Famuli, et Famulæ domesticæ possunt occulte hæris suis subripere ad compensandum operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. »

(91. Filius in extrema necessitate Patris, et Filii proprii tenetur potius subvenire Patri, quam Filio, quando non potest utrique; D. Thomas 2, 2. quæst. 26. art. 9. ad tertium, Magister sentent. in 3. dist. 29. Abulensis in *Matth.* cap. XXII. qu. 311. Coninch. *de Caritate* disp. 25. num. 109. Ovied. *de Caritate* contr. 8. punct. 5. num. 106. Diana part. 10. tract. 13. resolut. 3. vers. *Sed ego in ejus favorem*, Busembaum lib. 2. tract. 3.

Digitized by Google

dub. 1. sub. num. 4. La Croix .ib. 3. part. 1. num. 721. Sporer. tom. 1. tract. 3. in 4. *præcept. Decalog.* c. 6. num. 138. ubi dicit esse communissimam; Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 291. et num. 2040. et alii plurimi ex Theologis. Ex Juristis autem Cinus in lib. 2. in fine Cod. *de Patribus qui filios distrax.*; Ascanius *de Patria potest effectu* 16. num. 34. Bellamera in cap. *Parcimoniam* lib. 41. Præpositus in cap. *Cum haberet, de Eo qui duxit in Matrimonium*; (92. Surdus *de Alimentis* tit. 1. quæst. 94. num. 6. et varii alii. Immo multi volunt potius Patri, quam filio esse subveniendum etiam in alia æquali necessitate, quando non potest utrique; sic Paschalis *de patria Potest.* part. 2. cap. 3. num. 63. Pontanus *de Alimentis* tit. 1. cap. 9. num. 3. Præpositus in cit. capit. *Cum haberet, de Eo qui duxit in Matrimon.* Surdus *de Alimentis* tit. 1. qu. 94. num. 3. et sequent. Salicetus, seu Auctor ab eo relatus in lib. 2. num. 7. in fine; Cod. *de Patribus qui filios distrax.* et alii. Et ex Theologis D. Thomas 2. 2. qu. 26. art. 6. ad Tertium, Magister in 3. sent. dist. 29. Cajetanus 2. 2. q. 31. art. 1. ad quartum, Valentia 2. 2. disp. 3. q. 4. punct. 5. vers. octavo sequitur, Sanchez *de Matrimonio* lib. 9. disp. 4. num. 26. Suarez *de Caritate fraterna* disp. 9. sect. 4. n. Ovied. *de Caritate* controv. 8. punct. 5. n. 107. et alii plures apud Joannem Angelum Bossium tract. *de Effect. Matrimonii* part. 2. cap. 22. § 6. num. 1215.

(93. E contra multi alii tenent absolute oppositum, scilicet quod quis in concursu necessitatis Patris et Filii, tenetur potius alere filium; Sic Rocafull. in sua *Praxi quid agendum* part. 3. lib. 2. num. 45. Bartolus in lib. *Nam. quemadmodum*, ff. *de Liber. agnos* Paleotus in c. *Cum haberet, de Eo qui duxit in Matrimonium*, Merlinus *de Legit.* lib. 1. tit. 3. dec. 5. n. 32. Franciscus Maria Pratus *Lib. Practic.* observat. 891. Alexander in l. *Insuis*, num. 7. ff. *de Lib. et posth.* Fabr. in § *Jus naturale* num. 3. *Instit. de Jure nat.* Ancharanus in cap. *Cum haberet*, n. 13. *de eo, qui duxit in Matrimonium*, Corduba a Lara in l. *Si quis a liberis* in princip. num. 35. ff. *de Lib. agnosc.* Joannes de Lignano in tract. *de Amicitia* § *de Subventione paterna, et filiali numer.* 16. Andisiodorensis l. 3. *Summæ* tract. 3. c. 5. Fagundez. *in Decalogum.* lib. 4. cap. 1. num. 12. et alii apud Bassium loc. cit. num. 1213. et 1214. et sequent. et fuse Rosignolus Contract. XV. *de Matrim.* disp. 2. § 19. n. 5. ubi absolute concludit, quod etiam stante extrema necessitate utriusque, potius sit subveniendum filio quam Patri, et adducit varias probationes, et resolvit argumenta contraria. Sic etiam tenent in tomo *de Patria Potestate* discept. 3. cap. 4. num. 25. et 26.

(94. Filius in extrema necessitate Matris, et Filii proprii, quando non potest utrique subvenire, tenetur etiam potius subvenire Matri, quia antiquius et excellentius debitum est erga parentes, qui nobis existendi causa, et principium post Deum fuerunt. (95. Unde æquitas postulat, ut in extrema necessitate eos ab interitu ante omnes alios liberando, eis veluti vicem rependamus, et quidem patri prius, et potius quam matri, quia pater priorem, et excellentiorem principii locum, et ordinem obtinet, quam mater, sicuti notaverunt S. Hieronymus in cap. 44. *Ezechieles*, S. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 20. Richard. dist. 29. art. 1. quæst. 9. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 3. n. 6. Sporer loc. cit. num. 138. ubi testatur esse communissimam. (96. Filius in extrema necessitate tenetur subvenire potius Patri, et Matri, quam propriæ Uxori; Communis cum S. Thoma loc. cit. art. 9. et Magister Sent. in 3. dist. 29. teste Sporer loc. cit. propter rationem numero antecedenti assignatam. Immo prius quam uxori tenetur in extrema necessitate potius succurrere propriis filiis, quia potior est conjunctio parentum ad filios tanquam aliquid sui existentes. Hanc quoque Sporer loc. cit. dicit esse communissimam, quamvis alii non improbabiliter aliter sentiant.

(97. Extra autem extremam necessitatem debet potius filius subvenire propriæ uxori, quam parentibus, et filiis, quia Maritus cum Uxore fit una caro, Genes. 2. *Relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhærebit Uxori*, et ad *Ephes.* 5. *Vir diligit Uxorem tanquam carnem suam*; Sporer loc. cit. n. 139. et alii passim. (98. Sunt tamen qui volunt nedum in extrema, sed etiam in gravi necessitate debere Filium potius subvenire Patri, et Matri, quam Uxori, et Filiis; Sic Tamburinus l. 5. c. 3. § 5. (99. La Croix lib. 3. part. 1. num. 722. et alii. In communi necessitate tenetur Filius potius subvenire proli suæ, quam parentibus, quia proles est sub cura parentum, et ab illis etiam extra extremam et gravem necessitatem jure postulat alimenta, non item parentes; 2. enim ad Corinth. cap. XII. sic habetur: *Non enim debent Filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*; Communis. Vide verb. *Necessitas.*

(100. Filius quantumvis obstrictus voto Religionis non potest Religionem ingredi existentibus parentibus in extrema necessitate, cui non possint obsistere sine ope Filii: Communis cum S. Thoma 2. 2. qu. 101. art. 4. ad tertium et quartum; Silvester verb. *Religio* 6. quæst. 9. Navarr. in *Manual.* cap. 14. num. 14. Astens. in summa part. 1. lib. 1. tit. 24. art. 3. qu. 4. Cajetan. 2. 2. qu. 189. art. 6. Nec officit, quod Filius sit vinculo voti obstrictus, quia ut recte notat Joannes Angelus Bossius *de Effect. Matrimon.* part. 2. cap. 23. num. 268. et Rosignol. *de Patria potest.* discept. 3. n. 17. obligatio naturalis subveniendi parentibus extreme indigentibus antiquior est, et fortior obligatione voti, nec voto tolli potest. (101. Si Filius existentibus suis parentibus in extrema, vel gravi necessitate Religionem ingrediatur, et profiteatur professio est valida, sed illicita, unde si aliter ipsis subvenire nequeat, tenetur exire. Non tenetur autem, nec potest exire, si sine egressu possit ipsis subvenire suis

Digitized by Google

operibus, et industria, v. g. si a pœnitentibus, aliisque sibi benevolis petat eleemosynas ad subveniendum suis parentibus in extrema, seu gravi necessitate constitutis, vel si ex sibi a Religione attributis aliquid subtrahat, et illud conferat parentibus, vel si impletis consuetis muneribus præstandis in favorem Monasterii, se exerceat in pingendo, scribendo, concionando, vel aliis operibus, ex quibus mercedem, seu eleemosynam aliquam acquirat, et conferat in subventionem Parentum, petita facultate a Superiore, et hujusmodi; Valentia 2. 2. disp. 7. q. 1. punct. 2. vers. *Puto omnes;* Suarez tom. 3. *de Relig.* c. 6. n. 10. Sayrus lib. 1. *Clavis* c. 6. num. 17. La Croix lib. 4. n. 180. Rosignol *de Patria potest.* l. c. n. 39. et alii passim.

(102. Filius Religiosus professus nequit e Religione exire ad subveniendum suis parentibus in extrema, vel valde gravi necessitate, nisi accedat suorum Superiorum placitum et facultas; S. Thom. 2. 2. quæst. 201. art. 4. et ibi Cajetanus, et quodlib. 3. art. 16. et quodlib. 20. art. 9. Alexander tertia part. quæst. 33. memb. 4. quæst. 2. Astensis in *Summæ* prima parte lib. 1. tit. 24. art. 3. quæst. 4. Liranus in *Matth.* cap. xv. Silvester verb. *Religio* 6. quæst. 9. Tabiena verb. *Pietas* num. 3. S. Antoninus, Armilla, Sa, Sanchez, Layman, aliosque plures allegat Joannes Angelus Bossius part. 2. *de Effect. Matrim.* cap. 24. num. 1297. La Croix lib. 5. n. 180. Et ratio est, quia professus in Religione non habet posse, nec velle, cum suam voluntatem, seque ipsum transtulerit in potestatem Religionis, a qua in omnibus dependere debet, adeo ut quidquid agit contra voluntatem Superiorum ejusdem, inique agat, et consequenter non accedente Superiorum consensu, non poterit a Religione exire ad subveniendum extremæ, seu valde gravi necessitati parentum, cum talis necessitas superveniens professioni jam emissæ inveniat subjectum impotens ad sic subveniendum. (103. Non desunt tamen magni nominis Doctores sustinentes, posse Filium e Religione exire etiam contra voluntatem suorum Superiorum ad subveniendum parentibus in tali necessitate, quia dicunt ipsi, professus adhuc manet Filius, et obligatio Filii erga parentes ita est naturalis, et intrinseca, ut nequeat per ullum statutum eximi; Sic Palatius in 4. *dist.* 38. *disp.* 1. Silvius part. 1. verb. *Egressus e Monasterio;* Viguerius lib. *Instit.* cap. 6, § 7. aliique plures apud Sanchez in *Decalog.* lib. 4. cap. 20. n. 25. et apud Mendo d. 3, n. 2, et apud Rosignol *de Patria potest.* loc. citat. n 49.

(104. Filius familias si sui parentes non sint in extrema, vel gravi necessitate constituti, potest etiam ipsis invitis statum Religiosum assumere: S. Thom. 2. 2. qu. 189. art. 6. Bartolus in l. § *Si parens,* ff. *Si quis a Parent. fuer. man.* Palatius in cap. *Per vestras,* § 11. n. 1. *de Donat. inter Vir. et Uxor.* et communis aliorum. Et ratio est, quia Filius in statu eligendo est sui Juris, præsertim in his quæ sunt Divini obsequii; Tum quia magis est obediendum vocanti Deo quam parentibus carnalibus; Hinc Christus Matth. 8 reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ; Et S. Hieronymus in *Epist. ad Heliodorum,* quam refert D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4. ait: « Per calcatum perge Patrem, per calcatam perge Matrem. Ad vexillum Crucis evola, summum genus pietatis est in hac re fuisse crudelem. »

(105. Filius non solum inspecto jure naturali, sed etiam jure civili potest vendi a patre in extrema et valde gravi necessitate, cui aliter subveniri non possit. Quod hoc possit de jure naturali, colligitur ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ, ubi habentur plures venditiones filiorum factæ a parentibus, ut 2, *Nehemiæ* c. 3, *Exod.* 21, *Deuteron.* 19, quæ tamen ibidem non reprobantur, et certe non subsisterent, si essent jure naturali vetitæ, et sic tenent Covarr. *Variar. resolut.* lib. 3, cap. 14. Angelus verb. *Servitus* n. 1. ad fin. Sotus *de Instit.* lib. 4. quæst. 2 et in quarto dist. 29. qu. 1. art. 4. Silvester verb. *Emptio*, q. 3, num. 6. Rosella, verb. *Emptio*, n. 26. Tabiena verb. *Emptio*, n. 7. ad fin. Azorius *Instit. moral.* p. 2. lib. 2. c. 19. vers. *Mihi vero probatur*, et alii passim. Quod hoc etiam possit de Jure civili, colligitur ex textu in l. 2. Cod. *de Patrib. q. fil. distrax.* et sic tenet Salicetus *in d. l.* 2. n. 1. ff. *de Patrib. qui fil. distrax.* et ibi Baldus num. 3. et Glossa, Navarr. in *Manual.* cap. 13. n. 24. Rubellus *de Obligat. just.* p. 1 lib. 1. quæst. 9. n. 9. Joannes Angelus Bossius tract. *de Patr. Potest.* cap. 3. num. 5. Villalobus *in Summa* tom. 2. tract. 10. diffic. 9. n. 7. Lessius *de Justit.* lib. 2. c. 5. vers. *Adverte.* Rosignol. *de patr. Potest.* l. cit. n. 5. et alii passim. (106. Immo antiquitus sancitum fuerat in lege Romuli, de qua mentionem faciunt Covarruvias *Variar. resolut.* lib. 3. cap 14. num. 3. vers. secundo, Azorius *Instit. moral.* part. 2. lib. 2. cap. 19. vers. *secundus effectus*, Rosignol. loco citato num. 1. quod absolute posset pater indistincte, et sine ulla necessitate filium cuicumque voluerit, vendere, sed barbara illa lex Romuli correcta est per textum in l. *Celsus*, et l. *Si in Emptione* § *Liberum.* ff. *de Contrahen. Empt.* l. *liberis* § *Si quis sciens*, ff. *de liberorum Caus.* per quæ jura est absolute statutum, quod patres nequeant vendere, seu alienare filios, nec quisquam possit hominem liberum vendere.

(107. Filius tamen Sacerdos non posset a Patre vendi, neque in extrema egestate famis; Surdus *de Aliment.* tit. 8. privil. 38. n. 16. Barbosa *Collect.* ad l. 2. num. 8. Cod. *de Patrib. qui fil. distrax.* Covarruvias lib. 3. *Variar. resolut.* cap. 14. num. 4. Paschalis *de Virib. patr. potest.* part. 1. cap. 1 num. 15. Molina *de Justit. et jur.* tract. 2. disp. 35. vers. *Sciendum*, Azorius par. 2. lib. 2. cap 19. quæst. 6. vers. *Si verum roges;* Joann. Angel Bossius tract. *de patria Potest.* cap. 3, num. 9. et alii, qui omnes adducunt pro ratione privilegium concessum statui Sacerdotali, cui derogare nequit necessitas patris, cum venditio caderet in dedecus talis sta-

Digitized by Google

tus. (108. Nec filius, nec filia Matrimonio copulati possunt a parte vendi ob necessitatem famis ; Covarruvias lib. 3. *Variar. resol.* cap. 14. num. 5 et seq. Castropalus *de Justitia* tract. 1. disp. *unica* punct. 9. num. 6. vers. *At spectato;* Molina *de Justitia et Jur.* tract. 2. disp. 33. vers. *Sciendum*, Azorius *Instit. moral.* par. 2. lib. 2. cap. 19. vers. *Si iterum roges*, et alii : quamvis enim stando Juri communi filii, et filiæ per Matrimonium non solvantur patria potestate, quia tamen venditio illorum caderet in detrimentum alterius conjugis, facultas parentum ad illam non extenditur. (109. Nec etiam filius emancipatus potest vendi a Patre ob necessitatem famis ; Paschalis *de Vir. patr. potest.* part. 1. cap. 1. num. 12. Lessius *de Justitia* lib. 2. c. 5. num. 17. Pinellus in rubr. *Cod. de Bonis mater.* part. 2. n. 23. et alii magis communiter. Facultas enim concessa Patribus in cit. leg. 2. Cod. *de Patrib. qui filios distrax.* non est solum ratione sanguinis, sed etiam ratione patriæ potestatis, a qua sunt exempti filii legitime emancipati, per textum in § *Admonendi; Instit. quib. mod. jus patriæ potest. solv.* et l. *Cum in adoptionibus*, vers. *Si vero* in fin. Cod. *de Adopt.*

(110 Inspecto jure naturali, in extrema necessitate famis potest filius vendi etiam a Matre, et Avo, Filii enim de jure naturæ post Deum sunt obligati parentibus, a quibus esse acceperunt, adeoque parentum vitæ jure naturali compelluntur suam libertatem postponere. Hinc in Sacris paginis *Exod.* XXI. *Deuteron.* XV. *Nehemiæ* cap. 1. non solum in ordine ad Patrem, sed etiam ad Matrem permittitur talis venditio; sic tenent Covarruv. lib. 3. *Variar. resolut.* c. 14. num. 4. Sotus lib. 3. *de Just.* qu. 2. art. 2. Tiraquell. lib. 1. *de Retract.* § 26. num. 17. Ascanius Clemens *de patria Potest.* part. 2. cap. 1. num. 9. Molina *de Justitia* tom. 1. disp. 33. vers. *Sciendum*, Silvester verb. *Emptio* num. 6. Lessius *de Justit.* lib. 2. cap. 5. num. 17. et alii. (111. Inspecto autem præciso Jure civili, talis facultas vendendi filios ob famis extremam ægestatem non competit Matri, quia Mater non habet tantam potestatem in filios, quantam habet Pater, prout colligitur ex textu in l. *Transactione*, Cod. *de Transaction.* adeoque in hoc non venit nomine patris, cui specialiter hoc privilegium concessum est in cit. l. 2 Cod. *de Patribus, qui filios distrax.* quod, cum sit contra filium, adeoque contra jus tertii, non est extendendum, sed strictissime accipiendum ; arg. c. *Odia* 15. *de Regul. Juris* in 6. Et sic tenent Salicetus in d. l. 2. n. 2. Cod. *de Patribus, qui filios distraxer.* Et ibi Glossa verb. *Vendiderit*, Baldus n. 4. Pinellus *de Rubr.* part. 2. a num. 20. Cod. *de Bonis matern.* Gloss. in princip. *Instit. de patria Potest.* Ascanius Clemens *de patria Potest.* cap. 6. effect. 1 num. 20. Sanchez *de Matrim.* lib. 7. disput. 24. n. 16, et *Consil. moral.* lib. 1. cap. 1. dub. 13. num. 2. Rebellus *de Obligat. just* par. 1. lib. 1. q. 9. Joannes Angelus Bossius *de patria Potest.* c. 3. n. 28. Molina loc. cit. tract. 2. disp. 33. vers. *Sciendum*, et alii. (112. Nec etiam talis facultas inspecto præcise jure civili competit Avo, seu aliis Ascendentibus, quia quamvis appellatione Patris quandoque veniat etiam Avus, l. *Parentum appellatione*, ff. *de verb. Signific.* in lege tamen strictissima, in qua ex dispositione juris speciale privilegium consistit, venit solummodo pater naturalis; Salicetus in d. l. 2. num. 3. Cod. *de Patribus, qui alios distraxer.* Montalvus lib. 7. ad fin. tit. 17. part. 4. Barbosa collectan. ad d. l. 2. num. 10. Cod. *de Patribus qui filios distrax.* et ibi Baldus, Surdus *de Aliment.* tit. 8. privileg. 38. num. 20. Sanchez lib. 7. *de Matrim.* disp. 24. num. 16. et alii.

(113. Filius non tenetur credere Matri asserenti ipsum non esse legitimum. Mater enim est incerta ad dignoscendum, an conceperit ex coitu mariti, an vero adulteri, cum supponatur pro eo tempore cohabitare cum marito, prout colligi potest ex textu in l. 1. § *Si mulier.* ff. *de Lib. dignoscend.* ubi quod possit contingere casus, quod femina carnaliter cognita non sentiat conceptionem, adeoque ejus dicto non videtur firmiter credendum ; arg. l. *Lucius Titius* ff. *de Condit. demonstrat.* Tum quia alleganti suam turpitudinem, maximo ubi hæc potest esse in præjudicium tertii, ex vulgata regula non est fides præstanda; Glossa in cap. *Officii de pœnit. in remiss.* hocque satis evincit textus in l. *Mercedem*, Cod. *de Condit. ob turp. caus.* l. *Transactione*, Cod. *de Transact.* præcipue cum jura possint, semper præsumere, quod assertio fuerit ex odio, vel aliquo alio pravo prætextu, prout haberi videtur in l. fin. ff. *de Probat.* Sic tenet Bartolus in l. *Filius*, ff. *de Iis, qui sunt sui, vel alieni juris;* Menochius *de Arb. Judic.* lib. 2. cent. 1 cas. 89. num. 5. et num. 27. vers. *Extenditur quarto*, Mantica *de Conject. ult. volunt.* lib. 2. tit. 14. num. 8 Decius in cap. *Per tuas* num. 4. *de Probat.* Boerius dec. 299. num. 6. in fin. Joan. Nevizani in *Sylva nupt.* lib. 1. num. 50. vers. *Præsertim quando filius*, Rosignolus *de patria Potest.* discept. 1. cap. 7. num. 2. Suarez *de Censuris* disp. 50. sect. 4. n. 5. Bonacina *de His quæ pertinent ad usum Matrimonii* q. 4. punct. 15. n. 21. Sayrus, et alii plures.

(114. Filius nec pro foro interno tenetur sic credere Matri, prout signanter notat Mantica *de Conjectur. ult. volunt.* lib. 2. tit. 14. num. 6. et 27. Rosignolus l. c. n. 6. Filius enim ille habet fundatam intentionem suam in viribus matrimonii, cujus favor semper prævalet; argum. l. *Miles* § *Defuncta*, ff. *de Adult.* (115. Etiamsi Mater juret ipsum non esse legitimum, c. *Per tuas* 10. *de Probat.* et ibi Felinus in princip. et n. 14. et communiter Canonistæ, et ex Theologis Suarez tom. 5. *de Censur.* disp. 50. sect. 4. Silvester verb. *Adulterium* num. 5. Bannes 2. 2. qu. 62, art. 6. Bonacina *de iis quæ pertinent. ad usum matrim.* qu. 4. punct. 15. num. 22. et alii. (116. Etiam si Mater in exonerationem suæ conscientiæ juret in articulo mortis, et mandaverit suo Confessario, ut post suum obitum hoc propalaret, quia nihilominus filius non tenetur eidem credere ; Boerius dec. 229. n. 7. vers.

Digitized by Google

Et hoc etiam; Joan. Baptista de Barbobus *de Filiis famil.* quæst. 45. n. 15. Rosignol. loc. cit. sub num. 9. et alii. Unde Legistæ in l. *Filium.* ff. *de His, qui sunt sui, vel alieni Juris*, quos citat Fagnan. lib. 3. *Decretal.* in cap. *Cum esset* 10. *de Testament.* numer. 104. et sequitur Menochius *de arbitrariis Judicum* l. 2. cent. 1. num. 28. et Bartolus in d. l. *Filium, de iis, qui sunt sui, vel alieni juris* fatuum reputant filium, si credat Matri asserenti eum ex adulterio esse genitum, ut fatuum reputarunt Regem, qui renunciavit, et dimisit Regnum, eo quod Mater Regina in articulo mortis asseruisset, Filium, qui jam Regnum assumpserat, non esse ex se, et marito rege procreatum, sed ex se, et quodam milite; et teste Fagnano loc. cit. conveniunt Doctores, quod talis non tenebatur Matri credere in foro conscientiæ, quia ei non credit lex, cui debebat se conformare, et merito Bartolus loc. cit. ipsum arguit nimiæ levitatis, eo quod fiderit verbis maternis, et subdit, quod, si ipse in tali casu fuisset, non deposuisset, quia matris verba non possunt filiis præjudicare quoad filiationem, per textum in l. *Neque professio*, C. *de testamentis*, et l. *Non nudis*, C. *de probationib.* et aliis concordantibus. (117. Intellige hæc tamen de filio, qui non habet conscientiam læsam. arg. d. l. *Filium, de Iis qui sunt sui, vel alieni juris*, alioquin si veniat contra conscientiam, ædificat ad gehennam; c. fin. *de Præscript.* Fagnan. cum aliis in lib. 5 *Decretal.* c. *Officii* 9, *de Pœnit. et remiss.* num. 20, ubi in summario sub n. 18, dicit præcisis verbis, quod « filius, qui matri eum spurium asserenti, fidem adhibuit, et Regno renunciavit, deluditur a Legistis, laudatur a Canonistis. »

(118. Filius pluribus modis liberatur a patria potestate. *Primo*, per mortem naturalem patris, per textum in § 1, vers. *Hic vero, Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv.* (119. *Secundo*, per ejusdem patris mortem civilem, scilicet per deportationem in insulam ob maleficium, prout habetur in § *Cum autem, Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv.* (120. *Tertio* per lapsum patris in hæresim, etiam ante condemnationem, textu expresso in cap. 2. § *Illorum autem filiorum, de Hæreticis* in 6. (121. *Quarto* per electionem filii ad patritiam, vel Consularem dignitatem; leg. ult. Cod. *de Decurionibus* l. 10, et l. ult. Cod. *de Consulibus* l. 12 et § *Filius Familias, Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv.* (122. *Quinto*, per electionem filii in Episcopum; cap. *Per venerabilem, qui filii sint legitimi.* Sic etiam per assumptionem ad Cardinalatum filius liberatur a patria potestate; Glossa in Extravag. *Execrabilis, de Præbend. inter communes*, vers. *Solemnitatem* Bartolus in tract. *de Præstantia Card.* p. 1, q. 1, num. 69. Covarr. in c. *Quia nos* num 5, *de Testament.* Bossius *de patr. Potest.* c. 2, n. 76, et communis aliorum; (123. *Sexto*, per professionem Filii, seu Patris in Religione; Sic communior Doctorum, tum Juristarum, tum Theologorum. Ex Juristis Baldus in l. *Sacrosancta* num. 1. Cod *de Episcopis, et Clerici*, Mysingerius in § *Filius Familias, Instit. Quibus modis Jus patr. potest. solv.* Covarr. in cap. *Qui nos* num. 5, *de Testament.* et alii plures quos allegat, et sequitur Joan. Angel. Bossius *de patr. Potest.* cap. 2, n. 36. Ex Theologis Molina *de Justitia* tom. 1, tract. 2, disp. 140, vers. *Utrum autem*, Sanchez *in Summa* lib. 3. cap. 5. num. 29. Azorius *Instit. moral.* part. 2, lib. 2, cap. 29, vers. sexto Armilla verb. *Patria Potestas*, Layman lib. 3, *de Justitia* tract. 3, par. 3, cap. 8, sub num. 13, ubi testatur de communi. (124. *Septimo*, per emancipationem filii coram Judice factam; l. ult. cod. *de Emancip.* l. *Instit.* (125. *Quibus modis jus patr. potest. solv.* Octavo per adoptionem filii familias factam non ab extraneo, sed ab Avo paterno vel materno, l. *Cum. in adoptivis* § *Si vero*, Cod. *de Adoptionibus.*

(126. Filii alendi sunt a suis parentibus: l. *Si quis a liberis, ff. de agnoscend. et alend. Liberis.* (127. Non solum legitimi, sed etiam spurii. Quamvis enim Jure Cæsareo parentibus interdictum esset alimenta præstare Spuriis, seu ex coitu damnato ortis; Authent. *Quibus modis naturales*, etc. § penult. Authent. *Ex complexu*, Cod. *de Incest. nuptiis*, Authent. *Licet*, Cod. *de naturalibus Liberis*; Jure tamen Canonico sancitum est, quod a parentibus moderata alimenta debeant præstari quibuscumque illegitime natis, c. *Cum. haberet* 5, *de Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluerat adulterio*, ibi in fine: « Sollicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque parentum liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret. »

(128. Cum hac tamen advertentia, quod mater tenetur alere filios primo triennio, et post triennium tenetur pater usque ad emancipationem, ut colligunt recte Doctores *ex. l. Nec filium*, Cod. *de patria Potest.* et cap. *Ex litteris, de Convers. infidelium*, ubi decernitur filium a patre alendum post triennium. Unde deducti sunt hi vulgati versiculi:

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem
Majorem vero pascere patris erit.

(129. Nomine alimentorum aliud intelligitur respectu Patris, et aliud respectu matris; respectu enim matris intelligitur solum lac, plus enim quam lac non tenetur filio exhibere; Unde si proli alia necessaria subministraverit sine animo donandi, potest repetere a patre; leg. *Alimenta*, Cod. *de Negotiis gestis*, et cit. l. *Si quis a liberis* § *Si mater alimenta*, Azorius *Instit. moral.* par. 2, l. 2, cap. 5, qu. 8. Bonac. *de Leg.* disp. 6, quæst. unic. punct. 6, § 2, num. 3. Gobat. in *Quimario* tract. 5, cap. 28, num. 15 et 19. La Croix l. 3, par. 1, num. 697, et alii passim. (130. Si autem mater nequeat ipsa lac præbere filio, tenetur pater suis impensis nutricem conducere. Si vero possit ipsamet, tenetur præbere, vel suis impensis nutricem conducere; Azorius loc. citat. Bonac. loc. cit. punct. 6, num. 5. Gobat. loc. cit. 697, num. 19 et 20. La Croix loc. cit. num. et alii. (131. In defectum patris, si is videlicet pauper sit, tenetur alere filios avus

Digitized by Google

paternus, vel alii ascendentes, et in defectum ascendentium paternorum, hæc obligatio devolvitur ad matrem uti colligitur *ex l. Si quis a liberis, ff. de Liber. agnoscend. § Utrum autem,* et Authent. *Si pater*, Cod. *de Divortio* in fine, et tenent Thesaurus dec. 212, num. 9. Layman loc. cit. num. 7. Angelus Armilla, Silvester verb. *Alimenta*, et alii apud Gobat. in *Experient.* tract. 10, num. 782, (132. quamvis addat usum præsentium temporum esse contrarium. Deficiente autem matre, tenetur filios alere avus aliique ascendentes materni; l. penult. ff. de *Filiis agnoscendis*; Layman loc. cit. et alii. Vide verb. *Parentes* num. 8.

(133. Filii etiam Spurii alendi sunt ab hæredibus parentum; Authent. *Licet* Cod. *de naturalibus Liberis*; Gobat. in *Quinario* loc. cit. num. 31. Covarruv. in *Epitome decret.* part. 2. cap. 8. § 6. num. 21. La Croix loc. cit. num. 698. et alii. Aut a Fisco, si bona patris ei sint addicta ob crimen distinctum a crimine hæresis, vel læsæ Majestatis; Gobat. loc. cit. La Croix loc. cit. Bonacinal. c. n. 10. (134. Clericus potest filio Spurio alimenta suppeditare etiam ex bonis Ecclesiasticis; Navarr. in tract. *de Spoliis Clericorum* § 10. num. 11. Azorius loc. cit. cap. 12. qu. 4. Filiuc. tract. 28. par. 2. num. 31. Bonacina loc. cit. num. 4. Gobat. loc. cit. n. 29. et alii argum. cap. *Pasce* dist. 86 et c. *Cum haberet* 5. *de eo, qui duxit in Matrimonium.* (135. Supradicta tamen de præstandis alimentis Filiis, intelligi debent, si Filii non possunt habere, unde se alant, cit. l. *Si quis a liberis*, ff. *de Filiis agnoscend.* § *Sed si Filius.* Covarruv. loc. cit. num. 13. cum cæteris Jurisconsultis, Gobat. loc. cit. numer. 24. Layman loc. cit. num. 7. Regin. lib. 20. num. 39. et alii: Alimenta enim debent præstari, si necessitas adsit, et non aliter; Thesaurus loc. cit. num. 16. Gobat. loc. cit. num. 24. et alii passim. Unde si filius aliunde habeat sufficientem sustentationem, vel laborando honeste acquirere possit spectata qualitate personæ, ac status sui, vel si sit artifex, parentes non tenentur ipsum alere: tunc enim præsumitur posse seipsum alere; Thesaurus loc. cit. num. 24. quandoquidem quilibet præsumitur ex suo opificio posse non solum ali, sed etiam ditari; Sic ex Baldo Gobat. loc. cit. numer. 24. Thesaurus loc. cit. et alii.

(136. Filios spirituales esse alendos a patribus spiritualibus, docent quidam Juristæ apud Tiraquell. *Commentar.* in l. *Si unquam* Cod. *de revocat. Donat.* Glossa in verb. *Susceperit. liberos* num. 31. At, ut recte notant Gobat. loc. cit. num. 29. La Croix loc. cit. n. 703. et alii, nulla lex, vel consuetudo hoc probat, quod Filii Spirituales alendi sint a patribus Spiritualibus, si desint Parentes naturales, unde talis opinio videtur minus probabilis. Citati Doctores.

(137. Filii an possint, et ob quas causas, exhæredari; Vid. verb. *Exhæredatio.*

(138. Filii quorum bonorum dominium habeant, et quid possint, vel non, circa sua bona. Vid. verb. *Bona* art. 4. et verb. *Dominium.*

(139. Filii quas eleemosynas facere possint; Vide verb. *Eleemosyna.*

(140. Varia de filiis expositis; Vid. verb. *Parentes* a n. 20. ad 32. et verb. *Expositi.*

(141. Filius, an et quando teneatur ad restitutionem mutui sine consensu Patris accepti; Vide verb. *Mutuum* a n. 5. ad 19.

SUPPLEMENTA AUCTORIS.

(142. Filii ex matrimoniis occultis nati, fraudari nequeunt bonis paternis, et avitis: Bened. XIV, t. 1, Constitut. 35, incip. *Satis Vobis* § 9. Filii nati ex soluto, et soluta legitimantur per subsequens Matrimonium; Idem Constit. 113, incip. *Redditæ* § 2. Filii nati ex Adulterio, et nati constante Matrimonio, non legitimantur per subsequens Matrimonium; idem *ibid.* § 3, et per tot. Si autem filii generati ex adulterio, nati sint post mortem legitimæ uxoris, cum quantum ad hoc inveniantur Textus Textibus contrarii, cumque Doctores Doctoribus, Tribunalia Tribunalibus adversentur, non aliter disponeret in hoc casu Pontifex, quam secundum sententiam in Tribunalibus, et Curia illius Regionis receptam, in qua esset pronunciandum. Et in dubio, proli favendum esse censet; Idem *ibid.* § 3.

(143. Filii nati ex incestu, legitimantur accedente dispensatione *in Radice matrimonii*; Idem *ibid.* Ut autem obtineatur dispensatio in radice Matrimonii requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative Matrimoniali, quodque impedimentum, quo Matrimonii nullitas inducta est, non a jure Divino, aut naturali, sed a jure dumtaxat Ecclesiastico proveniat; Sicque, et non aliter, legitimatur proles incestuosa vigore dispensationis, quæ dicitur *in radice Matrimonii*; Idem *ibidem* § 40.

(144. Filii mulierum Christianarum ex Turcarum contubernio geniti, quando ad Baptismum admitti debeant, nec ne, Vid. tom. 1, verb. *Baptismus.*

(145. Filii in potestate sunt Patris, non vero Matris; Idem tom. 2. Constit. 28, incip. *Postremo mense* § 15. Ubi tamen Fidei Christianæ favor intercedit, potest Mater, invito Patre, Filios ad Baptismum offerre; Idem *ibid.* § 16.

(146. Filii Judæorum in parentum potestate sunt; Idem *ibidem* § 9. Non ideo tamen ipsis relinqui debent, quando constat baptizatos fuisse etiamsi illicite; Idem *ibid.* § 30.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(147. Pacifica haud est opinio Auctoris num. 41, quod habilitas ad Matrimonium, quam in parentibus exigit legitimatio per subsequens Matrimonium, non requiratur tempore nativitatis. Communior tamen est sententia, Prolem non legitimari per subsequens Matrimonium, si tempore conceptionis inhabiles erant Parentes ad Matrimonium; Zoef. in *Decreta.* lib. 4, tit. 17, num. 18, rursus in *Pandect.* lib. 25, tit. 7, num. 14, et demum in *Cod.* lib. 4, tit. 27, qu. 5, Stryk

Digitized by Google

in *us. modern. Pandect.* lib. 4, tit. 6, § 1, Wames. *Consil.* canon. 545, num. 6, Sarmien. lib. 1, *select. Interpret.* c. 5, n. 5, optime Marend. *controvers. jur.* lib. 24, c. 5, num. 20. Pax Jordan. *Elucubrat.* tom. 2, lib. 10, tit. 18, n. 46. Cocceius, *Jur. Controvers.* lib. 1, tom. 6, qu. 10. Peregrin. *de Fideicommis.* art. 24, num. 50. Fusar. *de Substitut.* quæst. 409, num. 10. Garz. *de Benefic.* part. 7, c. 2, num. 36. Rot. in recent. decis. 100, num. 51, part. 5, tom. 1.

(148. Non obstat allegata ab Auctore Lex *Nuper*, Cod. *de Natural. liber*, ubi in fine habetur, quod in quæstionibus de statu liberorum non conceptionis, sed nativitatis tempus, si iis sit favorabile, attendi debeat. « Non obstat (ait ex proxime allegatis Zoes. in *Codic.* lib. 5, tit. 17, quæst. 5), quia quum dicat inspiciendam esse qualitatem, quæ est tempore nativitatis, si ea sit Proli favorabilior non est accipienda de qualitate ex delicto complexus, sed ea quæ causatur ex instrumentis dotalibus confectis vel ante nativitatem, vel postea, cui subjungitur supradicta decisio, ut ne utiquam sit dicenda respicere qualitatem conjunctionis damnatæ, quæ uti dictum non purgatur per nativitatem Prolis eo tempore, quo conjuges esse possunt. Nam alias Imperator sibi contradiceret in dict. l. Nuper, in cujus principio ad legitimationem desiderat, ut ea in contubernio habeatur, cum qua connubium esse poterat, quæ res respicit omnino copulam, quomodo si ea damnata fuerit non procedat legitimatio, utpote deficiente uno ex requisitis. »

(149. Posita hac sententia, hoc venire solet in quæstionem, an locum habeat legitimatio per subsequens Matrimonium si a morte primæ uxoris ad nativitatem Prolis effluxerint dies 182, in quibus concipi ea, et nasci potuit; l. 12, ff. *de stat. Homin.* et l. 3, § 12, ff. *de suis et legitimi Hæred.* et sic concurrerit habilitas ad matrimonium utroque tempore conceptionis et nativitatis?

(150. Porro negari haud potest, quod non obstante discordia Philosophorum, et Medicorum prævaluit in jure opinio Hippocratis, qui in lib. *de Partu septimestri* (ab Eruditis apocrypho existimato teste Fabroto in *Exercit. de tempor. Human. Part.* pag. mihi 14), scripsit septimo mense incœpto, id est diebus 182, hominem nasci posse, ut videre est in dict. l. 12, ff. *de stat. Homin.* et in dict. l. 3, § 12, ff. *de suis et Legitim. Hæred.* At ponderandum est, quod in jure nostro non aliter opinio hæc Hippocratis admissa sit, quam si is, de quo agitur, ex justo præterea Matrimonio natus sit, ut satis eruitur ex ipsa l. 12, ff. *de stat. Homin.* et innuunt Noodt in *Comment. ad Pandect.* l. 1, tit. 6, § superest, ac Boemer. in *Exerc. in Pandect.* t. 1, exerc. 20, § 12. Ita scilicet favore Matrimonii prudenti consilio statutum fuit, ad amputandas dissensiones, quæ perpetuo inter conjuges duraturæ essent, si Partus septimo mense a die contractus Matrimonii editus alii quam viro attribueretur. Quapropter non est, cur nativitas tempore septimestri, quæ per naturam non est semper certa, et in jure unice admissa est in gratiam eorum, qui ex Matrimonio geniti sunt, extendatur ad eum, qui extra Matrimonium natus est.

(151. Neque id novum in jure est. Favore quoque ejusdem Matrimonii receptum est, ut qui partus nascitur Marito cum uxore cohabitante, nec manifesta impotentia præpedito, is attribuatur ipsi Marito, quantumvis Uxor sui copiam aliis fecerit, ad vulgatissimum Textum in l *Miles* 11, § *Quæ propter*, ff. ad l. *Jul. de Adult.* At si extra Matrimonium genitus quis sit ex Muliere, quæ cum pluribus commercium habuit, quum cesset favor Matrimonii, nec ei partus adscribi valet quem Muliere Patrem designavit, ut cum eodem postea Matrimonium contraxerit.

(152. Gravior est quæstio, an ex dispensatione in *radice Matrimonii* obtenta, post contractum ipsum Matrimonium legitimetur ad omnes effectus Proles antea nata, perinde ac si ex justo Matrimonio nata esset?

(153. Invaluit distinctio, quod aut impedimentum in Parentibus ad ineundum Matrimonium erat juris divini, et dicta dispensatio in radice Matrimonii efficere nequit, ut filii nati perinde legitimentur ac si ex justis nuptiis nati essent, sed vix eis tribuit legitimationem, quæ dicitur *per rescriptum*, quum nequeat Summus Pontifex dispensando tollere nullitatem Matrimonii a jure divino inductam. Aut vero impedimentum erat juris Ecclesiastici, rursus distinguendum est, quod videlicet si Matrimonium nec de facto præcessit, dispensatio in radice Matrimonii operatur, ut in casu præcedenti, legitimationem Filiorum natorum per rescriptum, idque quia ubi nullum præcessit Matrimonium, non est radix in qua dispensetur. Sin autem de facto præcessit Matrimonium, quantumvis irritum ex dicto juris Ecclesiastici impedimento, dubium nullum esse potest, quia attenta summa, qua Summus Pontifex pollet, potestate tollendi legem Ecclesiasticam quoad omnes effectus non solum incurrendos sed et incursos, dispensatio in radice Matrimonii vim habeat plenissime legitimandi Filios natos, eodem prorsus modo ac si ex legitimo Matrimonio nati essent; Molin. *de Primogenit. Hispan.* lib. 3, cap. 2, num. 2. Fajard. *de Legitim. per subseq. Matrim.* Torre, *de Majorat. Ital.* tom. 1, cap. 29, § 4, numer. 28, de plur. seq. De Justis, *de dispensat. Matrimon.* lib. 1, cap. 7.

(154. Nec admitti potest opinio Auctoris, n. 44, quod Legitimati per subsequens Matrimonium veniant sub dispositione Hominis directa *ad Legitime natos*. Quum enim in his terminis qualitas legitimitatis tanquam proprie, et vere requisita tempore nativitatis, prædicari nequeat de Legitimatis per subsequens Matrimonium, qui nonnisi per quamdam juris fictionem habentur pro legitimis usque ab initio; hinc est quod legitimati per subsequens Matrimonium venire nequeunt sub dicta dispositione ad legitime natos directa; Marend. *Controv. jur.* lib. 17, cap. 22, num. 18, et rursus lib. 24, c. 5, num. 34. Peregrin. *de Fideicom.* art. 24, a n. 25 ad

Digitized by Google

plur. seq. Fajard. *de Legitim. per subsequens Matrim.* memb. 4, n. 337. Torr. *de Majorat. Ital.* tom. 1, cap. 29, § 9, a num. 95 ad seq. Rot. in Romana Immissionis 21 Junii 1726, § *Recedere*, coram bon. men. Crispol. et in Romana Salviani 8 Maii 1728, § *Ut igitur* cor. clar. mem. Calcagnin.

(155. Legitimati per subsequens Matrimonium quoad omnes juris effectus exæquati sunt vere legitimis in his quæ proveniunt, vel a providentia ipsius Legis, vel ab Hominis dispositione Legi tamen conformi, nequaquam vero in his quæ dependent a dispositione Hominis, quæ a Lege recedendo unice ad vere legitimos directa est, quum in his prout in aliis materiis dispositio Hominis faciat cessare dispositionem Legis, ut ex mox allegatis optime præ cæteris disserit Rot. in Romana Immissionis 21 Jun. 1726, § *Siquidem*, plur. seq. cor. bon. mem. Crispolto.

(156. Non incongrue hic quæritur, an quæ a statutis proveniunt, attribui debeant Legis providentiæ, ita ut ad ea indiscriminatim admittendi sint Legitimati per subsequens Matrimonium?

(157. Si sermo sit de statutis conditis a Communitate, sive Ecclesiastica, sive Laicali superiorem recognoscente, non Legis sed Hominis providentiæ attribui debent, quæ ab ipsis proveniunt, nam ea nequeunt legibus accenseri, obligantque non uti Leges, sed uti pacta; Huber. in *Prælect. Jur. Roman. et Hodiern.* part. 2, lib. 1, tit. 3, n. 11. Strauch. *ad jus. Justin.* dissert. 1, thes. 9. Stryk. *Jurisdic.* dist. 5, disp. 11, cap. 1, a num. 7, ad plur. seq. Ziegler. *de Jurib. majest.* lib. 1. cap. 4, § 16. Atque hinc nequeunt Legitimati per subsequens Matrimonium indiscriminatim admitti ad ea quæ proveniunt a statutis; Eo vel maxime quod Legitimati per subsequens Matrimonium pro vere legitimis habeantur, quoad ea dumtaxat, quæ proveniunt a jure communi; Add. ad Zoes. *in Codic.* lib. 5, tit. 27, l. F. Fajard *de Legitim. per subsequens Matrim.* membr. 4 num. 302.

ADDITAMENTA NOVISSIMA AUCTORIS.

(158. Quis fuerit filius Viduæ Civitatis Naim a Christo e mortuis revocatus, tradit inter alios eruditissimus Clericatus parte prima *delle Spighe raccolte*, italico idiomate edita, dicens, quod vocabatur *maternus*, ætatis viginti circiter annorum, dives, et nobilis, lubricam vitam ducens cum Maria Magdalena tunc in dicta Civitate Naim commorante, solo milliario a suo Castro Magdalo distante: « Et erat mulier in Naim molliens virum ex mollitie pestis alliciendo ad libidinem, » ut tradit Victor Antiochenus, relatus ab Alberto Magno cap. VII *in Lucam*. Mortuo, Deo sic disponente, Materno, et a Christo in vitam restituto; is Madgdalenam monuit de visis horrendis suppliciis, quibus torquentur peccatores, ipsam serio exhortans ad pœnitentiam de peccatis commissis, et ad omnimodam conversionem, ut et ipse decreverat, et facto jam cœperat. Magdalena, monitis et exhortationibus *Materni* obtemperans, illico penitus contrita convolavit ad pedes Jesu Christi existentis in eadem civitate, et ad mensam accumbentis in domo Pharisæi: *Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus et unguento ungebat. Luc.* cap. VII, 17. Et exinde uterque ad meliorem frugem vere conversi, fidelissimi sequaces facti sunt Jesu Christi, ut et fecit vidua Materni mater facta discipula, et sectatrix Deiparæ Virginis, ut notat laudatus Albertus Magnus in cit. cap. VII, *Luc.* Tandem post passionem, mortem, Resurrectionem, et Ascensionem Domini Nostri Jesu Christi a D. Petro Apostolo una cum Eucherio, et Valerio, ordinatus Maternus Episcopus, et ad convertendos Tungrenses, Colonienses, et Trevirenses, aliosque finitimos populos missus, sanctissime obiit Treviris Episcopus, et ejus festum colitur die 14 Septembris (1)

FISCUS.

Vide verb. POENA, *art.* 2, *num.* 7.

FORNICATIO.

Vide verb. LUXURIA, *a num.* 3 *ad* 9, *et verb.* POENA, *art.* 2, *num.* 102, 103.

FORTITUDO.

Vide verb. VIRTUS, *num.* 120.

FORUM, SEU FORUS.

SUMMARIUM.

1. Nomen Fori varias habet significationes. — 2. Forum in neutro genere, unde veniat, et pro quo accipiatur? *ad num.* 3. — 4. Forus in masculino genere quid sit? — 5. ad 6. Forus competens qui sit. — 7. Reus coram incompetente Judice conventus impune non comparet. — 8. Orta quæstione de competentia Fori inter Judicem Ecclesiasticum, et Laicum, debet cognoscere Ecclesiasticus. — 9. Plurimi sunt modi generaliter loquendo sortiendi Forum. — 10. At modi ordinarii, et speciales sortiendi Forum

(1) Hæc historia, si vera foret, quæstionem illam perantiquam, et perobscuram solveret de muliere, quam D. Lucas peccatricem appellat. Verum quum de illa nondum liqueat (nec unquam liquebit, ait Ant. Sandini in Histor. Familiæ Sacræ cap. x.) hæc ab auctore nostro proposita pura puta, fabella credenda est. Alia etiam falsitatis argumenta occurrent, si auctores, qui de S. Materno scripserunt, consulas. (NOTA EX EDIT. ROM.)

Digitized by Google

sunt quatuor. — 11. ad 14. Primus est ratione delicti. — 15. ad 16. Secundus est ratione contractus. — 17. ad 21. Exceptione. — 22. ad 28. Tertius est ratione domicilii. — 29. ad 30. Quartus est ratione rei, de qua contenditur. — 31. ad 32. Præterea etiam ratione communis Patriæ, vel communis Superioris in Romana Curia. — 33. Fori privilegio quinam gaudeant? *remissive*. — 34. Per privilegium fori quid intelligitur? — 35. Hoc fori privilegio gaudet Clericus non obstante Irregularitate contracta ob homicidium. — 36. Etiamsi Clericus non habeat requisita Sacr. Concil. Trid. remittendus est Episcopo illum repetere volenti. — 37. Clericus gaudet privilegio fori quoad Personam, etiamsi post delictum, et processum Clericatum assumpserit. — 38. Clericus successor Laici non ligatur instantia inchoata coram Judice Laico. — 39. Clericus provocans fratrem Laicum divisionem convenire debet coram Judice Laico uti Judice Rei conventi. — 40. Clericus laudatus non potest declinare forum Judicis Laici, quando sententia dirigitur contra Laicum laudantem, secus si dirigatur contra Clericum laudatum. — 41. Filius legitimus Clerici ante Clericatum susceptus, gaudet privilegio fori durante vita Patris. — 42. Et licet gaudeat privilegio fori, non ideo est incapax officiorum Communitatis. — 43. Verum filii Clericorum non gaudent privilegio fori post mortem Patris. — 44. Filius Clerici Græci, quatenus sit legitimus vivente Patre gaudere debet privilegio fori. — 45. Filii Græcorum ritus Græci redeuntes ad convivendum cum Matribus Viduis gaudere debent privilegio fori. — 46. Fori privilegio gaudet ille, cui reservata fuit pensio Ecclesiastica. — 47. Etiamsi non incedat in Habitu et Tonsura. — 48. Fori privilegio gaudent Protonotarii Honorarii, etiamsi Ecclesiæ non inserviant, nec servitio alicujus Ecclesiæ adscripti sint, dummodo in habitu Clerici incedant. — 49. Fori privilegio gaudet de præstanti Laicus pro tempore, quo fuit Clericus. — 50. Fori privilegio gaudet Clericus, qui ante carcerationem reassumpserat habitum. — 51. Equites Regulares quorumcumque Ordinum Militarium gaudent fori privilegio. — 52. Fori privilegio non gaudent illi, qui in accendendis lampadibus, et aperiendis Ecclesiæ portis deserviunt. — 53. Filius Cancellarii Curiæ Episcopalis non gaudet privilegio fori. — 54. Filius Titii quondam Fiscalis Curiæ Episcopalis non gaudet privilegio fori. — 55. Filius, seu Nepos subaffictuarii bonorum Mensæ Episcopalis non gaudet privilegio fori. — 56. Filii Colonorum Ecclesiasticorum, etiamsi sint partiarii non gaudent privilegio fori. — 57. Attamen filii Colonorum partiariorum Mensæ Episcopalis, et alii de eorum Familia habitantes cum eisdem Colonis, et bona ejusdem mensæ colentes, gaudent privilegio fori, prout gaudent ipsi Coloni. — 58. Sæpe per *Forum* intelligitur *Judicium*, *Jurisdictio*, *Potestas*. — 59. Causa mixti fori quæ dicatur. — 60. Causa rixæ secutæ inter mulieres in ecclesia spectat ad gubernatorem. — 61. Punitus ab uno Judice super crimine mixti fori, non potest amplius regulariter accusari, et puniri in altero foro. — 62. Forum aliud dicitur externum, seu *Forum Fori*, et aliud internum, seu *Forum poli*, vel *conscientiæ* et quid sit utrumque? — 63. Forum internum aliud dicitur *Pœnitentiæ*, et aliud *non Pœnitentiæ*, et quod sit utrumque, et in quo differunt? — 64. Forum contentiosum unde dictum, et quando aliqua res dicatur ad ipsum deducta? — 65. Quomodo Forum Ecclesiasticum sit competens. — 66. 69. Quando causæ civiles deduci possit ad Forum Ecclesiasticum. — 70. Causæ Ecclesiasticæ civiles. — 71. Criminales. — 72. Mixtæ. — 73. 77. Quæ personæ Foro Ecclesiastico subjiciantur in causis civilibus. — 78. Fori privilegium est immutabile. — 79. Forum Ecclesiasticum est præferendum. — 80. 81. Quando Clerici gaudeant Fori privilegio. — 82. 83. Quando hoc privilegium in causis criminalibus amittant.

(1. Nomen Fori varias habet significationes, aliquando enim in masculino, et aliquando in neutro genere ponitur. (2. Forum in neutro genere venit a *Ferendo*, sic dictum ab eo, quod controversiæ, et res venales illuc ferantur; M. Varro l. *de Lingua latina;* Calvin. in *Magno Lexico* verb. *Forum neutri generis*. Sic dicitur Forum Boarium, Piscarium, in quo boves, vel Pisces veneunt; Calvin. loc. cit. verb. *Forum Boarium*. (3. Forum in neutro genere magis proprie accipitur pro districtu, seu Territorio cujusque Judicis, intra quod in facinorosos animadvertere potest; l. *Pupillus* § *Territorium*, ff. *de verb. Signific.* et post Hostien. notat Abbas *ad Rubr. de Foro competenti*, et alii passim. (4. Forus in masculino genere describitur, « quod sit exercendarum litium locus a Fando dictus, sive a Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit. » Sic ad litteram in cap. *Forus* 10, *de verb. Signific.* Alio nomine dicitur Tribunal, ut l. 1, ff. *de Judiciis*. Item Auditorium, l. *contra Pupillum*, ff. *de Re judicat.*

(5. Forus competens idem est, ac Tribunal Judicis, cujus Jurisdictioni Reus, qui convenitur, subjectus existit. Notanter autem hæc Definitio Fori competentis ponitur in ordine ad Reum, quia generale est ut Actor Forum sequatur Rei; cap. *Si Clericus* 5, *de Judice compet.* ibi : « Cum Actor Forum Rei sequi debeat; » et cap. *Cum sit* 8, eod. ibi : « Cum sit generale, ut Actor Forum Rei sequatur, » et l. ultim. Cod. *Ubi in rem actio*, etc. (6. Si Reus habet multiplicem Forum, in electione Actoris est eum, in quo maluerit, foro convenire; Glossa in cap. *Delicti* 17, *de Foro competent.* vers. *Ubi Domicilium;* et l. ult. Cod. *Ubi in rem actio*, etc. id Probans in l. 2, § *Plane, si perfecta*, ff. *de Judiciis*, et sic communis Canonistarum, ut testatur, et tenet Fagn. *Licet* 20, *de Foro compet. num.* 41. (7. Reus coram incompetente Judice conventus, impune non comparet opponendo exceptionem fori dummodo, tamen hæc exceptio proponatur statim ab initio ante litis ingressum, ne reo sciente, et connivente procedatur ad alia, et sic videatur is in talem Judicem consensisse, ejusque personam approbasse, ac jurisdictionem prorogasse; l. *Consensisse* § 1, ff. *de Judiciis*, et patet hoc in l. ultim. Cod. *de Exceptionibus*, et amplius declarat Glossa in cap. *Exceptionem*, vers. *In dilatoriis*, *de Exceptionibus*, et Abbas ib. n. 11, et alii.

(8. Orta quæstione de competentia fori inter Judicem Ecclesiasticum, et Laicum, debet cognoscere Ecclesiasticus; sic habetur expresse in cap. *Si Judex* 12, *de Sentent. excommun. in* 6. Ubi Bonifacius VIII loquendo de malefactore, qui captus a Judice sæculari dicit se esse Clericum, decidit aperte et absolute, quod tunc cognitio hujus causæ spectat ad Judicem Ecclesiasticum, vocato tamen Judice sæculari, ibi : « Si Judex Laicus malefactorem captum detineat, et is se

Digitized by Google

Clericum dicens ad Curiam Ecclesiasticam petat remitti, vel curia ipsa cum tamquam suum Clericum, repetat a Judice ipsum inficiante Clericum, ac ob hoc minime remittendum, dubitationis hujusmodi, an scilicet sit, qui repetitur, Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica, et spirituali, vocato tamen Judice sæculari, vel alio, cui interest) cognitio pertinebit. » Ob quem textum adeo clarum datam conclusionem tenuit Rota dec. 3, alias 202, tit. *de sentent. excommun.* in novis; et tenent Canonistæ communiter cum Glossa *ibid.* in princ. ubi dicit, « quod talis Pontificia decisio est expediens, et utilis valde, et sæpissime practicatur : » et Covarruvias *Prædict. Quæst.* cap. 33, circa init. recte monet, quod sit semper præ oculis habenda, ut Felinus in cap. *Pastoralis* num. 4, *de Rescript.* advertit Lectorem, ut hujus numquam sit oblitus; et sic Barbosa in cit. cap. *Si Judex* n. 3. Sperell. dec. 8. *Fori Ecclesiastici* num. 23 et dec. 24, num. 59, allegans alios; Julius Clarus lib. 5. *Practic. crimin.* § fin. quæst. 36, num. 21. Farinacius in appendice *de Immunit. Eccles.* num. 267 et lib. 1. *Praxis criminal. quæst.* num. 33, citans plurimos alios; Jason. in l. *Ex quacumque* num. 19. ff. *Si quis in Jus vocatus*, etc., post Anton. de Butrio in cap. *Cæterum* col. 4, *de Jud.* et Joan. de Imola *ibid.* subjungens, quod hoc communiter tenetur.

(9. Quamvis sint plurimi modi sortiendi Forum, quorum multos enumerant in cap. *Licet* 20, *de Foro compet.* Hostiens. num. 3, Joan. Andr. n. 2, et Fagnan. n. 27, et ad sexaginta duos recenset Speculator in tit. competent. *Judic.* § 1. (10. Tamen modi ordinarii, seu speciales sortiendi forum, sunt quatuor, qui expresse enumerantur a Gregorio IX, in d. cap. *Licet* 20, *de Foro competent.* ibi : « Ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, forum regulariter quis sortitur. » (11. Primus igitur modus specialis sortiendi forum est ratione delicti, in cujus enim Territorio quis delinquit, ejus jurisdictioni subjicitur, licet alias ei subjectus non sit; cap. *Postulasti* 14, et cap. *Licet* 20, *de Foro competent.* c. *De illis* 1, *de Raptoribus* et cap. *Placuit* 6, qu. 3, et Authent. *Qua in Provincia*, Cod. *Ubi de criminibus agi oportet*, ubi sic expresse habetur : « Qua in Provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus sit, illic etiam Juri subjaceat. »

(12. Delinquens, si adhuc est in loco delicti, tam respectu Personæ, quam respectu bonorum etiam alibi existentium, est de jurisdictione Judicis illius loci, in quo delictum fuit commissum, dummodo executio sententiæ, quod ad bona alibi existentia, fiat a Judice, in cujus Territorio bona condemnati existunt. Sic clare deducitur ex c. *Postulasti* 14, *de Foro competent.* ubi decisum habetur, quod, quando Clericus habet Beneficium in una Diœcesi, in alia vero delinquit committendo crimen dignum privatione Beneficii, tunc Episcopus Diœcesis, in qua delinquit, sententiam pronunciet super Clericum privando ipsum Beneficio, et executio talis latæ sententiæ quoad privationem Beneficii fiat ab Episcopo, in cujus Diœcesi Beneficium existit, ibi : « Respondemus, quod per Episcopum, in cujus Diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eumdem, sed ab eo, in cujus Diœcesi Beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda. » Et sic textum istum intelligit Glossa ibid. verb. *Executio facienda* præcisis his verbis : « Et sic ille Episcopus, cui subest illa Ecclesia istius Clerici, privabit illum per sententiam ab alio Episcopo latam, » quam sequuntur Speculator tit. *de Executione sententiæ*, § *Nunc dicendum* num. 13, verb. *Item facit*, Abbas in cit. cap. *Postulasti* num. 7. Reiffenst. lib. 2. *Decretal.* tit. 2, num. 48, et sequent. et alii passim : Atque idem decisum habetur de simili in cap. *Romana* 1, *de Foro competent.* in 6, § *Contrahentes*, ubi unus Episcopus decernit missionem faciendam in bona, quæ reus contumax in alia etiam Diœcesi obtinet, quam deinde ad illius requisitionem alter Episcopus exequitur.

(13. Si delictum sit inchoatum in Territorio unius Judicis, et finitum, seu, consummatum in Territorio alterius, ut si quis existens in Territorio Alexandrino explodat sclopum, et occidat hominem existentem in Territorio Dertonensi, probabilius est, quod tunc tam Judex Alexandrinus, quam Dertonensis possit contra Reum procedere et si concurrant, detur locus præventioni; Ita Abbas in cap. *Licet* 20, *de Foro compet.* num. 25. Joan. Andr. in cap. *In obscuris* num. 5, § *Solutio*, *de Reg. Juris* in 6. Farinacius tom. 1. *Criminal.* l. 1, tit. 1, quæst. 7, num. 46, allegans plures alios, et inquiens, quod hæc sit veritas; Reiffenst. lib. 2. *Decretal.* tit. 2, num. 75 et 78. Julius Clarus lib. 5. *Criminalem* § final. quæst. 38, n. 11, asserens ita communiter servari. Et ratio est, quia qui explodit sclopum ex uno Territorio, et occidat hominem existentem in alio, in utroque Territorio delinquit, et utrumque Territorium ex tali delicto læditur, seu injuriam patitur, nam etiam ille jam noxius est, qui mittit lanceas, et sagittas in mortem; cap. *Sicut noxius est* 1, *de Præsumptionib.* ibi : « Sicut noxius est, qui mittit lanceas, et sagittas in mortem, etc. » adeoque, ne crimina maneant impunita, merito utrique Judici tribuitur jurisdictio in solidum. (14. Fateor tamen, quod probabile etiam est, quod solus ille sit competens Judex, in cujus Territorio consummatum est delictum, et nullatenus ille, in cujus Territorio est inchoatum; Sic tenent Bartolus in l. *Libellorum* n. 7, ff. *de Accusat.* Felinus in d. cap. *Licet* 20, num. 14. Aretinus ibid. num. 7, quorum sententiam approbat Fagnan. ib. num. 3, ac probabilem censet Pirhing lib. 2. *Decretal.* tit. 2, n. 28.

(15. Secundus modus specialis sortiendi Forum est ratione Contractus, ut si quis in alieno Territorio per se, aut per alium contrahat, vel contraxisse fingatur, eo quod in tali loco sese soluturum promiserit, possit

Digitized by Google

ibidem super tali contractu conveniri; etiamsi domicilium ibi non habeat, cit. cap. *Licet* 20, *de Foro compet.* l. *Hæres absens*, et l. *Omnem obligationem.* ff. *de Judiciis.* (16. Contractus tamen non accipitur hic stricte, prout esse dicitur ultro, citroque obligatorius, ut emptio, venditio, societas, juxta textum in l. *Labeo*, ff. *de verb. Signific.* sed latissime pro omni eo, quod obligationem inducit, etiamsi obligatio nascatur ex parte unius tantum; ut in l. *Omnem obligationem*, ff. *de Judiciis*, et l. *Hæres absens*, ff. eod. et secundum Glossam in cit. cap. *Licet* vers. *Ratione contractus*, Abbat. ibid. num. 29. Hostiens. ibid. num. 4. Butr. ib. num. 11. Fagnan. num. 5.

(17. Dantur tamen plures casus, in quibus contrahentes nequeunt conveniri in loco contractus. Primo, quando inter partes contrahentes conventum fuit, ut non in loco contractus, sed alibi v. g. in loco domicilii teneantur respondere, si forsan in posterum lis oriri contingat super talem contractum, prout limitatur cit. l. *Hæres absens* § *Proinde*, ff. *de Judiciis*. Ut enim statuitur in *Regulâ* 85. *Juris* in 6. « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » (18. Secundo, quando quis tamquam Advena, et Viator contrahit in aliquo loco mox inde discessurus, et hoc scitur ab altera parte contrahente, tunc enim non tenetur ibi respondere nisi voluerit, sed habet jus revocandi domum, seu ad forum sui domicilii; cit. l. *Hæres absens* § *Proinde*, ff. *de Judiciis*, ubi datur hæc ratio, quia « durissimum est quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere. » Sic enim a suscepto itinere, aliisque negotiis suis magno cum damno posset sæpe sæpius impediri. (19. Hoc autem est intelligendum de vero Advena, seu Viatore, qui habet alibi certum domicilium, non vero de Vagabundis per mundum nullibi certum domicilium habentibus, quia isti possunt conveniri, non solum in loco contractus, sed ubicumque reperiantur, nec alioquin Creditores jus suum perdant: Glossa marginalis in c. *Licet* 28, *de Foro competent.* vers. *Aut domicilii*, et Glossa in l. *Hæres absens* § *Proinde* verb. *Debebit*, ff. *de Judiciis*, quam Glossam sequitur Bartolus *ibidem* § *Quæro quid si Debitor*, Joan. Andr. in cit. cap. *Licet* 20, *de Foro competent.* num. 11. Fagn. *ibid.* num. 26. Felin. *ibid.* num. 20. Pirhing. lib. 2. *Decr.* tit. 2, num. 15. Reiffenstuel *ibid.* num. 46 et 87. Sanchez lib. 3, *de Matrimon.* disp. 25, num. 5, et alii passim. Et id desumitur ex l. 1. Cod. *Ubi quis de Curiali* etc. et l. 1. Cod. *Ubi de crimin. agi oport.* juncta Glossa *ibid.* in verb. *Reperiuntur* de talibus Vagabundis illud vulgatum allegante: « Ubi te invenero, ibi te judicabo: » (20. Tertio, quando agitur de contractu dotis, quia pro hoc contractu, istud habetur speciale, quod non inspiciatur locus contractus, seu in quo instrumentum dotis factum est, sed locus, ubi vir habet domicilium et in cujus domicilium etiam ipsa mulier per conditionem Matrimonii est itura, eo quod sequatur forum mariti; l. *Exigere* 65, ff. *de Judiciis*, et ibi Glossa, et Doctores communiter. (21. Excipe tamen, nisi partes contrahentes aliter inter se convenerint juxta Regulam 85. Juris in 6, traditam supra num. 17.

(22. Tertius modus specialis sortiendi forum est ratione domicilii; cap. *Ex parte* 15, et cap. *Licet* 20, *de Foro compet.* et l. *Cives*, *de Incolis* lib. 10, et hic proprie dicitur verus, et naturalis forus, ut tradunt in d. cap. *Licet* Innoc. num. 3. Butr. num. 16. Felin. num. 23. Fagn. num. 9, et alii passim. (23. Hinc appellatione *suæ Diœcesis* in dubio intelligitur Diœcesis domicilii, seu habitationis, non autem originis, vel alia; Glossa singularis in c. *Statutum* verb. *Unam dictam*, *de Rescript.* in 6, asserens sic servari in Curia Romana; Felin. in cit. cap. *Licet* 20, *de Foro compet.* num. 22, citans alios; Fagnan. *ibid.* num. 10. Compostell. in cap. *Nonnulli* in 4. Glossa *de Rescript.* Speculat. in tit. cit. § 1. *circa princ.* Reiffenstuel loc. cit. n. 25, et alii. (24. Sic etiam appellatione *subditi*, seu *subjecti* in dubio venit duntaxat *subditus* vel subjectus ratione domicilii; arg. l. *Cives*, Cod. *de Incolis* lib. 10, et sic Glossa in cap. *Nuper*, verb. *Absolutio de sentent. Excomm.* et Glossa in Clement. 1. verb. *Subditus de Foro*, *compet.* quam ibi omnes sequuntur, teste Fagn. in cit. cap. *Licet* n. 10.

(25. In foro domicilii, potest quis conveniri etiam pro delictis alibi commissis; l. *Sciens.* Authent. *Quæ in provincia*, Cod. *Ubi de crimin. agi oportet*; ac pro contractibus alibi gestis; cap. *Delicti* 17. *de Foro compet.* et super rebus alibi sitis; l. ultim. Cod. *de præscript. long. temp.* Et sic tenent Abbas in cap. *Si quis Clericus* 1. n. 6. in cap. *Cum contingat* 13. et cap. *Licet* 20. num. 38. *de Foro compet.* Felin. in cit. cap. *Licet* num. 23. Fagn. *ibid.* num. 13. Reiffenst. loc. cit. n. 28. et alii. (26. Judex domicilii potest procedere contra subditum, nedum præsentem, sed etiam absentem, et ubicumque existentem; nam potest ab ipso citari quoad omnes effectus, scilicet ut procedat contra eum, vel ad missionem in possessionem, vel ad condemnationem, si status causæ patiatur, quia ubicumque sit, ejus subditus remanet, et citatio decernitur in proprio Territorio ipsius Judicis, licet nuntius exequatur extra Territorium; nam actus nuntii citationem exequentis, ut citatus futuræ litis notitiam habere possit, est nudum dumtaxat ministerium executionis, et non actus jurisdictionis, et ideo potest exerceri extra Territorium, ut notatur in cap. *Novit*, *de Offic. Legati*, et in cap. *Romana* § *Contrahentes*, *de Foro competenti* in 6. et in l. *Omnes*, verb. *Verum si appar.* Cod. *de Episc. et Cler.* et tenent Hostiens. et Joan. Andr. in cap. 7, *de Raptor.* Abbas in cit. cap. *Licet* 20. *de Foro competent.* Fagnan. *ibid.* num. 12. Reiffenstuel. loc. cit. num. 30. et alii.

(27. Habens domicilium habitationis æqualiter in duobus locis, eo quod utrobique æqualiter per anni decursum commoretur, tunc in utroque loco censetur sortiri forum, et utrobique potest conveniri; Colligitur ex

Digitized by Google

cap. *Ex part.* 15, *de Foro compet.* et tenent Glossa *ib.* verb. *Andegavensi*, Abbas *ib.* num. 8, et alii passim Doctores, teste Reiffenstuel loc. cit. num. 42. et concordat textus in l. *Labeo*, et l. *Assumpto* § fin. ff. *Ad municipalem.* (28. Mutatio domicilii non perimit instantiam coram Judice illius domicilii jam cœptam, textu expresso in cap. *Proposuisti* 19. *de Foro compet.* ibi : « Proposuisti nobis, quod quidam subditus tuus ad petitionem cujusdam adversarii sui a te legitime citatus ad causam, quia postmodum jurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quod is in prædicta causa jus revocandi forum non habet quasi ab alio jam præventus. » Unde clare patet ex textu, quod legitime citatus coram hujusmodi Judice citante causam prosequi debet, non obstante quod post citationem mutaverit domicilium : Communis.

(29. Quartus modus specialis sortiendi forum est ratione rei, de qua contenditur. Unde coram illo Judice, in cujus territorio res litigiosa existit, vel illius possessio habetur, potest quis conveniri, textu expresso in cap. *Licet* 20. *de Foro compet.* ibi : « Ratione..... rei, de qua contra possessorem causa movetur.... forum regulariter quis sortitur, » et concordat cap. *Sane* 3, eod. et l. 1, cum seq. cod. *Ubi in rem actio.* (30. Et hoc procedit, sive res sit immobilis, sive mobilis, l. *Quod legatur* § *Si autem*, ff. *de Foro compet.* et l. ut. Cod. *Ubi in rem actio.* Ita Glossa in cit. cap. *Licet* 20. *de Foro compet.* verb. *Contra possessorem*, Innocent. ib. num. 1. Hostiens. n. 5, Fagnan. ibid. num. 20, et alii passim.

(31. Præter quatuor supra recensitos speciales modos sortiendi forum ; datur quoque alius modus generalis sortiendi forum, videlicet ratione communis Superioris in Romana Curia. Roma enim communis est Patria ; l. *Roma*, ff. *Ad municip.* et Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Mater est et Magistra ; cap. *Licet* 20, *de Foro compet.* et Papa est Judex ordinarius singulorum ; cap. *Cuncta per mundum* 9, q. 3. Unde quilibet non solum Clericus, sed etiam Laicus potest super Ecclesiasticis, ac spiritualibus causis conveniri coram Summo Pontifice, seu in Curia Romana, ibique conventus non habet jus declinandi forum, licet ibi non delinquat, nec contrahat, nec habeat domicilium, seu possessionem alicujus rei ; Est communis, et est sic expresse decisum in cap. *Licet* 20, *de Foro compet.* ibi : « Licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, Episcopus vester apud Sedem Apostolicam conventus non fuerit. Quia tamen omnium Ecclesiarum mater est eadem, et Magistra, rite compelli potuit, ut ibi suis adversariis responderet. » Papa enim, ut jam fuit dictum, est Judex ordinarius singulorum ; cit. cap. *Cuncta per mundum* 9, q. 3, et totus Mundus est sibi Territorium quod ad causas spirituales, ut patet ex auctoritate per Christum sibi demandata *Matth.* 6, ibi : « Quodcumquo ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlis, » et concordat cap. *Duo sunt* 10. et cap. *Si Imperator* 11, dist. 96, et cap. *Solitæ, de Majorit. et obedient.* cum similibus.

(32. Neque dispositioni dictæ Decretalis in cap. *Licet*, qua deciditur, ut quilibet in Romana Curia conveniri possit super Ecclesiasticis, et spiritualibus causis, fuit quidpiam derogatum per Conc. Trid. sess. 24, c. 20, *de Reform.* quamvis ibi statuerit, quod « causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi Beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur ; atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminentur. » Sub illis enim verbis : « Coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, » non solum, ut optime respondet Fagn. in cit cap. *Licet* num. 25. comprehenditur Ordinarius loci domicilii, sed etiam Ordinarius cujusque loci, ubi quis ex Juris Præscripto forum sortitur, sive id contingat ratione originis, vel Beneficii ; cap. *Cum nullus, de Temp. ordin.* in 6, in sive ratione delicti, contractus, ac rei litigiosæ ; cap. 1. *de Privileg.* in 6. et consequenter comprehenditur etiam Ordinarius loci Romanæ Curiæ, cum in ea quilibet non solum Clericus, sed etiam Laicus in causis Ecclesiasticis, et spiritualibus forum sortiantur, et Papa sit Ordinarius singulorum, ut dicit Glossa final. in c. *Licet* 20 *de Foro competent.* et totus mundus sit ei territorium, ut jam dictum est supra n. 31. per Jura ibi citata.

(33. Fori privilegio quinam gaudeant, vide verb. *Clericus*, art. 2. (34. Per privilegium fori intelligitur illud, vi cujus quis exemptus est ab omni potestate, et jurisdictione fori sæcularis, adeo ut non possit amplius a Judice sæculari in judicium trahi, carcerari, vel puniri, sed dumtaxat a Judice Ecclesiastico, ut colligitur ex cap. *Si imperator* 11. dist. 96. et sic tenet communis Doctorum. (35. Hoc fori privilegio gaudet Clericus, non obstante irregularitate contracta ob homicidium ; Sacr. Congreg. Immun. in Alatrina 13. Augusti 1658. lib. *Decret. Rocci* pag. 112. (36. Etiamsi Clericus non habeat requisita S. Concil. Trid. remittendus est Episcopo illum repetere volenti ; Sac. Congreg. Immun. in Tudertina 12 Septembr. 1645. in lib. 3. *Decr. Pauluc.* pag. 262. (37. Clericus gaudet privilegio fori quoad personam, etiamsi post delictum, et processum Clericatum assumpserit ; ead. Sac. Congreg. in Regien. 28. Maii 1626. lib. 1. *Decret. Paul.* pag. 2. et in Januen. 16 Decembr. 1642. lib. 3. *Decret Paul.* pag. 191. (38. Clericus successor Laici non ligatur instantia inchoata coram Judice Laico ; ead. Sacr. Congr. in Nullius 27 Septembr. 1632. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 140. et in Hyracen. 12 Octob. ejusdem anni 1632. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 142. (39. Clericus provocans Fratrem Laicum ad divisionem, convenire debet coram Judice Laico, ut Judice Rei conventi ; ead.

Digitized by Google

Sacr. Congr. in Nullius 9 Octobris 1635. lib. 2. *Dec. Vallem.* pag. 235. (40. Clericus laudatus non potest declinare forum Judicis Laici, quando sententia dirigitur contra Laicum laudantem, secus si dirigatur contra Clericum laudatum; eadem Sac. Congreg. in Bojanen. 4 Septemb. 1640. lib. 3. *Decr. Paul.* pag. 128.

(41. Filius legitimus Clerici ante Clericatum susceptus gaudet privilegio Fori durante vita Patris; Sac. Congr. Immun. in Gallien. 18 Martii 1631. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 99. (42. Et licet gaudeat privilegio fori, non ideo est incapax Officiorum Communitatis; ead. Sac. Congreg. in Urbinien. 13. Jun. 1640. lib. 3. *Decret. Paul.* pag. 120. (43. Verum filii Clericorum non gaudent post mortem Patris privilegio fori; ead. Sacr. Congr. in Bisignan. 28 Novemb. 1653. lib. 5. *Decr. Paul.* pag. 24. (44. Filius Clerici Græci, quatenus sit legitimus, vivente Patre, gaudere debet privilegio fori, ead. Sacr. Cong. in Hydruntina 29 Septemb. 1624. lib. *Scripturarum vet.* pag. 39. et in Cassanen. 21. Mart. 1645. lib. 3. *Decr. Paul.* pag. 247. (45. Filii Græcorum Ritus Græci redeuntes ad convivendum cum Matribus Viduis gaudere debent privilegio Fori, ead. S. Cong. in Nullius S. Mariæ del patire 15 Maii 1628. lib. 2. *Decret. Altoviti* pag. 1546. (46. Fori privilegio gaudet ille, cui reservata fuit pensio Ecclesiastica, cum ad hunc effectum pensionem obtinens habeatur pro Clerico; Sac. Congr. Conc. teste Didaco Narbona de ætate ad humanos actus requis. ann. 14. q. 59. num. 10. et Armendar. in addit. ad recop. legum Navarræ lib. 2. tit. 19. *de Foro compet.* num. 3 et 7. (47. Etiamsi non incedat in Habitu, et Tonsura ead. Sac. Congr. Conc. apud Nicol. Garciam *de Benefic.* part. 1. cap. 5. n. 70. et novissime ead. Sac. Cong. Conc. in Portugallien. 10 Apr. 1622. apud Barbos. *de Offic. et potest. Episcop.* part. 3. alleg. 57. num. 151. et in summa *Apostolicar. decis.* verb. *Fori privilegium* n. 7.

(48. Fori privilegio gaudent Protonotarii Honorarii, etiamsi Ecclesiæ non inserviant; Sacr. Congr. Conc. sub die 9 Jul. 1626. nec servitio alicujus Ecclesiæ adscripti sint; dummodo in habitu Clericali incedant: eod. Sac. Congreg. in Toletana 27 Mart. 1632. quam refert Bonfadin. in *Thesauro Ecclesiast. dec.* resolut. 17. n. 20. (49. Fori privilegio gaudet de præsenti Laicus pro tempore, quo fuit Clericus; Sacr. Congr. Immun. in Nullius Garopoli 9 Septemb. 1631. teste Bonfadin. dict. resol. 17. num. 25. (50 Fori privilegio gaudet Clericus, qui ante carcerationem reassumpserat habitum; Sacr. Congr. Immun. in Rossanen. 18 Mart. 1631. apud Bonfad. dict. resol. 17. num. 24. (51. Equites Regulares quorumcumque Ordinum Militarium gaudent Fori privilegio; Sacr. Congr. Immun. in Assisiens. de Mense Decembris 1627. in qua annuente Sanctissimo mandavit Placidum Bentium Equitem Christi ad Forum Ecclesiasticum esse remittendum, de qua meminit Sperell. dec. 2. num. 120. Ead. Sacr. Congr. in Mantuana 25 Septemb. 1617. censuit Equitem Religionis Constantiniane inquisitum, et carceratum a Ministris Ducalibus consignari Episcopo Mantuano una cum originali processu facto, quamvis nullo, qui ut delegatus causam cognoscat, audito Procuratore Ducali, et facta consignatione, ut supra, mandavit, quod Dux absolveretur, et omnes complices ab Episcopo, apud Sperell. dec. 2. num. 120. Barbos. in *Summa Apostol. dec.* verb. *Eques Regularis*, n. 4.

(52. Fori privilegio non gaudent illi, qui in accendendis lampadibus, et aperiendis Ecclesiæ portis deserviunt; Sacr. Congr. Episcop. et Regul. sub die 28 Januar. 1663, apud Barb. in *Summa Apostolic. decis.* verb. *Fori privilegium* num. 19. (53. Filius Cancellarii Curiæ Episcopalis non gaudet privilegio Fori; Sacr. Congr. Immun. in Interamnen. 1 Februar. 1661, lib. *Decr. Rocci* pag. 213. (54. Filius Titii quondam Fiscalis Curiæ Episcopalis non gaudet privilegio Fori; ead. Sac. Congr. Immun. in Balneoreg. 8. Apr. 1642, lib. 3, *decr. Paul.* pag. 172. (55. Filius seu Nepos subaffictuarii bonorum mensæ Episcopalis non gaudet privilegio Fori; ead. Sac Congreg. Immun. in Ravennat. 28 Januar. 1618, lib. 2, *decr. Altov.* pag. 2146. (56. Filii Colonorum Ecclesiasticorum, etiamsi sint partiarii, non gaudent privilegio Fori, ead. Sac. Congr. Immun. in S. Agathæ Gothorum 4 Jun. 1630, lib. 2, *Dec. Paul.* pag. 41. (57. Attamen Filii Colonorum Partiariorum Mensæ Episcopalis, et alii de eorum Familia inhabitantes cum eisdem Colonis, et bona ejusdem Mensæ colentes, gaudent privilegio Fori; prout gaudent ipsi Coloni; ead. Sacr. Congr. Immun. in Urbevetana 6 Mart. 1635, l. 2, Decr. Paul. pag. 222, in Civitatis Ducalis 13 Jul. 1638, l. 1641, d. 3 *Decr. Paul.* p. 65, in Interamnen. 16 Julii lib. pag. 151, in Anagnina 27 Dec. 1679. decr. lib. 2, *Altov.* pag. 1000.

(58. Pro complemento verbi *Fori* notandum, quod sæpe per *Forum* intelligitur *Judicium, Jurisdictio, Potestas.* Et in hoc sensu dicitur, quod aliqua causa pertineat ad Forum Ecclesiasticum, si pertineat ad Judicium, Jurisdictionem, seu potestatem Ecclesiasticam, et quod aliqua spectet ad Forum sæculare, si pertineat ad Judicium, Jurisdictionem, et Potestatem sæcularem, et quod aliqua sit mixti Fori, si pertineat ad utramque Jurisdictionem, seu potestatem. (59. Causa mixti Fori dicitur illa, quæ in utroque Foro tam Ecclesiastico, quam Laicali tractari potest, ita ut detur locus præventioni. Sic colligitur ex cap. *Sunt quædam* 23, qu. 5, et c. 1, *de Offic. Ordin.* ac notat Sac. Congreg. Immun. in Sorana 18 Febr. 1631, apud Pignatell. tom. 5, consult. 2, n. 58. Sic causa mixti Fori est, quando persona est Sæcularis et pœna statuta est a Jure Canonico, et tunc datur locus præventioni; Sperell. dec. 9. La Croix lib. 4, num. 1412, Florentinius, Delbene, et alii. (60. Unde causa rixæ secutæ inter Mulieres in Ecclesia spectat ad Gubernatorem stante prævention reali; Sac. Congr. Immun. in Signina 17 Jun. 1663. lib. *Decret. Rocci* pag. 496. (61. Punitus ad uno Judice

Digitized by Google

super crimine mixti Fori non potest amplius regulariter accusari, ac puniri in altero Foro, quia nec Deus judicat bis in idipsum; Nahum c. 1. et cap. *Sunt plures* § *Auctoritas, de pœnit.* dist. 3. Nec de delicto unius hominis sæpius quæritur, c. *de his Criminibus* 6, *de Accusat.* Simulque bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur; *Regul.* 83, *Juris* in 6. Et sic tenent Abbas in cap. *Tuæ* n. 5, *de Procurator.* et cap. *Cum sit generale* num. 1, *de Foro comp.* Covarruvias lib. 2, var. *resol.* cap. 10, num. 6, Barb. in cap. *Felicis* n. 38, *de pœnis* in 6, et alii ab his citatis.

(62. Forum aliud dicitur externum, sive *Forum Fori*, in quo tractantur causæ in ordine ad externam gubernationem Reipublicæ, sive Ecclesiasticæ, sive Sæcularis; et aliud internum, sive *Forum poli*, seu *Conscientiæ*, quod intus in mente hominis, ubi conscientia est, exercetur; Communis. (63. Forum internum aliud dicitur *Pœnitentiæ*, in quo aliquid geritur interveniente Sacramento Pœnitentiæ, sive Absolutione Sacramentali. Et aliud non Pœnitentiæ, in quo aliquid geritur sine sacramento pœnitentiæ uti si aliquis extra Sacramentum absolvatur a Censura, vel Reservatione peccati. Unde ex his patet, forum *Pœnitentiæ*, *et Conscientiæ* non esse idem. Nam Forum *Conscientiæ* est quid commune Foro Sacramentali, et non Sacramentali. Forum autem Pœnitentiæ comprehendit solum Forum Sacramentale; Communis. (64. Forum contentiosum dicitur ex eo, quod in illo contendatur, seu litigetur. Unde illud dicitur deductum ad Forum contentiosum, super quo ad Judicem jam delato facta est contestatio litis; arg. cap. *Ex parte* 10. *de verbor. Significat.* Communis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Libet paucis disserere de Foro dumtaxat Ecclesiastico competenti.

(65. Forum Ecclesiasticum competens est vel ratione causarum, vel Personarum. Si ratione causæ forum Ecclesiasticum fundatum est, ratio haud habetur Personarum; Christianus Michael Bohnius *de Laicis For. Eccles.*

(66. Causæ ad Forum Ecclesiasticum spectantes vel sunt Civiles, vel Ecclesiasticæ, vel mixtæ.

Causæ civiles etsi regulariter ad Forum Ecclesiasticum haud pertineant, C. 7. *Qui filii sint legitim.* ex accidenti tamen pertinere pluribus modis ad ipsum queunt.

(67. I. *Ratione peccati* circa causam civilem sub prætextu juris commissi, vel committendi, adeoque præcavendi. Quem in finem quicumque Laici denunciari possunt judicio Ecclesiastico, ut præcaveatur, ne sub prætextu juris peccatum committatur. Pone esse statutum, quod præscribens sive cum bona, sive cum mala fide tutus sit. Adversus eum, qui cum mala fide præscripti nullum in Foro sæculari suppetit remedium. At denunciari hic potest Foro Ecclesiastico ne sub prætextu juris committat peccatum. Vide alia exempla apud Felin. in c. 13. num. 5. et seq. *de Judic.* tum apud Scacc. *de Judic.* lib. 1. c. 53. n. 4. Denunciatio hæc dicitur evangelica, et, ut vides, introducta est ut Judex Ecclesiasticus imploratus super quacumque causa procedere queat, si peccatum imminere videatur. Scripsit contra eam Thomasius in dissertat. *de Usu practit. denunt. evangel.* At ex ipsis protestantibus ipsam tuentur Brunemann. *Jur. Eccles.* lib. 3. cap. 6. § 9. et de Jena in tract. *de denunc. Evangel.*

(68. II. *Ratione denegatæ justitiæ.* Si enim Judex laicus suo desit officio, nec integram justitiam administret, de causa cognoscere potest Judex Ecclesiasticus, ut supplere possit defectum Judicis sæcularis; Cap. 6. *de For. compet.* ibique Gonzal. num. 5. Sed an denegata justitia a Judice Ecclesiastico de causa cognoscere queat Judex laicus magna controversia est. At contrariis confutatis negativam tenent sententiam Gonzal. in c. 17. fer. per. tot. *de Judic.* Ansald. *de Jurisdict.* par. 3. cap. unic. tit. 21. aliique.

(69. Addi III. possunt causæ de omnibus, et quibuscumque negotiis, quibus juramentum accessit; c. 13. *de Judic.* et cap. 3. *de For. compet.* in 6.

(70. Causæ Ecclesiasticæ vel sunt civiles, vel criminales. Civilium nomine veniunt quæcumque causæ de Rebus spiritualibus, vel annexis spiritualibus, inter quas jus patronatus eminet; cap. 3. *de Judic.* Cognoscere de iis debet Judex Ecclesiasticus, tum in petitorio, tum in possessorio si reus sit clericus; Barbos. *Jur. Eccles. univ.* cap. 39, num. 73. et seq. Wiestner. in *Decretal.* lib. 2. tit. 12. n. 116. Quod si Reus sit laicus, cognoscere et de ipsis in possessorio debet Judex Ecclesiasticus, si titulus quoque edendus, vel saltem colorandus; Oliva *de For. Eccles* part. 1. q. 8. num. 58. et seq. Sperell. dec. 8. num. 25.

(71. Criminalium vero nomine veniunt Causæ de delictis Ecclesiasticis, ut sunt delicta Hæreseos, Schismatis, Apostasiæ, Simoniæ, etc., de quibus et Judex Ecclesiasticus debet cognoscere.

(72. Causæ mixti fori illæ sunt, quæ tam coram Judice Laico, quam coram Judice Ecclesiastico agitari queunt, ita ut operetur prævention. Ad eas referuntur causæ miserabilium personarum; c. 26. *de verb. Signif.* in fin. licet alii contradicant obs. 11. *de For. compet.* Confer. tam n Oliv. *de For. Eccles.* part. 3. quæst. 40. Item contractuum usurariorum; Werber. *de Jur. Consist.* c. 27. sect. 19. concubinatus, adulterii, stupri, incestus, et aliorum delictorum carnis; Tondut. *de Prævent.* p. 2, cap. 28. tum aliorum criminum, turbationis scilicet sacrorum, violationis festorum, etc.

(73. Hactenus de Foro Ecclesiastico competente ratione causarum. Agendum nunc de Personis, quæ ei subjiciuntur in causis civilibus.

(74. Ei subjiciuntur Clerici cujuscumque generis, et ita quidem, ut nec per prorogationem voluntariam, tametsi juramento confirmatam, queant Judicis sæcularis cognitioni sese subjicere cap. 12. *de For. competent.* nec reconveniri queant coram eodem Judice

Digitized by Google

sæculari; c, 12. eod. tit. Cæterum quoad Clericos, qui nondum sacris ordinibus sunt initiati, Concilium Tridentinum ita statuit: « Fori privilegio non gaudent Clerici prima tonsura initiati, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum, et tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines versentur. »

(75. Extensum autem est hoc privilegium Clericorum ad totam Familiam ipsorum. Quinam autem veniant sub Familiam Clericorum explicant Klok vol. 1. consil. 39. num. 45. Bruneman. *Jur. Eccl. univers.* l. 3. c. 1. § 12. Illud tamen certum est, non venire Famulos conductos; Gonzal. in cap. 10. n. 3. et seq. *de Offic. Archidiac.* Barbosa *Jur. Eccles. univers.* lib. 1. cap. 46. § 2. n. 57.

(76. Item extensum est ad servos dotales Ecclesiarum; Gonzal. in cap. 10. n. 4. *de Offic. Archidiac.* Stamm. *de Servit. personal.* lib. 11. cap. 7. n. 6. et conveniunt de hodiernis etiam servis dotalibus Ziegler. *de Dot. Eccles.* c. 12. § 39. Schilter. in *Prax. Jur. Roman.* exerc. 6. § 74. in fin.

(77. Et in aliquibus locis extensum est præterea ad Scholarum Publicarum præceptores.

(78. Nota hic, quod hoc privilegium Fori est immutabile, quum Clerici, qui characterem receperunt, laicorum sortem induere nullo modo queant, sed etiam depositi vel suspensi Clerici maneant, et privilegio Fori fruantur; Gonzal. in cap. 10. n. 11. *de Judic.* Wiestner in *Decretal.* tit. *de Pœnis* n. 7. Quod si vero degradatio solemnis accessit, tum demum in laicalem conjiciuntur statum, et brachio sæculari traduntur, et privantur omni Fori privilegio; c. 2. *de Pœnis* in 6.

(79. Tum nota, Forum Ecclesiasticum prædominari, si vel maxime in una eademque causa Clericus cum Laico sit conveniendus, cum continentia causæ non sit dividenda, et hoc modo dignius Forum, quale est Ecclesiasticum, sit præferendum; Berlich. p. 2, dec. 220, num. 24.

(80. Cæterum non aliter Clerici Fori privilegio gaudent quam si Reorum vices teneant. Sin autem conveniant Laicum, coram Judice Laico litigare tenentur; cap. 5, *de For. compet.* quum Actor sequi debeat Forum Rei. Facile autem est et hoc decidere, an Clerici moto concursu Creditorum, tum ex l. *diffamari*, conveniri queant coram judice sæculari; vide tamen Strick. ad Brunemann. *tract. de concurs. Credit.* c. 1, § 2, et Mev. p. 4, dec. 213. Quid si denuncianda sit Clerico, qui de evictione tenetur? Vide Burgund. *de Evict.* c. 67, n. 3 et seq.

(81. Nec Clerici aliique gaudent privilegio Fori, quum non principaliter lis primum contra eos movetur, sed jam mota contra eos continuatur, idque quia litis pendentia haud mutatur per intervenientem mortem Rei; Oliva *de For. Eccles.* part. 3, quæst. 24, num. 23.

(82. In causis criminalibus Clerici quoque subjiciuntur Foro Ecclesiastico, de quovis crimine conveniantur, nec aliter ad Forum sæculare trahendi sunt, quam ut supra diximus postquam degradati fuerint. Quod si dubitetur utrum delinquens sit Clericus, an laicus, cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectat; Oliva *de For. Eccles.* part. 3, qu. 20, num. 64.

(83. Sunt tamen et alii casus, in quibus Clerici Fori privilegium in criminalibus amittunt; veluti si Clerici sint Assassini, vel eorum fautores, et submissores; c. 1, *de Homicid.* in 6, si in habitu sæculari inventi fuerint delinquentes; cap. 1 *Apost.* si post delictum commissum Clericatum susceperint in fraudem Legis; Corvin. *de Pers. et Benefic. Eccles.* l. 3, c. 22, n. 9. Barbosa *Jur. Eccles. univ.* l. 1, c. 39, § 2, n. 69 et sequent.

FRANCHITLÆ.

SUMMARIUM.

1. ad 58. Plura afferuntur Decreta ex Sacra Immunitatis Congregatione.

(1. Franchitia Ecclesiasticorum non potest, nec debet reduci; Sacr. Congregat. Immun. in Aquilana 5 Martii 1631, lib. 5. *Decret. Paul.* pag. 138.

(2. Quare nihil innovandum est circa diminutionem Franchitiæ Clericorum, sed servandum est solitum; ead. Sac. Cong. Immun. in Sulmonen. 10 Januar. 1639. l. 3. *Decret. Paul.* pag. 84. Hoc idem dicitur de Franchitiis Monialum; ead. Sac. Cong. in Sarnen. 7. Maii 1658, lib. *Decr. Racci*, pag. 89.

(3. Ecclesiastici gaudent Franchitia, non obstante transactione, quæ ex defectu Beneplaniti Apostolici est omnino irrita, et non confirmanda; ead. Sac. Cong. Immun. in Consentina 21 Sept. 1633, lib. 2. *Decr. Paul.* pag. 171.

(4. Episcopus quamvis absens debet gaudere Franchitia pro fructibus suorum bonorum; ead. Sacr. Cong. Immun. in Agrigentina 20 Februar. 1629. lib. 1, *Decr. Paul.* pag. 124.

(5. Sic Clerici quacumque de causa absentes gaudent Franchitia sibi competente, ead. Sac. Cong. Immun. in Biselien. 25 Maii 1638. lib. 3. *Paul.* pag. 61. in Bojanen. 30 Junii 1643. ibi, pag. 183. in Aquilana, 31 Decemb. 1667 lib. 1. Decr. Altovit. pag. 187. in Nullius Altamuræ, 7 Maii 1672. ibi, pag. 686. in Juvenacen. 16 Novemb. 1688. lib. *Decr. Martelli.* pag. 369.

(6. Amplia I. Etiam pro tempore, quo Clerici fuerunt negligentes illam petere Gabellariis, qui hoc ignorantes non dederunt exitum Communitati pro ipsius bonificatione; eadem Sacr. Congregat. Immun. in Nullius Terlitii, 16 Novemb. 1688. lib. *Decr. Martelli.* pag. 369.

(7. Amplia II. Quamvis abfuerint ob mutum Inquisitionis. *Ibidem.*

Digitized by Google

(8. Amplia III. Quamvis absentes non incedant in habitu, et tonsura, ac velut Laici inserviant personis privatis. *Ibidem.*

(9. Amplia IV. Quamvis absentes causa carcerationis secutæ de Ordine A. C. ead. Terlitii 21 Jan. 1676, lib. 1 *Decret. Altovit.* pag. 1200.

(10. Amplia V. Quoad absentem ob periculum vitæ, in eadem d. lib. pag. 1486, anni 1677.

(11. Amplia VI. Quamvis absentes ratione peregrinationis ad Annum Sanctum, pro tempore tamen dictæ peregrinationis; Bituntin. 12 Junii 1675, lib. 1 *Decret. Altov.* pag. 1108.

(12. Pariter debentur absenti causa studii; Materan. 7 Maii 1704, lib. 3, *Decret. Vallem.* pag. 579, et 25 Junii *D. A.* et l. p. 589, Bovinen. 22. Jun. *D. A.* et l. p. 572.

(13. Item absenti ex causa infirmitatis; Salernitana 10 Maii 1704, lib. 3 *Decret. Vallem.* pag. 580.

(14. Item absenti qui docet cantum Gregorianum; Materanen, 4 Jun. 1704, lib. 3 *Decret. Vallem.* p. 585.

(15. Tandem Franchitiæ debentur Ecclesiasticis absentibus studiorum causa, vel ob lites pro capitulo aut pro suis bonis Ecclesiasticis; Juvenacen. 31 Julii 1674, lib. 1 *Decret. Alt.* pag. 975. Montis Casini 18 Junii 1680, lib. *Decr. Alt.* pag. 1988. Nullius Castellanetæ 12. Jan. 1694, lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 99. Oritana 12 Decembris 1694, lib. 2 *Decret. Vallem.* pag. 271.

(16. Porro Gabellarii, qui debent bonificare Franchitias Ecclesiasticis forensibus, sed commorantibus in loco Terlitii, tenentur bonificare etiam Ecclesiasticis concivibus, qui eodem tempore sunt absentes ex quacumque causa; Juvenacen 16 Novemb. 1688, lib. *Decr. Mar.* pag. 369, Terlitii d. die, pag. 370.

(17. Limita tamen, dummodo tempore absentiæ alibi iis bonificata non fuerit Franchitia; Lycien. 8 Decembris 1688, lib. *Decr. Martelli* pag. 385, et 29 Novembris 1692, l. 1 *Decr. Vall.* pag. 5, Bitecten. 28 Martii 1693, l. 1, *Decr. Vall.* pag. 33. Ruben. 18 Julii 1700, l. 2 *Decr. Vall.* pag. 301.

(18. Sic Clerico, qui per annos quindecim a Patria abfuerat, et interim nesciebatur an viveret, non debetur Franchitia; Melphien. 31 Jan. 1703, l. 3 *Decret. Vall.* p. 471.

(19. Franchitia non debetur Sacerdoti pro bonis in Territorio loci, ubi non moratur, sed ubi moratur; Tranen. 2 Decembris 1670, l. 1 *Decret. Alt.* pag. 502.

(20. Sic Clericus Advena habens domicilium in alia Diœcesi, ibidem debet frui Franchitia Farinæ non obstante decreto, vel sententia Curiæ Episcopalis contra Clericos Advenas; Salernitana, 4 Septemb. 1703, lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 515.

(21. Similiter Franchitia competit Clerico in loco sui domicilii a multis annis non in loco suæ originis, et in quo ordinatus fuit; Lycien. 21 Jan. 1687, lib. *Decret. Martelli* pag. 40.

(22. Asserta consuetudo, quod Clericis absentibus competat medietas Franchitiæ Farinæ, probanda est intra terminum sex mensium ab Episcopo præfixum; Motulen. 5 Maii 1699, l. 2 *Decr. Vall.* pag. 218.

(23. Franchitia debetur Clericis in ea quantitate, quam usque modo habere consueverunt etiam respectu colentium bona Ecclesiæ, et Beneficiorum ac Patrimonialia, nec non respectu Custodum animalium, tam Ecclesiæ, quam Clericorum, quos quidem colentes, et Custodes Sac. Congr. censuit non teneri solvere Gabellam dictam *del Foro:* Bovinen. 21 Junii 1644, lib. 3 *Decret. Paulucci* pag. 229.

(24. Unde Episcopus circa Franchitias Ecclesiasticorum curet omnino servari consuetudinum solitam, nec permittat quid innovari in eorum præjudicium; Trelesina 24 Maii 1670, l. 1 *Decret. Alt.* pag. 434.

(25. Apocha remissionis Franchitiæ Molituræ, seu *del Macinato*, quamvis ad tempus factæ ab Ecclesiasticis in favorem Communitatis laicalis, non sustinetur; Cathacen. 3 Decembris 1686, l. *Decr. Mart.* pag. 15.

(26. Nullo modo annuendum est petitioni Ecclesiasticorum circa remissionem partis Franchitiæ ad septennium in favorem Communitatis; Caven. 24 Maii 1644, l. 3. *Decr. Paul.* pag. 229.

(27. Non est concedenda facultas Capitulo, et Clero donandi medietatem Franchitiæ, qua Personæ Ecclesiasticæ fruuntur; in una sancti Marci 12 Dec. 1645, l. 3 *Decr. Paul.* pag. 268.

(28. Sacra Congregatio censuit, Capitulum, et Presbyteros Terræ Carovineæ, qui medietatem Franchitiæ Farinæ absque facultate Sacr. Congreg. mutuam dederunt Communitati in subsidium Universitatis, et pauperum, non incurrisse Censuras attentis circumstantiis in casu, de quo agitur; at Episcopus mandet restitui mutuum; Ostunen. 82, Apr. 1665, l. 3 *Decr. Paul.* pag. 634.

(29. Denegatur Episcopo posse applicare Franchitias Clericorum Monasterio in pœnam eorum, qui non habent requisita; Sac. Cong. Conc. Trid. in Aquilana 23 Septembris 1659, l. *Decret. Rocci* pag. 207.

(30. At facultas Ecclesiastici pro reparatione Ecclesiæ Parochialis cedant quibusdam Franchitiis ad quinquennium conceditur; Lycien. 13 Sept. 1701, l. 3 *Decr. Vall.* pag. 379.

(31. Circumscripta reductione Franchitiæ Clericorum facta per Vicarium, servanda est primæva taxatio scilicet pro Sacerdotibus tumulorum viginti quatuor, pro constitutis in Sacris Ordinibus tumulorum decem et octo, et pro Clericis in Minoribus duodecim; Cosentina 27 Aprilis 1632, l. 2 *Decr. Paul.* pag. 123.

(32. Clericis competit Franchitia duodecim tumulorum, donec ab eis probata sit consuetudo pro majori quantitate; Neritonen. 24 Aprilis 1663, l. *Decr. Rocci* pag. 481.

(33. Per modum provisionis resolutum fuit circa quantitatem controversam Franchitiarum competentium Ecclesiasticis, debere servari solitum locorum finitimorum;

Digitized by Google

Bituntina 26 Januar. 1673, l. 1 *Decr. Altoviti* pag. 769.

(34. Ecclesiastici Civitatis Ruben. sunt manutenendi in possessione exigendi Franchitiam Farinæ ad rationem rotulorum quinquaginta pro quolibet tumulo : at eisdem non debentur Franchitiæ pro rata Gabellæ diminutæ, nec pro tempore absentiæ, si alibi habeant : Ruben. 11 Apr. 1690, l. *Decr. Martelli* pag. 598.

(35. Pariter Clerici Ruben. Civitatis manutenendi sunt in solita Franchitia pro vino musto ; *ibidem*.

(36. Ecclesiastici possunt vendere Franchitiam sibi competentem : Bovinen. 7 Septembris 1636, l. 3 *Decret. Paul.* pag. 14, Anglonen. 7 Julii 1633, l. 2 *Decret. Paul.* pag. 158, Asculana, 12 Septembris 1673, l. 1 *Decret. Alt.* pag. 839.

(37. Quare edictum prohibens contrahere vel vendere farinam non comprehendit Ecclesiasticos : Ruben. 11, Apr. 1690, lib. *Decr. Mart.* p. 598.

(38. Et Episcopus debet procedere sua ordinaria facultate contra prohibentes, ne Laici emant Franchitias, quia Ecclesiasticis superfluunt : Nullius Altamuræ 23 Martii 1683, l. 3 *Decretal. Altov.* pag. 155.

(39. Clerici, qui ob paupertatem, per aliam causam legitimam nequeunt emere frumentum pro sua quantitate Franchitiæ, et vivunt pane vendibili, possunt vendere suam Franchitiam : Oritana 6 Maii 1631, lib. 2 *Decret. Paul.* p. 77.

(40. Pariter Franchitia integra competit Clericis etiamsi non habeant famulos, et vivant aliorum expensis : Sulmon. 21 Martii 1646, l. 3 *Decret. Paul.* pag. 276.

(41. Sacerdotes, et Clerici gaudere debent Franchitia simpliciter pro quantitate frumenti eisdem necessaria, et ideo nihil innovandum est in præscribendo eis certam quantitatem Franchitiæ : Bovinen. 17 Dec. 1641, l. 3 *Decret. Paul*, pag. 165.

(42. Franchitia duorum tumulorum concedi soliti aliis Canonicis, debetur etiam Canonico Clerico : Tranen. 6 Jun. 1693, l. 1 *Decret. Alt.* pag. 610.

(43. Quando Communitas Laica auget exactionem pro molitura solvi consuetam, nihil innovandum est quoad Ecclesiasticos : Policastren. 2 Octobris 1671, lib. *Decret. Crim.* pag. 16.

(44. Quoad assignationes factas Franchitiarum Episcopi tueantur, tam de jure, quam ratione conventionum cum Sede Apostolica : Neapolitana, et aliarum Civitatum Regni 12 Febr. 1668, lib. 4 *Decr. Paul.* p. 5.

(45. Ecclesiasticus debet gaudere Franchitia etiam pro Conjunctis, et Familiaribus, qui in eadem domo ejus expensis vivunt : Caven. 27 Apr. 1632, lib. 2 *Decret. Paul.* p. 123, Teramen. 18 Julii 152, l. *Decret. Rocci* p. 417, et sæpe alibi.

(46. Non debent vero gaudere Franchitia pro Conjunctis, et aliis, quando non vivunt eorum expensis : Capuana 21 Martii 1645, lib. 3 *Decretal. Paul.* p. 246.

(47. Clerico petenti Franchitiam non tantum pro sua persona, sed etiam pro omnibus suis famulis actualibus : Sac. Congr. respondit non competere Franchitiam in majori quantitate expressa, seu taxata in concordia pro Clerico simplici : Aquilana 18 Decembris 1668, lib. 1 *Decr. Altov.* p. 297.

(48. Franchitia panis non extenditur ad panem laboratorum Clerici, seu ut dicitur *de' Massari di campagna* : Tranen. 2 Octobris 1668, lib. *Decretal. Altov.* pag. 272.

(49. Ecclesiasticis Episcopo inservientibus, et viventibus ejus expensis, ac manducantibus ex ejus pane competit Franchitia Farinæ, quam vendere possunt : Melphien. 13 Maii 1692, lib. *Decret. Grimaldi* p. 129. Laquedonen. 14 Octobris 1680, lib. 2 *Decret. Paul.* pag. 62, et 26 Augusti 1636, lib. 3 *Decret. Paul.* p. 12.

(50. Episcopo competunt Franchitiæ etiam pro famulis Laicis, quibus assignat partem panis in deductionem salarii, sed non competunt eisdem famulis in Cartella, sicuti Ecclesiasticis : In eadem Melphien. ibidem.

(51. Eremitis non habentibus requisita necessaria non debentur Franchitiæ : in dicta Melphien. ibid.

(52. Clerici annorum triginta, aut quadraginta non transeuntes ad Ordines Sacros et incumbentes operibus Sæcularibus, gaudent Franchitiis : Hydruntina 11 Junii 1675, lib. 1 *Decretal. Altov.* pag. 1190.

(53. Clericus non incedens in habitu, et tonsura gaudet suis Franchitiis, usque ad sententiam declaratoriam decidisse a Privilegiis Clericalibus : Licien. 21 Januarii 1687. lib. *Decr. Martelli* p. 49.

(54. Clerici convictores Seminarii gaudentes suis Franchitiis pro tempore, quo recipiunt victum in Seminario, non debent separatim frui Franchitia respectu Clericatus : Neritonen. 12 Julii 1678. lib. 2 *Decret. Altov.* pag. 1610.

(55. Puellæ viventes in Conservatoriis, asservantes Sacramenta in earum Ecclesia, et observantes Clausuram, gaudent Franchitiis debitis Personis Ecclesiasticis : Aquilana 23 Junii 1676. lib. 1 *Decret. Altov.* pag. 1266.

(56. Gabellarii non possunt diminuere Rectori ac Magistro Seminarii Cathedralis consuetam Franchitiam Farinæ : Salernitana 4 Novembr. 1683. lib. 1. *Decr. Vallem.* pag. 84.

(57. Gabellarii non possunt denegare Franchitiam Ecclesiasticis sub prætextu, quod cum mittunt triticum ad molendinum, non deferunt cartulam vulgo *Bolletta* ab iisdem Gabellariis subscriptam ; Nullius Altamuræ 7 Novembris 1693. lib. 1 *Decret. Vall.* pag. 85.

(58. Temperamentum captum ab Episcopo, quod Ecclesiastici diurno tantum tempore introducant Farinam in Civitatem, at melius observentur, an abutentur eorum Franchitia? approbatur. Et officialis ad hoc servandum ab Episcopo est deputandus ; Caven. 4 Sept. 1668. lib. 1 *Decr. Altov.* pag. 272.

Digitized by Google

FRANCISCANI.

SUMMARIUM.

1. Franciscani Missionarii. — 2. 3. Quoad jurisdictionem Parochorum. — 4. De Franciscanis Cochinchinæ. — 5. Alia. *Remissive.*

(1. Franciscani Missionarii in Ægypto laborantes laudantur a Benedicto XIV. tom. 1. Constitution. 129. incipien. *Eo quamvis tempore* § 2. (2. Franciscani Instituti spiritus quoad Jurisdictionem Parochorum ex documentis Sancti Francisci, et S. Bonaventuræ demonstratur; *ib.* § 15. (3. ubi adductis verbis Testamenti dicti S. Patris Francisci, et S. Bonaventuræ in tractatu: *Quare Fratres Minores prædicent*, subjungit: « Licere tantum Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Custodiæ Terræ Sanctæ Parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eisque Sacramenta administrare in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antistitem Græci Ritus. »

(4. Franciscani Observantes Missionarii a quibusdam Ecclesiis, et Missionibus Cochinchinæ discedere jubentur Decreto Visitatoris Apostolici: Idem Constitution. 111. incipient. *Quantopere* § 17. Inde appellant ad S. Sedem; Idem *Ibid.* § 9. Et decreta prius confirmata revocantur, ipsique in pristinum restituuntur; Idem *ibid.* § 11. Adjecta lege conservandi Missiones sibi adjudicatas eisque non deferendi; Idem *ib.* § 15. Iisque permittitur prædicare in Regnis Ciampæ, et Cambojæ, non tamen aliis exclusis; Idem *ibid.* § 16.

(5. De Franciscanis plura afferuntur in verb. *Minoritæ*, ubi de eorum Missionibus in unum congesta sunt decreta Benedicti XIV. a n. 1. ad. 12. Vide etiam verb. *Alimenta* num. 118. verb. *Alternativa* num. 15. ad 17. verb. *Capuccini* num. 1. verb. *Doctrina Christiana* n. 1. verb. *Indulgentia* art. 5. verb. *Religiones Regulares* art. 5. verb. *Tertiarii, Tertiariæ*, verb. *Visitatio, visitare* num. 122 et verb. *Votum* art. 2. n. 130 et seqq.

FRAUS.

SUMMARIUM.

1. Fraus omnis est prohibita de jure naturali. — 2. Unde fraus in omni dispositione semper intelligitur excepta. — 3. Fraus, et dolus nulli patrocinari debent. — 4. Temporis intervallum fraudis suspicionem excludit. — 5. Sic e contra fraus arguitur ex brevitate temporis. — 6. Fraus, et collusio dicuntur esse delicta, nec præsumuntur, nisi probentur. — 7. Nec ad fraudem probandam admittuntur conjecturæ. — 8. Nisi conjecturæ sint legales, evidentes, ac perspicuæ. — 9. Quæ tamen conjecturæ eliduntur a potentioribus ad effectum fraudem excludendi. — 10. Adeo ut ad prædictum effectum lata sit admittenda interpretatio. — 11. Immo suspicio fraudis ex qualitate personarum tollitur. — 12. Et ideo in Viro nobili non est fraus præsumenda. — 13. Minus fraus præsumitur in Persona constituta in Ecclesiastica Dignitate. — 14. Sicuti nec in Infante potest considerari fraus. — 15. Tollitur etiam, et cessat fraudis, doli suspicio in iis, quæ palam ac publice fiunt. — 16. Et sic tollitur in Hærede palam, ac publice possidente. — 17. Nec fraus præsumitur in eo, cui nullum commodum ex actu resultat. — 18. Eumdem effectum quoad fraudis exclusionem operatur actus ratihabitio et geminatio. — 19. Operatur quoque prædictum effectum conscientiæ exoneratio. — 20. Attenditur etiam deficientia causæ fraudandi ad effectum excludendi quamlibet fraudis suspicionem. — 21. Quo casu conjecturæ pro fraude inducendæ adductæ non operantur. — 22. Quare fraude cessante, cessare debet quoque dispositio ad obviandum fraudibus. — 23. Fraus, et deceptio deducitur ex circumstantia temporis, actus gesti, et ex qualitate actum gerentis. — 24. Item ex inverisimilitudine. — 25. Hinc fraudis suspicione non caret volens fingere id quod non est. — 26. Nec dicta caret suspicione, qui majoribus abundat cautelis in rebus suspectis. — 27. Actus fraudulentus revocari non potest, nisi ab eo cujus in fraudem factus est. — 28. Et fraudantis bona prius excutienda sunt, antequam quis contra Tertium agere permittatur. — 29. Ubi agitur de fraudibus, omnia sunt rejicienda, etiamsi ageretur de causis piis. — 30. Hinc Leges, in quantum possunt, resistunt fraudibus. — 31. Ideoque fraudibus, quantum fieri potest, est occurrendum, et via præcludenda. — 32. Adverte tamen, quod fraus, et deceptio possit stare in multis sine læsione. — 33. Et quod sæpe cum veritate fiat, atque misceatur. — 34. De Fraude duæ Leges in Regulis Juris. — 35. Earum interpretatio. *Remissive.*

(1 Fraus omnis est prohibita de jure naturali, et quidquid ratione fraudis prohibetur tamquam jus naturale, de similibus ad similia; l. 1. et l. ultim. ff. *Si quid in fraud. patr.* l. *Cum hi* § *Si cum lex., de Transact.* Fagn. lib. 2. *Decr.* in cap. *In præsentia* 8. *de Probation.* num. 64. (2. Unde fraus in omni dispositione semper intelligitur excepta, l. *Imperialem* § 1. *de prohibit. Feud. alien.* Frideric. Afflict. dec. 111. num. 3. Fagnan. lib. 1. *Decr.* in cap. *Magnus* 1. *de obligatis ad ratiocinia* et c. num. 30. cum aliis relatis ab Alciat. caus. 69. numer. 10. et sequent. lib. 8. Put. decis. 234. circa fin. vers. *Si autem* lib. 3. (3. Fraus enim, et dolus nulli patrocinari debent; cap. *Ex litteris* 2. *de Dolo, et contumacia*, ibi: « Nos attendentes malitiam, et dolum nulli patrocinari debere, » cap. *Sedes* 15. *de Rescriptis*, ibi: « Quia fraus, et dolus ei patrocinari non debent; » C. *Ex tenore*, 16. Cod. ibi: « Quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent. » Cap. *Tuæ* 12. *de Cler. non resident.* ibi: « Cum fraus, et dolus nemini debeat patrocinium impertiri; » et l. in fundo, ff. *de Rei vindic.* ibi: « Neque malitiis, indulgendum est; » l. *Cum hi* ff. *de Transact.* ibi: « Non debet via aperiri malitiis, » et l. *Si Legatarius*, Cod. *de Legatis*, ibi: « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis, » cum aliis apud Rotam dec. 53. num. 103. coram Peutingerio.

(4. Temporis intervallum fraudis suspicionem excludit, l. 4. § 4, *Si ab ignoto*, ff. *de Manumiss.* Ita cum multis aliis, Fagnanus in

Digitized by Google

cit. cap. *Magnus* num. 37. (5. Sic contra fraus arguitur ex brevitate temporis, cap. *Officii, de Elect.* l. *Si neutri* § fin. *de privileg. Creditor.* (6. Et sic cum multis aliis Fagn. loc. cit. n. 38. Fraus, et collusio dicuntur esse delicta, nec præsumuntur, nisi probentur; Rota p. 5. tom. 1. decis. 132. num. 1. part. 9. tom. 1. decis. 26. num. 5. part. 14. decis. 126. num. 17. part. 17. decis. 107. num. 15. (7. Nec ad fraudem probandam admittuntur conjecturæ; Rota part. 5. tom. 1. dec. 26. num. 21. part. 12. decis. 407. num. 8. (8. Nisi conjecturæ sint legales, evidentes, ac perspicuæ; Rota *ibidem*, et part. 16. decis. 2. num. 6. (9. Quæ tamen conjecturæ eliduntur a potentioribus ad effectum fraudem excludendi; Rota *ibid.* num. 7. (10. Adeo ut ad prædictum effectum lata sit admittenda interpretatio; Annotat. ad decis. 16. num. 7. part. 8. Rotæ recentior. (11. Immo suspicio fraudis ex qualitate personarum tollitur; Rota part. 13. decis. 421. num. 11. (12. Et ideo in Viro nobili non est fraus præsumenda; Rota part. 9. tom. 1. decis 472. num. 11. part. 17. dec. 107. num. 6. (13. Minus fraus præsumitur in persona constituta in Ecclesiastica Dignitate; Rota *ibid.* (14. Sicuti nec in Infante potest considerari fraus; Rota part. 19. tom. 2. decis. 429. num. 24.

(15. Tollitur etiam, et cessat fraudis, ac doli suspicio in iis, quæ palam, ac publice fiunt, Rota part. 2. decis. 206. num. 10. (16. Et sic tollitur in hærede palam ac publice possidente, Rota part. 14. decis. 82. num. 9. (17. Nec fraus præsumitur in eo, cui nullum commodum ex actu resultat; Rota part. 2. decis. 206. num. 11. (18. Eumdem effectum quoad fraudis exclusionem operatur actus ratihabitio, et geminatio; Rota part. 14. dec. 97. num. 12. (19. Operatur quoque prædictum effectum conscientiæ exoneratio; Rota part. 9. tom. 1. decis. 25. n. 28. (20. Attenditur etiam deficientia causæ fraudandi ad effectum excludendi quamlibet fraudis suspicionem; Rota part. 1. decis. 407. num. 8. et decis. 529. num. 3. part. 13. decis. 336. n. 10. (21. Quo casu conjecturæ pro fraude inducenda adductæ non operantur; Rota *ib.* num. 12. (22. Quare fraude cessante, cessare debet quoque dispositio ad obviandum fraudibus; Rota part. 3. decis. 463. num. 3.

(23. Fraus, et deceptio deducitur ex circumstantia temporis, actus, gesti, et ex qualitate actum gerentis, Rota part. 13. decis. 241. num. 8. (24. Item ex inverisimilitudine; Rota *ibid.* num. 10. (25. Hinc fraudis suspicione non caret volens fingere id, quod non est; Rota part. 6. decis. 339. num. 50. (26. Nec dicta caret suspicione, qui majoribus abundat cautelis in rebus suspectis; Rota part. 10. dec. 305. num. 12. part. 17. decis. 256. num. 10. (27. Actus fraudulentus revocari non potest, nisi ab eo, cujus in fraudem factus est, Rota part. 18. tom. 1. decis. 309. num. 10. et sequent. (28. Et fraudantis bona prius excutienda sunt antequam quis contra Tertium agere permittatur, Rota part. 16. decis. 413. n. 13. et seq. (29. Ubi agitur de fraudibus, omnia sunt rejicienda, etiamsi ageretur de causis piis, Annotat. ad decis. 16. n. 5. par. 8. Rota recentior. (30. Hinc leges in quantum possunt, resistunt fraudibus; *ibidem* num. 1. et sequent. vide supra num. 3. (31. Ideoque fraudibus, quantum fieri potest, est occurrendum, et via præcludenda; Rota part. 5. decis. 43 num. 5. et decis. 386. n. 4. part 6. decis. 229. num. 12. et dec. 243. num. 4. part. 10. decis. 332, num. 11. (32. Adverte tamen, quod fraus, et deceptio possit stare in multis sine læsione; Rota part. 5. tom. 2. decis. 497. n. 165. (33. Et quod sæpe cum veritate fiat, atque misceatur; Rota part. 15 decis. 351. num. 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De Fraude, duæ in titulo Pandectarum de Regulis juris sunt Leges; scilicet *L.* 78 et *L.* 79. « Generaliter (ait L. 79.) quum de fraude disputatur, non quod habeat, Actor, sed quod per adversarium habere non potuerit, considerandum est. Fraudis, (sunt verba legis 79.) interpretatio semper in jure civili non ex eventu dumtaxtat, sed ex consilio quoque desideratur. »

(35. Utilis esset expositio utriusque hujus Legis pro definitione etiam quæstionum, quæ in foro agitantur, sed ne nimius sim, omissis aliis qui commentarios edidere ad titulum de Regulis juris, Revardo quoque et Petro Fabro, consule unum Jacobum Gothofredum.

FRUCTUS ECCLESIASTICORUM

ET PRÆSERTIM BENEFICIATORUM.

SUMMARIUM.

1. 7. Decreta ex Sacra Congregatione Immunitatis. — 8. Ad quem spectent fructus Beneficii, mortuo Beneficiato. — 9. Quid si Beneficiatus Beneficium resignaverit. — 10. Quid in locis in quibus fructus non spectant ad successorem. — 11. De Accumulato. — 12. De Translato.

Referuntur ad rem sequentia decreta a Riccio in Synopsi verb. *Fructus.*

(1. Fructus universi Ecclesiasticorum, qui colliguntur in bonis, tam Beneficialibus, quam Patrimonialibus, sunt exempti ab oneribus, et impositionibus laicis, nec ullo modo est admittenda restrictio ad certam ratam, et portionem : Sacr. Congreg. Immun. in Ortonen. 24 Julii 1634. lib. 2. *Decr. Paul.* pag. 193. in Lavellen. 27 Februar. 1677. lib. 2 *Decret. Altov.* pag. 1354.

(2. Ecclesiastici non possunt impediri asportare fructus recollectos in bonis propriis, nisi adsit indigentia Civitatis : Sacr. Congr. Immun. in Assisien. 22 Januarii 1629. lib. 1 *Decr. Paul.* pag. 121.

(3. Recurrentes ad Judices laicos, ut impediant Ecclesiasticis collectionem fructuum,

Digitized by Google

Censuras incurrunt; ead. Sacr. Congr. Immu. in Aprutina 2 Decembris 1698. lib. 2. *Decr. Vallem.* pag. 188.

(4. Contra Gubernatorem retinentem fructus Beneficii cujusdam Ecclesiastici, injungitur Episcopo, ut viriliter tueatur; ead. Sac. Cong. in Aquilana 1 Jan. 1695. lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 165.

(5. An Laici sint præferendi in emptione fructuum decimalium, cognitio spectat ad Judicem Ecclesiasticum : ead. Sacr. Congr. in Augustana 22 Aprilis 1698. lib. 2. *Decr. Vallem.* pag. 148.

(6. Recurrentes ad Potestatem Laicam, ut impediant decreta Episcopi pro libertate venditionis fructuum decimalium, excommunicantur : *ibidem.*

(7. Prævia renunciatione dictis recursibus, et reintegrata parte, absolvuntur etiam in forma privata : *ibidem.*

Cætera de fructibus, sive redditibus Beneficiatorum vide verb. *Beneficiatus* art. 1, 2 et 3. et verb. *Dominium* artic. 2.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(8. De Fructibus Beneficiorum frequentes sunt controversiæ. Si obierit Beneficiatus, fructus nondum exacti de jure communi spectant ad successorem in Beneficium, et quidem etiamsi cesserit dies eorum solutionis vivente adhuc Beneficiato : Rota in Burgen. Canonicatus super fructibus 28 Junii 1745. § 4. coram clar. mem. Millin. ubi quod in Hispaniis ex consuetudine ubique recepta spectent ad Hæredem Beneficiati.

(9. Idem juris obtinet, si Beneficiatus Beneficium resignaverit. Illud vero peculiare in Resignatione occurrit, quod Resignatario debentur fructus Beneficii resignati a die admissæ resignationis etiamsi ipse Resignatarius possessionem Beneficii resignati non apprehenderit : Piton. *Discept. Eccl.* 74. n. 23. Paris. *de Resignat.* l. 1. qu. 6. n. 27. et seq. Rot. coram Cavaler. dec. 104. num. 1. et seq. et in dict. Burgen. Canonicatus super fructibus 28 Junii 1745. § 3. coram clar. me. Millin.

(10. In locis, in quibus fructus Beneficii nondum exacti non spectant ad successorem in Beneficium, sed ad Hæredem, vel ad Cameram Apostolicam, quæri solet, an subrogatus in juribus defuncti prætendere queat fructus ipsi defuncto debitos? sed negativa amplexa fuit sententia a Rota, idque quia nisi in subrogatione fiat expressa mentio fructuum, intelligitur subrogatio quoad jus defuncti quod erat in lite, non item quoad fructus decursos, ut respondit Rota in d. Burgen. Canonicatus super fructibus 28 Jun. 1745. § 6. cor. clar. me. Millin. in Aurien. Parochialis super fructibus 24 Jan. 1755. § 5. cor. Illustriss. Caprar. Alm. Urb. Gubernatore.

(11. Major in iisdem locis est dubitatio de Accumulato, an is prætendere possit fructus decursos per id temporis, quo primo loco Præsentatus litem sustinuit super Beneficio? At definitum quoque fuit minime posse prætendere : Confer Rotam in d. Aurien. Parochialis super fructibus 5 Maii 1754. § 6. et plur. sequent. cor. Illustriss. Figueroa, et 24 Jan. 1751. § 7 et plur. sequent. cor. Illustriss. Caprar. Alm. Urb. Gubernatore.

(12. Translato ab una ad alteram Ecclesiam, an et cujus temporis fructus debeantur, plene distinctis variis casibus agit Bohemer in *Decret.* lib. 1. tit. *de Translat.*

FRUMENTUM.

SUMMARIUM.

1 ad 27. Plura afferuntur Decreta ex Sacra Immunitatis Congregatione.

Referuntur ad rem sequentia decreta a Riccio in Synopsi verb. *Frumentum.*

(1. Edictum taxæ super pretio frumenti editum a Curia Magni Magistri afficere non potest Ecclesiasticos, sed si concurrat Publicum bonum, injungi potest Episcopo, ut pro Ecclesiasticis publicet Edictum simile, non tamen relative ad Edictum Laicum; Sacr. Congr. Immun. in Melevitana 1 Decembris 1648 lib. 4 *Decret. Paul.* pag. 58.

(2. Non est permittendum Ecclesiasticos comprehendi in prohibitione Laicorum vendendi, et emendi Frumenta, sed urgente necessitate potest Ordinarius suo peculiari Edicto Ecclesiasticis prohibere; ead. Sacr. Congreg. Immun. in Ragusina 10 Junii 1636. lib. 3 *Decr. Paul.* pag. 7.

(3. In venditione Frumenti, Bladarum, et similium Ecclesiastici non tenentur servare taxam, et alias ordinationes editas a potestate laica; sed Episcopus sua ordinatione constituat eamdem taxam pretii justi, et contra Transgressores procedat: eadem Sac. Congr. Immun. in Melevitana 21 Martii 1646. lib. 3 *Decr. Paul.* pag. 276. Boven. 17 Maii 1695. lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 189.

(4. Episcopus potest in casu necessitatis proprio Edicto statuere pretium frumenti Ecclesiasticorum, eosque cogere ad venditionem, reservata tamen pro usu, et sustentatione ipsorum æqua et proportionata quantitate, ead. Sacr. Congreg. Immun. in Casalen. 12 Febr. 1695. lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 171.

(5. Injungitur Episcopo, ut pro currenti anno, attenta gravissima penuria præfigat proprio Edicto justum pretium frumento Ecclesiasticorum, et obliget auctoritate Sacr. Congr. Ecclesiasticos, tam Sæculares, quam Regulares ad venditionem Frumenti, reservata tamen pro usu, et sustentatione eorum ea quantitate, quæ æqua, et proportionata omnibus consideratis ab eodem Episcopo reputata fuerit : ead. Sacr. Congr. Immun. in Neocastren. 1 Decemb. 1696. lib. 2 *Decr. Vallem.* pag. 16.

(6. Quatenus Episcopus judicet talem esse penuriam Frumenti, ut sit expediens prohibere Ecclesiasticis extractionem, eam prohibeat proprio Edicto, nulla facta mentione, vel habita relatione ad Edictum Laicale : ead. Sacr. Congr. Immun. in Neocastr. 8 Augusti 1693. lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 66.

Digitized by Google

(7. Mandatur Episcopis, et Archiepiscopis Regni, ut attenta penuria, vendant eorum frumenta, et respective vendere faciant a Personis Ecclesiasticis, pro pretio tamen per eosdem cum Emptoribus concordato, et quatenus non concordent, vendant pro pretio justo judicato arbitrio Episcoporum ; eadem Sacr. Congr. Immun. in Neapolitana 10 Nov. 1648. lib. 4 *Decr. Paul.* pag. 63.

(8. Tempore penuriæ, ut dicitur *le rassegne* Frumentorum, et Bladarum Ecclesiasticorum faciendæ sunt per Ecclesiasticos Curiæ Episcopalis, et ab Episcopo arbitranda est quantitas, qua indiget unusquisque Ecclesiasticus. Frumentum vero, et Bladæ asserventur in loco ipsi Episcopo beneviso, et sub custodia Deputati ab ipso Episcopo. Et ut dicitur *si spiani* in Furno Ecclesiasticorum, si quem habent ; ead. Sacra Congreg. Immun. in Civitatis Castelli 14. Jan. 1630. lib. 2 *Decr. Paul.* pag. 23.

(9. Perquisitio frumentorum in locis immunibus est prorsus prohibita Laicis ; eadem Sacra Congr. in Florentina 15 Decembris 1648. lib. 4. *Decret Paul.* pag. 66.

(10. Dantur litteræ circulares Episcopis status Ecclesiastici pro perquisitione frumenti in locis immunibus ad effectum faciendi ejus assignationem Ministris abundantiæ, soluto competenti pretio ; ead. Sac. Congreg. Immun. 20. Aug. 1678. lib. 2. *Decret. Altov.* pag. 1630.

(11. Datur facultas perquirendi, et extrahendi frumentum ad effectum consignandi pro servitio abundantiæ Civitatis ; eadem Sac. Congr. Immun. in Interramen. 2. April. 1678. lib. 2. *Decr. Altov.* pag. 1555.

(12. Episcopus pro extractione frumenti Mensæ Episcopalis de loco ad locum in eodem Gubernio non tenetur recipere Bulletinum ; ead. Sac. Cong. Immun. in Fanen. 17 Novemb. 1671. lib. 1 *Decr. Altoviti* p. 618.

(13. Contra Ministros laicos impedientes exactionem Frumenti debiti cuidam Beneficiato Episcopus tueatur efficaciter, adhibitis etiam Juris remediis ; ead. Sac. Congr. Immun. in Cajetana 30. Mart. 1695. lib. 6, *Decr. Vallem.* p. 180.

(14. Idem mandet restitui frumentum executatum in loco immuni per Ministros laicos spectans ad Ecclesiasticum ; ead. Sac. Congr. Immun. in Aquilana *ibidem.*

(15. Frumenta Ecclesiasticorum non tenentur ad Gabellam introductionis ; ead. Sacr. Congr. Immun. in Camerinen. 10 Febr. 1680. lib. 2 *Decr. Altov.* pag. 1623.

(16. Frumentum recollectum in bonis propriis Ecclesiastici potest asportari, nec in hoc potest impediri, nisi adsit indigentia Civitatis ; ead. Sacr. Congreg. Immun. in Assisien. 2 Januar. 1629. lib. 1. *Decret. Pauluc.* p. 121.

(17. Sacra Congregatio inclinat, Clerum Sæcularem, et Regularem non teneri ad recipiendam portionem frumenti horrei publici, de qua agitur, sed in omnem casum distribuendum esse per capita, comprehensis etiam Equitibus, et omnibus aliis ; ead. Sacr. Congr. Immun. in Melevitana 6. Oct. 1638. lib. 3. *Decr. Paul.* pag. 74.

(18. Nuncio Neapolis scribitur, non esse extendendam facultatem extrahendi frumenta, ita ut etiam cum deputatione personæ Ecclesiasticæ minime liceat Commissario Regio extrahere frumenta recondita in locis immunibus, etiamsi fortassis empta contra formam Pragmaticæ ; ead. Sac. Cong. Immunit. in Neapolitana 28 Septemb. 1694. lib. 1. *Decret. Vallem.* pag. 149.

(19. Conceduntur Gubernatori Picæni de ordine Sanctissimi Litteræ persecutionis in forma quoad frumenta recondita in locis immunibus ; eadem S. Cong. Immun. in Marcer 10 Octob. 1671. lib. 4. *Dec. Altov.* p. 610.

(20. Gubernator Marchiæ vigore asserti Brevis non potest prohibere Episcopo Auximano, ejusque Colonis partiariis, ne absque sua licentia in scriptis extrahant de loco ad locum intra fines Provinciæ frumentum in terris Episcopi collectum ; ead. Sac. Cong. Immun. in Auximana 10 Decembris 1627. lib. 4. *Decret. Paul.* pag. 35.

(21. Idem Gubernator non potest cogere Ecclesiasticos ad asportandum in horrea publica partem suorum frumentorum ; ead. Sac. Cong. Immun. *ib.*

(22. Idem non potest præcipere Ministris Montium frumentorum, ne absque sua licentia distribuant in singulos annos statutis temporibus frumentum pauperibus ; ead. Sac. Congr. Immun. *ibid.*

(23. Circa Edicta publicata a Gubernatore Perusiæ super assignatione frumentorum præcipitur eidem, ut publicet novum Edictum totaliter conformare Edicto Eminentissimi Camerarii edito die 19. Aug. 1697. cum revocatione edicti publicati ab eodemmet Gubernatore, seu Præside die 14. d. mensis ; eadem Sacr. Congr. Immun. in Perusina 30 Sept. 1704. lib. 3. *Decr. Vallem.* p. 618. et seq.

(24. Communitas Oppidi Centi in Legatione Ferrariensi tenetur ad recipiendum frumentum Mensæ Episcopalis Bononiensis (cum jam se ad hoc obligaverit, dummodo dicta Mensa clauderet furnum in d. loco) recollectum in territorio Centi pretio majori Calmerii de mense Novembris, et Decembris, dummodo d. frumentum sit mercantile, et plane mundum. Tenentur pariter ministri dictæ Mensæ infra totum mensem Octobris notificare ministris Annonæ, se promptos esse ad vendendum frumentum, et exprimere quantitatem tradendam ; eadem Sac. Congr. Immun. in Bonon. 5. Jan. 1696. lib. 2. *Decret. Vallem.* pag. 2.

(25. Injungitur Eminentissimo Legato, ut præfigat terminum 15. dierum d. Communitati Centi ad emendum frumentum d. Mensæ Archiepiscopalis, quo elapso liceat eidem Mensæ aperire furnum ad effectum, ut dicitur, *di dispianare* præfatum frumentum, ead. Sac. Congreg. Immun. in Bonon. 17 Mart. 1696. lib. 2. *Decr. Vallem.* pag. 12.

(26. Appaltatores Pistrinorum renuentes se accommodare apprætiationi factæ super triticum Ecclesiasticorum, censuras incurrunt ; ead. Sac. Congr. Immun in Tudertina 27. Julii 1683. lib. 3. *Decr. Altov.* p. 211.

Digitized by Google

(27. Ad supplicationem Reipublicæ Lucanæ a Sanctissimo Sac. Congreg. remissam, petentis frumentum Ecclesiasticorum debere vendi Ministris Reipublicæ, et prohiberi Ecclesiasticis vendere panem minutatim confectum ex frumento recollecto in bonis propriis Ecclesiasticorum; Sacr. Congr. auditis informationibus deductis ab utraque parte censuit, si Sanctissimo placuerit, posse præfato Clero, Jus, et libertatem eidem ex dispositione Sacrorum Canonum, et declarationibus Sac. Congreg. competentem vendendi minutatim panem confectum ex frumento in bonis propriis recollecto sumendi per septennium proximum futurum cum infrascriptis conditionibus.

I. Quod Ecclesiastici utriusque Cleri intra mensem Septembris declarare debeant in actis Curiæ Episcopalis, an velint dare frumentum recollectum in propriis bonis Ministris publicis, et in qua quantitate; factaque declaratione cum obligatione frumenti, teneantur tradere quantitatem oblatam, et ad id cogi debeant per Curiam Episcopalem.

II. Quod tota quantitas Frumenti a Clero tam Urbano, quam Forensi intra sex milliarios respective tradenda, non excedat staria duodecim millia.

III. Quod Frumentum præfatum solvi debeat, vel pretio currenti de tempore traditionis cum augmento duorum Juliorum Romanorum pro quolibet rubio Romano, vel majori, altiori pretio, quo fuerit venditum frumentum in locis publicis Civitatis de mensibus Novembris, et Decembris. Et casu quo Ecclesiastici vendere velint frumentum ante prædictos menses Novembris, et Decembris, tunc teneantur Ministri publici illud recipere, et solvere pretio currenti de tempore traditionis cum præfato augmento duorum Juliorum.

IV. Quod frumentum debeat mensurari ad mensuram consuetam in platea Civitatis, ubi publice venditur, et tam mensura, quam consignatio fieri a Clero Urbano intra Civitatem in horreis, vel domibus, in quibus Ecclesiastici illud retinent. Frumentum vero dandum a Clero Forensi teneantur Ministri Annonæ suscipere ex horreis, vel domibus, ubi frumentum reperitur, et propriis sumptibus transportare, pretiumque solvere utrique Clero in actu consignationis Frumenti, quod esse debeat qualitatis recipientis, et ut vulgo dicitur *Mercantile*.

V. Quod quolibet anno in mense Septembris eligantur duo Periti, alter a Clero alter a Ministris Annonæ, quorum judicio standum sit super qualitate frumenti consignandi, et unitim eligatur etiam Tertius, qui in casu discordiæ Peritorum, suum tunc debeat ferre judicium cui partes stare debeant.

VI. Quod Ministri publici teneantur declarare in mense Octobris, an velint accipere frumentum oblatum ab Ecclesiasticis. Et eveniente casu, quo illud non recipiant cum prædictis conditionibus sit in omnium, et singulorum Ecclesiasticorum arbitrio redire ad usum Canonicæ libertatis vendendi minutatim panem confectum ex frumento recollecto in propriis bonis; quod pariter iisdem liceat casu, quo prædicti Ministri patiantur, seu tolerent aliquem Laicum minutatim vendere in Civitate panem ex proprio frumento confectum.

Alia insuper adjecta clausula, quod præsens indultum per septennium sit servandum, et nullo unquam tempore ad exemplum trahi possit; ead. Sacr. Congr. Immun. in Lucana 20 Martii 1690. lib. 2 *Decr. Vallemani* pag. 209.

Additur pro declaratione præfati Decreti, quod pro pretio regulando Frumenti vendendi ab Ecclesiasticis Ministris, habeatur ratio ad pretium illius Frumenti, quod in locis publicis venditur, et dicitur *da panizare*, non autem ad pretium Frumenti, quod dicitur *da Seme*. In reliquis in decis. ead. Sacr. Congr. Immun. in ead. 21. Martii 1700. lib. 2 *Decret. Vallem.* p. 278.

FUGITIVUS A RELIGIONE.

Vide verb. Apostata, *a num.* 19, *ad numer.* 61.

FUNDATOR BENEFICII.

Vide verb. Beneficia, *art.* 2, *et verb.* Capellania.

FUNERALIA, FUNERA.

Vide verb. Sepultura.

FURNUS.

SUMMARIUM.

1 ad 23, Plura afferuntur Decreta ex Sacra Immunitatis Congregatione.

(1. Furni spectantes ad Ecclesiasticos gaudent exemptione, Sac. Cong. Immun. in Nuscana 20 Martii 1630. lib. 2 *Decr. Paul.* p. 33.

(2. Capitulum, et Clerus habere possunt Furnum proprium, eoque uti, et locare ad usum Furni personæ sibi benevisæ ad effectum, ut dicitur, *di dispianare* eorum frumenta; ead. Sacr. Congr. Immun. in Eugubina 9 Martii 1632, lib. 2 *Decr. Paul.* p. 116.

(3. Clerici, et Ecclesiastici possunt aperire Furnum ad effectum *di esitare* eorum frumenta, dummodo sint recollecta in propriis bonis tam Ecclesiasticis, quam Patrimonialibus: ead. Sacr. Cong. Immun. in Ravennaten. Spoletana, et aliis 25 Sept. 1627. l. 1 *Decr. Paul.* pag. 67. Civitatis Plebis 9 Sept. 1659, lib. 4 *Decr. Altov.* pag. 1831, et 20 Febr. 1680. d. lib. p. 1932.

(4. Super competentiis Episcoporum in aperitione Furni visum fuit Sacr. Congr.

Digitized by Google

particulari desuper habitæ non posse, nec expedire Decretum, seu regulam generalem præscribere ob diversas rationes, et circumstantias, quæ in unoquoque loco intercedunt; sed quod in casibus particularibus provideatur insimul per utramque Sacr. Congr. scilicet Immunitatis, et Boni Regiminis; eadem Sacr. Congr. Immunit. die 21 Julii 1699. lib. *Decret. Martelli* pag. 499.

(5. Sac. Congr. et remissione Sanctissimi pluries auditis Ecclesiasticis, et Appaltatoribus Veliternis quoad expensas factas pro aperitione Furni Ecclesiasticorum, censuit, quod prævia solutione scutorum quinquaginta, et facta obligatione per Appaltatores de solvendo insuper quidquid fuerit judicatum, nec non soluto pretio Frumenti Ecclesiasticorum ad rationem Juliorum quinquaginta trium pro quolibet rubio, quod pretium pro medietate solvatur in consignatione Frumenti et alia medietas per totum Februarium immediate proximum, claudatur Furnus Ecclesiasticorum. In futurum vero, servatis litteris Sac. Congr. Boni Regiminis quoad interpellationem, declaravit taxari pretium Frumenti Ecclesiasticorum ad rationem taxæ, ut dicitur *dello spiano*, alias licere Ecclesiasticis aperire Furnum. Omnia approbavit Sanctissimus, et mandavit publicari hujusmodi Decretum; ead Sac. Congr. Immun. in Veliterna 29. Dec. 1674. lib. 1. *Decr. Alt.* pag. 1048.

(6. Licet Episcopo uti libertate aperiendi Furnum quando Appaltator panis vendibilis recusat emere frumentum mensæ Episcopalis juxta ordines Sacr. Congr. Boni Regiminis; eadem Sacr. Congr. Immun. in Tudertina 9. Decembris 1679. lib. 2. *Decr. Altov.* p. 1891.

(7. Episcopus claudat Furnum, dummodo Appaltator se obliget emere frumenta suæ mensæ Episcopalis in pretio, et quantitate declaranda a Sac. Congreg. Eadem Sac. Congreg. Immun. in Aquipendii 9 Febr. 1604. lib. 1 *Decr. Vallem.* p. 104.

(8. At quia concordare non potuit super quantitate, et pretio, ideo Sac. Congreg. a decisis recessit, et declaravit, licere Episcopo aperire Furnum: ead. Sac. Congr. Immun. in eadem 7. Apr. d. anni et lib. p. 115.

(9. Item Episcopo Faventino licet aperire Furnum nisi Appaltator intra 15 dies offerat se empturum Frumenta Mensæ Episcopalis pretio currenti cum augumento vigesimæ; ead. Sac. Congr. Immun. in Faventina 20 Martii 1695. d. l. pag. 187.

(10. Idem licet Episcopo Camerinen. nisi intra 15. dies Communitas se offerat cum effectu emere frumentum collectum in tota Diœcesi cum augumento vigesimæ, ut in prædicta Faventina; ead. Sacr. Congr. Immun. in Camerinen. 12 Januar. 1709. lib. 2 *Decr. Vallem.* p. 265.

(11. Sic licet Em. Commendatario aperire Furnum, facta tamen declaratione in principio mensis Octobris quantitatis frumenti, ut dicitur *di spianare*. Et quatenus Em. Abbas non deveniat ad declarationem, servetur Decretum in Faventina; ead. Sac. Cong. Immun. in Assisien. 1. Octob. 1703. lib. 3 *Decr. Vallem.* pag. 523.

(12. Licet Em. Cardinali *fare spianare*, ut dicitur, in proprio Furno Frumentum recollectum in bonis Patrimonialibus, et Beneficiorum, attento, quod Abundantiarii recusent emere frumentum ipsis exhibitum debitis temporibus; ead. Sacra Congreg. Immunit. in Cesenaten. 18 Octobris 1681. lib. 2 *Decr. Altov.* pag. 2275.

(13. Quando Priores communitatis præsumunt impedire Episcopum in sua libertate aperiendi Furnum, recusantibus ipsis emere Frumentum Mensæ Episcopalis Sac. Cong. rescripsit: Detur Decret. in Faventina sub die 20 Martii 1695. secundum quod Episcopus se gerat, eadem Sacra Congr. Immun. in Faventina 24 Octobris 1699. lib. 2. *Decr. Vallem.* pag. 252.

(14. Licet Ecclesiasticis, qui recipiunt Franchitias farinæ in cartella, retinere furnum pro usu proprio: ead. Sacr. Congr. Immun. in Melphitana 13. Maii 1692. lib. *Decr. Grimaldi* pag. 129.

(15. Non licet Gubernatori visitare Furnos Ecclesiasticorum: ead. Sac. Congr. Immun. in Urbevetana 9 Novemb. 1695. lib. 1. *Decr. Vallem.* p. 227.

(16. Ecclesiastici coquentes panem in Furno publico Baronis, in quo solvunt omnes onus Furnatici, quatenus voluntarie utantur tali Furno, tenentur ad solutionem dicti oneris; eadem Sac. Cong. Immuniti in Larinen. 28 Sept. 1694. lib. 1. *Decr. Vallem.* pag. 148.

(17. Communistæ, qui destruxerunt Furnos Ecclesiasticorum, absolvuntur quatenus supplicent, et reædificent Furnos destructos; eadem Sac. Cong. Immun. Brundusina 1 Novemb. 1682. lib. 2. *Decr. Altov.* pag. 2279.

(18. Furni intra Claustra Regularium existentes, pro ipsorum usu tantum inservire debent: eadem Sacr. Congr. Immun. in Neapolitana 4 Decembr. 1628. lib. 1. *Decr. Paul.* pag. 115.

(19. Et non possunt a Laicis impediri, ne ædificentur: ead. Sacra Congr. Immun, in Baren. 28 Junii 1704. lib. 3. *Decr. Vallem.* p. 590.

(20. Nuncius provideat circa Furnos Regularium Neapolis, ut illis utantur tantum pro eorum usu: ead. Sacr. Congr. Immun. in Neapolitana 2 Decembr. 1681. lib. *Decr. Altov.* p. 2292.

(21. Eadem Facultas circa Furnos Ecclesiasticorum Neapolis conceditur Archiepiscopo; eadem Sacr. Congr. Immun. in ead. 27 Januarii 1682. lib. 3 *Decr. Alt.* p. 3.

(22. Quando Regulares, et Moniales vendunt fraudulenter panem coctum in propriis Furnis, in præjudicium Communitatis, Archiepiscopus procedat pro sua prudentia cum facultatibus Sacr. Congreg. ne sequantur fraudes sub pœnis gravibus, et quoad Regular. etiam privationis vocis activæ, et passivæ, non tamen Censurarum; ead. Sacr. Congr. Immun. in Panormitana 25 Maii 1685. lib. 3. *Decr. Altov.* pag. 446.

(23. Ad evitandos abusus Furnorum Ecclesiasticorum in locis immunibus, necnon,

Digitized by Google

ut confugiti non inserviant Furnis positis intra Claustra, ut plurimum habentibus januas correspondentes in viis publicis, et tandem ad evitandas fraudes in præjudicium Annonæ Civitatis Neapolitanæ, et ad Instantiam Electorum d. Civitatis : Sac. Congr. decrevit, licere Ecclesiasticis, vel retinere proprios Furnos intra Claustra inserviendos, et exercendos per proprios Ministros, vel illos etiam locare personis sibi benevisis, extra tamen locum immunem : Et Eminen. Archiepiscopus, et D. Nuncius respective ad proprios subditos procedant, ne fraudes committantur, et fraudantes puniant : ead. Sac. Congr. Immun. in Neapolitana 10 Martii 1693. lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 30.

FUR, FURTUM.

SUMMARIUM.

1 ad 6. Fur et latro. — 7. Furtum unde dicatur. — 8. Furtum quid sit. — 9. Furti species ordinarie assignantur quinque. — 10. Furtum simplex quid sit. — 11. Sacrilegium quid sit. — 12. Plagiatus quid sit. — 13. Peculatus quid sit. — 14. Ambigeatus quid sit. *ad n.* 15. — 16. Addunt aliqui Rapinam. — 17. Rapina quid sit. — 18. Furtum, et Rapina ex genere suo est peccatum mortale. — 19. Affertur et solvitur Instantia. — 20 ad 24. De gravitate materiæ. — 25. Furtum potest esse grave peccatum in pluribus casibus, etiamsi materia sit levis. — 26. Furtum non committitur in pluribus casibus, quamvis aliena surripiantur. — 27. In extrema necessitate quomodo licitum sit auferre rem alienam. — 30. In gravi duntaxat necessitate non est licitum aliena surripere. — 31. Nisi tamen necessitas gravis sit urgens. — 32. Si tota Respublica sit in necessitate gravi, possunt licite auferri a divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad Rempublicam sublevandam. — 33. Qui in extrema necessitate rem alienam abstulit nunquam tenebitur restituere. — 34. Si tamen res accepta in extrema necessitate non sit consumpta, tunc est restituenda. — 35. Qui rem accepit ante extremam necessitatem, et in ea absumpsit, tunc tenebitur restituere in æquivalenti. — 36. Est tamen æque probabilis opposita sententia. — 37. Qui per furta minuta intendit ditescere peccat mortaliter. — 38. Non committit tamen tot distincta furta mortalia. — 39. Qui furatur quid modicum, animo tamen plura furandi, si posset, peccat mortaliter. — 40. Qui furatur materiam levem, quæ cum aliis præcedentibus furtis complet materiam gravem, si habet voluntatem eam cum aliis retinendi, peccat graviter ratione injustæ gravis detentionis. — 41. Non quidem sub mortali tenetur restituere totam illam summam, sed solum illam partem, quæ constituit quantitatem notabilem. — 42 ad 43. Duæ instantiæ. — 44. Peccat graviter, qui post levia furta, quæ non potest restituere, addit aliud leve, quo compleatur quantitas gravis. — 45. Si tamen haberet efficacem voluntatem restituendi priora saltem usque ad materiam levem, excusaretur a mortali. — 46 ad 47. Qui semel complevit materiam gravem, et iterum furatur aliud leve, quod cum priore materia ablata facit unum quomodo peccet. — 48. Furta parva coalescunt, etiamsi fiant in diversis negotiis. — 49. Furta minuta usque ad notabilem summam concrescentia constituunt peccatum mortale cum obligatione restituendi sub mortali, non solum cum fiunt ab eodem eidem, sed etiam cum fiunt ab eodem diversis Dominis. — 50. Restitutio a talis furantibus minuta a diversis Dominis quomodo facienda. — 51. Furta minuta facta eidem a diversis non moventibus se mutuo, probabilius non constituunt peccatum mortale in singulis. — 52. Plurimi tamen tenent contrarium. — 53. Sive quis furtis minutis furetur ab eodem, sive a diversis, sive plures ab eodem furentur, ad contrahendum peccatum mortale requiritur major quantitas, quam illa, quæ simul ablata constitueret peccatum mortale. — 54. Item major quantitas requiritur, si plura furta minuta fiant pluribus, quam si uni soli. — 55. Item major requiritur quantitas in furtis factis quando fiunt per majora temporum intervalla. — 56. Furta Domesticorum, Uxorum, etc., sunt vere furta. — 57. Talia Domesticorum furta, ut mortalia sint, regulariter requiritur major materiæ quantitas, quam in furtis Extraneorum. — 58. Hinc contra tales personas Domesticas conceditur tantum Actio rerum amotarum. — 59. Similiter Actio furti non datur contra filios, et servos. — 60. Item Actio furti non datur contra famulos, ac mercenarios apud Dominum degentes, si leviora, et modica furta commiserint. — 61. Secus autem, si eorum furta sint graviora, et nimis multiplicata. — 62. Famuli, Ancillæ, et Operarii apud Dominum degentes ordinarie non peccant graviter surripiendo esculenta, et poculenta communia in usus proprios, nisi forent excessiva. Secus in aliis materiis. — 63. Reliqua de furtis Famulorum, *remissive.* — 64 ad 65. De furtis parentum et filiorum. — 66. Reliqua de furtis Filiorum, *remissive.* — 67 ad 68. De furtis mariti et uxoris. — 69. Reliqua de Uxore quoad bona Mariti *remissive.* — 70. Religiosi surripientes de bonis Monasterii quantitatem notabilem, duplex peccatum mortale incurrunt, unum furti contra justitiam, et aliud proprietatis contra votum paupertatis. — 71. Eadem quantitas requiritur, et sufficit in Religioso ad furtum mortale, et ad mortalem transgressionem Voti paupertatis, quæ sufficit ad furtum mortale sæcularium, exceptis esculentis, et poculentis. — 72. Res furtivæ inventæ apud Furem a Judice apprehensum, non Fisco, nec Judici, nec Officialibus ejus, sed Domino restitui debent, non obstante consuetudine, aut statuto contrariis. — 73. Qui rem alienam alicubi inventam accepit animo retinendi, et Domino comparenti non restituendi, vere furtum facit, et Actione furti tenetur. — 74. Hinc, si aliquam rem invenit, ignorans cujus sit, tenetur de rei domino debite, et sufficienter indagare; aliter, si hanc indagationem omittat, et rem retineat, Furti tenetur. — 75. Reliqua ab hoc n. 75, usque in finem ad n. 96, satis summarie sunt relata in ipsis Decretis a D. Petro Andrea Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Fur*, *Furtum* collectis. — 97. Affertur egregium dictum Catonis de furibus. — 98 ad 104. De pœna furti.

(1. Fur et latro aliquando sumuntur tamquam Synonyma, ut in cap. *Suscepimus* 10, *de Homicidio*, ubi textus prius vocat, et dicit *latrones*, ibi : « Ingredientes de nocte quidam latrones ad eos » et postea vocat, dicit, *Fures*, ibi : « Et Fures se solvere niterentur, » et sic ibi notat Abbas in 1, notabil. et in cap. *Interfecisti Furem* 2, *de Homicid.* in 1, notabil. ubi etiam Marian. Socin. num. 2. Fagnan. in cit. cap. *Suscepimus* num. 2. (2. Aliquando autem Fur, et latro sumuntur tamquam quid diversum, ut in capit. *Interfecisti* 2, *de Homicid.* ibi : « Interfecisti Furem, aut latronem, » ubi, ut vides, textus dicit alternative *furem*, aut *latronem*, ut notat Fagnan. *ibid.* num. 2. (3. Aliquando vero sumuntur sic, ut dicatur latro, qui stat in silvis, ut spoliet transeuntes, et fur de nocte in domibus, ut in Authent. *Ut nullus Judic.* § penult. collat.

Digitized by Google

9, et l. 1. Cod. *Depos.* et notat. Glossa in cap. *Cum duobus* § *Damna*, in verb. *Subreptum*, ff. *Pro socio*, Fagnan, in cit. cap. *Suscepimus* num. 3. (4. Aliquando tandem *Fur* appellatur nocturnus, et *latro* diurnus ut post Goffred. notat Butrius in cit. cap. *Interfecisti* num. 6, et Joan. de Anania n. 1, et Cardin. in cit. c. *Suscepimus* in 1, notabil. (5. Hæc tamen differentia confunditur in l. *Itaque* § *Lex*, ff. ad L. *Aquil.* et in cap. *Si perfodiens* 3, *de Homicidio*, ubi Fur appellatur non tantum nocturnus, sed etiam diurnus, ibi : « Si Fur nocturnus, occidatur, si autem diurnus fuerit, » etc. (6. Unde dicendum est, quod Fur proprie appelletur, qui clam furatur, ut in l. 1 ff. *de Furtis*, nec distinguitur, an noctu, vel interdiu, et ita intelligitur textus in cit. cap. *Si perfodiens*. Latro vero, qui palam furatur, ut per Doct. in Authent. *Sed novo*, Cod. *Serv. fugit*. Florian. in l. 3, in princip. ff. ad *L. Aquil.* Fagnan. in cit. cap. *Suscepimus* n. 4.

(7. Furtum dicitur *a furvo*, id est *nigro*, eo quod *clam, et in obscuro fiat, et plerumque de nocte*, ut dicitur in l. 1, in princip. ff. *de Furtis*. (8. Furtum est occulta, et injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter Domino. Est in re communis apud Theologos; Et concordat textus in l. 1, § final. ff. *De furtis*, ibi : « Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve. » (9. Furti species ordinarie assignantur quinque, nempe Furtum simplex, Sacrilegium, Plagiatus, Peculatus, et Abigeatus. (10. Furtum simplex est, quod in solo furandi actu sine concurrentia alterius delicti consistit. (11. Sacrilegium est, quo Sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro, vel non Sacrum de Sacro furtim surripitur, textu expresso in cap. *Quisquis* 21, caus. 17, q. 3, ibi : « Sacrilegium committitur auferendo Sacrum in Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro. » (12. Plagiatus, seu Plagium est, quo quis dolose surripit Hominem sui Juris existentem, vel Servum alienum, sive detineat illum, vel vendat, donet, permutet, vel alio contractu, quo Dominium rerum transfertur, aliis tradat ; l. 1 et seq. ff. ad *L. Fabiam, de Plagiariis*. Hoc crimen, si homo, qui surripitur, est sui juris, non est proprie furtum, quia libera persona sub nullius est dominium ; § *Item Juris, Instit. de inut. Stipul.* Si vero homo, qui surripitur, est sub alterius potestate, vel dominio, tunc est proprie furtum ; § *Interdum, Instit. de Obl. quæ ex delict.* (13. Peculatus est, quo quis pecuniam ad ærarium publicum, aut Fiscum Principis pertinentem, seu Communitatis bona publica in suos usus privatos convertit ; l. 1, l. *Lege* 4, in prin. et § fin. *L. Sacrilegi* § *Labeo*, ff. ad. *L. Jul. Pecul.* et § 9. *Instit. de pub. Jud.* (14. Abigeatus est fraudulenta Ovium, Bovum, Equorum, et aliorum id genus pecorum ex pascuis, aut armentis subtractio, et quodammodo deprædatio; l. 1, § 1, ff. *de Abigeis*. (15. Dicitur autem notanter *ex pascuis, aut armentis*, quia, si quis oves errantes, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est Abigeus, sed fur potius : cit. l. 1, § 1, ff. *de Abigeis*, l. 47, tit. 14. Sic etiam notanter dicitur *subtractio, et quodammodo deprædatio* ; quia ad hoc, ut quis dicatur Abigeus non sufficit, quod subtrahat, seu surripiat unam ovem, aut unum equum, vel unum bovem, sed requiritur, quod plures surripiat, et quodammodo deprædetur. *Abigeus* enim non est sed simplex fur, qui de grege Ovium minus quam decem, et de grege porcorum minus quam quinque abducit, textu expresso in l. fin. ff. *de Furtis*.

(16. Addunt aliqui sextam Furti speciem, nempe Rapinam, sed cum Furtum et Rapina specie differant, ut docet communissima DD. cum S. Thoma 2, 2. qu. 66, art. 4, non recte hæc illius species constituitur. Ratio autem distinctionis specificæ inter furtum et rapinam est, quia præter injustitiam furti, scilicet injustam usurpationem rei alienæ, rapina continet aliam speciem injustitiæ, circa personam, et honorem proximi. Vim enim alicui inferre est species contumeliæ lædentis honorem proximi. Sic recte notat S. Thomas loc. cit. art. 9, et cum ipso alii passim Doctores. (17. Unde rapina definiri potest, quod sit injusta ablatio, seu contrectatio rei alienæ externæ cum vi facta Domino, vel legitimo detentori : Est in re communis.

(18. Furtum, et rapina ex genere suo est peccatum mortale, licet quandoque parvitas rei furto ablatæ excuset a mortali : Est Communis, et patet ex cap. 20, *Exod.* ibi : *Non furtum facies* ; ex cap. 5. *Zachariæ*, ibi : *Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ, quia omnis fur.... judicabitur* ; ex c. 2. *Habacuc*, ibi : *Væ ei, qui multiplicat non sua* ; et ex 1, *ad Corinth.* c. 6. Ibi : *Neque fures, neque rapaces.... regnum Dei possidebunt.* (19. Nec valet objicere, quod *Proverb.* 6, *expresse habetur*, quod : *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit.* Non valet, inquam, quia, ut recte exponit V. Beda : « Furtum non ex sui æstimatione, sed ex comparatione peccati majoris, id est adulterii, non grandis esse culpæ perhibetur. » Revera enim furtum ex genere, et objecto suo est peccatum levius omnibus aliis peccatis in Decalogo prohibitis, cæteris paribus, et hoc clare patet, qui peccata contra præcepta primæ tabulæ, cum versentur circa ipsum Deum, ejusque cultum, utique sunt graviora furto versante circa hominem tantum. Alia autem peccata contra præcepta secundæ tabulæ, cum versentur aut circa proximi personam, aut bonum vitæ, famæ, honoris, sunt etiam ex genere suo, cæteris paribus, graviora furto versante circa bona externæ fortunæ proximi, quæ sunt longe inferioris ordinis, ut de se patet, et ut recte notat Sporer tom. 2, tract. 5, in 7 et 10. *Præcept. Decalog.* c. 5, n. 21.

(20. Quænam quantitas materiæ furtivæ requiratur, et sufficiat ad peccatum mortale, non potest una certa, et determinata taxari, sed taxanda est arbitrio Prudentum, tum ex quantitate rei ablatæ, tum ex circumstantiis

Digitized by Google

Personæ per furtum læsæ, temporis, loci, et hujusmodi. Malitia enim, et gravitas furti provenit ex damno, quod Proximo injuste infertur, damnum autem non est æquale respectu omnium, ex jactura ejusdem quantitatis, ac rei: Siquidem Majus censetur damnum ex re ablata, si auferatur pauperi, minus si diviti: majus, si tempore penuriæ, minus si tempore abundantiæ; majus, si auferatur pecunia in loco, ubi modica reperitur, minus, ubi argentum, et aurum est in abundantia. (21. Unde cum in assignanda quantitate sufficienti ad constituendum peccatum mortale non satis inter se conveniant Doctores, ita ut propemodum tot sint sententiæ, quot capita, assignando alii, ut Navarrus, nimis stricte solum dimidium Regalem, vel Julium, seu unum Pacium, vel paulo plus; alii cum Corduba unum Regalem, scilicet duos Pacios circiter; alii cum Molina, Rebell. Lessio duos Regales, id est quatuor, vel quinque Pacios, seu duos Julios: alii cum Valentia, Sayro tres Regales, vel Julios, id est medium Florenum circiter; alii cum Sanchez quatuor Regales, id est medium Talarum, vel unum Florenum circiter; alii cum Soto, Silvestro, Angelo unum, vel duos Aureos, seu Ducatos; alii tandem nimis laxe 100. (22. Aureos, hinc in tanta opinionum varietate tenenda est probabilior, et communior Doctorum sententia, quod non possit pro regula universali statui una certa quantitas pecuniæ, quæ sit materia absolute gravis, sive quæ ad mortale requiratur, et sufficiat respectu omnium, sed taxanda sit judicio prudentum tam ex quantitate rei ablatæ, quam ex circumstantiis personæ, cui aufertur, temporis, loci, et hujusmodi; Reiffenstuel in *Theolog. moral.* tract. 9, *de Præcept. Decalog.* dist. 5, quæst. 1, num. 7. Sporer loc. cit. num. 28. Moya tom. 3, dist. 3, quæst. 3, c. 1, § 2. Gormaz a num. 693. La Croix lib. 3, part. 1, num. 983 et seq. et alii passim.

(23. Quantitas igitur furti respective gravis potest sic esse, ut respectu cujuscumque etiam ditissimi Regis sint duo Aurei, seu duo Ducati, pro quibus veniunt quatuor Imperiales, seu sexdecim Regales, aux sexdecim Julii, seu quadraginta octo Pacii, vel circiter centum sexaginta Crucigeri; respectu inferioris Principis unus Aureus, seu unus Ducatus, aut duo Imperiales, vel quatuor Floreni, seu sexdecim Regales, aut Julii; respectu viri perillustris, aut mercatoris valde divitis unus Imperialis, seu duo Floreni, aut octo Regales, vel Julii, aut viginti quatuor Pacii; respectu Mercatoris mediocriter divitis medius Imperialis, seu medius Talarus, vel unus Florenus, aut quatuor Regales, seu quatuor Julii; respectu Civis mechanici tertia pars Imperialis, seu Talari, aut octo Pacii; respectu tenuioris civis, vel Rustici duo Regales, seu duo Julii, aut sex Pacii: respectu hominis utcumque pauperis unus Regalis, et dimidius, seu unus, et dimidius Julius, seu quatuor Pacii, et dimidius, respectu plane pauperis etiam unus Regalis, seu unicus Julius, aut tres Pacii, vel decem circiter Crucigeri, et sic de omnibus intermediis loquendum est cum proportione. Ratio autem hæc est, quia dicta taxata quantitas videtur requiri, et sufficere respective ad singulorum sustentationem pro integra die, adeoque per ejus ablationem censebuntur pati grave damnum, et esse graviter inviti, merito enim ab omnibus multum æstimatur posse pro una die honeste subsistere, et cui hoc tollitur, vere redditur miserabilis pro illa die, et per consequens censetur illi dari causa gravis contristationis, et dissolvendæ amicitiæ, quod secundum communem sensum est gravis injuria. (24. Hinc materia gravis furti, et quantitas sufficiens ad peccatum mortale censetur probabiliter ea, quæ ad congruam sustentationem unius diei sufficit illi homini, cui injuria furti infertur; Sanig. dist. 10, *de Justitia*, quæst. 1, num. 7. Layman, lib. 3, tract. 3, part. 2, cap. 1, n. 3. Sporer, loc. cit. n. 29. Reiffenstuel, loc. cit. n. 9. Gormaz, n. 699. La Croix, loc. cit. n. 985, cum sequentibus, et in re consentiunt alii, speciatim Illsug, tom. 4, d. 3, n. 147. Marchant. *Tribun.* part. 2, tract. 8, titul. 1, quæst. 5, et re ipsa fere coincidunt Bonacina, Petrus Navarrus, et alii cum Lugo disp. 16, sect. 1.

(25. Furtum potest esse grave peccatum in pluribus casibus, etiamsi materia furata in se sit levis. Primo, si materia furata sit Domino valde proficua, ut sartori acus, quam unicam habet, nec habere aliam potest, qua se alat; Lessius, lib. 2, cap. 12, n. 33, et communis aliorum. Secundo, si in furando rem levem fuerit intentio furandi notabilem quantitatem, si adfuisset copia, et commoditas; Communis. Tertio, si materia levis fuerit furata in finem mortaliter peccaminosum; Communis. Quarto, si materia levis furetur Domino valde pauperi, et indigenti; Communis. Quinto, si Dominus habuerit justum, et rationabilem quemdam specialem affectum ad talem rem, ob cujus ablationem periculum sit, ne tanquam nimis iracundus prorumpat in mortales blasphemias, seu alias colerice mortaliter peccet, dummodo tamen fur ante furtum habuerit sufficientem cognitionem de tali speciali affectu, et periculo; Communis. Sexto, si res auferatur cum notabili violentia; Communis.

(26. Furtum non committitur in pluribus casibus, quamvis aliena surripiantur. Primo, non committitur, cum quis aufert rem alterius sciens illum, etiamsi scit, non tamen debere esse invitum rationabiliter; Communis. Secundo, non committitur furtum, cum quis aufert aliena, ipso Deo supremo rerum omnium Domino facultatem dante, qua ratione Israelitæ spoliarunt Ægyptios; Communis. Tertio, non committitur, cum quis aufert gladium a furioso; vel alias occisuro; Communis. Quarto non committitur, cum quis aufert libros hæreticos a non habente legendi falcultatem; Communis. Quinto non committitur, cum uxor v. g. auferat a Marito pecunias, ne ludis, aut comessationibus prodigat, aut Vinum, ne inebrietur; Com-

Digitized by Google

munis. Sexto non committitur, cum quis accipit rem alienam, tamquam sibi debitam ob justam compensationem; Communis. Septimo non committitur, cum quis pro se, vel pro alio in extrema necessitate constituto alienum accipit, quantum necessarium est ad sustentationem. Sed de hoc infra. In his enim, et similibus casibus Dominus esset irrationabiliter invitus rem talem auferri. Sic communis Doctorum (1).

(27. In extrema necessitate licitum est auferre rem alienam, quatenus ad eam sublevandam necesse est, adeo ut talis neque furtum committat, neque peccet; Communis cum S. Th. 2, 2, qu. 66, art. 7. Scoto in. 4, d. 15, qu. 2, ad 5, habetur Ex cap. Exiit § *Nec quidquam : de verb. signific.* in 6, ibi : « Nec jure poli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta. » Et ratio est, quia in extrema necessitate constitutus habet jus naturale, immo et obligationem conservandi vitam, adeoque etiam sibi applicandi media necessaria; neque per hoc furatur, quia ille, cui surripit, non est, nec potest esse rationabiliter invitus : quia in extrema necessitate omnia sunt communia quoad jus utendi in ordine ad conservationem vitæ; de ratione autem formali furti est, quod fiat Domino rationabiliter invito, ut patet ex ejus definitione. Unde cum Dominus in tali extrema necessitate nequeat esse rationabiliter invitus, talis surripiens bona alterius non dicitur furari, uti notant communiter Doctores cum S. Thoma 2, 2, q. 65, art. 5. (28. In extrema necessitate si quis non possit per se ipsum aliena auferre ad sibi subveniendum, potest ejus loco quivis alius ex proprio subvenire non potens, uti habet communis cum D. Thoma 2, 2, qu. 66. artic. 7, ad 3, et Scoto loc. cit. (29. Tunc enim surripiens est veluti instrumentum indigentes. Si Dominus, aut detinens bona sit in pari necessitate, non potest extreme egens, neque alius pro se surripere ipsi Domino, aut detinenti, quia tunc duplici jure res illa Domino, aut detinenti debetur, primo propter æqualem extremam necessitatem, secundo propter dominium, et possessionem rei; in pari enim causa melior est conditio possidentis. Sic Scotus in 4, d. 15, q. 2, ad 5, et Communis aliorum.

(30. In gravi dumtaxat necessitate non esse licitum aliena surripere, colligitur ex cap. *Si quis* 3, *de Furtis*, ibi : « Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, pecus, pœniteat hebdomadas tres, » ubi ut vides; fames, et nuditas supponunt surripientis necessitatem, et quidem valde gravem, unde si hac necessitate non obstante talis surripiens censetur pœnitentia dignus, cum pœnitentia supponat peccatum, censetur non excusari a furto peccaminoso. Hinc justissime ab Innocen. XI, die 2 Martii 1679, fuit damnata sequens propositio 26, in ordine, ibi : « Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi; » Ita conformiter Doctori Subtili l. c. Mastrius disp. 9, *Theolog. moral.* n. 21, appellans hanc sententiam communiorem, et veriorem, et Sporer loc. cit. n. 105, vocans eam verissimam; La Croix loc. cit. num. 955, et alii passim, quamvis nonnulli apud Lugonem disput. 26, *de Justit. et jure* n. 153. Dianam part. 1, tract. 3, *Miscellan.* resol. 29, et apud Sporer l. c. num. 104, oppositam sententiam probabilem censuerint. (31. Si tamen necessitas gravis sit urgens; adeo ut adsit simul periculum labendi in necessitatem extremam, ut si morbus gravis probabiliter sit futurus lethalis, aut perpetuus, nisi remedio tempestivo ei occurratur; si quis sit in probabili periculo incidendi in captivitatem, vel infamiam gravissimam, nisi equo alieno adjutus elabatur, et his similia : tunc licitum est surripere necessaria ad illam necessitatem sublevandam quia tunc censetur extrema esse moraliter præsens, cum sit proxima, aut hæc sit illi æquivalens; pari enim modo naturæ jure inditum est, ut gravem necessitatem, quæ facile vergit ad extremam, æque ac ipsam extremam necessitatem, a se quisque, quoquo modo potest, avertat; Lugo loc. cit. num. 154. Lessius num. 71. Sporer loc. cit. num. 103. Haunold. *de Justitia* tom. 1, tract. 2, a num. 347. Carden. in 2 *Crisi* d. 23, num. 17, et fusius in 1 *Crisi* d. 80. La Croix *loco citat. numer.* 957. Tamburin. lib. 8, tr. 2, cap. 9, § 1, ubi dicit hanc sententiam esse certam. (32. Si tota Respublica sit in necessitate gravi, possunt licite auferri a divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad Rempublicam sublevandam, et ratio est, quia necessitas gravis Reipublicæ æquivalet, immo superat necessitatem, quam haberet unus privatus, uti cum S. Thoma, et aliis docet Garden. loc. cit. num. 16, La Croix l. cit. n. 956.

(33. Qui in extrema necessitate rem alienam abstulit, et pro sua indigentia absumpsit, quamvis postea ad meliorem, et pinguiorem fortunam devenerit, numquam tenebitur restituere. Sic Scotus in 4, dist. 15, q. 2, et communis aliorum. Et ratio est, quia is usus fuit jure suo, et rei tunc acceptæ, quatenus sibi necessaria fuit, dominium sibi comparavit, cum res illa per talem justam acceptionem facta sit accipientis, ut patet ex D. Thoma 2, 2, q. 66, art. 7, et ex communi aliorum. (34. Si autem res accepta in extrema necessitate non sit absumpta, sed adhuc existat, ut equus, vestis, et hujusmodi, tunc est restituenda; Communis. Et ratio est, quia extrema necessitas tribuit solum tantum Juris in rem alterius, quantum necessarium est ad illam sublevandam. In proposito autem non erat necessaria res adhuc

(1) Vera Auctor scribit; cave vero, ne putes retinere res illas hominem posse, nec ad restitutionem, vel compensationem teneri, jam remoto periculo, vel sublata necessitate. Vide explicationes aliis in locis. (Nota Rom. Theol.)

Digitized by Google

existens, sed solum ejus usus, adeoque extreme egens occupando illam, solum comparavit sibi dominium utile illius rei, dominio directo adhuc remanente penes pristinum Dominum, et per consequens res adhuc existens post superatam necessitatem erit restituenda Domino. (35. Qui rem accepit ante extremam necessitatem, sive ex delicto, furto, v. g. sive ex contractu, v. g. Deposito, Commodato, Locato, vel quovis alio titulo, et in extrema necessitate, absumpsit, tunc superata necessitate si ad meliorem fortunam redierit, tenebitur restituere in æquivalenti; Ita Scotus in 4, dist. 15, q. 2, art. 3, respons. ad argum. Adrian. in 3 *de Restitution.* § *Quia dictum est, de Lucro;* Navarr. cap 17, num. 61. Covarruv. *regul. Peccatum*, part. 8, § 1, num. 4. Medina, C. *de Restit.* num. 3, in princip. Less. lib. 2, c. 16, aliique cum Sporer, loc. cit. num. 101. Et ratio est, quia tunc egenus rem illam, exclusa necessitate, alio titulo debet Domino suo, quæ obligatio per supervenientem necessitatem extremam non extinguitur, sed sopitur, adeo ut superata necessitate, Domino compensanda est æque ac antea compensari debuisset, maxime si antea res fuerit furto ablata; aliter si res antea furto ablata, et postea in extrema necessitate absumpta non deberet restitui, superata necessitate, ab eo, qui eam ante dictam necessitatem furatus fuerat, sequeretur, quod quis posset commodum reportare ex sua malitia; malitia autem, et iniquitas nulli debet prodesse, arg. cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, *de Rescriptis;* cap. *Tuæ* 12, *de Clericis non resident.* cap. *Ex litteris* 2, *de Dolo, et contum.* et aliis similibus.

(36. Est tamen æque probabilis, immo teste Sporer, loc. cit. num. 102, jam communior opposita sententia (1), quod nempe, qui rem ablatam, vel apud se depositam, commodatam, impignoratam, locatam, etc. urgente necessitate extrema absumpsit, nihil restituere debet, postquam ad meliorem fortunam pervenit, sic expresse Angelus, verb. *Furtum*, § 37. Silvester, verb. *Furtum*, q. 3, et verb. *Eleemosyna*, in fine; Jul. Clar. l. 5, § *Furtum*, n. 25. Layman, l. 3, tract. 3, p. 1, c. 1, n. 7. Sporer, l. c. n. 102, et alii. Et ratio est, quia, qui rem alienam bona fide absumpsit, liberatur ab honore restitutionis, ut fert communis opinio; talis autem in extrema necessitate, nedum bona fide rem alienam, sed immo tanquam Dominus ejus effectus, et suam reputans, assumpsit, adeoque non tenetur pro ea ad restitutionem. Neque ei patrocinatur iniquitas, si rem antea furatus fuit, sed superveniens extrema necessitas, ad quam sublevandam, sicuti potest de præsenti auferre rem alienam, et ipsam absumere sine ullo onere restitutionis, ita sine onere restitutionis potest absumere rem alienam de præterito ablatam.

(37. Qui per furta minuta intendit ditescere, et conquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortaliter illa prava intentione, quovis externo furto minute ex vi illius intentionis deliberatæ procedente; Communis. Et ratio est, quia talis intendit accipere rem alienam magni momenti invito Domino, simulque singula externa furta procedunt ex intentione mortifera furandi seorsim quantitatem notabilem, adeoque talis singulis furtis minutis peccat mortaliter; Hinc de similibus dicitur *Deuteron.* XXV. *Non habebis in sacculo diversa pondera majus et minus... Abominatur enim Deus eum, qui facit hoc,* et *Proverb.* XI. *Statera dolosa abominabilis est apud Deum.* (38. Recte tamen notant Lessius lib. 2. *de Justitia* cap. 12. dub. 7 num. 48. Sporer loc. cit. num. 35. et alii, non committi tot distincta furta mortalia, quot sunt furta minuta, sed continuari solum jam cœptum, quia omnia furta minuta et detentiones acceptorum censentur una continua executio mortalis illius intentionis. Quod etiam in furtis gravibus repetitis et sub una intentione unitis usu venit. (39. Qui furatur quid modicum, animo tamen, et voluntate plura furandi, si posset, peccat mortaliter; Communis ac certa. Et ratio est, quia talis, quantum est ex se, si adesset copia, et commoditas, habet pravam voluntatem et affectum furandi quantitatem notabilem, adeoque peccat graviter ratione talis pravæ, et mortiferæ voluntatis, et affectus. Unde recte monet Layman loc. cit. num. 3. esse a Confessariis examinandos illos pœnitentes, qui confitentur modicum quid esse furatos, an habuerint voluntatem et affectum plura furandi, si adfuisset copia, et commoditas.

(40. Qui furatur materiam levem, quæ cum aliis præcedentibus furtis complet materiam gravem, si habet voluntatem eam cum aliis retinendi, peccat graviter ratione injustæ gravis detentionis, quia licet priora præcedentia furta minuta quoad ablationem fuerint solum venialia, tamen accrescente materia complente quantitatem sufficientem ad mortale, ratione injustæ detentionis exurget peccatum mortale, et obligatio restituendi sub mortali. Et ratio est, quia illud opus, quo injustum grave damnum proximi completur, mortale est; per illud autem ultimum furtum, quo quis advertit se pervenire ad summam gravem, v. g. furandum ultimum Pacium, vel ultimum Regalem, seu ultimum Julium complentem Talarum, vel Imperialem, seu ducatum, respective completur grave damnum proximi, adeoque illud ultimum furtum unius Pacii, Regalis, seu Julii mortale est, non quidem secundum se absolute, sed cum habitudine ad furta præcedentia consideratum. Unde talis secundum omnes sub mortali tenetur restituere summam notabilem furtis minutis congregatam; Sporer loc. cit. num. 37. et 40. Cardenas in 2. *Crisi.* d. 23. num. 90. La Croix lib. 3. part. 2. num. 244. et ipso teste alii communissime. Hinc Innocent. XI. die 2 Martii 1679. merito damnavit sequentem propositionem 38. in ordine:

(1) Vide not. ad verb. *Eleemosyna.*

Digitized by Google

« Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis. » (41. Non quidem, ut notat Sporer loc. cit. num. 37. sub mortali tenetur restituere totam illam summam, sed solum illam partem, quæ constituit quantitatem notabilem in grave damnum proximi, quaque restituta, non retinetur amplius quantitas notabilis cum gravi damno proximi secundum communem D. D. apud Cardin. de Luco disp. 16. sect. 3. *de Justitia* num. 41. (42. Nec valet dicere, quod non plus noceat ultimum furtum, quam præcedentia, adeoque omnia esse venialia tantum. Non valet, inquam, quia respondetur distinguendo antecedens. Non plus nocet absolute secundum se sumptum, conceditur antecedens; non plus nocet respective, et ut est conjunctum cum furtis præcedentibus, negatur. Ultimo enim furto minuto completur materia notabilis sufficiens ad peccatum mortale cum auferatur jam integer Florenus, vel respective Ducatus; qui non ablatus erat furtis præcedentibus. (43. Nec etiam valet objicere, quod peccata venialia quantumcumque multiplicata nunquam faciunt mortale. Non valet, inquam, quia hoc verum est, quando peccata venialia sunt omnino disparata absque omni connexione ad invicem in materia, vel effectu causato, ut in cogitationibus inutilibus, verbis otiosis, mendaciis, jocosis, etc. etiam in infinitum multiplicatis. Falsum autem hoc est, quando sunt ita connexa, ut ultimum veniale compleat materiam notabilem sufficientem ad peccatum mortale, ut in nostro proposito, ubi, quamvis furta, seu peccata venialia, ut talia, in individuo non faciant unum mortale, ultimum tamen furtum, quod secundum se solum esset veniale, hic et nunc ratione connexionis cum præcedentibus furtis sit mortale.

(44. Peccat graviter, qui post levia furta, quæ non potest restituere, addit aliud leve, quo completur quantitas gravis; Lugo disp. 15. sect. 3. num. 39. Illsung. t. 4. d. 3. n. 157. Sporer. loc. c. num. 39. La Croix lib. 3. part. 1. num. 1006. Dicastill. lib. 2. t. 2. d. 9. n. 55. et alii contra Lessium, et Granado. Et ratio est, quia ut recte dicit Lugo loc. cit. malitia furti non oritur ex commodo, quod furi ex retentione provenit, sed ex damno, quod proximus ex ablatione patitur (1). (45. In casu autem posito, sive fur restituere possit, sive non possit priora furta, eodem modo per ultimum furtum facit, quod proximus grave detrimentum patiatur, ubi ante ultimum hoc furtum patiebatur solum detrimentum leve, adeoque, etiamsi non possit fur restituere præterita, curare debet, ne ex illis, et hoc alio proximus grave detrimentum patiatur, quod facere potest vitando hoc ultimum furtum. Si tamen haberet efficacem voluntatem restituendi priora saltem usque ad materiam levem, excusaretur a mortali, uti notant Molina, Rebell. Sanchez aliique cum Lugo loc. cit. a n. 40. La Croix loc. cit. num. 1006. (46. Qui semel conflavit materiam gravem, et iterum furatur aliud leve, quod cum priore materia ablata facit unum, si nondum pœnituit de furtis præcedentibus, nec restituere proposuit, probabilius peccat iterum mortaliter toties, quoties denuo furatur modica ab eodem, quia tunc semper habet explicitam, vel implicitam saltem voluntatem augendi damnum notabile proximi, et retinendi notabilem quantitatem rei alienæ semper majorem, et majorem. (47. Si autem talis jam pœnituit de furtis præcedentibus, et restituere vere proposuit, tunc furando iterum minuta peccat tantum venialiter, donec rursus attingat quantitatem notabilem sufficientem ad furtum mortale, quia tunc per pœnitentiam, et restituendi propositum abrupit continuationem furtorum præcedentium cum sequentibus, et sequens materia furti non concrescit amplius cum præcedenti, sed manet per se sola, et venialis; Lugo loc. cit. num. 43. Dicastill. loc. cit. num. 59. Sporer loc. cit. num. 39. La Croix loc. cit. num. 1007. Amicus *de Peccat.* d. 23. num. 233. Ovied. *de Peccat.* contr. 3. num. 114. et alii. (48. Furta parva coalescunt, etiamsi fiant in diversis negotiis, ut si quis defraudet eumdem semel venditione, semel cambio, semel furando etc. quia licet diversa sint negotia, in quibus furta committuntur, in omnibus tamen causatur damnum ejusdem rationis; Sanchez *in Decal.* lib. 7. c. 21. num. 16. La Croix l. c. num. 1008. contra Rebell. Tanner. et Dianam.

(49. Furta minuta usque ad notabilem summam concrescentia constituunt peccatum mortale cum obligatione restituendi sub mortali, non solum cum fiunt, ab eodem eidem, ut usque modo fuit suppositum, et conclusum, sed etiam cum fiunt ab eodem diversis Dominis; et sic Molina tom. 3. disp. 689. Lessius lib. 2. *de Justitia* c. 12. dubit. 7. Laym. lib. 3. part. 1. c. 1. n. 6. Sanchez lib. 7. *Moral.* c. 5. Sporer loc. cit. n. 43. Lugo disp. 16. sect. 3. num. 48. ubi dicit, quod rejicitur communiter sententia contraria Joannis Medinæ, Angeli, Petri Navarræ et aliorum dicentium, illa minuta furta non constituere peccatum mortale cum obligatione restituendi sub mortali, etiamsi fiant animo comparandi magnam quantitatem, quia dicunt ipsi, singulis Dominis parum nocent : Ratio autem nostra est, quia

(1) Malitia furti non oritur ex commodo, quod furi ex retentione provenit, sed ex damno, quod proximus ex ablatione patitur. Ita Lugo ab Auctore citatus. Hoc principio casus plures, Lector, aliter solves, ac solvat Auctor noster, ex gr. num. 47. Si talis jam pœnituit de furtis præcedentibus, et restituere vere proposuit, oblivisci nequit damni, quod proximus ex ablatione rei patitur. Ergo tunc iterum minuta furando primum grave damnum proximi auget, et propterea iterum mortaliter peccat. Et num. 51. Quicumque advertit per suum furtum quamvis minutum uni eidemque grave damnum inferri, peccat mortaliter. Et ratio est, quia qui advertit ipse causa est damni gravis, adeoque sub gravi tenetur ad restitutionem. Suppositio Auctoris in exemplum deducta nihil valet quum exempla contraria fingi possint. (Notæ correct. Roman. Theolog.)

Digitized by Google

licet talis minuta furando a diversis Dominis non inferat notabile damnum singulis seorsim, et actualiter, infert tamen notabile grave damnum omnibus collective, seu ipse Communitati, vel Reipublicæ saltem habitualiter, et consecutive, quatenus scilicet, si talis modus furandi minutatim a diversis Dominis non esset graviter prohibitus, sequerentur maxima incommoda, et inconvenientia contra bonum publicum, et contra indemnitatem etiam singulorum Civium: sequeretur enim non peccare mortaliter cum, qui ex granario tritici totius Communitatis furaretur magnam quantitatem, quia singulis civibus parum nocet. Item sequeretur non peccare mortaliter contra justitiam eum, qui sine justo titulo exigeret tributa, seu gabellas, etsi minutas, ab omnibus transeuntibus per aliquem pontem, quia singulos levissime læderet. Item sequeretur posse aliquem sine peccato mortali in venditionibus uti ponderibus; et mensuris modice falsificatis, et diminutis, quod tamen est ubique gravissime prohibitum: et in Sacra Scriptura damnantur qui talia agunt; *Deuter.* xxv. ibi: *Non habebis in sacculo diversa pondera majus, et minus... abominatur enim Deus, qui facit hoc. Proverb.* xxxi. ibi: *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* (50. Restitutio autem a talibus furantibus minuta a diversis Dominis v. g. per falsa pondera, per alteratas mensuras, et hujusmodi, facienda est iis a quibus acceperunt, in quantum possunt, v. g. in simili occasione furta minuta commissa Dominis minutim supplendo, aut si ii ignorentur, vel amplius conveniri non possint, talia pauperibus erogando, prout in simili dicitur in cap. *Cum tu* 5. *de Usuris.*

(51. Furta minuta facta eidem a diversis non moventibus se mutuo, quamvis isti advertant per omnia dicta furta simul sumpta causari eidem grave damnum, probabilius non constituunt peccatum mortale in singulis, nec sub mortali obligant singulos ad respectivam restitutionem; Sanchez l. 7. *Moral.* c. 21. n. 22. Lessius lib. 2. cap. 12. dubit. 9. Tanner. tom. 3. d. 4. qu. 6. dub. 9. num. 285. Diana part. 2. tract. 17. resol. 42. Lugo *Disp.* 16. sect. 3. num. 55. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. et Clarius lib. 4. *de Justitia* quæst. 7. art. 3. colum. 6. Malderus *de Furto* tract. 4. cap. 1. dub. 5. cas. 3. Salas in 1. 2. tract. 13. disp. 19. sect. 27. num. 92. Sporer loc. cit. num. 47. Ovied. *de Peccatis* controv 3. num. 112. La Croix lib. 3. part. 1. num. 1010. Illsung t. 4. d. 3. num. 158. et alii. Et ratio est, quia singuli non sunt causa, neque physica, neque moralis damni ab aliis causati, sed tantum illius, quod per se inferunt, quod est leve, et exiguum, ut opponitur, adeoque non peccant singuli graviter, nec tenentur sub gravi ad restitutionem, alioquin sequeretur, quod posito ad furtum mortale sufficere decem Regales, seu decem Julios, et Paulus jam abstulisset novem, Antonius autem conscius absque ulla cooperatione, auferret solum unum Regalem, vel unum Julium, peccaret mortaliter, et Paulus solum venialiter, quo nihil absurdius; adeoque quamvis furta minuta facta eidem a diversis ascendant ad summam notabilem, illi diversi furantes non peccant singuli mortaliter, nec sub mortali tenentur singuli ad restitutionem.

(52. Plurimi tamen apud Lugo loc. cit. num. 54. ut Suarez, Vasquez, Navarrus Medita Major, Corduba, Rodriquez, Salonius Rebellus, Angelus Ledesma, Sayrus Petrus Navarra, Covarr. Molina, Turrianus, Bonacina, Filliucius, tenent contrarium, scilicet quod singuli peccent graviter, et sub gravi tenentur ad restitutionem, quia dicunt ipsi scienter concurrunt singuli ad grave damnum ejusdem, et consentiunt in illud. At ut recte notat Sporer loc. cit. n. 47. in fine tale fundamentum, seu principium est solum verum, quando influit in totum damnum mortaliter jussu, concursu, etc. quod nos ultro fatemur, nam certum est, si plures communi consensu, consilio, vel cooperatione ingressi v. g. in Vineam ita notabiliter furentur, singulos peccare mortaliter, et obligari ad restitutionem in solidum, scilicet in defectu aliorum, quia singuli sunt causa moralis totius damni; Sicuti etiam si unus suo malo exemplo efficaciter moveat alios ad furandum, v. g. si ex cohorte militum, aut peregrinorum transeuntium unus principalis, ut capitaneus, vel conditor primus furetur ex vinea aliquos racemos, aut ex viridario aliqua poma, prævidens suo malo exemplo alios ad simile furtum efficaciter movendos, reus est furti mortalis, debetque deficientibus sociis totum damnum resarcire, quia perinde est, sive quis facto, sive exemplo, sive verbo sit causa moralis damni illati.

(53. Advertendum tamen est, quod sive quis furtis minutis furetur ab eodem, sive a diversis, sive plures, sive diversi ab eodem furentur, ad contrahendum peccatum mortale requiritur major quantitas, quam illa, quæ simul ablata constitueret peccatum mortale, v. g. ad minimum plus dimidio. Et ratio est, quia Domini non sint ita inviti ad furta successive, seu per intervalla facta, quam ad furtum rei notabilis simul factum, et ordinarie non tantum damnum infertur; Molina tom. 3, disp. 689. Sanchez lib. 7. *Moral.* cap. 5. Lugo disp. 16, num. 15. Sporer. loc. cit. num. 44 et alii passim. (54. Item major quantitas requiritur, si plura furta minuta fiant pluribus, quam si uni soli, quia tunc omnes, et singuli non tam grave damnum patiuntur actualiter, et ordinarie illud patiuntur minus inviti, quam unus solus, qui totum illud damnum per plura minuta furta causatum cogatur in se uno sustinere. Communis cum præcitatis. (55. Item major requiritur quantitas in furtis factis sive eidem, sive diversis quando fiunt per majora temporum intervalla, quando brevi temporis successu fiunt, quia eo magis deficit unius damni connexio, et domini minus inviti censentur. Unde licet Imperialis, seu respective Ducatus v. gr. simul, vel successive brevi tempore ablatus constitueret peccatum mortale, tamen successive per

Digitized by Google

longum tempus, utpote duorum, vel trium annorum surreptus non concrescit in peccatum mortale. Et si pluribus tanto temporis intervallo absque ditescendi proposito talia furta minuta fierent, etiam duo, vel tres Aurei non sufficerent ad mortale peccatum. Hæc autem omnia attentis circumstantiis personarum, locorum, et temporum judicio prudentis Confessarii relinquuntur.

(56. Furta domesticorum, Uxorum, Maritorum, filiorum, parentum, Religiosorum, famulorum, etc., facta invito rationabiliter Marito, Uxore, Patre, Filio, Prælato, Domino, etc., sunt vera furta, quia omnes illi vere usurpant rem alienam invito rationabiliter Domino; Communis. (57. Talia domesticorum furta, ut mortalia sint, regulariter requiritur major materiæ quantitas, quam in furtis extraneorum; quia paterfamilias v. g. non est ordinarie tam invitus, quod res sua a Domesticis surripiatur, quam si surriperetur ab extraneis; *Communis*. (58. Hinc contra tales personas Domesticas, Uxorem, filios, famulos, etc., in foro externo non conceditur Actio pœnalis, et famosa furti, sed tantum alia mitior Actio rerum amotarum. Et quidem inter conjuges propter reverentiam, et honorem Matrimonii non dari rigorosam Actionem furti, sed tantum Actionem rerum amotarum, habetur expresse in l. 1 et seq. ff. *de Actione rerum amotarum*, in leg. *Si quis* 52 ff. *de Furtis* et l. *Manifestissimi* 22, § 4. Cod. eodem ubi ulterior ratio additur his verbis : « Quia lex ita atrocem actionem dare in personam ita sibi conjunctam erubuit. » (59. Similiter contra filios, et servos non datur Actio furti, text. expr. in § *Hi qui* 12. *Inst. de oblic. ex delicto*, l. *Ne cum* 16, et l. *Servi filii* 17. *princip. de Furtis*, ibi : « Servi et filii nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi autem furti non tenentur, neque enim qui potest in furem statuere, necesse habet adversus furem litigare; idcirco nec Actio ei a veteribus prodita est. » (60. Item contra famulos, ac mercenarios apud Dominum degentes non datur Actio furti, si leviora, et modica furta commiserint; l. *Respiciendum*, ff. *de Pœnis*. (61. Secus autem, si eorum furta sint gravia vel nimis multiplicata, quia tunc autem pœna corporali puniri solent, ut ex communi DD. notat Jul. Clar. lib. 4, sent. § *Furtum* num. 22, apud Layman. l. c. num. 4.

(62. Famuli, ancillæ, et Operarii apud Dominum degentes ordinarie non peccant graviter surripiendo esculenta, aut poculenta communia in usus proprios, nisi forent excessiva, secus in aliis materiis; Communis quoad utramque partem; quoad primam enim patet, quia Domini respectu illorum non solent esse inviti, quoad substantiam, sed tantum quoad modum, quandoquidem si illa peterentur, concederentur, dummodo tamen sint esculenta et poculenta communia, id est famulantibus ordinaria, non autem extraordinaria, rariora, et delicatoria, et dummodo illa surripiant in usus proprios, quia si illa surripiant ad dandum parentibus, amasiis, amicis, ad vendendum, ad ludos, ad compotationes, meretricia, et alia hujusmodi, committunt furtum mortale obnoxium restitutioni, ubi quantitas notabilis, etiam per minuta furta, ablata est, quia respectu illorum est simpliciter, et rationabiliter invitus Dominus. Quoad secundam partem etiam patet: quia in aliis materiis v. gr. pecunia, vestibus, linteis, et hujusmodi peccant sicuti extranei. Immo gravius cum illorum cura sit eorum fidelitati, et custodiæ commissa, et ideo longe gravius puniuntur furta domestica, quam alia, quia hujusmodi furta, quæ a Servitoribus, et famulis committuntur, dicuntur proditoria a Caball. *Crim.* resol. 104, num. 24, cum seq. Rainald. in *Obser. Crim.* cap. 14, num. 299, cum seq. et in Voto 168, n. 5, et in sæculari puniuntur, pœna ultimi supplicii secundum Fabr. § *Alia deinde*, *Instit. de public. Jud.* Farinac. et alios cum Raynald. in cit. Voto 168, num. 5. (63. Reliqua de furtis famulorum, vid. verb. *Famulus*.

(64. Parentes, qui quantitatem notabilem surripiunt ex bonis, quorum filii habent dominium, et administrationem, ut sunt bona castrensia, aut quasi castrensia, si ipsi filii sint rationabiliter inviti, peccant graviter, et tenentur ad illorum restitutionem sicuti extranei arg. cap. *Qui abstulerit* 6, caus. 12, qu. 1 et l. 2. *Catrense*, ff. *de Peculio castrensi*, vide verb. *Bona* art. 4. In dicto enim casu de facto rem alienam accipiunt invito rationabiliter Domino, adeoque, etc. Communis. (65. Filii etiam peccant mortaliter, si quantitatem notabilem surripiant et illis bonis, quorum dominium, vel usufructus spectat ad patrem; *Proverb.* enim XXVIII, sic expresse habetur : *Qui subtrahit aliquid a Patre suo, et a Matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Communis. (66. Reliqua de furtis filiorum, vide verb. *Filius*, verb. *Bona* art. 4. (67. Martius peccat graviter cum onere restitutionis, si dissipet, et dilapidet bona Uxoris paraphernalia, dotalia, immo, et communia sine ejus licentia; l. *Hac lege*, Cod. *de Pactis conventis;* Vide verb. *Bona* art. 4. (68. Sic etiam Uxor graviter peccat, si ex bonis, quorum dominium, aut administrationem habet Maritus quantitatem notabilem surripiat rationabiliter ipso invito; Communis. Unde merito a Clero Gallicano anno 1700, condemnata fuit sequens proposito; « Potest Uxor viro surripere pecuniam etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis, et victu habeatur. » (69. Reliqua de Uxore quoad bona mariti, vide verb. *Bona* art. 4. (70. Religiosi surripientes de bonis Monasterii quantitatem notabilem, duplex peccatum mortale incurrunt, unum furti contra justitiam, et alterum proprietatis contra votum paupertatis; Communis. (71. Et ratio est, quia quamvis Religosi sint in Monasterio, quasi filii familias, immo et illius membra, quia tamen ratione voti paupertatis sunt omnis proprietatis incapaces, ideo quidquid surripiunt invito rationabiliter Prælato, furtum est, et actus proprietatis. Eadem au-

Digitized by Google

tem quantitas requiritur, et sufficit in Religioso ad furtum mortale, et ad mortalem transgressionem voti paupertatis, quæ sufficit ad furtum mortale Sæcularium, exceptis tamen esculentis, et poculentis, in quibus, quia Superior ordinarie magis invitus est quoad modum, quam quoad substantiam, major requiritur quantitas ad mortale; communis Doctorum sententia apud Molinam disp. 86. Sanchez lib. 7 *Moral.* cap. 20, n. 5. Layman. lib. 3, tract. 3, p. 1, c. 1, q. 5. Sporer loc. cit. nu. 62, ubi subjungit quod in hac communi sententia damnatur Religiosus, si de bonis Monasterii tenuis surripiat unum Florenum, et de bonis Monasterii opulenti surripiat ducatum.

(72. Res furtivæ inventæ apud furem a Judice apprehensum, non Fisco, nec Judici, nec Officialibus ejus, sed Domino restitui debent, non obstante consuetudine, aut statuto contrariis; Sic expresse declaravit Carolus V, *in Constit. crim.* art. 207, et Fridericus I, in recessu 1559, qui ambo etiam statuta, et consuetudines contrarias tamquam veros abusus, et corruptelas Juri divino, et naturali contrarias reprobarunt. Et revera iniquum, et Juri naturali contrarium est, quod quis cum jactura alterius locupletetur, et Domini res sine facto, et consensu illius in alium transferantur; l. *Nam hoc* 14, ff. *de Condict. indebit.* ibi : « Nam hoc naturæ æquum est, neminem alterius detrimento fieri locupletiorem; » et c. *Locupletari* 48, *de Regul. Juris* in 6, ibi : « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Sicuti etiam omnino iniquum et rationi naturali contrarium est ex facto unius alterum prægravari, et delictum unius in alterius perniciem trahi; l. 1. ff. *de alien. Jud. mut. caus.* ibi : « Omnibus modis Proconsul id agat, ne cujus deterior causa fiat ex facto alterius. » (73. Qui rem alienam alicubi inventam accipit animo retinendi et Domino comparenti non restituendi, vel furtum facit, et Actione furti tenetur, textu expresso in l. *Falsus* 43. § 3. ff. *de Furtis*, ibi : « Qui alienum quid jacens lucrifaciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scivit, cujus sit, sive ignoravit, nihil enim ad furtum minuendum facit, quod, cujus sit, ignoret. » (74. Hinc si quis aliquam rem invenit, ignorans cujus sit, tenetur de rei domino debite, et sufficienter indagare, v. g. per promulgationem ex Cathedra, vel per præconem, vel per schedulam publico loco affixam juxta qualitatem, et æstimationem rei inventæ, aliter, si hanc indagationem omittat, et rem retineat, Furti tenetur; arg. l. *Falsus* 43. § 4 et 7. ff. *de Furtis*, quia animo retinendi fraudulenter eam accepisse censetur. Si autem post dictam, vel consimilem diligentem indagationem nulla amplius spes de Domino comparituro appareat, probabilius tenetur hujusmodi rem inventam pauperibus, vel ad pias causas erogare, cum hæc credatur voluntas Domini. Sic S. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 5 ad 3. Covarruvias in cap. *Peccatum, de Regulis Juris* in 6. part. 3. § 1. num. 2. Navarrus *in Manual.* cap. 17. num. 171. Molina *de Justitia et Jure* tract. 2. disp. 746. et alii passim contra aliquos contrarium sustinentes cum Reiffenst. lib. 5. *Decr.* tit. 18. n. 20. 21. 22. Vide verb. *Dominium* art. 3. ubi abunde de his, et similibus.

(75. Fur Pyxidis in ciborio, in qua servatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, spargens particulas in Ciborio bene, et valide fuit ab Episcopo extractus ab Ecclesia, et causa remittitur ad S. Officium; Sacr. Congreg. Immun. in Lucana 2 Decembris 1681. lib. 2. *Decr. Altov.* pag. 2290. (76. Et quatenus Sac. Congr. S. Officii renuat procedere in hac causa, Episcopus procedat ipse juxta suas ordinarias facultates; in ead. 23 Januarii 1682. lib. 3. *Decr. Altov.* p. 8

(77. Fur Pyxidis cum indecenti projectione SS. Sacramenti in Terram, mandante Sanctissimo, cum istud sit crimen læsæ Majestatis Divinæ et Hæresis, consignatur a Curia Ecclesiastica, in cujus fortiis existit, Curiæ Sæculari condigne puniendus; ead. S. Congr. Immun. in Siracusana 6 Aprilis 1692. lib. 1. *Decr. Paul.* pag. 132. Et sic statuit etiam Innocentius XI. Constitut. 1. incip. *Ad Nostri Apostolatus auditum.*

(78. Mandatur Archiepiscopo, ut extrahat a loco immuni furem Sacrilegum Pyxidum a Tabernaculo, ac retineat in carceribus Ecclesiasticis, etiam adhibita particulari custodia, conficiat processum, ac transmittat; ead. Sac. Congr. Immun. in Neapolitana 22 Jan. 1697. l. 2. *Vallem.* p. 71

(79. Furans vero Pyxidem, seu vas Sacrum gaudet immunitate Ecclesiastica, si tempore furti non extet in Pyxide Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; ead. Sac. Congreg. in Squillacen. 26 Maii 1632. lib. 3. *Decr. Paul.* pag. 128. (80. Sic quatenus constet particulas repertas apud furem Sacrilegum non esse consecratas, Fur restituendus est Ecclesiæ, de rebus vero furto sublatis Episcopus disponat prout juris; eadem Sacr. Congr. Immunit. in Eugubina 3 Febr. 1674. lib. 1. *Decret. Alt.* pag. 895.

(81. Fur rerum Sacrarum, et signanter Pyxidis, sine tamen Particulis, pacifice, et quiete degens in loco furti, gaudet immunitate; sed annuente Sanctissimo condemnatur ad pœnam extraordinariam exilii; ead. Sac. Congreg. Immun. in Civitatis Castellanæ 10 Junii 1681. lib. 1. *Decret. Altov.* 2204. (82. Item furans in Ecclesia argenta, et alia prætiosa B. M. V. oblata, de rigore non privatur Immunitate, ex gratia tamen Sanctissimi potest puniri pœna Triremium; eadem Sacr. Congregat. Immun. in Placentina 21. Novembris 1635. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 238. in Mantuana 15 Novemb. 1645. lib. 3. *Decret. Paulucci*, pag. 264.

(83. Fur sacrilegus quatuor lampadarum argenteearum in Ecclesia, et postea confugiens ad aliam Ecclesiam, et deinde exiens ab ista tempore quo Baroncellus dedita opera eum expectabat, ut carceraret, sicuti de facto carceravit, gaudet Immunitate : Sed mandante Sanctissimo retinetur in carceribus Ecclesiasticis, et conficitur processus a Curia Episcopali, attentis gravibus delicti circum-

Digitized by Google

stantiis; ead. Sac. Congr. Immun. in Spoletana 3 Julii 1674. lib. *Decr. Altov.* pag. 963.

(84. Furans in Ecclesia gaudet Immunitate sed potest puniri aliqua pœna leviori; eadem Sac. Congregatio Immun. in Squillacen. 18. Martii 1631. lib. 2. *Decretal. Paul.* pag. 100. (85. Simplices fures gaudent Immunitate, adeoque sunt restituendi Ecclesiæ; ead. Sacr. Congr. Imm. in Sorana 14 Jan. 1698. lib. 2. *Decr. Vall.* p. 133.

(86. Sed merces, et pecuniæ restituantur integre, reservatis juribus repetendi alimenta præstita furibus carceratis, quibus de jure; eadem Sacr. Congreg. Immun.; *ibid.*

(87. Cum facultate Sacræ Congregationis possunt extrahi Fures ab Ecclesiis ad correctionem, quando reperiuntur actualiter furantes; eadem Sacra Congreg. Immun. in Urbevetana 5 Junii 1694. lib. 1. *Decret. Vallem.* pag. 127. (88. Curia Episcopalis non potest absque dicta facultate extrahere Fures, nec res furto sublatas; ead. Sac. Congr. Immunit. in Perusina 1 Martii 1695. d. lib. pag. 176. (89. Neque ad effectum vitandi popularem tumultum; *ibid.* (90. Et si extraxerit, Sacra Congregatio mandat Episcopo, ut faciat restitui; *ibid.*

(91. Episcopus cum facultate Apostolica potest extrahere res furto sublatas, dummodo non permittat consignari Judici Laico pro corpore delicti; ead. Sac. Cong. Immun. in Ravennaten. 5. Novembris dict. An. et lib. pag. 227. (92. Verum jussu Sanctissimi injungitur Episcopo Faventino, ut consignet Curiæ Legationis Ferrarien. septem Fures detentos in suis carceribus una cum processu contra illos formato cum solita præservatione; ead. sac. Cong. Immun. in Faventina 17 Aprilis 1694. lib. 1. *Decret. Vallem.* p. 118.

(93. In causa furti nocturni cum qualitate *di scalata*, ut dicitur, et cum fractura portarum, jussu Sanctissimi datur Legato Urbini facultas examinandi Cancellarium Vicarii Foranei, ac procedendi contra eum, si culpabilis reperiatur; ead. Sac. Congregat. Immunit. in Urbinaten. 25 Maii 1694. d. lib. pag. 125. (94. Deinde idem Sanctissimus præcepit d. Episcopo, ne ulterius procedat in eadem causa, sed procedat Tribunal Legationis; in eadem 5 Junii; *ibidem.*

(95. Quamvis Latro extractus gaudeat immunitate Eccles. attamen conceditur facultas Ordinario ipsum retinendi aliquo tempore in carceribus pro exemplo aliorum, ac attenta mala ipsius qualitate, et circumstantiis facti; ead. Sacra Cong. Imm in Pisana 23 Augusti 1633. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 169.

(96. Annuente Sanctissimo conceditur Ministris Montis Pietatis Forolivien. ut possint offerre de pecuniis Montis præmium scutorum 300. Detectori, seu Propalatori furti facti cum fractione muri in dicto Monte scutorum 2500. ac etiam conceditur in mandato Sanctissimi Facultas Em. Legato promittendi impunitatem alicui complici in delicto, arbitrio Eminentiæ suæ; ead. Sacra Congr. Immun. in Forolivien. pag. 80.

(97. Fures Rerum privatarum in compedibus vitam agere; publicarum in auro, et purpura conspicuos incedere, ait Cato, *sent.* apud Ursayam in 1. *Miscellan. sacro, et profano* litt. *F.* num. 173.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(98. An civilis pœna dupli, vel quadrupli prout furtum erat manifestum vel non manifestum, a jure Romano statuta adhuc obtineat? negat Grœnowegen *de Legib. Abrogat. Instit.* lib. 4. tit. 1. § 4. num. 1

(99. Quoad pœnam publicam, eadem est pro furto cum violentia commisso, ac pro furto non violento. (100. Quoad vero ipsum furtum non violentum oportet distinguere, num sit primum, an secundum, an tertium. (101. Valor etiam rei furtivæ inspiciendus est in hoc furto non violento. Tum illud videndum, an sit domesticum. Vide de varia furti pœna publica, prout varium est ipsum furtum, egregie disserentem Stryk. in *Usu modern. Pandect.* l. 47. t. 2. fere per tot.

(102. Illud breviter est examinandum, an pœna mortis pro furto sit justa. Negant aliqui, quia nulla est proportio inter pœnam hanc, et delictum. Addunt, quod jure divino non pœna mortis, sed dupli quadrupli, etc. solum in Fures statuta est *Exod.* 2. *v.* 1. seqq. At affirmant Carpzov. *Prax. crimin.* quæst. 77. Hoppius *in Comment.* ad § 5. *Instit. de Obligat. quæ ex delict. nascuntur in us. hodiern.* (103. In irrogatione enim pœnarum non ad delicti quantitatem, id est ad rem circa quam delinquitur, sed ad qualitatem, id est dolosam legis transgressionem, et exinde propullulantem turbationem Societatis humanæ respiciendum est. Hinc nullum dubium est, quin pœna mortis pro justa haberi debeat. (104. Quod vero attinet ad Legem Mosaicam, quum ea in parte hac, in qua de furto disposuit, sit mere forensis, nihil impedit quo minus Princeps duriorem quoque pœnam circumstantiis ita exigentibus Furibus dictare valeat.

Digitized by Google

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

JUXTA VOCUM QUÆ HOC VOLUMINE RECENSENTUR SERIEM DIGESTA.

D

DAMNUM.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Damnum et jacturam, in quam alter ex sodalibus Confraternitatis sub titulo SSmi Sacramenti canonice erectæ in oppido Bondeni incidit propter suam in carcerem inclusionem, reparandam non esse S. Congregatio putavit. Archiepiscopus enim illum ex Societate rite expulerat: Ferrarien. Confraternit. 14 Sept. 1782, dub. 8.

(2. Procurator fiscalis Curiæ Abbatialis S. Mariæ in Sitria, vulgo *della Barbara*, poposcit damni, quod ob contradictionem Marchionis Alovsii Herculani novi Emphyteutæ bonorum Mensæ Abbatialis, quibus instrumenti stipulatione retardata oblata fuit sexta, pertulit, et judicialium, ac extrajudicialium expensarum litis juxta elicitam contestatam denunciationem compensationem; sed frustra poposcit: Senogalien. Emphyt. 15 Sept. 1792, dub. 3.

(3. Damnorum et expensorum refectionem negavit Sac. Congregatio Canonico Maffi, qui ob causam civilem suspensus fuit e Divinis per injustam sententiam Vicarii Capitularis: in « Montis altis suspensionis et irregularitatis super refectione damnorum, et expensarum » 28 Martii 1801.

DECIMÆ.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. An Parochi teneantur publicare Matrimonia, et decimas exigere in Amerine Cathedrali, sive potius illa publicare possint, et decimas exigere in propriis Ecclesiis in casu, etc.?

S. Congreg. « Quoad publicationem Matrimoniorum faciendam esse tam in propria Ecclesia, quam in Cathedrali ad formam constitutionis synodalis anni 166. Quo vero ad exactionem Decimarum in nulla Ecclesia faciendam esse, sed in loco ab Episcopo designando. » Amer. die 7 Maii 1763, ad 6. dub.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Capitulo Collegiatæ, et Parochialis Ecclesiæ Stauffensis competit jus exigendi decimas in natura sive in specie, quomodo ei assignatæ fuerunt in dote occasione erectionis in Collegiatam, nec obstat contractus locationum, et signanter anni 1739, in quo præter alia pacta conventum fuit de pecuniaria solutione decimarum, a quo contractu Capitulum prævia monitione facta ob non servatas conditiones recepit: Constantien. Decimarum 28 Julii 1782, dub. 1.

Hinc Parochiæ incolæ redintegrare Capitulum de eisdem decimis in natura, sive in specie a die motæ litis pro summa liquidanda tenentur; *ibid.* dub. 2.

(2. Quum Episcopus Reatinus sacram visitationem agens decrevisset spectare ad Archipræsbyterum Castri Franchi jurisdictionem per totum territorium ei adjunctum ab ipsa civitate Reatis juxta descriptionem a Peritis factam, assignando Parochis SS. Eusanii, Leopardi, et Donati domos rurales existentes prope dictam Civitatem in descriptione non comprehensas; præfatum Archipresbyterum petiit inde ejusdem Decret confirmationem a Sacra Congregatione, eamque annuentibus Parochis supradictis obtinuit. Sed hanc confinium divisionem acriter impugnantes fratres Stola, quia adjunctum prædium in territorio Castri Franchi possident, renuentesque proinde decimas persolvere, responsum a S. Congregatione accipiunt, firmum manere Episcopi decretum debere, decimasque a die decreti ipsius ab incolentibus domos fratrum Stola existentes in Parochia Castri Franchi solvendas: Reatina Dismembrat. et juris decimandi 31 Maii 1783, dub. 2 confirmat. 10 Januar. 1784.

(3. Parochiæ titulo Ecclesiæ S. Leonardi suppresso illius Parochus in cœtum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis cooptatus est. Carolus Petruccius Canonicatum dictus Parochi successor quum vidicet plures a suppressa Parochia defecisse familias, et alibi habitantes decimarum sibi præstationem abnuere, consentes propriis Parochis deberi veluti personales, seu Sacramentales S. C. adiit, ut ad Decimarum in sui favorem solutionem illi teneantur, etsi alio familiæ migrarint, sive in posterum migrassent. Et emanavit S. C. decretum decimas præstandas esse ad normam informationis Episcopi anni 1675. Pisauren. Decimarum 9 Julii 1785.

(4. Decimæ solvendæ pro bonis sitis in Districtu Parœciæ Trivii antiqui, spectantibus ad Incolas regulares, Locaque pia Civitatis Pisauri, debentur prædiales quidem Parocho Oppidano, Sacramentales vero Parochis Urbanis ejusdem civitatis. Illas autem deberi statuitur ex frumento et lino pro medietate, dimidium nempe unius ex viginti, seu (ut

Digitized by Google

incolæ aiunt) unum pro quolibet ex quadraginta, et areis ad formam resolutionum 1779, 1718, et 1785 Pisauren. Decimarum 24 Martii 1792, dub. 1.

Et ex hac ratione deberi decernitur etiam a conductoribus et emphyteutis, si eadem bona per exteros proprietarios locata sint, vel in emphyteusim concessa incolis Pisaurensibus juxta consuetudinem; *ibid.* dub. 2.

(5. Nec non alia ab iis, qui retinent domum tantum apertam in urbe Pisauri, nec ibi continuo, aut in majori anni parte habitant juxta resolutionem anni 1785; *ibid.* dub. 3.

(6. Hujusmodi autem decimas nullatenus deberi juxta consuetudinem dijudicatur pro terris redactis ad usum prati, et pascuorum, in quibus satio frumenti et vini prætermissa sit; *ibid.* dub. 4.

Decimarum cessio expleta a plebano Offaneæ Hieronymo Vici favore Communitatis ejusdem Oppidi, iterum per rescriptum in *decisis* approbatur, sub duplici præsertim convento pacto, quod commutari nimirum debeant decimæ a specie in quantitatem minori æstimatione, et soluta Plebano infra consuetam summa, duo ex reliqua constituantur Patrimonia sacra, Auximana concordiæ super Decimis 18 Martii 1797.

(7. Decimas in frumento de more præstandas esse, non in pecunia a Parœciis præsertim ruralibus Diœcesis Calliensis, statuit Sacra Congregatio, in Callien. Decimarum et Funeris 23 Januarii 1802.

(8. Decimarum Parochialium cessionem, quam Capitulum Sutrinum facere postulabat mensæ Episcopali pro decimis ab ipso Capitulo debitis eidem mensæ rejecit Sacra Congregatio in Sutrina Cessionis 12 Februarii 1803.

(9. Decimas prædiales solvendas esse in loco, in quo sita sunt bona, definivit Sacra Congregatio revocata re judicata Ale. Amadei, quæ immunes ab onere declaraverant Fanenses possidentes in aliis Territoriis in Fanen. Decimarum 30 Aprilis 1803.

(10. In quasi possessione Juris Decimas percipiendi, S. Congregatio confirmavit Capitulum Ecclesiæ Ophidanæ, quas per tria sæcula, veluti partem reddituum Monasterii S. Benedicti perceperat, ac inter quotidianas distributiones supputaverat; rejecitque Parochorum quærimonias, qui illas sibi jure Parœciali vindicabant; sin minus ut eorum loco congrua adaugeretur; cui tamen satis consultum fuerat Præbendis ad illos delatis. Asculana Litterarum Apostolicarum ad 4, et 5, dub. 20 Jan. 1838.

DEPOSITUM, DEPOSITARIUS.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Depositarium Ecclesiæ Cathedralis singulis annis, ac etiam intra et extra annum, accedente in hoc posteriori casu legitima causa, Episcopo rationem reddere teneri firmatur quoad redditus fabricæ; quo vero ad redditus Capituli Episcopum suo jure ad formam Concilii Tridentini uti statuitur: Asculana 12 Julii 1788, dub. 10, confirmat. 7 Febr. 1789.

(2. Eumdemque Depositarium conservare, et in acta referre cuncta mandata solutionum, et Syngraphas postquam rationes cum Canonicis revisoribus consolidavit, onere non premi deciditur; obstrictum est tamen Capitulum documenta servare in redditione rationum exhibita. *Ibid.* dub. 11, confirmat. *ibid.*

(3. Petentibus Canonicis Ecclesiæ Catnedralis absolutionem ab omisso per duos annos deposito ob reddituum tenuitatem, uti præscriptum a S. C. Episcoporum et Regularium putabatur, in extinctionem census pro reparatione Domus Mensæ Capitularis ex terræ motu labefactatæ impositi, S. C. absolutionis gratiam indulsit prævia SSmi consultatione: Foroliviensis 15 Junii 1789, dub. 3.

(4. Quum Archiepiscopus Capellaniam ordinatam ab Storatio Zeppi qui nullum verbum fecit in testamento, et codicillis de laicali qualitate, in beneficium ecclesiasticum erexisset; hanc erectionem S. C. approbavit, sed idem Archiepiscopus putans facultatem in genere testatorem ei tribuisse, in eadem erectione depositum fructuum Capellaniæ pro dotandis puellis consanguineis, quoties de familia Zeppi masculus non extaret, qui Capellaniam exoptet, mandavit, quod nulli est detrimentum. Reposita in disquisitione, non esse locum deposito prædicto S. C. resolvit: Urbinaten. 28 Maii 1796, dub. 3.

DIACONUS.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

1. Porrecto S. R. C. nomine P. Fr. Augustini Motuski Ordinis Minorum Observantium S. Francisci Provinciæ Minoris Poloniæ Ministri provincialis supplici libello pro resolutione sequentis dubii, nempe:

An Diaconus in Ordine tantum Diaconatus constitutus extra casum necessitatis, possit distribuere Fidelibus Communionem, in casu, etc.

S. eadem C. audito prius voto unius ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris super dicto Dubio ab eodem exarato, ad relationem Emi, et Rmi Domini Cardinalis Marefuschi Ponentis, rescribendum censuit: *Negative.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Ord. Min. Observ. S. Francisci Prov. Min. Polon. die 25 Februarii 1777.

(2. An Diaconi, quando Celebrans facit reverentiam Cruci in Sacristia, debeant genuflectere, sicuti in Altari genuflectunt, quando Celebrans Crucem salutat transeundo ante illam, et in accessu, et recessu?

Ad 20. Non teneri ad genuflectendum. Ord. Min. S. Francisci De Obser. Provinciæ Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliæ, die 18 Decembris 1779.

Digitized by Google

(3. Rmus Taurinen. Archiepiscopus Emo, et Rmo Domino Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto humillimas quum dederit Litteras hisce conceptas terminis nimirum

EMINENZA RMA.

Mi trovo costretto ricorrere all'Eminenza Vostra Reverendissima per il seguente caso. Nel Sabbato dell'ora scorse Tempora di Pentecoste due Religiosi Francescani intervenuti all'Ordinazione del Diaconato, dopo terminata la Funzione, e quando il Vescovo Ordinante si era di già ritirato nel suo appartamento, manifestarono, che non si erano presentati a ricevere il Libro degli Evangeli, credendo che non fosse ancora giunto il loro tempo, e che lo stesso era accaduto a qualche altro Chierico Secolare, senza saperlo indicare. Sentito ciò furono tosto condotti innanzi l'istesso Vescovo Ordinante, il quale suppl. l'omessa tradizione del Messale. Osservatasi però in sequito che varie sono le opinioni degli Autori, e che segnatamente Bene detto XIV, de *Synodo Diœcesana* lib. VIII, cap. X, n. 13, riporta un Decreto in senso contrario, sebbene si riferisca all'Ordine del Presbiterato, si è creduto non doversi prendere determinazione veruna senza consultare l' Oracolo della Sacra Congregazione. A tale oggetto pertanto mi rivolgo all'esimia bontà dell'Eminenza Vostra Rma pregandola degnarsi dirmi che cosa debba farsi tanto riguardo a quelli, ne' quali nulla fù fatto, e si verificasse chi effettivamente anche per essi abbia avuto luogo l' istesso difetto. Attendo con impazienza un suo venerato riscontro, m' inchino al bacio della Sacra Porpora, protestandomi col più profondo rispetto.

P. S. Dopo scritta la presente, vengo a riconoscere, che sebbene nella sera dello scorso Sabbato mi fossi fatto premura scrivere al Superiore dei detti Religiosi per impedire che esercitassero l'Ordine, pure non essendo giunta in tempo la Lettera, uno di essi l'esercitò, e può essere accaduto l'istesso per altri.

Dell'Eminenza Vostra Rma.

Torino 22 Maggio 1837.

Umo Obmo Dmo Servitore.

Luigi Arcivescovo.

Sacra autem Rituum Congregatio in hunc modum rescripsit.

Perillustris, et Rme Dne uti Frater.

Amplitudinis Tuæ Epistolam datam undecimo Kalendas Junii vertentis Anni accepimus super omissione traditionis Libri Evangeliorum, quæ inconsulto accidit novissima in Ordinatione Generali habita Sabbato quatuor Temporum Pentecosten in promovendo nonnullos Subdiaconos ad Diaconatus Ordinem, hujusmodi negotium illico demandatum fuit aliquibus hujus Sacrorum Rituum Congregationis Consultoribus Theologis, ut super re suam exponerent sententiam, quam etiam ex tempore Amplitudini Tuæ nomine ejusdem Sacræ Congregationis communicamus, ut sciat quid in re sit agendum et dubiis forsan obortis prudenter occurrendum. Sacra itaque Congregatio in suo, et Consultorum sensu respondit, quod si Amplitudo Tua prudenter judicet moram temporis, quæ inter Ordinationem horum Subdiaconorum in Diaconos et supplementum defectus intercessit, haud tantam fuisse, ut moralis conjunctio formæ cum traditione materiæ, merito censeatur abrupta, Ordinatos hujusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad præteritum, et a qualibet suspensione in posterum absolutos declarare, quatenus sui Ordinis officium publice tuta conscientia (si aliud non obstet impedimentum) pro ratione sui status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantum fuisse temporis, ut hiatus iste inter Ordinationem, et supplementum defectus nulla probatorum Auctorum interpretatione conjungi possit; tunc iterum si cum traditione prius omissa Libri Evangeliorum simul protulit formam, sciat se posse acquiescere, et ita Ordinatos in suorum Ordinum exercitio, pariter acquiescentes dimittere. Si vero solam tradidit partialem materiam Libri Evangeliorum sine forma, tutium erit si Ordinatis hujusmodi caute, et secreto suppleat opportuno tempore defectum; traditionem materiæ simul cum prolatione suæ formæ repetendo. Quo in casu si tempus proximæ futuræ Ordinationis ad hujusmodi supplementum a Canone constitutum exspectari nequeat vel ob periculum scandali, vel ob alias non levis momenti causas et circumstantias, quas Amplitudo Tua probe noverit, nec aliud obstat impedimentum, poterit ab interstitiis dispensare, et proximo quoque Festo defectum prædictum prudenter, et secreto supplere. Quod ad Clericos spectat Sæculares, de quibus, prout in casu exponitur, dubitatur an omissio eadem acciderit, curare pro sua prudentia Amplitudo Tua poterit ut Ordinati hujusmodi innotescant (quod non videtur tam difficile, si Catalogum, quem apud se certe habebit, Subdiaconorum in ea Ordinatione ad Diaconatum evectorum percurrat, et eos in quos suspicio hujusmodi cadere potest caute, et secreto circa hujusmodi dubium interrogari faciat). Si quos igitur invenerit, quibus eadem contigit omissio, idem præstabit, quod superius dictum est de duobus Religiosis, et si eos Ordinum Diaconatus bona fide hactenus exercuisse repeterit, a Censuris, quatenus opus fuerit (si nihil aliud obstet) absolvat, et ad ejusdem Ordinis ministerium, et officium in posterum, quatenus opus fuerit exercendum, hoc est ad pie, et fideliter in suscepto Diaconatus munere ministrandum tutos in conscientia declarabit

Quum per has responsiones omnibus a Te expositis fuerit opportune consultum, Amplitudini Tuæ diuturnam ex animo exopto felicitatem Romæ 16 Junii 1837.

Per. e Rmo Dno uti Fratri Archiep. Taurinen.

Digitized by Google

DISMEMBRATIO

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Parœciæ S. Luciæ et S. Petri Oppidi Montis Florum dismembrationem negavit Sacra Congregatio, cum distantibus incolis *della Madonna della Fede* consultum esset per Deputationem Capellani Curati. In Firmana Dismembretionis Parœciæ 21 Novembris 1801, ad. 1. Dub.

(2. Parœciæ Castri Serra dismembratio rejicitur, sed ut remotioribus Parochianis consultum sit, uniuntur Parœciæ duo beneficia pro stipendio Capellani Curati. In Nullius Nonantulæ erectionis Parœciæ, et Unionis 11 Febr. 1803.

(3. Parocho Falconaræ conceditur redintegratio ad regionem *di Fiumicino* nulliter dismembratam deputato tamen in eadem regione Capellano Curato sumptibus ejusdem Parochi, in Anconitana Dismembrationis et reintegrationis 12 Febr. 1803.

(4. Dismembrationem Parœciæ S. Joannis Civitatis Anconæ utpote nullam revocavit Sacra Congregatio, et ejusdem Parocho Cioccoli redintegrationem concessit ad regiones dismembratas, in Anconitana Dismembrationis 30 Aprilis 1803.

(5. Dismembrationem Beneficii Curati, ad erigendam dignitatem Archipresbyteralem denegavit Sacra Congregatio in Aretina erectionis Archidiaconatus 23 Junii 1803.

(6. In suppressione Parœciæ S. Martini Civitatis Forolivien peracta ab Episcopo Mercuriali Prati specialibus ab Apostolica Sede facultatibus munito, statutum eodem præsule fuit, ut bona Parœciæ suppressæ post obitum actualis Parochi aliis Parœciis egentibus ab Ordinario essent applicanda. Anno 1819, Forolivien. Episcopus jussit ut quatuor Terrulæ pertinentes ad parœciam S. Thomæ, cui assignata fuere bona suppressæ Parochialis Ecclesiæ Apostolico impetrato indulto Parœciæ Suburbanæ S. Joannis Baptistæ in Vico nuncupat. *de Capuccini* traderentur. Hanc dismembrationem, et applicationem terrularum approbavit, et confirmavit S. Congregatio in Foroliviens. Dismembrationis et applicationis 16 Aprilis 1818.

(7. Distulit Sacra Congregatio judicium super dismembratione Parœciæ *di Rovigozzo* Placentinæ Diœcesis, et respectiva erectione novæ Parœciæ in Oratorio S. Joannis vulgo *di Bettola*, nec non super assignatione Dotis novæ Parœciæ, et audiri decrevit Ministros Datariæ Apostolicæ quoad impositionem pensionis super Parœciam *di Tavernago*. in Placentina Parœciæ 9 Julii ad 1, II, et III Dub.

(8. Coadjutorem, et Capellanos Congregationis laicalis SSorum Apostolorum Petri et Pauli translatos ad Ecclesiam S. Dominici oppidi Vici Sipontinæ Archidiœcesis, attenta dismembratione Parœciæ distinctum separatumque corpus constituere a Clero Ecclesiæ matricis, seu S. Mariæ in Cœlum assumptæ Collegiatæ ejusdem Oppidi, dixit Sacra Congregatio; ita ut erectio distincta *Crucis*, aliaque attributa corporis Ecclesiastici eisdem competant, in Sipontina Dismembrationis Parœciæ 11 Jun. 1819, ad II Dub.

(9. Ad formam sententiæ Archiepiscopi Sipontini S. Congregatio erectionem Ecclesiæ S. Dominici in Parœciam confirmavit, quæ spirituali gaudet jurisdictione a Collegiata Ecclesia vici penitus sejuncta, facto verbo cum SSmo in Sipontina Dismembrationis Parœciæ 2 Junii ad. 1 Dub. 1822.

(10. Ob magnum populi numerum, viarumque difficultatem accedendi, ad parochialem Ecclesiam oppidi Massineani hujus dismembrationem, novæque parœciæ erectionem extra oppidum in Ecclesia S. Mariæ de Misericordia antequam concederet, ut media proposita pro novi Parochi congrua approbaret, exquirendam esset censuit Sacra Congregatio novam informationem ab Emo Archiepiscopo in Firmana erectionis parœciæ 3 Julii 1822. ad I et II. Dub.

(11. Juxta votum Episcopi esse locum dismembrationi Parœciæ di *Rovigozzo*, et respectivæ novæ Parœciæ erectioni in Oratorio S. Joannis vulgo *di Bettola;* dixit Sacra Congregatio in eadem Septembris 1822. ad I, II et III Dub.

(12. Archipresbyterum Gambetti ad residentiam in Parochiali Ecclesia S. Petri in Cultu prope Oppidum Mercatini, translatam pluribus abhinc annis ab antecessoribus ad Ecclesiam S. Antonii oppidi Talamelli absque apostolica auctoritate, a qua litteræ collationis Parœciæ semper expeditæ sunt pro Ecclesia præfata S. Petri in Cultu, iterum coegit Sacra Congregatio, dum post dilatam die 18 Septembris, hujus anni resolutionem standum esse in primo loco decisis scilicet sub die 30 Augusti 1817. ubi fuerat archipresbyter ad residentiam coactus, non autem standum esse in secundo loco decisis sub die 2 Maii 1818, quibus fuerat a residentiæ onere solutus, definivit in Feretrana Residentiæ, et Dismembrationis 20 Novembris 1822. ad I Dub.

13. Priusquam vero decerneret, an esset locus dismembrationi ab Ecclesiæ S. Michaelis et respectivæ novæ erectioni parœciæ in Ecclesia S. Joannis et quomodo providendum esset congruæ doti novæ Parœciæ, vel potius deputationi capellani curati, novo Episcopo scribendum duxit, qui auditis parocho, et parochianis in scriptis distincte referret de vera necessitate vel erigendæ novæ parœciæ, vel deputandi capellanum curatum et de congrua assignanda in uno alterove casu ibid. ad III, IV et V. Dub.

(14. Cognitis vero actuali redditu *parœciæ* Massineani, impensa necessaria pro restauranda Ecclesia S. Mariæ de Misericordia in novam *parœciam* erigenda, ac inutili medio providendi parochianis deputatione capellani curati degentis in aliqua Ecclesia suburbana, dismembrationi petitæ locum esse dixit eadem Sacra Congregatio, ac providendum esse juxta votum Emi Archiepiscopi, et conventionem initam inter deputatos Massineani et parochum illius loci die 20 Novembris 1822. ad I et II Dub.

(15. Cum nulla suppetat Canonica ratio, quæ cogat Ecclesiam S. Antonii de Gajana sejungi ab Ecclesia Parochiali S. Laurentii

Digitized by Google

de Vevignano, eoque minus in titulum Parochialem erigi; contra ratione loci, ac distantiæ majus sibi commodum pro rebus sacris expostulent, qui ad S. Antonium de Gajana accolunt, statuit Sac. Congregatio in hac Capellanum Curatum stabiliri servatis servandis cum assignatione primitiarum juxta Votum Emi Archiepiscopi in Bononien. Dismembrationis 30 Maii 1838. ad I et II Dub.

(16. Tres postremas ex his quinque conditionibus, quas erigendo Canonicatui apponi studuerat Capitulum Arborense, uti ad erigentis mentem remotas, rejicit Sac. Congregatio servata quoad priores vigente consuetudine pro Canonicatibus de Massa facto verbo cum SSmo in Arboren. 18 Julii 1838. ad I Dub.

(17. Ecclesia S. Geminiani, quæ prius utpote filialis regebatur per Vicarium Curatum a Præposito Parocho S. Laurentii de Serpiano deputandum unita Matrici existit sub anno 1831. una cum omnibus bonis et proventibus. Ast eam unionem populi utilitati exitiosam existimans hodiernus Episcopus, eam a matrice omnino *dismembravit*, constituto eidem proprio Parocho assignatisque huic bonis a præpositura sejunctis, inconsulto tamen Præposito. Quod cum et suis juribus læsivum et absque necessitatis vel evidentis utilitatis causa, ac nulliter factum contenderet ipse Præpositus, S. Ordo probatis quidem canonicis causis, et rejecta procedendi forma, attentis peculiaribus, circumstantiis, omnia ab Episcopo gesta sanavit, mandavitque novæ Parœciæ redditum esse absque bonorum præposituræ detrimento conficiendum, et annuum tributum trium librarum ceræ elaboratæ præfinivit ab Ecclesia S. Germiniani Ecclesiæ præpositali S. Laurentii in festo titularis præsolvendum in signum Matricitatis. In Mutinen. Dismemb. Paræc. 17 Dec. 1838.

DISPENSATIO.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Vacante Beneficio a Blasio de Monaris in Collegiata Ecclesia S. Blasii civitatis Centi fundato, et presbyteris a testatore contemplatis non extantibus, Bartholomeus de Monaris petiit facultatem nominandi unicum quem habet filium in undecimo ætatis anno constitutum, et obtinuit dispensationem usque dum filius ad legitimam pervenerit ætatem, impletis interim per alium oneribus : Bononien. Dispensat. 25 Januarii 1783. dub. 1.

(2. Beneficia duo simplicia in Parochiali Ecclesia Thaii Vallis Annaniæ erecta de patronatu Familiæ Panizza onere adjecto missarum, ita ut Feria tertia concurrat celebrandi rationem utriusque beneficii obligatio, possidens Sacerdos Joseph Panizza concordiam iniit cum Udalrico Barbacovi, qui subsidiariam passivi patronatus vocationem habet, et rogavit deinde Dispensationem a pluralitate Beneficiorum sub eodem tecto existentium, et S. C. ei rescripsit esse consulendum SSmum pro dispensatione : Tridentina 29 Nov. 1788. dub. 1.

(3. Sacerdos Johannes Santoboni, qui beneficium ecclesiasticum cum onere adjuvandi Archypresbyterum oppidi Mojani redditus scut. 19. 30. una cum Capellania Ecclesiastica cum onere missarum 75. in rurali ejusdem oppidi Ecclesia S. Sebastiani redditus scut. 29. 06, non indiget dispensatione ad utrumque possidendum ; Sabinen. 26 Novem. 1791.

(4. Dispensationem a solito studio theologiæ et Sacerdotii requisito, et habitationem denegavit S. Congregatio Clerico Petoni ad hoc ut Canonicatum in Cathedrali Tusculana posset consequi cum ei obstaret fundatio, et non posset intra annum Subdiaconatum suscipere in Tusculana Dispensationis 8 Aug. 1801.

(5. Sanationem concedendam esse existimavit Sacra Congregatio Capitulo Mathelicensi, quod sine Apostolico Beneplacito fundum a privato enim ex quibusdam pecuniis. Capitularibus, et præsertim quadam summa scutorum 29, 73, 1, retracta ex venditione Chirographi Rescriptionis ab usurpato re Gallico Gubernio traditi in extinctionem Census cum Comitate; dispensatione vero a Censuris opus non esse declaravit, cum venditum rescriptionis Chirographum ad illud genus pecuniarum reducatur, quæ alienari possunt sine solemnitatibus in Mathelicen. Sanationis 1. 1815, Mart.

(6. Consulendum esse SSmo censuit Sacra Congregatio pro Sanatione quoad fructus a Capitulo Casalensi perceptos indistincte ex Præbendis in Massam communem coacervatis ab Episcopo Villaret, ut morem gereret laicæ potestati tunc dominanti, in Casalen. 29 Novemb. 1815, ad VI Dubium

Sanationem præterea concedendam esse Canonico Francisco Salina quod multa, quæ ei viro, cæteroquin dignissimo, objiciebantur a Capitulo. Ibid. ad I Dub.

(7. Cum nec obreptitium, nec subreptitium fuisset Indultum die 8 Augusti a Sacra Congregatione concessum pro suspensione collationis secundæ capellaniæ a Pio Bianchi fundatæ, et erogatione fructuum favore Infantis Joannis Dominici Tomei, donec ad canonicam ætatem annorum quatuordecim perveniret, in qua deliberare posset, de clericali militia suscipienda, quia deficiente linea Galluzzi ad capellaniam vocabatur, illud substineri dixit Sacra Congregatio in Verulana Capellaniæ 12 Junii 1811, ad I Dub.

(8. Dispensationem super ætate Aloysio Valentini denegavit Sac. Congregatio quamvis Patronus passive vocatus esset, quia Sacerdotis qualitas in Canonicatu requirebatur nec non, sustineri dixit, nominationem Sacerdotis Philippi Principe ab uno ex patronis intra legitimum tempus præsentati in Civitatis Plebis et Perusina Canonicatus 23 Martii 1838. ad 1 et 2 dub.

(9. Dispensationem ab ætate ad obtinendum beneficium a Dominico Jacoponi ere

Digitized by Google

cium in Ecclesia Terræ Martæ, postulantibus Francisco Antonio Jacoponi annorum sex, ambobus a Testatore æquali gradu descendentibus PP. EE. (nulla habita ratione vocum, et nominationum siquidem nondum casus advenerat, ut quis ex familia Jacoponi Juspatronatus acquireret a fundatore præsignatus) concessit Francisco Antonio, ejusdem potiori ætate, et potioribus requisitis inspectis; facto verbo cum SSmo Montis Falisci dispensationis 29 Martii 1838.

(10. Cum ageretur de assecutione Præposituræ cum cura animarum, et jurisdictione fere Episcopali super insigni Collegiata S. Nicolai, et cum alii adessent passive vocati idonei, renuit, S. C. dispensationem impertiri adolescenti Ferdinando Cassoli etsi, passive vocato in Regien. Præposituræ 4 Junii 1838. ad 2 dub.

(11. Cum Clericus Paschalis Ricocchi ad Capellaniam Sacerdotalem, et cui onus erat Parochum adjuvandi, a duobus Patronis nominatus Dispensationem a qualitate Sacerdotali, et Parochus Rossi a quinque cæteris præsentatus Dispensationem ab incompatibilitate postulassent, dum interim intra Quadrimestre quatuor ex Patronis ad Paschalis nominationem accessissent S. C. cum satis præcise de Bicocchi scientia non constaret, injunxit Episcopo, ut peracto prius experimento Clerici Bicocchi coram tribus Examinatoribus, referret, an sufficientis saltem scientiæ præditus esset ad Confes. ones excipiendas. Fesulana Dispensationis 22 Decembris 1838.

(12. Contra Dispensationem ab irregularitate misero casu contracta jam ab anno 1837. a Fr. Mariani a Morrovalle petitam, confecto experimento ab Emo Archiepiscopo Firmano, cum esset compertum Oratorem digne, et accurate singulas Divini Sacrificii cæremonias explere non posse, visum est Emis PP. denegare. In Asculana Dispensationis 14 Decembris 1839.

(13. Item Hieronymum Fantaguzzi in Vaticana Basilica Canonicum optata dispensatione pro retinenda Cæsenæ residentiali Capellania indignum judicarunt, quod nullam adduceret canonicam causam, in Cæsenaten. Capellaniæ 27 Julii 1839. ad 2 Dub.

(14. Dispensationem quam super defectu ætatis a Testatore præscriptæ obtinuerat a Sede Apostolica per Breve Leopoldus Cerreti, ad obtinendum Canonicatum in Tiburtina Cathedrali Ecclesia, ad quem ipse vocatus, pro medietate vocum fuerat nominatus, nullo nec ob pretionis, nec subreptionis vitio laborare dixit H. S. O. atque adeo ipsi Cerreti institutionem dandam esse statuit, cui votum quoque favebat Episcopi, remoto Thoma Cocanari in subsidium tantum a Testatore ad Canonicatum vocato. In Tiburtina Canonicatus 7 Septembris 1839. ad 1 et 2 Dub.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Delata ad Sac. Rit. Congregationem controversia inter Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Civitatis Spoletanæ, et Angelum Placidi Coadjutorem Prioris ejusdem Ecclesiæ: An eidem Placidi competat jus lucrandi distributiones, dum interest Choro cum habitu Protonotarii, non vero cum vestibus, et insigniis canonicalibus:

Sac. eadem Congregatio, audita sententia Rmi Episcopi, inspectis peculiaribus circumstantiis, referente Emo et Rmo Domino Cardinali Livizzani rescripsit: *Licere Coadjutori Placidi adhibere vestem prælatitiam in Choro, quotiescumque tali veste indutus Choro interfuerit, facere fructus suos, et distributiones lucrari.* Spoletana. die 23 Augusti 1793.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Loco distributionum quotidianarum in Ecclesia Collegiata olim Parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi S. Angeli per Capitulare statutum ab Episcopo approbatum anno 1718. punctaturæ absentium fuerunt subrogatæ. Modo vero Canonici institutionis de Rubeis bona Canonicatum in se divisa retinent; Canonici fundationis de Corradis dividunt pro æquali rata parte sortium fructus, nec habent distributiones. Morem hunc improbarunt Episcopi, ac a Terentio Cassoli Canonico fundationis de Rubeis postulatum est, ut quæ de communi Massa, et quotidianis distributionibus in Bulla erectionis præfinita sunt exequantur. S. C. proinde declaravit, inter cunctos Canonicos esse locum confectioni massæ communis omnium et singulorum fructuum, reddituum, et proventuum jurium, et emolumentorum provenientium tum ab hæreditate de Rubeis, tum ex legato Petri Corradi: Pisauren. Massæ Communis 25 Januar. 1783. dub. 2.

(2. Ac dividendæ sunt hujusmodi distributiones quotidianæ inter illos ad formam Bullæ erectionis peractæ a Clem. XI. Pont. Max. anno 1718. in qua sic statuit de reddituum partitione, « ut omnia et singula fructus, et emolumenta hæreditatis primo dicti Testatoris provenientia in unam massam communem congeri debeant, et ex illa ducatis duodecim auri pro cujuslibet ex quatuor piorum, et trium posteriorum Canonicorum pro præbendis detractis, reliqua omnia, ac etiam incerta quæcumque in usum distributionum quotidianarum inter dictos quatuor priores et tres posteriores Canonicatus præbendas obtinentes, ac horis Canonicis aliisque Divinis Officiis interessentes, juxta providam ordinationem desuper faciendam dividenda, et repartienda cedere, et converti debeant. » *Ibid.* dub. 4.

(3. Interroganda est S. C. an sit tolerandi consuetudo, qua Capitulares Ecclesiæ Cathedralis in ingressu solvant libras quadrigentas, seu verius 424. ad augendam et conservandam massam distributionum quotidianarum, ita ut, qui non solverit omni penitus quotidianarum distributionum fructu privetur? S. C. negativum dedit responsum juxta

Digitized by Google

votum Card. Relatoris, qui ait : « Quo vero ad dubium secundo loco propositum spectat, respondendum esse ducerem Negative. » Inde validas affert, atque doctissimas rationes ad præfatam consuetudinem removendam. Ecclesien. Oner. et Distrib. die 9 Sept. 1786. dub. 2.

(4. Et ad interrogatum quonam modo ea distributionum massa confici debeat? responsum fuit, applicandas esse massæ distributionum duas ex tribus partibus, relicta tertia parte pro legatis piis, in reliquis juxta votum Card. Relatoris qui locutus est : « Equidem hoc modo respondendum arbitrarer. Prævia sanatione impetranda a SSmo applicandam esse massæ distributionum medietatem omnium Capitalium et fundorum Capituli tunc existentium, relicta alia medietate pro legatis piis et in posterum obligandos esse omnes Capitulares, ut in eorum ingressu solutæ mediam annatam novæ præbendæ forte non adæquent, id, quod deest, tantum erit addendum. » *Ibid.* dub. 3.

(5. Nicolaus Cepollarius, et Nicolaus Vico præbendati Ecclesiæ Collegiatæ S. Donati, quæ unita fuit alteri Collegiatæ SS. Petri, et Pauli indultum Studiorum causa impetrarunt. Hi indultarii erant Præbendati Ecclesiæ S. Donati, et secundum taxam ejusdem Ecclesiæ, quæ aliarum minor erat, tertiam distributionum partem dimiserunt. Capitulum autem cœpit contendere dimetiendas esse distributiones juxta majorem alteram Ecclesiæ SS. Petri et Pauli taxam ad formam præfatæ unionis Bullæ, et proposito dubio, quomodo nam essent amittendæ distributiones? non fuit ulla data definitio ; sed voluit S. C. ut referretur Archiepiscopo juxta instructionem. Firmana die 19 Maii 1787.

(6. Unita ita fuit Ecclesia Collegiata S. Donati Montis Ulmi alteri SS. Petri et Pauli, ut sua quælibet retineret bona, Præpositus, qui prima erat dignitas, et Parochus fuit. At Præpositus SS. Petri et Pauli descendit ad secundam sedem nomine Archidiaconi. Prima Dignitas SS. Petri et Pauli distributiones capiebat in tertia parte majoris Canonicalibus; eas ab ipsa unione percepit translatus Præpositus S. Donati, æque ac Archidiaconus, qui in sua exigendi possessione continuavit. Modo autem contendunt Capitulares de exequendis inter eum et Canonicos distributiones. Sed Præpositus Nicolaus Barba SS. Petri et Pauli observantiam soliti efflagitat. S. Congregatio rescripsit ei distributiones quotidianas juxta votum Archiepiscopi deberi : Firmana Distrib. die 15 Maii 1790.

(7. Dubio in S. C. proposito, an et quomodo Capitulares Ecclesiæ Collegiatæ Divi Petri absentes a choro tempore divinorum officiorum, et in eadem Ecclesia celebrantes lucrari possint distributiones quotidianas juxta eorum veterem consuetudinem? respondit S. C. negative juxta votum Episcopi, et Constitutiones Episcopi Facchinetti : « Qui censet ut Capitulares tempore chori haud possunt discedere a choro, causa missam privatam celebrandi ad legatorum satisfactionem, vel ad propriam commoditatem »

nisi in casu necessitatis cum licentia Præfecti, servata antianitate, et cum his consonant Constitutiones Facchinetti : Spoletana servitii Chori die 28 Febr. 1795. dub. 3.

(8. Et ad alterum dubium, an et quomodo Capitulares absentes ad audiendas Confessiones in eadem Ecclesia, quo tempore Confessiones audiunt pro præsentibus haberi debeant? negativum datum est responsum juxta votum Episcopi : « Hic putat ut excipiatur Prior qui curam animarum adnexam habet, et Capellanus Curatus, nec non Capitulares deputati ab Ordinario in casu alicujus Populi confluentiæ non obstante contraria consuetudine prisca. » *Ibid.* dub. 4.

(9. Postmodum ex narrato dubio tertio orlæ sunt novissimæ quæstiones; quum Card. Relator in voto fuisset, Capitulares omnes esse obligandos, ut in eorum ingressu mediam annatam solverent eidem massæ distributionum; hinc dubitatum, an illi Capitulares, qui ante Sac. Cong. Decreta, ut in dubio prædicto 2. libras 424. massæ distributionum numeraverint, post aliam præbendam assecuti sunt ; debeant persolvere dictam mediam annatam; seu potius antiqua consuetudo retinenda sit, qua is, qui eam summam semel dedisset, nihil aliud solvere debeant, licet præbendam pinguiorem accipere? S. C. respondit juxta votum Card. Relatoris : « Card. Relator censet respondendum : Ad 1. negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta modum, nempe si libellæ 424. semel a Capitulari in suo primo ingressu solutæ, mediam annatam novæ præbendæ forte non adæquent, id, quod deest, tantum erit addendum. » Ead. Caus. die 17 Junii 1797. dub. 1.

Inde; an illi Capitulares, qui post illa decreta in Capitulum ingressi solam mediam annatam dederint, si deinde ad aliam præbendam admittantur, novam mediam annatam tum præbendæ tum distributionum pendere teneantur? respondit pariter juxta votum Card. Relatoris « Qui putat respondendum Ad II. Negative pariter juxta modum, nempe quod si prior media annata jam soluta, novam alterius præbendæ non adæquet, quod deerit, suppleri oportet. » *Ibid.* dub. 2.

Et ad dubium, num Capitulum licite possit beneficii possessionem impedire antequam Capitulari scripto, et cum alterius Fidejussione se obliget, se ex fructibus perceptis mediam annatam soluturum, et eorum quantitatem legitimis documentis probaturum? rescripsit S. C. affirmative juxta modum, « Nempe facta obligatione, et præstita Fidejussione solvendi mediam annatam constituendam ut in sequentibus. » *Ibid.* dub. 3.

Denique dubiis, num in mediæ annatæ rationibus subducentibus detrahere oporteat impensas tum certas et stabiles, tum arbitrarias et extraordinarias?

Num de anno tam sterili, quam fertili ratio simul habenda sit?

Num mediæ annatæ quantitas æstimari debeat a die, quo præbendæ successor pos-

Digitized by Google

sessionem adipiscitur, an a die ipso, quo illa vacant facta est?

An et quomodo sint liquidandi cujusque præbendæ redditus ad certam in futurum constituendam mediam annatam? ad omnia dedit responsum S. C. affirmativum juxta votum Card. Relatoris : « Qui recte animadvertit, ut respondeatur postremis quæstionibus, et censet scribendum Episcopo ut jubeat per Capitulum statum decennii confici redditum singularum præbendarum..... Cum autem in lapsu decennii æqua etiam habeatur ratio annorum tam sterilium, quam fertilium, verissime et justissime colligetur valor mediæ annatæ : ea enim erit dimidium decimæ partis illius summæ, quæ superest ex summa facta decennalis redditus tam Ordinarii, quam extraordinarii, detractis tamen ante expensis omnibus per decennium factis sive ordinariis, sive extraordinariis ; » *ibid.* dub. 4, 5, 6 et 7.

(10. Quotidianas Distributiones lucrari non posse Canonicos Cathedralis Ecclesiæ S. Miniatis absentes a Choro ad audiendas confessiones in eadem Ecclesia tempore Choralis officiaturæ, quia pro præsentibus haberi nequeunt, excepto tamen Pœnitentiario. Sacra Congregatio definivit. In S. Miniatis Visitationis Sanctorum Liminum 8 Februarii 1814, I Dub.

Easque emittere debere Canonicos absentes ad Missam in eadem Ecclesia celebrandam tempore Divinorum Officiorum, nisi de licentia Præfecti ob Populi commodum id egerint. *Ibid.* ad II Dub.

Reprobavit præterea consuetudinem, quæ interessentes Choro medietatem quotidianarum Distributionum percipiunt ad Missam conventualem, et medietatem ad Vesperas et Matutinum, volultque ut singulis canonicis horis lucrarentur ; *ibid.* ad III Dub.

Concessit denique indultum absentiæ a Choro duobus Canonicis Episcopum comitantibus in sacra Visitatione juxta antiquam consuetudinem cum facultate ob tenuitatem præbendarum percipiendi quotidianas distributiones perinde ac si Choro interessent. *Ibid.* ad IV Dub.

(11. Ob ecclesiæ utilitatem, juxta votum Episcopi, Divisionem Massæ Capitularis in totidem præbendas, excepta tertia parte bonorum arbitrio Episcopi assignanda pro Massa distributionum ad formam Concilii Tridentini concessit Sacra Congregatio Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi S. Joannis Verulanæ Diœcesis, qui ex bulla erectionis Capitularem Massam communiter administratam habebant, cujus fructus in singulos annuatim dispertiebantur. In Verulana Divisionis Massæ Capitularis 29 Martii 1814.

(12. Vacantis Capellaniæ reddituum, ac onerum a Petro Giustini fundatæ Antonius et Joannes Baptista ex eadem familia Giustini a fundatore passive vocati, pari studio ad subdiaconatum promotionem cupientes, sed pari inopia laborantes, efflagitarunt una cum Genitoribus patronis activis divisionem, quam pro æquali rata concessit S. Congregatio per Breve, ita tamen ut in casu obitus alterutrius reverteretur favore Superstitis, et unica in posterum evaderet Capellania ad formam fundationis. In Tyburtina Capellaniæ 26 Aprilis 1814.

(13. Onus impositum a S. M. Xisto V, ultimo Canonico Cathedralis Septempedanæ subministrandi Canonico Theologo congruæ titulo annuum reditum octo Salmarum tritici, et decem Vini postulanti Canonico Paladini, ut in singulas Canonicales primæ Erectionis Præbendas, in Archipresbyteralem vero pro duplici præstatione ad respectivas eorum vacationes divideretur, hanc divisionem tum quia omnes de eadem Massa participabant, et in id consentiebant (excepto Pœnitentiario, ne Coadjutorem lædoret), tum quia ultimi Canonici Præbenda imparaverat ad hoc onus ferendum, concessit Sacra Congregatio salvo tamen jure quæsito a Coadjutore dicti Canonici Pœnitentiarii quoad immunitatem ab hoc onere ut proposuit Episcopus. In S. Severini Divisionis oneris 30 Augusti 1814.

(14. Fructus et distributiones omnes pro toto tempore absentiæ lucrare debere definivit S. Congregatio Sacerdotem Josephum Jarani Beneficiatum Ecclesiæ Cathedralis Reatinæ, quia Residentia abfuit, ut se subtraheret a perquisitione, et ne cogeretur præstare reprobatum juramentum fidelitatis In Reatina Fructuum, et distributionum 18 Martii 1815.

(15. S. Congregatio antequam aliquid decerneret circa quotidianas distributiones præteritas, et currentes Collegii Beneficiatorum Basilicæ S. Laurentii in Damaso, commisit Emo Vice-Cancellario ejusdem Basilicæ Commendatario, ut idem Collegium cogeret ad exhibendam redditionem rationum, indicta erogatione subventionum provenientium tum ex Chyrographo S. M. Pii VI, tum ex indultis Sacræ Congregationis, et ex his referret cur solutis currentibus mensualitatibus non essent ex annuo superextanti reditu solvendæ, si quæ sunt, mensualitates adhuc debitæ, et cui in posterum si redditus augeantur vel minuantur, non sint proportionabiliter pro rata augendæ, vel minuendæ mensualitates ad formam Bullæ erectionis, et prout de jure. In Romana Distributionum 14 Aprilis 1821.

(16. Distributiones tantum, quæ ex voluntate Benefactorum solis præsentibus debentur, amittendas esse dixit Sacra Congregatio ab Ambrosio Mignanti Canonico Collegiatæ Tulpharum Sutrinæ Diœcesis; quia pro primo triennio amplissimo gaudebat Apostolico indulto abessendi a residentia. Verum cum hoc indultum pro secundo triennio confirmatum fuerit cum clausula amittendi distributiones, quæ dicuntur fieri inter præsentes Sacra Congregatio censuit, Canonicum Mignanti hoc indulto perfrui debere, perinde ac si illi adjecta fuisset formula amissis cum solitis clausalis præterea a die 27 Maii 1822. ad taxam ab Episcopo statuendam, eleemosynam a Canonico Mignanti

Digitized by Google

illi, qui munus Canonicatus pro ipso exercuit, vel exercet, tum pro celebratione Missæ statutis horis, tum pro servitio altaris solvendam esse declaravit. In Sutrina Indulti 24 Maii 1822, ad I, II et III Dub.

(17. Decretum Episcopi Placentini, quo præbendarium Jacobum Tinelli unius mensis *distributionum* amissione mulctavit, quia hic alterius Præbendati Cadaver juxta dispositionem Synodi Sega deferre recusavit, confirmandum esse statuit Sacr. Congreg. Verum ob circumstantiarum mutationem hujusmodi resolutioni aliquid ad mentem Emi Patres addiderunt. Quo vero ad mulctæ restitutionem voluit S. Congreg. ut Episcopum supplicaret Tinellius. In Placentina dilationis Funerum, 24 Maii 1822, ad I et II Dub.

(18. Distributiones quotidianas a Francisco post a Canonico Decano Ecclesiæ Cathedralis Alatrinæ perceptas, dum erat absens a residentia infirmitatis causa, quamvis absque Apostolico indulto, restituendas Capitulo non esse, imo hoc teneri illius hæredibus præstare distributiones retentas decrevit Sacr. Congreg. In Alatrina Residentiæ, 9 Julii 1822, ad I et II Dub.

(19. Declaravit Sacr. Congreg. etiamnum firmum remanere indultum Choralium *Distributionum* Lisanis Canonicis Archiepiscopum Diœcesanum perlustrantem comitantibus concessum die 1 Septembris 1832, in Pisana Visitationis 28 Martii 1835, ad 3 dub.

(20. Declaravit Sacr. Congreg. etiamnum remanere indultum Choralium Distributionum Pisanis Canonicis Archiepiscopum Diœcesim perlustrantem comitantibus concessum die 1 Sept. 1832, in Pisana Visitatio 28 Mar. 1838, ad 3. dub.

(21. Contendentibus Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Prænestinæ punctaturas, pro his decem mensibus quibus Canonicatus Jacobellii supra numerum vacuus fuerat, per Aloysium Marinium ejusdem possessionem invectum esse persolvendas, licet universas per id temporis Canonicatus reditus subcollector spoliorum acceperit; Eminent. Patres omnibus mature perpensis: punctaturas quidem esse solvendas rescripserunt, verum a Subcollectore Spoliorum. In Prænestina Distributionum 25 Maii 1838.

(22. Inspecta legitima proprii muneris causa, statuit S. C. Vicarios Curatos Metropolitanæ Ecclesiæ Pisanæ frui debere distributionibus pro diebus, et horis quibus ratione officii a Choro absunt, exceptis iis quæ dicuntur inter præsentes, onerata tamen eorum conscientia, in Pisana Jurisdictionis, et Jurium 27 Julii 1839, ad 7 dub.

(23. Easdemque Distributiones debitas esse dixit etiam Cæremoniarum Magistris Archiepiscopo, et Capitulo; necnon Cæremoniariis Magistratui, et publicæ Universitatis inservientibus, dummodo in Metropolitana Ecclesia proprium munus exerceant, decrevit S. C. in eadem Pisana 27 Julii 1839, ad 8 et 9 dub.

Quoad Capellanos in organo canentes cum Musicis, eos Distributionibus privavit; quippe certum stipendium ex eo munere obtineant, excepto tantum actuali Capellano, attentis peculiaribus circumstantiis, in eadem Pisana ad 10. dub.

Item pro sui muneris ratione distributiones tribuit Camerario pro Capituli negotiis absenti onerata, omissis distributionibus inter præsentes tantum in eadem 11 dub.

(24. Minime pro distributionibus percipiendis suffragata est Capellanis ejusdem Universitatis, causa præsidendi Spiritualibus Exercitationibus ad Parochorum, atque Ordinandorum utilitatem absentibus, eique denegandas definivit, in eadem Pisana 27 Julii 1839. ad 12 dub.

(25. Distributiones, quas post diem 4 Decembris anni 1837 perceperunt Officiales Capellani prædictæ Ecclesiæ Metropolitanæ, quo die lecta fuerunt responsa S. Congregationis, Emi PP. decreverunt bona fide fuisse perceptas. In eadem Pisana 27 Julii 1839. ad 13 dub.

Quum porro in more positum sit ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ Pisanæ Distributiones, quas absentes a Choro amittunt in utilitatem præsentium non cedere, sed in unum collectas ab Archiepiscopi arbitrio pendere, qui partim diligentioribus in præmium, partim in fundi augmentum impendit, rogati EE. PP. an approbanda sit erogatio residui Massæ Universitatis, rescripserunt affirmative attenta peculiari fundatione, et in casu de quo agitur. In eadem Pisana ad 14 dub.

(26. Sassavitanæ Cathedralis Archipresbyter Angelus Manga Simon, per duos menses recreationis causa Turrim quotannis recedens, choro deservire suevit una cum Capellanis addictis illi Basilicæ de Capituli pertinentia (a qua olim cathedra Episcopalis Sassarim translata est) quin distributionis Sassavitanæ Cathedralis interim amitteret, juxta morem apud Capitulum invectum; dubius modo, an id tuto fieri possit, a S. Ordine petiit veniam quoad futurum, condonationem quoad præteritum: at EE. PP. priori petitione rejecta, improbandam esse assertam consuetudinem edixerunt ac mandarunt Archiepiscopo, ut curaret omnino observari præscriptum SS. Tridentini Concilii sess. 24. Cap. 12 de ret. quoad alteram vero rescripserunt, esse consulendum SSmo erogata aliqua eleemosyna ab Ordinario taxanda favore Sacrarii. In Turritana Distributionum 1 Febr. 1840. ad 1 et 2 dub.

(27. Cum in litteris Apostolicis, quibus Ceriniolensis Ecclesia ad Cathedralem erecta fuit, statuerit Summus Pontifex ut demptis præstationibus assignatis Episcopo, Seminario, Canonicis, ac Mansionariis, nec non expensis pro fabrica Ecclesia, Sacris Supellectilibus, ac inservientium stipendiis superextantes reditus, qui tertiam partem totalis summæ Capitularibus, ut præfertur, assignatæ constituunt, in usum distributionum quotidianarum fideliter convertantur — factum est convertendos esse in quotidianas distributiones reditus superextantes, pro ratione tantum tertiæ partis singularum præbendarum, ut Capitulares quidquid superaverat, distributionis titulo sibi adjicendum

Digitized by Google

usque ad presens judicarint : at vero hodiernus Antistis contendit convertendos esse in quotidianas distributiones reditus superextantes pro ratione tantum certiæ partis singulorum præbendarum, atque ita declarari petiit a S. Ordine, qui primum definitionem protelavit, ut probationes hinc inde coadjuvarentur, mox eam protulit Episcopi votis adversam. In Asculana, et Ceriniolen. 11 Julii et 22 Augusti 1840. ad 1. dub.

(28. Abessendi Rescripto quo donatus fuerat Joseph Maria Constantini Tufi Anagninæ Cathedralis Canonicus, ut Vicarii Generalis munere Albano fungeretur, ita tamen ut — omnes, et singulos sui Canonicatus fructus, reditus et proventus, exceptis tamen distributionibus quæ fieri dicuntur inter præsentes, percipere possit, periude ac si choro personaliter interesset; comprehendi declaravit S. Congregatio nedum distributionem frumentariam, sed pecuniariam quoque, quæ penes illud Capitulum in more est : atque ideo ab A. 1829. quo hanc petierat restituendam fore ab aliis Capitularibus, qui illegitima perceperant per plures annos. In Anagnina Distributionum 22 Augusti 1840.

DOMINIUM.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. S. Cong. declaravit P. Venantium a SSma Conceptione e D. Theresiæ familia jure optimo, qua Ordinis Procuratorem potuisse emere vineolam quamdam sitam in Collibus Pariolis, eodemque jure posse modo ad Canonis Affrancationem procedere, in Romana Recognitionis in Dominum die 21 Novembr. 1838. 1, 2 et 3 dub.

DOS, DOTARE.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Subsidia Dotalia tribuenda veniunt puellis e testatore descendentibus usque ad decimum gradum, juxta regulas intestatæ successionis : Firm. Subs. Dot. 10 Jan. 1778. § 10.

(2. Nominatio facta ad subsidia dotalia per eum, qui substitutus fuit in causa renitentiæ alterius substineri debet : Pren. Sub. Dot. 24 Jan. 1778. § 7.

(3. Contraria testatoris voluntate resitente, non admittuntur puellæ cum testatore conjunctæ ad consecutionem subsidiorum dotalium ultra quartum gradum juxta jus civile dimetiendum : Rom. Subs. Dot. 17 Junii 1778. § 3.

Contrarie resistens voluntas tunc dicitur, quando testator proneptem suam exclusit; *ibidem* § 10.

(4. Dos potius agnatis, et cognatis testatoris, dummodo pauperes sint, ex præsumpta ipsius voluntate, quam extraneis puellis est tribuenda. Terr. Sub. Dot. 15 Jan. 1780. § 4.

Imo ex æquitate affinibus, et consanguineis, quamvis longiori gradu a testatore sejunctis ; *ibid.*

Nihil vetante easdem nuptas esse, si, sub spe, et recursu pendente, pro assequenda dote, sese in matrimonium copulaverint; *ibid.* § 5.

(5. Dotis solutio negari non potest sequutis nuptiis Terr. Subs. Dot. 15 Jan. 1780. § 5.

(6. Dos debetur pauperibus puellis a testatore quomodocumque descendentibus ex parte bonorum, quæ in Ecclesiam collata fuere ab eorum auctoribus. Sutr. Dot. 17 Jun. 1780. § 6.

Maxime si accedat voluntas fundatoris imminuendi opus pium, imminutis reditibus; *ibid.*

(7. Subsidia dotalia tribuenda veniunt puellis in quarto gradu cum testatore conjunctis, licet testator nullam assignaverit prælationem : Ter. Sub. Dot. 22 Decem. 1781. § 8.

Sed ex intuitu naturalis charitatis, atque præsumpta testatoris affectione erga ejus consanguineas, præsertim si summa egestate laborent ; *ibid.*

(8. In Rota Romana non semel factum est dubium, an dotalia subsidia, quæ redeunt ad loca pia, ex quo puellæ sorte extractæ inuptæ decedant, vel contracto matrimonio sine filiis moriuntur, aliis sint conferendæ. Aes. Sub. Dot. 21 August. 1784. § 5.

Et firmatur regula, ut hujusmodi dotes sive post matrimonium, sive ante nuptias quomodocumque restituendæ sint, impendendæ in dotandis aliis puellis ; *ibid.*

Ac ratio est ex verosimili mente testatoris, in dotium institutione nullam peculiarem personam respexit, sed solum præ oculis habuit causam piam; *ibid.*

(9. Attinentes sanguini testatoris venire possunt ad petendum subsidium dotale, aut ob consanguinitatem, aut ob paupertatem, et si utroque nomine petant, cæteris præferendæ sunt : Fan. Sub. Dot. 12 Mart. 1785. § 4.

(10. Impensas litis a collatoribus subsidiorum dotalium a pio Fundatore Jacobo Fornaciari ex oppido Carticeti ad explanandas puellarum admittendarum qualitates, et prælationem factas, sumptibus hæreditatis ejusdem testatoris faciendas, judicium S. C. fuit : Fanen. Subsid. Dot. 9 Aprilis 1785. dub. 5.

(11. Pro dotium cumulo paupertas, et simul conjunctio cum sanguine testatoris plurimi facit : Rom. 3 Mart. 1787. § 2.

Maxime si ad dotes vocatæ sunt puellæ incertæ, et nulli propterea sit injuria ; *ibid.*

(12. Æquum est ut puellæ tamquam consanguineæ testatoris, extraneis præferantur puellis, et suam dotem ex medietate etiam subsidiorum relictorum consequantur : Rom. Sub. Dot. 7 Jan. 1788. § 6.

Maxime si vocatæ ad subsidia dotalia sint puellæ incertæ, et nulli idcirco fit injuria; *ibid.*

Digitized by Google

(13. Nullis extantibus puellis de familia vocata, extraneis, tamquam incertis nulla fit injuria, si consanguineæ testatoris quibus præsumpta favet illius voluntas præferantur: Rom. seu Sub. Dot. 26 April. 1788. § 4.

(14. Præstanda non sunt subsidia dotalia puellis consanguineis, quæ proprias ex eodem testamento dotes habent: Rom. Sub. Dot. 7 Jun. 1788. § 7.

(15. Per cumulum cum expectatum subsidiorum dotalium, inanis reddi quemadmodum non debet Pontificia gratia quin effectum habeat Rom. Subs. Dot. 7 Jun. 1788. § 6.

(16. Dos jure actionis debita post secutam etiam professionem, vel matrimonium vindicare potest: Cæs. Subs. Dot. 29 Nov. 1788. § 13.

(17. Potest determinari in secunda donatione numerus, ac quantitas dotium, quæ ex prima ab incerto pendebat a Majorum vel minorum fructuum eventu. Cæsen. Sub. Dot. 29 Novembr. 1788. § 7

(18. Nulla est ratio, cur alieni subsidii particeps fiat: Rom. 17 Jan. 1689. § 3.

(19. Suspendi possunt dotes si per eam certæ dimittentur puellæ, quibus pollicitum est subsidium, idemque suspenderetur beneficium incertis quibus idcirco nulla fieret injuria. Rom. Susp. Dot. 4 Apr. 1789. § 5.

(20. Puellæ adlectæ, quæ paternam sequuntur originem excluduntur penitus a subsidiis dotalibus, quæ originariam Civitatem requirunt. Foros. Subs. Dot. 8 Aug. 1789. § 5.

(21. Ei tributa est potestas eligendi puellas cui datum est arbitrium distribuendi subsidia Foros. Sub. Dot. 8. Aug. 1789. § 8.

(22. Potior est anterior nominatio ad subsidium dotale: Foros. Sub. Dot. 8. Aug. 1789. § 7.

(23. Quandoque subsidia dotalia ad tempus assignantur pro alenda Consanguinea testatoris in Monasterio si testator hunc casum non prævidit. Rom. Sus. Dot. 19 Septem. 1739. § 3.

(24. In quolibet dubio de jure subsidii dotalis pronunciandum est pro puellis in Domino nubentibus. Clar. Subs. Dot. 5 Jan. 1790. § 6.

(25. Caducata dos accrescit Legatario qui respectu rei legatæ quodammodo hæres est. Rom. seu sp. Subs. Dot. 20 Mar. 1790. § 5.

Quando ad certam testator non respexit puellam in specie, sed ad opus pium donationis in genere, per locum pium addici non potest, sed iterum caducatæ dotes sunt conferendæ. *Ibid.* § 8.

(26. Quoad dotes caducatas attendi observantia debet. Rom. seu Sp. 20. Mar. 1790. 6.

(27. Subsidium dotale relictum est sub conditione, quatenus puellæ nubant, eaque idcirco deficiente legatum extinguitur Rom. Seu sp. Subs. Dot. 20. Mar. 1790. § 5.

Maxime si de relicto agatur extranei quod omnino requiritur, ut nuptiæ sequantur. *Ibid*

(28. Jus nominandi puellas ad certum subsidium dotale primo actu consumitur. Rom. seu sp. 20 Mar. 1790. § 6.

29. Subsidia dotalia censentur relicta paupertibus puellis, nisi eis obsint divitiæ paternæ. Nul. Fer. Pont. subs. Dot. 15 Jan. 1791. § 5.

Eisque tantum concedi etiam consuetum est cumulum. *Ibid.*

Et vocatis a testatore puellis debetur jus actionis; *ibid.* § 6.

Ubi unum testator in puellis dotandis expressit requisitum consanguinitatis, noluisse censetur alterum paupertatis. *Ibid.*

(30. Subsidium dotale consequi debet puella quæ qualitatibus a testatore requisitis pollet. Rom. seu Null. Subl. leg. 26 Mar. 1791. § 4.

(31. Ad dotalia subsidia incertis puellis relicta ex naturalis charitatis ordine præferri debent consanguineæ, eisque pauperibus cumulus etiam conceditur. Assis. Subs. Dol. 16 April. 1791. § 2.

Præsertim consanguineis, qui non possunt congruam, et maternæ similem dotem expectare a proprio genitore, inspecta patrimonii tenuitate. *Ibidem.*

Et illis pauperibus conceditur etiam illarum cumulus. *Ibid.* § 3.

Atque concedendus est ad honestatem dotandæ. *Ibid.*

Et si deberetur dos jure actionis, seu expressa testatoris voluntate, concedenda est in eadem quantitate dotis maternæ. *Ibid.*

Ac etiam conceditur ad meram quantitatem potius, ut subsidiaria fert c' tatio. *Ibid.*

Et favor consanguineæ vincit incertas puellas, quibus nulla fit injuria. *Ibid.*

(32. Dotalis subsidii petitio non admittitur post contractum Matrimonium. Melv. Subs. Dot. 6. Aug. 1791. § 4.

Prodest tamen si facta fuerit ante contractas nuptias. *Ibid.*

(33. Dos congrua demetienda est ex viribus paterni patrimonii, solitoque familiæ, subsidiaria vero ad necessitatem. Luc. Subs. dot. 27 Aug. 1791. § 4.

(34. Consulendum est puellis vocatis pauperibus, quum aliarum concurrentium adsit incertitudo, quibus nulla fieret injuria. Im. dot. 18 Septemb. 1791. § 6.

Nec abest actio suis filialibus competens pro consecutione dotis super ascendentali fideicommisso pii testatoris. *Ibid.*

Quando ex eodem fideicommisso detrahendum nihil remanet, et summa a testatore designata, consumpta est. *Ibid.*

Limitatur, si testator vocaverit puellas egenas, quia tunc requiritur paupertas absoluta. *Ibid.* § 7

Vel si consanguineas testatoris consequi possint dotem a fideicommisso avito, non obstante prohibitione alienandi præter summam designatam. *Ibid.*

(35. De jure subsidia dotalia pauperibus relicta censentur. Vel. Subs. dot. 23 Febr. 1793. § 11.

Eisque dumtaxat concedi solet illorum cumulus. *Ibid.*

Subsidiorum dotalium cumulus denegatur, accedente aliarum puellarum præjudicio. *Ibid*

Digitized by Google

(36. Ad dotalia subsidia relicta consanguineis præfertur pauperior, licet remotior. Vel Subs. dot. 23 Feb 1793. § 4.

Conceditur secundum alios prælatio consanguineæ proximiori tanquam magis dilectæ, ob similia præsertim exempla. *Ibid.* § 12.

In prælatione consanguinearum testatoris non infertur præjudicium puellis, quæ jus incertum habeat, cum non vocentur puellæ certi generis. *Ibid.* § 6.

(37. Dotes relictæ *per il maritaggio di una zitella* non debentur nuptis. Sub. Dot. 7 Febr. 1794. § 8.

Impedita facultas petendi ante nuptias legatum, æquivalet petitioni, quæ jus nuptis servat ad dotem. *Ibid.*

(38. Dotis legatum accipi debet de manu hæredis. Spol. subs. Dot. 8 Febr. 1794. § 5.

(39. Dotes annuæ sex, totidem scutorum pro qualibet per hæredes Francisci Viarum non collatæ sunt usque ad numerum 83, et missæ non celebratæ in numero 3022, sed summa pro hac omissa distributione, et celebratione soluta fuit in manibus Parochi S. Jacobi Maticati superioris. Hinc implorata absolutio ab utroque omisso onere per solutionem purgato concessa fuit. Novarien. 8 Feb. 1794. dub. 2.

(40. Dotale subsidium certo puellarum generi relictum non debetur puellæ diversi generis, nisi agatur de consanguineis testatoris. Rom. Dot. 31 Maii 1794. § 3 et 4.

(41. Fructus sortis subsidiorum dotalium sequuntur illius naturam, et subsidia dotalia pariter erogari debent. Rom. Subs. Dot. 31 Maii 1794. § 1.

(42. Pauperes consanguineæ testatoris præferri debent ad dotalia subsidia pauperibus puellis in genere relicta. Rom. Sub. Dot. 12 Julii 1794. § 4.

Inspectis potissimum aliarum consanguinearum exemplis. *Ibid.*

Nulla enim incertis puellis vocatis fit injuria. *Ibidem.*

Ubi nullæ sunt consanguineæ vocatæ, admittuntur ad dotalia subsidia ultra decimum gradum. *Ibid.* § 5.

Consanguinitas non probatur ex sola identitate cognominis. *Ibid.*

(43. Consanguineis æquiparentur amici. Mac. Red. miss. 12 Julii 1794. § 5.

(44. Consanguinearum vocatio ad certa subsidia earum vocationem excludit ad alia subsidia dotalia. Rom. sub. Dot. 12 Julii 1794, § 6.

(45. Dos relicta puellæ non debetur nuptæ, Nul. Ter. Pon. subs. Dot. 16 Aug. 1794. § 5.

Si ejus vero petitio præcessit nuptias integrum servatur jus petentis. *Ibid.*

Cum sicuti Consanguineæ debeatur subsidium dotale jure actionis debetur etiam diviti. *Ibidem.*

(46. Ad administratorem, et executorem testamentarium pertinet subscriptio, et traditio schedæ dotalis. Nep. dos. Sup. Trad. Sch. 24 Jan. 1795. § 3.

(47. Factum collatoris subsidiorum dotalium impugnari nequit nomine incertarum puellarum, quibus nulla sit injuria. Fir. Tran. 13 Jun. 1795. § 14.

(48. Concedi debet puellis consanguineis cumulus dotium, ad quam incertæ vocantur puellæ. Firm. Red. Oner, 18 Julii 1795. § 3.

(49. Puellæ consanguineæ testatoris, et pueres merentur cumulum subsidiorum dotalium. Cam. Subs. dot. 22 Aug. 1795, § 4.

(50. Promissa debentur subsidia dotalia quatenus puellæ nubent. Cam. subs. dot. 22 Aug. 1795. § 3.

Maxime quia ad lectionis privilegium in odium verteretur puellarum, quæ potiorem habet originis qualitatem. *Ibid.*

(51. Locus non est dotationi puellarum nisi alia impleantur in antecessum a testatore præscripta. Arim. Subs. dot. et Fabr. Eccl. 26 Septembr. 1795. § 6.

Dotatio consanguineæ, demandata ratione sanguinis, non habet privilegium piæ causæ. *Ibid.*

Ubi testator ad subsidia dotalia vocavit puellas certæ familiæ, cum adjectione cognominis, excludere voluisse censetur cognatas. *Ibidem.* § 7

Nisi vocaverit etiam puellas descendentes ex femina. *Ibidem.* § 8.

Earumque vocatio continetur in vocatione descendentium ex domo vel familia. *Ibidem.*

Inter ipsas vero vocatas præferri debent proximiores primo hæredi, atque ætate majores. *Ibidem.*

(52. A dotalibus subsidiis relictis pauperibus puellis in genere, exclusæ censentur consanguineæ; quarum familias aliter testator contemplavit. Rom. Subs. dot. 20 Febr. 1796. § 3.

(53. Subsidium Dotalium cumulus concedi solet pauperibus testatoris consanguineis. Firm. Subs. dot. 8 Febr. 1794. § 5. Ferr. Subs. dot. 23 Junii 1795. § 4.

(54. Potissimæ concedendi dotium cumulum causæ sunt paupertas puellæ vocatæ, sanguinisque conjunctio cum testatore. Ferr. subs. dot. 14 Jan. 1797. § 4.

Et Major in hoc adhibenda est indulgentia erga puellas nubentes in Domino. *Ibid.*

(55. Dotale subsidium scutorum biscentum relictum a Petro Pontoni pauperi puellæ in Domino nubenti, denegatur Theresiæ Ricci, quæ illud præmature postulabat, nondum solutis aliis subsidiis octo præmature pariter collatis. Camerinen. Subsidii Dotalis die 18 Martii 1797.

(56. Dotalia subsidia duo in singulos annos relicta a Stephano Giorgini ad nominationem Sodalitii SS. Rosarii Montis novi, ob auctos bonorum hæreditariorum reditus, augentur ad quatuor per approbationem resolutionis in id editæ a Sodalitio; et permittitur illorum collatio per sortitionem diu servatam in Senogalien. Subsidiorum Dotalium die 6 Maii 1797. ad I et II Dub.

Ac solvendum esse decernitur in quarta dumtaxat redituum parte subsidium puellæ Franciscæ Regno, quæ pendente Sodalium recursu ad Sacram Congregationem pro approbatione eorum resolutionis, Pontificium obtinuit rescriptum pro collatione ejusdem

Digitized by Google

subsidii arbitrio collatorum. *Ibid.* ad III Dub.

57. Dotalia subsidia duo scutorum duodecim cum dimidio pro quolibet favore pauperum puellarum in genere, aliaque duo scutorum viginti quinque pro consanguineis Sodalium SSmi Crucifixi, qui in ea sunt Pergulensis civitatis parte, quæ jurisdictioni subest Abbatis Nonantulæ, recte per Abbatem de ipsorum Sodalium consensu statuta declarantur ex redundantibus reditibus sodalitii, recteque decreta illorum collatio per sortem, licet reservatæ primum fuisset dotes scutorum duodecim cum dimidio ad nominationem Sodalium, Nullius Nonantulæ Subsidiorum Dotalium 6 Maii 1797.

(58. Dotale subsidium Paulinæ Gafa, quod conferri debebat anno 1790, addicitur puellæ Mariæ de Bono, natu majori, in statu cælibi, ut senio confectæ assistere valeat matri, juxta sententiam Melitensis Episcopi, exclusa Maria Antonia Libreri jam nupta, licet cum habilitatione ad subsidium ipsum; Melevitana Subsidio dotatis 17 Junii 1797. ad I Dub.

(59. Dotalia subsidia Putignani, ad quæ per rescripta SSmi effectæ fuerunt habiles Anna Diamilla, Benedicta Sibilio, Maria Gertrudes Contini, et Faustina Brea destitutæ qualitatibus volitis a Testatore, eis denegantur, eis denegata ob subreptionem executione rescriptorum; Romana Subsidiorum Dotalium die 17 Junii et 19 Augusti 1797.

(60. Non obstante rigidissima consanguinearum contemplatione, atque extranearum exclusione in distributione dotium ordinata ab Alphonso Putignani; habiles suis rescriptis quatuor puellas extraneas fecit Summus Pontifex in domino nupturas. Sed rescripta impugnantes nonnulli Sodales S. Mariæ Orationis, et mortis urbis habentes jus nominandi; S. C. non esse locum executioni Rescriptorum decidit; licet Cardinalis Protector Oratricibus faveret; Romana Subsid. Dotal. die 17 Junii 1797. confirmat. 19 Augusti ejusdem anni.

(61. Applicatio item fructuum subsidii dotalis, quod ob defectum puellæ vocatæ investiendum est ex testamento Victoriæ Gasparini favore Forosemproniensis Seminarii, denegatur Johanni Francisco Pellegrini ad alendam ejus filiam in Monasterio, Forosempronien. Applicationis die 9 Sept. 1797.

(62. Conceditur vero Sebastianæ Piccioni, jam ad religiosum habitum admissæ in claustro Monialium SS. Salvatoris Ordinis S. Benedicti Camerini, licet illius Pater eam non habeat paupertatem, quam requirit Testator, Camerinen. Subsidii Dotalis die 16 Decembris 1797.

(63. Dotalia subsidia relicta ab Ansideo Travaglia in summa scutorum quinquaginta pro qualibet, ob auctum numerum pauperum puellarum oppidi Communantiæ reducuntur juxta votum Episcopi ad scuta viginti quinque, firmis tamen remanentibus dotibus per collatores assignatis, (64. aliisque in majori quantitate legatis favore neptum, et descendentium feminarum Testatoris. Montis Alti. Subsidiorum dotalium die 16 Dec. 1797.

(65. Majorem merentur indulgentiam quoad subsidia dotalia consequentia nubentes in Domino, aliarum præsertim exemplo; Cam. sub. die 16 Dec. 1797. § II.

(66. Dotes ob jus ex collatione, certaque vocatione quæsitum, integræ servandæ videantur; Mon. Alt. Sub. Dot. die 16 Dec. 1797. § 5.

(67. Aliæ puellæ, quibus non est jus ad dotalia subsidia quæsitum et sunt incertæ, nullam accipiunt injuriam, per illorum immunitatem. *Ibid.*

(68. Applicationem subsidiorum dotalium in causam erigendi Monasterii denegavit Sacra Congregatio in Hieraren. Applicationis subsidii Dotalis, et Reductionis Missarum die 23 Junii 1803.

(69. Cumulum Dotium ex Legato Martini de Dominis distribuendarum puellis consanguineis fundatoris concessit Sacra Congregatio in summa scutorum centum Theresiæ Felici consanguineæ, consequendum post soluta subsidia jam promissa, jussitque ut suspenderetur in posterum nominatio, donec omnia subsidia jam collata persoluta fuerint. In Nullius Terræ Pontiani die 17 Maii 1806.

(70. Subsidium Dotale Tamburelli ita distribuendum esse decernit Sacra Congregatio, ut unum singulis trienniis daretur puellis Terrigenis Oppidi S. Ginnesi, reliqua vero darentur puellis Agricolis, inter quas numerandas voluit puellas terrigenas agrorum cultui personaliter addictas; in Camerinen. Subsidiorum Dotalium die 16 Augusti 1806.

Subsidium dotale *scut.* 10 : ad quod nominata fuerat ab hospitale B. M. Virginis Catharina Mariotti cum esset innupta, et inclinata ætate obtinuit a S. Congregatione, ut ei solveretur in statu cælibi; in Firmana die 6 Aug. 1808.

(71. Cessionem Subsidii dotalis ex fundatione Benigni, quam fecit Anna Bernardina Nepti suæ Luciæ, reprobavit S. Congregatio; in Spoletana Subsidii Dotalis die 27 Maii 1809.

(72. Cum Paulina Gafa statuisset in ultimis Tabulis, ut unoquoque ineunte quinquennio duabus Puellis consanguineis, virginibus, inopibus, et majoris ætatis duæ solverentur dotes ex biennali reditu unaquæque constans assignati fundi; quinti vero anni reditus in melioramentum, vel augmentum capitis erogarentur; cumque multæ hujusmodi essent pauperes consanguineæ supplicarunt pro commutatione Voluntatis Testatricis, ut scilicet singulis bienniis duæ dotes solverentur, quod attento augmento capitis, et redituum indulgendum censuit Sacra Congregatio, firma remanente erogatione quinti anni juxta normam fundationis, et salvis juribus Baronissæ Mulier pro integra dote, quam tamquam consanguineam haberi voluit Testatrix; in Melevitana die 14 Junii 1815.

(73. Cumulum Subsidiorum Dotalium in

Digitized by Google

summa Scutorum bis centum solvendum, ex annuis subsidiis dotalibus ex fundatione Salvatoris Scandelloni juxta votum Emi Episcopi assignandum censuit S. Congregatio Sororibus Euphemiæ, et Elisabethæ Scantelloni fundatoris Consanguineis. In Veliterna Subsidiorum Dotalium die 9 Septemb. 1815.

(74. Non esse locum Aperitionis Oris definivit Sac. Congregatio super litteris Pontificiis obtentis a Birgitta Gabrielli, ut habilitaretur ad subsidium dotale conferendum ab Archiconfraternitate S. Catharinæ Senensis in Urbæ erecta, seu descendens a Bisava Senensi, licet extra Urbem moraretur, cum nihil illa verum reticuerit, aut falsum narraverit. In Romana Subsidii Dotalis die 18 Septembris 1818. ad I Dubium.

(75. Non esse locum aperitioni oris super litteris Pontificiis a Birgitta Gabrielli obtentis, ut ad subsidium dotale conferendum ab Archiconfraternitate S. Catherinæ Senensis in Urbe erecta habilitaretur seu descendens a Bisavo Senensis licet extra Urbem moraretur, cum nihil illa verum reticuerit, aut falsum narraverit, rursus definivit S. Congregatio, dum in decisis quoad primum dubium diei 18 Septembris elapsi anni standum esse judicavit. In Romana Subsidii Dotalis die 26 Februarii 1820. ad I Dub.

(76. Dum standum esse censuit Sacr. Congregatio in decisis sub die 18 Septembris elapsi anni quoad secundum dubium iterum judicavit non constare de nullitatis resolutionis Archiconfraternitatis S. Catherinæ Senensis in Urbe erectæ, qua collata fuit Dos Birgittæ Gabrielli tum quia litteræ Apostolicæ habilitationis a Birgitta obtentæ obreptitia, et subreptitia non erant, tum quia ejus Germanus frater (qui tamen a ferendo suffragio se abstinuit) non voluntariæ, sed jussus a superioribus Confraternitatis interfuit resolutioni. In Romana subsidii Dotalis 26 Februarii 1820. ad II Dub.

Ac proinde juxta decretum Visitationis quo cæteris paribus nubentes in Domino præferendæ sunt nubentibus in sæculo post dilatam resolutionem elapso anno, nunc decrevit solvendam esse dotem moniali Birgittæ Gabrielli, non autem Justinæ Bennini jam desponsatæ in sæculo quæ nunc ex jure habilis erat, nec qualificata ex fundatione, sed tantum a SSmo habilitata ad assequendam Dotis collationem etiam post initum matrimonium. *Ibidem* ad III. Dub.

(77. Dotalia subsidia Michieli conferenda esse puellis dumtaxat intra Civitatem Ravennæ ortis, non autem iis, quæ legitimum in eadem Civitate domicilium acquisiverint, respondit Sac. Congregatio, quia dum testator puellas Ravennates ad dotes invitavit, exclusit exortas in ejus territorio vel suburbiis, in Ravennaten 18 Martii 1820. ad 2 dub.

(78. Iisdem vero puellis nominatis ad dotes Michieli præfinivit Sac. Congregatio terminum duorum annorum ad contrahendum matrimonium, quo tamen elapso dos collata puellæ, quo neque nupsit, neque paratam habeat occasionem nubendi, alteri conferatur cito nupturæ; firmo tamen jure favore puellæ, quæ nominationem restituit illum iterum in prima collatione consequenda, quatenus nuptias conciliaverit. *Ibidem* ad 3. Dub.

Dotibus vero collatis, et non solutis ab anno 1779, ad annum 1818, puellis, quarum vel initum matrimonium, vel existentia ignorabatur providendum ita esse duxit Sac. Congregatio, ut intimatis omnibus, quæ intra illud tempus nominationem sunt consecutæ iisque præfixo arbitrio Archiepiscopi Ravennatis termino ad docendum de inito, vel conciliato matrimonio, ac eo elapso denuo nominationes earum, nec non demortuarum conferrentur aliis puellis ad formam fundationis, et resolutionis in dubio præcedenti. *Ibidem* ad 4. dub

Iisdemque de causis duo subsidia dotalia scutatorum quinquaginta conferenda esse a currenti anno duobus puellis Lauretanis, statuit eadem S. Congregatio. *ibid.* ad 4 dub.

Tandem esse consulendum SSmo putavit pro absolutione, et sanatione favore Administratorum, qui post cognitam instantiam Josephi Justiniani tria subsidia dotalia solverunt in summa scutorum 1. 200. in extinctionem trium dotium, quæ collatæ fuerant auctoritate S. M. Pii VI. *Ibi.* ad 9. dubium.

(79. Licet diminuti essent reditus ob reductionem LL. MM. attamen locum non esse dixit S. Congregatio abolitioni duorum subsidiorum dotalium petitæ ab Administratoribus Archihospitalis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum. In Romana Reductionis die 20 Januarii 1821. ad 3 dubium.

(80. Sed concessit ad decennium suspensionem subsidii dotalis tantum conferendi ab eodem Archihospitali, non vero alterius, ad quod jus habent ex testamenti voluntate puellæ Monasterii Sanctorum Quatuor Coronatorum Urbis *ibid.* ad 4 dubium.

Exorto dubio inter tres collatores subsidiorum dotalium Michieli, utrum puella jam nominata ad subsidium posset rursus a quovis ex collatoribus nominari, respondit. S. Congregatio non posse, tum ob consuetudinem, tamquam voluerat testator Michieli, ut quolibet anno tres puellæ nominarentur ad subsidium, nuptui traderentur, atque dos non excederet scuta quadraginta in Ravennaten. 18 Martii 1821. ad 1 dub.

(81. Ad hujusmodi autem subsidia nominandas esse dumtaxat puellas natas intra Civitatem Ravennæ non autem illas quæ domicilium in eadem Civitate legitimo modo acquisierint, statuit eadem S. Congregatio, cum testator Michieli dotes conferre mandaverit puellis Ravennatibus tantum, non autem ortis in ejus territorio, vel suburbiis *ibid.* ad 2 dub.

Confirmavit Sacra Congregatio resolutionem diei 18 Martii præteriti anni 1820, sub primo dubio, ut scilicet puellis jam nominatis ad subsidium dotale ab aliis ex collatoribus nominari nequirent, verum quoad Joannam Miani nuptam ante memoratam resolutionem consulendum esse ante Sanctissimo

Digitized by Google

a R. P. D., Secretario pro sanatione duplicis collationis. In Ravennaten. Subsidii dotalis die 2 Junii 1821.

(82. Cum bona Comitis Odoardi præter inscriptionem hypothecariam dotis uxoris pluribus hypothecis obnoxia essent ob æs alienum a Patre contractum, hinc antequam judicaret Sacra Congregatio, utrum Odoardo (instante uxore, ne suæ doti præjudicium inferretur) concedenda esset reductio legatorum Missarum ea bona gravantium, scribendum esse censuit Episcopo, ut adhibitis diligentiis referret an familia Odoardi ex primogenituris Cauti et Malaspina, vel alio quocumque titulo alia et quæ bona possideret sive Asculi, sive aliis in Districtibus, et cujus annui redditus. In Asculana Reductionis die 17 Junii 1821.

(83. Subsidium Dotale relictum a Salvatore Scandelloni, usque ad scuta 500, augere censuit Sacr. Congregatio favore filiæ Joannis Angeli Giorgi septimo consanguinitatis gradu juxta civilem computationem cum testatore conjunctæ. Verum juxta modum, nempe ut suppressa annua collatione dotium favore novarum concurrentium, donec extinguatur debitum Dotium promissarum puellis jam nuptis, ex septem annuis subsidiis dotalibus quinque cedant in extinctionem præfati debiti favore nuptarum, et reliqua duo favore filiæ Joannis Angeli Giorgi. Extincto vero nuptarum debito quatuor annua subsidia cedant favore dictæ Giorgi, donec exegerit integra scuta 500, reliqua vero tria conferentur ad formam fundationis. In Velitern. Subsidii Dotalis die 21 Julii 1821.

(84. Ob defectum justæ causæ, et ob aliarum puellarum præjudicium non esse locum constitutioni Dotis subsidiariæ favore Margaritæ Filonardi licet pauperi, et fundatoris subsidiorum Dotalium consanguineæ, decrevit Sacra Congregatio. In Verulana subsidiorum Dotalium die 8 Maii 1822, ad 1 et 2. dub.

(85. Aloysium Brunelli esse imbussulandam dixit Sacra Congregatio, donec sorte extraheretur pro dotali subsidio scutorum 150 ab hæreditate Dominici Alberti Patritii Narnien. proveniente ad formam Rescripti SSmi diei 3 Maii 1820, et ad D. Secretarium cum SSmo. In Narnien. Subsidii Dotalis die 12 Julii 1822.

(86. Quamvis Sacra Congregatio denegavit locum esse constitutioni dotis subsidiariæ favore Margaritæ Filonardi debitæ a Sodalitio S. Mariæ Jacobi, tamen re iterum discussa, scissis Patrum suffragiis, prorogatum fuit judicium. In Verulana Subsidii Dotalis die 3 Septembris 1822 ad 1 et 2 dubium.

(87. Non constare de nullitate resolutionis Confraternitatis S. Catharinæ Senensis in Urbe erectæ qua collata fuit dos Birgittæ Gabrielli respondit Sacra Congregatio, tum quia litteræ Apostolicæ habilitationis ad consequendum subsidium Dotale obtentæ a Birgitta obreptitiæ et subreptitiæ non erant, tum quia Parochus Gabrielli illius germanus frater (qui tamen a ferendo suffragio favore Sororis sese abstinuit) non voluntarie, sed jussus a superioribus Confraternitatis interfuit resolutioni. In Romana Subsidii Dotalis die 18 Sept. 1822. ad 2. dub.

(88. Recedendum vero a decisis, et solvendum esse summam scut. 60 tantum infra biennium, et amplius, dummodo res non transeat in exemplum; dixit S. Congregatio. In eadem die 19 Novembris 1822. ad 1 et 2 dub.

(89. Cum gravis exarserit contentio inter Præpositum Congregationis Oratorii Perusii, hæredem fiduciarium, et Executorem testamentarium Josephi Rossetti ex una parte; atque Scipionem Rossetti, nec non Rosam Zurli Brutti hujus hæredem ex altera, ad quæstionem omnes jam exortas, et facile orituras removendas, transactio inita fuit, pro cujus sanatione Sacr. Congregatio consulendum esse SSmo dixit, præfixo Rosæ Zurli Brutti termino duorum annorum ad conficiendum depositum dotium promissarum, et nondum solutarum, ut solvantur puellis post nuptias, vel post mortem inuptarum cedant in augmentum causæ piæ, cujus favore etiam Præpositus teneatur cedere tertiam partem scut. 137, 50. nec non dixit Episcopum curare debere executionem, et inscriptionem Operis pii, ut in posterum quotannis exigere redditionem rationum a Præposito. In Perusina Transactionis die 31 Januarii 1824.

(90. Antequam a decisis sub. die 14 Junii 1817, ubi statuerat ob reddituum augmentum commutandam esse voluntatem Paulinæ Gafa quoad distributionem subsidiorum dotalium non quolibet quinquennio juxta testamentum, sed quolibet biennio recedere Sacra Congregatio, et antequam definiret; utrum nonnullæ testatrici proximiores consanguineæ jam nuptæ jus haberent ad integrum quatuor annorum subsidium dotale, quorum aliquæ ab Episcopo veniam impetraverant illud ita consequendi post nuptias initas, scribendum esse Episcopo voluit ut referret de actuali reditu bonorum, qui nunc imminutus dicebatur, ac præterea quot puellis, et qua auctoritate ipse veniam concesserit ad illud optandi post initum conjugium. In Millevitana Subsidium Dotalium die 27 Martii 1825.

(91. Cum summa scut. 660, promanans ex dotibus ante an. 1812 collatis sed merito non solutis, distributa fuerit in Ædium sacrarum Instaurationem præter modum legitimæ obtentum. Sacr. Congr. absolutionis veniam ad votum Em. Relatoris Card. de Antelminellis facile impertiit; instaurationum siquidem et utilitas et necessitas maximopere commendabatur. In Anagnina 21 Febr. 1835. ad 1 dub.

Eamdem ob causam et absolvit juxta votum Eminentissimi ejusdem Relatoris Capitulum a summa scutorum 105, quam numeraverant novi Canonici et Beneficiati, ut de more in sacras suppellectiles impenderetur; et absolvit Canonicos ne in præsens Capitulari Arcæ restituant summam scutorum 170, manantem ex dotibus usque ad annum 1812 designatis quidem, nondum vero solutis: ea

Digitized by Google

tamen lege, ut dotem puellis ære proprio pensitent, quarum dies cesserit post annum 1812. ac per duodennium possint haud extrahi dotes, quæ vacarint per obitum, aut demerita puellarum designatarum tantum usque ad summam scutorum 170. In eadem ad 2 et 3 dub.

Denique juxta votum ejusdem Eminentissimi Relatoris, statuit imposita salutari pœnitentia consulendum esse Sanctissimo pro absolutione a censuris, quas præfatum Capitulum contrahere potuerit ob causam citatam. In eadem ad 7 dub.

(92. Ut æs alienum exsolveret annuit Sacra Congregatio precibus Capituli Christiani, qui flagitabat suspensionem earum dotium, quæ iterum fuissent conferendæ; eam vero concessit usque ad debiti extinctionem, et fundi emptionem quo dotalia Christiani subsidia in pristinum revocarentur; reddita quotannis Episcopo ratione, facto verbo cum Sanctissimo. In Eugubina 21 Februarii 1835. ad 4 dub.

(93. Dominici Andreucci priores duas filias ex quo nimia laborent inopia ac descendant ab Hieronymo Bielli, qui dotali subsidio fundato, nominationis jus concessit Archisodalitati Sanctissimi Sacramenti ad S. Laurentii in Lucina, censuit Sacra Congregatio reliquis puellis præferendas, eisque scut. 75 pro singulis impertiri facto verbo cum Sanctissimo. In Romana Subsidii Dotalis 30 Maii 1835.

(94. In seligendis puellis ad ea subsidia dotalia, quæ Joannes Baptista Bellonius testamento fundavit, Sacra Congregatio hanc methodum prælationis servari voluit juxta votum Eminentissimi Relatoris Cardin. de Antelminellis, nempe 1. ut ejus consanguineæ affinibus, cæteris paribus, semper præferantur et inter consanguineos proximiores; 2. Ut inter consanguineas et affines egenæ non egenis, aut minus egenis; 3. Ut inter egenas puellas vita et morum honestate præstantes. In Romana Subsidiorum dotalium 19 decembris 1835. ad 3 dub.

(95. Omnes puellas ex propinquis vel affinibus Jo. Baptistæ Belloni descendentes posse optare ad ea Subsidia dotalia, quæ ipse instituit, declaravit Sacra Congregatio juxta votum Eminentissimi Relatoris Cardin. de Antelminellis, in Romana Subsidiorum Dotalium 19 Dec. 1835. ad 1 dub.

(96. Postulante Parocho Plebis sextinæ, Administratore trium subsidiorum Dotalium a Sebastiano Borghetti institutorum; ut ad omnes præcidendas quæstiones super prælatione inter ingentem feminarum numerum exsurgentes, ut sorti omnium nomina committerentur, S. Congr. voluit in omnibus servari formam a testatore præscriptam; tumque solum sortitioni locum fieri, cum puellæ adessent conditionibus æqualibus instructæ. Cæsenaten. Distribuit. Subsidior. dotalium 20 Januarii 1838.

(97. Licet Defensores Birgittæ Gabrielli et Justina Bennini, quæ dimicabant super collatione, et solutione subsidii dotalis ab Archiconfraternitate S. Catherinæ Senensis præstanda, dubium peculiare concordaverint super refectione expensarum litis etiam extrajudicialium ex ostenta facultate ab. R. D. Auditori SSmi, attamen S. Congregatio post dilatam resolutionem diei 18 Sept. elapsi anni, decrevit reficiendas esse a Justina Bennini, quæ lite ceciderat expensas tantum judiciales. In Romana Subsidii dotalis 26 Feb. 1838. ad 5 Dub.

(98. Aloysio Lastredinio, quem Archisodalitas suffragii de Urbe haud firmis facta momentis impedire conabatur quominus suo jure utens terminum præfigeret ad rubendum puellis a se nominatis Sacra Congreg. concessit veniam ut terminum adjicere posset usque ad annum XXX, quo elapso ve. suam prorogaret nominationem, vel aliam nominaret. In Romana nominationis Dotium 30 Maii 1838.

(99. Ob easdem causas novum cumulum subsidiorum dotalium Elisabet Scandelloni nobili, pauperi, et descendenti ex linea prædilecta a fundatore, (cui jam ob has peculiares rationes cumulum concesserat Sac. Congregatio die 9 septembris anni 1815) denegavit, dum in decisis sub hac die standum esse statuit. Veliterna subsidiorum dotalium 12 Junii 1838.

(100. Restaurata domo, cujus fructus demptis conversationis expensis a familia Severa, utpote Fundatoris hærede in tot dotalia subsidia eroganda erant, Pius Seucia ad extinguendum gravissimum æs alienum pro restauratione susceptum, proponebat in se æs alienum onus Missæ legato adnexum et omne futurum domus periculum recipere, ubi ad unum dotalia subsidia quotannis reduceretur. S. vero Congregatio probavit propositionem juxta votum Em. Urbis Vicarii, solutis videlicet quotannis duobus subsidiis dotalibus quibus pares reditus apparuerunt; ac servato dominio domus favore legatorum. Romana Subsidii Dot. 23 Junii 1838, ad 1 et 2.

(101. Verum, cum superius rescriptum neque casibus omnibus consuleret, ac coarctaret Soffredinii facultate prævio recessu a decisis, statuit nullum apponendum esse a Collatore terminum puellis ad nubendum, in eadem 5 Septem. 1838.

(102. Prævia facultate a Pontifice M. concessa interloquendi super ejus rescripto, quo administratores designabantur subsidiorum dotalium a Felice Morovalli institutorum Episcopus, et Parochus pro tempore S. Joannis del Fosso jus administrandi, et nominandi ad preces Fratrum Morovalli, restituit Sacer Ordo hæredibus et descendentibus Fundatoris juxta jus placitum, non retardata interim inscriptione censuum pro dote pii legati quatenus nondum fuerit peracta docto coram Ordinario quotannis de recta administratione, et legati implemento. Perusina subsid. dotalium 15 Septembris 1838. ad 1 dub

Quamvis autem contra ea, quæ in anteacta dictorum subsidiorum administratione pro nullitate reclamarent dicti Morovalli ac pro nullitate dotium ac promissarum et nondum

Digitized by Google

solutarum ; tamen censuit quoad præsentem gestionem satis provisum ; quo vero ad dotes rescripsit pro approbatione pro jam nuptis ; quo vero ad nuptias pro approbatione, quatenus in eis requisita præscripta concurrant. *Ibid.* ad 2 dub.

Demum in eadem causa attenta descendentium a Fundatore Morovalliorum paupertate concessit dictorum subsidiorum reductionem ad formam resolut. S. Cong. diei 17 Sept. 1831, ita tamen ut suspensa remaneat novi subsidii dotalis collatio eo anno, quo contigerit solutio dotium, de quibus in secundo dubio. *Ibid.* ad 3.

(103. Omnes puellas, ex propinquis, vel affinibus Jo. Baptistæ Belloni ascendentes posse optare ad ea subsidia dotalia, quæ ipse instituit, declaravit S. Congregat. juxta votum Emi Relat. Card. de Antelminelli. In Romana Subsidiorum Dotalium. Idem 19 Decem. 1838. ad 2 dub.

Statuit præterea, ut Fratres Excalceati S. Augustini in seligendis puellis ad eadem subsidia dotalia rem conficerent de consensu sui Emi Protectoris, ut hoc pacto viam sibi ostruerent ad odia contrahenda, juxta votum ejusdem Emi Relat. in eadem ad 2 dub.

(104. Pro *dotium* cumulo a Julio Silvaggi pro Romanis puellis relictarum S. C. filiabus Josephi Mariæ Antamori ex præsumpta Testatoris prædilectione opitulari benigne censuit in summa scutorum quingentorum, sub ea tamen mente, ut annuus redditus deponatur ad effectum conficiendi regulare multiplicum, donec confletur summa scutorum 500, pro qualibet, facto verbo cum Ssmo. In Romana Subsidiorum Dotalium 23 Novembris 1839.

(105. Ex legato Diotallevi pro dotalibus subsidiis instituto cum prælatione favore puellarum de familia assignavit S. Ordo Marchioni Scipiosu Diotallevi Bonadrada, ejusque filiæ egestate laborantibus annua scuta sexaginta, ad ipsorum vitam absque jure accrescendi in casu obitus, suspensa interim collatione quatuor dotium, facto verbo cum SS., minime attentis Administratorum Oppositoribus, vel in ipsa assecutione dotium eos omni Jure destitui contendentibus. In Ariminen. Subsidiorum 19 Decembris 1840.

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Legatum dotis censetur factum suo conditione nuptiarum, quando testator puellas extraneas alicujus oppidi cum addito *a causa di dote* ad subsidium dotale revocavit. Quod si alia legata alterius generis cumulative instituerit, neque quantitatem singulorum determinaverit, aut fundos speciales præfixerit, tunc dos administratorum arbitrio determinatur, si præsertim præsumi possit, quod eorum prudentiæ remiserit. Quæ facile eruuntur ex iis quæ hic declarantur.

Aloysius de Marchionibus Albizzi, Cæsenas, ultimo quo decessit elogio, præscripsit, ut tota sua hæreditas in bonis stabilibus collocaretur, et « — tutto il frutto che annualmente si ricaverà da tali investimenti sia distribuito dai medesimi eredi e loro successori ogni anno in perpetuo in causa di dote di povere, ma oneste zitelle, ed alli poveri di questa Città (Cesena), e vogliò che fra le dette donzelle e poveri si debbano sempre considerare ed avere riguardo alle discendenti del Notaro Francesco Agostini del Dot. Giacomo Bufalini e di Girolamo Evangelista tutti e tre fino al quarto grado, ed in altre opere pie secondo le circostanze, quando lo giudicasse bene il Vescovo pro tempore di questa città, col quale intendo voglio, che li Ghini (quibus hæreditatis administrandæ munus reliquerat) e loro successori debbano andare di concerto di tale distribuzione, per la quale si dovrà sempre aver riguardo al magior bisogno, ed alla più opportuna occasione. »

Pia dispositio habuit effectum : et anno 1832, cum ad formam testamenti pium hujusmodi legatum a Marchionibus Ghini administraretur, Marta et Marianna Bufalini de genere vocatarum, obtinuerunt annuam præstationem titulo paupertatis scut. 72. Eamdem largitionem assecutæ postea sunt Vidua Palia et Adelais Evangelista, nec non tres innuptæ puellæ Augustini

Nulla tamen ex his familiis in actu matrimonii ad hæc dotalia subsidia admitti postulavit. Quinimo eam sibi sententiam imbiberunt, quod, si quando aliqua puella ad hanc rem petitionem faciat, suspensa executione legati circa pauperes, omnes pii legati redditus, qui eo anno percipiuntur, in puellarum dotes dumtaxat debeant erogari. Cum vero diverse sentirent Administratores memorati, supplices a S. C. Episcoporum et Regularium petierunt, ut opportunam in proposita controversia declarationem proferret.

Rogatus more Episcopus votum propitium puellis prodens, exponebat omnes quidem suspendi debere alias pias elargitiones, minime vero annua præstationis recensitis puellis, ut innuimus, adsignatas.

Duo erant controversiæ capita, quæ disceptanda occurrebant. Primum erat, num puellæ vocatæ, licet innuptæ permansissent, ad subsidium dotale jus haberent. Secundum erat, num puellis nupturis totus anni redditus esset addicendus, seu potius pecuniæ quantitas ab Administratoribus cum Episcopo esset determinanda.

Ad primum quod attinet, adnotandum est ex testatoris voluntate præsumi, quod puellas honoratas hoc beneficio frui voluerit etiam in statu innuptarum, aliter enim in maxima earum necessitate misere deseruisset. Neque officit adjunctum *a causa di dote* ; nam hæc additio ostendit quidem votum matrimonii, quo iisdem idoneæ provisum sit, minime vero obligationem nubendi importat ; cum præsertim ex communi doctorum opinione legatura dotis in legatum alimentorum resolvatur, et utpote purum atque ab-

Digitized by Google

solutum reputetur; Pignatel. t. IX. Cons. 166. n. 10.

At contra excipiebatur, hæc jure locum habere, cum quis ad dotem præstandam obligatur, utpote pater aliique; Amost. *de Caus. piis* L. 4. C. 4, non autem cum agitur de extraneis, multoque minus si puellæ vocatæ sint incertæ.

Ad secundum quod attinet, petitioni puellarum proderat, quod in jure earum conditio tam favorabilis est, ut licet testator quotam dotalem præfixerit, attamen ea soleat augeri etiam per plurium annorum cumulum. S. C. Conc. in Veliter. 9 Sept. 1815, quin censeatur injuriam inferri puellis vocatis, quæ cum incertæ sint, jus quæsitum non habent. Rota cor. S. M. Clem. VIII. Dec. 227.

Perperam vero objiceretur, quod pauperum ratio ex testatoris voluntate sit habenda, nam puellarum dotatio non solum ad earum spirituale ac temporale bonum conducit, sed etiam ad publicam utilitatem, cum ex iis Ecclesia filios, Civitas cives suscipiat. Deinde puellæ in pauperum numero post habendæ, ideo testatoris voluntas non infringitur si titulo paupertatis totus anni redditus eisdem attribuatur.

At vero contra puellarum petitioni refragabatur, quod favor eisdem habitus in earum dote augenda uti gratia sit æstimanda, minime vero uti dispositio stricte et universim observanda. Quod vero objicitur puellarum dotem pauperum largitionibus esse præferendam, locum habere posse, cum redditus utrisque non sufficiat, non autem cum ita pinguis sit, ut facile utrique satisfieri valeat. Deinde pauperes præteriti nequeunt sine aperta testamenti violatione, in quo legatum dotis a legato pauperum aperte distinguitur. Pauperes insuper certi dici possunt, *quatenus sunt de illa civitate*; Sanchez Dub. 6, n. 13. Idque magis valet favore masculorum qui ad familias vocatas pertineant; Pascucci *ad Pign.* t. IV. Cons. 82. *de Leg. piis.* Quinimo generalibus juris principiis inhærendo, fructus æquis partibus dividi deberent, nisi quod in themate testator prudenti Episcopi et Administratorum arbitrio commiserit, ut in hac divisione majoris egestatis atque opportunitatis ratio duceretur.

Re itaque in plenario auditorio S. C. Ep. et Reg. cum titulo *Cesenaten. distribut. dot.* die 21 Apr. 1841, per sequentes dubiorum formulas.

1. « Se e come le giovani predilette abbian dritto alla dote, non ostante che rimangano nubili nel caso?

2. « Se e come si sostenga l'annuo assegno di sc. 72. fatto alle giovani Bufalini, Agostini, ed Evangelisti?

3. « Se e quale sussidio dotale competa alle zitelle predilette da maritarsi nel caso?

Emi PP. rescripserunt:

Ad 1. *negative.*

Ad 2. *Affirmative, donec maneant innuptæ*

Ad 3. *Affirmative, arbitrio Administratorum cum Episcopo juxta dispositionem testatoris,*

(2. Subsidia dotalia puellis vocatis, aut sorte electis sunt tribuenda, sive nupserint in sæculo sive nupserint in Domino, dummodo testator contrarium non præceperit.

Item, si testator tempus non determinaverit, quo puellæ sorte electæ matrimonii conditionem adimplere debeant, S. C. Episcoporum et Regularium rescripsit elapso quinquennio, vel ob mortem, si matrimonium sive temporale sive spirituale locum non habuerit, dotes censeri vacantes, et aliis puellis juxta dispositionem pii fundatoris esse distribuendas.

Joannis Surchi Ferrariensis anno 1664, suam ultimam voluntatem declarans legem dixit « che de'frutti della sua eredità ogni anno si maritassero dodici donzelle povere e native Ferraresi, dando a ciascuna di loro lire 130, due delle quali dovranno essere della villa di Gradizza, e le altre dieci native Ferraresi povere ed onorate di buona vita e fama, la nominazione delle quali starà in petto alli Signori Governatore ed altri Officiali della Congregazione dello Stimmate che pro tempore saranno della Ven. Confraternita. »

Piæ dispositioni non defuit effectus, et cœtus Sodalium delle Stimmate hæreditatis administrationem suscepit, et puellas duodecim quotannis ad subsidia dotalia rite nominavit.

Anno 1821, cum a pluribus annis puellæ pleræque sortione extractæ nuptiarum conditionem non implevissent, magnus superfuit dotium non auditarum numerus, adeoque magna pecuniæ vis, ex qua nullus fructus proveniebat.

Ut autem huic incommodo aliqua ratione consultum foret, cœtus Sodalium deliberavit « che le Doti delle innutte entro l'anno si dispensassero a quelle che erano state proposte, ma non favorite dalla sorte colla prerogativa dell' anteriorità a seconda del tempo del loro matrimonio seguito entro l'anno. »

Hujusmodi ratio viguit ad annum 1840, quo Præfectus Sodalitio, in dubitationem devenit, num eadem ratio Testatoris voluntati consentanea foret. Itaque Sacræ Congr. Ep. et Regul. rem deduxit, exposuitque hoc modo numerum a testatore præscriptum excedi, et obligationi intra annum nubendi ab eodem impositæ nullatenus satisfieri. Addidit autem dotes hac ratione caducas effectus, in utilitatem sodalitii saltem ex æquitate juxta præsumptam testatoris voluntatem vertendas esse.

Controversia igitur ad S. C. delata, et iuxta consuetas ejusdem regulas proposita, duo quæstionis capita emergebant; primum circa obligationem matrimonii; secundum circa tempus, quo item esset perficiendum.

De primo referebantur variæ DD. sententiæ, quorum aliqui docent legatum dotis esse purum, ideoque matrimonii obligationem non importare; alii vero contendunt esse legatum conditionale, et idcirco necessario implendum. At in eorum dissensione con-

Digitized by Google

cludebatur in hujusmodi controversiis præsumptæ testatorum voluntati standum esse; Amostas. *de Caus. piis* L. 4. C. 6, num. 16. Jamvero in facto subsumebatur nuptiarum conditionem necessario implendam videri ex eo, quod testator nuptiarum conditionem primo loco posuerat, inquiens « si maritassero dodici donzelle, » etc. Hoc enim forte ostendere volebat sese matrimonii favorem, quam personarum potius inspexisse, eoque magis quin puellæ honoratæ veluti incertæ reputari poterant. Addebatur autem in casu sufficere nedum matrimonium carnale sed et spirituale, quandoquidem contrarium a testatore statutum non fuerat. S. C. Ep. et Reg. in Pisauren. 26 Aug. 1616.

Secundum vero quæstionis caput majorem difficultatem implicabat: neque enim testator indicaverat, quo temporis spatio puellæ sortitione vocatæ nuptias perficere deberent. Recurrendum igitur erat ad legum dispositiones, ex quibus deducebatur in genere conditiones potestativas quamprimum implendas esse *L. hæc Cond.* ff. *de Cond. et Dem.* De conditione vero in specie *si nupserit* ex aliquibus Doctoribus cum Bartolo ad memoratam legem requiri colligebatur, ut intra triennium adimpleatur; ex Montica vero de Conj. Ult. Vol. L. 11, t. 18, n. 25, eamdem conditionem quandocunque et etiam post triennium posse executioni mandari.

Itaque sequentes dubiorum formulæ, quæ allatas quæstiones complectuntur, Eminentissimorum Patronorum judicio dirimenda propositæ sunt.

1. « Se e quando le giovani sortite al bussolo per conseguire le doti del legato pio Surchi debbano contrarre matrimonio? »

Et quatenus affirmative infra annum.

2. « Se si abbia ad osservare il metodo adattato nel 1824, di conferire le doti vacanti ad altre giovani proposte, e non sortite dal bussolo, che si maritano nell'anno; o piuttosto concederle almeno per grazia in beneficio della Confraternita ed in quel modo? »

3. « E quante volte l'accennata condizione non si debba adempire dentro l'anno; qual metodo convenga adattare per impedire il cumulo delle doti nel caso? »

Quibus Emi PP. in generali auditorio diei 25 Febr. 1842, rescripserunt.

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, ad secundam infra quinquennium et ad mentem mens est, ut puellæ quæ ad dotem sortiuntur, detur schedula, quam ipsæ exhibere possint sive nupserint in Domino, sive in sæculo.*

Ad 2. *provisum in primo.*

Ad 3. *Elapso quinquennio, vel ob mortem si matrimonium sive spirituale sive temporale non fuerit secutum, dotes vacantes conferantur aliis puellis, quæ sortitæ sunt in additionem duodecim annuatim conferendarum.*

REV. FABRICÆ S. PETRI.

In distributione subsidiorum dotalium erogandos esse fructus sortis superlucratæ a Sodalibus S. Apolloniæ Urbis ex investimento promissarum dotium decernitur: redintegrando prius ex eadem sorte fundo Legati Egidi in duobus locis montium, et deductis ex ejus fructibus expensis Sodalitii pro administratione bonorum, necnon celebrato quotannis anniversario pro fundatoribus et benefactoribus: Romana Subs. Dot. 31 Maii 1794, dub. 1.

E

ECCLESIA.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA

(1. Cum ex parte Decani, et Capituli Ecclesiæ Cathedralis Salmanticen. SSmo Domino nostro Clementi PP. XIII humillime expositum fuerit, non raro evenire posse, ut eadem Ecclesia Cathedralis, aut alia ipsi unita, quæ Universitati adhærent, ob frequentes scholarum ejusdem Universitatis rixas, polluantur; et Episcopatu vacante, vel Episcopo absente, aut impedito, nulloque Episcopo Salmaticæ commorante, neque ob Diœcesium distantiam aliquo viciniore, nisi post longum temporis intervallum accedente, nonnunquam Sacrificia, et Ecclesiastica munia in iisdem Ecclesiis diu interrupta remaneant magno Scholariorum detrimento; quapropter SSmo Domino Nostro enixe supplicarunt, quatenus elargiri dignaretur facultatem, ut, tali casu occurrente, una ex Dignitatibus ejusdem Cathedralis cum aqua a proprio, vel viciniori Episcopo benedicta possit illas reconciliare.

Hinc Sanctitas Sua benigne concessit: « Ut, vacante Sede Episcopali, si nullus Episcopus Salmaticæ, vel in viciniis commoretur, Vicarius Capitularis ad benedictionem Ecclesiæ pollutæ, dummodo utatur aqua a viciniore Episcopo benedicta, possit procedere: Episcopo vero causa ægritudinis, vel absentiæ a sua Diœcesi impedito, nulloque alio Episcopo occurrente, vel accedente, Vicarius generalis, et quatenus ipse Sacerdotali charactere non sit insignitus, prima Dignitas ejusdem Capituli, habita prius ab Episcopo licentia in scriptis, et cum aqua pariter ab eodem Episcopo benedicta, et in casu necessitatis, eamdem benedictionem possit peragere. » Quæ omnia eadem Sanctitas Sua pro casu, de quo agitur tantum valitura, atque in exemplum non adducturа, indulsit, quibuscumque in contrarium non,

Digitized by Google

obstantibus; Salmanticen. Die 12 Decembris 1761.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Ob nonnullas controversias factas inter novos Deputatos Brephotrophii, et Sodales SSmi Corporis Christi Asculi causa Pontificii Rescripti diei 5 Aug. 1795, quod novos Deputatos Ministro amoto constituere præcipiebat; dubia nonnulla fuerunt in S. C. proposita, sed haud fuerunt resoluta, et mandatum proponi dubium — an constet de obreptione et subreptione rescripti SSmi? Asculana Brephotrophii 9 Julii 1796, dubium 1 ad 11.

(2. Ecclesia Parochialis Villæ Rezodii sub se continet alias quindecim villas seu Pagos, quos inter recensentur finitimi Pagi Brignola, et Pianum animabus circiter tercentum compositi, et ab Ecclesia Parochiali duobus fere milliariis dissiti. Quum in duobus his Pagis nulla Ecclesia, nullumque adesset publicum Oratorium, in quo vel Sacrum celebrare, vel Deo preces effundere valerent, hinc deliberarunt de Ecclesia in dicto Pago Brignoiæ construenda. Contradictorem experti sunt Parochum; sed obtento a Domino Pagorum assensu, stipulatoque de ea construenda instrumento, manutenendaque, institerunt pro facultate præfatam Ecclesiam ædificandi, et impetrarunt, salvis juribus Parochialibus, et ad mentem; Derthonen. Erect. Ecclesiæ 30 Maii 1778.

(3. In dubium venit utrum liceret vendere situm Antiquæ Ecclesiæ, ad hoc ut pretium in constructionem novæ Parochialis Ecclesiæ prope Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ ædificandæ, et ampliandæ erogaretur. Suspensa primum fuit causæ resolutio, et demandatum Episcopo scribi juxta instructionem. Pontis Curvi Reædificat. et Translat. Ecclesiæ Paroch. 13 Sept. 1777, dub. 3. At ad novam inde trutinam ducta causa, affirmativum prodiit responsum cum solitis tamen clausulis; 6 Martii 1779.

(4. Dubitationi obnoxium fuit, an esset locus novæ ædificationi et ampliationi Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli, seu potius illius instaurationi? responsum extitit *dilata*, et scribatur Episcopo juxta instructionem: Pontis Curvi Reædificat. et Translat. Ecclesiæ Parochialis 13 Sept. 1777, dub. 1. Iterum proposita causa, et novis illustrata juribus, et documentis, decretum est, prædictam non instaurandam, sed denuo Ecclesiam ædificandam et ampliandam esse: 6 Martii 1779.

(5. Nec in eodem ædificandam esse situ, sed ad alium situm prope Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ transferendam, cum muniis Parochialibus esse S. C. censuit, etsi Parochiæ incolæ causa loci contradixissent: *Ibid.* dub. 2.

(6. Postulatum item quum fuisset an et cujus expensis novæ prædictæ Ecclesiæ ædificatio, aut antiquæ instauratio facienda sit? affirmativum responsum exiit juxta Episcopi votum. *Ibidem* dub. 4.

(7. Oppidum Crevalorii collocatum in Territorio Abbatiæ S. Silvestri Nonantulæ unicam habet Parochialem Ecclesiam Divo Stephano dicatam. Hac jam fatiscente, auctoque oppidanorum numero, Præpositus Jacobus Graviolius preces exhibuit pro amplioris Ecclesiæ nova ædificatione, exponens simulque sciscitans quanam ratione id perfici posit? novam ædificationem S. C. probavit; et quo vero ad modum dixit ad mentem a D. Secretario Card. Abbati communicandam: Nullius seu Nonantulana reædificationis Ecclesiæ Paroch. 16 Maii 1778. Menti satisfecit Abbas Architectique relationem porrexit; ideo petitur quomodonam ea sit reparanda? et rescriptum denique fuit, juxta votum Cardinalis Abbatis Commendatarii cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis: 6 Martii 1779.

(8. Nullas reparationes faciendas esse in Ecclesia Parochiali S. Mauri oppidi Tumbæ sumptibus Parochi antecessoris statuit S. C. contra votum moderni Parochi, qui post lapsum undecim annorum a Parochia obtenta, et nonnisi post sui Antecessoris obitum, reparationes tum in sacris supellectilibus, tum in Ecclesia et in domibus ex necessario fieri oportere postulavit: Senogallien. 19 Septemb. 1778. dub. 1. confirmat. 15 Maii 1779.

(9. Abbatialis Ecclesia S. Mariæ de Platea ab immemorabili habita semper fuit pro principaliori ab ipsis S. Severi Prioribus. Inter hos autem Priores, et illius Abbates factis circa præeminentias quæstionibus decisum fuit, Ecclesiam illam Abbatialem esse Matricem, majorem insuper, et digniorem esse altera Ecclesia Parochiali S. Severi, quoad actus tantum præeminentiales: Senogallien. Præeminent. 30 Januar. 1779. dub. 1. confirmat. 5 Junii ejusdem anni.

(10. De necessariis reparationibus in Ecclesia Cathedrali faciendis periti retulerant. Triplici hinc certamine dimicatum est, ut decerneretur ad quemnam illarum onus spectaret? Capitulum substinebat ad solum id spectare Episcopum, nisi peculiare adsit statutum, aut contraria consuetudo, vel nisi Ecclesia peculiares habeat pro fabrica redditus, quibus Cathedralis Balneoregii prorsus carebat, et imo probabat hoc onus Episcopis semper incubuisse. Hodiernus Episcopus in Antecessorem Antistitem Baldassinium onus refundebat, et hujus hæres in illum vicissim. S. autem C. respondit, instaurationes esse ad formam peritiæ necessarias, easque ad Episcopum Baldassinium attinere, dempto eo, quod exactum fuit ex gratia SSmi juxta liquidationem coram D. Secretario faciendam. Balneoregien. Ecclesiæ Cathedralis 17 Aug. 1776. dub. 1 et 2. confirmat. 28 Aug. 1779.

(11. Intra fines Spoletanæ Diœceseos adest locus, qui vocatur Podium Primi Casus, ubi una tantum adest Prioralis Ecclesia cum cura Animarum, quam obtinuit Vincentius Bernabo Fulginas Canonicus Basilicæ S. Laurentii in Damaso Urbis. Quum esset hæc Ecclesia fatiscens, minareturque undequaque ruinam, sacrisque omnibus paramentis et utensilibus careret, paupere populo, et paupere Ecclesia, Vincentium Priorem ad instaurandam et renovandam suam Prioralem Ec-

Digitized by Google

clesiam; necnon et ad sartam tectamque servandam in necessariis parandis suppellectilibus, adigendum esse, populus oravit; sed S. C. causam distulit, et Episcopo scribi jussit ad mentem; Spoletana Restaurat. Ecclesiæ Paroch. et Sacr. Suppellect. 18 Martii 1780.

• (12. Quum Ecclesia S. Mammantis ruinam minitans solo æquata fuisset, et ex cœmentis ad eam reparandam paratis nova Ecclesia S. Mariæ de Platea, quo Simulacrum S. Mammantis translatum fuit, fuisset constructa; postulabatur, an et cujus sumptibus præfata S. Mammantis Ecclesia sit in pristinum reducenda? Sed absolutum S. Congr. rediit responsum negativum: Brictinorien. Translat. Ecclesiæ Parochialis 14 Decem. 1782. dub. 2.

(13. Petita Archipresbyteratus, et Canonicatus provisione, cujus collatio pro reparanda Parochiali Ecclesia Collegiata S. Mariæ terræ Bledæ suspensa erat, S. C. placuit injungere Vicario Capitulari, ut statim procederet ad indictionem concursus pro electione Archipresbyteri cum assumptione coadjutoris, assignata eidem provisione usque ad electionem Canonici curati, et in reliquis ad mentem. Modo Cardinalis de Comitibus Viterbium se contulit, omniaque perfecit; ob id S. C. decrevit, esse providendum ad fabricam illius Ecclesiæ in omnibus juxta votum Card. Relatoris, et ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem: Viterbien. 7 Febr. 1784.

(14. De Parochialis et Abbatialis Ecclesiæ S. Mariæ de Platea terræ Montis-novi matricitate constat quoad actus tantum præeminentiales. Quoniam in solemnioribus anni festivitatibus sacras functiones tamquam matrix peragere consuevit, quemadmodum ex nonnullis etiam conjecturis id evinci poterat; et ipse autem Abbas de rigorosa matricitate ad effectum percipiendi decimas quæstionem instituere non intendit: Senogallien. Præeminent. 27 Martii 1784. dub. 1. Idemque fuit eadem die in altera causa resolutum. *Ibid.*

Qua de causa Cruci prædictæ Abbatialis Ecclesiæ dignior debetur locus, seu præcedentia, et præeminentia: *Ibid.* dub. 3.

(15. Populus Borgii unam habens Ecclesiam, eamque etiam magna scutorum quinque millia reparatione indigentem supplicavit pro novæ potius Ecclesiæ in commodiori loco facienda constructione, quæ ad scuta quatuor millia vix adscendit; et deprecatus est etiam, ut sibi uti liceret in partem sumptuum hæreditate Mariæ Finocchiæ in pios usus relicta. Siquidem hæc pia mulier bis mille libris Januensibus egenis pagi ægrotantibus occurri jussit; et bis deficientibus, mandavit in annos singulos Kalendis Maii panes pauperibus distribui; ratam aliarum librarum 1600 voluit implicari in construenda Capella in illa fatiscente Ecclesia suo nomine et cognomine inscripto: de reliquis fructibus solidos triginta dari constituit singulis annis Parocho pro sacrificio in expiationem animæ suæ Kalendis Maii celebrando, et superextantes erogari in totidem Missis lectis cum eleemosyna solidorum quatuordecim. Idem populus distributioni fructuum bis mille librarum renunciavit, promisitque Capellam ad normam testatricis ædificare in nova Ecclesia, et implere aliquem numerum Missarum, quarum reductionem etiam efflagitat. His omnibus S. C. respondit *affirmative*, reservato onere anniversarii Kalendis Maii a Parocho explendi cum elcemosyna solidorum triginta, et celebratis quotannis nonnullis missis lectis arbitrio Episcopi, et cum eleemosyna ab Episcopo taxanda, et ut ipse incumberet ædificationi Ecclesiæ cum appositione lapidis, et administrationi hæreditatis: Albiganen. Ædificat. Eccl. Paroch. 3 Febr. 1787.

(16. Ob imminentem Parochialis Ecclesias S. Mariæ Cossineani ruinam, Præpositus et Curati contributiones Communitatis, Capellaniarum, Nosocomii, et Sodalitiorum proposuerunt confirmandas, ut nova fieret Ecclesiæ fatiscentis constructio. At quum constructio plurimum expensæ requireret, excogitata fuit reparatio, quæ minores requirebat expensas. Fratres Santucci, qui ex conspectu Ecclesiæ domum habent, sese opposuerunt, dicentes, limitatum fuisse sodalitium, et administratorum consensum ad novam Ecclesiæ constructionem, ideoque trahendam non esse ad instaurationem. Verum S. C. [illegible]stare de legitimis consensibus pro expensis necessariæ reparationis edixit: Ripana 16 Junii 1787. dub. 1.

(17. Quæsitum deinde fuit, cujusnam sumptibus sit ea Ecclesia instauranda? dictum est, provisum in primo, et scribatur Episcopo juxta mentem: *Ibid.* dub. 2.

(18. Parochia S. Donati jamdiu Episcopali Mensæ unita, et ad statum postea collativum nonnullis pro Parocho, et nonnullis pro Ecclesia bonis assignatis, cæteris autem bonis una cum decimis a Mensa ipsa retentis, reducta fuit. Hinc reparationes in Ecclesia præfata faciendas pro tempore præterito ad Episcopum spectare, quo vero ad tempus futurum, ordinarias spectare ad Parochum, extraordinarias ad Antistitem pertinere, S. C. definivit: posteaquam 14 Dec. 1782 fuerit rescriptum dilata, et ad mentem: Brictinoren. Congruæ 10 Decem. 1785. dub. 3. confirmat. 15 Sept. 1787.

(19. Canonici et Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ S. Petri Montis Martiani in Collegiatam erectæ S. C. oraculum percunctati sunt, num onus reparandi, ac manutenendi Fabricam, et tintinnabula Ecclesiæ spectet ad solum Archipresbyterum; seu potius repartiendum sit inter eum et cæteros Capitulares? hæc definivit, spectare pro tertia parte ad Capitulum, pro reliquis duabus partibus ad Archipresbyterum; Senogallien. 13 Junii 1789. dub. 3.

(20. Cathedralis Ecclesia Arimini a motu terræ concussa, Canonici ad sibi habendam facultatem creandi censum scutorum 5270 supplicarunt, et applicationem redditnum Sodalitii Cruce signatorum, et Hospitalium S. Archangeli, et Montisfloris urbis postularunt. Pontifex immortalis memoriæ Pius Sextus censum nec approbavit, neque impro-

Digitized by Google

bavit; hujusce tamen applicationes denegavit. Hinc Canonici percunctari cœperunt S. C. oraculum super jure et obligatione reparationis Ecclesiæ, et super erogatione reddituum Mensæ Episcopalis, qui inter Canonicos ipsos dividi consueverant, quique a nonnullis Benefactoribus erant reparationis onere relicti. Et oraculum fuit, reparationem Ecclesiæ Cathedralis faciendam esse a Capitulo ex redditibus Mensæ Capitularis: Ariminen. Reparat. Cathedral. 18 Sept. 1789. dub. 1.

(21. Quum Episcopus Sarsinatensis in actu Visitationis totam parochialem Ecclesiam S. Mamantis de Falcino delabentem comperiisset, decrevit, infra tempus proximi veris firmiter reficeretur, facta de necessariis expensis peritia, ad hoc ut eæ populo et possidentibus notificarentur, ut unusquisque pro rata sua parte concurreret; sin minus, juxta consuetudinem contra morosos executivum relaxaretur mandatum. Taxationem super æs et libram solvere renuit Laurentius Ricchius, exterus in Parochia possessor, et gravaminis querelam ad Sacram detulit Congregationem. At hæc sancivit præfatum Episcopi decretum esse exequendum: Sarsinaten. 31 Julii 1790.

(22. Adeo Parochialis Ecclesia SSmi Salvatoris Velitrarum fatiscit, ut alibi parochiales agantur functiones. Insignis peritorum judicio ad eam reparandam requiritur summa scutorum 2420; nec pares sunt illius redditus sumptui. Igitur S. C. supplicarunt ejus Officiales pro suspensione onerum, quæ Sacrario, Archipresbytero, Beneficiatis, et Capellanis incumbunt; et responsum prolatum est, ut expectetur relatio Cardinalis Episcopi super petitione Collegii S. Bonaventuræ, quod insignem Capellaniam in ea Ecclesia possidet; hinc concordiam Collegium illud cum Deputatis Fabricæ super contributione inierat: Veliterna Suspens. Miss. 5 Junii 1790. Deinde annuit juxta votum Card. Episcopi: 18 Sept. ejusdem anni.

(23. Ac insuper reprobavit Concordiam prædictam confectam a Collegio S. Bonaventuræ pro Capellania scut. 800. *Ibid.* dub. 2.

(24. Ecclesiæ S. Laurentii fatiscentis, et in incommodo positæ situ demolitio illius Beneficiato permittitur, extructo in proxima SS. Annuntiatæ Ecclesia altari in honorem ejusdem Beati; quum homines Villæ Casalinorum cœmenta Ecclesiæ diruendæ offerrent: Camerinen. Demolit. Ecclesiæ 18 Decem. 1790.

(25. Johannes Franciscus Jacobus duo prædia legavit Congregationi S. Mariæ Gaudii, et S. Apolloniæ Bononiæ civitatis. Horum redditum medietas in Ecclesiæ ædificio, medietas in celebratione Missarum impendi debebat. Sodales pro Oratorii et S. Sodalitii reparatione explenda postularunt, ut summa 257 scutorum, quæ a morte testatoris superat, eratque sub depositi lege, in reædificationem posset erogari. Sed medietatem tantummodo hujus depositæ summæ obtinuerunt. Bononien. 21 Junii 1783. Alteram inde postularunt depositi medietatem ad perficiendum ædificium, et rescriptum tulerunt, ut scriberetur Card. Episcopo juxta instructionem: 6 Maii 1786. Denique S. C. annuit juxta votum Archiepiscopi 28 Maii 1791.

(26. Facta contentio est, an et de quarum instaurationum, ac reparationum in Ecclesia Cathedrali, quæ confectæ, et quæ sunt faciendæ necessitate constet? resolutum est constare ad formam peritiæ mitioris Termini a Card. Visitatore deputati: Balneoregien. Ecclesiæ Cathedralis 18 Decem. 1790. dub. 1. confirmat. 28 Maii 1791.

(27. Et resolutum insuper est, reparationem hanc in decessorem Episcopum Aluffium, sub cujus regimine fatisci cœpit, refundi, secundum tamen peritiam de mandato prædicti Cardinalis Visitatoris confectam: *Ibid.* dub. 2. confirmat. *ibid.*

(28. Quum Ecclesia Parochialis S. Michaelis de Puteo Foro Cornelii Diœceseos instauratione indigeret, Sacerdos Franciscus Braga Parochus petiit definiri, cuinam onus incumberet instaurationis? restitit petitioni populus. At deteriori facta Ecclesia, per modum provisionis creatus fuit census scutorum centum et viginti super bonis Parochiæ, ut labenti turri sacras ferrent suppetias. In dies restauratione indigente magis Ecclesia definiri postulatur, quis ad reparationem, et ad extinctionem census, ejusque fructuum solutionem sit adigendus? definitio fuit teneri populum, et possidentes in districtu Parochiæ per æs et libram. Nam impares erant redditus Parochi et Beneficiariorum, et patroni deficiebant: Imolen. Restaurat. Ecclesiæ Paroch. 6 Sept. 1783. confirmat. 10 Jan. 1784. Deinde executio taxæ plene peragi nequivisset renuentibus exteris possidentibus; et re iterum in S. C. delata, S. C. imponendam esse collectam juxta votum Card. Episcopi statuit: 16 Maii 1795, dub. 1.

(29. Et locus est deputationi periti pro recognitione operis: Ibid. dub. 2.

(30. Inter plurima pia legata quæ reliquit Julius Antonius Silvagni inter cætera novæ Ecclesiæ constructionem mandavit. Sed perfici hæc nequit ob defectum redditum, qui impendi debent etiam in subsidiorum dotalium distributionem; hinc postulatur an et quomodo sit consulendum sumptibus necessariis ad perficiendum Ecclesiæ ædificium? respondit S. C. affirmative ex redditibus superextantibus ab anno 1791 inclusive, et Episcopus curet omnino rectam administrationem, injuncta ad hunc effectum Administratori redditione rationis facienda quotannis eidem Episcopo: Ariminen. Subsid. Dotal. et Fabricæ Ecclesiæ 26 Septemb. 1795, dub. 2.

(31. Quum Canonici Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Belviderii pro reparatione Ecclesiæ bis suspensionem, et ad vicennium postremo duorum Canonicatuum Ubertini et Mei; et facultatem creandi censum scut. 1000 obtinuissent; modo post ocularem inspectionem Visitatoris delegati summa prædicta non sufficere agnoverunt, hinc postulant tertii Canonicatus suspensionem nuper vacati, ut contrahere census possint in summa scutorum

Digitized by Google

2 500, quæ requiruntur ad Ecc.esiæ Fabricam perficiendam; et S. C. concessit suspensionem juxta votum Card. Archipresbyteri Basilicæ Lateranensis : Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ 20 Febr. 1796. dub. 1.

(32. Denegata pro reparatione ædium, et Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi Maceratæ Feltriæ applicatione hæreditatum Gratiosi, et Angeli Remigii Galbini, supplicatum est an et quomodo sit providendum præsenti reparationi ædium et Ecclesiæ Parochialis? S. C. respondit affirmative ex pecunia cumulata, et quatenus opus aliis etiam remediis a Sacro Concilio Tridentino præscriptis : Feretrana Applicat. 27 Aug. 1796, dub. 2.

(33. Tres sunt in Oppido Supini Ecclesiæ Parochiales; una ex his Archipresbyteralis sub titulo S. Petri, quæ ab antiquissimo tempore tantum fontem baptismalem habet, cujus in benedictione conveniunt alii Parochi, qui etiam ab eadem Ecclesia oleum sanctum accipiunt. Non semel dicti Parochi præeminentiam illius Ecclesiæ turbare conati sunt; modo etiam, spreto monitorio Æ. Fontem baptismalem de præcedentis Episcopi licentia in eorum Ecclesiis construxerunt. Sed litem exortam S. C. decidit constare de majoritate, non autem de matricitate Ecclesiæ S. Petri : Ferentina Matricit. et Fontis Baptis. 18 Martii 1797. dub. 1.

(34. Extra mœnia Rocchæ Contratæ sita est Ecclesia nuncupata *la Madonna del Renale* et in ea miraculis clara Beatæ Mariæ Imago. Ibi simplex beneficium erectum est; et quum hæc Ecclesia esset prope diruta; ad reparandam Marcus Antonius legavit scut. 50, quæ summa et beneficii redditus ad reficiendum impares sunt. Theodorus Carletti hoc onus se spondet implere, et Ecclesiam novam intra Oppidi mœnia ædificare, et manutenere, si ei reservetur jus patronatus, et subministretur dirutæ Ecclesiæ cæmenta, Imago, et scuta quinquaginta, et alia scut. quinquaginta a beneficiato subministranda, et ei vendatur prædium beneficii, solvendo fructus compensativos quinque pro centenario. Beneficiatus favet postulationi, et etiam S. C. quæ esse locum reædificationi Ecclesiæ juxta votum Episcopi statuit : Senogallien. Reædificat. Ecclesiæ 6 Maii 1797.

(35. Erecta præbenda Theologali in Ecclesia Cathedrali cum suppressione Conventus parvi PP. Eremitarum S. Augustini nuncupati *della Voltre* in territorio, et Parœcia Vallis Nucis siti, hodiernus Theologus exorat pro demolitione Ecclesiæ, ædium illius Conventus contractione, et missarum quinque translatione ad Cathedralem, quum hæc Ecclesia, et Conventus, in quo modo Coloni habitant, pessimo statu essent, manutentionis onus non leve, et Sacerdotes ad Sacrum peragendum, in illa Ecclesia difficillime accedant. Precibus S. C. annuit juxta votum Episcopi, apposito Icone divi Augustini in altari ab eodem Episcopo designando in Ecclesia Cathedrali. Brictinorien. 24 Novemb. 1792. dub. 1. confirmat 17 Junii 1797.

(36. Vigore piæ dispositionis Card. Petri Fauli de Comitibus institutæ in favorem trium Ecclesiarum S. Mariæ de Trivio, S. Mauri, et S. Mariæ *del Rivo*, reparatæ et iterum ædificatæ dictæ Ecclesiæ fuerunt; sed Ecclesiæ S. Mariæ *del Rivo* prope dirutæ, cujus expresse testator instaurationem non ordinaverat, Episcopo placuit opus suspendere. Putabat enim inutilem illam esse, et superfluam; quum esset in villicula S. Mauri, in qua exiguus est Populus. Re in S. C. delata, declaravit non esse locum illius Ecclesiæ reparationi : Camerinen. 18 Novem. 1797. dub. 3.

(37. Ecclesiæ S. Mariæ *del Rivo* ad hæredes Petri Pauli Cardinalis de Comitibus spectantis demandatur demolitio ob pessimum ejus statum, et inutilitatem in villicula S. Mauri, in qua aliæ duæ sunt Ecclesiæ : Camerinen. die 18 Novemb. 1797. ad 3 Dub.

(38. Ecclesiam Parochialem S. Luciæ Viterbii reparandam esse decernitur ex fructibus beneficii in ea erecti, suspensa ad septennium executione nominationis Beneficiali jam expletæ favore Clerici Caroli Bergassi : Viterbien. Beneficii die 18 Novem. 1797.

(39. Ecclesiam S. Mariæ *del Renale*, positam extra mœnia Rocchæ Contratæ in loco aquoso et lubrico, reædificari permittitur intra oppidum Theodori Carletti, qui eam in proprio despondet solo nonnullis sub conditionibus, ac præsertim reservationis juris patronatus, et emptionis prædii spectantis ad beneficium in eadem Ecclesia erectum, solutis fructibus capitalis donec novum fiat investimentum : Senogallien. reædificationis Ecclesiæ die 6 Maii 1803.

(40. In Ecclesiæ Parochialis SS. Viti et Modesti Oppidi Montis Birotii restaurationem contribuere debere annua scuta bis centum quinquaginta Conventum S. Marci PP. Eremitarum Congregationis B. Petri a Pisis definitum fuit. In Pisauren. Reparationis Ecclesiæ super executione Decreti die 12 Februarii 1803.

(41. Demolitionem Ecclesiæ SS. Simeonis et Judæ, quam sordidam et fatiscentem reparare non poterant Rectores, permisit S. Congregatio cum solitis clausulis, et servata in profanatione censura Sacri Concilii Tridentini, et celebratio quotannis festo S. Titularis, atque commisit Episcopo ut incumberet investimento pretii cæmentorum, ut deinde provideri posset quoad ejus applicationem. In Fanen. Demolitionis Ecclesiæ 13 Septem. 1806.

(42. Ædificationi Ecclesiæ, et ædium Parochialium Villæ Frontilli providendum esse modis extraordinariis ab Archiepiscopo propositis definivit Sacra Congregatio, celebrata in menses singulos Missa pro legato Bartolini usque ad ejus redintegrationem. In Camerinen. Ædificationis Ecclesiæ die 27 Junii et 18 Julii, et 21 Novembr. et 19 Decem. 1807.

(43. Probavit S. Congregatio permutationem fatiscentis Ecclesiæ S. Blasii cum Ecclesia S. Annæ conciliatam inter familiam Mancia, et Parochum Majolati, ex qua illa huic cessit cæmenta demoliendæ Ecclesiæ S. Blasii, et domunculam, ita tamen proba-

Digitized by Google

vit, ut translatio fieret onerum ad Ecclesiam S. Annæ, in cujus aliquo sacello apponeretur Icon. S. Blasii, et dummodo valor cæmentorum, et soli investiretur, et cederet, una cum domuncula favore Parœciæ Majolati et per Franciscum Mancia assignaretur idoneus fundus ab Episcopo approbandus pro implemento quatuordecim missarum. In Æsina Permutationis die 6 Aug. 1808.

(44. Dominico Bartolini postulanti ante novam ædificationem Metropolitanæ Ecclesiæ Camerinensis summam scutorum 488, 60, a se subministratam ob prosecutionem Fabricæ Ædium Parochialium, et Ecclesiæ *di Frontillo* in Agro Camerinensi positæ, et a terræmotu concussæ, respondit S. Congregat. provisum jam esse a Rescripto SS. per Cl. Mem. Card. Carandini dato die 12 Januarii 1808, sequentis tenoris « SSmus mandavit taxam impositam in agro Camerinensi pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis, hac expleta, erogandam esse præ cæteris favore Parochialis Ecclesiæ Frontilli ad effectum reintegrandi Dominicum Bartolini subventorem sumptuum ad eam explendam Fabricam concurrentium. In Camerinen. Ædificationis Ecclesiæ die 25 Januarii 1815.

(45. Antequam decerneret Sacra Congregatio, cujus sumptibus recuperanda sit Ecclesia S. Andreæ Paleani Prænestrinæ Diœcesis, prorogavit judicium, et in executionem præcedentis decreti 21 Maii 1820, statuit, ut Eminentissimus Episcopus dignaretur præfigere terminum unius Mensis ad exhibendum statum activum et passivum Præbendarum et beneficiorum in dicta Ecclesia existentium, nec non ad docendum de erogatione scutorum 486 in reparationibus Ecclesiæ. In Prænestina reparationis Ecclesiæ die 9 Julii 1818.

(46. Fatiscentem, ac nimis angustam Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Nosciani noviter ædificandi facultatem illius Parocho Vincentio Monti facto verbo cum SSmo concessit Sacra Congregatio juxta Votum Episcopi, approbans deficientibus ordinariis media extraordinaria, nimirum venditionem trium censuum, nonnullarum domunculorum et bonorum legati missarum Pedruzzi. In Fanen. Reædificationis die 18 Septem. 1818. ad 1 dubium.

(47. Parocho Ecclesiæ S. Mariæ Nosciani Fanensis Diœcesis perpetuum onus missarum quadraginta pro legatis impositis super tribus censibus, et nonnullis domunculis, nec non aliarum viginti pro bonis Petruzzi in singulos annos celebrandarum imposuit Sacra Congregatio, postquam eorum omnium bonorum ad parœciam spectantium venditionem, facto verbo cum SSmo permisit ut præfata fatiscens, ac nimis angusta Ecclesia reædificari posset. In Fanen. Reædificationis die 18 Sept. 1818. ad 3 dub.

(48. In excitata controversia inter Capitulum Collegiatæ Oppidi Paleani, et Administratores Patrimonii Columnæ, ad quem nimirum de jure pertineret onus reparandi Ecclesiam eam collegiatam, cum a Capitulo in sui defensionem post exaratum folium D. Secretarii, ac tantum paucos dies ante resolutionem exhibita fuerint jura, Sacra Congregatio, ut maturius procederet, definitionem distulit quoad jus, et titulum utriusque partis; sed quia Ecclesia sollicita indigebat reparatione, et ex Capituli allegatione constabat ex tercentorum annorum consuetudine Ecclesiam reparatam fuisse a Familia Columna, etiam post protestationes ab hac emissas, voluit ut interim non retardaretur reparatio sumptibus hujus Patrimonii : in Prænestina restaurationis Ecclesiæ Collegialæ die 18 Sept. 1818.

(49. Sacra Congregatio, prorogato judicio de iis, qui tenerentur ad reparationem Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Paleani, decrevit, ut firma remanente provisionali resolutione diei 18 Septembris 1819, exhiberetur Status activus et passivus omnium præbendarum, et beneficiorum Ecclesiæ S. Andreæ erect. nec non statuit, ut conficeretur, ac transmitteretur peritia expensæ necessariæ pro omnibus reparationibus, et causa reproponeretur, citatis omnibus interesse habentibus. In Prænestina reparationis Ecclesiæ die 27 Maii 1820.

(50. Principem ab Auria Pamphyli, seu Patronum teneri ad reparandam, et ornandam Ecclesiam B. M. V. *dell' Ajuto* in territorio Montis Clavelli respondit S. Congregatio eidem patrono sciscitanti, quis ad hoc onus teneretur, cum nec Beneficiatos, nec redditus ad id assignatos, nec populum sibi subjectum ea Ecclesia haberet. In Balneoregien. die 17 Julii 1820, ad 3 dub.

(51. Deficientibus aliis mediis a jure statutis pro reparanda Parœcia Montis veteris Brictinorien. Diœcesis, Sacra Congregatio, attenta consuetudine, statuit concedendam esse Episcopo facultatem statuendi decimam prædialem in annuis scutis octo per æs et libram, solvendis etiam a possessoribus non residentibus. Quo vero ad Parœciam Bonaldæ dixit Episcopum teneri ad Ecclesiæ manutentionem, acceptis tantum scutis quatuor sponte oblatis a Parochianis. Hujusmodi decimarum exactionem, et administrationem Parochis, docto quotannis coram Episcopo de erogatione, committendam esse voluit Sac. Congregatio. In Brictinorien. Parœciarum die 29 Maii 1824, ad. 1 et 2 dubium.

(52. Confirmandum esse decretum Vicarii Generalis Lucanæ Archidiœcesis, quo præscripta fuit remotio Scamnorum seu Sediliom ab Ecclesia S. Frigdiani, censuit Sacra Congregatio, præsertim quia decretum hoc latum fuit ad vitandum seditionem, jurgia, et scandala, quæ frequenter illorum sedilium causa in supradicta Ecclesia eveniebant. In Lucana die 25 Januarii 1825.

(53. Standum esse in decisis respondit Sacra Congregatio quoad remotionem hujusmodi sedilium, eo vel magis quod Joannes Mathias Banchieri nullimode suun. apertum jus probaverit. In eadem die 22 Martii 1825.

(54. Antequam decerneret S. Congregatio, cujus sumptibus recuperanda sit Ecclesia S. Andreæ Paleani Prænestinæ Diœcesis prorogavit judicium, et in executionem præce-

Digitized by Google

dentis decreti 22 Maii 1820, statuit ut Eminentissimus Episcopus dignaretur præfigere terminum unius mensis Capitulo ad exhibendum statum activum, et passivum Præbendarum, et Beneficiorum in dicta Ecclesia existentium, nec non ad docendum de erogatione scut. 486, in reparationibus Ecclesiæ. In Prænestina Reparationis Ecclesiæ die 9 Julii 1825.

(55. Ob necessitatem reædificandi Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Nosciani Fanensis Diœcesis, et ob aliorum mediorum defectum consulendum esse SSmo censuit S. Congregatio pro concedenda venditione servatis servandis trium censuum nonnullarum domuncularum, et bonorum legati Pedrazzi spectantium ad præfatam parœciam. In Fanen. Reædificatio. die 18 Septemb. 1838, ad 2 dubium.

(56. Cum nulla suppetat Canonica ratio, quæ cogat Ecclesiam S. Antonii de Gajana sejungi ab Ecclesia Parochiali S. Laurentii de Varignano, eoque minus in titulum parochialem erigi: contra ratione loci ac distantia majus sibi commodum pro rebus sacris expostulent qui ad Sanctum Antonium de Gajana accolunt, statuit Sacra Congregatio in hac Cappellanum Curatum stabiliri, servatis servandis cum assignatione primitiarum juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi. In Bononien. Dismembrationis die 30 Maii 1835, ad. 1 et 2 dubium.

(57. Pecuniæ cumulum qui promanaverat ex sacris non litatis in præscriptis Ecclesiis ob earum suppressionem nunc, cultu restitutis erogandum esse a Gente Pallavicinia ut in eisdem Ecclesiis inadimpletis oneribus fiat satis definiit Sacra Congregatio. In Bononien. Cappellaniarum. die 30 Maii 1835, ad 8 dub.

(58. Ea quæ producta fuerunt dubia quoad Restaurationem Ripanæ Cathedralis Sacra Congregatio censuit resolvere ad primam post aquas, interim vero decrevit ut Communitatis sumptibus aquæ removerentur, quæ circum muros Ecclesiæ fluentes Fabricæ ruinam minitari videbantur, et notificaretur D. Præsidi Provinciæ, et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo ad mentem. In Ripana Restaurationis Ecclesiæ Cathedralis die 22 Augusti 1835, ad 1, 2, 3, 4 et 5 dub.

Pro Fabrica Parochialis Ecclesiæ S. Valentini absolvenda proportionatos fundos secernendos esse juxta votum Episcopi in omnibus respondit. In Ferentina Reædificationis Ecclesiæ 13 Augusti 1836. ad 1 et 2 dub.

(59. Ex decreto, quo perpensa relatione Episcopi Viterbiensis petita a Parocho ad S. Mariæ a Podio data fuerat facultas demoliendi Ecclesiam S. Mattei eamque convertendi in usus profanos ad formam Tridentini persentientes E. Patres exoriri graves querelas, suspendi interim executionem rescripti die 13 Mensis Aprilis, prædictisque partibus ad deducendum jura sua in S. Congregatione terminum inprimis mandarunt, deindeque allegationibus hinc inde exhibitis mature perpensis, propositis dubiis quibus de rescripti executione quærebatur; et quatenus negative an, et cujus sumptibus esset in pristinum restituenda. Ecclesia S. Mattei, rescripserunt ad D. Secretarium juxta mentem. In Viterbien. demolitionis Ecclesiæ 20 Martii 1838. ad 1 et 2 dub.

(60. Ad reædificandam parochialem Ecclesiam D. Vitalis in Civitate Assisinensi, a fundamentis terræ motu subversam cæteris deficientibus remediis declaravit S. Cong. teneri populum, et possidentes in districtu Parœciæ per æs et liberam. Assisien. Reædificationis Ecclesiæ Parochi. 24 Martii 1838.

61. Cum ære collato ex redditibus Sacrarii, ex Parœciali censu, et ex Beneficiatorum præbendis nondum satis consultum foret necessitatibus Ecclesiæ Curiolani S. Mariæ Gaudentium Ferentini, diuturnique operis curatio administrationi Divini cultus, populi commodo, et fabricæ ipsius tuitioni summopere obesset, Sacra Congregatio ad opus quandocius absolvendum facile indulsit, ut cum ex summa scutorum mille pro qua illud jam prodierat rescriptum, scuta dumtaxat 600 recepta fuerint ex censu cum Taxis conciliato, novum crearetur debitum scutorum quingentorum rescribens precibus in id causæ a Promotore Fiscali datis affirmative in omnibus juxta votum Episcopi. In Ferentina Pensionis et Reparationis Ecclesiæ die 30 Martii 1838.

(62. Cum in Apostolico Indultu a S. M. Benedicto XIV familiæ Amati concesso retinenti fenestram in Ecclesia S. Juvenalis generalis verba fuerint adhibita; Sacra Congregatio hujusmodi jus Aloysio Blasetti uti Palatii Emptori competens, dixit. In Reatina Odei die 14 Junii 1838.

(63. Cum ad novam extruendam Parœcialem Ecclesiam in Terra Musta impares reperti fuerint redditus a Felice Calleja relicti, primum subsidium tulerunt Parochus, aliique presbyteri eidem Ecclesiæ mancipati, ac Parochiani, subinde a S. Ordine petita est condonatio fructuum quorumdam Patrimoniorum et subsidiorum dotalium, qui in usum Fabricæ jam erogati fuerant, eo quod nullus de certo vocatorum genere extitisset; ac præterea ipsorum suspensio usque ad Fabricæ complementum: S. autem Congregatio ad primum respondit: *Affirmative salvo jure puellarum, quæ jam electæ fuerant facto verbo cum SSmo.* idemque respondit ad alterum, salvo tamen quoad patrimonia jure passivo vocatorum de certo genere, si adessent etiam quoad tempus; circa vero subsidia dotalia, firmis dotationibus consanguinearum, quæ legatum jam expostulaverant. In Melevitana Reædificationis Ecclesiæ ad 1, 2 et 3 dub. die 9 Julii 1838.

(64. Unius autem ex dictis Patrimoniis suspensionem favore Fabricæ impediente quodam Clerico Alphord, qui, cum esset ex certo vocatorum genere, jam fuerat nominatus, conditione tamen adjecta ne posset fructus percipere donec ad SS. Ordines promoveretur ad formam fundationis, quamvis causam adduceret, quod nemini in ea Diœcesi Tonsura initiari sine titulo liceret ex

Digitized by Google

lege motus proprii S. M. Pii Sexti, quod si præscivisset Fundator, haud SS. Ordines requisivisset; PP. EE. illius precibus absolute rejectis hujus quoque Patrimonii fructus in usum Fabricæ convertendos esse dixerunt. In eadem ad 8 dub.

(65. In ejusdem Fabricæ utilitatem conventi fructus quoque Beneficiorum liberæ collationis in posterum vacaturorum, de loci consuetudine successionibus reservatos, ab ipso vocationis puncto usque ad provisionis diem decurrentes postulantibus Fabricæ deputatis, S. Congr. annuit precibus quoad Beneficia in Parœciæ tantum districtu erecta, dum vacarent facto verbo cum SSmo. In eadem. ad 4 dub.

(66. Cum vacasset in Ecclesia Cathedrali Canonicatus quidam, collatus fuit Clerico Francisco Schembri, qui, dilata per quadrimestra ob exortas quasdam controversias novi Canonicatus possessione, et hujus, et alterius, quo potiebatur, fructibus se gaudere contendebat, at, contradicente Ecclesiæ Mustensis Parocho propter duorum Canonicatuum incompatibilitatem, concordia inter contendentes inita est, qua Canonicatus Schembri ex scut. melit. 4000 durante vacatione collectis, 1000 dumtaxat favore Fabricæ se cessurum spopondit. S. Congr. prædictorum fructuum applicationem juxta concordiam approbavit facto verbo cum SSmo. In eadem ad 5 dub.

(67. Vacantis Beneficii Kala nuncupati proventus Apostolica Dataria diversis addixit Melitens. Diœcesis Parœciis, assignatis cuilibet respectivis quotis, quarum vel jam depositc traditarum, vel in posterum percipiendarum applicationem favore Fabricæ Mustensis Ecclesiæ postulantibus deputatis, ea præsertim ratione, quod aliquæ Parœciæ jam erectæ fuerant, et de aliarum erectione contendebatur. PP. EE. preces remiserunt ad Datariam Apostolicam præventam. In eadem ad 6 dubium.

Ad ejusdem Fabricæ explendæ effectum bona Parœcialis Ecclesiæ hypothecandi facultatem administratoribus prædictis concessit S. huic Ordo salva tamen Parochi congrua, et minori quo fieri posset interusurio, cum onere deponendi scut. melit. 100 quotannis ad effectum contracti nominis extinguendi, incipiendo post cessationem alterius indulti ab illis jam ab anno 1835 obtenti, ad quinquennium sub pœnis etc. docto etc. et persolutis interim fructibus. In eadem ad 7 dubium.

(68. Cum reædificanda esset Ecclesia Parochialis Civitellæ Alleani ictu fulminis devastata; et constitisset ex vetustissima consuetudine Municipium principaliter ad Ecclesiæ manutentionem teneri, concurrentibus ex parte Sodalitatibus, Em. PP. jusserunt Ecclesiæ illius reparationem per communitatem explendam esse, subministrata aliqua quota a Parocho, Beneficiis, et Sodalitiis. Balneoregien. Reparationis Ecclesiæ Paroc. ad 1 et 2 dub. die 15 Septem. 1838.

(69. Episcopo Montis Alti a S. Congregatione postulanti remedium occurrendi expensis pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis tenuissimis dotatæ redditibus: providendum esse PP. EE. rescripserunt per impositionem mediæ annotatæ; quin apposita desuetudo obstaret; aut quod beneficia juris patronatus extarent, ad formam Constit. S. M. Bened. XIII. Pius et Misericors. Montis Alti Visitationis die 24 Novemb. 1838.

(70. Quidam Archipresbyteri Ecclesiæ Parœcialis Sambucæ reliquerant redditus unciarum ultra 52 ea mente, ut inter Presbyteros dividerentur ab ipsius Ecclesiæ Archipresbytero pro tempore ad nutum eligendos, qui una cum ipso divinum in ea Ecclesia celebrarent pro eorum suffragio officium, unciis cuilibet senis distributis. Jam vero cum unciæ sexaginta circiter superextarent ex distributione hujusmodi præteritis annis peracta, et præterea unciæ 20 pro Missis non celebratis, petiit a S. Ordine Archipresbyter actualis Vitus Planeta eorum reddituum applicationem, nec non præfati officii celebrationis suspensionem favore Fabricæ Ecclesiæ, quam perpoliendam et instaurandam susceperant: S. Congregatio certiorata ab Episcopo, quod nullum ex implorata suspensione obveniret divino cultui detrimentum, nulliusque juri quæsito præjudicium, salva quinque unciarum distributione favore Josephi Cacioppo, quæ titulo Patrimonii Sacri fuerant illi assignatæ, in reliquis precibus annuit Archipresbyteri Oratoris. In Agrigentina Instaurationis Ecclesiæ die 17 Decem. 1838.

(71. Proposito dubio an et quomodo sit occurrendum reparationi Oratorii S. Andreæ ad Crucem Clivi Brancolensis in Lucana Diœcesi, cujus necessariam restitutionem asserebat Parochus, ut Parœcianis, quorum complures duo milliaria ab Ecclesia Curionali distant, celeriter prompteque adjutandis præsto sit eosque vero ut plurimum in summa mendicitate esse, nihilque posse inde quæritari; S. Congregatio rescripsit affirmative per Patronos, et ad mentem. Mens est ut, iis deficientibus vel renuentibus, curet Archiepiscopus reædificationem Oratorii, ad tramites Concilii Tridentini, erogatis in id opus Libelli 400 per Sodales suffragii solventis. In eadem ad 4 dub.

(72. Ut reædificationi Ecclesiæ Parochialis S. Valentini Ferentini in Hernicis conficiendæ, de qua quinquies, sed diversa facie apud S. H. O. actum fuerat, eo quo fieri poterat modo opitularetur, S. O. ad preces deputatorum Fabricæ concessit per triennium suspensionem vacantis Præbendæ dato responso: Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo, et notificetur ministris Datariæ Apostolicæ. In Ferentina Reædificationis Ecclesiæ die 23 Martii 1839.

(73. Translationem Ecclesiæ Cathedralis ab antiqua ad novam Casertam cum postularet Episcopus, ut majori Civitatis cultusque divini decori melius consuleret, EE. PP. rescripserunt, non proposita, et ad mentem. In Casertana Translationis Ecclesiæ Cathedralis die 27 Apr. 1839.

Digitized by Google

(74. Iterum discussa, instante Communitate Civitellæ Aleani controversia, quæ de collabentis Parœcialis Ecclesiæ reparatione eam inter ac Parochum acta fuerat comitiis diei 15 Septembris anni 1838 in decisis perstitit S. Ordo, decernens impensas pro reparatione, de qua in casu, esse sustinendas per Communitatem, subministrata a Parocho, Beneficiis, et sodalitiis aliqua summa, prudenti arbitrio Ordinarii taxanda et amplius : In Balneoregien. Restaurationis Ecclesiæ Parochialis die 1 Febr. 1840.

(75. Opem postulaverat Archipresbyter S. Constantii, ut præsentibus Ecclesiæ reparationibus provideretur, nec non ejusdem manutentioni, ac sacrarii necessitatibus in futurum; eamdem Ecclesiam causatus dives suum patrimonium omnino amisisse, quod Ducali Leutembergensi familiæ fuerit addictum, cæteraque deessent ordinaria remedia : proposuitque mox in expeditum finem converti redditus piæ hæreditatis Bolognesi in officiis generalibus impendendos, nec non erogari scutata quadraginta penes se deposita pro lite adversus hæreditatis jura mota, ac postea derelicta. At EE. PP. præsentibus tantum necessitatibus consulentes rescripserunt, esse providendum pro impensis actu necessariis, erogatis quadraginta scutatis ex deposito hæreditatis Bolognesi, nec non aliis decem in præsens superextantibus, atque pro hac vice tantum, subministratis a parocho, et cæteris Beneficiatis scutata triginta, celebratis decem missis lectis, et una cum cantu cum adsistentia totius Capituli, et Cleri, facto verbo cum SSmo; quoad futurum vero mandarunt, ut Episcopus curaret expensarum reformationem, et proponeret alia media. In Fanen. Instaurationis Ecclesiæ, ac Commutationis Voluntatis die 11 Julii 1840.

(76. Cum Parochus Ecclesiæ S. Vitalis exposuerit Parœcialis Ecclesiæ urgenti reædificationi occurri incontinenti per taxam a populo identidem persolvendam, veniam postulavit mutuo accipiendi pecuniam, quæ de dotalibus subsidiis nondum solutis extat penes Sodalitium S. Stephani, obtinuitque juxta votum Episcopi, nempe emissa obligatione in forma juris valida, ratam portionem restituendi, prout puellæ in sæculo, vel in Domino nupserint, ac præstito idoneo fundo hypothecariæ inscriptioni subjiciendo, facto verbo cum SSmo. In Assisien. Reædificationis Ecclesiæ Parœcialis die 22 Aug. 1840.

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Si Monasterium, discedentibus monachis, ab eo, qui potestatem habet, alienetur, non censetur vendita Ecclesia Monasterio adnexa, etiamsi eadem in contractu non nominetur, et clausa aliquo tempore maneat. Quod eruitur ex sequentibus.

In hac ultima Gallorum irruptione, cum omnia bona ecclesiastica occupatoris arbitrio distraherentur, Monasterium S. Joannis oppidi *Civita — nuova*, quod inhabitabant Sanctimoniales a S. Clara nuncupatæ, una cum aliis ecclesiasticis bonis Principi de Beauharnais, tunc Italiæ vice Regis fungenti, adjudicata fuerunt.

Restituto vero pontificio Regimine, idem monasterium sub ejusdem dominio perstitit, titulo emphiteusis ex auctoritate S. M. Pii VII eidem concessum. At Princeps de Beauharnais, eodem Pontifice auctorante, monasterium cum illis, quibus acceperat, juribus in Comitem de Saint-Leu publico instrumento transtulit.

Cum vero E. Firmanus Ordinarius sacram visitationem peragereret, comperuit Ecclesiam quæ Monasterio inhærebat, tam structura conspicuam, quam vetusta veneratione celebratam ex jussu Procuratoris Necotiorum E. Domini in usum profanum adhiberi. Itaque suo decreto constituit, ut omnia profana impedimenta ibidem deposita auferrentur, et Ecclesia publico Dei cultui restitueretur. At hanc rem per litteram officiosam datam die 13 Februar. 1838, eumdem Procuratorem monuit, ut intra mensium duorum spatium eamdem Ecclesiam sibi traderet. Quod cum Procurator ille recusasset, res deducta est ad S. C. Ep. et Reg. et dubium in partium contradictione concordatum « An et quomodo sint servanda decreta edita ab Archiepiscopo in actu sacræ Visitationis in Casu ? »

Decreta, de quibus hic agitur, binum caput respiciebant : primo nempe ut restitueretur ecclesia antiqui monasterii; secundo ut item restitueretur quoddam pratum ab eodem Comite possessum. Cum tamen ante causæ propositionem, E. Archiepiscopus circa pratum renunciationem emiserit, hinc nullo de eodem facto verbo, quæstione de ecclesia dumtaxat disceptata fuit.

E. Archiepiscopus uti cardinem statuebat in Comitem de Saint-Leu ea tum jura transivisse, quæ antea Principi de Beauharnais inhærebant, nempe dominium solius monasterii sine Ecclesia, ut verba ipsa indicant, quæ in instrumento adhibita sunt — *Monastero di S. Giovanni di Civita-Nuova, locale ad uso padronale* — Contendebat enim neque ex mente Gallici Occupatoris, qui jus commune Ecclesias extra commercium ponens in eo robore reliquerat; neque ex mente Pontificis Emphiteusim constituentis, quæ potius erat in casu respicienda, in Monasterii traditione Ecclesiam, quam non nominarunt, comprehendere voluisse. Neque itidem confugium haberi posse aiebat ad Doctorum opinionem, qui e contra auctores sunt nomine monasterii Ecclesiam non venire, cum illud hominibus, hæc Deo inserviat. Thusc. ve. Monast. Conc. 338.

In confirmationem vero proferebat Archiepiscopus duas causas prorsus simillimas et in casu fortasse duriori quæ favore Ecclesiæ non vero Domini monasterii decretæ fuerunt; una nempe a S. C. Conc. in Spoletana Ecclesiæ, 12 Sept. 1829; altera ab hac ipsa S. C. Ep. et Reg. videlicet Romana Alienationis Ecclesia hoc ipso anno definita. Perperam vero contendebat opponi, quod

Digitized by Google

obstantibus; Salmanticen. Die 12 Decembris 1761.

§. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Ob nonnullas controversias factas inter novos Deputatos Brephotrophii, et Sodales SSmi Corporis Christi Asculi causa Pontificii Rescripti diei 5 Aug. 1795, quod novos Deputatos Ministro amoto constituere præcipiebat; dubia nonnulla fuerunt in S. C. proposita, sed haud fuerunt resoluta, et mandatum proponi dubium — an constet de obreptione et subreptione rescripti SSmi? Asculana Brephotrophii 9 Julii 1796, dubium 1 ad 11.

(2. Ecclesia Parochialis Villæ Rezodii sub se continet alias quindecim villas seu Pagos, quos inter recensentur finitimi Pagi Brignola, et Pianum animabus circiter tercentum compositi, et ab Ecclesia Parochiali duobus fere milliariis dissiti. Quum in duobus his Pagis nulla Ecclesia, nullumque adesset publicum Oratorium, in quo vel Sacrum celebrare, vel Deo preces effundere valerent, hinc deliberarunt de Ecclesia in dicto Pago Brignoiæ construenda. Contradictorem experti sunt Parochum; sed obtento a Domino Pagorum assensu, stipulatoque de ea construenda instrumento, manutenendaque, institerunt pro facultate præfatam Ecclesiam ædificandi, et impetrarunt, salvis juribus Parochialibus, et ad mentem; Derthonen. Erect. Ecclesiæ 30 Maii 1778.

(3. In dubium venit utrum liceret vendere situm Antiquæ Ecclesiæ, ad hoc ut pretium in constructionem novæ Parochialis Ecclesiæ prope Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ ædificandæ, et ampliandæ erogaretur. Suspensa primum fuit causæ resolutio, et demandatum Episcopo scribi juxta instructionem. Pontis Curvi Reædificat. et Translat. Ecclesiæ Paroch. 13 Sept. 1777, dub. 3. At ad novam inde trutinam ducta causa, affirmativum prodiit responsum cum solitis tamen clausulis; 6 Martii 1779.

(4. Dubitationi obnoxium fuit, an esset locus novæ ædificationi et ampliationi Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli, seu potius illius instaurationi? responsum extitit *dilata*, et scribatur Episcopo juxta instructionem: Pontis Curvi Reædificat. et Translat. Ecclesiæ Parochialis 13 Sept. 1777, dub. 1. Iterum proposita causa, et novis illustrata juribus, et documentis, decretum est, prædictam non instaurandam, sed denuo Ecclesiam ædificandam et ampliandam esse: 6 Martii 1779.

(5. Nec in eodem ædificandam esse situ, sed ad alium situm prope Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ transferendam, cum muniis Parochialibus esse S. C. censuit, etsi Parochiæ incolæ causa loci contradixissent: *Ibid.* dub. 2.

(6. Postulatum item quum fuisset an et cujus expensis novæ prædictæ Ecclesiæ ædificatio, aut antiquæ instauratio facienda sit? affirmativum responsum exiit juxta Episcopi votum. *Ibidem* dub. 4.

(7. Oppidum Crevalorii collocatum in Territorio Abbatiæ S. Silvestri Nonantulæ unicam habet Parochialem Ecclesiam Divo Stephano dicatam. Hac jam fatiscente, auctoque oppidanorum numero, Præpositus Jacobus Graviolius preces exhibuit pro amplioris Ecclesiæ nova ædificatione, exponens simulque sciscitans quanam ratione id perfici posset? novam ædificationem S. C. probavit; et quo vero ad modum dixit ad mentem a D. Secretario Card. Abbati communicandam: Nullius seu Nonantulana reædificationis Ecclesiæ Paroch. 16 Maii 1778. Menti satisfecit Abbas Architectique relationem porrexit; ideo petitur quomodonam ea sit reparanda? et rescriptum denique fuit, juxta votum Cardinalis Abbatis Commendatarii cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis: 6 Martii 1779.

(8. Nullas reparationes faciendas esse in Ecclesia Parochiali S. Mauri oppidi Tumbæ sumptibus Parochi antecessoris statuit S. C. contra votum moderni Parochi, qui post lapsum undecim annorum a Parochia obtenta, et nonnisi post sui Antecessoris obitum, reparationes tum in sacris supellectilibus, tum in Ecclesia et in domibus ex necessario fieri oportere postulavit: Senogallien. 19 Septemb. 1778. dub. 1. confirmat. 15 Maii 1779.

(9. Abbatialis Ecclesia S. Mariæ de Platea ab immemorabili habita semper fuit pro principaliori ab ipsis S. Severi Prioribus. Inter hos autem Priores, et illius Abbates factis circa præeminentias quæstionibus decisum fuit, Ecclesiam illam Abbatialem esse Matricem, majorem insuper, et digniorem esse altera Ecclesia Parochiali S. Severi, quoad actus tantum præeminentiales: Senogallien. Præeminent. 30 Januar. 1779. dub. 1. confirmat. 5 Junii ejusdem anni.

(10. De necessariis reparationibus in Ecclesia Cathedrali faciendis periti retulerant. Triplici hinc certamine dimicatum est, ut decerneretur ad quemnam illarum onus spectaret? Capitulum substinebat ad solum id spectare Episcopum, nisi peculiare adsit statutum, aut contraria consuetudo, vel nisi Ecclesia peculiares habeat pro fabrica reditus, quibus Cathedralis Balneoregii prorsus carebat, et imo probabat hoc onus Episcopis semper incubuisse. Hodiernus Episcopus in Antecessorem Antistitem Baldassinium onus refundebat, et hujus hæres in illum vicissim. S. autem C. respondit, instaurationes esse ad formam peritiæ necessarias, easque ad Episcopum Baldassinium attinere, dempto eo, quod exactum fuit ex gratia SSmi juxta liquidationem coram D. Secretario faciendam. Balneoregien. Ecclesiæ Cathedralis 17 Aug. 1776. dub. 1 et 2. confirmat. 28 Aug. 1779.

(11. Intra fines Spoletanæ Diœceseos adest locus, qui vocatur Podium Primi Casus, ubi una tantum adest Prioralis Ecclesia cum cura Animarum, quam obtinuit Vincentius Bernabo Fulginas Canonicus Basilicæ S. Laurentii in Damaso Urbis. Quum esset hæc Ecclesia fatiscens, minaretur que undequaque ruinam, sacrisque omnibus paramentis et utensilibus careret, paupere populo, et paupere Ecclesia, Vincentium Priorem ad instaurandam et renovandam suam Prioralem Ec-

Digitized by Google

elesiam; necnon et ad sartam tectamque servandam in necessariis parandis suppellectilibus, adigendum esse, populus oravit; sed S. C. causam distulit, et Episcopo scribi jussit ad mentem; Spoletana Restaurat. Ecclesiæ Paroch. et Sacr. Suppellect. 18 Martii 1780.

• (12. Quum Ecclesia S. Mammantis ruinam minitans solo æquata fuisset, et ex cœmentis ad eam reparandam paratis nova Ecclesia S. Mariæ de Platea, quo Simulacrum S. Mammantis translatum fuit, fuisset constructa; postulabatur, an et cujus sumptibus præfata S. Mammantis Ecclesia sit in pristinum reducenda? Sed absolutum S. Congr. rediit responsum negativum: Brictinorien. Translat. Ecclesiæ Parochialis 14 Decem. 1782. dub. 2.

(13. Petita Archipresbyteratus, et Canonicatus provisione, cujus collatio pro reparanda Parochiali Ecclesia Collegiata S. Mariæ terræ Bledæ suspensa erat, S. C. placuit injungere Vicario Capitulari, ut statim procederet ad indictionem concursus pro electione Archipresbyteri cum assumptione coadjutoris, assignata eidem provisione usque ad electionem Canonici curati, et in reliquis ad mentem. Modo Cardinalis de Comitibus Viterbium se contulit, omniaque perfecit; ob id S. C. decrevit, esse providendum ad fabricam illius Ecclesiæ in omnibus juxta votum Card. Relatoris, et ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem: Viterbien. 7 Febr. 1784.

(14. De Parochialis et Abbatialis Ecclesiæ S. Mariæ de Platea terræ Montis-novi matricitate constat quoad actus tantum præeminentiales. Quoniam in solemnioribus anni festivitatibus sacras functiones tamquam matrix peragere consuevit, quemadmodum ex nonnullis etiam conjecturis id evinci poterat; et ipse autem Abbas de rigorosa matricitate ad effectum percipiendi decimas quæstionem instituere non intendit: Senogallien. Præeminent. 27 Martii 1784. dub. 1. Idemque fuit eadem die in altera causa resolutum. *Ibid.*

Qua de causa Cruci prædictæ Abbatialis Ecclesiæ dignior debetur locus, seu præcedentia, et præeminentia: *Ibid.* dub. 3.

(15. Populus Borgii unam habens Ecclesiam, eamque etiam magna scutorum quinque millia reparatione indigentem supplicavit pro novæ potius Ecclesiæ in commodiori loco facienda constructione, quæ ad scuta quatuor millia vix adscendit; et deprecatus est etiam, ut sibi uti liceret in partem sumptuum hæreditate Mariæ Finocchiæ in pios usus relicta. Siquidem hæc pia mulier bis mille libris Januensibus egenis pagi ægrotantibus occurri jussit; et bis deficientibus, mandavit in annos singulos Kalendis Maii panes pauperibus distribui; ratam aliarum librarum 1600 voluit implicari in construenda Capella in illa fatiscente Ecclesia suo nomine et cognomine inscripto: de reliquis fructibus solidos triginta dari constituit singulis annis Parocho pro sacrificio in expiationem animæ suæ Kalendis Maii celebrando, et superextantes erogari in totidem Missis lectis cum eleemosyna solidorum quatuordecim. Idem populus distributioni fructuum bis mille librarum renunciavit, promisitque Capellam ad normam testatricis ædificare in nova Ecclesia, et implere aliquem numerum Missarum, quarum reductionem etiam efflagitat. His omnibus S. C. respondit *affirmative*, reservato onere anniversarii Kalendis Maii a Parocho explendi cum eleemosyna solidorum triginta, et celebratis quotannis nonnullis missis lectis arbitrio Episcopi, et cum eleemosyna ab Episcopo taxanda, et ut ipse incumberet ædificationi Ecclesiæ cum appositione lapidis, et administrationi hæreditatis: Albiganen. Ædificat. Eccl. Paroch. 3 Febr. 1787.

(16. Ob imminentem Parochialis Ecclesias S. Mariæ Cossineani ruinam, Præpositus et Curati contributiones Communitatis, Capellaniarum, Nosocomii, et Sodalitiorum proposuerunt confirmandas, ut nova fieret Ecclesiæ fatiscentis constructio. At quum constructio plurimum expensæ requireret, excogitata fuit reparatio, quæ minores requirebat expensas. Fratres Santucci, qui ex conspectu Ecclesiæ domum habent, sese opposuerunt, dicentes, limitatum fuisse sodalitium, et administratorum consensum ad novam Ecclesiæ constructionem, ideoque trahendam non esse ad instaurationem. Verum S. C. [illegible] de legitimis consensibus pro expensis necessariæ reparationis edixit: Ripana 16 Junii 1787. dub. 1.

(17. Quæsitum deinde fuit, cujusnam sumptibus sit ea Ecclesia instauranda? dictum est, provisum in primo, et scribatur Episcopo juxta mentem: *Ibid.* dub. 2.

(18. Parochia S. Donati jamdiu Episcopali Mensæ unita, et ad statum postea collativum nonnullis pro Parocho, et nonnullis pro Ecclesia bonis assignatis, cæteris autem bonis una cum decimis a Mensa ipsa retentis, reducta fuit. Hinc reparationes in Ecclesia præfata faciendas pro tempore præterito ad Episcopum spectare, quo vero ad tempus futurum, ordinarias spectare ad Parochum, extraordinarias ad Antistitem pertinere, S. C. definivit: posteaquam 14 Dec. 1782 fuerit rescriptum dilata, et ad mentem: Brictinoren. Congruæ 10 Decem. 1785. dub. 3. confirmat. 15 Sept. 1787.

(19. Canonici et Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ S. Petri Montis Martiani in Collegiatam erectæ S. C. oraculum percunctati sunt, num onus reparandi, ac manutenendi Fabricam, et tintinnabula Ecclesiæ spectet ad solum Archipresbyterum; seu potius repartiendum sit inter eum et cæteros Capitulares? hæc definivit, spectare pro tertia parte ad Capitulum, pro reliquis duabus partibus ad Archipresbyterum; Senogallien. 13 Junii 1789. dub. 3.

(20. Cathedralis Ecclesia Arimini a motu terræ concussa, Canonici ad sibi habendam facultatem creandi censum scutorum 5270 supplicarunt, et applicationem reddituum Sodalitii Cruce signatorum, et Hospitalium S. Archangeli, et Montisfloris urbis postularunt. Pontifex immortalis memoriæ Pius Sextus censum nec approbavit, neque impro-

Digitized by Google

bavit; hujusce tamen applicationes denegavit. Hinc Canonici percunctari cœperunt S. C. oraculum super jure et obligatione reparationis Ecclesiæ, et super erogatione redditum Mensæ Episcopalis, qui inter Canonicos ipsos dividi consueverant, quique a nonnullis Benefactoribus erant reparationis onere relicti. Et oraculum fuit, reparationem Ecclesiæ Cathedralis faciendam esse a Capitulo ex redditibus Mensæ Capitularis: Ariminen. Reparat. Cathedral. 18 Sept. 1789. dub. 1.

(21. Quum Episcopus Sarsinatensis in actu Visitationis totam parochialem Ecclesiam S. Mamantis de Falcino delabentem comperiisset, decrevit, infra tempus proximi veris firmiter reficeretur, facta de necessariis expensis peritia, ad hoc ut eæ populo et possidentibus notificarentur, ut unusquisque pro rata sua parte concurreret; sin minus, juxta consuetudinem contra morosos executivum relaxaretur mandatum. Taxationem super æs et libram solvere renuit Laurentius Ricchius, exterus in Parochia possessor, et gravaminis querelam ad Sacram detulit Congregationem. At hæc sancivit præfatum Episcopi decretum esse exequendum: Sarsinaten. 31 Julii 1790.

(22. Adeo Parochialis Ecclesia SSmi Salvatoris Velitrarum fatiscit, ut alibi parochiales agantur functiones. Insignis peritorum judicio ad eam reparandam requiritur summa scutorum 2420; nec pares sunt illius redditus sumptui. Igitur S. C. supplicarunt ejus Officiales pro suspensione onerum, quæ Sacrario, Archipresbytero, Beneficiatis, et Capellanis incumbunt; et responsum prolatum est, ut expectetur relatio Cardinalis Episcopi super petitione Collegii S. Bonaventuræ, quod insignem Capellaniam in ea Ecclesia possidet; hinc concordiam Collegium illud cum Deputatis Fabricæ super contributione inierat: Veliterna Suspens. Miss. 5 Junii 1790. Deinde annuit juxta votum Card. Episcopi: 18 Sept. ejusdem anni.

(23. Ac insuper reprobavit Concordiam prædictam confectam a Collegio S. Bonaventuræ pro Capellania scut. 800. *Ibid.* dub. 2.

(24. Ecclesiæ S. Laurentii fatiscentis, et in incommodo positæ situ demolitio illius Beneficiato permittitur, extructo in proxima SS. Annuntiatæ Ecclesia altari in honorem ejusdem Beati; quum homines Villæ Casalinorum cœmenta Ecclesiæ diruendæ obferrent: Camerinen. Demolit. Ecclesiæ 18 Decem. 1790.

(25. Johannes Franciscus Jacobus duo prædia legavit Congregationi S. Mariæ Gaudii, et S. Apolloniæ Bononiæ civitatis. Horum reddituum medietas in Ecclesiæ ædificio, medietas in celebratione Missarum impendi debebat. Sodales pro Oratorii et S. Sodalitii reparatione explenda postularunt, ut summa 257 scutorum, quæ a morte testatoris superat, eratque sub depositi lege, in reædificationem posset erogari. Sed medietatem tantummodo hujus depositæ summæ obtinuerunt. Bononien. 21 Junii 1783. Alteram inde postularunt depositi medietatem ad perficiendum ædificium, et rescriptum tulerunt, ut scriberetur Card. Episcopo juxta instructionem: 6 Maii 1786. Denique S. C. annuit juxta votum Archiepiscopi 28 Maii 1791.

(26. Facta contentio est, an et de quarum instaurationum, ac reparationum in Ecclesia Cathedrali, quæ confectæ, et quæ sunt faciendæ necessitate constet? resolutum est constare ad formam peritiæ mitioris Termini a Card. Visitatore deputati: Balneoregien. Ecclesiæ Cathedralis 18 Decem. 1790. dub. 1, confirmat. 28 Maii 1791.

(27. Et resolutum insuper est, reparationem hanc in decessorem Episcopum Aluffium, sub cujus regimine fatisci cœpit, refundi, secundum tamen peritiam de mandato prædicti Cardinalis Visitatoris confectam: *Ibid.* dub. 2. confirmat. *ibid.*

(28. Quum Ecclesia Parochialis S. Michaelis de Puteo Foro Cornelii Diœceseos instauratione indigeret, Sacerdos Franciscus Braga Parochus petiit definiri, cuinam onus incumberet instaurationis? restitit petitioni populus. At deteriori facta Ecclesia, per modum provisionis creatus fuit census scutorum centum et viginti super bonis Parochiæ, ut labenti turri sacras ferrent suppetias. In dies restauratione indigente magis Ecclesia definiri postulatur, quis ad reparationem, et ad extinctionem census, ejusque fructuum solutionem sit adigendus?-definitio fuit teneri populum, et possidentes in districtu Parochiæ per æs et libram. Nam impares erant redditus Parochi et Beneficiariorum, et patroni deficiebant: Imolen. Restaurat. Ecclesiæ Paroch. 6 Sept. 1783. confirmat. 10 Jan. 1784. Deinde executio taxæ plene peragi nequivisset renuentibus exteris possidentibus; et re iterum in S. C. delata, S. C. imponendam esse collectam juxta votum Card. Episcopi statuit: 16 Maii 1795, dub. 1.

(29. Et locus est deputationi periti pro recognitione operis: Ibid. dub. 2.

(30. Inter plurima pia legata quæ reliquit Julius Antonius Silvagni inter cætera novæ Ecclesiæ constructionem mandavit. Sed perfici hæc nequit ob defectum redditum, qui impendi debent etiam in subsidiorum dotalium distributionem; hinc postulatur an et quomodo sit consulendum sumptibus necessariis ad perficiendum Ecclesiæ ædificium? respondit S. C. affirmative ex redditibus superextantibus ab anno 1791 inclusive, et Episcopus curet omnino rectam administrationem, injuncta ad hunc effectum Administratori redditione rationis facienda quotannis eidem Episcopo: Ariminen. Subsid. Dotal. et Fabricæ Ecclesiæ 26 Septemb. 1795, dub. 2.

(31. Quum Canonici Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Belviderii pro reparatione Ecclesiæ bis suspensionem, et ad vicennium postremo duorum Canonicatuum Ubertini et Mei; et facultatem creandi censum scut. 1000 obtinuissent; modo post ocularem inspectionem Visitatoris delegati summa prædicta non sufficere agnoverunt, hinc postulant tertii Canonicatus suspensionem nuper vacati, ut contrahere censum possint in summa scutorum

Digitized by Google

2 500, quæ requiruntur ad Ecc.esiæ Fabricam perficiendam; et S. C. concessit suspensionem juxta votum Card. Archipresbyteri Basilicæ Lateranensis : Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ 20 Febr. 1796. dub. 1.

(32. Denegata pro reparatione ædium, et Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi Maceratæ Feltriæ applicatione hæreditatum Gratiosi, et Angeli Remigii Galbini, supplicatum est an et quomodo sit providendum præsenti reparationi ædium et Ecclesiæ Parochialis? S. C. respondit affirmative ex pecunia cumulata, et quatenus opus aliis etiam remediis a Sacro Concilio Tridentino præscriptis : Feretrana Applicat. 27 Aug. 1796, dub. 2.

(33. Tres sunt in Oppido Supini Ecclesiæ Parochiales; una ex his Archipresbyteralis sub titulo S. Petri, quæ ab antiquissimo tempore tantum fontem baptismalem habet, cujus in benedictione conveniunt alii Parochi, qui etiam ab eadem Ecclesia oleum sanctum accipiunt. Non semel dicti Parochi præeminentiam illius Ecclesiæ turbare conati sunt; modo etiam, spreto monitorio Æ. Fontem baptismalem de præcedentis Episcopi licentia in eorum Ecclesiis construxerunt. Sed litem exortam S. C. decidit constare de majoritate, non autem de matricitate Ecclesiæ S. Petri : Ferentina Matricit. et Fontis Baptis. 18 Martii 1797. dub. 1.

(34. Extra mœnia Rocchæ Contratæ sita est Ecclesia nuncupata *la Madonna del Renale* et in ea miraculis clara Beatæ Mariæ Imago. Ibi simplex beneficium erectum est; et quum hæc Ecclesia esset prope diruta; ad reparandam Marcus Antonius legavit scut. 50, quæ summa et beneficii redditus ad reficiendum impares sunt. Theodorus Carletti hoc onus se spondet implere, et Ecclesiam novam intra Oppidi mœnia ædificare, et manutenere, si ei reservetur jus patronatus, et subministretur dirutæ Ecclesiæ cæmenta, Imago, et scuta quinquaginta, et alia scut. quinquaginta a beneficiato subministranda, et ei vendatur prædium beneficii, solvendo fructus compensativos quinque pro centenario. Beneficiatus favet postulationi, et etiam S. C. quæ esse locum reædificationi Ecclesiæ juxta votum Episcopi statuit : Senogallien. Reædificat. Ecclesiæ 6 Maii 1797.

(35. Erecta præbenda Theologali in Ecclesia Cathedrali cum suppressione Conventus parvi PP. Eremitarum S. Augustini nuncupati *della Voltre* in territorio, et Parœcia Vallis Nucis siti, hodiernus Theologus exorat pro demolitione Ecclesiæ, ædium illius Conventus contractione, et missarum quinque translatione ad Cathedralem, quum hæc Ecclesia, et Conventus, in quo modo Coloni habitant, pessimo statu essent, manutentionis onus non leve, et Sacerdotes ad Sacrum peragendum, in illa Ecclesia difficillime accedant. Precibus S. C. annuit juxta votum Episcopi, apposito Icone divi Augustini in altari ab eodem Episcopo designando in Ecclesia Cathedrali. Brictinorien. 24 Novemb. 1792. dub. 1. confirmat 17 Junii 1797.

(36. Vigore piæ dispositionis Card. Petri Pauli de Comitibus institutæ in favorem trium Ecclesiarum S. Mariæ de Trivio, S. Mauri, et S. Mariæ *del Rivo*, reparatæ et iterum ædificatæ dictæ Ecclesiæ fuerunt; sed Ecclesiæ S. Mariæ *del Rivo* prope dirutæ, cujus expresse testator instaurationem non ordinaverat, Episcopo placuit opus suspendere. Putabat enim inutilem illam esse, et superfluam; quum esset in villicula S. Mauri, in qua exiguus est Populus. Re in S. C. delata, declaravit non esse locum illius Ecclesiæ reparationi : Camerinen. 18 Novem. 1797. dub. 3.

(37. Ecclesiæ S. Mariæ *del Rivo* ad hæredes Petri Pauli Cardinalis de Comitibus spectantis demandatur demolitio ob pessimum ejus statum, et inutilitatem in villicula S. Mauri, in qua aliæ duæ sunt Ecclesiæ : Camerinen. die 18 Novemb. 1797. ad 3 Dub.

(38. Ecclesiam Parochialem S. Luciæ Viterbii reparandam esse decernitur ex fructibus beneficii in ea erecti, suspensa ad septennium executione nominationis Beneficiati jam expletæ favore Clerici Caroli Bergassi : Viterbien. Beneficii die 18 Novem. 1797.

(39. Ecclesiam S. Mariæ *del Renale*, positam extra mœnia Rocchæ Contratæ in loco aquoso et lubrico, reædificari permittitur intra oppidum Theodori Carletti, qui eam in proprio despondet solo nonnullis sub conditionibus, ac præsertim reservationis juris patronatus, et emptionis prædii spectantis ad beneficium in eadem Ecclesia erectum, solutis fructibus capitalis donec novum fiat investimentum : Senogallien. reædificationis Ecclesiæ die 6 Maii 1803.

(40. In Ecclesiæ Parochialis SS. Viti et Modesti Oppidi Montis Birotii restaurationem contribuere debere annua scuta bis centum quinquaginta Conventum S. Marci PP. Eremitarum Congregationis B. Petri a Pisis definitum fuit. In Pisauren. Reparationis Ecclesiæ super executione Decreti die 12 Februarii 1803.

(41. Demolitionem Ecclesiæ SS. Simeonis et Judæ, quam sordidam et fatiscentem reparare non poterant Rectores, permisit S. Congregatio cum solitis clausulis, et servata in profanatione censura Sacri Concilii Tridentini, et celebratio quotannis festo S. Titularis, atque commisit Episcopo ut incumberet investimento pretii cæmentorum, ut deinde provideri posset quoad ejus applicationem. In Fanen. Demolitionis Ecclesiæ 13 Septem. 1806.

(42. Ædificationi Ecclesiæ, et ædium Parochialium Villæ Frontilli providendum esse modis extraordinariis ab Archiepiscopo propositis definivit Sacra Congregatio, celebrata in menses singulos Missa pro legato Bartolini usque ad ejus redintegrationem. In Camerinen. Ædificationis Ecclesiæ die 27 Junii et 18 Julii, et 21 Novembr. et 19 Decem. 1807.

(43. Probavit S. Congregatio permutationem fatiscentis Ecclesiæ S. Blasii cum Ecclesia S. Annæ conciliatam inter familiam Mancia, et Parochum Majolati, ex qua illa huic cessit cæmenta demoliendæ Ecclesiæ S. Blasii, et domunculam, ita tamen proba-

Digitized by Google

vit, ut translatio fieret onerum ad Ecclesiam S. Annæ, in cujus aliquo sacello apponeretur Icon. S. Blasii, et dummodo valor cæmentorum, et soli investiretur, et cederet, una cum domuncula favore Parœciæ Majolati et per Franciscum Mancia assignaretur idoneus fundus ab Episcopo approbandus pro implemento quatuordecim missarum. In Æsina Permutationis die 6 Aug. 1808.

(44. Dominico Bartolini postulanti ante novam ædificationem Metropolitanæ Ecclesiæ Camerinensis summam scutorum 488, 60, a se subministratam ob prosecutionem Fabricæ Ædium Parochialium, et Ecclesiæ *di Frontillo* in Agro Camerinensi positæ, et a terræmotu concussæ, respondit S. Congregat. provisum jam esse a Rescripto SS. per Cl. Mem. Card. Carandini dato die 12 Januarii 1808, sequentis tenoris « SSmus mandavit taxam impositam in agro Camerinensi pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis, hac expleta, erogandam esse præ cæteris favore Parochialis Ecclesiæ Frontilli ad effectum reintegrandi Dominicum Bartolini subventorem sumptuum ad eam explendam Fabricam concurrentium. In Camerinen. Ædificationis Ecclesiæ die 25 Januarii 1815.

(45. Antequam decerneret Sacra Congregatio, cujus sumptibus recuperanda sit Ecclesia S. Andreæ Paleani Prænestrinæ Diœcesis, prorogavit judicium, et in executionem præcedentis decreti 21 Maii 1820, statuit, ut Eminentissimus Episcopus dignaretur præfigere terminum unius Mensis ad exhibendum statum activum et passivum Præbendarum et beneficiorum in dicta Ecclesia existentium, nec non ad docendum de erogatione scutorum 486 in reparationibus Ecclesiæ. In Prænestina reparationis Ecclesiæ die 9 Julii 1818.

(46. Fatiscentem, ac nimis angustam Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Nosciani noviter ædificandi facultatem illius Parocho Vincentio Monti facto verbo cum SSmo concessit Sacra Congregatio juxta Votum Episcopi, approbans deficientibus ordinariis media extraordinaria, nimirum venditionem trium censuum, nonnullarum domunculorum et bonorum legati missarum Pedruzzi. In Fanen. Reædificationis die 18 Septem. 1818. ad 1 dubium.

(47. Parocho Ecclesiæ S. Mariæ Nosciani Fanensis Diœcesis perpetuum onus missarum quadraginta pro legatis impositis super tribus censibus, et nonnullis domunculis, nec non aliarum viginti pro bonis Petruzzi in singulos annos celebrandarum imposuit Sacra Congregatio, postquam eorum omnium bonorum ad parœciam spectantium venditionem, facto verbo cum SSmo permisit ut præfata fatiscens, ac nimis angusta Ecclesia reædificari posset. In Fanen. Reædificationis die 18 Sept. 1818. ad 3 dub.

(48. In excitata controversia inter Capitulum Collegiatæ Oppidi Paleani, et Administratores Patrimonii Columnæ, ad quem nimirum de jure pertineret onus reparandi Ecclesiam eam collegiatam, cum a Capitulo in sui defensionem post exaratum folium D. Secretarii, ac tantum paucos dies ante resolutionem exhibita fuerint jura, Sacra Congregatio, ut maturius procederet, definitionem distulit quoad jus, et titulum utriusque partis; sed quia Ecclesia sollicita indigebat reparatione, et ex Capituli allegatione constabat ex tercentorum annorum consuetudine Ecclesiam reparatam fuisse a Familia Columna, etiam post protestationes ab hac emissas, voluit ut interim non retardaretur reparatio sumptibus hujus Patrimonii : in Prænestina restaurationis Ecclesiæ Collegiatæ die 18 Sept. 1818.

(49. Sacra Congregatio, prorogato judicio de iis, qui tenerentur ad reparationem Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Paleani, decrevit, ut firma remanente provisionali resolutione diei 18 Septembris 1819, exhiberetur Status activus et passivus omnium præbendarum, et beneficiorum Ecclesiæ S. Andreæ erect. nec non statuit, ut conficeretur, ac transmitteretur peritia expensæ necessariæ pro omnibus reparationibus, et causa reproponeretur, citatis omnibus interesse habentibus. In Prænestina reparationis Ecclesiæ die 27 Maii 1820.

(50. Principem ab Auria Pamphyli, seu Patronum teneri ad reparandam, et ornandam Ecclesiam B. M. V. *dell' Ajuto* in territorio Montis Clavelli respondit S. Congregatio eidem patrono sciscitanti, quis ad hoc onus teneretur, cum nec Beneficiatos, nec redditus ad id assignatos, nec populum sibi subjectum ea Ecclesia haberet. In Balneoregien. die 17 Julii 1820, ad 3 dub.

(51. Deficientibus aliis mediis a jure statutis pro reparanda Parœcia Montis veteris Brictinorien. Diœcesis, Sacra Congregatio, attenta consuetudine, statuit concedendam esse Episcopo facultatem statuendi decimam prædialem in annuis scutis octo per æs et libram, solvendis etiam a possessoribus non residentibus. Quo vero ad Parœciam Bonaldæ dixit Episcopum teneri ad Ecclesiæ manutentionem, acceptis tantum scutis quatuor sponte oblatis a Parochianis. Hujusmodi decimarum exactionem, et administrationem Parochis, docto quotannis coram Episcopo de erogatione, committendam esse voluit Sac. Congregatio. In Brictinorien. Parœciarum die 29 Maii 1824, ad. 1 et 2 dubium.

(52. Confirmandum esse decretum Vicarii Generalis Lucanæ Archidiœcesis, quo præscripta fuit remotio Scamnorum seu Sedilium ab Ecclesia S. Frigdiani, censuit Sacra Congregatio, præsertim quia decretum hoc latum fuit ad vitandum seditionem, jurgia, et scandala, quæ frequenter illorum sedilium causa in supradicta Ecclesia eveniebant. In Lucana die 25 Januarii 1825.

(53. Standum esse in decisis respondit Sacra Congregatio quoad remotionem hujusmodi sedilium, eo vel magis quod Joannes Mathias Banchieri nullimode suum apertum jus probaverit. In eadem die 22 Martii 1825.

(54. Antequam decerneret S. Congregatio, cujus sumptibus recuperanda sit Ecclesia S. Andreæ Paleani Prænestinæ Diœcesis prorogavit judicium, et in executionem præce-

Digitized by Google

dentis decreti 22 Maii 1820, statuit ut Eminentissimus Episcopus dignaretur præfigere terminum unius mensis Capitulo ad exhibendum statum activum, et passivum Præbendarum, et Beneficiorum in dicta Ecclesia existentium, nec non ad docendum de erogatione scut. 486, in reparationibus Ecclesiæ. In Prænestina Reparationis Ecclesiæ die 9 Julii 1825.

(55. Ob necessitatem reædificandi Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Nosciani Fanensis Diœcesis, et ob aliorum mediorum defectum consulendum esse SSmo censuit S. Congregatio pro concedenda venditione servatis servandis trium censuum nonnullarum domuncularum, et bonorum legati Pedrazzi spectantium ad præfatam parœciam. In Fanen. Reædificatio. die 18 Septemb. 1838, ad 2 dubium.

(56. Cum nulla suppetat Canonica ratio, quæ cogat Ecclesiam S. Antonii de Gajana sejungi ab Ecclesia Parochiali S. Laurentii de Varignano, eoque minus in titulum parochialem erigi: contra ratione loci ac distantia majus sibi commodum pro rebus sacris expostulent qui ad Sanctum Antonium de Gajana accolunt, statuit Sacra Congregatio in hac Cappellanum Curatum stabiliri, servatis servandis cum assignatione primitiarum juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi. In Bononien. Dismembrationis die 30 Maii 1835, ad. 1 et 2 dubium.

(57. Pecuniæ cumulum qui promanaverat ex sacris non litatis in præscriptis Ecclesiis ob earum suppressionem nunc, cultu restitutis erogandum esse a Gente Pallavicinia ut in eisdem Ecclesiis inadimpletis oneribus fiat satis definiit Sacra Congregatio. In Bononien. Cappellaniarum. die 30 Maii 1835, ad 8 dub.

(58. Ea quæ producta fuerunt dubia quoad Restaurationem Ripanæ Cathedralis Sacra Congregatio censuit resolvere ad primam post aquas, interim vero decrevit ut Communitatis sumptibus aquæ removerentur, quæ circum muros Ecclesiæ fluentes Fabricæ ruinam minitari videbantur, et notificaretur D. Præsidi Provinciæ, et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo ad mentem. In Ripana Restaurationis Ecclesiæ Cathedralis die 22 Augusti 1835, ad 1, 2, 3, 4 et 5 dub.

Pro Fabrica Parochialis Ecclesiæ S. Valentini absolvenda proportionatos fundos secernendos esse juxta votum Episcopi in omnibus respondit. In Ferentina Reædificationis Ecclesiæ 13 Augusti 1836. ad 1 et 2 dub.

(59. Ex decreto, quo perpensa relatione Episcopi Viterbiensis petita a Parocho ad S. Mariæ a Podio data fuerat facultas demoliendi Ecclesiam S. Mattei eamque convertendi in usus profanos ad formam Tridentini persentientes E. Patres exoriri graves querelas, suspendi interim executionem rescripti die 13 Mensis Aprilis, prædictisque partibus ad deducendum jura sua in S. Congregatione terminum inprimis mandarunt, deindeque allegationibus hinc inde exhibitis mature perpensis, propositis dubiis quibus de rescripti executione quærebatur; et quatenus negative an, et cujus sumptibus esset in pristinum restituenda Ecclesia S. Mattei, rescripserunt ad D. Secretarium juxta mentem. In Viterbien. demolitionis Ecclesiæ 20 Martii 1838. ad 1 et 2 dub.

(60. Ad reædificandam parochialem Ecclesiam D. Vitalis in Civitate Assisinensi, a fundamentis terræ motu subversam cæteris deficientibus remediis declaravit S. Cong. teneri populum, et possidentes in districtu Parœciæ per æs et liberam. Assisien. Reædificationis Ecclesiæ Parochi. 24 Martii 1838.

61. Cum ære collato ex redditibus Sacrarii, ex Parœciali censu, et ex Beneficiatorum præbendis nondum satis consultum foret necessitatibus Ecclesiæ Curiolani S. Mariæ Gaudentium Ferentini, diuturnique operis curatio administrationi Divini cultus, populi commodo, et fabricæ ipsius tuitioni summopere obesset, Sacra Congregatio ad opus quandocius absolvendum facile indulsit, ut cum ex summa scutorum mille pro qua illud jam prodierat rescriptum, scuta dumtaxat 600 recepta fuerint ex censu cum Taxis conciliato, novum crearetur debitum scutorum quingentorum rescribens precibus in id causæ a Promotore Fiscali datis affirmative in omnibus juxta votum Episcopi. In Ferentina Pensionis et Reparationis Ecclesiæ die 30 Martii 1838.

(62. Cum in Apostolico Indultu a S. M. Benedicto XIV familiæ Amati concesso retinenti fenestram in Ecclesia S. Juvenalis generalis verba fuerint adhibita; Sacra Congregatio hujusmodi jus Aloysio Blasetti uti Palatii Emptori competens, dixit. In Reatina Odei die 14 Junii 1838.

(63. Cum ad novam extruendam Parœcialem Ecclesiam in Terra Musta impares reperti fuerint redditus a Felice Calleja relicti, primum subsidium tulerunt Parochus, aliique presbyteri eidem Ecclesiæ mancipati, ac Parochiani, subinde a S. Ordine petita est condonatio fructuum quorumdam Patrimoniorum et subsidiorum dotalium, qui in usum Fabricæ jam erogati fuerant, eo quod nullus de certo vocatorum genere extitisset; ac præterea ipsorum suspensio usque ad Fabricæ complementum : S. autem Congregatio ad primum respondit : *Affirmative salvo jure puellarum, quæ jam electæ fuerant facto verbo cum SSmo.* idemque respondit ad alterum, salvo tamen quoad patrimonia jure passivo vocatorum de certo genere, si adessent etiam quoad tempus; circa vero subsidia dotalia, firmis dotationibus consanguinearum, quæ legatum jam expostulaverant. In Melevitana Reædificationis Ecclesiæ ad 1, 2 et 3 dub. die 9 Julii 1838.

(64. Unius autem ex dictis Patrimoniis suspensionem favore Fabricæ impediente quodam Clerico Alphord, qui, cum esset ex certo vocatorum genere, jam fuerat nominatus, conditione tamen adjecta ne posset fructus percipere donec ad SS. Ordines promoveretur ad formam fundationis, quamvis causam adduceret, quod nemini in ea Diœcesi Tonsura initiari sine titulo liceret ex

Digitized by Google

lege motus proprii S. M. Pii Sexti, quod si præscivisset Fundator, haud SS. Ordines requisivisset; PP. EE. illius precibus absolute rejectis hujus quoque Patrimonii fructus in usum Fabricæ convertendos esse dixerunt. In eadem ad 8 dub.

(65. In ejusdem Fabricæ utilitatem conventi fructus quoque Beneficiorum liberæ collationis in posterum vacaturorum, de loci consuetudine successionibus reservatos, ab ipso vocationis puncto usque ad provisionis diem decurrentes postulantibus Fabricæ deputatis, S. Congr. annuit precibus quoad Beneficia in Parœciæ tantum districtu erecta, dum vacarent facto verbo cum SSmo. In eadem. ad 4 dub.

(66. Cum vacasset in Ecclesia Cathedrali Canonicatus quidam, collatus fuit Clerico Francisco Schembri, qui, dilata per quadrimestra ob exortas quasdam controversias novi Canonicatus possessione, et hujus, et alterius, quo potiebatur, fructibus se gaudere contendebat, at, contradicente Ecclesiæ Mustensis Parocho propter duorum Canonicatuum incompatibilitatem, concordia inter contendentes inita est, qua Canonicatus Schembri ex scut. melit. 4000 durante vacatione collectis, 1000 dumtaxat favore Fabricæ se cessurum spopondit. S. Congr. prædictorum fructuum applicationem juxta concordiam approbavit facto verbo cum SSmo. In eadem ad 5 dub.

(67. Vacantis Beneficii Kala nuncupati proventus Apostolica Dataria diversis addixit Melitens. Diœcesis Parœciis, assignatis cuilibet respectivis quotis, quarum vel jam depositæ traditarum, vel in posterum percipiendarum applicationem favore Fabricæ Mustensis Ecclesiæ postulantibus deputatis, ea præsertim ratione, quod aliquæ Parœciæ jam erectæ fuerant, et de aliarum erectione contendebatur. PP. EE. preces remiserunt ad Datariam Apostolicam præventam. In eadem ad 6 dubium.

Ad ejusdem Fabricæ explendæ effectum bona Parœcialis Ecclesiæ hypothecandi facultatem administratoribus prædictis concessit S. huic Ordo salva tamen Parochi congrua, et minori quo fieri posset interusurio, cum onere deponendi scut. melit. 100 quotannis ad effectum contracti nominis extinguendi, incipiendo post cessationem alterius indulti ab illis jam ab anno 1835 obtenti, ad quinquennium sub pœnis etc. docto etc. et persolutis interim fructibus. In eadem ad 7 dubium.

(68. Cum reædificanda esset Ecclesia Parochialis Civitellæ Alleani ictu fulminis devastata; et constitisset ex vetustissima consuetudine Municipium principaliter ad Ecclesiæ manutentionem teneri, concurrentibus ex parte Sodalitatibus, Em. PP. jusserunt Ecclesiæ illius reparationem per communitatem explendam esse, subministrata aliqua quota a Parocho, Beneficiis, et Sodalitiis. Balneoregien. Reparationis Ecclesiæ Paroc. ad 1 et 2 dub. die 15 Septem. 1838.

(69. Episcopo Montis Alti a S. Congregatione postulanti remedium occurrendi expensis pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis tenuissimis dotatæ redditibus: providendum esse PP. EE. rescripserunt per impositionem mediæ annotatæ; quin apposita desuetudo obstaret; aut quod beneficia juris patronatus extarent, ad formam Constit. S. M. Bened. XIII. Pius et Misericors. Montis Alti Visitationis die 24 Novemb. 1838.

(70. Quidam Archipresbyteri Ecclesiæ Parœcialis Sambucæ reliquerant redditus unciarum ultra 52 ea mente, ut inter Presbyteros dividerentur ab ipsius Ecclesiæ Archipresbytero pro tempore ad nutum eligendos, qui una cum ipso divinum in ea Ecclesia celebrarent pro eorum suffragio officium, unciis cuilibet senis distributis. Jam vero cum unciæ sexaginta circiter superextarent ex distributione hujusmodi præteritis annis peracta, et præterea unciæ 20 pro Missis non celebratis, petiit a S. Ordine Archipresbyter actualis Vitus Planeta eorum reddituum applicationem, nec non præfati officii celebrationis suspensionem favore Fabricæ Ecclesiæ, quam perpoliendam et instaurandam susceperant: S. Congregatio certiorata ab Episcopo, quod nullum ex implorata suspensione obveniret divino cultui detrimentum, nulliusque juri quæsito præjudicium, salva quinque unciarum distributione favore Josephi Cacioppo, quæ titulo Patrimonii Sacri fuerant illi assignatæ, in reliquis precibus annuit Archipresbyteri Oratoris. In Agrigentina Instaurationis Ecclesiæ die 17 Decem. 1838.

(71. Proposito dubio an et quomodo sit occurrendum reparationi Oratorii S. Andreæ ad Crucem Clivi Brancolensis in Lucana Diœcesi, cujus necessariam restitutionem asserebat Parochus, ut Parœcianis, quorum complures duo milliaria ab Ecclesia Curionali distant, celeriter prompteque adjutandis præsto sit eosque vero ut plurimum in summa mendicitate esse, nihilque posse inde quæritari; S. Congregatio rescripsit affirmative per Patronos, et ad mentem. Mens est ut, iis deficientibus vel renuentibus, curet Archiepiscopus reædificationem Oratorii, ad tramites Concilii Tridentini, erogatis in id opus Libelli 400 per Sodales suffragii solventis. In eadem ad 4 dub.

(72. Ut reædificationi Ecclesiæ Parochialis S. Valentini Ferentini in Hernicis conficiendæ, de qua quinquies, sed diversa facie apud S. H. O. actum fuerat, eo quo fieri poterat modo opitularetur, S. O. ad preces deputatorum Fabricæ concessit per triennium suspensionem vacantis Præbendæ dato responso: Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo, et notificetur ministris Datariæ Apostolicæ. In Ferentina Reædificationis Ecclesiæ die 23 Martii 1839.

(73. Translationem Ecclesiæ Cathedralis ab antiqua ad novam Casertam cum postularet Episcopus, ut majori Civitatis cultusque divini decori melius consuleret, EE. PP. rescripserunt, non proposita, et ad mentem. In Casertana Translationis Ecclesiæ Cathedralis die 27 Apr. 1839.

Digitized by Google

(74. Iterum discussa, instante Communitate Civitellæ Aleani controversia, quæ de collabentis Parœcialis Ecclesiæ reparatione eam inter ac Parochum acta fuerat comitiis diei 15 Septembris anni 1838 in decisis perstitit S. Ordo, decernens impensas pro reparatione, de qua in casu, esse sustinendas per Communitatem, subministrata a Parocho, Beneficiis, et sodalitiis aliqua summa, prudenti arbitrio Ordinarii taxanda et amplius : In Balneoregien. Restaurationis Ecclesiæ Parochialis die 1 Febr. 1840.

(75. Opem postulaverat Archipresbyter S. Constantii, ut præsentibus Ecclesiæ reparationibus provideretur, nec non ejusdem manutentioni, ac sacrarii necessitatibus in futurum; eamdem Ecclesiam causatus dives suum patrimonium omnino amisisse, quod Ducali Leutembergensi familiæ fuerit addictum, cæteraque deessent ordinaria remedia : proposuitque mox in expeditum finem converti redditus piæ hæreditatis Bolognesi in officiis generalibus impendendos, nec non erogari scutata quadraginta penes se deposita pro lite adversus hæreditatis jura mota, ac postea derelicta. At EE. PP. præsentibus tantum necessitatibus consulentes rescripserunt, esse providendum pro impensis actu necessariis, erogatis quadraginta scutatis ex deposito hæreditatis Bolognesi, nec non aliis decem in præsens superextantibus, atque pro hac vice tantum, subministratis a parocho, et cæteris Beneficiatis scutata triginta, celebratis decem missis lectis, et una cum cantu cum adsistentia totius Capituli, et Cleri, facto verbo cum SSmo; quoad futurum vero mandarunt, ut Episcopus curaret expensarum reformationem, et proponeret alia media. In Fanen. Instaurationis Ecclesiæ, ac Commutationis Voluntatis die 11 Julii 1840.

(76. Cum Parochus Ecclesiæ S. Vitalis exposuerit Parœcialis Ecclesiæ urgenti reædificationi occurri incontinenti per taxam a populo identidem persolvendam, veniam postulavit mutuo accipiendi pecuniam, quæ de dotalibus subsidiis nondum solutis extat penes Sodalitium S. Stephani, obtinuitque juxta votum Episcopi, nempe emissa obligatione in forma juris valida, ratam portionem restituendi, prout puellæ in sæculo, vel in Domino nupserint, ac præstito idoneo fundo hypothecariæ inscriptioni subjiciendo, facto verbo cum SSmo. In Assisien. Reædificationis Ecclesiæ Parœcialis die 22 Aug. 1840.

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Si Monasterium, discedentibus monachis, ab eo, qui potestatem habet, alienetur, non censetur vendita Ecclesia Monasterio adnexa, etiamsi eadem in contractu non nominetur, et clausa aliquo tempore maneat. Quod eruitur ex sequentibus.

In hac ultima Gallorum irruptione, cum omnia bona ecclesiastica occupatoris arbitrio distraherentur, Monasterium S. Joannis oppidi *Civita — nuova*, quod inhabitabant Sanctimoniales a S. Clara nuncupatæ, una cum aliis ecclesiasticis bonis Principi de Beauharnais, tunc Italiæ vice Regis fungenti, adjudicata fuerunt.

Restituto vero pontificio Regimine, idem monasterium sub ejusdem dominio perstitit, titulo emphiteusis ex auctoritate S. M. Pii VII eidem concessum. At Princeps de Beauharnais, eodem Pontifice auctorante, monasterium cum illis, quibus acceperat, juribus in Comitem de Saint-Leu publico instrumento transtulit.

Cum vero E. Firmanus Ordinarius sacram visitationem perageret, comperuit Ecclesiam quæ Monasterio inhærebat, tam structura conspicuam, quam vetusta veneratione celebratam ex jussu Procuratoris Necotiorum E. Domini in usum profanum adhiberi. Itaque suo decreto constituit, ut omnia profana impedimenta ibidem deposita auferrentur, et Ecclesia publico Dei cultui restitueretur. At hanc rem per litteram officiosam datam die 13 Februar. 1838, eumdem Procuratorem monuit, ut intra mensium duorum spatium eamdem Ecclesiam sibi traderet. Quod cum Procurator ille recusasset, res deducta est ad S. C. Ep. et Reg. et dubium in partium contradictione concordatum « An et quomodo sint servanda decreta edita ab Archiepiscopo in actu sacræ Visitationis in Casu ? »

Decreta, de quibus hic agitur, binum caput respiciebant : primo nempe ut restitueretur ecclesia antiqui monasterii; secundo ut item restitueretur quoddam pratum ab eodem Comite possessum. Cum tamen ante causæ propositionem, E. Archiepiscopus circa pratum renunciationem emiserit, hinc nullo de eodem facto verbo, quæstione de ecclesia dumtaxat disceptata fuit.

E. Archiepiscopus uti cardinem statuebat in Comitem de Saint-Leu ea tum jura transivisse, quæ antea Principi de Beauharnais inhærebant, nempe dominium solius monasterii sine Ecclesia, ut verba ipsa indicant, quæ in instrumento adhibita sunt — *Monastero di S. Giovanni di Civita - Nuova, locale ad uso padronale* — Contendebat enim neque ex mente Gallici Occupatoris, qui jus commune Ecclesias extra commercium ponens in eo robore reliquerat; neque ex mente Pontificis Emphiteusim constituentis, quæ potius erat in casu respicienda, in Monasterii traditione Ecclesiam, quam non nominarunt, comprehendere voluisse. Neque itidem confugium haberi posse aiebat ad Doctorum opinionem, qui e contra auctores sunt nomine monasterii Ecclesiam non venire, cum illud hominibus, hæc Deo inserviat. Thusc. ve. Monast. Conc. 338.

In confirmationem vero proferebat Archiepiscopus duas causas prorsus simillimas et in casu fortasse duriori quæ favore Ecclesiæ non vero Domini monasterii decretæ fuerunt; una nempe a S. C. Conc. in Spoletana Ecclesiæ, 12 Sept. 1829; altera ab hac ipsa S. C. Ep. et Reg. videlicet Romana Alienationis Ecclesia hoc ipso anno definita. Perperam vero contendebat opponi, quod

Digitized by Google

Ecclesiæ natura de sacra in profanam fuisset immutata; namque pluribus, iisque conformibus allatis testimoniis ostendebat, ab ipso gallico regimine clausam quidem remansisse Ecclesiam, sed minime in usum profanum adhibitam et accommodatam, exceptis postremis hisce temporibus idque opera Procuratoris Negotiorum E. Dni.

At contra hic inter alia propugnabat una cum Monasterio Ecclesiam quoque Principi Beauharnais fuisse adjudicatam, ideoque in ejus Cessionarium devenisse. Axioma siquidem est ubique tristissimum, quod principale sequi debeat accessorium; at vero Ecclesia cum Monasterii ædificio comparata pars est certe magis exigua, neque enim hic ratio habenda erat usui, cui erat antea declinata, sed tantum materiali contractioni. Id autem eo magis persuasum esse debet, quod a tempore alienationis Ecclesiæ nunquam publicæ venerationi aperta fuerit quia ullus unquam reclamaret. Quinimo aliquos testes producebat, quibus probare nitebatur eamdem Ecclesiam in utilitatem domini Monasterii semper usibus profanis inserviisse, postquam monasterium fuerat alienatum. Quibus positis concludebat a casu nostro exulare omnia illa principia, quæ rebus actu sacris dumtaxat possunt accommodari.

Itaque causa proposita in plenario conventu diei 25 Sept. 1840. E. Patres rescripserunt:

Ad 1 partem *affirmative quoad Ecclesiam; in reliquis provisum per declarationem expressam*

Ad 2. *Negative.*

Romana Alienationis Ecclesiæ Titius anno 1812. cum gallici usurpatoris imperio bona ecclesiastica distraherentur, in publica licitatione sibi comparavit — *la Casa conventuale di S. Maria in Trastevere, composta di piani terreni, giardino, due piani superiori* — Cum vero huic religiosæ domui parva Ecclesia esset adnexa, emptor in venditione eam comprehensam fuisse, ideoque sibi cedere debuisse arbitratus est. Hinc non emisit in eadem ea omnia suo ære peragere, quæ ad publicum cultum et Ecclesiæ manutentionem pertinerent. Postea vero domum eamdem alienavit; sed ecclesiam sibi reservavit. Morti proximus hanc ipsam una cum quibusdam sacris supellectilibus Cajæ legavit conjunctim cum Ecclesia S. Mariæ in Aequiro, onere adjecto erogandi scut. 100. in suum funus, aliaque animæ suæ suffragia.

Cum vero dubitaretur num emptio valida fuisset propterea quod agebatur de re sacra, qua versatum extra commercium, dubium S. C. Ep. et Reg. propositum est: « Se la detta Chiesa spetti a' Legatarj, o piuttosto rimanga a disposizione dell' E. Vicarii? » Proposita causa die 13 Martii 1840. S. C. rescripsit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; et ad mentem; mens est; che l' Em. Vicario procuri per titolo di equità, che si dia un compenso pei restauri fatti nella Chiesa di S. Margherita da erogarsene il valore in compenso delle spese del mortorio.*

Una eademque Ecclesia potest esse sæcularis quoad parochiam ibidem adnexam; regularis autem quoad naturam ipsius ecclesiæ. Tunc autem jurisdictio episcopi moderanda est in sacra visitatione juxta Const. Ben. XIV. *firmandis;* ut patet ex sequentibus.

Ecclesia S. Rosaliæ in oppido Cimella Niciensis diœcesis, sæviente gallica irruptione, distracta fuit; ex quo factum est, ut vetus parochia ibidem erecta loco, ubi consisteret, destituta remanserit. Sed cum eodem tempore Minores Reformati per gallicum occupatorem e suo cœnobio abscedere coacti fuissent, Ordinarius, in cujus potestate totum ædificium relictum fuerat, converso in seminarii usum Cœnobio ipso, ad Ecclesiam eidem adnexam S. Rosaliæ parochiam transferendum censuit, et curam animarum presbyteris sæcularibus continuo demandavit.

Pace ubique restituta, memorati Regulares in pristinæ suæ domus possessionem iterum immissi sunt, nulla tamen facta mentione parochiæ ibidem translatæ, quæ a presbyteris sæcularibus administrari non desiit. Quanquam Ordinarius, ut aliquam rationem Regularium duceret, non vero quod obligatione teneri putaret aliquem ex ipsis Regularibus in parochum semper postea nominare consueverit. Quinimo in sacra obeunda visitatione suam ibidem jurisdictionem exercuit perlustrans Ecclesiæ parœcialis Tabernaculum, pixides, Calices, fontem baptismalem, oleum sanctum, altare majus et quatuor aras ad latera surgentes, pulpitum, sacrarium, turrim campanariam, paramenta et opportuna; super omnibus hisce rebus nullo obnitente, edicta protulit.

Usque tum res pacifice inter Episcopum et Regulares processerant; cum tamen anno 1838. Pater Provincialis cum suo definitorio Religiosorum animarum cura præditum, ex officio removeri jussisset, et Episcopus id exequi æquum non judicaret; Regulares illi ad S. C. Episcoporum et Regularium reclamaverunt; conquerentes insuper de excessu jurisdictionis episcopalis in sacra visitatione complenda contra præscriptum Cone. Trid. et Const. Ben. XIV. *Firmandis.* Interpellatus Episcopus rescripsit, sese parochi remotionem justis de causis opportuniori tantum tempori remittere voluisse, et de objecto jurisdictionis excessu cumulative cum Ordinis Provinciali visitationis super Ecclesia jure potiri, exclusive autem super Parochia et rebus ad eamdem pertinentibus. Procurator fiscalis ibidem de suo voto interpellatus inquiebat Cimellæ parochiam nullatenus uti Regularem haberi posse, cum neque ex fundatione, neque ex privilegio, aliove titulo uti talis ostenderetur. Reint. Jus. Can. tit. 3. Tit. 5. n. 2. Hisce addebat ab Episcopo parochum libere semper nominatum fuisse, eque semper provisa fuisse, quæ ad rectum parochiæ regimen conducerent.

E contra moderatores Regularium contendebant Ecclesiam Cimellæ tam ex fundatione, quam ex possessione (si tempus gal-

Digitized by Google

licæ occupationis excipias) regularem declarandam esse. Quod vero parochiam spectat, si effectum, nempe sacramenta atque sacramentalia consideres, uti sæcularem reputari oportere; si autem locum, ubi nempe res omnes ad statum parœcialem pertinentes locatæ sunt, attendere velis, inter ecclesias regulares accensendam esse, ideoque Episcopo nulla alia jura competere præter ea quæ Benedictus XIV. in Const. *Firmandis* declaravit.

Hæc a partibus in jurium suorum defensionem producebantur. Ex quibus omnibus plures emergebant animadversiones. 1. Nempe quod Cimellæ Ecclesia origine erat regularis, et de facto dumtaxat gallica occupatione dominante, uti talis esse desivit. 2. Quod parochia origine erat sæcularis; neque constat aliquam a S. Sede dispositionem extitisse; ex qua in regularem conversa fuerit. 3. Quod proinde qualitas Ecclesiæ separatim consideranda sit a parochialitate, eoque magis quod non desint exempla parochiæ sæcularis in Regularium Ecclesiis erectæ, ut evenit Romæ in Ecclesia S. Hadriani. 4. Quod posita sæculari parochiæ natura, contra sacros Canones videri fecisse Episcopum, cum Regularem eidem præfecit Ben. XIV. Const. *Inscrutabili* § 16, 5. Quod si Ecclesia Cimellæ Regularis declaretur non potuisse episcopum visitare sacras Reliquias publicæ veneration exposita, S. C. Conc. Urbinaten. 10 Martii 1663.

Hisce ad opportunitatem consideratis, dubia E. Patribus proposita referre præstat, quæ sunt hujusmodi:

1. « Se e come convenga approvare la concordia proposta da Monsignor Vescovo? »

Et quatenus negative.

2. « Se debba tenersi per regolare la Chiesa e la parrochia di Cimella? »

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

3. « Se e come possa essere soggetta la Chiesa alla visita del Vescovo? »

4. « Se e come abbia a permettersi, che la cura delle anime sia esercitata da quei Religiosi? »

Quibus E. Patres in generali conventu diei 8 Aprilis 1839, rescribendum censuerunt.

Ad Primum *negative*. Ad secundum *affirmative ad primam partem, negative ad secundam*. Ad tertium *Affirmative juxta Const. Benedicti XIV. Firmandis*. Ad quartum *Affirmative facto verbo cum SSmo etiam pro absolutione et sanatione, saltem ad cautelam quod præteritum: servata forma Const. Firmandis, et favore Episcopi salvo jure transferendi in aliam Ecclesiam sibi bene visam enunciatam Parœciam, quæ in statu sæculari manere debet, licet a Regularibus ad tempus administretur*.

Nota. Primum dubium refertur ad quamdam concordiam ab Episcopo propositam, in qua præsertim statuebatur usus communis sacrarii et supellectilium, necnon pactum honorarii peragendi pro functionibus parochialibus. Quam tamen fuse explicandam non censui, quia ab E. PP. aprobata non fuit

Dominus fundi a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium cogitur ad eum justo pretio vendendum, postquam rite constitutum est eum vere necessarium esse ad ecclesiæ parœcialis constructionem; ut patet ex sequentibus 14 Maii 1841.

In oppido S. Benedicti Riparæ Diœcesis nova parochia cum opportunis facultatibus instituta fuit, ac locata in quadam exigua Ecclesia de Municipii jure patronatus. Quæ quidem cum progressu temporis parochianorum copiæ recipiendæ nimis angusta, et propter loci situm parum salubris perspecta fuisset, cogitatum est de cura animarum ad alium locum magis opportunum transferenda. Ad hanc rem pecunia in promptu erat; nam Patres ab Oratorio nuncupat, in quos animarum cura transierat, summam scut. annuorum 150 remittere, municipes vero summam scut. 2000, contribuere seso obligatione obstrinxerunt.

Licet vero de loco primam Religiosi et Municipes dissentirent; postea tamen ambo in unum convenerunt, nempe ut novum ædificium in quodam fundo emphiteutico construeretur, cujus directum dominium ad quemdam Petrellium, utile vero ad Fratres Castelli pertinebat, in quibus quarta et ultima generatio finem erat habitura. Sed Dominus directus interpellatus ingentissimum primo pretium postulavit; postea vero fundum alienare abnuit; tandem clanculo eumdem cuidam Papettio divendidit.

Cum ita se res haberet, Magistratus et Religiosi supplices apud Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium institerunt, ut Papettius justo præfinito pretio, ad prædium nuper emptum alienandum cogeretur. E contra vero Papettius suam recusationem tueri nixus est tribus præsertim de causis: 1. Quod hoc prædium, cum in extrema parœciæ parte dissitum sit, populi concursui ad sacra officia incommodum evaderet. 2. Quod non desint in medio oppido loca, ubi majori ornatu, et paulo graviori sumptu Ecclesiæ ædificium pertici queat. 3. Quod ad majorem parcimoniam opus suscipi posset eo, quo nunc invenitur, loco; ita enim et locus emendus non esset, et rudera Ecclesiæ veteris atque alterius domunculæ destruendarum operis constructioni inservirent.

Hisce a Sacra Congregatione perspectis Ordinario mandavit, ut rem amico componendam curaret; aliter a viro perito æstimationem fundi fieri juberet. Ordinarius, cum irritæ cessissent amicæ tractationes, fidem rem sit Sacræ Congregationi, qua declarabatur fundi pretium ad scut. 207. ascendere. Sed hæc Sacræ Congregationi non fuerunt satis: nam Ordinario præscripsit, ut unum vel duos viros peritos adhiberet, qui ad faciem loci accedentes de vera Ecclesiæ ibidem construendæ necessitate referrent.

Hi itaque mandatis hujusmodi obsecuti necessitatem memoratam asseruerunt, eorumque testimonio accesserunt et Ordinarius, et loci Magistratus necnon Delegatus

Digitized by Google

Apostolicus, et consilium nuncupatum Congregationis Governativa, cujus munus est Municipiorum consiliares actus excutere, suaque approbatione sancire.

Hæc in facto adnotabantur. In jure autem subjungebatur quod « quamvis nemo cogatur invitus vendere rem suam. » *L. Invitum.* 11. Cod. de Con. Emi. tamen materia coactionis ad vendendum est arbitraria judicis. Rota Dec. 585. § 11. Rec. Cæteroquin, ut docet Reinfest. tit. 17. *de Empt.* § 2. n. 35. communis est doctorum opinio, quod si qua domus aut prædium ecclesiæ ampliandæ necessarium sit, ejusdem dominus ad illud justo pretio vendendum compelli possit L. 3 et 9. 13. C. *de Op. publ.* Cum enim Ecclesia cultui publico destinata sit, ad bonum publicum interesse censétur ejus ædificatio.

Id etiam non solum ad Ecclesias jam erectas accommodatur, sed etiam extenditur ad Ecclesias de integro construendas Covarr. L. 3. *Res. Var.* C. 14. n. 3.

Consonat Reinf. loc. cit. n. 34, 35. qui n. 36. principia statuit, quibus coacta venditio moderanda sit, nempe, quod quamvis communis sit opinio dominum ad venditionem cogi posse, quando absoluta adest necessitas; nihilominus, si una tantum adsit utilitas, possit quidem dominus a judice ad venditionem cogi, quando nullum aut modicum in illum redundat incommodum. Aliter vero, si nempe grave ac notabile detrimentum domino sit subeundum, tunc non judicibus, sed soli supremo principi facultas domini compellendi relicta sit. Addebatur insuper sacram Congregationem procedere ad instar principis, ut docet De Luca in Relat. Rons. Cur.

Utraque pars in contradictione audita hæc juris principia pacifice amplectebatur. Sed in facto una hanc necessitatem et utilitatem excludebat, altera vero mordicus propugnabat.

Ut autem omnis controversia dirimeretur, duæ dubiorum formulæ concinnatæ sunt, nempe:

1. « Se e come debbasi decretare l'alienazione forzosa del fondo nel caso? »

Et quatenus affirmative

2. « Se e qual prezzo debba pagarsi dagli Acquirenti del fondo nel caso? »

Em. Patres in generali conventu diei 14. Maii 1841. in Ripana Venditionis coactæ rescripserunt.

Ad 1. *Affirmative, et esse locum cessioni fundi favore ecclesiæ erigendæ*

Ad 2. *Ad formam concordiæ, et scribatur Ponens Protectori ad mentem; mens est, che nel caso possibile si venisse a quistione col Giostra per altra simile cessione, la comune ed i PP. dell' Oratorio si servano de' loro dritti a forma della Risoluzione al primo dubbio.*

Nota quænam fuerit concordia, et quæstio cum Giostra, de qua loquitur secundum dubium, non apparet ex folio typis edito quod sub oculos habui.

ELECTIO.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Nominatio Capellaniæ seu officiaturæ manualis exemptæ ab Ordinarii potestate, et fundatæ a Dominico Ciuchi in favorem Clerici Aloysii Brecialdi ad ejus vitam expleta fuit. Verum animadvertens tum patronus tum Clericus nominatus vetitam esse a fundatore perpetuationem, convenerunt, quod nominatio nulla foret, quando alter ex filiis patroni ad legitimam ætatem pervenisset, vel ætatis dispensationem impetrasset; hac de re patronum præfatum Clericum removit, proprium filium annorum duorum et quinque mensium nominavit. Porrecta proinde supplicatione pro dispensatione assequenda obstitit Clericus Brecialdius; At S. C. dispensationem indulsit, expletis oneribus: Urbevetana 11. Decem. 1784.

(2. Suspensionem nominationis ad Capellanias institutas a Magdalena et Joanne Baptista Carlini persistendo in secundo loco decisis confirmavit S. Congregat. In Montis Alti Capellaniarum 7 Maii 1808.

(3. Suspensionem nominationis vacantis Canonicatus concessit ad quadriennium S. Congregatio annuente patrono favore Capituli S. Barnabæ Mareni, ut ex fructibus restaurari possent domus, et meliorari fundi rustici ad mensam capitularem pertinentes. In Albanen. Suspensionis Nominationis 18. Junii 1808.

(4. Suspensionem nominationis pro vacanti, et proxime vacatura Præbenda in Collegiata oppidi S. Martini, quam Patronus postulavit, ut fructus erogarentur in augmentum aliarum præbendarum, quæ diminutæ erant ex cessata parte solutionum fructuum Locorum Montium, concessit S. Congregatio ad decennium, nisi prius revivixerint fructus Locorum Montium. In Nullius S. Martini Suspensionis Nominationis 17 Sept. 1808.

(5. Nec non procedendum esse Episcopo ad Collationem Præbendæ Theologalis servatis omnibus servandis in hujusmodi collationibus. *Ibid.* ad 4 dub.

(6. Capitulo Casalensi denegavit Sacr. Congregatio, ut per optionem pro hac vice acquireretur a Canonicis Dignitas Primicerii, cujus collatio ad Sanctam Sedem pertinet, cum nulla pro hac concessione adesset rationabilis causa; et ne a novitate inciperetur judicium dum idem Capitulum postulabat, ut Leges Capitulares ab Episcopo Villaret subversas, ut Laicæ tunc potestati dominanti morem gereret, reintegrarentur, in Casalen. 29 Novembris 1814. ad 11 dub.

(7. Ac proinde ab Apostolica Sede esse conferendam. *Ibid.* ad 12 dub.

(8. Servandam esse decrevit Sacra Congregatio Collationem Canonicatus ab eodem Episcopo Villaret factam Francisco Salina Viro ornatissimo, et a Vicario Capitulari summopere laudato, prævia tamen sanatione, factoque verbo cum SSmo ob ea multa quæ ipsi Capitulo objiciebantur, præsertim retentionis incompatibilium aliorum beneficiorum, quæ tamen pacatis vix rebus, et remoto

Digitized by Google

periculo ne a Laica potestate usurparentur in casu dimissionis, sponte resignavit in Casalen. 29 Novembris 1814. ad 1 Dub.

(9. Competere vero dixit prout, et quatenus de jure eidem Reatinæ Ecclesiæ jus repetendi earumdem rerum comparatarum redditibus ejusdem Ecclesiæ ab hæreditate Episcopi Fioravanti *ibid.* ad 2 Dub.

(10. Priusquam ob tenuitatem præbendarum, et inservientium paucitatem suspensionem concederet collationis vacantium præbendarum collegiatæ Ecclesiæ oppidi Vallerani, ut satisfactis oneribus superextantes redditus in omnium augmentum investirentur audiendam esse censuit S. Congreg. R. Cameram Apostolicam ejusdem Collegiatam. In Civitatis Castellæ Reductionis, et Dispensationis die 18 Decemb. 1818, ad 2 Dub.

(11. Non sustineri definivit Sac. Congreg. nominationem ad secundam Capellaniam Bianchi factam cum antidata a patrono Andrea Galluzzi favore Clerici Joannis Lauri pauperis postquam suum præbuerat assensum, ut Cappellania suspenderetur a SSmo favore pueri Joannis Dominici Tomei, qui ad illam vocabatur a fundatore deficiente linea Galluzzi. In Verulana Capellaniæ die 12 Junii 1822. ad 2 Dub.

(12. Ac proinde cum sustineretur indultum jam concessum a Sacra Congregatione pro suspensione collationis præfatæ Capellaniæ, et erogatione reddituum favore pueri Tomei, jam provisum esse respondit, postulatis utrum scilicet locus esset novæ nominationi, et quibus, et quomodo competeret jus nominandi, et cui esset danda institutio. *Ibid.* ad 3 Dub.

(13. Constare de legitima nominatione facta favore Sacerdotis Gervasii Trojani dixit Sac. Congreg. quia major Patronorum pars eum nominaverit ad Capellaniam S. Mariæ Novellæ Terræ Montis Elpari Diœcesis Montis Alti ab Agnete Tassi fundatam. In Montis Alti Capellaniæ die 12 Julii 1822.

(14. Nec non constare de legitima nominatione favore Sacerdotis Simonis Revelli ad capellaniam S. Joannis Evangelistæ a majori parte patronorum ejusdem familiæ facta intra quadrimestre dissentiente licet minori parte, iterum definivit Sacr. Congreg., dum in decisis quoad primum dubium sub die 19 Septembris elapsi anni standum esse respondit In Albinganen. Capellaniæ die 18 Septemb. 1822. ad 1 Dub.

(15. Hinc cum etiam legitima adfuisset, ejusdem Sacerdotis Revelli præsentatio non esse amplius locum novæ nominationi confirmavit. *ibid.* ad 2 Dubium.

(16. Constare de legitima nominatione favore Comitis Jacobi Piccolomini Primicerii Metropolitanæ Ecclesiæ Senensis peracta a Sac. Rota ad relictum prælatitium Amadori propter caducitatem incursam ob initum conjugium absque SSmi dispensatione a Francisco Landucci, qui a Sacerdotio tantum suscipiendo fuerat dispensatus, definivit Sacra Congregatio In Romana die 13 Feb. 1838, ad 2 Dub.

(17. Ac proinde fructus relicti prælatitii deberi Primicerio Piccolomini a die nominationis, *ibid.* ad 3 Dubium.

(18. Precibus Mariæ Annæ Mascardio Jessiæ, quibus postulabat disferri nominationem præbendæ Canonicalis in Ecclesia Cathedrali Sarzanensi per Canonicum Bartholomeum Mascardium fundatæ, ut impletis religiosissime omnibus oneribus reliqui redditus ad levandam ingentem, qua ipsa laborat inopia conferantur quoad usque aliquis ex linea prædicta idoneus exsurgeret, qui eadem potiri ad mentem Testatoris valeat, Emi Patres rescripserunt dilata ad primum post agnos In Lunen. Sarzanen. Suspensionis Nominationis die 30 Martii 1838, ad 1 et 2 Dub.

(19. Judici Pro synodali Joanni Baptistæ Jandolfo tanquam Delegato Apostolico in Causa sibi commissa a SSmo non competere jus eligendi, et adhibendi Notarium laicum posthabito Cancellario Curiæ Archiepiscopalis censuit Sac. Congregatio cum tale jus nec ex consuetudine, nec ex jure Canonico, nec ex delegationis Breve probaretur In Januen juris eligendi et adhibendi Notarium die 31 Junii 1838.

(20. Quod post expletam nominationem Præsbyteri Falzaresi ad Mansionariam Corradini in Collegiata Sabiniani erectam, ad nutum amovibilem Canonici Patroni Alexandri Zampanelli pauperi hæredi, cui onus pensionem Mansionario persolvendi inerat, scutata quinque ad quinquennium remiserint adeo ut ille ab antiqua erga validitatem nominationis querela cessaverit, orto dubio Capitulo, an simoniæ labes intercesserit, plures post annos quæstionem super nominationis validitate S. Ordini admoverunt, vel saltem sanationem, et absolutionem postularunt, obtinueruntque hanc postremam ad cautelam. Ariminen. Mansionariæ super nominatione die 15 Septembris 1838, ad 1 et 2 dubium.

(21. Iterumque in examen adducta hujusmodi postulatione cum petitam nominationis suspensionem prorsus adversari juris regulis et sententiæ Patroni activi, nec non utilitatem, voluntatemque Compatroni passivi Fundatoris jus bonum Sarzanensis Ecclesiæ, jus denique quæsitum tertii exinde lævi animadverteret Sacra Congregatio, locum non esse responsioni nominationis respondit In eadem die 23 Nov. 1838, ad 1 Dub.

(22. Cumque Fundator Præbendæ hujus Canonicalis supra numerum jus nominandi Rectorem Capitulo et Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Sarzanensis abdixerit ea tamen lege, ut extraneos tunc solum præsentare possent cum descendentes idonei ex prædicto stipite defecissent; ob impetratam re adhuc integra per Carolum Chiocoa ex Rosa Mascardia descendentem, tum ætatis Sacerdotii defectus ab Apostolica Sede sanationem Emi Patres rescripserunt, proposito dubio an et quem ex Linea Francisci Mariæ Mascardi tenerentur Electores ad Canonicatum nomina

Digitized by Google

re, seu potius possent alios quoslibet vocare juxta mentem Testatoris, satis provisum fuisse per Breve Apostolicum eligibilitatis, ideoque Capitulum posse, non autem teneri nominare Clericum Carolum Chiocoa In eadem ad 2 Dub.

(23. Ex satis amplo Prioris Cathedralis Aesinæ patrimonio sejunctis per Apostolicas Literas die 10 Septemb. 1821. Certis quibusdam fundis, ut ex ipsorum redditibus Census haberetur pro Collegio octo beneficiariorum seu Mansionariorum, qui ad divina officia in æde illa principe ritu obeunda desiderabantur, quique libere collationis per Pontificem Summum renunciati sunt, Emi Patres restiterunt Canonicorum postulationibus, quibus jus nominandi ad Beneficia illa, quod sibi reservare declaraverant quando de priorali patrimonio imminuendo consensum præstiterant, vindicabant, edito responso negative In Aesina Nominationis die 14 Decemb. 1838.

§. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Romana Declarationis Resolutionis super electione Guardianorum Minorum Conventualium.

In provincia Romana consuetudo penes Minores Conventuales invaluerat, ut Patres in Capitulo congregati Patribus Graduatis facultatem facerent eligendi Guardianos Conventuum filiationis vel paternitatis, ipsis tradendo schedulas electionis cum die et subscriptione, at sine nomine personæ electæ.

Orta dubitatione, an ista consuetudo sustineri posset, res proposita fuit apud Sacr. Congregationem negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium præpositam in Romana super electione Guardianorum Minorum Conventualium in generali auditorio diei 3 Martii 1837, cum sequenti dubio. « Se la consuetudine introdotta nella provincia Romana di rimettere ad alcuni graduati la scelta de' Guardiani de' respettivi loro conventi sia contraria alle Costituzioni dell' Ordine? »

Eminent. Patres rescripserunt: *Servandas esse regulas a Constitutionibus præscriptas in electione Guardianorum, salva consuetudine permittendi Patribus Graduatis, non tamen titularibus præsentationem Guardianorum, Conventuum filiationis, aut paternitatis, reservato tamen Capitulo provinciali jure confirmandi vel infirmandi præsentationem per secreta suffragia.*

Vix hujusmodi resolutio prodiit multis aliis controversiis via patefacta est; ideoque iterum res penes eumdem sacrum ordinem deducta est. Ibi igitur iterum causa proposita est cum iis, quæ sequuntur, dubiorum formulis, nempe:

1. « Se la risoluzione della Sacra Congregazione del giorno 3 Marzo 1837, emanata per la provincia Romana si debba estendere a tutte le altre provincie, in cui vi è la stessa consuetudine, ed anche ai Definitori generali?

2. « Se col ramo di Capitolo provinciale s'intenda nel caso di cui si tratta, soltanto il Capitolo provinciale propriamente detto, ovvero, ancora tutte le Congregazioni Capitolari, in cui prima del nuovo Capitolo si *eleggono i Guardiani?*

3. « Quali sono i Padri Graduati, cui spetta la presentazione de'Guardiani?

4. « Se le presentazioni dei Guardiani fatta dagli Ex. Ministri Generali si debbano assoggettare allo scrutinio segreto, perchè siano confermate o riggettate; o piuttosto le suddette presentazioni si debbano ammettere e confermare senza scrutinio?

5. « Se riggettata la presentazione possa il P. Graduato proporre altro soggetto, o piuttosto si debba prout de jure procedere alla elezione? »

Quibus Emi rescripserunt in Romana Declarationis.

Ad 1. *Affirmative in omnibus.*

Ad 2. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad 3. *Ministri Generales, Ministri Provinciales, Commissarii et Adsistentes Generales, qui actu suo munere funguntur, vel jam functi sunt.*

Ad 4. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Ad 5. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ut facilius ea intelliguntur, quæ in secundo, et tertio dubio præsertim disceptata fuerunt, duo maxime adnotanda esse videntur:

1. Definitorium generale tertio quoque anno convocatur, ab eoque eliguntur ad annum etiam Guardiani nuncupati di *mensa generalizia:* at in duobus annis, qui medii intercedunt, eliguntur a Ministro Generali una cum suis Adsistentibus, Ministro Provinciali et Guardiano, qui Conventui, ubi residet Generalis, præfectus est, vocatis duobus ipsius provinciæ Definitoribus. Electio autem Guardianorum omnium aliorum Conventuum ad provinciale uniuscujusque provinciæ definitorium pertinet, quod olim quotannis congregabatur, nunc autem bis in quodlibet triennium, ut præscribunt apostolicæ Litteræ in forma Brevis Clementis XIII, anno 1762 datæ.

2. Præter Graduatos proprie dictos, sunt et illi, qui simplicem habent titulum, ut simplices Magistri, ac Provinciarum Definitores, Ex-ministri Generales, Ex-procuratores Generales, Ex-provinciales Generales, et Definitores Generales, qui universi, primis duobus exceptis, nuncupantur *di Grazia.*

ELEEMOSYNA.

§. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Postulante Communitate an et cui, et quibus in locis jus competat colligendi eleemosynas, et Obligationes in Divi Peregrini Latiosi, ejusque altaris, quod in Ecclesia Patrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis extat, honorem et venerationem a fidelibus exhibi-

Digitized by Google

tas, et exhibendas? S. C. decernit, intra Ecclesiæ ambitum competere Religiosis; extra Ecclesiam vero competere administratoribus Capellæ de Episcopi licentia: Forolivien. 11 Septemb. 1784, dub. 9.

(2. Decernit deinde eleemosynas ab administratoribus Capellæ colligendas esse juxta modum, et formam ab Episcopo præscribendam, et erogandas illas esse, vel juxta offerentium mentem, vel juxta decretum anni 1627, illas vero, quæ a Religiosis in Divi Peregrini honorem intra ambitum Ecclesiæ colliguntur, depositario ejusdem Capellæ esse consignandas: *Ibid.* dub. 10.

(3. In beneficium simplex erecta fuit Ecclesia ruralis S. Antimi, quam sitam esse intra fines Parochiæ S. Blasii Castri Majoli Archipresbyter Petrus Camagli probat; et hoc beneficium unitum fuit Seminario, quod possessionem inde cepit Ecclesiæ, Domunculæ annexæ, et bonorum. Archiepiscopus prohibuit factitare eleemosynarum coactionem, quæ ab Archipresbytero fiebant in ipsa Ecclesia S. Antimi; ideo consequutus est Archipresbyter, quia ipse claves Ecclesiæ retinebat, et sacras functiones exercebat, etiam post beneficii Seminario unionem; proinde orta controversia S. C. decidit eleemosynarum collectas arbitrio Episcopi esse permittendas: Feretrana 9 Julii 1786, dub. 3.

(4. In statuto confraternitatis animarum purgantium in Ecclesia S. Nicolai erectæ, Urbis Vallettæ, cautum capite quarto est, ut eleemosynæ ad quas fideles offerentes invitabantur, non in solam sacrorum celebrationem erogandæ sint, sed erogandæ tantum sint in missas celebrandas, et in alias expensas pro ejusdem Ecclesiæ, et Sodalitii manutentione. Statutum hoc confirmari petierunt Sodales, et postulatis satisfecit S. C. juxta modum: Melevitana Confirmationis Statuti 19 Aug. 1786.

(5. Eleemosynas in Ecclesia Collegiata S. Petri Montis Martiani per Æditum ad formam tertii decreti Anni 1781 custodiendas esse decernitur, exceptis Eleemosynis ad Societatem B. M. V. Rosarii pertinentibus: Senogallien. 13 Junii 1789. dub. 10.

(6. Præter missarum 5500. onus etiam eleemosyna panis, et leguminum scut. 15. 86. omissa fuit quoad legatum a Petrino et Johanne Bartholomeo Noja relictum. Modo pauperes hæredes patris, qui onera neglexit, absolutionem petunt, et assequuti sunt, imposito aliquo Missarum onere. Vercellen. Suspensionis Onerum 15 Decem. 1792, dub. 2.

(7. Onus solvendi eleemosynam Concionatori Cathedralis Lunen. Sarzanen, quod Gallorum decreto ab Episcopo in ejusdem Ecclesiæ Massales fuerat translatum; quoniam leges Gallorum ad res ecclesiasticas pertinentes una cum eorum regimine interiere, spectare ad Episcopum censuit Sacra Congregatio, facta per Massales declaratione, nullum sibi jus competere nominandi Concionatorem, in Lunen. Sarzanen Stipendii Concionatoris 18 Septembris 1824.

EPISCOPUS.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Ad dirimendas nonnullas obortas controversias inter Promotorem fiscalem Curiæ Episcopalis Melitensis, et Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum S. Pauli Oppidi Vallettæ, et S. Helenæ Imperatricis Birchirchariæ Diœcesis prædictæ, super genuflexione facienda Episcopo, quoad Canonicos prædictos, Emus, et Rmus Dnus Cardinalis Boschi Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata, S. R. C. decidenda proposuit, nempe:

1. « An in functionibus, aliisque in casibus, in quibus Episcopus privatim adstat, et pontificaliter non indutus, Dignitates, et Canonicis insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Pauli ante ipsum transeuntes debeant genuflectere, seu tantum caput, et humeros profunde inclinare in casu, etc.?

2. « An Dignitates, et Canonici S. Helenæ Imperatricis Collegitæ Birchirchariæ in functionibus Ecclesiasticis, quoties transeunt ante Episcopum debeant genuflectere, vel tantum caput, et humeros profunde inclinare in casu. » etc.

Et S. eadem C. utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, an relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Providebitur in casibus particularibus.*

Ad 2. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* Et ita decrevit, et servari mandavit. Meliten Genuflexionis. die 16. Maii 1772. *Ibid.* numer. 2.

3. « Quomodo celebranda est dies anniversaria Consecrationis Episcopi, si occurrat in die duplici minori? Ratio est dubitandi, quia duplex minor non est solemnioribus memoratis in decreto S. R. C. 4. Aprilis 1705. (3569. dub. 2.) nec de feriatis, juxta *Cæremoniale Episcoporum* lib. 2. c. 35. »

Ad 3. *Juxta votum D. Magistri cæremoniarum, nempe, in die consecrationis Episcopi occurrente Officio dup. Officium recitandum esse de dicto dup. in Missis privatis post alias, si occurrant, faciendam commemorationem consecrationis cum collecta*: Deus omnium fidelium, etc., *post Nonam celebrandam Missam solemnem pro electione, vel consecratione Episcopi cum* Gloria. Credo, *et* Præfatione *de communi*. Portogallien. die 17, Septembris 1785.

(2. Quum non una, eademque sit Auctorum omnium sententia, de privilegiis, quibus Episcopi Titulares præsertim, gaudent, relative ad Missæ celebrationem, dum in propria, vel aliena Diœcesi peragrantur; ad quascumque eliminandas dubitationes, sequentia Dubia in Ordinario Conventu Sac. Rit. diei 22. Augusti labentis, Emis, et Rmis PP. enucleanda proposita sunt, nimirum:

1. « Se un Vescovo Titulare possa, senza un speciale Rescritto, eriggere l'Altare ovunque

Digitized by Google

egli voglia, ancorchè nella Casa di sua abitazione esista già una Cappella per uso de suoi Parenti?

2. « Se possa, oltre la sua Messa, far celebrare altre Messe?

3. « Se detta Messa, o Messe vagliano in adempimento del precetto, anche a suoi Parenti seco abitanti, ed alle persone non solo addette al suo servizio, ancorchè non necessarie nell' atto della Messa ma anche di servizio di detti suoi Parenti seco abitanti.

4. « Se possa celebrare, e far celebrare ne' giorni soliti eccettuarsi nell' Apostolico indulto?

5. « Se nel caso, che i suoi Parenti, quali già godono dell' Oratorio privato, avessero fatto celebrare la messa, possa il Vescovo far celebrare un' altra Messa, oltre la sua? »

Sac. eadem Rit. Congregatio, audito prius altero ex cæremoniarum Apostolicarum Magistris qui suam scripto sententiam pandidit, typisque evulgavit, referente Emo, et Rmo Dno Cardinali Matthæio, loco Emi, et Rmi Dni Cardinalis Julii Mariæ de Somalia Præfecti, et Ponentis absentis, respondendum censuit.

Ad 1. *Affirmative. Verum consulendum SSmo pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi, in casibus a jure permissis, hospitantes domi, vel parentum vel Extraneorum, qui gaudent Indulto Oratorii domestici, possint et valent in eodem celebrare, vel celebrari facere, loco et vice Aræ portatilis quam tantum extra propriam Diœcesim indulget Bonif. VIII. Cap. Quoniam Episcopi, De Privilegiis in* 6, *servata in reliquis forma Decreti S. M Clement. XI. juxta tamen posteriores declarationes S. M. Innocentii XIII. et Concilii Romani sub Benedicto XIII. cap.* 15, *num.* 3.

Ad 2. *Negative; verum consulendum SSmo pro extensione Privilegii quoad unicam Missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire.*

Ad 3. *Affirmative quoad familiares dumtaxat eidem Episcopo actu necessarios, Negative quoad reliquos.*

Ad 4. *Affirmative*

Ad 5. *Jam provisum in primo, et secundo* Die 22. Augusti 1789.

Facta autem relatione de præmissis SSmo Dno Nostro PIO VII. Pont. Max. Sanctitas Sûa Sacræ Congregationis responsa « approbavit, confirmavit, et extensionem Privilegii, ut in responsione ad primum, et secundum ex propositis dubiis indulsit, » contrariis non obstantibus.

« Quoniam per mox relatum Decretum provisum est Privilegio, quo gaudent Episcopi, adhibendi Aram Viatoriam: non ingratum fore arbitratus sum, si hic adjicerem nuperrimam Encyclicam SS. D. Nostri Pii VII. Pont. Max. ad Archiepiscopos, Abbates, et Priores, Jurisdictionem quasi Episcopalem in Italia, et adjacentibus insulis exercentes; qua tolluntur, et irritantur abusus circa Aram portatilem, sive Oratorium domesticum, quo gaudere præsumunt adscripti inter sodales Archiconfraternitatis S. Mariæ de Campo Sancto Urbis Dub. De Episcopis Titularibus, die 15. ejusdem mensis et anni.

(3. 4. « An Episcopo, seu Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis ab eo invitatis, jus competat ducendi ad Collegiatam capellanos, mansionarios, aliosque clericos, nec non seminaristas Cathedralis, invito Capitulo ejusdem Collegiatæ in casu, etc.

9. « An, et a quo sit præstandum thus, et osculum Evangelii Episcopo solemniis simpliciter assistenti, nec non ejusdem peragenda thurificatio in casu, etc.

Ad 4. « Quoad Episcopum ad mentem. *Mens est;* non denegari Episcopo jus ducendi secum personas sibi benevisas, tamquam de suo honorifico comitatu, sed non expedire, ut præter Dignitates, et Canonicos Cathedralis, alios adducat ad hoc, ut sacris functionibus Ecclesiæ Collegiatæ formiter interveniat, et assistat. In reliquis Negative. »

Ad 9 *Affirmative in omnibus, ad formam Cæremonialis, et resolutionis superioris Dubii sub numero tertio.* Melevitana Præeminentiarum die 15 Junii 1818.

(4. Rmus Præsul Franciscus Maria Zoppi, qui Sanctissimo annuente Episcopatum Massensem dimisit, in eo est, ut potiatur Canonicatu superioris Ordinis in Metropolitana Mediolanen. Ecclesia, et ne in hoc novo munere aliquid detrahat Episcopali Dignitati, ac vanitatis notam devitet, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna dilucidatione proposuit nimirum:

1. « Quænam Sedes, vulgo Stallo, sibi competat in Choro, in quocumque Capituli congressu, et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. « Quemnam habitum gerere in Choro, quemnam in publicis Supplicationibus, aliisque Sacris Functionibus, quemnam extra Chorum, quum privatam personam agit?

3. « An teneantur in sua hebdomada Missam, et Vesperas canere seu celebrare, aliaque singulariter peragere, ad quæ tenentur Canonici ejusdem Ordinis in sua quisque hebdomada?

4. « Et quatenus teneatur, an Sandaliis, Dalmaticis, Mitra, Baculo pastorali, Cruce, et similibus Episcopo competentibus uti debeat?

5. « Quatenus vero non teneatur, vel sibi liceat a præfatis Hebdomadarii Officiis se abstinere, an distributiones amittat, quamvis Choro cum ceteris Canonicis interfuerit?

6. « An debeat Archiepiscopo Solemnia agenti assistere, ministrare, aliaque præstare, quæ ceteri ejusdem Ordinis Canonici de more eidem præstant?

7. « Quum autem Orator minime ignoret a ceteris ejusdem Ordinis Canonicis ægre ferri Episcopum e gremio ejusdem Capituli vestes, et caligas coloris violacei, et quidquid aliud Episcopalem Dignitatem referat in Choro eorumque congressu, gestare, et quodcumque se ab ipsis distinguere, ac proinde non multis abhinc annis duos ejusdem Capituli Canonicos a Summo Pontifice Episcopos in partibus renunciatos, locum,

Digitized by Google

quem antea in Choro habebant, et in quovis Capituli congressu retinere, et Missas, et Vesperas aliasque Functiones in sua hebdomada, nulla adhibita Indumentorum aliave distinctione, ceu reliquos Canonicos hebdomadarios celebrare consuevisse, seque dumtaxat a Supplicationibus publicis Episcopalis honoris ergo abstinuisse, distributiones tamen amittendo, ac si culpabiliter minime interfuissent, obsequentissime postulat : An teneatur, vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte? »

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Cœtu Vaticanum subsignata die coadunata, referente me infrascripto Secretario, attentis expositis, ac singulis rationum momentis serio examine perpensis rescribendum censuit.

Ad 1 et 2. *Ratione Episcopatus posse, et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rocheto supra subtanam, et Mantelletto violacei coloris, et debere præcedere omnibus aliis Canonicis, et sedere in primo Stallo supra omnes ut in Compostellana diei* 15 *Junii* 1617.

Ad 3. *In Missis de Turno abstineat, et subroget alium ut Asculana diei* 10 *Aprilis* 1728, *in Solemnioribus cum Indumentis Pontificalibus, sed de licentia Episcopi.*

Ad 4. *Jam provisum.*

Ad 5. *Quoad primam jam provisum ; negative quoad secundam partem.*

Ad 6. *Tenentur sedere in Choro cum Pluviali.*

Ad 7. *Negative in omnibus.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. Mediolanen. die 16 Martii 1833.

8. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Impositio superpellicei, quo prima tonsura initiandi utuntur, facienda est ab Archiepiscopo Theani; quod si iste actus fit propter admissionem ad servitium Ecclesiæ Sepulchri Religionis Hierosolymitanæ, expediri debet per Vicarium Prioris : Theanen. anni 1781. dub. 4.

(2. Denique sancitum est Episcopi prænominationem utrique Ecclesiæ nominatæ in suo disjuncto Kalendario competere : *Ibid.* dub. 15.

(3. Episcopo Ferentino visitanti Diœcesim, et Sacramentum Chrismatis in visitatione administranti S. C. vetuit, ne quid procurationis nomine a Communitatibus, licet sponte, et si ab immemorabili consuetudine septem scuta, aut paulo majorem summam exhibentibus, acceperat ex causa administrationis Sacramenti confirmationis : Ferentina Visitat. Sacr. liminum 20 April. 1782.

(4. Instituta a Conjugibus Bernardo, et Magdalena Caponetti Capellania mere laicali in Ecclesia Collegiata Oppidi S. Elpidii cum onere ibi celebrandi per se ipsum, hæc adjecta etiam lex fuit, ut si Capellanus aliquam obtineret dignitatem ecclesiasticam Datariæ ac Cancellariæ Regulis subjectam, tunc Capellania eo ipso vacaret. Hanc possidens Bartholomæus Bacher dignitatem Episcopalem Ecclesiæ Ripanæ adeptus est, et S. C. consulta eam vacasse decidit : Firmana Capellaniæ 16 Martii 1782. dub. 1. confirmat. 13 Julii ejusd. anni.

(5. In dubium ponitur an ab Episcopo qui duas habet Concathedrales peragenda sint in Civitate Tuscanensi pontificalia, ordinationes et consecrationes Sacrorum Oleorum, vel saltem alternatim in altera Cathedrali Viterbi? commendatur decisio arbitrio et prudentiæ Episcopi, et ad mentem : Viterb. seu Tuscanen. 11 Januar. 1783, dub. 3.

(6. Et dubium an idem Episcopus teneatur residere in civitate Tuscanensi per aliquod temporis spatium singulis annis? arbitrio pariter et prudentiæ Episcopi remittitur, et ad mentem : *Ibid.* dub. 1.

(7. Inde definitum est, ut in actibus privative respicientibus Ecclesiam Tuscanensem, Episcopus semper, et ubique denominari debeat Episcopus Tuscanensis et Viterbiensis : *Ibid.* dub. 11.

(8. Quum quæreretur utrum Episcopus qui duas habet Cathedrales consistere teneretur in Urbe Tuscaniæ per aliquod temporis spatium singulis annis, rescriptum exinde fuit, arbitrio et prudentiæ Episcopi, et ad mentem : Viterbien. seu Tuscanen. 11 Jan. 1783. dub. 4.

(9. Episcopo Nucerino Ecclesiam S. Leonardi ruralem, et in Territorio Oppidi Gualdi sitam, et ad Commendam S. Justini Perusiæ Ordinis Hierosolymitani, spectantem visitare minime licere rescriptum fuit. Nucerina juris Visit. 25. Januarii 1783. dub. 1.

(10. Quin et Visitationem ab eodem Episcopo in dicta rurali Ecclesia factam omnino circumscribendam esse ex defectu jurisdictionis, minimeque esse attendendam, et nullum fuisse sequestrum de ejus mandato Colonis Commendæ indictum, S. C. sic judicavit. *Ibid.* dub. 2.

(11. Episcopo Perusino Ecclesias non Parochiales, quæ de juribus sunt commendæ S. Justini Ordinis Hierosolymitani visitare non licet, etiamsi ab ejus Prædecessoribus visitatæ eæ fuerint : Perusina Juris visit. 25 Januarii 1783. dub. 1.

(12. Disquirit inde an in actibus communibus respicientibus utramque Ecclesiam Viterbiensem, et Tuscanensem, cuinam ex iisdem Ecclesiis competeret prænominatio? responsum est prænominationem competere Ecclesiæ, in qua residet Episcopus ; si vero extra utramque competere Ecclesiæ Viterbiensi ; *Ibid.* dub. 12 et 13. confirmat. 27 Martii 1784.

(13. Ac Episcopi Rescriptum sub die 4 Januar. 1779. super separato typo Kalendarii pro Ecclesia Tuscanensi exequendum esse ; minime autem prælo unum Kalendarium utramque Ecclesiam Viterbiensem scilicet, et Tuscanensem complectens mandatum esse, salvo jure et potestate Episcopi fuit resolutum : *Ibid.* dub. 14.

(14. Anno 1660. Aquipendii Episcopus decreverat in Sacra Visitatione, quod ad procurationes seu victualia, quæ in Visitatione erunt ministranda ab iis, qui visitan-

Digitized by Google

tur, etiam Beneficia simplicia, Societates laicorum et loca pia, non tamen Hospitalia, pro eorum parte rata concurrere deberent. Ab eo nihilominus tempore nonnisi Parochum tantum S. Crucis, ac tres supranumerarios Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ SS. Johannis et Andreæ, qui distinctam a reliquis Canonicis habent Præbendam contribuisse constat. Capitulares qui integrum fere onus subibant, protestati sunt de contributione procurationis ad formam antiqui decreti immemorabilem loca pia præseferebant nihil solvendi observantiam. Beneficiatis manutentionem dedit Episcopus. Verum ponderato dubio, quomodo et a quibus esset Episcopo visitanti contribuendum ? ad formam Decreti 1660, juxta liquidationem faciendam coram Episcopo contribuendum responsum prodiit : Aquipendien. 21 April. 1787. dub. 1.

(15. Redintegrationem proinde Capitulum exquisivit pro procurationibus præteritis solutis, sed nonnisi pro ultima procuratione potuit obtinere : *Ibid.* dub. 2.

(16. Asculano Episcopo Canonicos Ecclesiæ Cathedralis rationum Depositarii, et OEconomi revisores, aliosque de Capitulo, ad quod spectare documenta ab illis exhibita post redditas rationes, completumque Syndacatum servare statutum fuit, scindentes aut igni tradentes ordines solutionum, et acceptilationes, multare suo arbitrio posse S. C. decernit : Asculana 12 Julii 1788. dub. 12. confirmat. 7 Febr. 1789.

(17. Eumdem Episcopum n locationibus bonorum faciendis per idem Capitulum sub pœna nullitatis audiendum esse quoad bona fabricæ, minime vero quoad bona Capituli, S. C. determinavit : *Ibid.* dub. 13. confirmat et addit, sed dempta pœna nullitatis : *Ibid.*

(18. Judicium petitum inde fuit, utrum eidem Episcopo, ubi constet de præjudiciali Capituli bonorum Ecclesiæ, seu fabricæ administratione, liceat eadem bona locare reluctantibus etiam Canonicis? et resolutum fuit ut Episcopus uteretur jure suo ad formam Concilii Tridentini : *Ibidem* dub. 14, confirmat. *Ibid.*

(19. S. C. plane explicavit suum consilium, procurationem Archiepiscopo Camerini Visitationem gerenti suppeditandam esse per contributum a cunctis etiam beneficiatis, confraternitatibus, et Ecclesiarum Patronis Vicariatus Castri Flastræ, quamquam soli Parochi præbere eam soliti erant : Camerinen. Procurat. 23 Novem. 1793.

(20. Cum ex Concilio Tridentino Capite 8, sessione 22, de reformatione, Episcopus designatur omnium voluntatum executor, et possit testamentarios Curatores compellere ad munus implendum etiamsi a Testatore id contingeret interdici, uti ex capite 17, de testamentis statuit Sacra Congregatio adigendos Curatores hæreditatis Tolæ ad rationem Archiepiscopo Reddendam termino viginti dierum de Administratione numeratæ pecuniæ, ac bonorum omnium quæ ad hæreditatem Tolæ spectare compertum erit, annuamque pensionem quam pro Canonicatu erigendo idem Tolam reliquerat, impendi ab Archiepiscopo favore Seminarii usque ad possessionem novi Canonici, excepta pensione primi anni, facto verbo cum Sanctissimo. In Arboren. 18 Julii 1835, ad 3 dub.

EUCHARISTIA.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Indulti sumendi Sacram Eucharistiam nocte Nativitatis Domini pro Monialibus Tertiariis Ordinis Carmelitarum excalceatarum civitatis Bononiæ : Lectum. Bononien. Die 12 Sept. 1761.

(2. Facultatis sumendi sacram Communionem in nocte Nativitatis Domini pro Monialibus Monasterii S. Danielis Fanen. Ordinis *delle Rocchettine* nuncupat : Serventur Decreta. Fanen. Die 10 Decembris 1768.

(3. Porrecto S. R. C. nomine P. Fr. Augustini Motuski Ordinis Minorum Observantium S. Francisci Provinciæ Minoris Poloniæ Ministri Provincialis supplici libello pro resolutione sequentis Dubii, nempe.

« An Diaconus in Ordine tantum Diaconatus constitutus extra casum necessitatis, possit distribuere Fidelibus Communionem, in casu, etc? »

S. eadem C. audito prius voto unius ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris super dicto Dubio ab eodem exarato, ad relationem Emi, et Rmi Domini Cardinalis Marefuschi Ponentis, rescribendum censuit : *Negative.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Ord. Min. Obser. S. Francisci Prov. Min. Polon. die 25. Febr. 1777.

(4. Cum Sacerdotibus sæcularibus Portionariis nuncupatis Collegii S. Spiritus Civitatis Compostellanæ nonnulla occurrerint Dubia, humillime S. R. C. supplicarunt quatenus ea benigne decernere dignaretur. Dubia sunt sequentia,

1. « An, ubi primæ Dominicæ singulorum mensium, in quibus facienda est solemnis expositio SSmi Sacramenti, fuerint privilegiatæ primæ, et secundæ classis, cantanda sit Missa de SSmo Sacramento, seu potius de iisdem Dominicis privilegiatis primæ, vel secundæ classis cum oratione sub unica conclusione de laudato Sanctissimo Sacramento?

2. « Et quatenus negative ad primam partem, affirmative quoad secundam ; quibus vestibus, et paramentis uti debeant Ministri Sacri ? »

Et S. eadem C. audito prius voto unius ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris scripto exarato, typisque evulgato, ad mei infrascripti Secretarii relationem, loco Emi, et Rmi Domini Cardinalis Calini Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Ad 2. *Provisum in primo.* Et ita declaravit. Compostellana. die 17 Jan. 1778.

(5. Cum Sacerdos Joannes Baptista Berni recenter Archipresbyteratu Ecclesiæ Parochialis titulo Sanctorum Cosmæ et Damiani loci, vulgo nuncupati Canoscio, Diœcesi Ti-

Digitized by Google

phernen. potitus, antiquam consuetudinem in eadem Ecclesia invenerit Sacrosanctam Eucharistiam impertiendi Fidelibus in Sabbato Sancto pro satisfactione etiam Paschalis Præcepti, et anceps hæserit: Num eadem consuetudo servanda foret, sive utpote abusiva removenda? Ut omnem anxietatem deponeret, supplex fuit apud S. R. C. pro declaratione sequentis Dubii, videlicet: « An liceat in Sabbato Sancto inter Missarum solemnia Sacram Eucharistiam Fidelibus distribuere, et num per eamdem sumptionem sacræ Cummunionis præceptum Paschale adimpleatur? »

Et S. eadem Congregatio, audito prius uno ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris, qui scripto suam sententiam protulit, referente Emo, et Rmo D. Card. Crivelli Ponente, respondit: *Affirmative in utroque.* Tipherнen. die 22 Martii 1806.

(6. 4. « An incongruum sit, quod ad augendam fidelium devotionem publice exponatur in nocte Nativitatis Domini SSmum Sacramentum, eo quod incongruum est, ipsa nocte fideles communicari, ex Decreto S. R. C. 20. Aprilis 1641. » (1172.)

5. Sac. Rit. Congregatio die 6 Decemb. 1653 (1545) decrevit, quod Missa de Dominica cujuslibet mensis, seu festo duplici, cum sit particularis Processio cum SSmo Sacramento, dici debet cum commemoratione ejusdem; at quæritur si Processio absoluta fuerit, Sanctissimumque reconditum, antequam cantetur Missa conventualis, utrum debeat fieri in dicta conventuali eadem commemoratio?

Ad 4. *Non probari, utpote extra communem Ecclesiarum consuetudinem.*

Ad 5. *Negative.* Portugallen. die 17. Septembris 1785.

(7. I. Facti species « Rector Ecclesiæ reperit in Ecclesia sua consuetudinem renovandi Panem pro Sacrificio Missæ, et Communionem Fidelium singulis tribus mensibus tempore hyemis, tempore vero æstivo solitum confici pro sex mensibus: hinc quæritur.

I. « An, attenta consuetudine, Rector licite consecrare possit species a tribus mensibus tempore hyemis, vel a sex mensibus in æstate confecta? »

Ad I. quæsiti I. — *Negative, et eliminata consuetudine, servetur Rubrica.* Gandaven. die 16. Decembris 1826.

(8. 1. Utrum tuto sequi valeat Regula Ritualis Parisiensis, sic expressa: Si quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiæ dividi in plures Particulas, quæ singulis distribuantur: Et quatenus non sit sequenda, utrum quibusdam saltem in circumstantiis, temporis, locorum, et personæ sequi possit?

Ad 1. *Servetur consuetudo dividendi consecratas Particulas si adsit necessitas.* Veronen. die 16 Martii 1833.

(9. « An reprobanda, ac proinde eliminanda sit consuetudo Feria sexta in Parasceve de sero in Ecclesia, et ad proprium Altare cum luminaribus iterum collocandi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum?

« An in Provincia Tridentina, quæ ab Imperatore Leopoldo Primo inter Provincias Germaniæ adnumerata est, ab Alumnis Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum, absque Ordinarii licentia, præter consuetas, usuque receptas Sanctissimi Sacramenti expositiones, fieri possint extraordinariæ, quæ in illis Provinciis ex inveterata consuetudine introductæ sunt?

« An toleranda sit, vel eliminanda consuetudo inveterata, Sacerdotem, qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit sic Sacris Vestibus Sacrificii indutum, et jam præ manibus Calicem tenentem ascendere in transitu Altare, in quo adest Sanctissima Eucharistia, ut ibi Sacram Communionem Fidelibus distribuat? Et quatenus non sit toleranda, utrum depositis Planeta, et Manipulo in Sacristia, accedere possit cum Alba, et Stola?

« An Stola pro ministranda Sanctissima Eucharistia extra Missam semper esse debeat coloris Officio illius diei convenientis, ut præscribit Rituale Romanum, vel potius esse debeat alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiæ, ut multi censent Doctores? »

Ad 4. *Abusum esse eliminandum*

Ad 7. *Negative.*

Ad 12. *Si adsit necessitas posse tolerari.*

Ad 13. *Juxta Ritualis Romani Rubricam debet esse coloris Officio convenientis.*

Utrum Benedictio Apostolica pluries impertiri possit novo mortis periculo redeunte?

Parochus novit Sacrum Viaticum difficillime porrigi posse Infirmo morti proximo, nisi celebret in Oratorio domestico Indulto Apostolico erecto domui Infirmi proximæ: quæritur utrum possit a privato Oratorio Sanctissimum Sacramentum deferre? Et quatenus affirmative, utrum in tali casu celebrare possit etiam Indultario precario absente?

Ad. 3. *Ut ad proximum.*

Ad 8. *Affirmative etiam absente Indultario Veronen. Die 27 Augusti* 1836.

(10. Quum hodiernus Aediduus Cathedralis Feretranæ Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarit, utrum servari possit consuetudo in eadem Cathedrali invecta, in Feriis nimirum secunda, tertia, et quarta majoris Hebdomadæ Sacro sanctum Missæ Sacrificium celebrandi in eodem Altari, in quo publicæ Fidelium venerationi est expositum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum? Emi, et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, et ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunati, referente me subscripto Secretario rescribendum censuerunt, *Consuetudinem tamquam abusum eliminandam.* Feretran. Die 11 Martii 1837.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, dempta necessitate non in privatis Capellis, sed in publicis Ecclesiis dumtaxat licet administrare. Gross. 16. Maii 1778. § 7.

Digitized by Google

(2. Formam Decreti X. Cardinalis Episcopi anni 1781 debent servare Canonici, Archipresbyter et Mansionarii Curati Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri montis Martiani in casu delationis SSmi Viatici ad infirmos, et illius redditus in Ecclesiam tempore Divini Officii in Choro : Senogallien. 13 Junii 1789. dub. 17.

(3. Sacramentum Eucharistiæ Infirmis aliisque in Xenodochio S. Mariæ de Crucibus degentibus olim Sacramenta ministrabat S. Apolloniæ Rector, sub cujus Parochia Xenodochium existit. Archiepiscopus Boncompagnius electionem demandavit Capellani, qui in ipso degeret Xenodochio, ut præsto esse possit Sacramentorum ministrationi; ob id gravibus inter Capellanum et Parochum exortis jurgiis, fuit tandem resolutum licere Capellanis Hospitalis Sacramentum SSmi Viatici quibuscumque sive ratione domicilii, sive ratione servitii degentibus in prædicto Hospitali administrare. Ravennaten. 27 Junii 1789. dub. 1.

(4. Episcopus nequit concedere licentiam servandi SS. Eucharistiam in Ecclesia non Parochiali. Ascul. 14 Mart. 1795. § 3.

Servari enim debet SS. Sacramentum in Ecclesia Parochiali quamvis paupere. *ibid.*

(5. Sub Parochiali S. Stephani in Castro S. Angeli duo sunt Ecclesiæ una S. Spiritus, altera S. Sebastiani, in quibus duo erectæ sunt Laicorum Societates, quarum una est Misericordiæ, seu mortis aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis. Disputatio proinde copiosa cum Parocho constituta est de Ecclesiasticis functionibus, et S. C. consulta declaravit Parocho S. Stephani competere jus privativum exponendi sanctissimum Sacramentum in propria Ecclesia, ita ut iisdem diebus exponi non posse in aliis Ecclesiis juxta votum Episcopi, qui ita censebat. Consuetudo enim, quam unum Sodalitium in sui favorem ostendit precarium habebat titulum Spoletana Funct. Eccles. 12 Martii 1796. dub. 1.

(6. Nec non Sodalitium Misericordiæ, seu Mortis Castri S. Angeli aggregatum Archiconfraternitati Mortis Urbis non posse sine facultate Episcopi exponere in propria Ecclesia Sanctissimam Eucharistiam infra annum, et præcipue in formam 40. horarum decidit S. C. Ibid. *dub.* 2

EXAMINATORES.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Quum nominatus fuisset ad Canonicatum Ecclesiæ S. Mariæ Assumptæ oppidi Montis Cassiani Clericus Gervasius Andreani, Episcopus eum examini subjecit. Se minus idoneo reperto, institutionem ei denegaverit. Re in S. C. delata locum esse novo examini statutum est : Lauretana die 24 Aprilis 1784. Postea institutionem concessit. die 27 Novembris ejusd. anni.

(2. Declaravit S. C. non esse locum novo examini Sacerdotis Antonii Pierucci, qui ab irrationabili judicio Episcopi provocavit, quum in concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Luciæ civitatis Auximanæ reprobationem habuisset causa illius ignorantiæ, quam in responsionibus ad propositos morales casus ostendit. Auximana Parochiæ die 6 Maii 1797. dub. 2.

(3. Examinatores Synodales ab Episcopo Montis Alti electos probavit S. Congregatio non obstante irrationabili dissensu Capituli. In Montis Alti quoad Examinatores Synodales die 23 Julii 1803.

EXCOMMUNICATIO.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Rixa enata est inter ludentes pueros Clericum Marcum Bolenum annorum 14. et Josephum Guilielmum annorum 13. consertisque manibus, prædictus Joseph scalpello librario clericum a quo jam prostratus fuerat, contra se venientem ita in coxa læsit, ut post paucas horas illa obierit. Modo Joseph præfatus ad clericalem militiam institui cupit, postulatque una cum dispensatione absolutionem ab excommunicatione parti præstita satisfactione; et S. C. absolutionem, quando constet de satisfactione fisci ei concessit. Brugnaten. Irregularitatis die 6 Maii 1786.

(2. In excommunicatione pœnam ab Episcopo Vilnensi intentatam incidisse, Parochum Olkoviensem, qui cadaver Constantiæ Volodkoviesz contra Episcopalem præceptum in sua Ecclesia tumulavit una cum prædefuncto illius viro, licet sibi Constantiæ Sepulturam prælegisset in Ecclesia PP. Carmelitarum Conventus Olkoviensis; modo ex Decreto S. C. judicium fecit. Vilnen. Sepult. die 14 Decem. 1792. dub. 2.

(3. Absolutionem Leonardo Bianco ab excommunicatione contracta ob falsationem Rescripti Secretariæ Memorialium, et a suspensione inducta ex prava familiaritate cum Vidua concessit Sacr. Congregatio imposita gravi pœnitentia, denegata dispensatione ab irregularitate (qua innodatus erat ob promotionem ad Sacros Ordines iis irretitus Censuris) et rehabilitatione ad Sacros Ordines. In Licien. Irregularitatis die 26 Aprilis 1815.

EXECUTOR.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Quando a Sede apostolica dantur Executores in forma commissoria gratia censetur suspensa, usque dum Rescriptum executioni mandatum non fuerit; ita ut Executores merito executionem denegare valeant, si comperiant clausulis in eodem appositis satisfactum non fuisse. Sic, licet tempore editi rescripti evidens Ecclesiæ utilitas adesse videatur, si postea contrarium

Digitized by Google

appareat, rescriptum non est exequendum, ut ex sequentibus apparet.

Anno 1823 Joannes Baptista De-Stephano, Parochus Loci Frascatoli, Nolanæ Diœcesis, judicium contra Paschalem et Clorindam Cozzi instituit, ut fundum quemdam parochiæ vindicaret, quem ab ipsis injuria detineri contendebat. Rei conventi quædam exceptiones abjecerunt, quibus ostendere studebant illum a se titulo emphiteuseos possideri, ideoque a parocho nihil præter canonem exigi posse.

Sed prima judiciorum experimenta reis conventis adversa acciderunt. Mortuo deinde Parocho De-Stephano, Franciscus Siciliani, ejusdem successor, ut litis expensas atque discrimina devitaret, facilem sese præbuit in adstipulando quodam cum adversa parte emphiteuseos contractu.

Qui cum a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium approbatus fuisset, Rescriptum, quod sequitur, per eam prodiit die 14 Julii 1826. « Sanctitas sua attenta relatione Episcopi Nolani benigne annuit, et propterea eidem mandavit committi, ut veris existentibus narratis, et quatenus in evidentem Ecclesiæ utilitatem fore cessuram judicaverit, præfatam concordiam cum pactis et conditionibus in ea appositis, pro suo arbitrio et conscientia approbet atque confirmet; necnon constito sibi de evidenti Ecclesiæ utilitate, facultatem ineundi præfatum emphiteusis perpetuæ contractum cum annuo canone et conditionibus proficuis. »

Sed tamen hujusmodi rescriptum nunquam executionem sortitum est; quin imo postquam frustra actum est de instrumento conficiendo juxta leges Neapolitanæ Ditionis, post annum 1834. novus quidam inter partes contractus stipulatus est, in quo pactum adjectum fuerat, ut, si a principe contractus ejusdem approbatio denegaretur, in sui cuique jura regredi integrum esset.

Post hæc Rei conventi nullum omnino canonem persolverunt: quocirca Parochus actionis vindicatoriæ judicium iterum promovit, et propitiam sententiam retulit die 10 Aug. 1839.

Sed illi appellationem interjecerunt, in eoque institerunt, ut Regium Exequatur Rescripto S. C. edito die 14 Julii 1826, apponeretur. Sed Consilium quod aiunt Consulta Generale del Regno, conditionem petitioni adnexuit, ut solemnitates a Neapolitanis legibus præscriptæ adimplerentur.

Hinc ad Curiam Nolanam sese verterunt, quæ tamen, auditis rite utrisque partibus, suam pronunciavit sententiam die 9 Julii 1841. qua dixit, nullam rationem haberi debere memorati Rescripti, quod firmitate et robore destitutum esse declaravit.

Igitur Rei conventi hoc quoque in periculo repulsi ad hanc Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium confugerunt, ut, hujusmodi decreto infirmato, memorati Rescripti executio præscriberetur.

Sacer Ordo pro suo more Votum Consultoris exquisivit; qui, tota positione perpensa, quæstionem propositam ad hanc Thesim redegit, nempe, « an et quomodo executio Rescripti anni 1826 Ordinario præscribenda sit. » Cui quidem affirmative rescribendum esse opinabatur.

Aiebat enim compertissimum esse in jure, quod Rescripta in forma, ut aiunt, commissoria, nullum impetranti jus pareant, donec Executor Apostolicus, constito sibi de conditionibus appositis, gratiam ipse suo decreto non perfecerit, cum hujusmodi rescripta, quæ de natura sua facultatem Executori factam dumtaxat impertiunt, gratiam quidem faciendam non autem factam importent, Rosa de Exec. Lit. Ap. L. I. et IV. n. 24.

Jam vero hujus generis esse Rescriptum, de quo agitur, rès ipsa per se loquitur. Una enim vel seorsim sumpta ex hisce clausulis « Veris existentibus narratis. Si in evidentem Ecclesiæ utilitatem Constito sibi, » satis est, ut Rescriptum in forma commissoria concessum dicatur. Rosa l. c. C. n. 19 et 144. 145.

Itidem in jure exploratum est, quod in Rescriptis in forma commissoria concessis utilitas, quæ Apostolici Beneplaciti fundamentum constituit, non inspicienda sit tempore beneplaciti, sed tempore executionis Rosa l. c. C. XI. n. 18. Petra t. 1. pag. 66. n. 134.

Atqui in causa, de qua sermo est, utilitas, quæ tempore concessi beneplaciti adesse visa est, exulare omnino deprehendebatur tempore executionis quo, plurimis judicialibus factis experimentis, parochus victor semper extiterat, nullumque inversæ fortunæ periculum subesse cognoscebatur.

Proposita igitur fuit hujusmodi Causa cum titulo « Nolana Executionis Beneplaciti Apostolici » in nupero generali auditorio diei 13 Junii 1845. subjectoque dubio « Se e come si debba confermare o piutosto revocare il decreto emanato dalla Curia di Nola nel Caso contro cui si è ricorso a questa S. C. » Emi Patres rescripserunt — *Ex noviter decretis non esse locum executioni Beneplaciti Apostolici.*

EXEQUIÆ.

8. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Delata ad S. R. C. ex parte Domini Alexandri Mariæ Licoe Sacerdotis ex Clericis Regular. Minor. Confessarii Monialium Asceterii S. Jacobi Terræ S. Ginnesii, Camerinen. Diœcesis, controversia inter eum exorta, et Capitulum, sive nonnullos Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ dictæ Terræ circa jus agendi exequias super cadaveribus Monialium ipsius Asceterii, num scilicet competat Confessario Monialium, an vero præfato Capitulo?

Eadem S. C. attenta relatione totius quæstionis facta a Rmo Archiepiscopo Camerinen. qui audivit tam Capitulum, quam Moniales proponente dubium Emo, et Rmo Domino Cardinale Gazzoli relatore, decrevit:

Digitized by Google

Celebrationes exequiarum spectare ad Confessarium pro tempore. Camerinen. Die 16 Martii 1805.

(2. Blasius Lentini Archipresbyter et Parochus primariæ Ecclesiæ Deo in honorem Sancti Nicolai Episcopi dicatæ Oppidi De Laurea considerans Caput de Exequiis § V. Ritualis Romani ac dispositionem Missalis, quod suo loco assignat Missam in die obitus, seu depositionis Defuncti, atque internocens Rubricistarum omnium sententiam asserentium hanc Missam canendam esse ut locus illi fiat in diebus festis, vel ritus duplicis, ratus est pauperes defunctos, queis vires non suppetunt pro obtinenda Missa Solemni de Requie in die depositionis, inferioris esse conditionis respectu divitum; propterea, ne hoc peculiari ritu ab Ecclesiæ statuto priventur, concedendum esse ut pro defunctis pauperibus Missa a Rituali recensita die præscripta legi etiam valeat in diebus festis, et ritu duplici, atque ad hoc Indultum obtinendum Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit. Et sacra eadem Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Cœtu coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus rite consideratis, præsertim Decretis sa. me. Alexandri Papæ VII. rescribendum censuit: *Negative et serventur Rubricæ.*

Atque ita rescripsit. Die 17. Augusti 1833.

EXPENSÆ.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Expensas factas a Masinio Exequutore Testamentario sacerdotis Angeli Calbini, quæ cesserunt in utilitatem pii operis ab ipso instituti, ei reficiendas esse jussit Sacra Congregatio ab opere pio juxta liquidationem a D. Secretario faciendam, reservato jure pio operi agendi contra quos de jure in Feretrana Applicationis super expensis 24. Januarii 1801.

(2. Expensas pro salario Exactoris, Archivistæ et Procuratoris jussit Sacra Congregatio deducendas esse ex Massa Legatorum Missarum, quæ separata fuit a Massa Capituli Cathedralis Ecclesiensis In Ecclesien. onerum 23. Julii 1803. ad I. Dub.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Utrum servari queat inducta consuetudo, ex qua dum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicæ venerationi expositum est, continuo duo Clerici Superpelliceo induti, Diaconi autem et Sacerdotes etiam Stolam albam habentes, ut in Cœna Domini flexis genibus intra Præsbyterium assistunt, quisque per horæ spatium?

Ad 2. *Affirmative juxta Instructionem Clementis Papæ XI.* Brixien. die 1. Sept. 1736.

(2. Parochiali in Ecclesia Castriveterani Diœcesis Mazarien. mos est SSmum Sacramentum publicæ Fidelium venerationi in Ara maxima exponendi, detecto S. Joannis Baptistæ, Titularis Ecclesiæ et prædicti Oppidi præcipui Patroni, insigni Simulacro, quod non supra Altare, sed extra illud sexdecim fere palmis sejunctum in propria Ædicula existit, et ita insculptum, ut religioso modo Fidelibus Agnum Dei, qui tollit peccata mundi præsentare videatur. Centum, et amplius ab hinc annis viget hæc consuetudo, confirmata semper ab Episcopis Diœcesanis, et nuperrime ab hodierno Ordinario, qui prima Episcopalis suæ visitationis die Sacrum agens talem expositionem sua manu perfecit, et publicam deinde supplicationem solemni ducto pertraxit, ac denique ingenti Populo cum SSmo Sacr. est Benedictionem impertitus. Super hac consuetudine ex zelo, quo fervet R. D. Petrus Maria Triolo actualis Parochus, ut Ecclesiastici ritus apprime serventur, ad animi sui tranquillitatem Sac. Rit. Congregationi sequentia tria dubia humillime proposuit enodanda, nimirum:

« I. An velari debeat Simulacrum S. Joannis Baptistæ, vel potius supra centenaria consuetudo servanda sit, exponendo nimirum Sanctissimum Sacramentum cum Simulacri detectione, quando ob ingruentem publicam calamitatem, collectis, et elargitis eleemosynis, hanc expositionem votum populi expostulat?

« II. Quando natalitia Solemnitas hujus Sancti Titularis Ecclesiæ, et Oppidi principalis Patroni occurrit aliqua die infra Octavam SSmi Corporis Christi?

« III. Quando quotannis mense Novembris oratio quadraginta Horarum peragitur? »

Et Emi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi in Ordinario Sacrorum Rituum cœtu ad Vaticanum coacto, exquisita prius unius ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris sententia scriptis prodita, prælo que cusa, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Caroli Odescalchi Ponentis, rescribendum censuerunt sub die 22 Martii vertentis anni — *Ad Dominum Secretarium cum SSmo juxta Mentem.* — Placuit autem SSmo Dno Nostro Leoni XII. Pont. Max. suam mentem non aperire, mandavitque sub die 26. recensiti Mensis, et Anni, *ut iterum proponeretur in Proxima.* Mandatis SSmi obtemperans prædictus Parochus iterum, S. R. C. adivit, adhibitis per procuratorem novis Allegationibus, et responsionibus. Iterate itaque omnia sedulo, mature, diligenterque perpensa Emi, et Rmi PP. ad Vaticanum in Ordinario cœtu coadunati, propositis Dubiis collective respondendum censuerunt — *In casu, de quo agitur servandam esse consuetudinem, excepto tempore expositionis quadraginta Horarum.* — Mazarien. die 17. Sept. 1828.

Facta autem denuo SSmo Dno Nostro Leoni XII. Pont. Max. per me infrascriptum ejusdem S. C. Secretarium relatione, San titas

Digitized by Google

Sua Sac. Congregationis Responsum approbavit, et confirmavit, atque ita in Ecclesia Collegiata Castriveterani supradicta servari mandavit. Kalendis Octobris ejusdem Anni.

(3. Ex pio quodam Legato tenentur Moniales Sanctæ Claræ in Civitate Tarentina in propria Ecclesia ad Altare majus publicæ Fidelium venerationi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum exponere tribus postremis diebus Carnis privii. Ne vero in sacro audiendo ipsarum pietas fraudetur humillimas Sacrorum Rituum Congregationi preces porregerunt pro facultate celebrandi Missam Conventualem sine cantu ad Altare, ubi expositio ut supra peragitur dictis tribus diebus. Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario in ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, rescripsit: *Pro gratia dummodo in Missa Sacra Eucharistia non distribuatur*. Tarentina die 12. Nov. 1831.

S CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(4. Cum Canonicatus Palazzi instaurasset donatis in id scut. 500. Expositionem SS. Eucharistiæ quæ olim a Card. Severolio instituta in Cathedrali Ecclesia per plures annos omissa fuerat, eamque absolvi mandasset « nei primi tre giorni della settimana Santa, prendendo il suo principio della Messa dell' aurora » dubitatum est, an ea perdurare deberet a mane Dominicæ Palmarum usque ad Vesperas feriæ tertiæ, seu jam per biennium factum fuerat, seu potius a Dominica Palmarum usque ad meridiem feriæ quartæ majoris hebdomadæ, seu antea fieri consueverat; S. Congregatio, penitus inspecto donationis et acceptationis Capitularis sensu, rescripsit juxta mentem Capituli cui Episcopus famulabatur Affirmative juxta votum Episcopi In Fanen. pii Relicti 22. Januarii 1838.

EXTREMA UNCTIO.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Ultra pedum pars superiorne, an inferior ungenda sit in Sacramento Extremæ Unctionis?

Ad 1. *Nihil innovandum*.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(2. Infirmis, aliisquo in Xenodochio S. Mariæ de Crucibus degentibus olim Sacramenta ministrabat S. Apolloniæ Rector, in cujus Parochia existit. Archiepiscopus Boncompanius electionem demandavit Capellani, qui in ipso degeret Xenodochio, ut præsto esse possit Sacramentorum ministrationi. Idcirco gravia inter Capellanum, et Parochum impendunt jurgia, et S. C. composuit definiens licere Capellanis Hospitalis Sacramentorum Extremæ Unctionis quibuscumque sive ratione domicilii Hospitali administrare. Ravennaten. 27. Junii 1789. dub. 1.

F

FENESTRÆ.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Quod in Bibliotheca Ferrarii ad verbum *Fenestra* in Additione ex aliena manu, n. 29, asseritur de adhibendo remedio ex parte domus, si hæc noviter e conspectu monasterii constructa aspectum intra idem introducat, confirmationem recipit ex Declaratione S. C. Ep. et Reg. 27 Sept. 1338. prout sequitur.

E conspectu Monasterii S. Christinæ Ordinis S. Augustini in Civitate Bononiensi aderat quædam domus, cujus duæ parvæ fenestræ quæ lucem horreo inferebant, murum clausuræ paulisper superabant. Dominus ejusdem domus cum eam restaurasset, duas illas fenestras in superiori præsertim parte dilatavit, ut horreo in cubiculum converso lux accresceret, itaque domus posset inhabitari ac in dormitorii usum adhiberi.

Sed ex hujusmodi innovatione factum est, ut prospectus pateret intra Monasterii Clausuram.

Nam cernere inde erat internum Monasterii pratum, partem internam cubiculi, in quo sanctimoniales quotidie ad opera communia convenire solent, necnon et interiora Tyrocinii atque etiam aliquarum cellarum, ubi Moniales dormire adsuescunt.

Itaque ex parte Monasterii contra domus illius dominum actio super nunciatione novi operis intentata fuit apud Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium.

Reus conventus judicium adversamque sententiam declinare satagebat, multis allatis testimoniis, quibus Monasterii Procuratorum deductiones infirmare ac refellere conabatur.

At Sacra Congregatio non acquiescens relationi, quam ediderat vir in arte peritus a Monialibus deputatus, Ordinario mandatum dedit, ut alterum peritum adhiberet, qui ex officio locum inspiceret, suumque votum pro rei veritate proferret.

Cum vero hic etiam in sententiam primi periti a Monasterii electi discessisset causa in partium contradictione delata est ad plenarium auditorium cum dubii formula.

« Se, e come si debba togliere il prospetto nel Monastero di S. Cristina nel caso di cui si tratta? »

Emi Patres in Bononien. Prospectus in Monasterium S. Christinæ Ordinis S. Augustini diei 21 Septembris 1838 rescripserunt,

Digitized by Google

Affirmative et omnia in pristinum statum restituentur.

S. CONGREGATIONIS REV. FABRICÆ S. PETRI.

(1. Fenestram apertam, uti jam olim fuit, servandi facultas denegatur fratribus de Vincis, quorum Palatium cohæret immediate Collegiatæ et Parochiali Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi, quorumque Familia plurima in ipsam Ecclesiam beneficia contulerat, atque in ea tertiæ partis Canonicatuum patronatu gaudebat. Nec iisdem prodest offerre Ecclesiæ, et Capitulo cessionem Capellaniæ, una cum jure patronatus eorum Familiæ, et cum Capellaniæ fundo annui redditus scutorum viginti et octo, cum onere nonnullarum annuarum Missarum. Firmana Servit. die 8 Junii 1782.

(2. Fenestræ aperitio ad vitam tantum Oratoris, et ejus matris cum solitis clausulis indulgetur, dum a Josepho Telesphoro Catanio Fundatore Ecclesiæ S. Annæ in oppido le Preci, filio postulatur in dextero istius Ecclesiæ latere januam aperiendi facultas, qua sibi viduæ Matri, et aliis familiaribus, hyberno præsertim tempore, pateret aditus ad audiendum Missæ sacrificium, et ad aliis ecclesiasticis Functionibus interveniendum. Familia hæc habet patronatum Ecclesiæ, et fundator multa tum pro illius manutentione, tum pro institutione Capellaniæ cum onere Missarum in ea celebrandarum bona assignavit: Spoletana die 24 Julii 1784.

(3. Marchio Laurentius Centurionius nobilis Januensis, et inde Bononiensis indultum a Pont. Max. Clem. XIV. obtinuerat audiendi Sacrum ex odeis Palatio suo adhærentibus. Hoc defuncto palatium jure venditionis transit in Charolum Linerium civem non nobilem Bononiensem, qui supplicavit pro perpetua concessione privilegii, quo Marchio Centurionius fruebatur, et non impetravit. Bononien. die 15 Januar. 1785.

FESTA, FESTIVITATES.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Porrecto SSmo Dno Nostro Benedicto XIV. nomine Rmi Episcopi Calaguritani supplici libello, illoque ad S. R. C. a Sanctitate Sua remisso pro resolutione sequentium Dubiorum, quæ sunt:

An Civitas Calaguritana rigorose, prout ante Indultum, servare teneatur Festum SSrum Hemeterii et Celedonii fratrum Martyrum; et Civitas Calceaten servare eodem modo teneatur Festum S. Dominici; vel utraque Civitas utrumque Festum servare teneatur?

An Oppida, quæ non habent peculiarem Patronum servare teneantur Festum Patronorum principalium Ecclesiæ Calaguritanæ cui subsunt, seu potius Festa Patronorum utriusque Ecclesiæ, nempe Calaguritanæ, et Calceaten?

An Oppida, quæ habent peculiarem Patronum servare teneantur Festum illius dumtaxat, sive potius, omisso Festo sui peculiaris Patroni, servare teneantur Festum Patronorum Ecclesiæ Calaguritanæ, cui subsunt, vel Ecclesiæ Calceaten huic principaliter unitæ vel potius Festa Patronorum utriusque, servato etiam Festo proprii Patroni?

An Civitates Calaguritana, et Calceatensis servare teneantur, ultra Festum Patroni proprii, festum Patroni principalis Provinciæ, in qua sitæ sunt, et an Oppida particularia Diœcesis Calaguritanæ sive habeant, sive non habeant Patronum proprium, servare teneantur Festum Patroni proprii Provinciæ, in qua ea respective existunt, nempe S. Prudentii Episcopi, et Confessoris Patroni Provinciæ Alavæ, et S. Ignatii de Loyola Patroni Provinciæ Guipuscoæ, et Viscaiæ, etc?

S. C. audito prius R. P. D. Benedicto Veterani Fidei promotore, qui scripto, et voce suam sententiam exposuit, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Ferroni Ponentis, respondit. Ad 1. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad 2. *Negative* ad utramque partem.

Ad 3. *Teneri servare Festum Patroni particularis loci dumtaxat.*

Ad 4. *Negative* ad utramque partem. Et ita declaravit. Die 26 Martii 1757.

(2. Exortis controversiis inter Patres Minores Conventuales Oppidi Tophiæ Nullius Farsen. ex una et Archipresbyterum, et Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ ejusdem Oppidi ex altera partibus, super celebratione Festi solemnis, cum præcedentibus Novemdialibus supplicationibus Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, iisque delatis ad S. R. C. proposita fuerunt infrascripta Dubia inter partes concordata coram Emo, et Rmo Cardinali Marco Antonio Columna Ponente, nempe.

An liceat celebrare Festum solemne cum præcedentibus novemdialibus supplicationibus Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in Ecclesia Collegiata Terræ Tophiæ die 8 Decembris, quibus celebrantur in Ecclesia S. Alexandri Patrum Minorum Conventualium ejusdem loci?

An constet de attentatis, et quomodo sint purganda?

Sac. eadem Congr. utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem ejusdem Emi, et Rmi Domini Cardinalis Ponentis, censuit rescribendum.

Ad 1. *Quoad Festum solemne Negative quoad Ecclesiam Collegiatam; quoad preces novemdiales juxta mentem; nempe, pro concordia arbitrio Emi Ponentis, qui eodem arbitrio utendo declaravit: Preces novemdiales præmittendas Festivitati Conceptionis B. M. V. Immaculatæ peragi licere in Ecclesia Collegiata per Archipresbyterum, et Canonicos de mane, sive horis matutinis; in Ecclesia vero S. Alexandri esse celebrandas per Patres Minores Conventuales de sero, sive horis vespertinis.*

Digitized by Google

Ad 2. *Juxta mentem declarandam ab Emo Ponente, qui declaravit; jam panditam mentem S. C. Procuratori Capituli, et provisum.* Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 8 Augusti 1763.

(3. Et quatenus affirmative ad primam partem, quæritur ulterius: An, si Festum Patrocinii extra tempus paschale transferri contingat, deficientes Antiphonæ Nocturnorum suppleri debeant de communi, vel potius, omissis assignatis pro tempore Paschali, debeant omnes assumi ex alio Festo 19 Martii?

Cum ex Apostolica concessione in omnibus Dominiis Hispaniarum Regi subjectis celebretur ritu dupl. maj. Festum Patrocinii B. M. V. in aliqua Dominica Novembris ab Ordinario loci designanda, quæ in Diœcesi Barcinonensi, aliisque est Dominica secunda ejusdem mensis, si in eadem Dominica occurrat dies octava S. Severi Episcopi, et Martyris Patroni principalis; quæritur: Utrum recitandum sit Officium Patrocinii B. M. V. cum commemoratione Octavæ, an potius Officium de Octava, translato, vel omisso pro anno illo Officio Patrocinii?

Ad. 4. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad. 5. *Negative* ad primam partem, ad secundam *Affirmative; Officium vero Patrocinii non omittendum, sed transferendum in primam diem non impeditam, juxta Rubricas. Barcinonen.* Die 11 Septem. 1790.

(4. Quoniam præfatum Breve Apostolicum Festivitates Patronorum cujusque loci in Dominicos dies proxime sequentes cum officio, et Missa transferri, necnon et præceptum intelligi demandat; si igitur S. Joannes Baptista sit principalior cujusdam Ecclesiæ Patronus, et aliquo anno Festum SS. Petri, et Pauli incidat in diem Sabbati, vel Dominicam: quæritur I. « Utrum is S. Patronus in diem Dominicam proxime antecedentem transferri debeat, prout S. Laurentius Martyr in eodem Brevi specificatur? II. Utrum in ea antecedenti Dominica debeat in perpetuum suam habere Festivitatem: an vero, si Festum SS. Petri et Pauli incidat in feriam secundam, aut ultra, debeat transferri in Dominicam proxime sequentem?

« Utrum Festivitas S. Laurentii Mart. principalis pro loco Patroni (cui Breve Apostolicum, ob Festum Assumptionis B. M. V. in sequentem Dominicam celebrandum, jam statuit Dominicam diem 10. Augusti proxime antecedentem) in perpetuum hac Dominica celebrari debeant; an vero etiam transferri in Dominicam sequentem, si prædictum Festum Assumptionis in altera Dominica post diem 15 vel 16 Augusti eadem celebretur?

« Si Festivitas Exaltationis S. Crucis occurrat in Dominica, sitque titulus Ecclesiæ, et celebretur in ea solemniter hoc anno Festum Nativitatis B. M. V. cadens in Feria II, juxta prædictum Breve Apostolicum in Dominicam proxime sequentem transferendum: Utrum, etiam non obstante hoc Brevi, a Parocho loci in Dominica proxime antecedenti celebrari possit, et debet.

« Si Festum S. Adalberti Episcop. et Martyris cadat in Dominicam in Albis, aut etiam ante, sitque patronus Ecclesiæ: Utrum usque in Dominicam secundam post pascha, in qua cadit Festum S. Sepulcri secundæ classis, transferri, ibidemque, translato Festo S. Sepulcri, in aliam diem non impeditam celebrari debeat?

« Ratione Festivitatis SS. Simonis et Judæ Apostolorum, ubi sunt Patroni Ecclesiæ, si occurrat eadem hebdomada, in qua celebratur Festum omnium Sanctorum proxime sequ. transferri possit?

« Translata Festivitate Sanctorum Simonis et Judæ Apostolorum, pro loco Patronorum in diem Dominicam proxime sequen. ut in anno currenti 1790, in quo occurrit Festum omnium Sanctorum Feria secunda, datur quoque concursus Vigiliæ SS. Simonis et Judæ in Sabbatum translatæ cum Vigilia omnium Sanctorum in eodem sabbato occurente, quæritur I. de quanam Vigilia Officium recitari? II. Occurrente Festo 9 lectionum, de qua Vigilia 9 lectio et commemoratio haberi debeat? III. Sequentibus diebus infra Octavas concurrentibus: An Parochus loci Officium de Octava SS. Simonis et Judæ, tamquam Patronorum Ecclesiæ suæ cum commemoratione Octavæ omnium Sanctorum, an potius de octava omnium Sanctorum cum commemoratione SS. Simonis et Judæ recitare teneatur?

« Si Patronus cujusdam loci occurrat ante Dominicam 1. class. ex. gr. S. Catharinæ V. et M. ante Dominicam 1. Adventus, aut etiam inter Dominicas primæ, vel secundæ classis uti S. Josephi inter Dominicam 4. Quadragesimæ, et Passionis, An uterque in Dominica proxime antecedenti celebrari debeat?

« Si Patronus loci occurrat ante Dominicam in qua Festum 1. class. ad populum non celebre habet suam fixam sedem (prout S. Hyacinthi, S. Joachim) quæritur I. utrum translato Festo 1. class. non celebri, S. Patronus in eadem Dominica proxime subsequenti celebrari debeat? II. an idem Festum 1. class. non celebre in subsequenti altera Dominica transferri possit, an etiam in diem non impeditam potius transferri debeat?

« Utrum prædictum Breve Apostolicum statuens decerni Festivitatem unius tantum principalis Patroni in loco, ubi duos patronos haberi contigerit; sit intelligendum loqui etiam de altero Patrono Titulari? An Titularem pariter a Festivitate excludat? An etiam excludat Festum Titulare, ex. gr. S. Crucis a sua Ecclesia Titulum, seu Denominationem habens?

« An prædictum Breve Apostolicum sit etiam intelligendum de translatione Festorum Confraternitatibus adnexorum, videlicet utrum ea Festa pariter in dies Dominicos cum Officio, et Missa transferri; an vero, manentibus Festis in die cadenti, sola celebritas Confraternitatis in die Dominico proxime sequenti celebrari debeat?

« An ob cadentiam principalis Patroni Ec-

Digitized by Google

clesiæ filialis in Dominica, Festum patroni Ecclesiæ Parochialis, juxta dictum Breve, pariter in eadem Dominica celebrandam occurrens (uti S. Jacobi Apostoli majoris in Ecclesia parochiali, et S. Annæ in Ecclesia filiali patronorum et vicissim, Utrum in Dominicam proxime antecedenti celebrari possit, et debeat? II. Utrum Vicarii tam provisi, quam manuales circa Ecclesiam parochialem residentes quoad celebritatem patronorum Ecclesiæ filialis Dominicis diebus in Officio, et Missa, eidem Ecclesiæ filiali sese conformare teneantur?

« Cum sæpe dictum Breve Apostolicum Festivitates Sanctorum patronorum cujusque loci in Dominicas cum Officio, et Missa transferri præcipiat, in iisque fixam eorum sedem assignet; quæritur : Utrum intelligi debeat de translatione eorum etiam cum Indulgentiis ante aliquot solum annos a Sede Apostolica ad decennium pro die cadenti obtentis : an vero nova Indulgentiarum indulta procuranda sint? »

Ad. 1. *Si S. Joannes Baptista sit Patronus principalis Civitatis, Oppidi, Pagi, ad me infrascriptum Secretarium cum SSmo, juxta mentem : si vero sit tantum Patronus alicujus particularis Ecclesiæ, providebitur in responsione ad Dubium* 11.

Ad 2. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad 3. *Ad me infrascriptum Secretarium cum SSmo, juxta mentem.*

Ad 4. *Affirmative, dummodo S. Adalbertus sit Patronus principalis loci; si vero sit tantum Patronus principalis Ecclesiæ, providebitur in responsione ad Dubium* 11.

Ad 5. *Ad me infrascriptum Secretarium cum SSmo, juxta mentem.*

Ad 6. *Pendet a resolutione Dubii præcedentis.*

Ad 7. *Negative, juxta votum Magistri cæremoniarum.*

Ad 8. *Quoad primum quæsitum Affirmative,* quoad secundum quæsitum *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Ad 9. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam, et tertiam, *juxta votum Magistri cæremoniarum.*

Ad 10. *Negative* in omnibus.

Ad 11. *Perperam hoc Dubium proponi, cum in prædictis litteris Apostolicis relinquatur dumtaxat Festum Patroni principalis Civitatis, Oppidi vel pagi, non vero Patronorum particularium Ecclesiarum, qui proprie Titulares vocantur, necnon eorum Festa sunt in Dominicas transferenda.*

Ad 12. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Relatis a me infrascripto Secretario, juxta mentem S. Rituum Congregationis SSmo D. N. Pio PP. VI. Dubiis 1. 3. et 5. Sanctitas Sua benigne respondit.

Ad. 1. *Si Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli occurrat vel in Sabbato, vel in Dominica vel in Feria II. post Festum S. Joannis Baptistæ, eo casu tantum in iis locis, ubi S. Joannes Baptista est Principalis Patronus Civitatis, Oppidi, vel pagi ejus Festum transferendum esse cum Officio, et Missa, ad Dominicam præcedentem cum Vigilia in Sabbato, etiam præcedenti.*

Ad 3. *Festum Nativitatis B. M. V. transferendum esse ad Dominicam præcedentem.*

Ad 5. *Si Festum omnium Sanctorum occurrat vel in Sabbato, vel in Dominica, vel in Feria secunda post Festum Sanctorum Apostolorum Simonis, et Judæ, eo tantum casu in iis locis, in quibus iidem Sancti Apostoli sunt Patroni principales Civitatis Oppidi, vel pagi, eorum Festum transferendum esse cum Officio, et Missa ad Dominicam præcedentem cum Vigilia in Sabbato, etiam præcedenti. Gnesnen. Die* 11 *Septembris* 1790.

(5. Cum in Ditione Regis Borussiæ a SSmo D. N. Pio VI. Pont. Max. Apostol. Litteris in forma Brevis incipien. *Potentissimus,* Festorum numerus imminutus sit, et aliqua Festa in proximos dies Dominicos cum Officio, Missa, et præcepto translata sint, in interpretatione earumdem Literarum Apostolicarum infrascripta Dubia exorta sunt, quæ a Capitulo, et Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ SS. Jacobi et Nicolai Civitatis Nissæ in Silesia Diœcesis Wratislavien. ad S. R. C. decidenda, delata sunt, nempe :

In nostra Collegiata Ecclesia celebratur Festum S. Agnetis V. et M. cum Octava sub ritu duplici primæ Classis quotannis, proinde dubitatur 1. An, quando Festum SSmi Nominis Jesu ob Dominicam Septuagesimæ ad 28. Januarii transferendum est, transferri possit una cum Com. Orationis octavæ diei S. Agnetis, vel transferendum sit ad 8 Februarii? — Quod si ad primum negative, et ad secundum affirmative, quæritur — 2. An Festum S. Blasii Episcopi, et Martyris, quod in Calendario Diœcesano celebratur sub ritu semiduplici, transferendum sit in aliam diem Festo 9. Lectionum non impeditam.

Quum ex Indulto Apostolico Dominica 3. post Pascha celebretur in hac Ecclesia Collegiata Festum Sanctorum Martyrum Aurelii, Macarii, Jucundæ, et Claræ, ob eorum sacras Reliquias hic conditas sub ritu duplici secundæ classis solemniter; et si in eadem Dominica occurrat in Calendario Diœcesano celebrari Festum Patrocinii S. Josephi Sponsi B. M. V. sub. rit. dup. min. exoritur dubium; An Officium de patrocinio S. Josephi, ob conformitatem cum Diœcesi Romana, transferri perpetuo possit in Dominicam quartam proxime sequentem post Pascha, vel plane quotannis a nobis omitti debeat, aut in aliam diem stabilem transferri, et in quam, cum sit respective Festum mobile sicut Dominica Resurrectionis? Dubitatur 2. quando Festum Sanctorum Martyrum Aurelii, Macarii, Jucundæ, et Claræ incidit in diem 25 Aprilis 3. 6. vel 8 Maii tamquam Festa altioris gradus, et dignitatis an transferri, vel omitti debeat, cum tantum, sicut Officio de patrocinio S. Josephi, ex Indulto Apostolico, et non ex mandato celebretur?

Die 10 Maii celebratur Festum translationis S. Nicolai Episcopi, et Confessoris Compatroni Ecclesiæ nostræ, et principalio-

Digitized by Google

ris Capituli sub rit. dup. maj. et in Calendario Diœcesano eodem occurrit Festum S. Antonini Episcopi, et Confessoris, quod huc usque nullam stabilem diem assignatam habuit supplicatur proinde profigenda stabili die in 14 Maii, tamquam non impedita ab alio Festo 9 Lectionum, cum hæc sit proximior impeditis jam aliis diebus proximioribus?

Propter Octavam diem S. Jacobi majoris, utpote Patronum primarium nostræ Ecclesiæ huc usque Festum S. Petri ad Vincula perpetuo translatum fuit in diem 2 Augusti, tamquam diem stabilem. Ast cum per Bullam Pontificiam Festa Patronorum Ecclesiarum de præcepto translata sunt in Dominicam proxime sequentem una cum Octava per Diœcesim Ditionis Regis Borussiæ, Dubium exortum est: An festum S. Petri ad Vincula, cum non sit amplius dies 1. Augusti impedita, reponendum sit ad ordinem Kalendarii Romani vel possit apud Ecclesiam nostram manere translatum in diem 2. Augusti?

Denique Officium S. Anacleti P. et M. celebratur stabiliter in Diœcesi nostra 2 Augusti, cum vero huc usque apud nostram Collegiatam Festum S. Petri ad Vincula celebratur, diem fixam non accepit, sed quotannis transferebatur: dies 9 Augusti autem non est impedita Festo 9. Lectionum proinde quæritur: An dictum Officium perpetuo et stabiliter in diem 9 Augusti, transferri possit pro nostra Collegiata tantum? Quod si Festum S. Petri ad Vincula deberet in posterum iterum in 1 Augusti reponi, debebit tunc Officium S. Anacleti 2 Augusti stabiliter celebrari pro conformitate Calendarii Diœcesani?

Ex mandato SSmi dato Romæ 29 Aprilis 1788, et publicato 9 Augusti 1789, celebrari debet in statibus Regi Borussiæ subjectis quarta Feria post Dominicam 3, post Pascha cum obligatione audiendi Missam, et abstinendi ab operibus servilibus hac Feria occurrit hoc anno Festum simplex S. Vitalis, dubitatur, An possit transferri Officium 9. Lectionum, quod alia die celebrari impeditum fuit, et an vetentur propter Festum fori Missæ privatæ votivæ, et de Requiem privatæ, etiam præsente corpore?

S. eadem Rituum Congregatio, exquisita sententia unius ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris, referente Emo, et Rmo D. Card. Archinto Præfecto, respondit: *Detur votum Magistri cæremoniarum, juxta mentem,* nempe:

« Ad 1. Quoad primum quæsitum *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam, et patet responsio ad secundum quæsitum. »

« Ad 2. *Festum Sanctorum Martyrum Aurelii et Sociorum esse celebrandum in Dominica 3, post pascha et pro Festo Patrocinii S. Josephi esse assignandam perpetuo Dominicam 4, post Pascha, et quoties hæc sit impedita, transferendum esse Festum Patrocinii ad primam diem non impeditam, juxta Rubricas.* »

« Ad 3. *Affirmative* juxta petita. »

« Ad 4. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam, *si tamen S. Jacobus sit Patronus principalis Civitatis, Oppidi, vel pagi, de quo tantum patrono transferendum est Festum in Dominicam, juxta Breve Apostolicum; si vero sit Patronus, vel Titularis Ecclesiæ Collegiatæ tantum, servandas esse Rubricas.* »

« Ad 5. Festum S. Anacleti reponendum esse *in die 2 Augusti, si Festum S. Petri ad Vincula celebretur in die 1, juxta responsionem ad Dubium 4.* »

« Ad 6. *Affirmative* in utrumque. » Wratislavien. Die 11 Septembris 1790.

(6. An, quoties aliquis Sanctus Confessor ritu duplici transfertur a die sui obitus propter occurrentiam Dominicarum Adventus, et Quadragesimæ, et dies proxime sequens non sit impedimento, debeat in ea reponi ante alia Festa æqualis ritus, et dignitatis, prius translata, ut in hoc casu Sanctus Confessor habeat integras Vesperas in suo proprio die, et non varietur versus Hymni: *Iste confessor:* dicendo: *Meruit beatas:* tam in primis Vesperis, quam in Matutino, et secundis Vesperis sequentis diei, juxta Decretum S. R. C. 13 Junii 1682 (2838)?

An præter hunc casum generaliter Festa translata habeant præcedentiam jure vicinitatis ad repositionem in die proxime immediata impedita, ita ut in ea de ipsis fieri debeat Officium, etiamsi adsint alia ejusdem ritus, et dignitatis prius translata, vel reponenda sint juxta ordinem translationis, scilicet primo de primo translato, et sic successive?

Festum SSmæ Trinitatis in occurrentia non cedit alicui Festo Sanctorum, cujuscumque sit ritus, attamen celebratur sub rit. dupl. secundæ classis tantum, ideoque, occurrente in Hispania, ut non raro evenit cum Festo S. Ferdinandi, et aliorum Sanctorum, qui sunt primæ classis, his tribuuntur Vesperæ integræ cum commemoratione SSmæ Trinitatis. Sed cum hæc Festivitas major omnibus extet sua incomparabili dignitate, nullumque Sanctorum Festum cum illa possit æquiparari, et aliunde suamet natura omnem solemnitatem exposcere videatur: quæritur an eodem modo, quo prædicta Festivitas excludit omnia Festa etiam primæ classis in ea occurrentia, ita quando cum ipsis concurrit, debeat habere secundas Vesperas, licet Festum sequens sit primæ classis? Et quatenus negative; supplicatur pro gratia saltem quoad Diœcesim Santanderien. ex privilegio elevationis ritus, seu quomodocumque placeat EE. VV. ad confovendam devotionem erga præcipuum Christianæ Religionis Mysterium?

In Hispania ex concessione S. R. C. celebrantur plura SSrum Festa particularia cum Octavis, ut S. Idelphonsi Archiepiscopi Toletani, S. Juliani Episcopi Conchensis, S. Ferdinandi Hispaniarum Regis, S. Elisabeth Viduæ, S. Isidori Agricolæ, etc. Sed cum, multitudine aliorum Officiorum, quæ tam ad universalem Ecclesiam, quam ad præfata Regna omnino extenduntur, jam dies liberi pro omnibus in anni decursu deficiant, et

Digitized by Google

ideo opus sit, talia Festa magna ex parte singulis annis penitus supprimere, vel ad leges Festorum simplicium ea redigere : quæritur ergo : « An moderari possint prædictæ Octavæ minus principales in posterum omissæ, ut exinde omnium Officiorum consulatur recitationi, sicut nuper fecit Ordo Minorum S. Francisci quoad majorem partem suarum Octavarum particularium, accedente auctoritate, et approbatione S. R. C.?

« In nominatis Regnis adsunt insuper ex concessione aliqua Sanctorum secundaria Festa, nempe conversionis S. Augustini die 5 Maii, Transverberationis S. Theresiæ 27 Augusti, commemorationis S. Juliani Episcopi 5 Septembris, et alia similia, quæ ritu duplici celebrantur, præter ipsorum Sanctorum Festivitates principales : quæritur igitur : An pariter ista secundaria Festa possint comprehendi in enunciata moderatione, recedendo a dictorum Officiorum recitatione, quamquam acceptata, ut Officiis primariis in anno locus non desit, sicut pariter pro secundariis suis Festivitatibus ad praxim adduxit Ordo S. Francisci in sui Breviarii novissima reformatione?

« An stante hujusmodi suppressione debeat fieri commemoratio de Festis secundariis sic suppressis in illis diebus, in quibus nunc celebrantur tamquam de simplicibus cum nona Lectione ad matutinum, et commemoratione in Officio, et Missa, vel potius omnia sint omittenda, tamquam si talia officia nullo tempore fuissent admissa, et acceptata? »

Sac. eadem Congregatio, exquisita sententia unius ex apostolicarum cæremoniarum Magistris referente Emo, et Rmo Domino Cardinali Archinto Præfecto, respondit. Ad 1. *Officium S. Joannis Baptistæ reponendum esse in prima die post Octavam SSmi Corporis Christi dummodo non sit impedita festo æqualis ritus.*

Ad 8, 9 *et* 10. *Servandas esse Rubricas.*

Ad 11, 12 *et* 13. *Sac. Rit. Congregatio facultatem tribuit Rmo Episcopo reformandi Calendarium, juxta petita pro suo arbitrio, et prudentia, ita tamen ut de Festis secundariis, quæ supprimuntur, fiat commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missa cum nona Lectione ad Matutinum, et quoad omnia servantur Rubricæ. Santanderien. Die* 26 *Januarii* 1793.

(7. Exorta controversia inter confratres Societatis nuncupatæ *del consorzio* erectæ in Ecclesia Collegiata Terræ Massæ Fiscajæ, et Parochos ejusdem Ecclesiæ, de jure Cappellani ejusdem Societatis deferendi stolam in Ecclesiasticis functionibus, in quibus cum eadem Societate tamquam Capellanus incedit; eaque ad Sac. Rit. Congregationem delata.

Sac. eadem Congregatio, auditis rationibus utriusque partis, et relatione Vicarii Capitularis, referente Emo, et Rmo Cardinali Borgia, declaravit : *Licere Capellano Societatis de Consortio deferre stolam in omnibus functionibus solitis, et ad ipsam Societatem specialiter spectantibus, etiam in transitu per Ecclesiam; quo vero ad associationem cadaverum, teneri ipsum Capellanum incedere cum Societate, adhibita stola extra Ecclesiam tantum.* Cervien. Die 23 Augusti 1794.

(8. An expediat assignare aliam diem Festo Dedicationis Ecclesiæ SSrum Vincentii, et Anastasii, ad Aquas salvias, ut celebrari possit cum Octava, cum in præsens ex antiqua consuetudine agatur in Feria V, post Dominicam Passionis? Et quatenus affirmative, supplicatur pro assignatione diei.

Ad 6. *Affirmative assignata imposterum die* 6 *Mensis Septembris, vel* 21 *Octobris Festo Dedicationis Ecclesiæ SSrum Vincentii et Anastasii ad Aquas salvias Romana Die* 10 *Septembris* 1796.

(9. Perillustris, et Rme Domine uti Frater — Cum SSmus Dominus Noster Pius VI. Pontifex Maximus per Decretum S. R. C. latum. Die 15 Novembris anni 1775, ad pias preces recol. mem. Caroli III. Hispaniarum Regis Catholici benigne indulserit, ut ab utroque Clero in Regnis et Dominiis eidem Regi Catholico subjectis recitari posset in singulis diebus Octavæ Solemnitatis SSmi Corporis Christi Officium cum Missa de eadem Octava, exceptis tamen Festivitatibus Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et SSrum Apostolorum Petri, et Pauli, quoties in eamdem Octavam incidissent, et per suas Literas Apostolicas in forma Brevis datas Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 5 Martii 1776, idem Decretum confirmaverit. Pervenit subinde ad aures Sanctitatis Suæ in exemplis earumdem Literarum per Hispanias evulgatis in iis verbis — *Duabus Festivitatibus præfatis tantum exceptis* — loco particulæ *tantum*, suffectam fuisse particulam *minime* ante verbum *exceptis*, contra ac legitur in autographo earumdem Literarum, quod est in Archivio Secretariæ Brevium, et in exemplo, quod etiam Romæ asservatur apud Regium Hispaniarum negotiorum Gestorem. Et quoniam ex hujusmodi verbi variatione factum est, ut eædem Festivitates nequaquam censerentur amplius exceptæ, Episcopus Santanderien. cum de pluribus liturgicis quæstionibus S. R. C. consuluisset, illud etiam declarari petiit in quanam die post Octavam SSmi Corporis Christi collocandum esset Officium Festivitatis S. Joannis Baptistæ, si in aliquo ejusdem Octavæ die occurreret; cumque eidem S. C. exemplum æque vitiatum Literarum Apostolicarum exhibitum fuisset, eadem Sac. Congregatio in respondendo decepta est. Placuit itaque Sanctitati Suæ, audito hac super re R. P. D. Hieronymo Napolionio Promotore Fidei, mandare, ut significaretur Ecclesiis Dominiorum Regis Hispaniarum error, qui irrepsit in exempla earumdem Literarum : ideoque declararetur Festivitates S. Joannis Baptistæ, et SSrum Apostolorum Petri, et Pauli in omni Ditioni Regis Catholici non esse transferendas, quoties incidant in Octavam SSmi Corporis Christi, et Decretum antedictæ S. R. C. sive *Resolutionem* 1. Dubii in Santanderien. Resolutionis Dubiorum emissam die 26 Jan. 1793. *locum amplius*

Digitized by Google

non habere. Quapropter Amplitudo Tua curet, ut hæc SSmi. Domini declaratio omnibus Ecclesiis comprehensis in Ditione Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici innotescat, et Amplitudini Tuæ diuturnam exopto felicitatem.

Amplitudinis Tuæ — Hispaniarum Romæ 16 Decembris 1796. Pirgien. Archiepiscopo Nuntio Apostolico apud Regem Catholicum.

(10. « An attendi debeat, ut sit in Calendario Brixiensi, etiam in Diœcesi in Octava Dedicationis Ecclesiæ Decretum S. R. C. 27 Martii 1778. sic expositum : Festum Dedicationis Ecclesiæ est festum Domini : unde in paritate ritus debet habere integras utrasque Vesperas : quamvis aliter legatur in Calendario Romæ hujus anni diebus 15 et 18 Novembris?

« An, occurrente Festo Dedicationis in Festis B. M. V., Sanctorum Angelorum, Joannis Baptistæ, Joseph Sponsi ejusdem B. M. V. ac Sanctorum Apostolorum, quæ Festa sub ritu dupl. primæ classis sint celebrata, debeat in his casibus fieri Officium de Dedicatione, etsi occurreret Festum Assumptionis B. M. V.? »

Ad 9 et 10. *Negative, prout decisum fuit sub die* 13 *Martii* 1804. *in una Ordinis Clericorum Minorum Villæ Matritensis* (4342. ad 3. 4.), *et servetur ordo Tabellæ excerptæ ex Rubricis generalibus Breviario Romano præmissæ.* Brixien. Die 20 Septembris 1806.

(11. Dub. 2. In iisdem Civitate et Diœcesi, Festum Patronorum prædictorum ex immemorabili etiam consuetudine est tamquam præceptivum quoad obligationem audiendi Sacrum, non autem vacandi ab operibus servilibus. At cum ex Decreto S. hujus Congr. diei 13 Septembris 1642. (scilicet Constitutionis S. M. Urbani PP. VIII, relat. supra num. 1264.) utrumque de præcepto declaretur in Festo Patroni principalis, et proprii; quæritur : « An ad utrumque in posterum obligandus sit Populus Civitatis, et eorum etiam locorum proprium Patronum non habentium, vel potius in præfata consuetudine continuandum? »

Dub. 3. In ipsis Civitate, et Diœcesi Festa SSrum Joseph, Annæ, et Silvestri nec sunt, nec hactenus fuerunt de præcepto. At cum iidem in numero Sanctorum Festivationem in Populo habere debentium per Bullam S. M. Urbani VIII. quæ incipit *Universa*, nec non per S. R. C. Decreta describantur; quæritur: « An in posterum præfata Festa de præcepto servanda sint, vel antiquæ, et immemorabili consuetudini sit insistendum? »

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Citra Approbationem assertæ consuetudinis, consulendum SSmo. pro dispensatione.* Corduben. Die 12 Novembris 1806.

(12. Aliquæ Sodalitates Patronum habent S. Thomam, S. Luciam, ac S. Josephum Sponsum B. M. V. Quæritur : « An quando prædicta Festa occurrunt in Dominicis privilegiatis Adventus, et Quadragesimæ, attento concursu sodalium, aliorumque devotorum, possit cantari Missa de Patrono? Et quatenus affimative, an dicenda sit in Missa commemoratio Dominicæ, et Octavæ occurrentis cum ultimo Evangelio in fine Missæ? »

Ad 8. *In publicis Oratoriis cantari potest Missa de Titulari occurrente in Dominicis Adventus, et Quadragesimæ privilegiatis, non autem in illis exceptis, et in Missa dicenda est commemoratio Dominicæ, et diei Octavæ tantum occurrentis, cum Evangelio ejusdem Dominicæ in fine.* Et ita declaravit, et servari mandavit. Compostellana Die 8 Aprilis 1808.

(13. Cum nonnulli ex Parochis intra fines Ducatus, et Diœcesis Camerinen. unum dumtaxat Principem Patronum in uno quoque loco sub utroque præcepto venerandum, colendumque contenderent, scilicet S. Venantium Camerinensem, posthabitis peculiaribus cujusque loci Patronis Principalibus, in quorum festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro Populo, prout per plures annos egerant. Institutum propterea fuit in Congregatione Ordinaria Sac. Rit. pro declaratione : «An festum utriusque Principis Patroni Status scilicet Camerinen. et uniuscujusque loci, celebrandum foret sub utroque præcepto? Et num Parochi omnes in præfatis Festis tenerentur applicationi Missæ pro Populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis? » ut in supplici libello, sequentis tenoris.

« Emi, e Rmi. Signori. Lo stato di Camerino che forma Provincia separata affatto dall' Umbria, e dal Piceno, venera come Protettore principale S. Venanzio Martire, e ne celebra la Festa con rito doppio di 1. classe, coll'Ottava, e ne osserva la Festa di precetto.

« Quasi tutti i singoli Paesi contenuti dentro i limiti di esso Stato, hanno i respettivi particolari Protettori principali canonicamente eletti, confermati dalla Sagra Congregazione de'Riti, e assegnati ai medesimi sempre dal Calendario Diocesano di Camerino col rito conveniente a tali Santi di doppio di 1. classe coll'Ottava, e con tal rito se ne celebra effettivamente in ogni luogo la Festa.

« Costa apertamente dalla Costituzione della S. M. di Urbano VIII. che comincia *Universa* § 2. non che da moltissimi celebri Autori, segnatamente dai Salmaticesi, Ferraris, Merati, etc. che tanto l'una, che l'altra Festa di tali Protettori, del Protettore cioè di Provincia, e del Protettore del Luogo contenuto nella stessa Provincia, siano di precetto, coll'obligo di ascoltare la Messa, e di astenersi dalle opere servili.

« Alcuni Parrochi, ciò non ostante, sono fissi nel sostenere, che la Festa del Protettore del Luogo particolare non è di precetto, perchè si osserva di precetto la Festa del Protettore della Provincia, e si dispensano dall'applicare *Pro populo* e permettono le opere servili.

« Per togliere tali disordini, e quelli, che da essi derivano, si supplica per la formale dichiarazione, che l'una, e l'altra Festa dello Stato, e Ducato di Camerino *è precettiva*, e che sono tenuti *a rimettere*, o ad *ottenere* l'*assoluzione* per le Messe *Pro Populo* da essi tralasciate. Che etc. »

Digitized by Google

S. eadem R. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. de Somalia eidem Congregationi Præfecti, ac Relatoris, habita prius informatione de præmissis per R. Vicarium Capitularem Camerinen. scripto pandita, respondit: *Servandum esse de præcepto utrumque Festum, et Parochos teneri ad applicationem Missæ pro Populo, et ad D. Secretarium cum SSmo* Camerinen. Die 22 Martii 1817.

(14. « Cum quandoque aliquod Festum erit dup. min. translatum reponi nequeat ante diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum; quæritur an ejusdem Officium reponi possit, et debeat in dicta die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum? »

Ad 10. *Jam alias decisum, quod de Festo duplici min. vel. occurrente, vel translato, fieri possit in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, Missas tamen privatas dicendas de Requiem in Una Urbis* 5. *Octobris* 1686. *In Curien.* 19 *Junii* 1700. *ad dub.* 5 *et in Einsidlen.* 5 *Maii* 1736. *num.* 11. *ad alia dubia; quæ Decreta S. C. declarat locum dumtaxat obtinere, si pro repositione Festi translati nullus supersit dies usque ad anni finem.* Dubiorum Die 4 Junii 1817.

(15. Cum sit decretum, quod occurrente Festo duplici majori die octava alicujus Festi recitandum sit de die octava, translato Festo duplici majori in primam diem non impeditam; quid erit agendum, quando usque ad anni finem, talis dies desideretur?

Humillimus Orator suppliciter deprecatur, ut in primam, vel secundam Dominicam Septembris transferre dignetur obligationem, quam ex legato a quodam Domino Gomes suo Monasterio relicto, habet celebrare faciendi quotannis in die 10 Decembris unum Sacrum solemne in Sacello S. Eulaliæ dicato, quod non longe ab alvo fluvii Monde est situm, cum propter frequentes, copiososque imbres, tumidæ inundationes Monde tunc temporis esse soleant, et prædictum S. Eulaliæ Sacellum fluvialibus inundationibus undique circumdatum videatur, quod cum pietati obsit fidelium, qui, semotis tam gravibus difficultatibus, vitæque periculis devotionis cultum S. Eulaliæ tributari libenter accederent; ideirco supradictus Prior, ac Generalis, et humillimus Orator reverenter jam supra memoratam deprecatur gratiam.

Ad 4. *Dentur Decreta in Hispalen.* 21. *Novembris* 1735. *et Ordinis Minorum Capuccinorum* 8 *Martii* 1738. *videlicet — Sanctos, qui in fine anni supersunt, quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum Commemorationem, ut fit in semiduplicibus cum nona Lectione ad matutinum composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundis Nocturni ad modum unius.*

Ad 5. *Ad D. Secretarium cum SSmo Conimbrien. Die* 31 *Maii* 1817.

(16. « An translatio Festorum Patronorum principalium intelligenda sit de tempore tantum sequenti? et in casu, quod intelligi debeat etiam de præcedenti, quæ regula habenda, si de præcedenti, vel de sequenti?

« An, Festa Patronorum principalium haberi debeant tamquam Festa mobilia?

« An, translato Festo Patroni principalis in diem Dominicum, transferri debeat simul in Sabbatum dictæ Dominicæ præcedentem Officium, et Missa de Vigilia?

« An, translato Festo Patroni principalis in diem Dominicum, transferatur etiam tota octava, vel reliqui dies octavæ, si supersint? et in casu, quo transferri debeat Festum Patroni principalis in diem Dominicum, et celebrari cum tota octava, quæ regula habenda circa lectiones Nocturnorum, cum in Octavario Romano R. P. Gavanto non semper assignentur, eo quod Officium octavæ fixum erat certis diebus, uti videre est in Octavario Romano?

« An simul cum Festo Patroni principalis in diem Dominicum translato, transferantur simul omnes solemnitates, concessiones, privilegia, indulta, Indulgentiæ, prohibitiones Missarum in Oratoriis privatis, etc. eidem Festo adnexæ?

« Occurrente Festo Patroni principalis, eo quod transfertur in diem Dominicum, cum Festo primæ classis, vel Ecclesiæ particularis, vel Ordinis, vel Diœcesis, vel Nationis, vel Ecclesiæ universalis, de quo celebrandum erit Officium? id est: quæ Festa, vel solemnitates impediant fieri Festum Patroni principalis?

« De quo faciendum Officium illo die, qui remanet vacuus ob translationem Festi Patroni principalis in diem Dominicum?

« An illa Festa, quæ ab Ordinariis locorum assignata fuerant aliis diebus tamquam propriis, ratione occurrentiæ cum Festo Patroni principalis, sublato nunc hoc perpetuo impedimento, quia Festa Patronorum principalium habent saltem rationem Festorum Mobilium, possint, et debeant illa prædicta Festa, olim amota a propriis sedibus, celebrari, vel retrogredi suis diebus, quibus assignata fuerunt ab initio in Calendario Romano?

« An, et quando Festum Patroni principalis transfertur in diem Dominicum, debeat in Feria 6. dictæ Dominicæ præcedente annuntiari in Martyrologio Vigilia, si adsit, et in Sabbato annuntiari Festum Patroni, quod celebratur die Dominica, et in Sabbato sequenti annuntiari Octava?

« Cum multa sint loca, quæ non habent Patronum principalem, quæritur: an possint, et debeant celebrare uti Patronum principalem Festum S. Januarii, qui est Patronus principalis totius partis Regni Siciliæ, citra pharum, (cujus Festum usque ad emanationem præfatæ Bullæ celebrabatur in Diœcesi Neapolis cum duplici obligatione audiendi Sacrum, et abstinendi a servilibus operibus, et in reliqua parte Regni cum onere tantum audiendi Sacrum) transferendo pro illis prædictis locis in diem Dominicum Festum S. Januarii?

« In casu, quo Festum Patroni principalis cadat in aliquem ex diebus infra Octavam Nativitatis Domini, vel quia transfertur a propria die in diem Dominicum, vel quia sit

Digitized by Google

unum ex Festis Natalis Domini subsequentibus, vel quia fuerit assignatum infra eamdem Octavam : quæ regula habenda erit?

« SSmus Dominus Noster Pius PP. VII. in una Urbis et Orbis data die 18 Septembris 1814. decrevit, ut in posterum occurrente Festo Septem Dolorum B. M. V. quod est assignatum Dominicæ tertiæ Septembris, cum Octava Nativitatis B. M. V. vel cum Festo S. Matthæi Apostoli, transferatur prædictum Festum Dolorum primam ex Dominicis sequentibus non impeditam Festo dupl. 1. vel 2. clas. Quæritur : occurrente prædicto Festo Dolorum cum Die Octavæ, uti accidit in Diœcesi Neapolis anno 1819. quod occurrit Festum Dolorum cum die octavæ S. Januarii Ep. et Mart. fieri debeat Festum Dolorum cum commemorat. octavæ, vel de die octavæ? Et in casu, quod fieri debeat de die octavæ, et transferri in diem Dominicam sequentem Festum Dolorum; tunc occurrente Festo Dolorum, cum Festo S. Rosarii B. M. V. quod est ritus dupl. maj. Quæritur : an fieri debeat Festum Dolorum, an Festum SSmi Rosarii?

« Ad 1. Dispositionem Brevis comprehendere omnia Festa Patronorum principalium tam quoad tempus præcedens, quam quoad subsequens : quoad vero regulam tenendam, provisum in sequentibus.

« Ad 2. *Negative*, cum hujusmodi Festa certis Dominicis infra eorumdem Octavam sint perpetuo assignata, et nisi per accidens transferendæ erunt.

« Ad 3. *Affirmative* quoad jejunium, et abstinentiam, ac etiam quoad Officium Vigiliæ, quatenus Festa sint ex illis, quæ gaudent Vigilia quoad Chorum.

« Ad 4. Ad primam partem : Si Festum fiat in Dominica fixe assignata, retinet integram Octavam, quia hæc habetur ut dies propria : ea vero accidentaliter impedita, si ulterius sit transferendum. Octava perit. Quoad secundam partem, provisum per Rubricam de Octavis num. 4. et per regulam traditam a Gavanto in præfat. ad Octavarium Romanum : Quod si adhuc super hoc dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.

« Ad 5. *Affirmative*, quia Dominica, in qua Festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est, ac si esset dies propria.

« Ad 6. Impedimentum ponunt Dominicæ omnes 1. et 2. clas. vel in quibus occurrunt Festa 1. class. majoris dignitatis. Quoad reliquam dubii partem, si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.

« Ad 7. Faciendum Officium de Feria, nisi aliquod Festum prius translatum recolendum sit.

« Ad 8. *Affirmative*, nisi ex hoc sequatur non levis perturbatio, et confusio in ordinando Calendario.

« Ad 9. *Affirmative* in Sabbato præcedenti quoad Festum : *Affirmative* etiam quoad Vigiliam in Feria VI. si adjunctum habeat Officium : secus, *Negative*.

« Ad 12. Provisum in primo Brevi, in quo habetur, quod pro Urbe Neapolis tantum retineatur Festum S. Januarii; in reliqua parte Regni idem Festum retinere debet propriam sedem, et ritum, sed sine præcepto audiendi Sacrum. Quoad loca vero, quæ non habent Patronum principalem, satis provisum in secundo Brevi diei 15 Octobris labentis anni, quod jubet, ut Civitates, et Loca, quæ peculiarem Patronum non habent, Festum Patroni principalis Diœcesis pari solemnitate celebrare teneantur.

« Ad 13. In casibus particularibus providebitur : et S. R. C. pro casuum diversitate aliam Dominicam assignabit tamquam diem propriam.

« Ad 14. Provisum per Decretum generale die 19 Augusti 1617.

« Et ita, etc. Neapolitana Die 18 Octobris 1818. »

(17. Dum novissimis temporibus in florentissimo Galliarum Regno divina, humanaque omnia summo bonorum omnium dolore partim confusa, partim sublata erant, sacra ipsa Liturgia, ac Psalmodia in vetustissimo suo ordine non mediocrem perpessa est perturbationem. Ne autem hæc vel in Divinis Reparationis nostræ Mysteriis recolendis, vel Sanctorum Festis celebrandis penitus deperiret sa. me. Pius Papa VII. id consilii cœpit, quod et temporibus, et divinis restituendis magis accomodatum videretur. Considerato itaque Regni, rerumque divinarum statu, ea qua pollebat in universam Christi Ecclesiam auctoritate, ad servandum in illis ordinem, et externum cultum sine Religionis detrimento revocandum, facta Emo Cardinali suo Legato a Latere facultate, constituit, ut quædam Festa non propriis, ut fieri debuisset juxta Rubricæ regulas, diebus, sed Dominica proxima occurrente in omnibus Galliarum Provinciis et Diœcesibus celebrarentur. Etsi plures ab hoc Indulto jam Annî defluxerint, semper tamen dubitatum est de diebus, in quibus hæc Festa forent celebranda, quasi verus ac genuinus verborum Indulti sensus esset ambiguus ac dubitationi locum præberet. Idcirco diversis ea diverse interpretantibus, ac in contrarias abeuntibus sententias, ex hac opinionum varietate varius pluribus in Diœcesibus exortus est usus, ita ut alii Dominicam, quæ hujusmodi Festa præcedit, alii eam quæ illa subsequitur pro Dominica proxime occurrente suo lubitu accipiant. Ad hanc sententiarum varietatem tollendam, omnemque ambiguitatem eliminandam, Sacrorum Rituum Congregationi Rmus Episcopus Rhedonen. sequentia proposuit Dubia enodanda :

« Quum ex Pontificio Indulto statutum sit quædam Festa in Galliarum Regno celebranda esse Dominica proxime occurrente, quæritur quæ sit Dominica hæc proxime occurrens?

« Utrum translatis supradictis Festis, translata intelligatur solemnitas tantum, an potius una cum solemnitate tota etiam Octava translata intelligatur pro Officiis in Choro? »

Et Sacra eadem Rituum Congregatio in Ordinario Cœtu ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, exquisita prius alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris sententia scriptis exarata, præloquo cursu, ad

Digitized by Google

relationem Emi, et Rmi D. Card. Joannis Francisci Falzacappa ponentis, omnibus mature, diligenterque examinatis, rescribendum censuit — *Affirmative juxta Votum Magistri Cæremoniarum, nimirum.*

Ad 1. *Dominica proxime occurrens intelligenda est Dominica, quæ Festum subsequitur.*

Ad 2. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam, servatis in omnibus Rubricis. Atque ita decrevit, ac servari mandavit. Rhedonen. die 17 Julii 1830.

(18. Eo, quo præfulget erga Divinum Cultum zelo atque studio a Tridentina Synodo Præsulibus commisso, eidem promovendo prospicere nitens Rmus Pisanus Archiepiscopus Rubricas omnes, et Sacrorum Rituum Congregationis Decreta in Sacris Functionibus peragendis adamussim servari studet; eo vel magis quod id Ordinariis Locorum plenissime curandum esse, eadem Sacra Congregatio in una Dubiorum diei 17 Septemb. 1822 omnino voluit. Quapropter cum in Metropolitana et Primatiali Ecclesia Pisana plures obtineant consuetudines, quæ vel ab immemorabili, vel saltem pervetusto tempore ductæ existimantur Ritualibus illius Ecclesiæ Legibus plane refragantes, eas in Divinis persolvendis Officiis diutius ferri non posse censuit, ne, illis retentis, tum Ecclesiasticis jussionibus injuria fiat, tum ne inde approbationis suæ inferatur argumentum. Ipse autem ut pote religiosissimus non modo, sed prudentissimus, verens, ne illis omnino eliminatis consuetudinibus, earumdem vetustatem, et argumenta a Capitulo petita, despicere videatur, nec voluit, nec re sua ductus de iisdem judicium interponere, sed consultius eidem Sacrorum Rituum Congr. rem omnem remisit, ac sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. « An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi Laudes in Nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, vel an eædem sint decantandæ?

2. « Et quatenus negative, Archiepiscopus, Capituli Pisani nomine humillime supplicat, ut huic indulgeatur facultas Laudes sine cantu legendi post Missam solemnem in illa Nocte, æque ac hæc eadem facultas die 31 Martii 1821. indulta est Canonicis Sulmonensibus.

3. « An ob immemorabilem consuetudinem tolerari debeat usus post solemne Matutinum Laudes sine cantu recitandi in solemnioribus Anni Festis?

4. « Et quatenus affirmative, utrum idem usus sit ferendus in Festo triennali Sancti Raynerii Pisani Confessoris, et Diœcesis Patroni principalis.

5. « An ratione memoratæ consuetudinis in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis ferri queat, quod recitatio Laudum omittatur, et privatim tantummodo a paucis Capellanis tempore nonæ Lectionis, et Hymni *Te Deum*, eæ persolvantur?

6. « Utrum ferendus sit ritus numeri, ordinis, et loci Cereorum seu Candelarum in persolvendis Officiis Tenebrarum ab Ecclesiæ Pisanæ Capitulo servari solitus?

7. « Utrum Feria V. in Cœna Domini servari

debeat usus denudandi Altaria post *Mandatum* hora quarta pomeridiana?

8. « Utrum probari possit usus obeundæ in Sabbato Sancto benedictionis novi ignis, et incensi ab alio Sacerdote, licet Missam non celebraturo; et deinde ab eodem Diaconalibus vestibus induto deferendæ Arundinis *lumen Christi*, et canendi Præconii, etsi in subsequenti Officio, et Missa ipse Celebranti non assistat?

9. « Utrum ferendus sit usus in Sabbato Sancto infigenti quinque grana Incensi non quidem in Cereo Paschali, sed ceræ cuidam albæ Cruci ab eo separatæ, atque hujus muneris obeundi per Chori Capellanum sive Sacerdotem, sive Diaconum a Diacono Præconii, seu Missæ diversum?

10. « Utrum servanda sit consuetudo deferendi præter Cereum Paschalem duos alios parvos Cereos ex eo accensos in Supplicationibus, quæ in Ecclesia Pisana fiunt, tum in Sabbato Sancto ad obeundam Fontis baptismalis benedictionem, tum quotidie in octo dierum spatio ad eumdem Fontem?

11. « Utrum ferri valeat usus aspersionis aquæ benedictæ, quæ fieri debet in diebus Dominicis ante Missam Solemnem, peragi solitæ non quidem a Celebrante, sed a Capellano Chori cum Pluviali?

12. « Utrum, assertæ consuetudinis immemorabilis vi, liceat Canonico celebranti uti Pulvinari pro genuflectendo coram Archiepiscopo?

13. « Utrum Celebrans in Missa Solemni, quum sibi est sedendum dum cantatur *Gloria in excelsis*, et *Credo* pergere debeat ad Scamnum capite operto, et ita regredi ad Altare, ac utrum ad eos versiculos, ad quos sibi est inclinandum, excepto solo versiculo, *Et incarnatus est*, contecto pariter capite ei liceat inclinari?

14. « Omissum semper fuit Anniversarium pro ultimo Archiepiscopo defuncto ex cap. 36. lib. 2 Cæremonialis, cura, et impensis Capituli quotannis faciendum. Putant quidam Canonici se ad id non teneri, tum quia omni tempore faciendum est ita, tum quia superiores Archiepiscopi, si aliquibus cordi fuit hoc annuo suffragio post mortem frui posse, congruos census Mensæ Capitulari in perpetuum legarunt?

15. « Die decima quarta Novembris, vel si fuerit Dominica, in sequenti Feria secunda quotannis celebratur Anniversarium cum missa de Requie post Nonam pro omnibus Canonicis, Capellanis, et Clericis defunctis ipsius Ecclesiæ Primatialis. Eapropter pridie immediate post Vesperas, omisso Responsorio *Fidelium animæ* proceditur ad Cœmeterium, ibique cantatur cum Invitatorio Nocturnum Defunctorum, et post tertiam Lectionem dicitur Responsorium: *Libera me Domine*, et fit Absolutio ut in Rituali. Simili modo immediate post Vesperas itur ad Sepulchrum Henrici VII. Imperatoris die 24 Augusti, et die 12 Septembr. ad Sepulchrum Beatricis Matris Comitissæ Mathildis ad faciendam Absolutionem ut supra, quæ fieri potius deberet sequenti mane post Mis-

Digitized by Google

sam de Requie. Hæc consuetudo, licet Rubricis Missalis et Ritualis contraria, retinetur ratione suæ longævitatis.

16. «Celebrante in pontificalibus Archiepiscopo, ipsius Crux defertur sine luminaribus a Crucifero absque Tunicella, et habitu Chorali tantum induto : Crux vero, quæ ante Clerum procedit, defertur ab Acolyto juxta morem Ecclesiæ, Pluviali induto inter duos Ceroferarios candelabra accensa portantes similiter paratos.

17. « Ad benedictionem Oleorum Feria V. in Cœna Domini prima Dignitas, nempe Archipresbyter, officium facit Presbyteri Assistentis in Pluviali, eodemque tempore vices gerit Archidiaconi, cui juxta Pontificale incumbit sistere se coram Antistite, et dicere alta voce : *Oleum Infirmorum* etc. Interim Archidiaconus quum sit secunda Dignitas officio fungitur Diaconi Assistentis cum Dalmatica. Ob præeminentiam Archipresbyteri propriam, sui juris esse videtur descripto modo se gerenti in hac sacra actione.

18. « Post missam Pontificalem ejusdem Feriæ V. duo Diaconi assistentes statim se recipiunt in Secretarium ad deponendum Dalmaticam, et in eorum locum succedunt Diaconus, et Subdiaconus, Missæ Archiepiscopum Sanctissimam Eucharistiam ad Sacellum deferentem comitaturi. Id etiam fieri solet in aliis Functionibus Sanctissimi Sacramenti ritu Pontificali ab Antistite celebrandis. Convenientius enim videtur ut interveniant Ministri cum Amictu, et Albo parati, quam super amictu, et Rocchetto Dalmatica induti.

19. « In Sabbato Sancto Arundo cum tribus candelis, vulgo dicta : *Lumen Christi*, amoveri solet ab altari statim post Prophetias, quum Archiepiscopus accedit ad Ecclesiam benedictionem Fontis Pontificali more facturus, quæ consuetudo retineri posse præsumitur : quamvis enim generatim prædicta Arundo removeatur dumtaxat post Missam, id non videtur præceptivum, quum Rubricæ omnino sileant.

20. « In eodem Sabbato Sancto, et Vigilia Pentecostes post Benedictionem Fontis, Archiepiscopus cum Ministris paratis in Ecclesiam reversus ad Litanias, procumbit super Faldistorio cum pluviali, et Mitra, Ministri vero ad ejus latera super Cussinis procumbunt, quin se exuerint pluviali respective, Planetis plicatis. Ratio hujus consuetudinis Rubricarum dispositioni resistentis ex eo desumitur, quia non videtur decere eosdem Ministros procumbere in solo Amictu super Rocchetto. Insuper Canonicus Missam celebraturus, post Prophetias, in Sacristia cum Diacono, et Subdiacono Missæ se recipit, neque ad Altare revertitur donec Litaniæ finem habeant, quibus quum sint pars officii, et Missæ hujus diei, ipse etiam interesse deberet.

21. « In Vigilia Nativitatis Domini, Martyrologium cantatur a Capellano in habitu Chorali tantum sine luminaribus, et incenso. Hæc consuetudo omnino est contraria usui communi aliarum Ecclesiarum, ubi Martyrologium hoc cantari solet ab Hebdomadario cum Stola, et Pluviali, thure et luminaribus, ideoque non est laude digna.

22. « Canonici, et Capellani Ecclesiæ Primatialis itemque Parochi, aliique Sacerdotes per Diœcesim occasione ministrandi Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, induere solent stolam super Cappam, et Mozzettam, aut Caputium; hunc abusum est difficile evellere. Quum enim hujusmodi Presbyteri ex antiquissimo privilegio pro Superpelliceo utantur Rocchetto continuo conquæruntur, præsertim pauperiores, sibi esse in promptu habendum Superpelliceum super Rocchetto imponendum. Pro Ecclesia vero Conventuali Divi Stephani Papæ, et Martyris, quum ab jurisdictione Ordinarii non pendeat, nescio quo pacto animadverti possit in consuetudinem hujusmodi; seu : Utrum 1. Dignitates, Canonici, Parochi, et Sacerdotes tum Ecclesiæ Primatialis, tum aliarum Ecclesiarum Diœcesis Pisanæ adigi debeant ad Superpelliceum cum Stola in administratione Sacramentorum juxta Rituale Romanum, deposita Cappa, et Mozzetta, vel Caputio etc.? 2. In Ecclesia Conventuali Sancti Stephani Papæ, et Martyris exempta Presbyteri ministrantes Sacramenta sine Superpelliceo cogi valeant ab Archiepiscopo ad servandam recensitam Ritualis Romani Rubricam?

23. « Laudatæ Ecclesiæ Primatialis Canonici dum e propria residentia ad illam, vel ab illius janua ad propriam Sedem Archiepiscopalem Archipræsulem in Cappa accedentem comitantur, juxta sublatum morem Canonicorum Ravennatensium, bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maximi roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium, et perennis traditio a Majoribus accepta, adeo ut præsumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa secundo hæc Primatialis Ecclesia in Metropoliticam dignitatem recepta est. Quæritur igitur utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit?

24. « Utrum usus ab Archipresbyteris Pisanis invectus in Sacris Functionibus ritu Pontificali peragendis redigi debeat ad limites Indulti Pontificii? »

Et eadem Sacrorum Rituum Congregatio ad Vaticanum in ordinario Cœtu sub infrascripta die coadunata ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Thomæ Weld ponentis, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris scriptis pandita, præloque cusa, omnibus mature, diligenterque discussis respondendum censuit.

« Ad 1. *Negative.*

« Ad 2. Attentis peculiaribus circumstantiis in casu de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu post Missam Solemnem, Canonicis tamen, aliisque de more æque ac in aliis diebus obstrictis ad interveniendum ad lucrandum Matutini distributionem.

« Ad 3. *Affirmative* illis diebus exceptis,

Digitized by Google

in quibus Archiepiscopus postquam Matutinum solemniter peregit, Laudes quoque solemniter celebrare voluit.

« Ad 4. *Negative.*

« Ad 5. Assertam consuetudinem non esse ferendam, et Laudes in Choro alternatim, solemni Matutino absoluto, recitandas esse.

« Ad 6. *Negative* juxta modum, ea nimirum in parte, quæ Cæremoniali Episcoporum adversatur.

« Ad 7. *Negative.*

« Ad 8. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

« Ad 9. *Negative.*

« Ad 10. *Affirmative.*

« Ad 11. *Negative.*

« Ad 12. Probetur formiter asserta consuetudo.

« Ad 13. *Negative,* atque ita servandum in omnibus aliis Pisanæ Diœcesis Ecclesiis tam exemptis, quam non exemptis.

« Ad 14. Servandam esse dispositionem Cæremonialis.

« Ad 15. Serventur Rubricæ.

« Ad 16. Servandam esse dispositionem Cæremonialis lib. 2. cap. 9. § 24. et 27. eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus; atque Acolytus deferens Crucem Capituli sit Cotta indutus, medius tamen inter duos Ceroferarios cum luminaribus.

« Ad 17. *Negative.*

« Ad 18. Serventur in omnibus etiam in Vestibus Diaconorum Assistentium Cæremonialis Episcoporum, et memoriales Rituum dispositiones.

« Ad 19. Servari poterit peculiaris consuetudo sed consulendum Sanctissimo.

« Ad 20. Diaconus, et Subdiaconus ut præsto sint ad induendum Episcopum, quum dictum fuerint in Litaniis Sancta Maria, surgentes recedant ad Sacristiam, ubi depositis violaceis Planetis, assumant Dalmaticam, et Tunicellam albas, nec revertantur ad Altare, nisi quum, absolutis Litaniis, solemnis inchoanda sit Missa.

« Ad 21. Servari posse solitum, adamussim tamen servatis Rubricis novissimæ Martyrologii editioni adjectis; dummodo Archiepiscopus noluerit solemniorem alium inducere ritum.

« Ad. 22. *Affirmative* quoad utramque partem.

« Ad. 23. *Negative,* et servetur omnino Cæremoniale Episcoporum.

« Ad 24. *Affirmative,* sed attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro extensione Indulti Archipresbyteri Pisani ad tramites Constitutionis sa. me. Pii VII. Pisana die 27. Aug. 1822.

« Atque ita censuit, et servari mandavit. die 12 Novemb. 1831. »

(19. Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli relatione, Sanctitas Sua Sacræ Congregationis responsa in omnibus adprobavit et benigne annuit pro Apostolica Dispensatione quoad 2. 19. et 24. Dubium. Contrariis non obstantibus quibuscumque. die 18 recensiti Mensis et anni.

(20. Ut in Divinis persolvendis Laudibus omnia rite et juxta sancitas leges peragantur, Sacrorum Rituum Congregationi sequentes Quæstiones, et Dubia enodanda proposuit Canutus Bruschi Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Podiibonitii Diœcesis Collen. nomine etiam Cleri ejusdem Oppidi, nimirum.

« Utrum decretum Urbis et Orbis sa. me. Pii VII. Pontificis Maximi datum sub die 18 Sept. 1814. quo præcipit ut in posterum in universa Ecclesia ubique Terrarum quotannis in Dominica Tertia Septembris celebretur Festum Dolorum Beatæ Mariæ Virginis sub ritu duplicis majoris abrogaverit, atque aboleverit omnia peculiaria Decreta aliquibus Diœcesibus antea concessa celebrandi idem Festum sub ritu duplicis secundæ Classis cum Octava?

« Utrum nostra Diœcesis, quæ suscepit decretum supramemoratum illudque servavit usque adhuc, possit modo inconsulta Sede Apostolica, resumere observantiam alterius Decreti ejusdem Summi Pontificis Pii VII. pro Regno Hetruriæ emanato sub die 18 Novembris 1807. cum quo concessit recitari posse Officium Septem Dolorum in Dominica Tertia Septembris sub ritu duplicis secundæ Classis, et cum Octava? »

Si responsio ad secundum Dubium erit affirmativa, oriuntur sequentes quæstiones nimirum :

« Cadens in Dominica tertia Septembris Festum Sancti Matthæi Apostoli, et Evangelistæ, quale de duobus Officiis ejusdem ritus remitti debeat juxta Rubricas?

« Si in die octava septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis occurrat Festum ejusdem Beatæ Virginis sub titulo de Mercede, quæritur, an eo Anno transferendum *sit,* vel Octava omittenda, uti evenit quando in Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis occurrit Festum Sanctissimi Nominis Ejusdem? »

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in ordinario Cœtu, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, atque libratis, respondendum censuit :

« Ad 1. *Negative.*

« Ad 2. *Affirmative,* et ad primam quæstionem *servetur Generale Decretum diei 19 Augusti* 1817. ad secundam quæstionem, *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

« Atque ita rescripsit, et servari mandavit Collen. Die 7. Aprilis 1832. »

(21. Eminentissimi Patres : Fr. Emmanuel Fomtsere Monachus professus, Cæremoniarum Magister Regalis Monasterii Divi Hieronymi Vallis de Hebron Diœcesis Barchinonensis Sacræ Rituum Congregationi humillime exponit, a tempore immemorabili festum celebratum fuisse, recitatumque Officium Dedicationis Ecclesiæ supradicti Monasterii usque ad annum 1807, quo tempore quum subortum fuerit dubium, utrum prædicta Ecclesia esset consecrata, aut benedicta tan-

Digitized by Google

tum, omissa est illius festivitatis celebratio. Ambigendi occasio inde sumpta est, quod nulla Crux, nullum aliud signum in Ecclesia videatur, unde inferri valeat illam fuisse consecratam. Verum præter allatam consuetudinem, quod non leve argumentum præstat ut Ecclesia credatur consecrata, extat quoque hujusce rei aliud testimonium in quodam libro perantiquo manuscripto, et caute custodito, ubi notatur, ac legitur: traditos fuisse sexaginta solidos Reverendissimo Domino Episcopo Rodenicopolis ob Ecclesiæ consecrationem: quæ tamen ultima verba ambigentes opinati sunt per errorem, aut inscitiam scriptoris in prædictum librum irrepsisse, adeoque legendum *benedictionem*, non *consecrationem*. Postmodum anno 1829. consulti sunt super hac re duo Vicarii Ecclesiastici Civitatis Barchinonensis, iique in Rubricis, et Sacris Ritibus peritissimi, qui omnibus perpensis, scrupuloseque examinatis censuerunt: prædictum Festum haud rite fuisse omissum, ideoque rursus celebrandum, ac prosequendum in posterum tum ob consuetudinem antiquissimam, et immemorabilem recitandi de eo Officium, tum quia nullum apparet monumentum evidenter ostendens dictam Ecclesiam non fuisse consecratam; quinimmo probabilius judicandam esse talem ob probationes adductas. His expositis quæritur:

Utrum possit necne celebrari in futurum Festum dedicationis suæ Ecclesiæ, ac recitari Officium a Patribus Hieronymianis Monasterii Vallis de Hebron?

Utrum Capitulum Generale Ordinis facultatem habuerit diem indicendi pro hoc festo celebrando, quod fecisse videtur Capitulum Generale anni 1591. designans diem XIV Julii ejusque anni pro hujus festivitatis celebratione?

In casu, quo Capitulum Generale prædicta caruerit facultate, ac æquum visum fuerit Eminentiis Vestris, ut istud Festum quotannis ut antea celebretur, humiliter Eminentiis Vestris supplicatur, ut eamdem diem XIV Julii pro celebratione dignentur designare.

Sacra autem Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, diligenterque examinata, rescribendum censuit *Negative* in omnibus. Ordinis Sancti Hieronymi Vallis De Hebron. Diœcesis Barchinonen. Die 7 Aprilis 1832.

(22. Apud Podium Bonitium in Etruria Diœcesis Collen. celebris est memoria Beati Lucii, seu Luchesii Confessoris qui pluribus exornatus virtutibus, habitu tertii Ordinis Sancti Francisci suscepto, in vita sanctis operibus, post obitum multis Miraculis coruscavit, sicuti refert Martyrologium Romanum trium Ordinum ejusdem Sancti Francisci decimo septimo Kalendas Maii. His permotus Beatus Gregorius X. Summus Pontifex, dum ad Lugdunense Concilium iter institueret Podium Bonitium visitans expetivit, ut sacro agmine instituta, Caput supradicti Beati circumferretur per Oppidum; quo ex tempore, pia traditione docente, haberi cœpit idem Beatus Lucius veluti Præcipuus Oppidi, et Comitatus Patronus, ejusque Festum veluti Patroni servari. Novis imis tamen temporibus Populo Oppidi Podii Bonitii accessit onus servandi etiam sub utroque præcepto Festum Sancti Martialis Patroni Civitatis, et Diœcesis Collensis. Sed quum Sancti Martialis festivitas recurrat quotannis Kalendis Julii, plerumque contigit eumdem Populum trium sibi succedentium dierum festivorum periodo gravari ea maxime tempestate, qua maturæ messis fervent opera, nec adest tantum periculum violandi præcepti et occasio, sed etiam ipsamet necessitas. Quapropter Clerus, et Populus Podii Bonitii, et Comitatus ejusdem præ oculis habentes Epistolam ss. me. Benedicti Papæ XIV. datam quarto decimo Kalendas Augusti anno 1749. Archiepiscopis et Episcopis Etruriæ, quæ præcipit cujusvis tantum Præcipui quarumcumque Civitatum vel Locorum Patroni pro veteri Ecclesiæ Catholicæ instituto Festum sub utroque, præcepto esse servandum; Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicaverunt, ut elevato ad integrum præceptum Festo Beati Lucii Præcipui Patroni ejusdem Oppidi, et Comitatus, servilia opera in Festo Sancti Martialis necessitate tantum Sacrificio adstandi servata, permitteret. Et Sacra eadem Congregatio nihil primitus declaravit; sed sub die 12. Novembris 1831. Reverendissimi Episcopi Informationem, et votum requisivit. Quo percepto, iterum sub die 7. Aprilis superioris Anni 1832. præcepit ut ponderetur in Folio, ut omnia maturius considerari valerent. Habita postmodum nova ejusdem Episcopi Informatione sub die 16 Martii vertentis anni rescripsit: *Dilata, et scribatur Epis. opo ad mentem.* Sacræ Congregationis mens fuit percipere, ut quum jam ab anno 1780 firmiter recognitus fuerit Beati Lucii Patronatus, et Officium proprium adprobatum, aliquid esset ab ipsomet Episcopo in re observandum. Quum autem Reverendissimus Collen. Antistes declarasset nihil aliud superesse observandum, promptumque esse ad qualemcumque decisionem admittendam, Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunatis ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Caroli Odescalchi Episcopi Sabinen. Ponentis, omnibus denuo mature rite que liberatis rescribendum censuit: *Pro gratia, sublato onere audiendi Sacrum in die Sancti Martialis.* Die 17. Augusti 1833.

(23. Super quibus omnibus facta postmodum per me infrascriptum ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacræ Congregationis confirmavit, annuitque ut in Oppido Podii Bonitii, ejusque Comitatus servetur tantum sub utroque præcepto Festum Beati Lucii præcipui Patroni, sublato onere adstandi Sacro in Festo Sancti Martialis præcipui Patroni Civitatis, et Diœcesis Collen. Die 23 Augusti 1833.

(24. Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit Sacerdos Angelus Flordiponte Archipresbyter, et Parochus collegiatæ Ecclesiæ Sancti Laurentii, et Sanctæ Mariæ Novæ Oppidi vulgo Toffia. Nullius Farfen. ex antiquo more Archipresbyteros memoratæ Ecclesiæ consuevisse in omnibus Ecclesiasticis Functionibus, nimirum in Choro, in Processionibus, in administratione Sacramentorum uti Stola, quam quidem consuetudinem ad hæc usque tempora hodiernus Parochus servavit. Verum quum in præsentiarum ab hujusmodi pacifica possessione deturbetur, optimi duxit nihil immutare, inconsulta hac Sancta Apostolica Sede, ac propterea a Sacra ipsa Congregatione emixe petiit declarari: an sibi liceat uti Stola in omnibus Ecclesiasticis Functionibus, quemadmodum semper servatum est, vel an debeat Stolam assumere tantum in administratione Sacramentorum?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in Ordinario Cœtu coadunata, infrascripto Secretario referente omnibus mature liberatis, respondendum censuit: *Serventur Decreta, nimirum Stolam adhibendam solummodo in Sacramentorum administratione.* Nullius Farfen. Die 26 Aprilis 1834.

(25. In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis, per infrascriptum Secretarium proposito pro opportuna solutione sequenti Dubio, nimirum: Utrum Canonici sacris induti Vestibus adhibere possint Chorum paratum vulgo *di damasco, seta o velluto* dum solemniter Sacra peragit Episcopus in sua Diœcesi, vel Cardinalis Titularis in propria Ecclesia? Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, re mature, diligenterque examinata, rescribendum censuerunt: *In Choro stabili non licere.*

Atque ita servari mandarunt. Romana Die 6 Sept. 1834.

(26. Archipresbyter, et Clerus Oppidi vulgo Farnese intra limites Diœcesis Aquipendien. ad propellendam omnem ambiguitatem quoad celebrationem Festi præcipui Patroni, Sacrorum Rituum Congregationi supplicarunt humillime pro declaratione insequentium Dubiorum, nimirum:

« An post electionem, et confirmationem Apostolicam Sancti Isidori Agricolæ in Patronum præcipuum memorati Oppidi de Anno 1815, factam, Incolæ Oppidi ipsius te

Digitized by Google

neantur adhuc nuncre sub præcepto festivum diem nonum Novembris, in quo occurrit Festum Dedicationis Sanctissimi Salvatoris, cujus sub titulo erecta reperitur Ecclesia matrix, uti antea fieri solebat?

Et, quatenus non teneantur, an hoc Festum Titularis cum ritu competenti instituere debeant ipsa die IX. Novembris, vel potius Dominica tertia Julii, in qua Officium occurrit Sanctissimi Redemptoris?

Hujusmodi Dubiis per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus mature, accurateque perpensis rescribendum duxerunt:

« Ad 1. Non teneri.

« Ad 2. Festum Titularis in casu esse Festum Transfigurationis Domini, juxta Decretum in Varmien. Die 29 Nov. 1775; ac proinde octavo Idus Augusti instituendum.

« Et ita rescripserunt, ac servari mandarunt. Aquipendien. die 25 Maii. 1835. »

S. CONGREGATIONIS REV. FABRICÆ. S. PETRI.

(1. Festivitas in honorem Divi Peregrini Latiosi, cujus corpus in Ecclesia Patrum Servorum B. M. V. Forolivii asservatur die 1 Maii quotannis habenda, in eadem Ecclesia a Communitate quoad functiones ecclesiasticas celebrari debet, servata forma decretorum S. Congregat. Rituum, et Constitutionum Synodalium. Forolivii die 11 Sept. 1784. dub. 2.

(2. Inde quæsitum est: an dictæ Communitati competat jus celebrandi in Capella Divi Peregrini alias solemnitates, ac functiones sacras? et quatenus affirmative.

An, quo tempore, quibus modis et formis, quorum consensu, et facultatibus dictæ functiones, et solemnitates sint celebrandæ? Affirmativum datur ad utrumque responsum, de consensu Religiosorum, et cum licentia Episcopi juxta modum, et formam ab Episcopo eodem præscribendam. dub. 3. et 4.

(3. Sub nomine solemnitatum Sanctissimi Natalis non comprehenduntur dies tres consequentes; sed sub nomine Solemnitatis Paschatis comprehenduntur duo dies, qui primum consequuntur. Et solemnitas incipere debet a primis Vesperis festivitatum, e in Sabbato Sancto. Romana die 2. Julii 1785. dub. 9.

(4. Sub primis autem Vesperis Paschatis comprehendi debet Missa solemnis Sabbati Sancti, non vero ejusdem diei functiones. Ead. die 27 Febr. 1790.

*(5. Ad tramites priæ dispositionis Sacerdotis Petri Mariæ Bosii extructum fuit Oratorium, ut dicaretur S. Bernardo, et in quo festum illius quotannis celebraretur. Præ illius angustia in diversum usum conversum est, et festum fuit in alia Ecclesia celebratum. Collegium hodie Doctorum Theologiæ Civitatis Parmæ præfati Fundatoris hæres supplicat pro facultate decentem aliquam alterius Ecclesiæ Capellam in locum Oratorii subrogandi. Assentitur Episcopus, cujus mensa substituta est Collegio, et Sacra Congregatio annuit juxta votum Episcopi. Parmen. die 7 Junii 1788.

(6. Patribus de Observantia Conventus Siroli in propria Ecclesia celebrare non licet festum Sanctissimæ Crucis eodem die, quo in Ecclesiæ SS Crucifixi celebratur. Anconitana Trans. Mis. die 14. Martii 1789. dub. 2.

FIDEI PROFESSIO.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Obtinentes beneficium cum cura animarum, Dignitates, Canonicatus in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus satisfaciunt præcepto Sacri Concilii Sept. 24. cap. 12. *de Reformat.* si professionem fidei emittant post susceptam institutionem, vel collationem, et antequam in possessionem immittantur: Tirasonen. Visit. SS. LL. 11. Maii 1782. dub. 1.

Et qui fidei professionem facere tenentur, et ultra præfinitum, bimestre tempus distulerint, non priventur fructibus dicti primi bimestri, sed fructibus ex post lapsis a die, nempe præteriti primi bimestris, destituuntur: *Ibid.* dub. 2.

(2. Inter nonnullos Ecclesiasticos sæculares, ac Regulares in Hispaniarum Regnis existentibus contentionis cupidiores, quam veritatis de disciplina ecclesiastica questio facta est: et res excessit, ut ad aures Regis Catholici pervenit, qui per suum Oratorem in Urbe a Sede Apostolica, quæ Orientis et Occidentis consultationibus respondit, postulavit decisionem. Censuit enim S. C. in qualibet nova provisione Canonicatuum, Dignitatum in Ecclesiis Cathedralibus, etiam in eadem Ecclesia iterandam esse professionem Fidei ad formam decreti Sacri Concilii Tridentini Sess. 24, cap. 12 *de Reform.* Dubia super professione Fid in Regnis Hispan. 3. Aprilis 1786. dub. 1.

(3. Insuper declaravit eam emitti debere coram Ordinario, vel ejus Vicario Generali, et tempore Sedis Vacantis coram Vicario Capitulari, et Capitulo, minime vero etiam stante contraria consuetudine licere eam pronunciare coram solo Capitulo, nec iis in Diœcesibus, in quibus Ordinarii præter Vicarium Generalem habent alterum Vicarium de gremio Capituli ad effectum convocandi Capitulum, et eidem interveniendi in rebus respicientibus Ordinarium et Capitulum: *Ibid.* dub. 2.

Demum firmavit eadem S. C. posita bona fide consulendum esse SSmum pro absolutione a restitutione fructuum pro tempore præterito quoad eos, qui professionem fidei coram Capitulo, ut supra enunciarunt. *Ibid.* dub. 3.

FRUCTUS ECCLESIASTICORUM.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Canonico Mathilgensis Ecclesiæ Dominico Alexandrini Sereni, qui in legitima constitutus ætate sacros Ordines non susceperat, Sacra Congregatio fructuum condonationem concessit, erogata aliqua pecuniarum summa in Christi pauperes, atque ad suam explorandam vocationem, ulteriorem concessit terminum sex mensium. In Mathilicen. Prorogationis et Sanationis 20. Februar. 1802.

(2. Reservationis fructuum onere gravari nequeunt Parochiales Ecclesiæ, nisi excedant summam ducatorum 100. Asc. Par. 24. Nov. 1781. § 12.

Etiamsi a resignante obtentus fuerit titularis consensus, quia talis reservatio vergit in damnum tam Parochi, quam Ecclesiæ et populi: *Ibid.*

FUNERALIA

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Sacro Ordo stetit in decisis, iterumque decrevit ex Vicarii Apostolici rescripto satis aperte constare sodales SS. Stygmatum Philoptrani jus habere tumulandi in sua Ecclesia cadavera, demptis tamen ex emolumentis quarta pro Parocho. In Autimana Juris tumulandi 28. Mar. 1838.

S. Cong. distulit judicium ad 1. post prox. super controversia enata quoad funerum emolumenta Parochos inter et PP. Capuccinos ac Centumcellani Cœmeterii Capellanum. In Portuen. et Centumcellarum 2 Maii 1838.

(3. Ne qua utilitate ab jure concessa Centumcellani Parochi priventur decrevit S. Congr. illis deberi *funerum* emolumenta, juxta tamen receptam consuetudinem; ex transportatione cadaverum, quæ pompa solemniter instituta peragitur ab aliqua urbis Ecclesia seu ad publicum cœmeterium, seu ad Templum PP. Capuccinorum. In eadem 22. Aug. 1838.

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google